Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/bibliothecamanua0000tobi_d1f0

R. P. TOBIAS LOHNER

BIBLIOTHECA

MANUALIS CONCIONATORIA

ORDINE ALPHABETICO DIGESTA.

AUGUSTA VEROMANDUORUM, EX TYPIS J. MOUREAU.

TOBIAS LOHNER

BIBLIOTHECA

MANUALIS CONCIONATORIA,

ORDINE ALPHABETICO DIGESTA;

Novis titulis adaucta; sententiis SS. Patrum et Doctorum illustrata;
Similitudinibus, Motivis, Mediis, et Doctrinis Asceticis locupletata;
ingeniosis pro formanda concione in omnia themata conceptibus referta,
ac indice concionatorio in Evangelia festorum et dominicarum, nec non indice generali adornata.

EDITIO NOVISSIMA ET ACCURATISSIME EMENDATA;

AD COMMODIOREM USUM IN QUINQUE TOMOS DISTRIBUTA,

CUI ULTIMO ACCEDIT OPUSCULUM :

INSTRUCTIO PRACTICA DE MUNERE CONCIONANDI, EXHORTANDI ET CATECHIZANDI;

CURA ET STUDIO

DD. Alphonsi CORDIER et Joannis-Baptistæ BAUD,
SACERDOTUM AC THEOLOGORUM.

TOMUS SECUNDUS

ALMA COLLEGE
251.3
LIBRARY
L833
Alma, California

LUTETIÆ PARISIORUM,
APUD HIPPOLYTUM WALZER, BIBLIOPOLAM,
Viâ vulgò dictâ de Vaugirard, 21.

M DCCC LXIX.

32283

BIBLIOTHECÆ

MANUALIS

CONCIONATORIÆ

EX S. SCRIPTURA.

DILECTIO INIMICORUM.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est actus charitatis, quo inimicus propter Deum diligit. MATTH. v, 44.

ACTUS. — Sex sunt præcipui actus hujus dilectionis. Primus est pro eis *orare*, ut Christus indicavit: Orate pro persequentibus et calumniantibus. Secundus actus est, *bene loqui de illis*, juxta illud Christi: Benedicite maledicentibus vobis. LUC. VI, 18

Tertius est *salutare*, etsi ipsi non salutent, hinc et Christus Apostolis præcepit, ut in quamcumque domum, etiam inimici, introirent, dicerent illi: Pax huic domui. Quartus est *benefacere*, tam in anima, quam in corpore; uti Apostolus Romanos monuit dicens: Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. ROM. XII, 21.

Quintus est *mutuum dare petentibus*; quemadmodum iterum Christus monuit dicens: Diligite inimicos vestros, et mutuum date nihil inde sperantes. LUC. VI, 25. Ibid.

Sextus est *gratis dare* : Sic enim, inquit Christus, eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos malos.

QUALITAS. — Ego dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos, ut sitis Filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. MATTH. v, 44.

Benedicite persequentibus vos. Benedicite, et nolite maledicere. ROM. XII, 14.

Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi; hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. ROM. XII, 20, 21.

Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te jacentem sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum ipso. EXOD. XXXII, 45.

Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. EPH. IV, 32.

Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. LEV. XIX, 18.

Omnis injuriæ proximi ne memineris, et nihil agas in operibus injuriæ. ECCL. X, 6.

Fatuus statim indicat iram suam; qui autem dissimulat injuriam, callidus est. PROV. XII, 16.

Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas et in ruina ejus ne exultet cor tuum. Ne forte videat Dominus, et displiceat ei, ut auferat ab eo iram suam. PROV. XXIV, 18.

Noli de inimico tuo mortuo gaudere, sciens, quoniam omnes morimur, et in gaudium nolumus venire. ECCL. VIII, 8.

NECESSITAS. — Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ad altare et prius reconciliare fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum. MATTH. V, 24.

Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum ipso, ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. MATTH. V, 25.

Qui non diligit, manet in morte : omnis, qui odit fratem suum, homicida est, et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem. I JOAN. VIII, 4.

Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat, quia tenebræ excæcaverunt oculos ejus. I JOAN. II, 9.

Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit. ECCL. XXVIII, 21.

ÆQUITAS. — Homo homini reservat iram, et a Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur? Ipse cum caro sit, reservat iram, et propitiationem petit a Deo? Quis exorabit pro delictis ejus. ECCL. XXVIII, 3.

UTILITAS. — Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis peccata vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester vobis dimittet peccata vestra. MATTH. VI, 14.

Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur. ECCL. XXVIII, 2.

MEDIA. — Memorare timorem Dei, et non irascaris proximo, memorare testamentum Altissimi, despice ignorantiam proximi, id est, ne æstimes, quæ per ignorantiam in te peccat.

Memento novissimorum, et desine inimicari ; tabitudo enim et mors imminent in mandatis ejus (id est, corruptio et mors imminent homini ob neglecta mandata). ECCL. XXVIII, 6.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Inimicitiam in aqua scribere oportet, ut quamprimum obliteretur, amicitiam autem in æs incidere, ut perpetuo firma et immota conservetur. Neque enim ne odio simus (hoc quippe nostri arbitrii haud est, ac fortasse ne fieri quidem potest, omni enim modo præstantissimi quique viri improbis invisi sunt, ac propterea Sancti viri hujusmodi odium subierunt) sed ne homines, sed improbitatem, qua laborant, odio habeamus, nobis imperatum est. ISIDORUS PELUS. l. III. ep. CXXXI.

Sunt plerique, qui se dicunt parcere inimicis suis, nec velle iis nocere, tamen non posse eos videre, neque insuper volunt cum eis loqui ; contra quos Chrysostomus de compunctione cordis tractans, in illud : « Dimitte nobis debita nostra, » ait : Si tantummodo non lædas eum, qui te læsit, avertas te tamen ab eo, nec libenter videas, manet sine dubio vulnus in pectore et dolor augescit in corde, quod si ita est, nondum utique, quod Christus mandavit, expletur. Numquid tu ita vis propitium tibi Deum fieri, ut non quidem lædat, avertat tamen se a te? Cum et peccatorum tuorum veniam poscis, talem exhibere te debes his, qui delinquunt in te. S. BERN. S. II, 4 *in Cantic.*

Non vult simulatam remissionem, sed ex intimo corde, qui cordium scrutator et judex est Deus. Adeoque non sufficit inimico reconciliari secundum oculos mundi, siquidem Deus, qui cor nostrum penetrat, quæ dilectionis nostræ sit ratio, an scilicet vere aurum sit, optime dignoscit ; quapropter S. Augustinus hoc salutare nobis tradit dogma dicens : Melius est, ut clames ore, et dimittas in corde, quam sis blandus ore, et crudelis in corde. Neque minus efficaciter et apte eadem Christi verba explicat Dionysius Carth. dicens : Cordialiter diligendo injuriantem, et culpam penitus dimittendo, ita ut nihil amaritudinis, iræ vel impatientiæ inhæreat animæ vestræ. CAJET. in c. XIX *Levit.*

Vis acceptæ injuriæ esse memor, et inimicus? sis inimicus, sed diaboli, non membri tui : Propterea nos animo et ira armavit Deus, non ut ensem in nostra corpora adji-

ciamus, sed ut totum gladium in diaboli pectore immergamus. D. Chrys. hom. xli, *in Acta.*

Ille veraciter, hoc est, perfecte charitatem habet, qui, et amicum diligit in Deo, et inimicum diligit propter Deum. Ratio amoris hujus, ea videlicet, quæ hominem ad amandum Deum movere debet, Deus est, inquit S. Bernardus; quod copiosius explicat Cassianus : Non aliter, ait, ad illam veram perfectionem ascendere poterimus, nisi quemadmodum nullius alterius rei, nisi nostræ salutis gratia prior nos ille dilexit, ita eum nos quoque nullius alterius rei, nisi sui tantum amoris dilexerimus obtentu. Quamobrem studendum nobis est, ut de timore ad spem, de spe ad charitatem Dei, vel ipsarum virtutum amorem perfecto mentis conscendamus ardore. S. Gregor. hom. xxvii, *in Evang.*

Nulli vel inimicissimo homini negari quantulumcumque affectus, charitas, sane in hac parte ambitiosa, permittit. Tibi noces, si non diligis inimicum. S. Bern. serm. l *in Cant.*

Neque Christus hoc jussit : nos non habere inimicos, sed non odisse, hoc enim est in nostra potestate ; illud vero omnino non est. Ne autem sine causa odio habeamur, non est in nostra potestate, sed in eorum, qui oderunt. Improbi enim bonos nulla omnino de causa odisse consueverunt, etenim Christum quoque sine causa odio habuerunt, quemadmodum dicit : Oderunt me gratis. D. Chrys. *in Psal.* vii.

Jubemur diligere inimicos quoque, ut hæc sit perfecta et propria bonitas nostra, non communis. Amicos enim diligere omnium est, inimicos autem, solorum Christianorum. Tert. *ad scapul.* c. i.

Necessitas. Non potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. S. Aug.

Dum vindictam adornas, primum te ipsum tormento afficis, veluti si carnificem iram tibi apposuisses, dilanias tua ipsius viscera. Quid enim miserius homine perpetuo irato? Quemadmodum furiosi numquam fruuntur tranquillitate; ita qui simultatem gerit, et inimicum habet, nunquam fruitur pace, perpetuo æstuans, tempestatemque cogitationum in dies aggravat, et verba factaque secum reputat, ipsius quoque nomini infestus, qui injuriam dedit. S. Chrys. tom. i, h. xxii.

Quomodo poteris manus in cœlum extendere, aut linguam movere, aut veniam postulare? Si enim voluerit tibi Deus peccata condonare, tu id non permittis, cum adversus conservum, offensum animum retineas. Idem.

Homo, sine peccato esse non potes, et vis semper tibi dimitti? Totum dimitte semper. Quantum vis dimitti tibi, tantum dimitte. Imo, homo, intellige, quod remittendo aliis, veniam tibi tu ipse dedisti. S. Chrys. in Serm.

Si non dimittis injuriam, quæ tibi facta est, non orationem pro te facis, sed maledictionem super te inducis, cum dicis : Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus. S. Anast.

Æquitas. Si in domibus vestris scorpiones essent, aut aspides, quantum laboraretis, ut domos vestras purgaretis, ut securi habitare possetis? Irascimini, inveterantur iræ in cordibus vestris; fiunt tot odia, tot scorpii, serpentes; et domum Dei, cor vestrum purgare non vultis! S. Aug. hom. xlii, c. vii.

Multa deliquimus, in magnis offendimus, et Dominum nostrum irritavimus, dedit ex sua humanitate hanc viam reconciliationis; ne igitur deseramus hunc pulchrum thesaurum. Numquid non in illius potestate fuit præcipere reconciliationem sine ulla propria mercede? Non enim habet, quia sua præcepta corrigat, attamen ex sua multa benignitate mercedem spopondit nobis, et magnam, et ineffabilem, et quam maxime desideramus, nimirum veniam nostrorum peccatorum. Quam veniam habebimus, cum et tantum præmium accepturi, nec sic quidem obsequimur legislatori, sed perduramus in ejus contemptu? S. Chrys. hom. cit.

Tantopere infelix est casus inimici tui in peccato, tam est misera conditio, ut vel hoc unum debeat tibi lacrymas misericordiæ excutere, et stimulos addere, ut quacumque potueris arte, vel ope, erigas fratrem in cœno jacentem, liberesque a morte eum, qui in inferni faucibus est. Si asinum inimici sub onere jacentem lex antiqua sublevare jubet, quanto magis animam. Paulus de Palat, *in* c. v *Matt.*

Sæpe suggerit adversarius noster, quod nisi vindicemus nos de nostrorum et nostris illatis injuriis, veluti viles et vecordes reputabimur a plerisque. Audi quid Prov. xiii, dicitur : « Detestantur stulti eos, qui fugiunt mala. » Nonne insanissimus esses, si domo super te ruente propter aliorum derisionem,

a ruina et mortis periculo affugere nolles? Longe quidem majori laboras insania, si ex vecordia detineris parcere inimicis, cum evadas non tantum supplicia æterna, verum etiam multa temporalia damna; insuper consequaris divinam gratiam, et gloriam sine fine mansuram. S. Bern. t. II, serm. L, a. 2, c. III.

Quod si nec gehenna immineret odio laborantibus, saltem ob ipsius odii cruciatum, peccata proximorum condonanda essent; cum autem æterna supplicia nos maneant, quid stultius, quam hic et illic semetipsum mulctare, dum de altero se credit ultionem sumere.

Utilitas. Qui te docuit orare, ipse pro te allegat preces, quia tu reus eras. Gaude, quia ille erit tunc Judex tuus, qui modo Advocatus tuus est. Ideo ergo qui oraturus es, acturus es causam tuam, paucis verbis venturus ad illa verba : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Dicit enim tibi Deus : Quid mihi das, ut ego dimittam tibi debita tua? Quale munus offers? Quale sacrificium conscientiæ tuæ imponis altaribus meis? Continuo docui te, quid petas, et quid offeras. Petis : « Dimitte nobis debita nostra. » Et tu offers quid? « Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Debitor es ejus, qui falli non potest; habes et tu debitorem. Dicit tibi Deus : Tu debitor meus, ille debitor tuus, hoc facio ergo tibi debitori meo, quod tu feceris debitori tuo; rogas me pro misericordia tua, noli esse piger in misericordia, attende quod Scriptura dicit : « Misericordiam volo magis, quam Sacrificium. » Noli offerre sacrificium sine misericordia, quia non remittuntur tibi peccata tua, nisi offeras cum misericordia. S. Aug. s. clxx, *de Temp.*

Tu legem scribis de venia et pœna, tu in tui causa fers sententiam : Dimitte nobis, sicut dimittimus. Vide quid dicis, ne contra te ensem, ut insanus et furens, stringas. S. Chrys. hom. xviii *in Joann.*

Carbones ignis congeres super caput ejus, accumulabis super mentem ejus carbones ignis, id est, ferventes et urentes pœnitentiæ dolores; beneficiis enim tuis victus, dolebit se injurias fecisse tibi, a quo bona recipit, et convertetur ad pœnitentiam sicque lucraberis eum Christo. S. Aug. s. clxviii.

Fit odium maximæ utilitatis occasio, frequenter quæ laudando, et gratificando non effecerunt amici nostri, hæc præstiterunt inimici lacessendo maledictis, etsi vera objiciant; illi enim gratificantes, sive assentantes, superbiæ malum in nobis augent; hi vero odio perciti, crimina exprobrant, et nos ad vitiorum correctionem compellunt. S. Chrys. t. VI, hom. XVIII.

Accepisti injuriam, et eum, qui intulit, ulcisci cupis? Beneficiis eum affice, et ultus es. Si enim ulciscaris, similiter et te, et illum vituperabunt omnes. Si vero toleres, te quidem suspicient, de illo autem male loquentur. Quod vero majus malum et acerbius contingere inimico possit, quam videre inimicos omnibus esse admirationi, plausuque excipi, se vero in oculis inimici ab omnibus vituperari? Idem, t. III, hom. XXVIII.

Disce diligere inimicum, si vis cavere inimicum ideo amplius monet : Exercere misericordiam. Non est aliud vinculum charitatis, non est aliud vehiculum quo perducamur in hac vita ad illam patriam : extendite dilectionem usque ad inimicos, securi estote. Benefaciendo adversariis, honorem defers Christo. Vide,quantæ virtutis et æstimationis sit hæc beneficentia, hæc victoria. S. Aug, *in Ps.* cii.

De ipsa perfectione diligendorum inimicorum Dominus admonens, ait : « Estote ergo et vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. » Qui ergo dicit se in ipso manere, id est, in Christo, debet sicut ipse ambulavit, et ipse ambulare. Forte hoc nos monet, ut ambulemus in mari? Absit. Hoc ergo, ut ambulemus in via justitiæ. In qua via? Jam commemoravi : Fixus in cruce erat, et in ipsa via ambulabat, ipse est via charitatis : « Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt! » Si ergo didiceris orare pro inimico tuo, ambulas viam Domini. Idem, t. I *in Joan.* c. II.

Facilitas. Illæ (feræ) quamquam naturaliter sæviant, si humana tamen natura palpentur, plerumque mansuescunt; tu autem, qui illarum profecto naturalem feritatem, in eam, quæ contra naturam est, mansuetudinem, sæpe commutas, quam habebis excusationem, tuam mansuetudinem naturalem in feritatem, quæ naturæ tuæ inimica, convertens, cumque naturaliter feram ad mansuetudinem trahis,te mansuetum naturaliter, in feram rabiem natura repugnante perducis, et leonem quidem mitigas, reddisque tractabilem, furorem vero animi tui omni prorus efficis leone sæviorem, et certe

cum ibi sint impedimenta, vel maxima, quod fera ipsa et ratione privata, et longe omnium alterius generis animalium excedit furorem, tu autem de copia donatæ tibi a Deo sapientiæ, ipsam superas arte naturam. Qui igitur naturam vincis in bestiis, cur in temetipso una cum natura etiam voluntatis bonum prodidisti? Itaque si te, ut alium hominem mansuefaceres, juberem, nihil hic quidem impossibile viderer imponere; quamquam excusare posses, non te esse dominum voluntatis alienæ, neque cuncta in tua voluntate consistere. Nunc vero tua hæc proprie fera est, et cui certissimo jure domineris. Quam igitur habes apologiam, quemve reperies honestum excusationis colorem, qui, cum solerti studio hominem quodam modo facies de leone, tu tamen negligens leo efficiaris ex homine. S. Chrys. hom. iv, *in Matth.*

Deus ita vult, et præcipit, et hoc gratum est illi. Quanta quotidie facimus pro amicis, quos a nobis alienatos et invisos, orantibus amicis in nostram gratiam recipimus, ut illis placeamus? O Christiane! facis hoc pro amico, et non facis pro Deo, maxime cum hoc non solum consulat, sed præcipiat? S. Th. de Vill. serm. *in Fer.* 6, *cin.*

Si dixero : Jejuna, corporis imbecillitatem mihi excusas. Si dixero : Des operam sacræ Synaxi. Sæculares curas. Si dixero : Attende concionibus. Imperitiam. Si dixero : Iram dimitte. Quid istorum allegare poteris? Non corporis imbecillitatem, non imperitiam, non paupertatem, non occupationes ; quapropter minime omnium hoc peccatum veniabile est. D. Chrys. hom. xxii.

Quid facilius, dic quæso, quam homini, qui te læserit, iram remittere? Non enim longis ad id peregrinationibus opus est, non pecuniarum insumptu, non aliorum exhortationibus. Sufficit, ut tantum velis; ac jam virtus illa suum opus explevit.

dignitas. — Triplex offensæ genus potest homini irrogari, cordis, oris et operis. Corde odiendo, mala desiderando. Ore detrahendo, infamando. Opere offendendo animam, personam, substantiam. Vis, de omnibus his honestissimam sumere vindictam? Vis quod nihil relinquatur inultum? Ignosce liberaliter corde, ore et opere. Si odit te corde, dilige eum amoroso corde. Si nocuit tibi ore, in his, in quibus licitum est, lauda illum, ore devotam orationem ad Deum pro eo funde. Si vero opere te aut tuos plurimum læsit, aliquod servitium, vel beneficium illi impende. O vindicatio benedicta, et omni pietate et honestate præcipua, et sibi bene conscia, proximo pacifica, atque Deo summe grata! S. Bern. ser. xxxi.

Nulla honestior vindicta de hoste sumi potest, quam indulgentia liberalis ; proinde etiam magnus Seneca de quatuor virtutibus ait : Scio magnum vindictæ esse genus, posse ignoscere.

Tunc temporis magis exultans (David) quam cum Goliath dejecisset ; siquidem hæc illa magnificentior erat victoria, hæc magnificentiora spolia, hæc præda illustrior, hoc gloriosius trophæum. Siquidem illic, et funda, et lapidibus, et acie habebat opus, hic vero cuncta prudentia rationeque peracta sunt. S. Chrys. hom. m. ii.

Illud tibi animadvertendum fuerit, quod de iis, qui deliquerunt, multi quidem eorum, qui ante nos vixerunt, supplicia sumpserunt, quorum immortalis memoria per omnia sæcula durat. S. Basil. ep. clxiv.

Accendamur ad benefaciendum inimicis, ubi adverterimus, quod, qui pro inimicis orat, quique inimicos diligit et fovet, spectaculum est mundo, et Angelis, et hominibus ; spectat Deus, spectant Angeli, stupet mundus, attoniti redduntur homines, cum vident Christianum reddentem non malum pro malo, sed pro malo bonum. Paulus de Palat. *in cap.* v. *Matth.*

Mori a persequente, martyrium in aperto est opere ; ferre vero contumelias, et odientem diligere, martyrium in occulta cogitatione ; disce diligere inimicum, si vis cavere inimicum. S. Greg. hom. *de Martyr.*

Nihil mirabilius in rebus humanis, quam diligere inimicos. S. Aug. l. *Conf.*

Multa sunt genera eleemosynarum, quas cum facimus, adjuvamur, ut dimittantur peccata nostra ; sed ea nihil est majus, qua ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccavit. S. Aug. in *Enchir.*

Nihil potest esse fortius, nihil magis egregium, quam audire noxia, et non respondere contraria. Cassiod. *Super Ps.*

Virtus est coram hominibus, tolerare inimicos, sed virtus coram Deo, diligere ; quia hoc solum sacrificium Deus accipit, quod ante oculos ejus in altari boni operis unitatis flamma incendit. S. Greg. in *Pastor,*

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Christus in cruce suffixus dixit : Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt. Luc. xxiii, 34!

Sed et S. Gertrudi quondam revelavit, se ideo præ cæteris creaturis, quæ in humanitate ipsi deservierunt ad commoda corporalia (qualia sunt vasa, quibus in infantia balneatus est) multo majorem honorem spineæ coronæ et lanceæ contulisse, ut et ipsi dilecti adversariis majorem honorem et amorem, quam benefactoribus impenderent. L. IV, in fin. c. liv.

S. Stephanus, cum lapidibus obrueretur, clamavit voce magna dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum! Act. vii, 60.

Quam efficax autem hæc fuerit oratio, S. Augustinus indicavit, dum dixit : Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.

S. Jacobus Apostolus a Judæis de pinna templi præcipitatus ac morti proximus dicebat : Domine, da illis veniam ; quia nesciunt, quod faciunt! Surius, in *Vit.*

S. Paulus de se et aliis Apostolis confessus est : Maledicimur, et benedicimus ; persecutionem patimur, et sustinemus ; blasphemamur, et obsecramus. I Cor. iv, 12.

Joseph Patriarcha petentibus veniam fratribus dixit : Nolite timere. Num Dei possumus resistere voluntati ? Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum. Nolite timere ; ego pascam vos et parvulos vestros. Confortatusque est eos, et blande, ac leniter est locutus. Gen. xxx, 21.

David, cum a Semei malediceretur, cohibens Abisai a vindicta dixit : Dimitte eum, ut maledicat ; Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David ; et quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit ? II Reg. xlv, 10.

Cum Abbati Stephano nuntiaretur, ipsius triticum a quopiam exustum esse, respondit ipse : Væ illi, qui hoc fecit, quoniam Deum offendit! Petrus Sanch. in *Reg. Dei* p. VI, c. xi.

Maria de Ascensione si ab aliqua sorore injuriam accepit, statim ad Eucharistiam in templum se conferebat, cordeque sincerissimo dicebat : En, Domine mi, munus, quod ad te defero ; ut acceptum sit, precor, et ignosce sorori meæ, cui non cogitanti talia exciderunt. Barri *in sol. die* 7.

S. Nicephorus M. cum sæpius a Sapritio veniam et reconciliationem petiisset, eamque Sapritius, dum ad martyrium educeretur, dare nollet, iste quidem, mutato proposito, Diis thus obtulit, S. Nicephorus autem pro eo collum gladio feriendum obtulit. Sur. tom. I, *Febr.*

Alexander, Patriarcha Hierosolymitanus, fugientem a se, ac multa furantem, notarium suum, posteaque victum ac captivum 85. nummis redemit. Unde in ea civitate dici tunc solebat nihil esse utilius, quam Alexandro malefacere. *Pratum. Spir.* c. xiv

S. Apolonius, cum a Philemone Choraula multis injuriis lacessitus nihil aliud responderet, quam : Misereatur tibi Deus, fili mi, et nihil horum, quæ locutus es, in peccatum reputet ! effecit, ut Philemon conversus martyrium cum ipso obierit. *Vita PP.* p. II, cap. ci.

Elisabeth Hungariæ Reg's filia, cum rogasset aliquando Deum, ut omnes, qui eam injuria affecissent, singulari vicissim beneficio afficeret, audivit a Deo, numquam ipsam in oratione sic placuisse, obtinuisseque remissionem omnium peccatorum. Faber, *in festo S. Steph.* t. III, n. 3.

In Annalibus Ecclesiasticis de Nobili quodam refertur, quod die quadam egressus, ut se de eo, qui patrem suum occiderat, ulcisceretur, tandem illum obvium habens, dum in procinctu esset, ut ferro illum transfigeret, hic ei supplex factus, amore crucifixi eum, ut sibi dimitteret, rogavit ; qui crucifixi nomine audito compunctus, et placatus, ferrum in vaginam recondidit. Cumque postmodum idem Nobilis, tamquam legum status Equestris transgressor, a Ricardo, Angliæ Rege, exilio omniumque bonorum suorum confiscatione mulctaretur, tandem post longum exilii tempus ecclesiam aliquam ingressus, Deum orare cœpit, ut cor Regis emolliret in veniam, et pœnæ suæ remissionem. Factumque est, ut quoties hunc in finem coram crucifixi imagine genua flectebat, toties Christi e cruce pendentis imago, in ara exposita caput inflecteret. Quo conspecto ingenti miraculo, Richardus Rex evocavit Equitem squalore obsitum, percunctatur, quod Deo gratissimum opus aliquando edidisse putaret, eoque subjiciente, parentis interfectori veniam per crucifixi vulnera exoranti ignovisse, audita rei serie, et causa exilii, in patriam, pristinos honores, fortunasque restituit. Raynald. *ad annum* 1232, num. 1.

Neque minus memorabile est illud S. Joannis Gualberti exemplum, qui dum juvenis esset paternis obsecundaturus placitis, inimico insidiabatur usque ad mortem, quem cum aliquando inermem in stricta semita, ubi effugere non poterat, offendisset, miser ille ad hujus se pedes provolvit, vitamque donari petiit amore Christi crucifixi. Quibus verbis emollitus Gualbertus eum e terra sublevatum amplexatus est, eumque securum esse jussit, utpote qui bono usus fuisset advocato. Suum itaque prosequens iter Joannes ecclesiam intravit in via, ibique orare cœpit coram quodam Crucifixo, qui illi caput inclinavit, quasi propter servitium, quod sibi, inimicis propter amorem Dei parcendo, præstiterat, gratias acturus. Qua miraculosa Domini correspondentia tunc confusus adolescens, interius se illuminatum sensit, moxque mundo renuntiare, subque Christi labaro imposterum militare statuit, quod et fecit, quando Religionem ingressus, alterius ipse Religionis fundator evasit.

Philippus Altieri, Baro Aquilanus, aliquando vulnus ex bombarda mortale accepit in genu, et latere, unde mensibus multis de vita periclitatus fuit; ad ignoscendum igitur exhortatus, et quantumvis se id facturum sæpius promitteret, in proposito tamen constans non perseverabat. Femur magis magisque intumuit, morbusque ita auctus est, ut pene moreretur. Post varios itaque gravesque assultus, ex corde toto injuriam remittere statuit, ideoque inimicum vocatum amplexatus est, eique reconciliatus. Statim non solum mortem evasit, sed a morbo illo convaluit, ut sanus factus sit, plusque virium habebat in femore olim vulnerato, quam in altero. Hist. select. *Aug. in Manic.*

Memorabilis quoque est historia in Annalibus Ecclesiasticis memorata de Leone III, Summo Pontifice. Nepotes enim Adriani Papæ invidia propter Leonis electionem excæcati, oculos illi eruentes, ad radices usque linguam ei absciderunt. Deus autem innocentium defensor, intercedente S. Petro, cui se recommendarat, nocte sequenti vitam, linguam, totalemque salutem illi restituit miraculose, ita ut merito gloriari posset: « Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, a quo trepidabo? » Sed quam putaris tam prodigiosi miraculi fuisse originem? Cum Carolus Magnus sacrilegos illos Adriani nepotes pœna capitali mulctare decrevisset, Leo omni cum zelo et spiritu se ei opponere, id effecit, ut loco mortis in exilium tantum ablegarentur. Baron. *ad annum* 799.

Joannem Riberam, Archiepiscopum Valentinum, ab homine, in quem assidue, nec vulgaria contulerat beneficia, apud Regem ac Pontificem M. impudentissime accusatum, domestici quondam urgebant, ut dignitati tuendæ causam ageret suam, hominisque invidi ac perfidi consilia retegeret; sed veritatis unius stantem judicio numquam pepulerunt, ut aliud vellet experiri. Prodidit se ipsam paulo post impudentia, et gravissimi Principes ingenti calumniatoris probro jusserunt eum a Joanne veniam deprecari. Verum Joannes, qui eas inter offensiones patrem non exuerat, ad se adeunti obviam ad scalas factus, atque perhumaniter amplexus, secretum in conclave deduxit, neque passus illatæ injuriæ mentionem inferri, amicissima in confabulatione diu secum habuit, nec minori charitatis significatione dimisit. Injuriam ergo, unus quidam fecerat, sed alter non acceperat. Joan. Rhod. l. I, c. III, exempl. IV.

Detulerant Joannis Avitæ nomen ad Quæsitores fidei, quorum in Hispaniis tribunal præcipua judiciorum severitate celeberrimum est, homines, non minus libidinis quam iræ atrocis, atque nequiter ingeniosi; ita enim calumniam adornaverant, ut, quia fraus deprehendi non poterat, Joannes, post annua vincula magis inter damnatos, quam inter reos, ab ipsis judicibus haberetur, tanta sui nominis cum infamia, quanta paulo ante fuerat fama sanctitatis. Verum, ut manifesta tandem fraude suggestui redditus, frequentissimam ad concionem primum dicere aggressus est, nihil de se præfandum sibi esse duxit, sed pro accusatoribus preces a circumfusa concione, serena fronte, lætis oculis, ac pia quadam vocis suavitate deposcens, omnes in tantæ virtutis egit admirationem; quamquam enim hæc virtus tessera sit nominis Christiani, nostroque in agro proveniat, nescio qua tamen efflante aura, adeo frequens enecatur, ut veluti aliunde advectam atque ideo rariorem admiremur. Equidem vera fatentibus ardua res est, ex odio amorem legere. Idem, ibid, exempl. II.

Assueta solitudini Joannis a S. Guilielmo, Eremitæ Augustiani, sapientia, hominum etiam consuetudinem tulit, et quidem gravissimis injuriis lacessita. Oppidum est in Etruria, cui Battiniano nomen, quo ex vi-

cino S. Guilielmi saltu, egenorum, animorumque magno bono divertebat Joannes; eo in oppido agebat villicus nobilis Florentini, scortator idem impudentissimus, et iræ impotens in paucis, ergo a Joanne pudicitiæ admonitus, excandescens homo impurus, lenissimo monitori faciem colapho publice verberavit, prodidere se diu meditata præcepta patientiæ. Advolvitur illico impotentissimi rustici genibus Joannes, manumque injuriæ administram blande osculatur; et ne dominus indicio audito eum procuratione amoveret, Florentiam usque iter ingredi non dubitat, ratus, minorem eam esse patientiam, quam charitatis decora non augerent; præstitit plurimos annos in silvis latuisse virtutem, ut tanto inde cum splendore prodiret. Ibidem, exem. v.

Nec solis in silvis crescit patientia inimicorum amans; nihil minus illustre nobis exemplum reliquit Thomas Villanova, qui hominem de clero, quod corruptissimis moribus Ordini dedecori esset, quum paulo acrius objurgasset, ille contumacia elatus in Thomam invehi, eique in se, qui sacrorum Quæsitorum in familiaritatem adscitus esset, nihil Archiepiscopo juris esse vociferari cœpit, adeo inverecunde, ut nisi Thomas se ipsum incusans, suorum iras repressisset, nonnisi male mulctatus inde abiturus fuisse videretur. Verum, peracto Quæsitoribus indicio, jubent illi hominem corripi, atque in vincula duci. Ejus rei nuntium Thomæ accumbenti quum esset allatum, exilivit, atque impransus conscensa mula ad Quæsitores accurrit, et quum multis frustra egisset, ne misero illi linguæ impotentia, ultra quam non peccaverat, fraudi esset, ad extremum sancte confirmans, non abiturum se, nisi voti compotem, sibi ut incolumem redderent, pervicit. Tum peramanter amplexum, impositumque mulæ totam per urbem pari secum equitantem gradu circumduxit, ac sermones miscuit amicissimos. Dixisses, de victis injuriis triumphum longe amplissimum agi.

In aliquibus Simonis Berti manuscriptis sermonibus, qui Florentiæ in Bibliotheca S. Martini asservantur, sequens pariter refertur factum, de quodam privatæ conditionis viro, qui cum fratrem cujusdam Nobilis occidisset, neque hujus indignationem aliter declinare posset, Ecclesiam ingressus, ibi homicidium confessus est, illius pœnituit, seque Deo ex corde recommendans, se resolvit suspenso ad collum capistro dicto Nobili se sistere, ab eoque veniam petere, quod et in feria sexta, intercessionem Jesu Christi in die illo implorans, aggressus est. Hoc igitur spectaculo permotus fuit Nobilis, ut venia indulta reum amplexatus fuerit, dicens: Vade in pace, frater, Deus remittat tibi in cœlis, sicut remitto tibi in terra. Nocte autem sequenti eidem Nobili Christus apparuit, dicens: Quoniam heri amore mei condonasti inimico tuo, noveris, me animam fratris tui occisi hac hora e purgatorio liberasse; insuper animam patris tui prius mortui ex eadem pœna exemisse, et ambos mecum duxisse in gloriam cœlestem. Deinde idem superaddit auctor, quod Christus ei dixerit, ut infra dies octo se ad vitam æternam adeundam disponeret, unde paulo post infirmatus, omnibus Ecclesiæ Sacramentis munitus, animam suo tradidit Creatori Paradiso inferendam. Mansi, tr. XXXV, disc. VIII, n. 15.

Vidua quædam unicum habebat filium, nobilem juvenem, multarumque opum hæredem, quem dum quidam ejus occidisset inimicus, atque in fuga constitutus ministros justitiæ sibi imminere adverteret, mater occisi eum jamjam capiendum videns, atque interius Dei præcepto, quo inimicos amare, iisque benefacere jubemur, extimulata, homicidam periculo eripuit, equum, pecunias, omniaque alia necessaria subministrando, ut securius omne evaderet periculum. Quod cum fecisset, ingressa est oratorium suum, et pro filii anima oravit. Cui oranti astitit filius luce ornatus, matremque sic affatus est: Cum inimico pepercisti, et pro me orasti, mater mea vere effecta es, plus quam cum me genuisti; insigni enim tua charitate et oratione a Deo obtinuisti veniam omnium meorum peccatorum, et indulgentiam consecutus sum multorum annorum, qui mihi remanebant in purgatorio exsolvendi. Sicque in matris oculis cælum ascendit. Ibid. disc. XV, n. 14.

Addit Faber: Ipsam quoque matrem per filium de beatitudine obtinenda securam esse factam. De hac certe matre illud astrui potest, quod de Sancta Monica in ejus lectionibus in hæc verba legitur: Dupliciter mater, quia eum mundo, et cœlo peperit. Faber, in *Fest. S. Steph.* conc. III, n. 3 ex *Osorio*.

Tempore S. Philippi Nerii, prout in vita ejus legitur, quidam erat juvenis, qui ad

omnes rationes penitus surdaster, injuriam capitalem fovebat in corde suo. Hujus itaque aliquando præsentiam nactus Sanctus vir, maximo cum spiritu crucifixum arripuit, atque ita juvenem allocutus: Ecce hic, cogita quantum pro amore tuo Dominus iste sanguinem profuderit, et suis non modo ignoverit inimicis, sed et insuper pro eorum venia Patrem æternum rogaverit. An non vides, miser, qualiter quotidie recitans, Pater noster, loco veniæ peccatorum tuorum vindictam paras? Quibus dictis præcipit, ut secum genua flecteret, et aliqua verba per modum orationis coram eodem Crucifixo secum pronuntiaret, quibus sanctus duritiam et obstinationem cordis exaggerans, insuper gravitatem peccati juvenis istius demonstrare cœpit. Paruit ille, genuflectit, cumque orationem incipere vellet, ne verbulum quidem pronuntiare potuit, quin potius totus contremiscere cœpit, in eoque situ per longum remanens tempus, tandem se in pedes erexit, cum dicto : Ecce me, pater, paratum ad obedientiam præstandam. Ego omnem ignosco injuriam, et quamlibet satisfactionem præstare paratus sum. Ita dixit et fecit promptissime. Liv. VIII, c. IX, n. 4, *Vitæ S. Philip. Ner.*

Refert D. Chrysostomus, quod, cum Constantini Magni statua ingenti injuria affecta fuisset, isque ad eam vindicandam irritaretur, vultu manu sua tacto responderit : Ego nusquam vulnus in fronte factum video, sed sanum quidem caput, sana vero et facies tota. Quem heroicum actum postquam S. Doctor recensuisset, tandem exclamat dicens : Hoc verbum hactenus canunt omnes, nec tantum temporis labefecit, ut hujus memoriam extinxit. Quo non sit hoc trophæis splendidius. S. CHRYS. hom. XX *ad Pop.*

De Carolo Magno potentissimo et invictissimo Franciæ Rege scribitur Baronio, quod, cum incognitus ab Abbate Montis Cassinensis, habitu religioso indutus fuisset, isque in vilissimis culinæ servitiis constitutus ob suam in illis obsequiis inexperientiam quemdam commisisset errorem, coquus calore vini succensus insignem ei impegerit alapam. Cui ille, sine ulla mentis turbatione, facie serena, respondit : Condonet id tibi, o frater, Dominus, et Carolus Magnus. Et tametsi idem coquus hunc ictum aliis temporibus non semel, sed tricies repetivisset, ipse tamen semper constans, sibique similis nullum ostendit indignationis vestigium, tametsi ejus in servitio collega, has injurias diutius tolerare nequiens, easdem in coquo ultus fuerit. BARON. anno 147, nu. 11.

In vita Joannis Eleemosynarii, Patriarchæ Alexandrini, legitur, quod, dum quidam ejus nepos dolens domum rediisset, sanctum adiens Episcopum, singultibus, et voce suspiriis interrupta, irrogatam sibi a quodam tabernario significarit injuriam. Sanctus vero Patriarcha, ut illum consolaretur, dixit ei : Quomodo possibile est, aliquem adeo fuisse temerarium, ut hac te injuria afficere præsumeret? Talem utique de illo statuam vindictam, ut tota Alexandria inde rapienda sit in admirationem. Quibus verbis auditis, ira nepotis non nihil conquievit, existimans Episcopum severum de injuriante sumpturum esse supplicium ; at vero quid accidit? Nepotem suum amplexatus eidem dixit, quod si agnoscere cognatum, et vicissim, ut talis ab eo agnosci vellet, se ad remittendam injuriam, eamque patienter ferendam disponeret, eo quod vera parentela non a carne et sanguine, sed a spiritu et virtute derivaretur. Unde cum summa omnium admiratione, et cum incredibili sua gloria, hoc de illo statuit vindictæ genus, quod scilicet illum a quodam tributo annuo, quo ei obligabatur, in perpetuum liberaret. SURIUS, in *Vita.*

S. Franciscus Salesius semel in via obviam factus illi, qui famam illius multis maledictis, falsisque criminationibus præsciderat, ultro accurrens, et manum illius dextram prehendens, vultu hilari serenoque : Odisti inquit, me, sat scio; sic tamen hebeto, si oculorum alterum mihi effoderis, fore, ut altero te benigne intuear. Nec tamen sic ferreum pectus emolliit. At scelestus ille brevi post exitiali exitu vitam flagitiosissimam clausit. Sæviebat alias calumnia in sanctum Episcopum, et aliunde in eum evomebat virus atrocitatis suæ. Apud Ducem Hemorosium, Principem facilem alioqui et benignum, deblateraverunt quidam adversus Episcopum iniquiores, tum in ipsum, tum in fratres ejus germanos, Bernardum, Baronem Salesiensem, et Joannem, Equitem Melitensem, aliquid, unde in Ducis mente orta de eorum fide suspicio, et ex suspicione diffidentia. Ubi id persensit vir pacificus, cedendum ratus iracundiæ, cum utroque fratrum Anecio Salesium secessit : quoniam tamen a divina gloria esse existimabat, se bidem Anecii adesse per instantem Quadragesimam, scrip

sit ad Ducem ea constantia, quæ inesse in servis bene sibi consciis solet, in hanc omnino sententiam : « Infida in primis est noctis testificatio, Princeps celsissime; ac qui per tenebras iter habent, iis occurrunt pleraque periculosa, et quorum eventum præstare nemo queat. Quod Vestra Celsitudo expostulationes de me deque fratribus meis, excepit, fecit juste, si admisit tantum aurium tenus ; sin eæ ad cor usque Vestræ Celsitudinis penetrarunt, ignoscat mihi, si aio, servus utique fidelissimus, et indignus licet, Pastor tamen V. Celsitudinis, factum ab ea perperam, atque adeo dolere eam debere, quod accusationes eas, etiamsi cum vero consentirent, admisit præpropere. Etenim antequam delationes ullæ in proximum admittantur, disquirendum rite, et ordine, veræ an falsæ sint; non potest autem disquisitio illa legitime fieri, nisi auditis partibus, quisquis secus tradit, prodit utique animam V. Celsitudini. Nam quantumcumque fide digni censeantur accusatores, audiendi tamen sunt, qui accusantur, et expendenda diligenter ea, quæ ad sese purgandos afferunt. » Quæ cum scripsisset justitiæ potius studio, quam declinandæ vexationis, acquievit postmodum, eosque, a quibus lacessitus tam indignum in modum erat, arcta semper benevolentia complexus est, cum iis ita versans, ut significationem nullam umquam dederit ægritudinis, aut recordationis acceptæ injuriæ. Quotidie cum iis agebat, at ea lenitudine, quæ tantæ morum sanctimoniæ apte responderet, et cæteroque eo magis suspiciendæ, quod de injuriosis illis optime jamdiu meritus erat. Ac ut beneficia quidem, quibus eos ornaverat, alia prorsus omnia flagitare videbantur ab ingratis,sic, si hominum conditionem spectes, incendere debere videbantur indignationem exulcerati animi, sed nihil tale in Francisci mente umquam exstitit; semper non modo sincere, sed etiam comiter cum iis egit, ex effatis Evangelicis, misera illa simulatione prorsus ablegata, qua nihil inter eos, qui injurias aut acceperunt, aut accepisse sese putant frequentius. Eodem modo ultus est injuriam ab Sacerdote in se profectam, illitterato æque et audaci. Is cum beneficium Curatum ab Episcopo impetrare minime potuisset ob imperitiam, repulsam illam, quamvis justam, tulit tam impotenter, ut famosum libellum et scripserit in virum Dei, et scriptum eidem obtulerit, in templo versanti. Nam cum Canonici communi Capituli decreto factum tam indignum, tamque impium ulcisci plane vellent, intercessit Pastor bonus, et tantum non in genua sese demisit, pœnam reo deprecaturus, neque modo eos flexit ad veniam, sed etiam injurioso illi honestissimam apud Pedemontanum Principem conditionem curavit.

Hispanus quidam in Regno Mexicano ab altero lacessitus injuria, tanto in illum odio exarsit, ut juraret, se barbæ et capitis pilos non rasurum, neque ungues, neque expiaturum exomologesi animum prius quam adversarium e medio tolleret. Audit ergo, illum visum in civitate a loco, in quo erat, viginti leucas distante, iterum diris se devovet, si cibum prius sumat, quam hosti vitam eripiat, et e vestigio equum conscendit, iter jejunus emetitur, et intelligens adversarium in foro esse, eo se confert, sclopeto ad necem inferendam expedito instructus, et dum illum oculos circumferens, investigat, nec reperit, casu fortuito Patrem Societatis in foro ad turbam confertam Catechismum habentem vidit, et ratus, hostem forte in illa multitudine esse, accedit, et Patrem tum de Dei misericordia in peccantes disserentem audit; compungitur, suam in odio proximi pertinaciam incusat, divinam in se clementiam demiratur, plorat, et concione absoluta Patrem insecutus, ad pedes ejus provolvitur, et lacrymis perfusus, culpas confessione eluit, iterumque vovet, se cibum non gustaturum, etsi jam triduo non sumpsisset, nisi cum inimico rediisset in gratiam, votum illud frustra dissuadente Sacerdote; tandem hostem, ob nescio quod debitum, in carcerem conjectum reperit, ac denique (quod perfectæ charitatis est) equum et arma divendit, et ducentarum librarum argenti pretio inde conflato, ære alieno et carcere hominem liberat, hoc solum efflagitans, ut deinceps amici et fratris loco se habere velit. Penneq. in *Isag.* p. II, c. VI.

Cui historiæ amplius fidem facit Engelgrav. quando eam ita narrat: In Mexico Hispanus juravit, se, priusquam suum hostem e medio tolleret, nec barbam radere, nec ungues rescindere, nec confiteri velle; idque jam duos annos. Audierat inimicum applicuisse ad urbem quamdam 22 leucis inde dissitam, ergo iterum se obstrinxit, nec cibum nec potum se admissurum, priusquam eum peremisset. Quare citato equo illuc festinat, ubi intelligit hostem in foro deambu-

lare, eo se armatus confert. Sed opportune tunc quidam e nostris in trunco catechesim tradebat. Accedit illuc, num in turma hostem videret. Interim Patrem audit fervide de Dei misericordia loquentem. Unde furor remisit, ac tandem in lacrymas desiit. Patrem insequitur, et apud eum se expiat. Perstat in proposito, nihil cibi capere, donec in eum incidisset, quem occisum volebat, ut eum sibi conciliaret; quem ubi audivit, ob gravia debita carcere teneri, eum adit, et ad pedes prostratus veniam petit, equum et arma vendit pretio 200 librarum, et ejus debita expungit. Engelg. *Dom.* 2 *post Pent.* §. 2.

Quidam in Italia cohortis ductor hiemabat in Dominicanorum monasterio, cui Fr. Michael Ghislerius præerat; is rogabat ductorem, ut suorum militum licentiam compesceret; sed alter iratus, minatus est P. Priori, si hiscere auderet, velle seipsum in proximum puteum præcipitare. Post annos aliquot Prior factus Pontifex, S. Pius V dictus est. Ad eum præfectus ille militum a civitate sua missus legatus fuit negotiorum causa. Quem ubi S. Pius V vidit abjectum ad pedes suos, rogavit, num illius fratris meminisset, quem volebat in puteum dejicere? Aienti, recordari se minarum illarum, Pontifex ait: Ego sum ille. Ad quam vocem consternatus alter a Pio Pontifice animatur, et humanissimis verbis compellatus, etiam beneficiis ornatus dimittitur, nec tamen divina ultio defuit, ejus enim filius ad eumdem puteum interfectus est. Nic. Erith. ex. cxii.

XXXI. Joannes Avila ad dandam hosti veniam quemdam obstinatum cum multoties rustra monuisset, jussit tandem coram crucifixo, qui erat in Joannis conclavi, flexis genibus semel Dominicam Orationem dicere. Quod alter, ubi fecit ut a sene se citius expediret, vix absoluta oratione tremens ac versus ad Joannem, paratum se ad omnem ejus nutum ait, et veniam se hosti dare. Paul. Barry, in *cent. ill. domus, Dei* c. i. n. 1.

S. Petrus Fourier, quod ab amoribus fœdis puellam avocasset, a proco fuit in egressu templi ad ædes usque curiales seu Parochiales aliquando pugnis male mulctatus. Id ubi visum est a Mantincuriæ pagi, ubi parochiam curabat, incolis, hominem scelestum insequebantur, injuriam sancti viri ulturi. Petrus sollicitus, ne quid ei sinistri accideret, ære campano sonitum edit, ceu ad incendium restinguendum, vel ad arma ob irruptionem militum capescenda vocarentur, vel alius casus inopinatus accidisset: quo signo non tantum ii qui quærebant in campo sancti viri hostem invadere, sed etiam populus universus confluxit, visurus quid contigisset. Pater ubi illos vidit, eos enixe rogavit, ut secum genua flecterent, hominemque Deo precibus commendarent. Hoc situ per semihoram durarunt, felici eventu. Postridie enim miser ille ad Petri pedes prostratus veniam petiit erroris illius, et totius vitæ suæ emendationem pollicitus; ac deinde aliis exemplo fuit. *Vit.* II, c. vi.

Ludovicus XII, Galliarum Rex, ubi descripta eorum, a quibus graves injurias passus fuerat, nomina legit, non ad vindictam, sed ad ignoscendum animum applicuit, et ducta super chartam cruce, omnia sepelivit. Pius Princeps numquam se quieti dabat, nisi dato devoto osculo pedibus crucifixi; quam herois devotionem in invidiæ instrumentum vertit æmulorum nequitia. Ergo subornatus ab illis supremus cubiculi præfectus, illum ipsum in crucifixi pedibus locum veneno unxit, ut mortem oscularetur Princeps. Ipsa majoris hebdomadæ feria sexta ignarus designati sceleris Princeps, ad solitum pedum osculum accessit, sed crucifixus pedem retraxit. Cohorruit, in se sceleris latere aliquid interpretatus Princeps. At Christo interprete alienum agnovit esse crimen; et ignovit libenter, quando accedenti ad pedes cubiculi Præfecto, et id quod erat narranti, veniam dulcissimam dedit. Nadas. in *Anno crucif.* hebd. 47, n. 5.

Chrystophorus Martyrium a Dago, Lyciæ Rege passus, cum post multa tormentorum genera stipiti alligatus, tandem sagittis appeteretur, atque earum una reflexo mirabiliter ictu Regis oculum confixisset, vulneris remedium monstravit. Rex itaque decollati Martyris cruore illito oculo sanatus est; et conversus, cadaver ejus sepulturæ honore affecit, cujus vitam extinxerat; tum demum considerans Christi virtutem, cum expertus est erga se martyris charitatem. Marul. lib. III.

Clodoveo Rege adversus Gothos arma movente, quidam ex militibus prædæ cupiditate Maxentium, Lictariensis Monasterii Abbatem, sacrilegio renitentem, ut poterat, ferire vellet manum cum gladio sublevatam demittere nequivit; reliqui, nescio qua stupiditate mentis correpti, immobiles

constitere. At Maxentius immanitatis violentiæque eorum oblitus pœnam misereri cœpit, et precatione liberos ab ægritudine reddidit. Qui deinceps inferre illi injuriam, et timuerunt, castigati, et erubuerunt beneficio victi. MARUL. Lib. III.

Vidit Arecius in Hetruria non vulgare dilectionis inimicorum exemplum. Cum Pergentius et Frater sub Decio torquerentur, tortorum manus quæ medio verberatu obstupuerant, suis restituerunt precibus, magis de inimicorum salute, quam de suo ipsorum supplicio solliciti. MARUL. Ibid.

Vitallius, Alexandrinus Monachus, hominem, a quo alapam acceperat, statim a dæmone arreptum, volutatim humi jactatum, dum pro illo orasset, omni prorsus molestia expedivit. Tam facilis exauditio nonne aperte declarat quanti apud Deum momenti sit erga inimicos dilectio? MARUL. Ibid.

Veneranda virgo dum pro Christo multis magnisque afficeretur suppliciis, et nunc humi dispassis manibus pedibusque divaricatis extenta, nervis bubulis cæderetur, nunc sic resupinata grandi lapide ventri advoluto premeretur, nunc in cacabum sulphure, pice, oleo plenum demersa subjectis ignibus, non destitit pro tortoribus persecutoribusque orare. MARUL. Ib.

Elphegus, Cantuariensis Archiepiscopus, Romam versus pergens, cum in urbem Ausoniam divertisset, omnibus quæ secum habebat exutus urbeque ejectus fuisse dicitur; at cum Deo ulciscente Sancti injuriam repentino tecta incendio conflagare cœpissent, revocatus oratione flammas extinxit. Quo miraculo malignitas hominum in munificentiam versa, plurima offerebat dona; ipse vero nihil accepit præter ea, quæ sibi modo per vim erepta fuerant, ut gratuito potius inimicos, quam mercede diligere videretur. MARUL. Ibid.

Memorabilis admodum Joannis Eleemosynarii Episcopi contra injuriam gratia. Conquerenti nepoti de villico quodam convitiatore, respondit se ita in eum vindicaturum, ut nemo non miraturus sit. Accersitumque villicum annuis pensionibus liberum fecit; docens hoc exemplo nepotem, injuriam hominum haud secus vindicandam esse, at his præsertim, qui Deo, non sibi placere student.

Pœnæ neglectæ dilectionis inimicorum.

Graves Cordubæ in Hispania inimicitiæ inter duos præcipua nobilitate viros, non exigua urbis offensione intercedebant, cum illorum alter in morbum lapsus, Sacerdotem e Societate nostra evocat peccata confessurus. Noster, publicæ memor offensionis, negat posse sese, nisi palam adversario concilietur, pœnitentiæ Sacramentum impertiri; æger paratum se ait ad omnia. Convenitur adversarius, qui et ipse se ad ponendas inimicitias promptum exhibet. Ergo convocatis testibus odia ponuntur, amicitia utrique firmatur, æger absolvitur, SS. Christi epulo adhibetur, et paulo post vivere desinit. Quis hic non credidisset, virum felici vitam fine clausisse, et inter beatos assumptum esse? Verum eheu! alia sunt Dei judicia, alia hominum! Nocte, quæ proxima fuit ab elato funere, adsunt sub ipsius noctis medium cum facibus adolescentes duo, Collegii nostri fores pulsant, Patrem, qui defuncto fuisset a confessionibus evocant, esse rem magni momenti, quam communicatam illi velint. Sine mora præsto fuit Pater, et a duobus illis recta ad templum, ubi viri corpus conditum erat, ducitur, datisque ab altero templi clavibus, bono animo esse jubetur, aperire ostium, ad aram Principum accedere, et ex tabernaculo pyxidem sumptam sequi. Fecit omnia, ut jubebatur, Pater, pendens animi, quem tandem res esset finem habitura. Illi igitur per omnia face prælucentes, Patrem ad defuncti nobilis sepulchrum deducunt, itaque tandem affantur: Est hic, mi Pater, Nobilis istius N. sepulchrum, qui dudum visus est cum adversario, positis inimicitiis, in gratiam redire, sed fecit ille ficte omnia, mortale intus odium fovens. Hoc statu infelicem animam ex mortali vita ad immortalem æternis suppliciis transmisit. Sacra hostia nihil dum læsa hæret in cadaveris faucibus, eam inde ablatam in theca repones, et altari restitues. Ita fati, sepulchrum pede pulsatum momento aperiunt, erecto cadaveri os aperiunt. Sacerdos inde sacram hostiam, ut jussus erat, integram educit, et thecæ imponit. Sub hæc, deturbatum magna vi in fossam cadaver videri desiit, eo abreptum, ut est credibile, a dæmonibus, ubi jam anima torquebatur, quo ante SS. Christi Corporis præsentia auferri

prohibuerat. Igitur composito iterum sepulchro, cum Pater recondidisset sacram pyxidem, ad Collegium reducitur, iisdem continuo præeuntibus ad Collegii usque fores ; quæ apertæ ut primum Patrem receperunt, duo illi Tæduchi ex oculis Patris, curiose qua redirent observantis, subito evanuerunt. Quod non vanum est incidium, fuisse illas ex beatis in cœlo mentibus missas, ut SS. Hostiam ex sacrilegis istis faucibus juberent educi, simulque omnibus patefacerent, satis minime esse, si te de peccatis solum oretenus apud Sacerdotem accuses, sed vel maxime opus esse, ut inimicitiæ, odiaque, et quidquid intus peccatum fovet, serio abjiciatur. *Pædagog. Christ.* p. IV, c. XVI, §. 2. *hist.* I.

S. Bernardinus ad hoc propositum terribilem quemdam refert casum, qui in Monte Calvariæ, juxta Christi sepulchrum, videlicet anno 1419, contigit. Cum enim ibidem in triremi quadam diversi viatores ad visitandam Terram Sanctam ex Hispania appulissent, accidit, quod vetula quædam eos circumiens, ad adolescentis cujusdam pedes offendens in terram corrueret, levi equidem casu, corporeque illæso. Exinde tanta indignatione et odio contra illum adolescentem repleta est, quod cum pervenisset cum cæteris peregrinis ad locum nostræ Redemptionis, id est, ad Calvariæ Montem, adolescente ab ea humiliter veniam postulante, illa tam levem offensam parcere noluit, ac, ut moris est convenientibus aliis peregrinis ad humilem et devotam confessionem, atque ad sacram communionem, antequam visitent illa loca sacra, inter alios accessit ad confessionem adolescentulus ille, qui inadvertenter læserat mulierem; hic narravit Confessori scandalum, quod de illo sumpserat vetula illa innocenter. Statim mittitur ad vetulam illam postulaturus veniam, et innocentiam nihilominus ostensurus, quod quidem eo humiliter in præsentia peregrinorum implente, et illam exhortantibus ad hoc etiam aliis, illa vero remittere denegante, ad confessorem revertitur adolescens, indicans duritiem mulieris; remittitur bis, et tertio ad eamdem genibus flexis, et brachiis cancellatis, cunctis peregrinis ad indulgendum adolescenti innocenti exhortantibus. Illa indignata et a Diabolo jam obsessa, oblitá animæ suæ, oblita laborum atque discriminum præteriti itineris, oblita sacrati loci, Sanguinis Salvatoris, oblita illius, qui in cruce ibidem pendens, non tantum large pepercit, verum etiam ardenti charitate Patrem pro suis crucifixoribus exoravit, oblita divinæ misericordiæ atque justitiæ, tantum memor injuriæ, ad indulgendum adolescentulo nullo modo potuit inclinari. Nimirum ad litteram in ea adimpletum fuit : « Cor durum male habebit in novissimo. » O judicium summi Dei ! exclamat S. Bernardinus. O tremenda justitia divinæ severitatis ! dum juvenis ille cum cæteris peregrinis suscipit Dominicum Sacramentum, vetula illa a dæmone jam arrepta, in cisternam, quæ quasi per viginti passus distabat, abiens, veloci se impetu præcipitavit, et, quod, mirabile est, multis circa cisternam existentibus, ut haurirent aquam, satis de parvo cisternæ ore nullus de ejus præcipitio percepit. Unde dictus Sanctus concludit, dicens : Discant hinc omnes animæ duri cordis, ac nolentes parcere inimicis, quod, sicut Jacobi II scriptum est : « Judicium sine misericordia sit ei, qui non fecit misericordiam. » S. Bernardin, t. II, s. XXX, c. III, *A*.

EXEMPLA DOMESTICA.

Lutetiæ contubernalis quidam S. Ignatii Loyolæ fuit, qui commissa sibi pecunia Ignatium defraudavit, et in eas angustias hominem conjecit, ut magno studiorum suorum incommodo, quotidie mendicare cogeretur. Huic igitur pecuniæ fraudatori gratiam hunc in modum Ignatius retulit. Hispaniam ille Lutetia decedens, dum opportunam Rhotomagi navigationem expectat, in morbum periculosum incidit. Qui usque adeo mitem Ignatium, ac singulari præditum charitate esse intelligebat, ut ad illum de sua adversa valetudine amice scriberet, et, quasi esset beneficio a se aliquo affectus, opem ab illo sibi, auxiliumque postularet. Oblatam occasionem Ignatii charitas avide arripuit, ut libenter se impenderet, ac super impenderetur ipse, pro anima illius, et carbones ignis non quidem vindictæ, sed divinæ charitatis, in caput ejus congereret. Rhotomagum quærendi, juvandique hominis causa confestim ire statuit, et magna spiritus alacritate, ac robore animi, tridui iter, nudis pedibus, atque ita jejunus percurrit, ut ne aquam quidem gustaret. Rhotomagi debilitatum hominem offendit, jacentem erigit ; confirmatumque jam, ad primos suos illos

socios in Hispaniam cum litteris commendatitiis mittit, infidelitatem suam detestantem, admirantem Ignatii charitatem, gratias Deo agentem, quod in terris vir is esset, sibique eum ostendisset, qui beneficiis maleficia ulcisceretur, officio cum offensa certaret.

Sed et Romæ, anno 1546, Religiosus quidam eruditus, ex amico inimicus factus, invidia exstimulante, graviter in Ignatium exarsit ; qui etiam jactare cœpit, omnes nostræ Societatis homines, qui in Hispania essent, a Perpiniano Hispalim usque, igni se traditurum. Idque Ignatio, qui suis verbis renuntiaret, misit. Cui Ignatius scripto per eumdem ita respondit : Tu quidem, quotquot nostri in Hispania sunt, cremandos te curaturum dicis ; ego vero id dico, et opto, ut et tu charitate flagres et amici tui, ac necessarii, non solum qui in Hispania, sed qui in universo orbe terrarum sunt, Spiritus Sancti igne inflammentur, et ardeant, ut perfectionis culmen adepti, divinam gloriam augeant magis, et illustrent. Quod si quid contra me, bone Pater, habes, judices Romæ sunt; Gubernator et Vicarius, qui nunc, Summi Pontificis imperio, res nostras cognoscunt, ut sententiam de illis ferant ; ad illos referas, quæso, antequam sententiam pronuntient, ut ego si quid debeo, solus exsolvam, et corpore meo, potius satisfaciam (quod mihi quidem erit jucundissimum) quam alii, qui in Hispania sunt, nulla sua culpa pœnas indebitas pendant. Ibidem.

Vilnæ P. Petrus Scarga cum in platea iret, famulus quidam Calvinista equo in eum invectus ingentem ei alapam inflixit, cumque ob hanc culpam in jus vocatus sententiam capitis aut manus certe amittendæ in dies expectaret, P. Scarga pro eo tamdiu rogavit, donec sine omni pœna dimissus est. Manuscr.

Leo Henricus novitius ædem sacram aliquando ingressus cum plenam tumultu, et immodestia reperisset, cathedram ascendit, et super verbis : « Domus mea, domus orationis est, » acriter intonuit. Movit ea res populum, et unum præcipue, qui cum frustra Leoni silentium mandasset, tandem colaphum concionanti impegit, quo accepto Leo continuo Deo gratias agens ad pedes percussoris advolvitur, illamque dextram, qua colaphum acceperat, ad osculum petit. *Hist. Soc.* c. VI, n. 96.

Joannes Fernandius cum Amanguzii verba ad populum faciens, salivam, a Japone in os conjectam, excepisset, nihil commotus, strophiolum extraxit, salivam abstersit, et dicere perrexit, quo viso aliquis admiratus charitatem et patientiam viri ad fidem nostram transiit. *Hist. Soc.* p. II, l. XI, n. 494.

P. Jacobus Miro cum in Lusitania concioni interesset, in qua tota Societas mire coagitabatur, cæteris multis indignatione rei permotis abeuntibus, ad finem usque perstitit ; atque ubi prædicator ille de cathedra descendit, manum ipsius accipiens demisse osculatus est. *Hist. Soc.* p. I, l. XII, n. 65.

Joannes Nunnius cum in Africa a Saracenis sputis, lapidibus, verberibus, crebro petebatur, nihil tamen per hoc commotus majori semper charitate eosdem complectebatur, ita ut ipsi etiam barbari in admirationem raperentur. *Hist. Soc.* p. I, l. X, n. 118.

P. Ferdinandus Crendelius verus per omnia Societatis filius, si quando quis verbo eum læsisset, altero die sacrum pro illo offerebat; sic se ulciscebatur. In *Vita.*

P. Pascalius Broetus Lutetiæ cum socio messores transiens, cum ab iis simulator nominaretur, aliisque convitiis et sannis appeteretur; baculo innitens tam diu perstitit, donec pudore satiati cessarent, tum ille erigens sese suavissimeque illos intuitus: Deus, ait, benigne vobis faciat, filii, ac benedicat. Simulque signo crucis facco illis benedixit. Permoti illi hac viri sanctitate ad genua occidentes, se convitiatores, illum vero sanctum prædicabant. *Hist. Soc.* p. II, l. VI, n. 95.

Gemella in Emanuele Fernandio et Petro Venusto virtus emicuit, qui florentissimis in regionibus barbaram immanitatem experti, Christianæ disciplinæ retinentissimi obiere. Emanuel Transtaganum agrum colere primus de Societate aggressus, dum scortatorum impuras libidines altius resecat, quam improborum quorumdam ferret inolita consuetudo, ab iisdem (ut sæpe in rabiem migrat libido) Eboram revertens obtruncatur, et semimortuus publica abjicitur in via. Inventus semimortuus, et de percussoribus interrogatus, indicium constanter abnuens, Jesumque ciens conquievit. Hujus deinde Reliquiæ post plures annos effossæ, suavissimum odorem spirasse dicuntur; quod de illo mihi minime mirum videtur,

qui rosam, in qua cubuerat, balsamo aspersit charitatis. At Venustus Bibonæ in Sicilia, perdito a Clerico, quem frustra emendare tentaverat, pii laboris, amorisque pretium mortem invenit. Delituit scelestus prope viam, qua Venusto e villa domum iter erat futurum; nec mora, in securum, et tunc maxime e Breviario precantem, ausu nefario involat, alteque in capite convulnerat; stetit tantisper vita, ne charitatis eximiæ memoria interiret. Elatus enim domum a prætereuntibus, quum de patricida sedulo quærerent, gemina cum Christo Domino non minus charitate, quam voce : Sinite illum, inquit, ignoscat illi Deus. Itaque ultima homini vox fuit, quæ summa est charitatis. Joan. Rhod. l. I, c. v, fol. 83 ex exemp. III, ex nostris.

Non sola Martyrum certamina suo illo sanguine, ipsaque morte formidolosa censetur; nam etiam in pace agentibus sævissimæ aliquando pugnæ, et acerrima prælia sunt committenda. Equidem morte ipsa ego gravius existimem, hominem longa virtutum fama inclytum, populisque ac principibus venerabilem, invidia inimicorum agitante per calumniam traduci, ac de violata per libidinem sacrorum majestate accusari, e patria sede abripi, in urbem abduci, a fidei Quæsitoribus in carcerem dari, interrogari, ac tantum non torqueri. Facilius sanguinem fundas, quam famam, ac nomen negligas. His experimentis probata est Hieronymi Bondinarii virtus, sed emersit illustrior, subvehente charitate. Reduci ab urbe, quæ, hominis innocentia perspecta, eum in suam sedem Mutinensem perhonorifice remiserat, non modo Sereniss. Cæsaris filii extra urbem occurrerunt, felicem reditum suo et parentis nomine gratulantes, verum ad se statim adeuntem, ad Palatii ostium obviam cucurrit ipse Cæsar Dux, tota Aula, et nobilitate comitatus. Ibi antequam verbum ullum hinc inde fieret, ad Ducis pedes provolvitur Hieronymus, atque, ut una in petitionem gratificari sibi vellet, obnixe orat, tergiversantem (quod facile conjectaret, qui petere vellet) tandem, ut facturum se data fide obstringeret, perpulit. Tum ille : Ego vero te per hanc tuam fidem exoratum velim, ne cuiquam mea causa irascaris, nec calumniatoribus fraudi apud te error sit. Hoc primum, hoc idem ultimum Hieronymo de tota illa calumnia atque judicio exinde verbum fuit, adeoque sui atque iræ potens egit, ut cognitionis principes, quos unus omnium optime noverat, se per simulationem invisentes, quod apud Ducem flagrantiori, quam umquam antea, gratia uteretur, arcanæque, ut olim, confessionis arbiter esset, perhumaniter exciperet, atque diutissime cum illis fabularetur, officiisque apud Principem juvaret. Ibidem, exemp. v.

Gra ianopoli celeberrima Christianæ eloquentiæ fama concionantem Petrum Cottonum, atque hæresim acerrime profligantem, frementibus reliquis omnibus, sed nihil in virum jam tum clarissimum audentibus, inventus est sellularius unus, qui se interfecturum polliceretur. Adit ad illum post concionem composito in speciem doloris vultu, ac secretum, quasi animi arcana expositurus, exposcit. Ubi soli fuere, illico abjecta simulatione, in fauces involat, atque, ut erat viribus prævalens, arcte comprimit, ut spiritum exprimat. Audito colluctantium strepitu, advolantibus sociis, quamvis hominem jam haberet in potestate Cottonus, jussis omnibus, qui aderant, rem occultam habere, libere ignovit, ac dimisit, quem violentior non flexerat oratio, charitas vicit; errores enim paulo post exuens, illi se salutem debere profitebatur, cui vitam eripuisse voluerat.

EXEMPLA PROFANA.

De Gentili quodam Philosopho recensetur, quod, dum ei ab impio quodam homine colaphus in faciem impactus fuisset, ipse aliud non dixerit, præter quam, quod magnopere conveniat homini scire, quando galea armatus in publicum prodire debeat, hoc enim armaturæ genus genas et faciem tuetur, et defendit. Mansi, tr. XXX, disc. II.

Phocio dum innocens injuste ab æmulis ad mortem condemnatus, calicemque venenatum sibi oblatum accipiens, a ministro Justitiæ interrogaretur, si quid filio suo, priusquam moreretur, commendatum vellet? generosissime respondit : Mando ei, ut obliviscatur potus hujus. Ibid n. 5.

De Marco Catone, pariter ab impio homine nequiter percusso, tractans Seneca, sequens perhibet testimonium : Marcum Catonem in balneo quidam percussit imprudens, (quis enim illi sciens faceret injuriam?) postea satisfacienti Cato : Non memini, inquit, percussum me; melius putavi, non agnoscere, quam vindicare. Ibidem.

Lycurgum pariter, teste Plutarco, robustus quidam percutiens juvenis cui nomen Alexander, oculum ei excussit, cumque reus juvenis in percussi Lycurgi manus, ut severum de eo supplicium sumeret, a populo consignatus fuisset, hic nequaquam indignatus, imo eum benigne receptum, per tempus aliquod in bonorum morum disciplina erudivit ac postmodum ad theatrum revertens, reum populo reconsignavit, dicens : En juvenem, quem a vobis injurium et violentum accepi, jam frugi et popularem vobis restituo. Cujus ejusdem Origenes quoque, in III contra Celium lib., terminis tamen nonnihil variatis, in hæc meminit verba : Lycurgus, cum in ditionem accepisset, qui oculum sibi excusserat, non modo illitam injuriam nil vindicavit, sed illum tamdiu enixe commonefecit, quoad tandem, se ut ad Philosophiam conferret, suasit. PLUTARC in *Lycur.*

Cum Diogenes, Romanus Imperator, acerrimo quodam cum Turcis inito prælio, in Sultani fuisset potestatem redactus, hic ipsum suæ propriæ mensæ accumbere jussum, et benevole tractatum interrogavit : Quidnam obsecro facturus esses, si me in tua positum potestate haberes ? Cui Diogenes respondit : Multis utique te vulneribus confecerem. Ego vero, subjunxit Turca, crudelitatem tuam non imitabor, vestrum namque Christum vobis imperasse scio, ut pacem habeatis, et injuriarum omnem prorsus deponatis memoriam. Quapropter eum amplexatus est, factaque cum eo pace, ipsum una cum omnibus militibus captivis libertati, sub conditione Turcas deinceps amplius non molestandi, restituit, et Constantinopolim remisit. Quia vero in hac civitate infelicis prælii, captique Diogenis fama pervulgata fuerat, Deus (ut est verisimile) crudelem illius animum castigare volens, Michaelem VII in Imperatorem elegi permisit. Unde Andronicus exercitum Diogeni obviam mittens, illum accepit captivum, et cum magno ludibrio mulæ impositum per civitatem circumduxit, ac tandem Imperator noviter electus oculos ei erui, et communibus totius plebis in ultibus exponi fecit, sed quibus miserabiliter occubuit. Quisquis igitur Christianorum vindictæ deditus est, sequens auscultet a D. Chrysostomo vindicativis objectum improperium, dicit enim : Philosophos considerate Gentilium, et discetis, quanto simus digni supplicio, qui divinæ legis præcepta contemnimus, quandoquidem inveniuntur illi propter humanam hanc honestatem innumera fecisse. BARONIUS, ann. 1071, n. 12.

Pompeio Magno non magis laudi datum legitur, quod tribus amplissimis triumphis tres orbis terrarum partes complexus sit, quam quod esset, ut scribit Paterc. l. II hist. amicitiarum tenax, in offensis exorabilis, in accipienda satisfactione facillimus. PATERCUL. l. II *Hist.*

Augustus Imperator Cinnæ, necem sibi machinanti, et vitam et Consulatum donans : O Cinna, inquiebat, iterum tibi vitam do, prius hosti, nunc insidiatori ac parricidæ. Ibid.

Marcus Bibulus, vir amplissimæ dignitatis et summis honoribus functus, dum in Syria moraretur, duos nobilissimos suos filios a militibus Ægypti occisos cognovit, quorum interfectores ad eum vinctos Cleopatra, Ægypti Regina, misit, ut ex eis, quam vellet, appeteret ultionem. At ille hoc accepto beneficio, quo nullum majus lugenti dari poterat, dolorem cedere virtuti coegit, carnifices filiorum intactos ad Reginam remisit, dicens : Hanc vindictam non suam, sed Senatus esse debere. Idem vero Seraphicus Doctor post recensitam hanc historiam hæc verba subjungit : Utinam nos sic, cum offendimur, divino judicio vindictas relinqueremus, quia dicitur : Mihi vindicta, et ego retribuam ; nullam enim injuriam inultam relinqueret, si se homines vindicare nollent de simultate sive ira, inquit : Injurias aliquis tibi fecit, læsit, infinita mala inflixit ? cave pœnam tuam prosequare, ne Dominum tuum contumeliose tractes, cede Deo, ipse negotium multo melius administrabit, quam tu cupis ; tibi solummodo jussum est, ut pro eo, qui te læsit, preces fundas, quid autem de eo statuendum sit, sibi reservari jussit. Nos in causa propria competentes judices esse non possumus ; non solum quia causa propria est, verum etiam quia judicium, et mens nostra ab ira et appetitu vindicativo conturbata recte judicare nescit. S. BONAV. ser. DE S. *Agnete.*

Carolus V, Rom. Imperator, hominem, qui necem sibi pararat, ad se vocari jussit, eique post varias illum affectus sui significationes mille aureos dono dedit, quibus nobilem filiam nuptui collocaret, illius se misereri dicens, cujus filia natu grandior domi clausa esset. Imperatori insidiator gratias

egit, et ad conspirationem regressus, nesciebam," inquit, qualis Carolus esset, nunc liberalem et clementem Principem ferire nullo modo possum. ÆNEAS SYLVIUS, *de rebus Alph.*

Pericles convitiatorem suum toto die sustinens, noctu discedentem cum lumine domum comitatus est. POLET. *de Offic. Rel.* l. II, c. XXXIV.

Pythagoras dicebat, ollæ ab igne remotæ vestigium in cinere non relinquendum, neque injuriarum in memoria.

Socrates calce a quopiam appetitus in publico cum moneretur, ut hominem repercuteret. An, inquit, si asinus mihi calcem impegisset, in eum recalcitrarem? Alias ab Aristophane publica convitia passus, cum postea obviam habuisset, quæsivit, num se rursus ad similem rem aliam opus haberet. *Polyant*, v. *injuria.*

Puniunt Turcæ dissimulatores suæ religionis, et eos præcipue, qui nolunt ignoscere inimicis suis; cum enim Paschate suo ad templum veniunt oratum, nemo audet negligere veniam petere ab altero, sub pœna Haram dicta, scilicet gravis peccati, et excommunicatione. Viditque exemplum hujus punitionis Trapezuntii Tenettus, ubi vetus mancipium, dum morbo caduco laborat, in eo morbi impetu unum aut alterum ictum fuste dedit cuidam Cassnegirbassi, quod est munus præfecti alicujus. Is ubi ad se rediit, mox a viro illo veniam petiit; qui tamen iratus alapam ei dedit negata venia. Prætor, quem Aga vocant, ejus loci intellecta hominis obstinatione, eum captivum abduci jubet, ac post triduum quadraginta ictus fustuarii in dorso ei dari, munere simul ac salario privari. CORDIER. l. VIII, c. II.

SIMILITUDINES.

NECESSITAS. — Sicut olla fervens, aquam ebullientem ex se emittens, et circumjecta comburit, et ignem extinguit, et omnem pinguedinem a se expellit, tandemque, nisi refrigeretur, tota aqua ejecta, ipsa confringitur; ita cor ira et odio fervens proximos suos verbis contumeliosis irritat, lumen rationis extinguit, omnem divinæ gratiæ pinguedinem abjicit, tandemque nisi tempestive temperetur, Deoque ac proximo reconcilietur, omni virtute vacuum, sua se malevolentia perdit, et quasi olla confracta dissolvitur. Unde Scriptura: Cor fatui quasi vas confractum. STAPLET. *in Dom.* 21, *post Pent.* th. VIII.

ÆQUITAS. — Sicut si quis in os suum dulce quid cum amaro permixtum accipiet, dulcedo saporem non retinet; ita cum amaro animo erga proximum nulla virtus teneri potest.

Sicut apes leve vulnus aculeo suo infigunt, sed vitam simul cum aculeo amittunt; sic inimicus in modico lædens, vitam gratiæ lædendo amittit. Ibid.

Sicut ignis exurens spinas, terram purgat; sic inimicus sua persecutione spinas peccatorum nostrorum, si patienter feramus, adurit, animamque nostram Deo cariorem reddit. Ibid.

Sicut qui ab equite lancea percutitur, non equo, sed equiti irasci debet, ideoque in hastiludiis, qui ex adverso occurrit, si equum feriat, magno vitio datur; ita qui ab homine malo læditur, sessori diabolo, qui in corde ejus dominatur, non ipsi homini irasci debet. Ibid.

Sicut quædam remedia tristiora sunt ipso morbo, ut satius sit oppetere mortem, quam his aucupari salutem, velut sugere sanguinem e vulnere recenti gladiatorum morientium; ita quandoque satius est ferre injuriam, quam majori incommodo ulcisci, ferre pacem etsi parum commodam aut æquam, quam bellum cum immensis malis suscipere. *Polyant*. v. *Injur.*

Sicut medicus, ut morbo liberet ægrotum, non utrum merito, aut immerito contraxerit morbum, spectat; ita qui vere salutem inimici quærit, non quo pacto odium conceperit, curat, sed, ut curetur, laborat. Ibid. v. *Inimicitia.*

Sicut, qui inflat in scintillam, excitat incendium, contra, si inspuat, extinguit et utrumque in manu nostra est; sic qui inflatos ingerit sermones, excitat ignem, accendit carbones; sin mites adhibeat sermones extinguit, juxta illud Salomonis: Verbum dulce multiplicat amicos; sermo durus suscitat rixas. Ibid.

Sicut agricolæ juxta allia et cepas serunt rosas, quod, quidquid in illis est molesti odoris, in hæc transeat; ita inimicus, si quis est in nobis mali animi, id totum in se recipiens ac consumens, reddit nos amicis jucundiores. Ibid.

UTILITAS. — Sicut hostis semper imminens muris in causa est, ut vigilet et sobria sit civitas; ita inimicus semper observans, quid

agas facit, ut nihil agatur, dicaturque temere. Ibid.

Sicut venena quædam, licet in se noxia, a morbis liberant; inimici, licet in se mali sint, multorum tamen commodorum causa existunt, adeoque patienter supportandi. Ibid.

Sicut majoris meriti est, credere mysteria, in quibus rationis lumen minus suffragatur, magisque contradicit; ita odium, quo magis amori proprio contrarium est, tanto majoris est meriti, illud superare, et inimicum odientem diligere. STAPLET. *in Dom.* 21 *post Pent.* th. VIII.

Sicut calx viva, etsi tactu frigida sit, occultum tamen in se ignem continet, atque adeo, si aqua perfundatur, mox ignescit, et accenditur; sic vera dilectio Christiana etsi quandoque frigida sit, si tamen subito ab inimico aqua tribulationis vel persecutionis superfundatur, accenditur, et fervere incipit. Ibid.

Sicut athletæ, ut omnem occasionem vincendi hostibus præripiant, corpora sua oleo inungunt; ita qui Deum quodammodo vincere, atque ad parcendum adigere volunt oleo misericordiæ in condonandis injuriis exercitæ se inungere solent. Idem *in Dom.* 1 *post Pent.* th. VIII.

Sicut solis radius, qui per vitrum transit, non tam fortiter calefacit, quam si recte sine obstaculo in parietem tenderet, quia scilicet in vitro retardatur, et hebetatur; ita charitas, qua amicus propter Deum diligitur, non tam vehementer afficit, quam ea, qua inimicus amatur, quia in amico plures rationes amandi inveniuntur, per quas illa charitas quodammodo minuitur. STAPLET. *in Dom.* 21, *post Pent.* th. VIII.

Sicut in musica, si plures canant, non tam facile dignoscitur suavitas unius vocis, quia scilicet ab aliis vocibus absorbetur; ita dulcedo et suavitas amoris Dei difficulter percipitur, si tantum eos, qui bene nobis faciunt atque adeo multiplicem amandi causam offerunt, diligamus. Ibid.

Sicut magnes, qui ferrum attrahit, perfectior est, quam lapis, qui tantum festucam attrahere potest; ita perfectior quoque est dilectio qua inimicum amamus, quam qua amicum diligimus. Ibid.

Sicut, qui mane exiens etiam campum longe a fluvio remotum madidum reperit, mox colligit pluviam de cœlo lapsam esse, secus vero, si ripam dumtaxat madefactam inveniat; ita qui tam inimicum, quam amicum diligit, recte colligit, se dilectionem a Deo infusam habere, quod tamen non tam certo scit is, qui amicos dumtaxat, et propinquos diligit. *Sum. prædic.* tit. *carit.* n. 25.

MOTIVA.

Quia sic Sancti plurimi exemplo suo docuerunt; de quo exemplo sic S. Basilius loquitur: Quorum ergo, dic mihi, tu cupis esse discipulus? Beatorum ne hominum ac Deo gratorum, an eorum, qui Spiritu maligno sunt referti? Approbas illorum facta, confi terisque illa ipsis fuisse honorifica, et tibi credis in dedecus cedere, inimico parcere?

Quia sic conducit ad diabolum vincendum; de quo motivo sic loquitur S. Augustinus: Duos inimicos constitue tibi ob oculos, unum apertum, et alterum occultum, hominem et diabolum; unum vide, alterum intellige; unum dilige, alterum cave. Homo hominem vincit humana aliqua felicitate, diabolum autem vincit inimici dilectione. Sicut homo inimicus auferre tibi cupit aut avertere felicitatem, qua vincitur; sic et diabolus vult hominem vincere, auferendo, unde vincitur. Sed cura in corde servare inimici dilectionem, qua diabolum vincis. Sæviat homo, quantum potest, auferat quidquid potest. Si diligitur aperte sæviens, virtus est occulte sæviens. *Enar. in Psalm.* LIV.

Quia summe conducit ad propriam famam et gloriam augendam, Deumque nobis conciliandum; nam in primis Deus ipse, S. Paulo teste, volens notam facere potentiam suam, sustinuit vasa iræ apta ad interitum in multa patientia. Certe, ut bene advertit Petrarcha, multo formosius est oblivisci injuriam, quam ulcisci. Generosior nulla est oblivio, quam offensæ; hanc summus Orator summo Duci summæ laudi tribuit, quod scilicet nihil soleret, nisi injurias oblivisci. Nihil autem prohibet unius laudem illi non ereptam ad plurimos pervenire. Quod autem conducat ad gloriam augendam breviter indicavit, qui dixit, persecutores esse aurifabros, qui nobis et præsentis, et æterni regni coronas fabricant, uti in fratribus Josephi apparet, et in Esau, de quo dictum: Major serviet minori, non obsequendo, sed persequendo et ad virutem exercendo; nempe tunsionibus, pressuris expoliti lapides, suis coaptantur

locis per manus Artificis, disponuntur permansuri sacris ædificiis, ut Ecclesia canit. Quod denique ad Deum conciliandum juvet, patet ex eo : Dimittite, et dimittemini ; qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis. Qua de re pulchre iterum Petrarcha : Nihil tam necessarium inter mortales, nihil tam commune, quam venia ; nemo est enim, qui non peccet ; nemo cui misericordia opus non sit, qua negata quis tam multos criminum et culparum extricabit nodos, aut dissutum diruptumque societatis humanæ fœdus resarciet? Semper inter se homines, et ira Dei decertabit inter illos ; nullus erit aut litium, aut pœnarum finis, nec cessabunt arma, nec fulmina. Parce igitur, miserere, et compesce animum ; fac tu homini, quod tibi ab homine fieri velles, quod a Deo vis. Impudenter a Domino veniam petit, qui conservo illam suo negat. Petrarcha, l. I, *Dial* 101.

Quia sic conducit ad inimicum conciliandum ; sic enim Jacob fratrem Esau, sic David Saulem, sic Pilatus Herodem conciliavit. Uti pulchre nonnemo per fabulam contentionis inter solem et aquilonem ventum exortæ ostendit, ubi citius sol radiis suis, quam aquilo suo flatu pallium viatori abstulit.

Quia ipsi cœli nos incitant, de quibus S. Augustinus in illius Psalmi CXX Commentario (quoniam secundum altitudinem cæli a terra) sic discurrit : Peccant homines sub cœlo, tamen proteguntur a cœlo. Inde lux ad oculos, inde aer, inde spiritus, inde pluvia ad terram propter fructus, inde omnis misericordia a cœlo. Tolle auxilium cœli a terra, statim deficiet. S. Aug. *in* Ps. CII.

Quia etiam alia insensata nos ad id ipsum excitant. Terra quo magis fodiendo percutitur, quoque abundantiori gravatur fimo, tanto copiosiorem reddit fructum ; vites aliæque arbores quantumvis putatæ, ferroque incisæ fuerint abundantioribus replentur uvis et pomis ; nuces, quanto magis percutiuntur, tanto fertilius sinum nostrum suis implent fructibus ; imo arbores aliquæ, quanto magis ponderibus gravantur, obstinatiusque terram versus inclinantur, tanto magis fructiferæ evadunt ; quid ni igitur et nos, quanto majores ab inimicis persecutiones perpessi fuerimus, tanto gratiores esse debemus? Mansi, l. XXXV, disc. III, n. 4.

Quia irrationabilia quoque animalia talem dilectionem docent, equi, jumenta, multaque animalia alia, quamvis percutiantur, et cædantur, non tamen ferociunt adversum nos, nec a suo desistunt servitio, imo canes percussi, cauda potius abblandiri solent ; hinc Cardinalis Bellarminus in quadam concione sua ait : Nonne canes aliquando vehementissime verberamus, et ipsi statim omnium injuriarum obliti motu caudæ blandiuntur? Ibid. n. 5.

Quia qui vindictam spirant, Deo et hominibus exosi sunt. Unde certe D. Chrysostomus : Quantum, inquit, putas tormentum esse hominis afflictæ animæ, quotidie cogitare, ut ulciscatur inimicum? Necessarium semper apud se flagrare ignem? Ipse te ipsum mordes, semper flammam vigescentem ferens, et animam in se quiescere non sinens, sed semper in exasperatione, et in tempestate mentem habens. Quid hac insania molestius? Semper contristari et ardere ; tales enim sunt animæ eorum, qui ultionem meditantur, nam ubi viderint eum, quem volunt ulcisci, statim perculsi sunt, si vocem audiant, concidunt, tremunt ; si in lecto fuerint innumeras pœnas apud se scribunt, dilacerantes, torquentes inimicum. Adhæc si illum clarescere viderint, pape ! O pœnas ! Remitte illi, et libera te ipsum a tormento. Cur perseveras, ut te punias, ut illum semel flagelles, et in eum animadvertas? Quid paras tibi ipsi morbum? Quare bestiam in viscera tua includis? At melius esset viperam vel serpentem in corde positum esse, quam iram, nam ille quidem nos liberaret, hæc autem manet semper, dentes fortiter infigens, immissoque veneno pessimarum cogitationum exercitus producit. S. Chrys. t. IV, *in Acta*.

Deus inimicitiam plerumque lege talionis punire solet. Sic Adonibesech etc.

Quia licet inimicus non mereatur veniam, Deus tamen dignus est, ut propter illum condones, ut recte monet S. Augustinus dicens : Occurrit tibi, qui te læsit ; occurrit tibi, qui te spoliavit ; occurrit tibi, qui te in carcerem misit. Eia ! attende cor tuum, respice Dominum tuum. Ecce malus inimicus tuus, ecce bonus Dominus tuus. Tuus equidem inimicus venia indignus est, sed Deus illa dignissimus, et tu amore ejus illi ignoscas, ipse meretur ; respice Dominum tuum. S. Aug. ser. XXV, *de Temp.* c. VII.

MEDIA.

Christi exemplum et imperium assidue ob

oculos habere. Ita S. Bernardus suasit dicens : Fecit bonus Doctor, quod jusserat; orat non solum pro persequentibus, sed etiam pro occidentibus se, dicens : Pater ignosce illis. Reconde in thesauro cordis tui hoc verbum, ut quotiescumque sæviunt inimici, memoriam abundantiæ suavitatis Jesu valeas eructare, hunc clypeum contra inimicorum insultus opponens. Tract. *de Pass.* c. VIII.

Et S. Augustinus : Attende igitur Magistrum tuum ac Dominum Deum, non in cathedra sedentem, sed in ligno pendentem, et circumspectis undique turbis inimicorum, dicentem : Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Attende ubi hoc fecit; in cruce, non in cœlo; semper namque in cœlo cum Patre, in cruce autem pro te, homo, ubi se imitandum præbuit omnibus, pro te emisit ipsam vocem, ut ab omnibus audiretur. Nam potuit orare pro illis in silentio, sed tu non haberes exemplum.

S. Eucharistiam frequenter sumere ad dilectionem hanc obtinendam; nam, ut S. Augustinus ait : Dominus noster Jesus Christus corpus et sanguinem suum in iis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid redigantur e multis. Namque aliud in unum ex multis granis conficitur ; aliud in unum ex multis acinis constat. Hinc olim solemne convivium instituebatur, quod Charistia vocabatur, quia præter amicos et cognatos nemo admittebatur, ut, si qua esset inter illos orta querela voluntatumque disjunctio, apud sacra mensæ, et in communi hilaritate, auctoribus concordiæ adhibitis, tolleretur. Tract. XXXVI *in Joan.*

Tale est convivium Eucharistiæ, quam S. Thomas Sacramentum unitatis appellat ; nam, ut pulchre S. Cyprianus advertit, quæ uniuntur uni tertio, uniuntur et inter se, quibus unus est panis, unum est corpus, et omnium unum cor, et anima una. Ser. *de Cœna Domini.*

Considerare proximum ut Christi sanguine redemptum; ita docuit S. Augustinus, dum dixit : Quem vis contemnere, pretium ejus attende, et cum morte Christi, totum mundum appende. *De verbo Dom.*

Perpendere, quod nobilissimum vindictæ genus sit, parcere. Ita B. Ægidius S. Francisci socius docuit : Quando quis contendit tecum, si vis vincere, parce; si vincis teipsum, vincis omnes inimicos tuos. FABER. tom. I *in festo S. Steph.*

Cujus rei pulchrum exemplum Joan. Moschus affert his verbis : Duo Episcopi erant in simultate; unus ex eis, ut illam discuteteret, cum Clero processit ad alterum, atque ad ejus pedes procidit dicens : Ignosce, Domine, servi tui sumus. Ille victus hac humilitate : Tu meus, ait, Dominus ac Pater es. Unde concludit Moschus : Et vos, cum habetis inimicum, ita facite, et vincetis. In *Prato spir.* cap. CCX.

Justitiam Dei perpendere, ideoque illi totam vindictam committere ; nam, ut bene Petrarcha ait : Mea est ultio, et ego retribuam eis in tempore, dixit Dominus : Illud ergo tempus expecta; sine, ille te vindicet, qui et offendentis est Dominus, et offensi. Lib. I, c. CI.

Novissimorum, et præcipue mortis assidue meminisse. Sic Salomon suasit, dum dixit : Memento novissimorum, et desine inimicari. ECCL. XXVIII, 6.

Nihil enim, teste Petrarcha, magis alit inimicitias, quam conditionis oblivio. Siquidem iste, cujus mortem sitis, ne dubita, moriturus haud dubie est, et idipsum cito, fortasse hodie, tuque illum fortasse, quod non cogitas, præcursurus. Expecta paululum, subsiste, fiet, quod fieri optas, et quod metuis, fiet. Mors quam hosti paras, sine tuo scelere illi parata est. Quid juvat, fati cursum properantis impellere, et morituri sanguine morituras manus inficere? Quanto tranquillius atque honestius ille integer et illæsus, tu siccus et innocens, quam uterque cruentus, et tu noxius hinc abibis? Loco cit.

Amantium graviora libenter tolerantium exemplum proponere; quod medium S. Chrysostomus sequentibus verbis suasit : Morbus iste aut ex inflammatione fit, aut ex frigiditate, verum utrique dilectionis virtus suo calore mederi consuevit. Non vides turpes illos amatores alapas, sputa, opprobria, innumeraque alia incommoda, quæ fornicariæ illæ mulieres infligunt, patienter ferre? Quid igitur amor hic existimet? Illata convitia? Nequaquam; imo magis inde accenditur. Quamquam ista facientes mulierculæ, præterquam quod fornicantur, obscuro etiam ac vili genere sint, qui vero talia ab ipsis patiuntur, illustres sæpe numero progenitores numerare, neque tamen hoc ab amata cohibet. An non erubescimus, quod tantam erga Deum dilectionem, quantam habet potentiam diabolicus ille ac dæmoniacus amor, ostendere nequimus? S. CHRYS. t. I, hom. XXII..

Dei ignoscentis exemplum considerare ; quod idem S. Chrysostomus suggessit dicens : Miser homo et ærumnose, non vis a conservo tuo derideri, sed odio haberi a Domino tuo; non vis contemni a conservo tuo, et contemnis Dominum! Non putas indignari Dominum, quod illum contemnis, et quod illum deridens, non vis illi obtemperare! Idem, hom. XLI. *in Acta*.

ASCETICA.

Tria præcipue circa hanc materiam bene addiscere debet Asceta. Primum est, ut bene discat, injuriam, ut oportet, aspicere et accipere, videlicet non ut ab homine, sed a Deo permittente profectam, juxta exemplum Davidis dicentis : « Dimitte eum, ut maledicat; Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David, et quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit? » II REG. XVI, 10.

Secundum est, ut discat modum perfectæ remissionis, qui quidem in tribus consistit. 1. Ut *ex corde* dimittatur; ita Christus docuit, dum dicit : « Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. » MATTH. XVIII, 35.

2. Ut *cito* remittatur; nam sicut vulnera recentia facilius curantur, quam inveterata; ita et injuriæ, dum recentes sunt, si non condonentur, difficilius semper remittentur, ubi inveteratum fuerit odium. 3. Ut *plene* dimittatur; ut omnes sex gradus supra §. 1 assignati, quantum fieri potest, observentur.

Tertium est, ut debita æstimatio de præstantia hujus dilectionis concipiatur; quem in finem proderit sequentes SS. Patrum sententias ponderare. I. S. Chrysostomi, dum ait : « Potuit sane Deus absque hac mutua et reciproca proximi tui condonatione, tibi omnia peccata dimittere, vult tamen beneficium etiam per ista media conferre. Quare? Mille tibi videlicet occasiones præbens mansuetudinis ac pietatis, et hoc, quod in te belluinum est, depellens, et iram, qua flagras, expellens, et undique quasi tibi teipsum reconcilians, et conjungens. » Hom. XX *in Matth.*

2. S. Cypriani : « Nam quanta spes veniæ est, cum ipse Judex non tam expectat, qua ratione a supplicio liberemur, quam ipse nos viam ac modum docet, unde id efficiamus? Quasi diceret, sic facite, et ego parcam; dimittite, et dimittemini. » In *Exposit. orat. Dom.*

3. Iterum S. Chrysostomi : « Quis umquam inter homines remittens conservo suo modicum, propterea a Domino suo totius debiti remissionem obtinuit? At hic quotidie tibi hoc datur. Deus enim noster dives est in misericordia et miserationibus. Deinde si nihil a Deo huic indulgentiæ præmii proponeretur, at, quia omnes benevolo et benefico favent, omnes illum admirantur et laudant, etiam non jubente Deo remittere debemus inimicis nostris. » Hom. I *in epist. ad Philem.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis illius : « Mihi vindicta, et ego retribuam; » HEBR. X, 30.

Dicere potest concionator, se audax facinus commissurum, et omnes ad ultionem de inimicis sumendam hortaturum; sed talem, quæ honestate, efficacia, et diuturnitate alias omnes ultiones, quas ullus hostis de inimico suo sumpsit, longe antecedat, eam autem non aliam esse, quam dilectionem inimici, quæ ignoscendo, obliviscendo, orando, beneficiendo, perficitur. Probetur itaque

1. Quod hæc ultio sit *honestissima*. Nihil enim honestius, quam ut fiamus similes Deo, cujus proprium est misereri et parcere; hinc Saul Davidi vaticinatus : Scio, inquit, quod certissime regnaturus sis, et habiturus in manu tua Israel; nempe id collegerat ex inusitata mansuetudine. Quæ omnia confirmat D. Gregorius Nyssenus in illa verba « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, » sic loquens : Progrediens sermo venit ad ipsum punctum virtutis, quod propemodum non amplius intra terminos humanæ naturæ conspiciatur, ut alius ille ipse Deus esse videatur, dum faciat ea, quæ solius Dei est facere.

Vide fusius hoc probantem Didacum Nyssenum, in Fer. 3 post Quadrag. perioch. 1.

2. Quod sit *efficacissima ultio*; id quod pulchre Petrarcha indicavit, dum dixit : Aptissimum tollendis hostibus instrumentum est lenitas, in quo si creditum esset Herennio, seni sapientissimo, nec Samnitum exercitus modo victor collo jugum Romanum, nec jugum primo cum reliquis, mox securim solus Imperator Pontius pertulisset. Hinc S. Paulus : Si esurierit inimicus tuus ciba illum; si sitit, potum da illi; hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus. Vide

de hoc argumento Fabrum, conc. II in festo S. Steph. n. 5, et conc. III, n. 2.

3. Quod sit maxime *diuturna* quoad delectationem, ex eo colligitur, quod, ut bene iterum Petrarcha advertit, ultionis momentanea est delectatio, misericordiæ sempiterna. Duorum autem delectabilium illud præferendum est, quod diutius delectat. Fac tu hodie, quo perpetuo delecteris. Nulla vero major, nulla firmior delectatio est, quam quæ de puritate conscientiæ, et rerum bene gestarum recordatione oritur.

Ex occasione thematis : « Iratus Dominus tradidit eum tortoribus; » MATTH. XVIII, 34.

Ostendatur, quam multos offendat, atque adeo quot hostes contra se armet, qui vindictam de proximo capit, nempe 1. *Inimicum*, quem plerumque in bonis externis, corpore et anima lædit. 2. *Rempublicam Christianam*, seu homines pios tam in terris, quam in cœlis existentes; si enim servi videntes conservum vindictam de conservo sumentem, contristati venerunt, et narraverunt domino suo omnia, quæ facta erant, quanto magis homines pii et cœlites ob similem vindictam indignabuntur? 3. *Christum*, qui verbo et exemplo docuit inimicos diligere. 4. *Deum et Magistratum* vices Dei tenentem, quorum officium invadit, et eripit. 5. *Seipsum*, dum se vindicta, quæ in corde posita nocentior est vipera, teste S. Chrysostomo, consumit, et animam propriam occidit, januamque cœli occludit. Unde contingit tali, quod urso, qui, quia ab una ape ictus est, de omnibus apibus se vindicare volens, alveare evertit, sed ab omnibus misere laceratus dicebat : Quanto melius erat, unius apis aculeum tolerare, quam tot in me hostes mea iracundia concitare! Vide Fabrum, conc. V, in Dom. 21 post Pent.

Ex occasione thematis : « Diligite inimicos vestros ; » MATTH. V, 4.

Dici potest, contingere illis, qui vindictam cohibere, et odium superare volunt, quod David olim contigit, qui pugnaturus cum Goliatho dicebat : Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc ? I REG. XVII, 26.

Quare dicat concionator se responsurum, ut Israelitæ Davidi responderunt. Et 1. quidem virum, qui percusserit eum, «ditabit Rex divitiis magnis. » Explicetur proinde, qualia bona in corpore, anima, fama, fortunis procuret hæc victoria, sed præcipue in gratia et gloria. Qua de re videri potest Drexelius in Christo resurgente, p. III, c. I, § 6.—2. Et « filiam suam dabit ei uxorem. » Explicetur hoc loco, quomodo Deus ipsam quoque felicitatem desponset tali homini, ita ut non fere sit certius signum prædestinationis, quam dilectio inimicorum, uti fuse ostendit P. Drexelius in Zodiaco signo 9. — 3. « Et domum ejus faciet absque tributo. » Potest hoc applicari ad tributum in altera vita persolvendum, scilicet pœnas purgatorii, quas vel maxime evitari facit dilectio, uti expertus Religiosus alioqui tepidus, sed inimicis facile veniam dare solitus, et propterea non sine admiratione aliorum a purgatorio liberatus. Nimirum si quævis eleemosyna a peccato liberat, et non sinit animam ire in tenebras, uti Tobias dixit, quanto magis hanc vim perfectissima eleemosyna, qua venia datur inimicis, habebit? Excitentur proinde auditores ad fortiter aggrediendum hunc Goliathum.

Ex occasione thematis : « Nonne et te oportuit misereri conservi tui, sicut ego tui misertus sum? » MATTH. XVIII, 33.

Dicere potest concionator, se non dubitare, quin multi foveant inimicitias, sed eas deponere impossibile judicent, quare usurum se medio, quo Deus S. Augustino impossibilitatem continentiæ objicienti ostendit, eam adeo difficilem non esse, dum continentia ei pueris et puellis cincta apparuit, et quasi subridens dixit : Potuerunt isti, et istæ, et tu non poteris? Producantur ergo varia exempla, semperque post quodvis repetatur ; *et tu non poteris*? 1. Itaque proponatur exemplum cœlorum, de quo S. Augustinus ait : Peccant homines sub cœlo, faciunt omnia mala sub cœlo, tamen cœlo proteguntur. Inde lux ad oculos, inde aer, inde spiritus, inde pluvia ad terram propter fructus, inde omnis misericordia a cœlo. 2. Exemplum plantarum, præcipue vitium et arborum, quas singulis annis spoliamus et tondemus, et tamen ipsæ uvas et poma liberalissime nobis proferunt. 3. Exemplum bestiarum, præcipue canum, qui licet acerbissime verberentur, ipsi tamen statim omnium injuriarum obliti, motu caudæ blandiuntur. 4. Exemplum Ethnicorum, de quo S. Chrysostomus sic loquitur : Philosophos considerate Gentilium, et dicetis, quanto digni sumus supplicio qui divina legis præcepta contemnimus, quandoquidem inveniuntur illi propter humanam hanc honestatem innumera fecisse. Videantur supra exempla

profana. 5. Exemplum Angelorum Custodum, qui, licet toties peccatis nostris offensi, non deserunt nos. 6. Exemplum Christi orantis pro tantis inimicis, et excusantis. 7. Exemplum Patris cœlestis, tam graviter a tam multis offensi, et tamen solem suum super illos oriri facientis. Excitentur proinde auditores, ut judicent sibi possibile, quod tot tantique potuerunt; aspiciant proinde, et faciant secundum exemplar, quod eis monstratum est. Vide Fabrum, conc. II in Dominica. 2 post Pentecosten.

Ex occasione thematis : « Et cœperunt se omnes excusare ; » Luc. XIV, 18.

Afferri possunt excusationes frivolæ, quas aliqui prætendunt, ne ignoscere cogantur, et una post alteram refutetur. 1. Est qua dicunt se condonare quidem injuriam, oblivisci tamen non posse. Refutetur quærendo, num et ipsi sic velint Deum secum agere? an hoc sit dicere : Dimitte nobis debita, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris? 2. Est, qua dicunt se quidem non difficiles fore ignoscendo, sed publicum, quod gerunt, officium honoris defensionem exigere. Refutetur, ostendendo, etiam Christum, S. Stephanum et alios, munera publica habuisse, nec tamen se vindicasse, summum officium, et quidem publicum, esse, officium boni Christiani bene obire. 3. Est, qua dicunt, nullam offensioni causam se dedisse. Refutetur, etiam Christum et alios non dedisse causam ; præterea saltem Deo ipsos causam dedisse, ipsorum peccata per inimicos puniendi. 4. Est, quod injuria nimis gravis sit. Refutetur, et dicatur, etiam præmium non leve fore, si dimissio offensæ non levis fuerit. Numquam virtute magnum quem fore, nisi magnus injuriis exerceatur; nam, teste S. Hieronymo, Deus faber est, inimici lima sunt et mallei, quibus nos ille expurgat, Sanctosque sculpit. 5. Est, quod nimis vilis sit, qui injuriam fecit. Refutetur ex Thoma Kempensi sic loquente : Ne dicas : Non valeo hæc ab homine tali pati, sed ab alio libenter patiar, et sicut patienda videro. Insipiens est talis cogitatio, quæ virtutem patientiæ non considerat, nec a quo coronanda erit, sed magis personas et offensas sibi illatas. L. III, c. X. Vide plura loco cit. — 6. Quod nimis grave odium exarserit in corde, nec possibile sit illud vincere. Refutetur, quod nihil impossibile sit Deo nos juvante; neque impossibile censeri debeat Christiano, quod tot tantique alii, etiam Ethnici, superarunt. Vide Drex. has et plures objectiones refutantem, in Zodiaco signo 9, §. 5.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Didacus Nyssenus de hac virtute sic discurrit : Ut semel totum eloquar aio, eam summam esse hominis fortitudinem, qua masculi pectoris robur, et generositatem animi unice demonstret. Abbas Isaac dixit, hoc ita esse, et hac una re posse hominem eo pertingere, ut apud Angelos admirationem sui excitet. Qui cum humilitate sustinet accusationes objectas, hic ad perfectionem pervenit, et a S. Angelis admiratur, nulla enim ita magna, et difficilis ad obtinendum virtus existit. Sic ille, de Contemptu mundi, cap. XIII : A S. Angelis admiratur, inquit ; nulla enim virtus tam difficilis acquisitu est, quam ista. Didac. Nyssenus, ser. 6. *post Cin.* §. 1.

S. Thomas ulterius ostendit, multo magis meritorium esse, diligere inimicum, quam amicum, sic enim discurrit : Dupliciter istæ dilectiones comparari possunt, uno modo ex parte proximi, qui diligitur, alio modo ex parte rationis, propter quam diligitur. Primo quidem modo dilectio amici præeminet dilectioni inimici, quia amicus et melior est, et magis conjunctus ; unde est materia magis conveniens dilectioni, et propter hoc actus dilectionis super hanc materiam transiens melior est, unde et ejus oppositum est deterius, pejus enim est odisse amicum, quam inimicum. Secundo autem modo dilectio inimici præeminet propter duo : Primo quidem, quia dilectionis amici potest esse alia ratio, quam Deus, sed dilectionis inimici solus Deus est ratio. Secundo, quia præsupposito, quod uterque propter Deum diligatur, fortior ostenditur esse Dei dilectio, quæ animum hominis ad remotiora extendit, scilicet usque ad dilectionem inimicorum, sicut virtus ignis tanto ostenditur esse fortior, quanto ad remotiora diffundit suum calorem. Tanto ergo ostenditur divina dilectio fortior esse, quanto propter ipsam difficiliora implemus ; sicut et virtus ignis tanto est fortior, quanto comburere potest materiam minus combustibilem. S. Thom. II, II, q. XXVII, II. 7.

S. Bernardus geminam causam assignat, cur Deus tantopere eos, qui vindictam spi-

rant, detestetur, dicens : Graviter injuriatur Deum, et turpiter inhonorat illum, si homo aufert sibi aliquid, quod sibi soli reservat Deus. Tria autem sunt, quæ sibi soli reservat, Gloriam, Judicium, Vindictam. De gloria, sicut Isaiæ XLII, ipse Dominus ait : « Gloriam meam alteri non dabo. » Secundo reservat sibi judicium, hoc est, finaliter judicare. Unde Joan. V, dicitur : « Dedit Pater omne judicium Filio, quia Filius hominis est, » id est, quia Deus et homo est. Tertio sibi reservat vindictam, ideo, ad Rom. XII, ait : « Mihi vindicta, et ego retribuam; » qui ergo de inimico se vindicare contendit, rapinam perpetrat contra Deum. S. BERN. tom. I, ser. L.

Quod ipsum etiam confirmans Sanctus Chrysostomus sic loquitur : Quod si in hominibus id fit, ut vulnerato a nobis alieno servo, dominus illius indignetur, ac pro contumelia accipiat, ipsi quoque si injuriis afficiamur, sententia Judicum et Dominorum expectanda est. Idem quoque Sanctus id ipsum persuadere nititur sequenti motivo : Si in rebus humanis, inquit, nemo sibi tuto jus dicit, et pro arbitrio ultionem dispensat, quanto magis observandum in rebus illis, ubi Deus ipse vindex constitutus est? S. CHRYS. tom. I, ser. XXII.

Specialiter quoque notandum in hac materia, inimicis veniam petentibus parcendum quidem, non tamen perinde etiam credendum esse, uti sapienter Abulensis advertit, dum in locum illum Scripturæ : Ascenderunt ipse (David) et viri, qui cum eo erant, ad loca tutiora, sic discurrit : Egit hoc David, quia credidit, quod numquam Saul reverteretur ad sanam mentem erga eum firmiter, sed ad tempus, et hoc credidit, postquam scivit malitiam ejus esse consummatam. Nec in hoc agebat David contra conscientiam, quia, quamquam tenemur inimicis veniam petentibus parcere, tamen non tenemur illis credere. Prudentissime ergo fecit David, quod se cum suis ad loca tutiora recepit, etiam postquam amicitiam cum Saule resarcivit, nam, ut poeta quidam Græcus aiebat : Inimicis non credens, numquam utique damno afficieris. ABULENS. *in c.* XXI *l.* II *Reg.*

Quod ipsum etiam confirmans Ecclesiasticus : « Non credes, inquit, inimico tuo in æternum, » rationemque mox subducens : « Sicut æramentum, æruginat nequitia illius. » ECCL. XII, 10.

Notandum in his, quod non jubemur non amare inimicos nostros, sed non illis fidere, quia et paulo ante dicebamus ex Abulensi, quamquam teneamur inimicis veniam petentibus parcere, tamen non tenemur illis credere. Dilectionem itaque semper illis debemus, dare fidem non tenemur. Quid causæ? Id subjunxit Ecclesiasticus inquiens : « Sicut æramentum, æruginat nequitia illius. » Obscura similitudo, quam fusius hoc commentariolo illustrat : Æs licet tersum, perlucidumque sit, ita ut aurum esse videatur, absque alia re ex seipso rubiginem agit. Tale quid inimicus agit, inquit Siracides, cave illi unquam credas, æris namque similis est, velut enim hoc ex seipso æruginat; sic inimicus, quamquam tu illi nullam subministres, sibi ipsi cudit, et parat perdendi tui occasionem. Quod inimicus est, id satis est, ut nullam prætereat viam, quæ in tuum exitium ducat, nullum intermittat studium, quo tibi incommodare possit, nullum relinquat lapidem, quem non moveat, ut te dejiciat, et in ruinam impellat.

Adeo vero nihil credendum inimicis, ut Prosper Farinacius insignis Juris Consultus in celebri quodam suo tractatu de Oppositione contra personas testium, q. LIII, n. 11, talem statuerit conclusionem : Inimico non credatur etiam constituto in articulo mortis, ac etiam, quod plus est, quando sumpserit sacratissimam Eucharistiam, sicuti post alios, quos allegant, affirmarunt Marsilius, Gigas etc. quod omnes præfati Doctores, et alii plerumque communiter sequuntur.

Sanctus Paulus Apostolus, dum commemoraret gratias et favores (quod cultus Dei et gloria postulabat) quibus illum superi dignati fuerant, sic aiebat : « Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis et prodigiis » : II Corinth. XII, 11, velut dixisset : Satis probavi me Apostolum, hinc ex adversis, quæ fortiter toleravi, inde ex miraculis, quæ feci. DID. NYSSEN. *fer.* VI *post C. in.* § 1.

Theodoretus hoc bene adnotavit, primas dari patientiæ, et ante signa, prodigiaque illam merito constitui : Recte, inquit, signis tolerantiam proposuit, tamquam justitiæ ratio id exegerit, ut superiorem faceret æquanimem injuriarum tolerantiam, et noxarum condonationem operatione signorum, et prodigiorum. Mentis enim recte facta sunt multo præstantiora; et majus miraculorum est, ignominiam æquo animo accipere, nec

offendi injuriis, quam facere prodigia. Et notate pro eo, quod Apostolus ait : Signa Apostolatus mei, esse apud Syrum, signa Apostolorum, quasi sit character Apostoli, si quis injurias patienter ferat, incommoda leniter, aut leviter toleret ; hæc enim virtus tam est sublimis et excelsa, ut non minor Apostolo haberi debeat, quisquis illam habet.

S. Gregorius Nyssenus rationem inquirit, ob quam præcipua Deum inter et hominem similitudo in remissione injuriarum constituatur, et respondet, inde fieri, quia ad Deum solum, non vero ad alios spectat, remittere et condonare offensas. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus ? Præscribit Dominus, qualem velit esse eum, qui ad eum est accessurus, ad hoc ut ipsi Deo per virtutem ita assimiletur, ut Deus esse videatur, dum scilicet faciat ea, quæ solius Dei est facere ; debitorum enim remissio, proprium est Dei munus. S. Greg. Nyssen. *de Orat. Dom.*

Quintus Curtius de quibusdam extraneorum populorum Legatis refert, quod postquam multa ad Alexandri laudem dixissent, tandem omnia ejus præconia brevi epilogo his verbis annuntiarint : Tu Philippi es filius. Poterat utique, probeque noverat Incarnata Sapientia plurima excellentissima in eorum, qui injurias inimicis remittunt, honorem ac laudem accumulare præconia, at vero hoc unicum ei sufficere videbatur, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est ; hic enim altissimus est honoris vertex, ad quem homo potest pertingere, plus enim intellectus creatus prætendere nequit, multo minus comprehendere. Mansi, tr. XXXI, disc. xi, n. 3.

Egena vidua quædam Elisæo quondam extremam suam paupertatem, seque debitis insuper gravatam in hæc legitur insinuasse verba : « Ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi. » Sed quid Prophetam ei respondisse autumatis ? « Dic mihi, quid habes in domo tua ? » At illa respondit : « Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum olei, quo ungar. » Cui ait : « Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua, non pauca ; et ingredere, et claude ostium tuum, et mitte inde in omnia vasa hæc, et cum plena fuerint, tolles. » Crevit itaque oleum in omnibus vasis adeo, ut deficientibus vasis exundaret, de quo certior factus Elisæus feminæ præcepit dicens : « Vade, vende oleum et redde creditori tuo ; tu autem et filii tui vivite de reliquo. » Quis hæc in figura contigisse negaverit? Si quidem immensum est, quod homo cum justitia divina contraxit debitum, utpote qui in multis offendimus omnes, quemadmodum in oratione Dominica profitemur quotidie. Quem autem satisfactionis modum nobis a creditore nostro insinuatum esse putatis? Dimittite, et dimittemini. S. Augustinus per oleum misericordiam intelligit, dum ait : In oleo misericordia intelligitur ; ac proinde, si oleum charitatis et amoris erga Deum et proximos nostros habeamus, optime facturi erimus, si illud pro aliqua saltem parte in vasa vacua infundamus, id est, nostris persecutoribus et inimicis, qui timoris Dei, charitatis, virtutum, aliorumque bonorum spiritualium inania vasa sunt, impendamus ; hanc enim dilectionem exercendo, per redditionem boni pro malo iis, qui injuriis nos affecerunt, charitas erga Deum et proximos in cordibus nostris augebitur. Hæcque ea, quibus coram Deo obnoxii sumus, debita diluet, et abolebit, siquidem charitas operit multitudinem peccatorum. Præter hanc vero satisfactionem aliis quoque insuper lucris augebimur, quæ in illis verbis insinuantur : « Ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est. » Ibidem, disc. xvi, n. 4.

Sapienter Seneca : Irascetur, inquit, aliquis ? Tu contra beneficiis provoca, cadit statim simultas ab altera parte deserta ; nisi par, non pugnat. Seneca, l. I. *de Ira*, c. xxiv.

Recte dictum est ab Antisthene Philosopho ad tuendam salutem opus esse aut ingenuis amicis, aut acribus inimicis, propterea quod illi, dum admonent peccantes; hi, dum maledicunt, revocant a vitiis ; sed quia ad libere admonendum pene vocem amisit amicitia, superest, ut ab inimicis veritatem audiamus. Plut. l. *de util. cap. ex inimicis.*

Iracundissimæ, ac pro corporis captu pugnacissimæ sunt apes, et aculeos in vulnere relinquunt. Rex vero sine aculeo est, noluit illum natura, nec fas sævum esse, nec ultionem magno constitutam petere, telumque detraxit, et iram ejus inermem reliquit, exemplar hoc magnis Regibus ingens est. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores, cum tanto hominum moderatior esse animus debeat, quanto vehementius nocet. Seneca, l. I *de Clement*, c. xix.

Thomas Morus dicebat : Ethnici, et ingrati beneficia pulveri ; si quid mali patiuntur, marmori inscribunt. Christiani est, bene-

ficia marmori insculpere. Ludovic. Carbo *in Th. pract.* l. III, c. xix.

Jeremias Drexelius quæstionem movet, uter ex duobus progenitoribus magis arduum opus præstiterit, et se ipsum generosius vicerit? Abraham, qui non pepercit filio, an vero David, qui pepercit Sauli, capitali inimico. In eam rem Rupertus : Docet ratio, inquit, non multo minoris fuisse meriti propter Deum pepercisse inimico, quam non pepercisse unigenito filio. Certum videtur minus esse miraculi, Abrahamum Dei jussu voluisse sævire in filium, quam Davidem sancto affectu sævire noluisse in Saulem hostem. Uterque hoc tali facto promeritus est Christo jungi cognatione, et David quidem propinquiore. Drexelius *de Christo resurg.* c. I, § 2.

MISCELLANEA.

Hæc inimicorum dilectio pulchre fuit prædicta a Propheta Zacharia : In die illa proteget Dominus habitatores Jerusalem (id est, Ecclesiæ Catholicæ) et erit, qui ostenderit ex eis in die illa quasi David, et sicut Angelus Domini in conspectu ejus (id est, sic diligere inimicos, sicut David, qui Saulem hostem suum infensissimum bis occidere poterat, nec tamen occidit; nec de morte ejus postea lætatus est, sed potius dixit. Numquid superest aliquis de domo Saul, ut faciam in illo misericordiam Dei)? Zach. xii, v. 2.

Idem prædixit sequentibus verbis : In die illa erunt lebetes in domo Domini (id est, in Ecclesia) quasi phialæ coram altari, id est, corda odio accensa convertentur, ut non nisi purissimus charitatis ac benevolentiæ liquor, ac misericordiæ oleum illa repleat, sintque veluti lampades olei semper lucentis in conspectu Dei. Zach. xiv, 10.

Etiam Isaias id prædixit : Habitabit lupus cum agno, pardus cum hædo accubabit; vitulus, et leo, et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. Vitulus et ursus pascentur ; simul requiescent catuli eorum, et leo, quasi bos, comedet paleas. Et delectabitur infans (id est, homines simplices) ab ubere super foramine aspidis, et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Isaiæ xi, 6.

Ab inimicitia merito absterreat, quod Deus plerumque lege talionis etiam in hac vita permittat fieri nobis, quod aliis fecimus. Sic Adonibesech, dum summitates manuum ac pedum ei ab Israelitis abscinderentur, dixit : Et Septuaginta Reges amputatis manuum ac pedum summitatibus sub mensa mea ciborum reliquias colligebant; sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Judic. xi, 7.

Herodias, quæ S. Joannis Baptistæ caput petiit ab Herode, in pœnam, dum fluvium glacie constrictum transiit, glacie rupta ita subsidit, ut caput a corpore resecaretur. Niceph. l. I, c. xx *Hist. Eccl.*

Pemenes senex Solitarius a bestiis devoratus est, quia dum in sæculo oves pasceret, transeuntem peregrinum a canibus discerpi passus est. Latro, qui monasticam vitam occiso puero amplexus fuerat, ubique sibi visus est puerum illum videre, et dicentem audire : Cur me occidisti? Quare ultro se Judicibus sistit, et capite plexus est. *Pratum Sp.* c. clxiv.

Eutropius, Arcadii Imperatoris cubicularius, auctor legis fuit, ne quis ad Ecclesiam confugeret alicujus criminis convictus, sed ut inde etiam extraheretur. Verum ipse, paulo post offenso Imperatore, ad Ecclesiam confugiens, extractus et occisus est. Niceph. l. XIII, c. iv.

Thirasylus, Busyridi tyranno suadens, ut ad pluviam a cœlo impetrandam, hospite immolato Deos placaret, statim primus immolatus est. Staplet. in Dom. 1. post Pent. §. 1.

Thomas Cronwellus Henrico Octavo auctor fuit, ut legem ferret, ne quisquam Regiæ Majestatis læsæ reus ad colloquium Regis admitteretur, nisi causa illius prius in senatu regio cognita; primus autem hujus legis rigorem sensit, omnique aditu ad Regem, cui carissimus erat, interdicto, capitalem sententiam accepit. Ibid.

Augustæ, dum duo Religiosi ostiatim mendicabant, homo improbus pro eleemosyna restim porrexit, quem illi reverenti osculo acceperunt, et gratias egerunt, asserentes, eum pro ædificio suo sibi commodum fore. Talis restis sunt omnium inimicorum machinæ, quidni ergo dicamus, pro ædificio nostro cœlesti commodas fore? Drexel. in *Phaetont.*

Pulchre Seneca : Quid juvat tanquam in æternum genitas iras indicere, et brevissimam ætatem dissipare? Quid juvat, dies, quos honestissimis studiis impendere licet, in dolorem alicujus tormentumque trans-

ferre? Mors propius accedit, ac propius. Istud tempus, quod alienæ destinas morti fortasse circa tuam est. Quin potius vitam brevem colligis, placidamque tibi, et cæteris præstas? Quin potius amabilem te, dum vivis, omnibus exhibes; desiderabilem, cum excesseris, reddes? SENEC. l. III *de Ira*, c. ult.

Princeps quidam pro symbolo habuit struthiocamelum cum hac inscriptione : Durissima coquit Spiritus. Hoc symbolum omnibus Christianis affigi deberet. DREXEL. in *Rosis* p. II, c. v. §. 7.

Lacydes, Argivorum Rex, cum Prometheum Thessalum cogitasset occidere, casu tuber ejus percussit, ac dissecuit, atque adeo rupto ulcere præter voluntatem servavit inimicum. Simili modo fit non raro, ut convitium alicui impactum medeatur animæ morbo. PLUTARC. l. *de Util.* cap. *ex inim.*

Experta id est S. Monica, quæ, quia meribibula per convitium ab ancilla appellata est, hoc stimulo percussa respexit fœditatem suam, eamque confestim damnavit, et exuit. S. AUG. l. IX *Conf.* c. VIII.

Cuidam monacho moribundo, cui phlebotomus tribus vicibus venam aperire non poterat, noctu vespertilio pedem e lecto protensuam mordens venam rupit, sanguinem exugens, qui, cum postea diutius manaret, monacho sanitatem reddidit. Talis vespertilio sæpe est injuria illata. ULYSSES ALDROV. l. IX *Orynth.* c. I.

Antisthenes Philosophus dixit, ad tuendam salutem opus esse aut ingenuis amicis, aut acribus inimicis, propterea, quod illi, dum admonent peccantes, hi, dum maledicunt, revocent a vitiis; sed quia ad libere monendum pene vocem amisit amicitia, superest, ut ab inimicis veritatem audiamus. PLUTARC. IX. supr. VIII.

Quærit nonnemo, cur Deus serpentem æreum affigi voluerit in deserto, ut ex ejus aspectu sanarentur Israelitæ a serpentibus icti? Et respondet Didacus Nyssenus, hoc factum esse, ut significaretur Deus, quantum bonum esset inimicos suos benignis oculis aspicere.

Idem quærit, cur S. Stephanus statim, postquam inimicis suis ignovit, et pro illis oravit, obdormiverit in Domino? et respondet, hoc factum, quia tunc summum virtutis apicem attigerat. Ibid.

Tanti facienda est hæc virtus, ut hanc solam Pater æternus in homine sibi imitandam sumat. Ita indicat S. Gregorius Nyssenus, dum ait : Quæ de hoc animum meum subit cogitare, temerarium quidem est vel mente concipere ; temerarium item vel oratione mentis conceptum patefacere, et aperire. Quemadmodum Deus bene agentibus ad imitationem est propositus ; ita vice versa tuam affectionem ad bonum exemplo sibi esse vult, atque ordo quodammodo invertitur, ut audeamus dicere ad Deum : Quod ego feci, et fac ; imitare servum tuum, tu Domine. S. GREG. NYSSEN. ser. V *in Dom. orat.*

S. Agnes quondam S. Brigittæ dixit : Nihil est pulchrius, aut acceptius Deo, quam lædentem se diligere, et pro persequentibus orare. L. IV *Rev.* cap. CXXIV.

S. Chrysostomus dicere ausus est : Ea res tibi pro Martyrio computabitur, si insidias molientem, et ad tantam provectum malevolentiam, inter benemeritos numeraris, non desinens orare pro illo, Deum obsecrando, ut fiat illi propitius. S. CHRYS. hom. III *de David et Saul.*

B. Baptistæ Veranæ Christus dixit : Roga me ex corde, ut ego ei, qui te afflixit, parcam, et, ut eum liberem a pœna, quam meretur; sicut velles liberari oculum tuum, vel aliud membrum ab aliqua pœna crudeli, quia proximus tuus est oculus tuus, et membra tua. *Chron. S. Franc.* IV p. l. VII, c. XXIV.

In Olympico certamine, inquit S. Isidorus Pelusiota, qui cædit, ac superat, coronam obtinet; hic autem, qui cæditur, ac perfert, celebratur præconis voce. Illic, qui vicissim fecit, hic qui alteram quoque maxillam præbet, in Angelorum theatro prædicatur. Non enim ultione, sed patientia, victoria ponderatur. Nova hæc coronarum lex est, quoniam nova quoque certaminum ratio. S. Is. PELUS. l. II, cap. CCXIX.

Pulchram rationem diligendi inimicos suggessit S. Augustinus dicens : Inimici homines, qualescumque fuerint, non sunt odio habendi, ne, cum odit malus, cum patitur malum, sint duo mali. Diligat bonus, et quem patitur malum, ut vel unus sit malus. S. AUG. c. III *in Ps.* XXX.

Pusilli hominis est, inquit Seneca, et miseri, repetere mordentem, ut mures et formicæ, ad quas si manum admoveris, ora convertunt imbecilla, se lædi putant, si tanguntur. SENEC. l. II *de Ira*, c. XXXIV.

Illud ante omnia cogita, inquit idem Seneca, fœdam esse et execrabilem vim nocendi, et alienissimam homini, cujus bene-

ficio etiam sæva mansuescunt. Aspice elephantorum jugo colla submissa, taurorum, pueris pariter ac feminis persultantibus, terga impune calcata, et repentes inter pocula sinusque innoxio lapsu dracones, intra domum ursorum, leonumque ora placida tractantibus, adulantesque domino feras. Pudebit cum animalibus permutasse mores. Ib. c. LIV.

Et paulo post : Quid si nocere velint manus pedibus, manibus oculi? Ut omnia membra inter se consentiunt, quia singula servari totius interest ; ita homines singulis parcent, quia ad cœlum geniti sumus. Salva autem societas nisi amore et custodia partium esse non potest. Ibid.

Sapienter S. Chrys. dixit : Cum nos ipsos ulciscimur, Deus nos non defendit ; cum autem ipsi concedimus, plus, quam expectamus, efficimus. S. Chrys. hom. LIII. *ad Pop.*

AXIOMATA.

Ingeniose quis dixit :

Nobile vincendi studium patientia vincit ;
Qui patitur si. Vis vincere, disce pati.
Cyr. l. II. *apoph.* 1.

Romanis usitatum erat proverbium, ut Titus Livius in Historiis eorumdem refert : « Amicitias immortales, inimicitias mortales debere esse. » Ast vero, inquies, ex quo inimicitiæ mortales ab omnibus legibus natulibus, divinis, politicis et Ecclesiasticis damnatæ fuerint, quomodo subsistet proverbium asserens : « Inimicitias mortales debere esse? » Nimirum per hoc innuitur, inimicitias subito mori debere, et deficere, absque eo, quod repetantur, aut resuscitentur : Cæsar capitaliorem non habebat inimicum ipso Pompeio, et tamen ad imperium assumptus suum erga ipsum affectum, quam maxime demonstravit, de quo proinde dicitur : « Cæsar Pompeii status everti vetuit, suas stabilivit. » De Tito, in Annalibus Ecclesiasticis, scribitur, quod cum duo patritii Imperium affectasse convicti fuissent, ipse hoc rejiciens, aliud non fecit, quam quod eos monuerit dicendo, quod principatus per destinationem dari soleant, cæterum ipsis promittebat, quod si aliud quidpiam desiderassent, eorum voluntati libenter obsecundaturus fuisset. Livius *Dec.* IV. l. XL.

AUCTORES.

Hieremias Drexelius in *Zodiaco* symb. 9.

Robertus Bellarminus *De septem verbis Domini* c. IV et V.

Ludovicus de Ponte tom. III *de Perfect.* Tract. I, c. VI.

Claudius Viexmontius *de Pœnit.* p. III. c. I, II, III et IV.

Didacus Stella l. III *de Vanit. Mundi* a c. IX.

Cornelius a Lapide *in cap.* XII *epist. ad Rom.*

Joannes Cassianus collat. XVI, c. XXIV.

Panarium Joannis Busæi. v. *Vindicatio injuriæ.*

Franciscus Arias tom II, tr. IV, *de Imit. Christi* c. XLIV et seq.

Henricus Engelgrave in *Luce Evangelica* tom. II, embl. 49.

Mathias Faber p. III, con. II, *in Dom.* 21 *post Pent.*

Thomas Stapletonus text. *in Dom.* 2 *post Pent.* et text. V ac VII *in Dom.* 21.

DILECTIO PROXIMI.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est virtus, qua proximus diligitur propter Deum, seu ut clarius S. Dionys. ait, qua corda amantium inter se invicem uniuntur, et quasi bitumine quodam animæ eorum ita conglutinantur, ut, cum sint multæ, in voluntatibus tamen una esse videantur. S. Dion. IV *de Div. nomin.*

Si forte quis quærat, quis sit proximus? (ait S. Aug.) Proximus est omnis homo. Omnes proximi sumus conditione terrenæ nativitatis et mortalitatis, et etiam spe hæreditatis, quia nescimus quis quid futurus sit, quoniam aut Judæus, aut Hæreticus, aut Paganus; forte enim per misericordiam Dei, et inter Sanctos primum locum habere merebitur. S. Aug. ser. LIX, *de Temp.*

Regula. — Duplici regula nititur hæc dilectio. Prima data est a Deo : Diliges proximum tuum sicut te ipsum ; quam Christus clarius explicavit dicens : Omnia, quæcum-

que vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Lev. xix, 18. Matt. vii, 12.

Alteram tradidit idem Christus, apud S. Joannem, dicens : Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Joan. xv, 12.

Actus. — In genere duo sunt. Primus a Christo supra indicatus : Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Secundus a S. Tobia insinuatus : Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu alteri feceris. Tob. iv, 16 ; Matth. vii, 2.

De his S. Prosper sic loquitur : Hæc est proximi tota dilectio, ut bonum quod tibi conferri vis, velis et proximo ; et malum quod tibi nolis accidere, nolis et proximo S. Prosp. l. III *de Vit. Cont.* c. xv.

In specie vero sequentes numerari possunt :

Affici erga omnes homines propter Deum.

Velle omnibus vera bona æterna, et temporalia, quatenus conducunt ad salutem æternam.

Hæc omnia procurare per media proportionata ; e contrario vero damna studiose avertere, aut ubi proximus jam incurrit, iterum reparare.

Jucundam et gratam cum proximo conversationem instituere, atque adeo sedulo cavere, quæ hanc impedire possunt, qualia sunt contemptus, suspiciones, temeraria judicia, oblocutiones, detractiones, mordacitates etc.

Perfectam cum eodem concordiam tenere, idem volendo et nolendo, gaudendo cum gaudente, flendo cum flente.

Multas pro ipso difficultates aut labores suscipere, immo ipsam etiam, si charitas exigit, vitam pro eo ponere. Lud. de Ponte, c. iii, tr. I, c. v, § 1.

EX S. SCRIPTURA.

Natura. — Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Marc. xix, 12.

Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Matth. vii, 12.

Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias. Tob. iv, 6.

Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Joan. xiii, 24.

Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt, singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum. Philip. ii, 2.

Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. I Corinth. xiii, 4.

Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Joan. xv, 3.

Non videbis ovem fratris tui, aut bovem errantem, et præteribis, sed reduces fratri tuo. Deut. xxii, 1.

Numquid non Pater unus omnium nostrum ? Numquid non Deus unus creavit nos ? Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum ? Malach. ii, 10.

Obsecro vos, ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate. Ephes. iv, 1.

Necessitas. — In hoc cognovimus charitatem Dei quoniam ille pro nobis animam suam posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere. I Joan. iii, 6.

Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. Gal. vi, 2.

De charitate fraternitatis non necesse habemus vobis scribere, ipsi enim vos a Deo didicistis, ut diligatis invicem. I. Thes. iv, 9.

Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum odit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo diligere potest ? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum. I Joan. iv, 6.

Nemini quidquam debeatis, nisi, ut invicem diligatis, qui enim diligit proximum, legem implevit. Plenitudo ergo legis est dilectio. Rom. xiii, 8.

Omnis enim lex in uno sermone impletur : Diliges proximum sicut te ipsum. Gal. v, 14.

Nos scimus, quod translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Joan. iii, 14.

Carissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere. Joan. iv, 11.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. JOAN. IV, 12.

Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans temetipsum, ne et tu tenteris. GAL. VI, 1.

UTILITAS. — Ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. I PETR. IV, 8.

Qui diligit fratrem suum, in lumine manet. I JOAN. II, 12.

In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus : Concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier sibi bene consentientes. ECCL. XV, 1.

Iterum dico vobis, quod si duo de vobis consenserint super terram de omni re, quam petierint, fiet illis a Patre meo. MATTH. VIII, 19.

In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. MARC. IV, 24.

Non te te pigeat visitare infirmum, ex his enim in dilectione firmaberis. ECCL. VII, 39.

DIGNITAS. — Diligere proximum tanquam seipsum, majus est omnibus holocaustomatibus et sacrificiis. MARC. XII, 33.

Diligamus nos invicem, quia charitas ex Deo est. JOAN. IV, 17.

Si diligamus nos invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est. I JOAN. IV, 12.

JUCUNDITAS. — Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum ! Ps. CXXXII, 3.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — In charitate pauper est dives ; sine charitate omnis dives est pauper. Charitas in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis est, in bonis operibus hilaris est, in tentationibus tutissima, in hospitalitate latissima, inter bonos fratres lætissima, inter falsos patientissima. S. AUG. *de laude charitatis.*

Charitas omnia facit communia. Tametsi vobis hodie non interfuimus, vobiscum tamen communem lætitiam habuimus. Talis est enim vis charitatis, non fruentes pariter cum fruentibus gaudere facit, communia proximorum bona putare persuadet. S. CHRYS. hom. XIX *ad Popul.*

O nimiam Dei clementiam ! O ineffabilem Dei benignitatem ! præmium nobis pollicetur, si nos mutuo diligamus, et ea nobis præstemus, quibus nos invicem indigemus, et nos superbo et ingrato animo ei renitimur, cujus imperium beneficium est ! S. LAUR. JUSTIN.

Sic diligendi sunt homines, ut eorum non diligantur errores. S. THOM. c. V.

Diligamus in proximis, quod sunt, et odio habeamus, quod in itinere Dei nobis obsistunt.

Nonne, qui oderunt te Domine, oderam ? Cum in eodem subjecto sit natura et culpa, opus Dei, et opus hominis, cavendum est discrete, ne propter malum bonum odias, vel propter bonum substantiæ malum naturæ, et odium culpæ. S. THOM. *in Ps.* CXXXVIII.

Unde scimus, quia diligimus fratres ? Nemo interroget hominem, redeat unusquisque ad cor suum, si ibi invenerit charitatem fraternam, securus sit, quia transiit a morte ad vitam. S. AUG. tr. I, *in c.* III *Joan.*

Alius amat, quia redamatur, alius, quia honore afficitur, alius, quia utilitati sibi esse, aut fore hominem putat ; Christi vero causa difficillime quemquam invenies, qui amicum, ut oportet, diligat ; omnes fere sæcularium vinculorum nexu inter se vinciuntur. S. CHRYS. hom. LXI. *in Matth.*

Qui diligit Deum, non eum contemnere potest præcipientem, ut diligat proximum, et qui sancte ac spiritualiter diligit proximum quid in eo diligit nisi Deum ? Ipsa est dilectio ab omni mundana dilectione discreta, quam distinguendo addidit Dominus : Sicut dilexi vos ; quid enim nisi Deum dilexit in nobis, non quod habeamus, sed ut haberemus. S. AUG. tr. LXV *in Joan.*

Nemo dicat, in hominem pecco, quando non diligo fratrem meum ; intendite, et facile est peccatum in hominem, in Deum solum non peccem ; quomodo non peccas in Deum, quando in dilectionem peccas ? Idem tr. *in cap.* III *Joan.* I.

Cætera cum reddita fuerint, non debentur, dilectio autem tanto magis debetur, quanto amplius impenditur ; ipsa est, quæ semper redditur, et semper debetur, nec, cum redditur, amittitur, sed potius reddendo multiplicatur, quoniam habendo redditur, non carendo. S. ANS. *ad Rom.* XIII.

Charitas non solum apud eum crescit, qui hanc ab eo, quem diligit, exigit, etiamsi non recipit, sed etiam ille a quo eam reci-

pit, tunc incipit habere, cum reddit, et ideo cætera sic solvite, ut non debeatis, charitatem vero ita solvite, ut non semper habeatis, et debeatis.

Est charitas vinculum perfectionis, quo membra fidelium arctissimo complexu sibi invicem hærent, et suo capiti per omnes juncturas connectuntur in unum corpus in mutuo principio bonorum omnium, ut fidenter quilibet possit dicere : Particeps ego sum omnium timentium te, et custodiendum mandata tua. Richardus a S. Vict. p. 1, cap. vii, *de Gr. char.*

Tantum quilibet portat proximum, quantum amat. Si enim amas, portas; si desiisti amare, desiisti et tolerare. S. Greg. *sup. Ezech.*

Non diligis proximum sicut teipsum, si non ad id bonum, ad quod ipse tendis, adducis. S. Aug. *de Morib. l.* I.

Circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus. Audiant te homines parva mandantem, et grandia facientem. S. Chrys. *in illum.* Matth. xviii : *Digito a suo.*

Charitas vult abundare sibi, ut possit omnibus; servat sibi, quantum sufficit, ut nulli deficiat; alioquin si plena non est, perfecta non est. S. Bern. ser. xviii *in Cant.*

Nihil æque amicum probat, quam oneris portatio. Tantum quisque portat, quantum amat. S. Aug. *in Apoc.* xxiii.

Mandatum charitatis est mandatum simile proximo (id est mandato charitatis divinæ) quoniam hoc illud inducit, ab illo rursus munitur. S. Chrys. hom. *in Matth.*

Ut sciat homo diligere proximum, tanquam seipsum, prius debet diligendo Deum diligere seipsum. S. Aug. enarrat *in Ps.* cxviii.

Ut perfecta fiat justitia in dilectione proximi, Deum in causa habere necesse est. Alioquin proximum diligere pure non potest, qui Deum non diligit, oportet ergo diligi Deum prius, ut in Deo diligatur et proximus. S. Bern. in lib. *de dil. Dei.*

Minus proximum amare convincitur, qui non cum eo in necessitate illius, etiam ea, quæ sibi sunt necessaria, partitur. S. Greg. in homil.

Dilectio proximi character est discipulorum Christi. Aug. lib. *de Conf.* xiii.

Vere diligit, qui sine tristitia, sine timore, voluntario potius studio, quam coacto, præcepta conservat. Ambros. *super Beati immacul*

Non melius, nec decentius, quam per dilectionem rependi potest, quod per dilectionem datum est. Bernard, *supra Ps.*

Amor Dei amorem proximi generat, et amor proximi calefacit amorem Dei. Gregor. in Homil.

Charitas cor unum fratrum multorum facit. Aug. *super Evan. Joan.* vii.

Ordo. — Cum omnibus prodesse non possis, hoc potissimum consulendum est, qui pro locorum et temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictius sibi quasi quadam sorte junguntur ; sicut enim, si tibi abundaret aliquid, quod dari oporteat ei, qui non habeat, nec duobus dari possit, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium, vel indigentia, vel in se aliqua necessitudine superaret, nihil justius faceres, quam ut sorte eligeres, cui dandum esset, quod dari utriquè non potest; sic in hominibus, quibus omnibus consulere nequeas, pro sorte habendum est, prout quisque sibi colligatus temporaliter adhærere potuerit. S. Aug. *de Doctr. Chr.* c. xxviii.

Ille igitur dilectionis ordo nobis servandus est, juxta illud quod dixit Spiritus Sanctus : *ordinavit in me charitatem* ; ut, sicut ordinata charitas poscit, ut Deum principaliter diligamus, et propter ipsum, in ipso ea, quæ diligenda sunt, tantum, quantum ipse præcipit, diligamus. Ipse enim præcipit, ut corpora nostra propter nos, proximos sicut nos, et ipsum prius diligere, quam nos debeamus ; ita sane ut eis, quos nobis conjunctiores familiaritas facit, si eos fama non reprobat, sed vita commendat, nos amplius impendamus; omnium profectus nostros esse credamus, et de aliorum peccatis, tanquam de nostris, misericorditer lugeamus. S. Prop. l. III *de Vit. conc.* c. xv.

Dilectio unguentum est, quod primo effunditur in ipsum caput (id est, Christum) et ab hoc descendit in barbam (id est, ad majores) deinde in oram vestimenti, (id est ad minores). S. Aug. in *Spec. Erem.*

Necessitas. — Dilectio Dei prior est ordine præcipiendi, sed proximi dilectio prior est ordine faciendi ; neque enim, qui præciperet tibi dilectionem illam in duobus præceptis, prius tibi commendaret proximum, et postea Deum, sed primo Deum, et postea proximum. Tu autem, qui nondum vides Deum, diligendo proximum promereris, quem videas; diligendo proximum, purgas oculum ad videndum Deum evidenter,

Joanne dicente : Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? S. Aug. hom. xvii in Joan.

Dico hæc, necesse est, charitatis præcepta custodiat, quisquis habere in nuptiis vestem nuptialem cupit. Hinc est, quod cortinis Tabernaculi intexi coccus bis tinctus jubetur. Vos estis, fratres, cortinæ Tabernaculi, qui per fidem in cordibus vestris secreta cœlestia velatis; sed cortinis Tabernaculi bis tinctus coccus debet inesse, coccus quippe ignis speciem habet; quid vero est charitas, nisi ignis? Sed ista charitas bis tincta esse debet, ut tingatur et per amorem Dei, et per amorem proximi; qui enim sic amat Deum, ut per contemplationem illius negligat proximum, coccus quidem est, sed bis tinctus non est. Rursum qui sic amat proximum, ut tamen contemplationem Dei per ejus amorem relinquat, coccus est, sed bis tinctus non est. S. Greg. hom. xxviii *in Ev.*

Considera, o homo, unde nomen sumpseris? Ab humo scilicet, quæ nihil a te accipit, sed omnia largitur omnibus, et ad diversorum omnium animalium usum fructum administrat; inde appellata humanitas specialis et domestica virtus hominis, quæ adjuvet consortem. S. Ambr. l. III *Offic.*

Utilitas. — Tunc plenius in Dei dilectione proficimus, cum in ejusdem dilectionis gremio prius proximi charitate lactamur. S. Greg. l. V *Mor.*

Quemadmodum multi Religiosi per charitatem sunt unus, ita per eamdem charitatis unionem singuli sunt multi. Unio decem Religiosorum facit, ut unus sit decem; nam unus est in omnibus decem, et omnes decem in uno. Quare unusquisque habet viginti oculos, viginti manus, et ita respirat per decem animos; tantam enim curam quisque gerit de altero, quantam de se ipso. Ideoque oculi, manus, pedes omnium decem serviunt unicuique; nullus enim contentus est cura sui ipsius, sed etiam gerit curam reliquorum. S. Chrys. hom. lxxvii *in Joan.*

Jucunditas. — Qui alios diligit, sicut debet, ita vivit in terra, quasi esset in cœlo, semper gaudens summa tranquillitate; in hoc enim bono charitatis omnia bona habet, et per eam innumeras obtinet victorias, et et coronas, et inæstimabiles thesauros pacis. S. Chrys. hom. xxxii *in ep. ad Cor.*

Nihil auditur dulcius, nihil optatur delectabilius, nec utilius possidetur; quam ob rem dixit David : O quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum! Hæc verba Psalterii, iste dulcis sonus, ista melodia etiam monasteria peperit. S. Aug. in *Ps.* cxxxii et *ad* XII *FF. in erem.*

Ubi est meum ac tuum, illic omnium litium genus, et contentionis occasio, et inter cognatos et fratres ; ubi autem hæc non sunt, ibi secura versatur pax et concordia. S. Chrys.

Vere bonum, vere jucundum : unum fratrem dimisimus, et ecce quantos inducimus! Frater sæcularis non tantum me amat, sed substantiam meam; cæterum fratres spirituales, qui sua utique negligunt, alia non quærunt, nec aliud præter me. S. Hier.

Tale est bonum pacis, quod ex fraterna oritur charitate, ut in rebus creatis nihil gratiosius soleat audiri, nihil delectabilius concupisci, et nihil utilius possideri. S, Laur. Just. in l. *Vit*, c. xv.

Multæ res sunt pulchræ et honestæ, quæ carent delectatione, quemadmodum aliæ sunt jucundæ, sed deest eis honestum. Non facile autem contingit, ut utraque conveniant, sed in hoc utraque concurrunt, et voluptas, et honestas maxima. S. Chrys. hom. ii *de Job.*

Bonum et jucundum est sola charitas ; hoc privilegium soli charitati servatum est, ut, cum sit non solum bonum, sed maximum omnium bonorum, sit quoque jucundissimum, omnis quippe alia virtus pœnam habet annexam. Nostra humilitas, patientia abstinentia, castitas, paupertas, fortitudo laborem habent, ut neque enim sine labore homo submittitur, patitur injurias, abstinet a cibis et voluptatibus carnis, caret bonis temporalibus. In amore autem quænam difficultas? Quis labor est, amare?

Si hæc omnia non te movent, moveat te saltem ipsa, quam diximus, jucunditas charitatis. Quis enim non vult jucunde vivere, et cum lætitia vitam agere? Hoc sine fraternitate habere non poteris. Quid namque jucundius, quam concordia? Quid molestius, quam discordia? Ibidem.

Hoc in primis habet charitas, quod cum utilitate sit facillima, atque jucundissima. S. Chrys. hom. cit.

Æquitas.—Cum videris aliquem egentem curatione vel corporis, vel animi, ne dicito apud te ipsum : Quare ille et ille non curaverunt? sed a morte libera Si inveneris aurum jacens, non dicis apud te ipsum : Quare ille

et ille non sustulerunt? sed festinas ante alios rapere; itidem et de fratribus collapsis cogita, putaque te thesaurum invenisse. S. Chrys. orat. III *adv. Judæos*.

Docemur proximum sicut nos ipsos diligere exemplo amoris membrorum corporis humani. Primo in hoc, quod unum membrum non invidet alio membro, licet non habeat idem officium, non omnia namque eumdem habent actum membra, nec tamen sibi invicem invident; sic nec debet aliquis invidere proximo suo, habenti gratiam, quam ipse non habet. S. Laur. Justin. *de Lege vit.* c. XVII.

Dignitas. — Quo magis a Dei dilectione recedimus, eo magis a proximi amore distamus; quantum vero Dei charitati adhæremus, tantum et proximo, quantumcumque proximo, tantum et Deo conjungimur. S. Doroth. to. III. *Bibliot. doct.* VI.

Memento, Religiose, quod veneris ad Religionem, ut esses negotiator, et pretiosas margaritas, virtutes scilicet, et bona spiritualia quæreres. Nec contentus esto, si bona inferiora inveneris, sed summa quæque et excellentia perquire. Nil autem pretiosius invenies unitate; non igitur parcas omnibus cæteris propter eam obtinendam, sed jejuniis, vigiliis, et orationibus, audacter præfer unitatem. Volo autem, ut in ea quoque sic maneas, non quasi unus ex omnibus, sed quasi cum omnibus unus; late expande sinum, et ex omni genere piarum affectionum claude inter viscera tua, ut omnibus omnia fias; et congaudere paratus et compati, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, ut amorem et unionem cum omnibus habeas. S. Bern. s. XXVI.

Omnes species justitiæ, quæ habent servi Dei in veritate possunt habere servi diaboli in simulatione; habet enim fictos mansuetos, castos, eleemosynarios, jejunos, et omnem speciem boni, quam creavit Deus ad hominum salutem, introduxit diabolus ad hominum perditionem, ut inter verum et simulatum confusio fiat; solam autem charitatem Spiritus Sancti, non potest immundus spiritus imitari. Ideo autem hanc privatam speciem sibi solus Spiritus Sanctus reservavit, ut per unius justitiam et testimonium sic cognoscatur, ubi Spiritus Sanctus est, quemadmodum per gratiam charitatis. S. Chryst. hom. IV, *sup. Matth.*

Tunc ad alta charitas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer demittit; et quæ benigne descendit ad infima, valenter recurrit ad summa. S. Greg. in *Pastor.*

Actus Correctionis. — Numquam alieni peccati objurgandi suscipiendum est negotium, nisi cum internis interrogationibus examinantes conscientiam nostram liquido nobis coram Deo responderimus, dilectione nos facere. S. Aug. *sup. Epist. ad Gal.*

Raro et magna necessitate objurgationes adhibendæ sunt, ita tamen, ut in his etiam ipsis non nobis, sed ut Deo serviatur, instemus. S. Aug. l. II *de Ser.*

Molestus est medicus furenti phrenetico, et pater indisciplinato filio, ille ligando, hic cædendo, sed ambo diligendo; si autem istos negligant et perire permittant, ista potius falsa mansuetudo crudelis est. S. Aug. *ad Bonif. de Correc. dom.*

Quæ peccantur coram omnibus, corripienda sunt, ut omnes timeant; qui secreto peccavit in te, secreto corripe, nam si solus nosti, et eum vis coram aliis arguere, non est corrector, sed proditor. S. Aug. *super illud. Matth.* XVII: *Si peccoverit etc.*

Si propterea objurgandis et corripiendis male agentibus quis parcit, quia opportunum sibi tempus inquirit, vel eisdem ipsis metuit, ne pejores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam et piam erudiendos impediant, aliosque infirmos premant, atque avertant a fide; non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis. S. Aug. l. I, *de Civ.*

Accusare vitia, officium est bonum, quod tamen mali faciunt, alienas partes faciunt. Cogitemus ergo, cum alienum reprehendere nos necessitas coegerit, utrum tale sit vitium, quod nunquam habuimus, et jam non habemus; et tunc tangat memoriam communis fragilitas, ut illam correctionem non odium, sed misericordia præcedat. Si autem invenerimus nos in eodem vitio esse, non objurgemus, sed ingemiscamus, et ad æqualiter deponendum invitemus. S. Aug. in *Ser. Dom. in monte*

Qui cordis sui domum excolere non valet, quomodo plurimorum adjuvabit diligentiam? Et qui peccati trabem ex suo non potest eruere oculo, quomodo ex alterius oculo poterit amputare festucam? S. Amb. in l. *de Dign. Sacerd.*

Quid necesse est, bis pungere non recalcitrantrem, per se satis erubescentem confundere amplius, cui sua ratio magister

est, cui propria conscientia virga, et ingeminata verecundia lex disciplinæ est? S. Hier. in *Ev. ad Occean.*

Regat disciplinæ vigor mansuetudinem, et mansuetudo ornet vigorem, et sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta. S. Greg. l. XIX *Mor.*

In correptione vitiorum subesse debet iracundia, non præesse, ut executione justitiæ non dominando præveniat, sed simulando subsequatur, et notum judicium possessa impleat et procuret. S. Greg. XXVI *Mor.*

Tunc protervos melius corrigimus, cum ea, quæ bene egisse credunt, male acta monstramus, et unde adepta gloria creditur, inde utilis confessio subsequatur. S. Greg. in *Past.*

Major culpa, quo citius, quia culpa est, agnoscitur, eo etiam celerius emendatur. Minor vero, dum quasi nulla creditur, eo pejus, quo *et* securius in usu tenetur. Ibid.

Mundus esse a vitiis debet, qui aliena corrigere curat; quatenus tanto perspicacius aliis fugienda videt, quanto hoc ipse per scientiam et vitam verius declinat. Quia nequaquam pure in membro maculam considerat oculus, quem pulvis obtenebrat, et superjectas sordes tergere non valent manus, quæ lutum tenent. S. Greg. in *Past.*

Magna crimina et tarde credenda sunt, cum audiuntur, et citius punienda, cum veraciter agnoscuntur. S. Bern. *sup. Cant.*

Qui blando verbo castigatus, non corripitur, acrius necesse est arguatur; cum dolore sunt abscindenda, quæ leviter sanari non possunt. Isid. l. III, *de Sum. bon.* cap, xlvi.

Qui admonitus de peccato secreto, corrigi negligit, publice arguendus est, ut ulcus quod occulte sanare nescit, manifeste debeat emendari. Ibid. xix.

Non uniformiter secundam mensuram delictorum increpationes quoque oportet inferri; sed diligenter aspicere eorum, qui deliquerunt, vires atque propositum, ne forte volens rupta sarcire, majorem operetur diruptionem, et cupiens erigere collapsa, casum inferat graviorem. S. Chrys. in suo Dialog. l. II.

Leniter castigatus exhibet reverentiam castiganti, asperitate autem nimiæ increpationis offensus, nec increpationem recipit, nec salutem. S. Prosp. l. II, *de vit contempl.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Charitas habenda est ad omnes, sed familiaritas non expedit. Lib. I, viii.

Stude patiens esse in tolerando aliorum defectus, qualescumque infirmitates, quia et tu multa habes, quæ ab aliis oportet tolerari. Si non potes te talem facere, qualem vis, quomodo poteris alium ad tuum habere beneplacitum? Lib. I, c. xvi, §. 2.

Si portari vis, porta et alium. Vide quam longe es a vera charitate et humilitate, quæ nulli novit irasci, vel indignare, nisi sibi! Lib. II, c. iii, §. 2.

Non est magnum, cum bonis et mansuetis conversari; hoc enim omnibus naturaliter placet, et unusquisque libenter pacem habet, et secum sentientes magis diligit. Sed cum duris et perversis, aut indisciplinatis, et nobis contrariantibus pacifice posse vivere, magna gratia est, et laudabile nimis virileque factum. Ibidem.

In me debet amici dilectio stare, et propter me diligendus est, quisquis tibi bonus visus est, et multum carus in hac vita. Sine me non valet, nec durabit amicitia, nec est vera et munda dilectio, quam ego non copulo. Lib. III, c. xlii, §. 1.

Diligantur omnes propter Jesum, Jesus autem propter seipsum. Propter ipsum, et in ipso tam amici, quam inimici tibi sint cari, et pro omnibus his exorandus est, ut omnes ipsum cognoscant et diligant. Lib. II, c. viii, §. 4.

Pro nulla re mundi, et pro nullius hominis dilectione aliquod malum faciendum est; sed pro utilitate, tamen indigentis, opus bonum libere aliquando intermittendum est, aut etiam pro meliori mutandum; hoc enim facto opus bonum non destruitur, sed in melius commutatur. Lib. I, c. xv, §. 1.

Sine charitate opus externum nihil prodest; quidquid autem ex charitate agitur, quantumcumque etiam parvum sit, et despectum, totum fructuosum efficitur; magis siquidem Deus pensat, ex quanto quis agit, quam quantum facit. Multum facit, qui multum diligit. Ibidem.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

S. Moyses ita proximum diligebat, ut di

ceret ad Dominum: Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ. Exod. xxii.

S. Joannes Apostolus id unum inculcabat: Filioli, diligite alterutrum. Causam vero hujus doctrinæ toties repetitæ interrogatus, respondit: Mandatum Domini est, si hoc fiat, sufficit. Surius, in *Vita*.

S. Paulus ita proximum diligebat, ut anathema pro eo fieri cuperet, si necesse foret. II. Cor. iv.

S. Paulinus non sua tantum, sed denique seipsum etiam in captivorum redemptionem impendit. *Vita, apud Surium.*

S. Antonius Florent. Episcopus suam Diœcesim per se semper lustravit, et ingruente quondam pestilentia, infectos ultro invisit, solatus est, recreavit, adducto secum jumento medicamentis onusto.

S. Wenceslaus potissimam divitiarum partem impendebat in liberos Ethnicorum emendos, quos deinde catholice instrui curavit. Platus, l. II, c. xxix.

S. Apollonius fratres in cellam suam venientes excipiebat velut templa S. Spiritus, et vasa Dei, dicebatque hac ratione Abraham excipiebat Angelos ad se venientes, et Deum in illis adorabat; nam cum tres venientes cerneret, unum in illis adorabat, quæ proin etiam animis Christianis causa esse debet, proximum amandi. Petrus Sanch. in *Regno Dei*, p. VI, c. xi, ib. f. 795.

Amon, senex sanctissimus, cum fratres ei nuntiarent, mulierem in cella cujusdam, fratris esse, ivit quidem, sed supra doliolum infra quod mulier latebat, sedit, et postea fratres quærere mulierem jussit, ut hac ratione fratrem accusatum a confusione liberaret; quem tamen privatim postea correxit. *Spec. exem.* ex. iii, *App.*

Cum S. Macario quondam uva oblata esset, ipse eam ad proximum fratrem ferebat, hic iterum ad alium, ita ut uva per totum eremum circumlata, denique ad S. Macarium rediret; qui videns tantam in fratribus charitatem, continentiam, ad acriora semetipsum spiritualis vitæ extendit exercitia. Ib. disc. II, ex. lxvii.

Quidam frater S. Francisci videns socium lapidibus a fatuo peti, mox se pro fratre objecit, et lapidum ictus ex charitate excepit. Ib. vii, ex. ii.

Casilda, Almenonis Regis Toletani filia, cum captivos clam patre cibo et rebus omnibus recreasset, quondam deprehensa a patre, et quæsista, quid ferret, sinu aperto, cibos in rosas commutatos invenit. Quo illa miraculo percita, monitaque, si a fluxu sanguinis curari vellet, in lacu D. Vincentii nomine se ablueret, cum patre agit, ut ad Ferdinandum Regem morbi curandi causa mitteretur. Missa est, et a morbo liberata baptismum suscepit, et vitam in rupis fastigio sanctissime exegit. P. Joan. Mariana. l. IX, *de Reb. Hisp.* l. III, to. I.

S. Sanctulus charitate accensus, seipsum pro Diacono dedit in mortem, sed a S. Joanne Bapt. liberatus, cum manum carnificis in aere immobiliter suspensam, sanasset, non sibi modo a Longobardis, sed omnibus etiam Christianis libertatem impetravit. L. III *Dialog.* S. Gr. c. xxxvii.

Quidam audito hoc præcepto: Diliges proximum tuum, sicut teipsum, cum sedulo implevisset id, denique ob charitatem proximi inventus est in puteo submersus, cum annulo, cui inscriptum erat, prius animam ejus in cœlum receptam esse, quam corpus infrigidatum fuerit. *Sp. Exempl.* in append. ex. xii.

Senex quidam, cum aliquoties ab Abbate Joanne audivisset aliquas doctrinas, et statim oblitus iterum esset, et tandem reverti non auderet, Joannes lucernam accendere eum jussit, et incendere ex ea. Tum quæsivit, an lucerna ex hoc læsa esset? Et cum senex respondisset, non, dixit Joannes: Ita nec Joannes læditur, si tota Scythia veniat ad me, nec impedit me a charitate Dei; quando iterum ruis, veni, nihil hæsitans. Et ita per patientiam utrorumque abstulit Deus oblivionem a sene; hoc enim erat opus habitantium in Scythia, ut animarent eos, qui impugnabantur a quacumque passione, et extorquebant sibi laborem, unde invicem lucrarentur. *Vita PP.*

Abbas Apollo, si quis de fratribus eum in suo opere requisiisset, et labore, mox pergebat cum omni lætitia, dicens: Ego cum Rege meo Christo vado hodie operari pro anima mea. Hæc est enim merces, quæ animæ reputatur. Ibidem.

Elogii charitatem admirandam elephantico per quindecim annos præstitam et a Deo præmiatam, vide fusius descriptam l. c.

S. Franciscus B. Petro Cathanii Generali dicebat: In hoc volo cognoscere, si tu diligas Dominum, et me servum tuum ac suum, si feceris istud, videlicet quod non sit frater in mundo, qui quantumcumque peccaverit, quod, postquam viderit oculus tuus, nun-

quam recedat sine misericordia tua ; etsi non quæreret, tu quæras ab eo, si vult misericordiam, etsi millies postea appareat coram oculis tuis, dilige illum plus quam me, et ad hoc, ut trahas eum ad bonum, et semper miserearis talibus. PENNEQ p. I, c. XXV, § 2 *in Isagoga ad amorem.*

Eulogius quidam scholasticus erat, et eruditus vir, qui amore divino compunctus abrenuntiavit turbis hominum, omnemque substantiam suam distraxit et erogavit pauperibus. Itaque paucos denarios in usus proprios reservavit, cogitans apud semetipsum, quia operari propriis manibus non valeo, nec in monasterii congregationem ingredi possum. Invenit ergo quemdam in platea jacentem leprosum qui nec manus habebat, nec pedes, cujus tantummodo lingua vigebat. Stans autem Eulogius prope eum, oravit Dominum, et posuit quasi pactum cum Domino dicens : Domine, in nomine tuo levabo hunc leprosum in domo mea et ministrabo ei, et fovebo eum usque ad mortem, et propter hunc ego inveniam misericordiam tuam. Dona ergo mihi, Christe Domine, patientiam ad hujus obsequium. Et accedens ad leprosum, dixit ei : Si digneris facere, gratias ago. Adduxit ergo asinum, et levavit eum, et duxit in domum suam, et adhibebat ei curam diligenter. Itaque per annos quindecim gubernabatur ; accipiebat curam de manibus Eulogii, et condigne nutriebatur. Post quindecim autem annos insidiatus est ei Diabolus, et clamare cœpit leprosus, instigatus ab eo, contra Eulogium, multisque injuriis et detractionibus afficere virum ; dicebat enim ei : Multa mala commisisti fugitive, forsitan domini tui alienas pecunias furatus es, et per me vis peccatis tuis liberari, et clamabat : Jacta me in plateam, ubi ante jacebam, carnes desidero manducare. Hoc cum audisset Eulogius, obtulit, ei carnes in cibum. Iterum ille clamabat : Non acquiesco ; sed, ut dixi, jacta me in plateam, populos volo videre, jacta me ubi me invenisti; forsitan, si manus habuisset, exsuffocare se potuisset, in tantum eum Dœmon excitabat. Ideoque valde sollicitus Eulogius pervenit ad monasteria virorum Dei, et dixit eis : Quid faciam, Domini mei Patres, quia in desperationem me adducit leprosus iste? Projicere eum timeo, quia Deo dextram dedi, et promisi usque ad mortem continere et fovere eum. Si ergo non projecero eum, sed per violentiam tenere voluero, pessimos dies, et amarissimas noctes faciet mihi. Ad hæc illi dixerunt ei : Dum adhuc in corpore est magnus ac beatissimus famulus Dei Pater Antonius, ascende in navim pariter cum illo leproso, et vade in monasterium, ubi monachi ejus sunt, et expecta ibi, usque quo egrediatur de spelunca sua, et veniat ad monasterium, et quidquid dixerit tibi, observa, et acquiesce ejus sententiæ. Deus enim per ipsum tibi dicet. Misit ergo leprosum illum in navim, illeque pariter ascendit, et navigantes venerunt ad monasterium discipulorum Beati Antonii. Evenit autem illa die, ut veniret Pater Antonius jam vespera peracta. Quando autem adveniebat in monasterium, hanc habebat consuetudinem ; vocabat Macarium et interrogabat eum dicens : Frater Macari, venerunt aliqui fratres huc? Respondebat : Etiam venerunt. Iterum interrogabat : Ægyptii sunt, an Hierosolymitæ? Dederat enim ei signum dicens : Quando videri inquietiores, dicito, quia Ægyptii sunt. Quando autem religiosiores, dicito, quia Hierosolymitæ sunt. Interrogavit autem secundum consuetudinem : Fratres Ægyptii sunt, an Hierosolymitæ? Respondit Macarius, et dixit : Quia mixti sunt. Quando autem dicebat, quia Ægyptii sunt, jubebat B. Antonius, ut pulmentum lenticulæ apponerent eis cibum, et quando refecissent, faciebat eis orationem, et dimittebat eos. Quando autem dicebat, quia Hierosolymitæ sunt, sedebat per totam noctem disputans cum eis de verbis Dei, quæ ad salutem animæ pertinent : In illa ergo vespera sedebat, et vocabat omnes Fratres, qui cum advenissent, subito vocavit : Eulogi, Eulogi ! Cum tamen nullus indicasset nomen ejus ; tertio etiam vocatus Eulogius non respondit ei, arbitrabatur enim, quod alium Eulogium ex monasterio vocaret. Tunc dicit ei : Tibi dico, Eulogi, qui ab Alexandria venisti. Respondit Eulogius, et dixit : Quid jubes, Domine? Interrogavit eum Antonius : Quid huc venisti? Ait Eulogius : Et qui revelavit tibi nomen meum, causamque manifestavit. Dixit ei Antonius : Scio propter quid venisti, sed coram omnibus edicito, ut et ipsi audiant. Eulogius dixit : Hunc leprosum inveni jacentem in platea, et levavi eum, et promisi Deo, ut eum foverem, quatenus ut salvus efficiar, et ipse per meum obsequium quietem habeat. Et quia post tot annos recedere vult a me, et nimis exacerbat me, dum fes-

tinat recedere, et cogitavi projicere eum, ideo ad Sanctitatem tuam veni, ut mihi des consilium, quid agere debeam, et ores pro me. Nimis enim sollicitus sum, et tribulor pro ista causa. Tunc austero vultu respiciens eum Antonius dixit : Tu projicis eum, sed qui fecit eum, non projicit eum : Jactas eum tu, sed suscitabit Deus meliorem, et consolabitur eum. Et silens Eulogius pavefactus est. Itemque Beatus Antonius cœpit asperioribus verbis increpare leprosum illum, et clamans dicebat ei : Leprose inveterate dierum malorum, indigne cœli et terræ, non quiesces blasphemare Deum ? Ignoras, quia Christus est, qui ministrat tibi ? Quomodo audes adversus Christum talia proloqui ? Numquid non propter Christum semetipsum servum se exhibuit Eulogius ad tuum ministerium ? Increpans ergo et hunc reliquit. Posthæc coram omnibus dixit eis, quæ expediebant saluti animæ eorum, admonens Eulogium et leprosum, ut non separarentur ab alterutro : Sed in cellam vestram, inquit, pergite. In præsentiarum enim vos visitat Deus. Tentatio enim hæc evenit, quia uterque circa finem estis, et coronæ vobis præparantur, ne veniens Angelus non inveniat vos in eodem loco, et proposito, et perdatis tanti temporis mercedem boni operis. His auditis cum festinatione reversi sunt ad propriam cellam. Et post quadraginta dies defunctus est Eulogius, et post tres dies similiter requievit leprosus. Post aliquot vero dies quidam nomine Cronius de Thebaïda descendit in monasterium Alexandriæ, et invenit quosdam Fratres diem tertium leprosi celebrantes, quosdam autem quadragesimum Eulogii. Agnovit ergo Cronius et obstupuit, et accipiens Evangelium proposuit fraternitati, et juravit referens eis, quomodo omnia, quæ evenerunt, Eulogio et leproso prædixit B. Antonius. PALLADIUS, *Vita* c. XXVI.

Perrexerunt aliquando tres Fratres ad messem, et susceperunt certum spatium sexaginta modiorum, quod meterent. Unus autem ex eis prima ipsa die infirmari cœpit, et reversus est ad cellam suam. Duo autem qui remanserunt, unus alteri dixit : Ecce, Frater, vides, quia incurrit in ægritudinem Frater noster. Extorque ergo tu animo tuo parum, et ego similiter meo paululum, et credamus in Deo nostro, quia per orationes ejus implebimus nos duo opera ejus, et metemus partem ipsius. Cum ergo explevissent messem totius loci illius, quem susceperant, venerunt accipere mercedes suas, et vocaverunt fratrem dicentes : Frater, veni, et accipe laborem tuum. Et ille dixit eis : Qualem laborem accipiam, qui non messui? Et illi dixerunt ei : Orationibus tuis consummata est messis, veni ergo, accipe mercedem tuam. Facta est ergo plurima contentio inter eos de hac re, illo scilicet dicente : Non accipio, quia non laboravi ; illis vero non adquiescentibus, nisi et ipse acciperet partem suam. Abierunt ergo ad judicium magni senis cujusdam, et dicit ei Frater ille : Perreximus nos tres, ut meteremus in agro cujusdam ad mercedes; cum autem venissemus ad locum, quem messuri essemus, ipsa prima die in ægritudinem cecidi, et reversus sum in cellam, nec una die metere prævalui cum iis, et nunc cogunt me Fratres isti dicentes : Veni, accipe mercedem, ubi non laboravi. Dixerunt autem et illi Fratres: Revera tres fuimus, et perreximus metere, et suscepimus spatium sexaginta modiorum, quod meteremus, et si fuissemus toti tres cum grandi labore vix potuissemus explicare illud. Orationibus autem Fratris hujus nos duo velocius, quam tres potuimus, et demessuimus agrum. Et dicimus ei : Veni, et accipe mercedes tuas, et non vult. Hæc audiens senex miratus est, et dixit uni de monachis suis : Percute signum in cella Fratrum, ut congregentur hic omnes. Qui cum venissent, dixit eis : Venite, Fratres, et audite hoc justum judicium, et indicavit eis omnia senex, et adjudicavit illum, ut acciperet mercedes suas, et faceret ex eis mercedibus, quod ipse vellet. Et discessit Frater ille contristatus et plorans, et sibi præjudicatum fuisse dicebat. *Specul.Exempl*,tit.*charitas*. Exempl. IX.

Erat in monasterio Cruciferorum, diœcesis Monasteriensis, laicus quidam Frater ad recipiendum hospites deputatus. Et is, ne temere sibi judicium Domini usurparet, et alienum servum, contra præceptum Apostoli, qui suo Domino aut stat, aut cadit, videretur judicare, sine omni personarum acceptione bonos et malos, probos et improbos, disciplinatos et insolentes, cum tanta humilitate tantaque charitate recepit, pavit, ministravit, quasi omnium unica mater esset, et sibi soli eorum videretur cura incumbere. Cum igitur in extremis laboraret, et tempus esset, præmia laborum recipere, contigit, quemdam laicum Fratrem inte-

rim ad infirmatorium, in quo infirmus decubuit, quamdam dulcissimam melodiam, quasi concinentium in choro puerorum, ceu a longe resonantem, audire. Quapropter stupens, et vix se ipsum comprehendens, infirmatorium ingreditur, et moriturum, utrum ne et ipse canoras juvenum voces percepisset, sciscitatur. At ægrotus : Paululum, inquit, ante ingressum tuum ad me introierunt huc quidam formosi satis, sed mihi incogniti juvenes, qui cum dulcibus cantilenis aliquamdiu invalidi atque infirmi corporis mei mitigassent dolores ; suspicatus ego, si forte pauperes essent, et cantibus eleemosynas postularent, aio ad eos : Dulces filioli mei, quandiu potui, cum omni charitate omnibus pauperibus, quantum permisit paupertas nostra, libenter ministravi ; nunc, quia, ut videre potestis, ad hæc facienda vires non suppetunt, ad cocum pergite, et is, quia pius est larga vobis manu eleemosynam ministrabit. Et in hæc verba dimisi eos, sed quonam abierunt, vel qui fuerint, omnino non scio. Quod audiens Frater, cum hujusmodi juvenes intra claustra monasterii penitus visi non essent, vel Angelos fuisse, vel alios Sanctos suspicatus, dignam laudem Deo de exhibita pietate refudit. Hospitalarius vero post hæc citissime, sed et devotissime moriens (ut pie creditur) una cum concinentibus Angelis ad cœlestem patriam commeavit, dignam mercedem pro exhibita charitate capturus, de quo sit Deus benedictus in sæcula. Amen. Ibid. exemp. XII.

Legitur exemplum, quod quidam plebanus sicut temporalibus divitiis, ita et vitiis deditus erat ; habuit tamen valde devotam conjugem, ad cujus suggestionem Religiosos habebat in honore. Contigit autem, ut ad illius domum diverterent quidam Fratres. Itaque tempore prandii dixit domina Fratribus : Rogo vos, boni Patres, ut dicatis aliqua verba salutis, quia illa valde sunt nobis necessaria, si dominus non ægre ferret. Et dominus ait : Ego similiter peto, ut dicatis, sed brevia verba, quia etiam prædicationem, tædiosum mihi est audire propter prolixitatem. Tunc unus Fratrum ait. Ego vobis dicam brevia verba, tam fructuosa, quod si ea servaveritis, in judicio generali animam meam qua a juventute Deo servivi, obligo pro anima vestra. At ille : Dicite (ait) et ego jurejurando protestor servare : Cui ille : Dixit Salvator in Evangelio : « Quodcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. » Et rursus per Tobiam Spiritus Sanctus ait : « Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. » Si hæc servaveris, procul dubio salvus eris. Cui dives : Repete (ait), Pater. Quod cum Frater fecisset, et ille didicisset, rogat ipsum Fratrem, ut ipsa breviter declararet. Et ille respondit : Hic est intellectus verborum istorum. Quod tu, ex quo es magnus dominus, velis, ut tui tibi essent fideles, te honorarent, tibique decenter servirent ; sic, cum Deus sit Dominus tuus, sis fidelis ipsum solum adorando, nomen illius honorando, ac illi saltem diebus festivis serviendo. Item ; si esses pater, desderares, quod filii tui honorarent te, tu quoque similiter facito erga Deum. Item nolles, quod quis te occideret, aut adulterium in domo tua committeret, aut bona tua, vel furaretur, vel falsum contra te ferret aliquis testimonium, aut concupisceret bona tua, vel uxorem ; sic tu debes facere, et si horum contrarium quandoque quis fecisset, velles, ut de hoc tibi satisfaceret. Ait dives : In veritate pauca ista verba profundam continent scientiam. Verumtamen, Deo favente, ea adimplere curabo. Interim vero cœpit hæc verba sollicite ruminare, et invenit, se in multis illis contraria egisse, nam quibusdam domos, quibusdam molendina, quibusdam possessiones in pignus diu tenuisse, plerisque injuriam, et verbera intulisse recogitabat. Proclamare igitur fecit, se omnibus, quibus debitor erat, satisfacturum. Denique cum tristaretur propter magnam temporalium bonorum diminutionem, ait suis militibus : Eamus recreationis ergo ad venandum. Unde orta tempestate et pluviarum abundantia, cum vacui redirent, vidit in via molendinum cujusdam pauperis a torrente dissipari, et everti, hominemque, cujus fuerat, insufficientem esse, ad eum reparandum, ait suis : Hoc est, quod ego promisi servaturum ; si enim essem talis pauper, optarem, ut potentior me adjuvaret. Unde resilientes milites de suis equis, trabes, et rotam in locum pristinum, jussu istius divitis reposuerunt. Rursus progredientes ulterius repererunt quemdam peregrinum pauperem, quem dum vidisset dominus, ait suis militibus : Hoc etiam est de illis, quod ego facere promisi. Si enim essem adeo pauper, optarem, ut aliquis mihi auxiliaretur, et humane reficeret. Dixit itaque pauperi : Sequere me, et bene tibi providebo de hospitio et victu. Cui pauper : Domine (ait) a

prædicatoribus audivi, quod Christus tale quid misericordiæ sibi deputat exhibitum, et ideo ita remunerat. Venientes pariter ad domum, et accepta manu pauperis dominus consorti suæ ait : En ego hospitem tibi adduxi, curam ergo istius habeto. At illa : In veritate, inquit, utilis est talis hospes, pro quo Christus se obligavit debitorem. Cumque laute pauperem hospitio excepisset, sero prope cubiculum suum illi pauperi lectum sumptuosum disposuit ; media autem nocte cœpit pauper sitire et dicere : Ex siti morior. Quod cum dominus audiisset, accepto gladio ait : Domina, quid est hoc? At illa : Auscultemus, domine, attente, et videamus quid sit. Quo facto advertunt pauperem dicentem : En, morior siti. Tunc ait dominus : Hoc etiam est, quod promisi servare, quod si ipse essem pauper, et nescirem, inter tot gradus quo transirem, vehementer desiderarem, quod aliquis mihi potum præstaret, potum igitur porrigam. Qui accepta camisia ivit ad cisternam pro accipienda aqua, et in illam ruit præceps. Mane autem facto, et recedente paupere, interrogare cœpit domina famulos suos de domino et marito suo, de quo unanimiter nihil scire responderunt. At illa : Ite (inquit) ad omnes Ecclesias et Monasteria inquirentes de illo, quia post beatum Fratrum adventum totaliter in alium virum (ut scitis) mutatus est. Quibus redeuntibus, nec enim invenientibus ait domina : Mittite anchoram in cisternam ne forte lapsus sit in illam, quia potum ferre pauperi iverat. Quo facto extraxerunt illum mortuum, et plangentibus omnibus, conspiciunt in collo illius circulum aureum, Angelicis manibus sic præparatum, quod nec extrahi posset, nec junctura illius ulla appareret ; sed scripturam hanc continebat : Nos Angeli prius animam istius duximus in cœlum, quam corpus fuisset infrigidatum in cisterna, quia in misericordiæ operibus vitam finivit. Quibus auditis et visis, uxor cum familia gaudio magno vocant Episcopum civitatis, et ille manibus circulum contrectans mirabatur, et protinus hoc miraculum insinuavit summo Pontifici, et diversis mundi potentibus. Tunc uxor flexis genibus ait : O misericors Domine Deus, gratias tibi ago, quod me tali viro sociasti, qui jam certe in tua tecum lætatur gloria, adjuva et me Domine Rex æternæ gloriæ, ut consors illius gloriæ effici merear. Quæ venditis omnibus Christo servivit devote. O igitur divina lex, quam brevis, et quam utilis! O lex Dei immaculata! O lex Christiania salutifera ; tu contineris in lege naturæ, tu es plena charitate, tu es donum Dei gratuitum, tu sola rectificas animas, et eas ducis ad gloriosam vitam æternam.

Serapion Sindonites, qui præter Sindonem nihil umquam induebat, cum quemdam accepisset exercitatorem, qui cum eo luderet, se in quadam urbe gentilibus vendidit histrionibus viginti nummis. Tamdiu autem permansit, et servivit mimis, qui eum emerant, donec eos fecit Christianos, et eos avulsit a theatro, præter panem et aquam nihil sumens, neque præ meditatione Scripturarum ore silens. Longo autem tempore primus compunctus est mimus, deinde mima, deinde universa eorum familia. Dictum est autem, quod, quo tempore eum ignorabant, lavabat pedes amborum. Ambo ergo baptizati a theatro recesserunt ; et cum ad vitam honestam et piam processissent, virum valde reverabantur. Ei itaque dicunt : Adesdum, Frater, nos te liberabimus, quandoquidem ipse nos liberasti a turpi servitute. Dicit ergo eis : Quandoquidem Deus est operatus, et salva facta est vestra anima, vobis dicam mysterium actus : Ego animæ vestræ misertus, cum essem liber exercitator, genere Ægyptius, ea de causa meipsum vendidi, ut vos servarem. Quoniam autem hoc fecit Deus, et per meam humilitatem salva evasit anima vestra, accipite aurum vestrum, ut etiam aliis opem feram. Illi autem cum multum rogassent, et affirmassent, dicendo : Te tamquam patrem, et dominum habebimus, solum mane nobiscum; non potuerunt ei persuadere. Tunc dicunt ei : Da aurum pauperibus, nam id nobis fuit causa salutis. Sed saltem post annum nos invisas, et sic ab iis abiit in Græciam, et cum venisset in loca Lacedæmonis, audivit quemdam ex primis civitatis esse Manichæum simul cum tota domo, alioqui virum bonum. Ei rursus se ipsum vendidit in primo actu. Et cum intra duos annos ipsum abduxisset ab hæresi, et ejus uxorem, adduxit eos ad Ecclesiam. Tunc eum amantes non amplius habebant tamquam servum, sed tamquam germanum fratrem, et patrem, et Deum laudabant. Daurolt. c. III, tit. III, ex. V.

S. Chrysostomus sic de seipso scribit : Vellem, si fieri posset, vestris oculis ostendere, quam in vos habeo charitatem. Nihil est enim mihi vobis jucundius, et desiderabi-

lius, ne hæc ipsa quidem lux. Millies enim optarem ipse esse cæcus, si per hoc liceret vestras animas convertere, adeo ipsa luce mihi est vestra salus jucundior. Quid enim me juvant solares radii, quando quæ propter vos accipitur animi ægritudo, oculis meis magnas offundit tenebras ? Lux enim tunc bona est, quando apparet in lætitia. Et paulo post : Implete gaudium meum, liceat vobis salutem assequi, me autem propter vos reddere rationem ; vobis dari salutem, me vero accusari, quod meum munus non impleverim. Non enim curo, ut per me salvi sitis, sed ut salvi sitis quacumque ratione. Homil. *in Acta*.

Charitate inter se contenderunt apud Antiochiam Theodora virgo, et quidam miles. Illa ob Christi confessionem ab infidelibus in prostibulum truditur; miles vero eam primus adiens, persuadet, ut mutatis secum vestimentis virili habitu evadens, virginitatem intactam conservet. Cumque ipse cum muliebri veste deprehensus pro virgine ad supplicium traheretur, non sustinuit illa, ut, cujus ope pudicitia tutata fuerat, ei necis causa fieret ; palam proclamat, se esse ei pœnæ addictam, non ipsum ; e contra ille, se judicis sententia damnatum, non illam. Diu certarunt, uterque alterum sua morte redimere cupientes. At vero, quoniam Christum confitentibus, mori, vivere non minus par erat, Deo disponente, ambo simul capitis obtruncatione gloriosum Martyrium peregerunt, ne eos tyrannus separaret, quos junxerat amor Christi. S. Ambr. l. II *de Virg. sub finem*. tom. IV.

Sanctum Pachomium adhuc et militem, et nullis dum fidei Mysteriis imbutum, nihil potius ad Christum adduxit, quam Christianorum charitas. Cum enim militibus Constantini Magni stipem et annonam, quæ eos defecerat, quærentibus, videret quosdam inter alios Pachomius, qui singulari benevolentiæ significatione milites in domos suas ultro invitarent, tamque liberaliter offerrent necessaria, et miratus rogaret : Ecquodnam id genus hominum, tam præter consuetum beneficum ? cumque Christianos esse intelligeret : Papæ ! inquit, non potest non optima esse illa religio, quæ ita ad charitatem instruit homines ; eam ergo complecti, quid vetabit ? Baronius, ad ann. 318.

Senes duo multis annis simul conversati, numquam inter se litem habuerunt ; dixit autem unus alteri : Faciamus et nos litem, sicut hospites faciunt. Cui alter : Nescio, qualiter fiat lis. Tum ille prior dixit : Ecce, pono in medio laterculum, et ego dico : Meum est hoc. Tu autem dic : Non, sed meum est; inde litis initium. Posuerunt ergo testam in medio sui, et dicit unus eorum : Meum est hoc. Et alter dixit : Non, sed meum est. Et ille respondit ei : Et meum tuum est, tolle ergo, et vade. Et discesserunt, nec contendere inter se potuerunt. *Vita PP.* l. III, n. 96.

Major charitas esse non potest, quam si quis ita affectus sit, ut ultro servire velit, ne alius serviat. Talis fuisse proditur Paulinus, Nolanus Antistes, qui ut viduæ filium redimeret, ipse in Africa diutissime servivit. Sabell. lib. III.

Bernardinus Senensis prima sanctitatis rudimenta per hæc apud cives deposuit suos ; cum enim Senæ Hetruscæ gravi pestilentia vastarentur, duodenis comitatus juvenibus, quos sibi ad ipsum opus delegerat, circumire ægrotantium domos, languentes et graviter affectos consolari, egestate laborantibus subvenire, sepelire defunctos, paratus omnes subire casus, quos tetra illa lues se temere ingerentibus importare potuisset. Ibid.

Dilectio conjugalis.

Conradus III Imperator Guelphum Bavariæ Ducem in aliqua urbium illius ita obsidione presserat, ut, cum diutius sustinere Imperatoris impetum se posse diffideret, deditionem offerret, si modo in conditiones paratus esset Cæsar ; verum irato vehementer Imperatori non alias concedi conditiones placuit, quam, ut nobilioribus Matronis urbe liceret liberis, sed peditibus excedere, et tantum, quantum humeris ac toto corpore pollerent, secum asportare. Accepta est ab obsessis conditio. Mulieres ergo maritos humeris aptare, illis tanquam pretiosissimis thesauris onustæ, ad urbis portas accurrere. Imperator ad tanti amoris spectaculum obstupefactus lacrymas non tenere, omnibus veniam, et libertatem donare, ac Ducem ipsum deinceps inter amicissimos habere. *Pædagog. Christ.* p. III, c. xxii: n. 2, § 9.

Elisabetha Bobadillia, Petri Ariæ uxor, diu precata virum, ut secum novas illas ignoti orbis in oras duceret, quum non impetraret, certa virum in tanta pericula hinc se non dimittere : Aut tecum, inquit, vehe aut jugu-

lum feri ; quam thori consortem habes, habeas et periculorum. Liberos ego, fortunas, domum, cognatos, affinesque, et quæcumque amare aut admirari mos est, viro post habeo, illi me, non domui nuptam credidi. Pervicit constantia et prima, opinor, Matronarum in Americam pietatis maritalis coloniam deduxit. Joan. Rho. *Var. Hist.* l. III, c. IV, n. 10.

Bertulphus Germanus magnæ nobilitatis in Palestinam peregre abiit, ubi captus est, et servituti addictus. Nuntiat id uxori Ansbertæ, in ea una spem libertatis suæ sitam, si ipsa veniret tyranno supplex. Obsequitur illa, sed ut novitas inexspectati adventus plus gratiæ haberet, litteras præmittit, quibus adventum suum desperare maritum jubet. At ipsa peregrini juvenis habitu Palæstinam ingressa, in vestibulo Regio, ceu fidicen peregrinus conspicitur, et auditur. Adducitur ad Regem seu Principem, quem suo cantu ita demulsit, ut in cœnam adscita, jussaque ludere, juberetur dein laute haberi. Post decem dies potestas ei fit, petendi, quod vellet. Illa captivum dari sibi liberum cupit. Accitus Bertulphus, dum mortem timet, liberatur, juvenemque, ut putabat, complexus, mille gratias illi egit. Tum patriam repetunt, et jam jam patriæ vicini erant cum fidicen simulat, se in pago aliquid negotii habere, prope diem adfore. Interim Bertulphus maximo civium plausu excipitur, qui convivio instructo rationem sui itineris reddit ; at hoc maxime queritur ab uxore se destitutum. Tum fuit, qui eam ausus est criminari, marito absente vitam voluptariam egisse, plus sex septemve menses domo abfuisse. Jamque iratus diras in eam minas jactabat, cum nuntiatur fidicen adesse ; cui ille assurgere, gratias agere, genus scire velle, ac nomen. Tum illa respondet, se facturam, si conjugem toties infidam coram sisteret ; sed nusquam repetitur, et ecce galero rejecto, et colore, quo se infecit, absterso, Ansberta apparet. Engelgr. *Tom.* 4 *post Pasch.* § 3.

Ferdinandus Gonzalez, Comes de Castillo, tenebatur captivus a Rege Legionensi in Hispania, et de capite periclitabatur ; uxor ejus Sanctia sub prætextu peregrinationis ad S. Jacobum in Galitia transiens, cum esset Regi cognata, impetravit, ut ad maritum in carcerem admitteretur. Admissa, cum marito vestes mutat, ipse in uxoris habitu evadit, illa in carcere in veste mariti manet. Detecta fabula, laudatque conjugis in maritum charitatem, maritus liber dimittitur. Cordier. p. I, c. III, § 2.

Agricola quidam, Lentiscolensis in Neapolitano Regno ortus, cum juxta mare agrum coleret, uxorque ab eo aliquantisper disjuncta, a piratis Mauris, qui in littus prædatum descenderant capta esset, statim ut uxorem non apparere trirememque piraticam haud longe anchorasjecisse conspexit, arbitratus, id quod erat, in ea uxorem esse, ad triremem statim adnatavit ; atque ejus gubernatore vocato, dixit se idcirco venisse, quod sequi uxorem statuerat. Minime barbarie illa territus nationis, fidei Christianæ inimicæ, neque ingenti miseria, qua remigio addicti laborant, omnium horum immemorem conjugalis amor eum fecerat. Quam rem cum Mauri non sine ingenti admiratione audivissent (permultos enim ejus regionis accolas viderant prius perpeti mortem, quam illam miseriam malle), atque eam postea per ordinem Tunetensi Regi narrassent tanta hominis charitate motus Rex et virum et uxorem liberos esse jussit, atque inter regiæ custodiæ milites virum adoptavit. B. Fulgent. l. IV.

Dilectio materna.

Latera pagus est in Mugello Etruriæ valle, ex quo maternæ in filios pietatis clarissimum ab hinc decennio lumen effulsit. Pestifer erat annus, et funeribus contagione vulgatis exhauriebantur domus, atque oppida ; nec vicis parcebat dira pestilentia, qua quum se correptam, ac non ita multo post morituram sentiret Elisabetha femina ætatis integræ, ac virtutis supra natalium fortunam, verita, ne tabidum cadaver maritum ac parvulos filios inficeret, vestes induit, supremoque conatu gressum ægre moliens, maritum admonet, infantibus prospiceret, ne casu ad cubile, in quo ipsa jacuerat, incauti adreperent ; se quidem ad medicam in viciniam abire mulierem ; nec plura. Egreditur casa, in qua animi partem meliorem non reditura relinquebat ; vix passus aliquot explicaverat, quum infantum minimus e fenestella prospectans, ad fratres versus, matrem abire nuntiat, simulque illam compellans : *Mamma*, inquit, vale. Perfodit tenerum cor nota infantis vox, ac matrem advertit, sed ille intro se rece-

perat, ne quid miseræ mœroris deesset. Ergo vix se moliens, ad vespillonum ædes adit, pulsatisque foribus evocatum, rogat per omnia divina et humana, ut sibi, quam posceret, operam navare vellent ; venisse se mortis certam, rogare opere quam maximo, ut, quoniam vix aliquid halitus superesset, vivam infoderent, ne cui tabifico noceret cadavere, ideo enim domo se abiisse, ne filiis ac viro pestem afflaret. Attoniti homines ad eam vocem, bene sperare jubent, si quid humanitus accidisset, se statim mortuæ humum injecturos, interim succederet tecto. Paruit monentibus Elisabetha, et illi paulo post mortuæ datam servarunt fidem, ac fossæ intulerunt, humumque composuere, Joan. Rho. *Var. Histor.* l. IV, c. IV, n. 12.

Dilectio filialis.

Senensem quemdam adolescentem nobili natum loco, nec tenui re familiari instructum, numquam adducere potuerunt amici, ut uxorem acciperet, veritum, ne ortis, ut fieri solet, dissidiis, mater minus quiete ageret. Neque hic pietatis finis fuit. Idem bonis exutus, quum ultima laboraret inopia, gossipium vendere sustinuit, ut matrem aleret ; idem, ne anus grandæva forte offensaret, perdiu domo pedem non extulit. Idem, cum extruendo foco vires non suppeterent frigentis anus pedes proprio excipiens sinu tamdiu calefaciebat, donec illa jam somno correpta, ipse etiam se ad quietem componeret. Hoc tanta pietate diu exercitum ad æterni Patris agnitionem fidei lumen evexit ; quod ut vidit, dolere cœpit, se, qui minoris pietatis numeros omnes explevisse sibi videbatur, eam, quæ adversus Deum est tamdiu ignorare. Joan. Rho. *Var. Hist*, l. IV, c. I, n. 4.

Ejectis fatales inter bellorum tumultus, quibus proxime elapso sæculo Italia quassata est, avitis ditionibus, Sabaudiæ Duci Carolo Philibertus filius erat, qui Caroli V, partes ac signa secutus, in spes omnino magnas armis insuescebat, ac recuperaturus paternam ditionem haud dubie videbatur. Sensit hoc Franciscus Gallorum Rex, atque regnandi fessus, ut bellorum incerta præsenti redimeret liberalitate, optionem Philiberto defert, interprete Comite Brisachio, se, quæ armis occupaverat, sponte traditurum, modo levissima quapiam significatione Gallicum imperium vellet agnoscere. In ea rerum desperatione haud aspernanda Principi videbatur conditio, statim imperaturo, cui vel in pace agenti lenta parentis fata essent expectanda. Ille tamen respondit, superesse Patrem, et Carolum Quintum, a quorum altero hujus lucis usuram, ab altero fortunæ principalis ornamenta accepisset. Itaque illis inconsultis Regis liberalitatem admittere sui non esse pudoris ac pietatis. Hoc ille animo viam aperuisse videtur victoriæ, qua non ita multo post ditionem omnem gloriosissime recepit. Ibid.

Adolescens quidam Paraquarianus matrem adhuc in sylvis veteri more agitantem mori, quum videret, dolebat maxime sacris undis inexpiatam, æternisque ea propter mactandam incendiis obire. Quid ageret ? Nullus in ea solitudine vicinus pagus ex iis, quos nostri ibi Patres tradendis humanis, Christianisque legibus moliuntur, unde Sacerdos evocatus in tempore adesse posset. Non tulit moras pietas ; matrem exilem jam animam trahentem arundinea in corbe, quam mollissime potest, componit, eamque in humeros sublatam per aliquot leucas ad Sacerdotem deferre incipit, haud satis validus ipse, fractis insuper valetudine viribus. Ergo haud multum confecerat viæ, quum pio sub onere deficiens matrem deponit, ac mœstissime assidet. Verum hanc tantam pietatem ille quidem, qui indiderat Deus, haud irritam spei esse passus est. Idem enim iter ingressus Sacerdos alterius expiandi causa, cum aliquot indigenarum comitatu, eos offendit humi abjectos, ac desperatione torpentes. Illico bene sperare jubet adolescentem atque anum, quam filius utcumque Christianis rudimentis instituerat, quantum temporis angustiæ ferebant, interrogatam, annuentemque abluit, atque a comitibus in pagum deferri jubet. Ibidem n. 7.

Puella quædam sexdecim annos nata per medias hostium Hugonotarum acies virili animo transiens, cum patrem occisum putaret, sola eam arcem petiit, in qua aliis super alia jactis cadaveribus multis audacter evolutis, ægre patrem invenit, confossum quidem multis vulneribus, sed tum leniter spirantem adhuc ; humeris ergo impositum, spectante hoste, domum tulit, neque solum vitæ, sed etiam sanitati restituit. Drexelius in *Noemo* c. XII, § 1, causa 1.

Hieronymus Tarellus cum invito parente Capuccinum induisset, et deposito extra pa-

triam tyrocinio constantiam solemnibus votis firmasset, jussus forum Julii reverti, ut patrem irarum adhuc plenum placaret, se veteranis parem probavit. Ut primum horrida illa in veste patrem convenit, tantum illi ipso invisi habitus aspectu stomachi movit, ut ingenti colapho ab homine iræ impotentissimo ad terram affigeretur; sed egregius adolescens, patris pedes incredibili modestia osculatus, ita flexit, ut illico mutatus in amplexus rueret, atque amantissime illum oscularetur. Novum inde litis genus parente domum invitante, filio pauperum xenodochium præhabente, ex quo paupertatis amans extrahi, ac paternas in ædes migrare numquam passus est. Mox valetudine occupatus, conclamatusque a medicis testamenti tabulas novi generis, solidæque adversus parentem pietatis conficit, illumque eorum quæ ipse cumque apud Deum meruisset (sancte precatus, ut ea rata esset voluntas) hæredem instituit, simulque obsecrat, nihil ultra rogaturus, ut, quod reliquum esset vitæ, ad Christianæ sanctitatis amussim exigat, nihil se patri amplius præstare posse. Perculit filii morientis pietas hominis animum, eamque post illius excessum vitam instituit, cujus filium, si viveret, non pœniteret. Joan. Rho. *Var. Hist.* l. IV, c. iv, n. 19.

Garziæ Gonsalvi patrem ceperant Mauri, duraque, ut illis barbaris moris est, servitute fatigabant; angi ad hæc Garzias, utque parentem illa ærumna liberaret multa secum comminisci; expeditissima demum via illi visa commutatio, si se validiorem utique viribus ad diutius serviturum barbaro loco patris addiceret, ingentem pietatis cogitationem impetu valido executus, patrem liberat, ipse vero servit, redditque propemodum, quod acceperat, nam vitæ ac libertatis modicum admodum discrimen est. Cogitasse atque etiam patrasse tam arduæ pietatis opus satis Deo visum; nam haud ita multo post ipse fuga evasit, non sine præsenti Dei numine, ac magnæ Deiparæ ope. Ibidem n. 5, ex nostr.

Rex quidam Indus, cum videret, se filiis natu majoribus jam rerum potitis, gravem esse, cum conjuge et filio natu minimo apud exteros auxilium et quietem reperturus alio migrat, in via ambo conjuges moriuntur; filius cum sepelire non posset, nec tamen vellet vel mortuos deferre, mortuos cremat, et cineres capiti suo includit, frontique cultro apertæ cineres inserens, capite suo pro sepulchro est usus. Placuit Jovi pietas, qui eam videbat, et hominem in alaudam seu galeritam mutavit, quæ adhuc in capite cristam erectam gerit, ceu vulneris in fronte facti vestigium. Cordier. p. III, c. iii, 2.

Dilectio fraterna.

Annus superioris sæculi quintus supra octogesimum primus opinor vidit eo se fraternam pietatem attollere, ut altiori eam stetisse fastigio nulla retro ætas memoret, nulla forte visura sit. Navigantes in Indiam Ximenios fratres, Gasparem et Ferdinandum, immanibus quassata fluctibus et lacera navis, cui a S. Paulo nomen, medio in Oceano destituit, cum reliquis vectoribus. Desiliere plerique in lembum, qui onerariis semper adest, ut quasi humilius navigantes, minores iras moverent Oceano; sed tanta vis mortalium jam erat, ut lembus haud dubie, vel placido mari, esset absorbendus, nisi jactu corporum exoneraretur. In hac tanta desperatione sortes jaci placuit, et quos perire Deo visum esset, illi vel sponte desilirent in fluctus, vel ab aliis jacerentur; attonitis omnibus capitique suo timentibus, feralis designatio Gasparem Ximenium morti destinat; nec ille abnuebat, sed objecit se Ferdinandus natu minor, vociferans enim vero, non passurum se, ut Gaspar spargeretur in fluctus, si exonerato navigio sit opus, vicarium se caput suum offerre. Contra Gaspar sibi perire sorte datum, viveret ipse diutius, qui tardius incœpisset, sed frustra felicior eloquentia Ferdinandus fuit, persuasitque reliquis omnibus, ut sortis errorem corrigerent, seque Oceano dederent victimam publicæ salutis. Itaque magna omnium comploratione, quibus necessitas crudelitatem lacrymis excusabat, in undas abjicitur, 360 a terra passuum millibus. Haud passus est Deus tantam virtutem Oceano hauriri, suffecitque valido adolescenti vires, ut diem pene totum natatu se sustentaret, lembum non longe consequeretur. Tunc vero pudor navigantibus obortus, et unius corpusculi pondus levioris momenti visum, quam ut naufragium eo addito timerent. Itaque inhibito cursu adnatantem læti excipiunt, securaque exinde usi navigatione, quasi virtutem Oceano ipso ac morte majorem veherent. Joan. Rho. l. IV, c. iv, *Variarum hist.* n. 15.

Margaritam Anna mater elegerat, ut uxorem Philippo Tertio daret; nam id Philippus II, illius permiserat arbitrio. Quanta res agebatur tot gentibus, populisque Reginam dare? Admonita suæ fortunæ Margarita major fuit, quam ut eam pietati præhaberet. Itaque multis cum lacrymis ad matrem adit obnixeque rogat, ut regias ad Philippi nuptias, ac magnæ orbis partis imperium sororem natu majorem eligat, id jura naturæ ferre, ut quæ prior lucem viderat, imperaret. Sed vicit matris voluntas, sicque sorori prælata Philippo cessit. Joan. Rho. *Var. Hist.* l. IV, c. iv, n. 15.

Luita, Gothorum Rex in Hispania, secundo regni sui anno Leonegildum fratrem, hæredem ac successorem regni constituit, et aliquod tempus ante obitum, servata sibi tantum Narbonensi provincia, reliquas regni partes ei cessit. Bapt. Fulgent. lib. V.

Ramirus adeo amans fratris sui Garsiæ fuit, ut ipsum, cum Hispaniæ regno jam ex parte de Arabum manibus recepto, eo ut primogenitus antelatus fuisset, sponte sua regni socium ascivit, cum plus apud eum regni in communicatione fraternus amor quam ambitio posset, quæ non fratris modo sed parentis quoque ac filiorum extinguere charitatem solet. Ibidem.

Dilectio servilis.

Mauritius Saxoniæ Dux in quadam hostili velitatione ab hoste ex equo dejectus est, quem ut servaret quidam ejus servus, eum corpore suo protexit, ac omnia vulnera in se et calces hominum et equorum excepit, neque se movit. Mauritius servi sanguine perfusus, nullum vulnus accepit; at servus relatus ad tentorium paulo post expiravit. Cordier. p. IV, c. vi.

Cum Remoaldus, filius Longobardorum Regis, Beneventi obsideretur ab Imperatore Constantino II, impio hæretico, qui volebat omnes Principes suos errores sectari; videns Remoaldus se premi sine spe pacis conciliandæ per honestas conditiones, servum ad patrem Grimoaldum ablegat qui nuntiet, se, nisi succurrat, tueri urbem non posse. Servus reversus cum litteris, quibus auxilium propediem promittebatur, in manus hostium incidit: ubi Imperator intelligit solvendam sibi obsidionem esse, jubet, si mori nolit, servum ad urbis obsessæ fossam accedere, ac hero suo nuntiare, nihil a patre opis expectandum; dederet se, quibus conditionibus posset. Servus evocato hero suo aperte dicit: Auxilia in vicino esse, tantisper obsidionem ferret. Plura dicerem, inquit, sed cingor ab hostibus, qui jam nunc me vera tibi elocutum in frusta concident. Commendo tibi conjugem ac liberos meos. Quo dicto illico fuit omni ex parte confossus. Cordier. p. IV, c. vii, § 1.

Cum in Reatinam Villam milites adventare servus Urbini Panopionis proscripti vidisset, ut herum occiderent, ipse statim mutata cum hero veste, ac annulo, illum postico clam emisit; se autem in cubiculum ac lectulum heri recepit, et ut Panopionem occidi passus est. Val. Max. l. VI, c. viii.

Codrus, Rex Atheniensis, vastata ab hostibus Attica, ubi ab Oraculo Delphico intellexit per Legatos, tum finem bello fore, si ipse hostili manu occidisset, idque non Athenis tantum, sed etiam hostium castris esset vulgatum, in quibus ideo edictum fuit, ne quis Codrum vulneraret. Ipse depositis insignibus Imperii, familiarem cultum induit, et hostium palantium globo se objecit, unumque ex his falce percussum in cædem suam compulit. Cujus interitu Athenæ servatæ sunt. Val. Max. l. V, c. vi.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius religiose morem illum retinuit, ut nulli malum pro malo redderet, sed vinceret in bono malum et malefacta benefactis non tantum exæquaret, sed etiam obrueret. De aliis numquam detraxit; detrahentibus aures numquam patefecit. Alienorum vitia, non modo ipse in colloquiis non protraxit, sed ne ab aliis protraherentur, sedulo cavit. Per triginta et amplius annos neminem umquam verbo contumelioso, aut mordaci læsit. Errata domesticorum miro silentio tegebat, et si forte aperire necesse esset, non pluribus quam opus erat, aperiebat. Vita. l. V, c. ii et vi.

S. Franciscus Xaverius summe charitatem proximi verbo et exemplo commendabat; hinc dicere solebat: Quid aliud est societas Jesu, quam societas amoris et concordiæ? L. II Ep.

P. Jacobus Laynes in Castris nosocomio præfectus sua ipse manu pharmaca præparabat, porrigebatque, unguenta oblinebat,

cibos in os ægris inferebat, lintea purgabat, noctu excubabat. *Hist. Soc.* p. I, l. X, n. 9.

P. Petrus Faber aiebat, experientia et scriptura constare, quo quis in proximos benignior fuerit, eo largiorem ei concurrere solitam misericordiam Dei, etiam ultro sine precibus ; et hujus charitatis defectu evenire, cur nullam in precibus delectationem sentiamus, ejusque onera misericordiæ spiritualia præparare ad spirituales consolationes. Ipse omni studio excludebat, quidquid minuere opinionem de aliis posset vel conjunctionem dirimere, in quam rem crebras preces et sacrificia offerebat, vocabat autem illas cogitationes, frigora quædam malevolorum dæmonum, valdeque ad nitendum censebat, ne nos a charitate aliorum perspecta eorum vitia avocent, unde et spes eorum salutis infringi solet ; neque vero has cogitationes censebat fuga vinci, sed accessu potius ad eos, erga quos quocumque modo aversionem sentimus ; sic enim Christum Dominum post suam etiam mortem hasta transfixum in eum, qui transfixerat, cruorem effudisse, ut ad illum vel hoc modo accederet. Vita l. II, c. XV.

Primi Patres ipsi in magna egestate Romæ, 1538, in summa annonæ caritate, pauperes e plateis in suam domum deportant, cibo, igne, veste, lecto, juvant, sic 400 mendicis subvenerunt. Asp. I, l. II, n. 45.

P. Simeon, S. P. N. Ignatii confessarius, jam senex, ita diligebat fratres, ut vel ignotos sibi vel primum societatem ingressos accederet, et ab eis, qui vocarentur, peteret, quorum omnium nomina memoria notans, quemlibet singillatim in *Memento* Deo commendabat. Unde longissimus erat in *Memento*, tolerabatur tamen, quia privatim celebrabat. Ex l. Ingolst. *missæ* I, 5.

P. Joannes Nunnius cum socio medicinæ artem addiscebat, tantum ideo ut ægrotis captivis mederi posset, quod et fecit ; et si quos magis ægrotos invenit, in suam domum tulit. Idem, si qui ex captivis ob morbos suis dominis laborare non poterant, ipsorum vices per se persolvebat. Sæpe noctu collectas in ergastulis captivorum sordes exportabat. *Hist. Soc.* lib. X, c. CXV.

P. Joannes Piscator, Rector Novitiatus Romani, cum nihil in promptu haberet, quod mendicantibus daret, suas sæpe vestes detraxit et donavit. Item Nunnius Ribertus fecit, ita ut ipse pene nudus esset. *Vita B. Aug. Hist. Soc.*

P. Nicolaus Stafeldius, Brunsbergensis Collegii Rector, cum febris totum pene collegium invasisset, pro omnibus se Deo victimam obtulit, ratumque habuit Deus, mortuus est ille febre solus, loco omnium. *An. Lith. an. Ern.* 1612.

Joan. Antonius Hock abjectissimæ conditionis homines maxime curabat, dicens se curare ipsa Dei membra, ei quam conjunctissima et charissima, ideoque se eorum consuetudine mirifice delectari. *An. Flan.* coll. *Jun.* 1614.

Angelopoli, Indus puer tabifico viperæ morsu secundum crus ita intumuerat, ut fœde purulenta sanies utrinque diffluueret, tantumque fœtorem diffunderet, ut etiam maxime exercitati in hac re præ fœtore accedere non potuerunt. Sed Franc. a Villa Regali non solum accedebat, sed et sorbitiunculas ori ingerebat, lectum sternebat, cicatricem fœtentem obligabat, purulentas fascias lavabat, imo putridam cicatricem singulis diebus egregius sui victor lambebat. *Anni. Mexic.* 509.

P. Ludov. Riverius nullum unquam vel levissime offendit, nulli ne nutu quidem repugnavit, annis septemdecim eloquentiæ Professor. *Prov. Franc.* 1608.

P. Didacus Garzia, Vice Provincialis, volebat se captivum dare Barbaris, pro capto ab illis P. Melchiore Hurtado. *Provin. Phil.* col. 1604.

Joannes Busæus, Provincialis Rheni, neminem umquam acerbius appellavit, aut perstrinxit. Idem observavit P. Constantinus Pulcharelius, P. Odoardus Carveria. *An.* 1611 Magunt. *Prov. Lusit. Bracana* I, 14.

Antonius Criminalis in itineribus socios ferendis sarcinulis sublevabat, in occurrentibus fluviis primus vadum tentabat, comitesque imbecilliores humeris impositos trajiciebat, in hospitiis viisque et servi et patris obibat partes. *Hist. Soc.* p. I, l. IX, n. 116.

Alvarus Mendius, Megostani in Arabia 150 ex iis, qui ab Armuzia Turcarum metu profugerant, conquisita stipe sustentabat. *Hist. Soc.* p. I, 12, 123.

Andreas Consalvus, Paschalis Catalaunus, et Alphonsus Lopius, 1555, facto naufragio fame pereunt, ne deserant turbam naufragorum. Ib. l. XV, n. 124.

P. Dominicus dicebat, remedium contra aversionem esse, osculari vestigia illius, erga quem sentis aversionem. Ex lib. Ingolst. I, 13, 9, 16.

Anno 1548, Patres et totidem Fratres in Indiam navigantes, quidquid ipsis ad tam longæ et periculosæ navigationis viaticum datum fuerat, id illi totum cum egenis communicarunt. Et compensavit Deus hanc liberalitatem aliorum in ipsos liberalitate. *Hist. Soc.* p. I, lib. V, n. 102.

Ægrotabat Avenione coadjutor, cumque de ejus salute medici plane desperassent, monuerunt Rectorem, ne frustra sumptus in ægrotum faceret; at P. Rector neutiquam acquiescens, jussit medicos, quidquid ad sanandum ægrotum opus foret, præscribere; ita ingentis sumptus media adhibita sunt, ægerque sanatus, obstupescentibus medicis insignem superiorum erga suos charitatem. *Ann. Lug.* 1594.

Cœlitii rescivit noster, antrum quoddam esse, fœtore teterrimo plenum, ubi homines aliquot peste affecti, sine auxilio jacerent; nemo illuc ingredi ausus erat, sed noster ardens charitate, solus illud intrat, reperit magnam sexus utriusque vim, alios super alios animam agentes, omnes confessione expiat, itaque moriuntur. *Ann. Belg.* 1597.

Cum Augustæ graviter ægrotaret P. Paulus Hoffeus, P. Joannes Kastellus Anglus ad ædem Salvatoris ad octo millia passuum profectus, pro tam caro capite ipse suum devovit, sedulo Deum precatus, votum ut hoc suum ratum haberet, et habuit Deus. Simul enim domum venit, decubuit et occubuit; surrexit alter jam conclamatus, pro quo hostia piacularis erat ille, ovis pro pastore. *Ann. Ingolst.* 1609.

Joannes Berchkman magna unumquemque affabilitatis dulcedine gratiaque alloquebatur; numquam auditus per jocum illudere ulli aut irridere, numquam effervescere contra aliquem. Obvios in plateis licet ignotos affabilissime salutabat; causam hujus rei interrogatus: Quia, inquit, fratres mei sunt. Quotidie ægros visitabat promiscue, eos tamen solabatur diutius, qui rarius ab aliis viserentur. Quoties obsequium ab alio posceretur, vix pronuntiatis verbis, promptus hac similive forma respondit: Effectum dabo, mi pater, et lubens. Unde perfugium erat omnium, quoties quis in aliquo officio impeditus erat, vicem ei suam demandaret. P. II, ult. pag. 93.

Julianus Sena adolescens vel umbram detractionis horrebat; unde si quando in circulo loquentium staret, et aliquid contra sociorum existimationem quamvis modicum dici audiret, illico rubore suffusus ex circumstantium corona se subducebat. *An. Sardin.* coll. *Cotarit.* 1615.

P. Vincentius Caraffa in Adversariis suis hoc syngraphum reliquit: Deum adamabo propter se, et propter ipsum vivis ejus imaginibus inserviam. Cor tradam ipsi, manumque proximo, ut divino pectori eum admoveam. Idem crebro nostris inculcabat, duas esse charitatis sorores, mansuetudinem et patientiam, quas ejus latera semper claudere oporteret. Loc. cit. *Vitæ* l. II, c. VII.

P. Petrus Cottonus Gallus adeo plenus erat suavissimæ charitatis, ut Henricus Magnus, Galliarum Rex, dictitaret: Cottonus de nemine male censet, et nemini unquam succenset. Mirifice dissimulabat, excusabat, tegebat, si quid perperam ab aliquo factum audiret. NADASI, *in an. mem.* 19 *Mart.*

Simon de Espalza, Coadjutor Hispanus, petiit per B. V. a Deo sibi impetrari, ut in morientis locum substitueretur, illo in vita retento, se enim Collegio vix aliquid, illum autem longe plus posse prodesse. Et vero æger ille confestim respiravit, ac sensim convaluit; Simonem vero intra triduum idem morbus, qui alterum deserebat, corripuit, et extinxit, ceu succedaneam victimam humilitatis et charitatis. Ibid. II *Junii.*

P. Joannes Collignon Gallus sub mortem se increpitans, latronem se divinæ gloriæ vocitabat, querebaturque, quod in lectulo domi, non foris inter pestiferorum turbam defungeretur charitate, simul et vita; quod illi decus in desiderio fuit, ut ea tabe laborantibus undecies ipse caput addixerit, servieritque assiduitate plane heroicæ charitatis. Obiit Mussiponti, 1 Augusti an. 1633. Ibid. 1 *August.*

Plura in hoc genere exempla nostrorum videri possunt in Tomis integris, quibus titulus: Mortes illustres et Victimæ Charitatis, præfigitur.

EXEMPLA PROFANA.

Alexander Magnus urgente Matre Olympiade, ut insontem occidere: Aliam, inquit, a me mercedem postula, hominis vita nullo beneficio compensatur. PLUTARC.

Marcus Antonius, parcens rebellibus, in senatu dixit: Utinam possem multos etiam ab inferis excitare. STAPL. th. III *in Dom. post. Pent.*

Cum Orestes et Pilades in regione Taurica a Rege comprehensi fuissent, quod simulacrum Palladis auferre voluissent, sed postea re melius examinata Orestes solus furti reus compertus, ideoque damnatus ad mortem fuisset, Pilades se Orestem esse dixit, ut pro socio interficeretur, Orestes vero se esse Orestem fatebatur, ne socius periret. Ibid.

Damon et Pythias Pythagoræi condiscipuli, arctissima inter se amicitia usque adeo coaluerunt, ut, cum Damon ad mortem damnatus fuisset a Dionysio Rege, sed prius ut res domesticas componere liceret, rogasset, Pythias se interea vadem offerre non dubitaret. Cum vero hora morti destinata adveniente, stultitiæ ipsum ob temerariam sponsionem damnaret, respondit Pythias, non dubitare se, quin amicus ad destinatum tempus adfuturus esset, uti et factum. Ibid.

Nisus et Euryalus Æneæ socii, adeo se diligebant, ut, cum Euryalum Rutuli peremissent, Nisus prius socii mortem ulturus ad periculum, quod jam evaserat, redierit, sumptaque vindicta seipsum confoderit, et super mortui Euryali corpus exanimem se projecerit. Virgil. lib. IX.

SIMILITUDINES.

Natura. — Sicut ii, qui insaniunt, ac phrenesim patiuntur, etiam quando sibi ipsis injurias grandes inferunt, corpus lacerant, etc. adhuc tamen rident, non tamen perinde etiam nos ridemus, sed commiseratione potius erga illos movemur; ita peccatores, hæretici et omnes hostes, dum quasi insaniunt, et sic animam suam graviter lædunt, licet ipsi rideant, nos tamen potius iisdem compati debemus.

Sicut margaritæ manibus cum incuria tractatæ splendorem amittunt et flavescunt; atque si in aceto ponantur, omnino dissolvuntur; ita unio fraternæ charitatis suam præstantiam amittit, si negligenter tractetur, et exerceatur. Lud. de Ponte p. III, tr. VII.

Sicut vitæ animalis argumentum est motus membrorum, sic vitæ spiritualis certum indicium est amor erga proximum, et opera charitatis in illum. Hinc D. Joannes, I, c. XIII ait: Translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres. Contra sicut mortis aut valetudinis desperatæ argumentum est stupor membrorum, et cessatio motus; sic extinctæ gratiæ clarum indicium est, non affici erga proximum, et ab ejus dilectione cessare. Unde iterum D. Joannes: Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necesse habere et clauserit viscera ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Staplet. *Dom.* 12 *post Pent.* text. IV.

Sicut si mel diligis, diligis et receptaculum mellis; ita qui diligit Deum, debet et proximum, velut receptaculum divinæ bonitatis, diligere. Idem, them. IV.

Sicut ignis in sua sphæra lignis opus non habet ad sui conservationem, at iste sublunaris ignis sine pabulo mox deficit; ita in hac vita sine operibus charitatis non vivitur, et ubi ipsa non sunt, ibi nec charitas est. Rodriq. p. I, tr. IV, c. VII.

Sicut aqua, quanto altiori de loco descendit, tanto ad plura irriganda trahi potest; ita si dilectio in Deo fundetur, ad proximum copiosissime irrigandum inclinari facile potest. *Summa præd.* v. *dilect.*

Sicut cibus positus ante inferioris conditionis homines cito aufertur, ita, ut dignioribus vix quidquam obveniat; si vero ante Regem ponatur, omnibus convivis pro mensura dignitatis ordinate distribuitur; ita dilectio, quæ cibus animæ delicatus est, si inter vanos et vanitates ponatur, dignioribus, id est, Deo et Sanctis nihil reservatur, si vero positus ante Deum, ordinate, et secundum dignitatem distribuetur. Ibidem.

Sicut sol prius montes, deinde primum valles irradiat; ita dilectio primum in Deum, deinde in alios sibi magis propinquos, et tunc primum in remotissima subjecta fertur. Ibidem.

Sicut lumen candelæ a parvo vento extinguitur, magnus vero ignis plus inflammatur, et crescit; ita exigua charitas modica adversitate corrumpitur, magna vero majus ex tribulationibus incrementum capit. Ibid.

Utilitas. — Sicut plures sagittæ in unum fasciculum colligatæ frangi non possunt, seorsim vero sine difficultate franguntur; ita et communitas aliqua tamdiu adversus hostes suos invicta manebit, quamdiu illius membra intra se unita sunt per vinculum charitatis; facile autem dissolvetur, si quivis secundum propriam voluntatem vivat, et proprium commodum quærat. Scilurus *Rex.*

Sicut quandoque ægros, quos fortis pigmentorum potio curare non valuit, ad salu-

tem pristinam tepens aqua revocavit; ita nonnunquam, qui inter flagellorum duritiam manent incorrecti, dulci sunt admonitione admonendi; nam plerumque, quos cruciamenta non corrigunt, ab iniquis actibus lenia blandimenta compescunt. S. Greg. in *Past.* c. xxxviii.

Sicut calor naturalis vestimenta illi imposita calefacit, et vestimenta vicissim calorem naturalem fovent, et perficiunt; sic ignis amoris divini ad proximum amandum cor accendit, et ipse amor proximi hunc postea ignem fovet, atque adauget. Staplet. *Dom.* 12 *pent.* the. iv.

Sicut qui de fonte bibit, aut ex sole videt, non fonti aut soli quidquam, sed sibi ipsi multum contulit; ita amor proximi non tam ipsi proximo, quam nobis est utilis. Idem, *Dom.* 12 *post Pent.* them. iii.

Necessitas. — Sicut, si frater noster vulnus habet in corpore, quod occultum velit, eo quod secari timeat, crudeles censeremur, si sileremus, misericordes vero, si indicaremus; ita multo magis misericordes censeri debemus, si vulnus mentis, ne in corde deterius putrescat, aperiamus. S. Aug. *de Comm. vita.*

Sicut in ædificio lapis lapidem portat, et, si onus detractaret, omnia corruerent; ita in spirituali ædificio Ecclesiæ, aut Communionis, damnum non leve timendum erit, si illius membra se mutuo per charitatem portare renuant. S. Greg. hom. iii, l. II *in Ez.*

Sicut qui palatium vult construere, primo studet supra petram vel stabile solum fundamenta locare, et postea demum reliquas partes superstruit; ita qui in quacumque congregatione absque detrimento et scandalo vivere cupit, prius veræ charitatis fundamentum jaciat oportet. Budæus *in loc. simul.* v. *dilectio.*

Sicut causa aquæ influentis in navem est vel tabularum hiatus, aut non satis arcta compactio, ita et causa interitus communitatum plerumque est non satis stricta subditorum cum suo capite et inter semet per vinculum charitatis connexio. Rodriq. p. I, tr. IV, c. ii.

Dignitas. — Sicut, licet aureæ sunt vestes, et calceamenta aurea, aliud tamen requirimus, ut Regem agnoscamus; purpuram autem et diadema ubi primum intuemur, jam regiæ majestatis nullum aliud signum expectamus; ita sane, cui diadema charitatis incumbit, jam nihil obstat, quominus verus Christi discipulus existimari possit; in hoc enim cognoscent, quod discipuli mei estis, si dilexeritis invicem, inquit Christus. S. Chrys. in xxxii *in* I *Cor.*

ALIÆ SIMILITUDINES.

Sicut nos ipsos una cum omnibus defectibus nostris amare consuevimus, quia tametsi iracundi, ignorantes, deformes, pauperes, et infirmi simus, propter hoc tamen proprium erga nos ipsos amorem non amittimus; eodem quoque modo justum est, ut proximos nostros cum omnibus defectibus eorum diligamus, solam in illis naturæ similitudinem et relationem, nec non divini præcepti reverentiam et observantiam considerantes. Mansi, tr. V, disc. ix, n. 7.

Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Hinc, 1. Sicut unum membrum timet separari ab alio; sic nihil debet tam formidare Christianus, quam separari a Christi corpore. 2. Sicut, si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; ita quivis homo proximo suo compati debet. 3. Sicut membra infirmiora abundantius honorantur; sic et nos non debemus eos despicere, qui infirmi videntur. Instruimur quoque in hoc, quod, si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, sive, si glorietur unum membrum, gaudent cætera; sic fideles debent gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. 4. Sicut membra ad invicem serviunt; nam oculus non videt pro se solo, sed pro toto corpore; auris non sibi soli audit, nec pes sibi soli ambulat, sed toti corpori; eodem modo, ut debito reciprocæ dilectionis, quo obstringimur, perfecte satisfaciamus, bona nostra tam spiritualia, quam temporalia in beneficium commune totius communitatis, in qua vivimus, communicare debemus. Ad quod efficacius persuadendum, idem B. Laurentius per eamdem corporis similitudinem aliud quoddam motivum his verbis adducit: Eodem modo provocamur, cum videmus, quod cibum, quem os recipit, aliis membris communicat; ita et fideles facere debent. 5. Sicut, quando pars una corporis offenditur ab alia, nequaquam de parte offendente vindictam sumit, id quod B. Laurentius

Justinianus optime hisce verbis notat : Similiter, cum unum membrum ab alio læditur, non se vindicat, sic debet esse inter fideles, nulli malum pro malo reddentes ; » sic enim Apostolus nos monet. Et iterum : « Charitate fraternitatis invicem diligentes, » et paulo post : « Benedicite persequentibus vos, et nolite maledicere. » 6. Sicut unum membrum læsioni se exponit pro alio, sic nos agere debemus, imitantes Dominum Jesum Christum, qui passioni se exposuit, ictum, quem genus humanum meruerat, super se excipiens. 7. Sicut unum membrum reputat sibi fieri, quod fit alteri, sive bonum sive malum ; sic nos, quod aliis irrogatur, nobis fieri existimare debemus. Unde ipse Dominus Jesus, Ecclesiæ Caput, dicit : « Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. » 8. Sicut unum membrum non invidet alio membro, licet non habeat idem officium, non omnia namque eumdem actum habent membra, nec tamen sibi invicem invident ; sic nec debet aliquis invidere proximo suo habenti gratiam, quam ipse non habet. Ib. disc. v, n. 10.

Necessitas. — Sicut spiritus humanus ad hoc, ut vitam det corpori, requirit conjunctionem membrorum, qui si membra sunt divisa, scilicet caput seorsum, et manus et pedes, et sic de aliis, spiritus recedit, nec remanet cum aliquo membro diviso ; ita etiam est de Spiritu Sancto. Unde legimus in Ps. cxxxii. « Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum ! Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in sæculum. » S. Vinc. Ferr. ser. *de Pent.*

Sicut avis duabus alis potest volare in cœlum, quare? Quia nec sola dilectio Dei sine dilectione proximi, nec sola dilectio proximi sine dilectione Dei valet ad æternam beatitudinem.

MOTIVA.

Exemplum Christi, qui sic dilexit quemvis hominem, ut pro eo sanguinem et animam poneret. S. Laur. Just. *de Lign. Vit.* c. xv.

Exemplum Angelorum, de quo S. Laur. Just. ait : Sollicitudo quoque Angelicæ custodiæ nos provocat ad amandum proximum. Non est ab homine despiciendus homo, qui adeo Angelis carus est.

Exemplum Sanctorum, de quibus idem Sanctus ait : Tanta vis in illa cœlesti pace illos satiat, ut quod in se quisque non accipit, hoc se accepisse in altero exultet. Ibid. c. vii.

Mandatum Christi, et quidem, cum valediceret, datum. Joan. xv. Mandatum novum do vobis etc., in hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

Fraternitas ; nam fratres sumus non tantum natura, sed etiam gratia, teste Christo Matth. xxiii, et patrem nolite vocare super terram ; unus est enim Pater vester, qui in cœlis est ; atqui, teste S. Ambrosio, major est fraternitas Christi quam sanguinis ; sanguinis enim fraternitas similitudinem corporis refert, Christi autem fraternitas unanimitatem cordis animæque demonstrat, sicut scriptum est, multitudinis credentium erat cor unum, et ainma una. S. Ambr. ser. XX *de Temp.*

Humanitas ; nam uti Lactantius advertit, conservanda est humanitas, si homines dici velimus ; id autem ipsum, conservare humanitatem, quid est aliud, quam diligere hominem, quia homo sit, et idem, quod nos sumus? Lactant. l. VI *div. just.* c. xx.

Necessitas ; nam sicut anima non vivificat membra, nisi sibi invicem copulata ; ita cum nos omnes unum corpus simus in Christo, teste Apost. i, Corint. x. Spiritus S. non vivificabit nos, nisi per charitatem uniti simus.

Jucunditas ; jucundum enim est, fratres habitare in unum.

Securitas. Quid enim foris conturbare aut contristare poterit, si intus bene est, et fraterna pace gaudetis ? inquit recte S. Bernardus. Nempe frater, qui juvatur a fratre, quasi civitas firma, et funiculus triplex difficulter rumpitur, teste Salomone ; e contrario vero, multitudo inordinata, victima potius est, quam pugna, teste Vegetio, de re militari. S. Bern. s. xxix *in Cant.* ; Prov. x ; Eccl. iv.

Utilitas, tum quia Christus omnia, quæ proximo exhibemus obsequia, non aliter, quam si sibi facta essent, remuneratur ; tum quia ipse promisit, si duo consenserint super unum, eos, quodcumque petierint, impetraturos ; propter quam utilitatem charitatis, recte commune proverbium ait : Concordia res parvæ crescunt, discordia etiam maximæ dilabuntur. Hinc Tertullianus Martyres mediante impenetrabili hac unionis et concordiæ lorica adversus infernum fortes, imo insuperabiles fuisse notat : Inveniat vos uni-

tos et concordia armatos, quia pax vestra bellum illi est. TERTUL. *ad Marc.* I.

Similiter S. Gregorius scribit : Electorum multitudinem eo magis maligni Spiritus pertimescunt, quo eos per charitatis concordiam munitos contra et conglobatos aspiciunt. S. GREG. hom. VIII *in Ezech.*

MEDIA.

Amor Dei, quæcumque enim sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se ; unde cum nos per amorem conjuncti cum uno tertio, scilicet Deo, fuerimus, facile etiam inter nos per charitatem conjungemur. Hinc S. Gregorius : Per amorem Dei, inquit, amor proximi gignitur, et per amorem proximi amor Dei nutritur ; nam qui Deum amare negligit, profecto proximum diligere nescit. S. GREG. X *Mor.*

Quod ipsum pulchra similitudine declaravit S. Dorotheus : Quemadmodum, inquies, lineæ duæ a circumferentia ad centrum ductæ, quo centro viciniores, eo etiam sibi invicem sunt viciniores ; ita quo magis Deum appetimus (qui nostrum est centrum) eo etiam nobis invicem amoris affectu simus propiores. S. DOROT. disc. V *de non jud.*

In omnibus hominibus Christum intueri; quam ob causam Dominus, forte dixit : Quidquid fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis, Coll. XVI, c. VI.

Quod ipsum medium etiam suasit S. Cyprianus : Quid potuit nobis majus Christus edicere? Quomodo potuit magis justitiæ ac misericordiæ operam provocare, quam quod præstari id dixit sibi, quidquid egenti præstatur etc. ut, qui respectu fratris in Ecclesia non movetur, vel Christi contemplatione moveatur? S. CYPR. tract. *de Eleem.*

Cupiditatem omnium terrenarum rerum deponere, quod Abbas Joseph suasit, et S. Jacobus dicens : Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiscentiis vestris.

Obedientiæ studium ; nam quæcumque sunt eadem cum uno tertio, etiam sunt eadem inter se ; et, ut Rodriquez ait : Obedientia est velut quoddam hostorium complanans omnia et æquans, magnamque introducens in res omnes unionem et æqualitatem. RODRIQ. p. I, tr. V, c. II.

Considerare frequenter damna ex charitatis violatione provenientia, quæ S. Bernardus eleganter more suo in hunc modum describit : Longe, quæso, a vobis facite semper hoc abominabile malum, vos, qui experti estis, et quotidie experimini, quam bonum et quam jucundum sit, habitare fratres in unum ; si tamen in unum, et non in scandalum, alioqui nec jucundum plane, nec bonum, sed pessimum ac molestissimum. Væ autem homini illi, per quem unitatis vinculum turbatur, judicium profecto portabit, quicumque est ille. Ante mihi contingat mori, quam audire in vobis quempiam juste clamitantem : Filii matris meæ pugnaverunt contra me. Nonne præsentis congregationis Filii omnes vos estis? Singuli alterutrum fratres? quid ergo e foris vos conturbare aut contristare possit, si intus bene estis, et fraterna pace gaudetis? Quam ob rem æmulamini charismata meliora, ut bonos vos præbeatis æmulatores, charisma peroptimum charitas est. Hoc igitur est, quod dico. Pax vobis, a vobis sit, et omne, quod extrinsecus minui videtur, non terret, quia non nocet. Nam e contrario, quidquid foris blanditur, nulla est profecto consolatio, si intus (quod absit) seminarium discordiæ germinaverit. S. BERN. l. XXIX *in Cant.*

ASCETICA.

Ante omnia connitendum est Ascetæ, *ut cognoscat modum diligendi proximum sicut seipsum ;* quorum quidem tres S. Th. assignat.

« Primus est, quantum ad finem dilectionis, ut nos proximum diligamus propter Deum. » Primarius enim finis propter quem proximum amare debemus, est acquisitio æternæ salutis, et hanc eamdem considerationem etiam B. Laurentius Justinianus adducit, nam verba assumpti thematis, scilicet : « Diliges proximum tuum sicut te ipsum, considerans dicit : Id fieri posse ut illum diligas ad gratiam, et gloriam in futuro, vel in quem te ipsum diligis, id est, in Deum illum diligas, quisquis enim diligit proximum, hoc cum illo debet agere, ut etiam toto corde et tota anima diligat Deum. S. THOM. c. XIII *ad Rom.*

« Secundus se tenet quoad modum dilectionis ; ut scilicet, sicut aliquis se ipsum diligit, quasi sibi volens bonum, ita aliquis proximum diligat, quasi ei bona volens. » Qui autem diligit proximum ad hoc solum, ut ejus utilitate et delectatione potiatur, non

vult bonum proximo, sed ex proximo vult sibi bonum, quo quidem modo homo amare dicitur res irrationales, puta vinum et aquam, ut eis utatur. Quando enim nosmetipsos amamus, bonum quod nobis desideramus, est propter nostram utilitatem et profectum, ita quoque si cum eadem proportione proximum nostrum amare velimus, bonum quoque illi desiderare vel procurare debemus, idque in beneficium ipsorum, non vero nostrum.

« Tertius est quoad effectum dilectionis, ut scilicet aliquis necessitati proximi subveniat, sicut sibi, et quod nihil illicitum propter amorem proximi committat, sicut nec propter suum amorem. » S. Jacobus nos in hujus præcepti observatione mendacii redarguit et convincit, dum ad subveniendum proximorum necessitatibus viscera, seu potius manus nostras non aperimus et extendimus, dum ait : « Si frater et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano. dicat autem aliquis vestrum illis : Ite in pace, et calefacimini, et saturamini, non dederitis autem ea, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit ? »

Nosse pariter debet, *cur proximus amandus sit*, id quod Hugo Cardinalis indicat, dum super verba illa : « Qui non diligit fratrem suum quem videt, quomodo etc. » ita scribit : Frater enim tuus imago Dei est. Si ergo non diligis imaginem Dei, nec eum, cujus est imago, diligis ; ergo mendax es, si te Deum diligere dicis, et fratrem odis. Qui non diligit fratrem, quem videt, non diligit imaginem Dei, et qui non diligit imaginem Dei, Deum non cognoscit, et qui Deum non cognoscit, ipsum non diligit. Indubitata propositio est, quod Deum nemo vidit unquam, et ideo nos eum in proximo velut in ejus effigie et imagine speculari et contemplari voluit, disposuitque, ut, in probationem et contestationem amoris nostri erga ipsum, fratrem, qui ob oculos nostros versatur, diligamus. Sicut enim, licet ligno pro ignis alimento utaris, lapidem quoque in domus fundamenta conjicias, attamen postquam per adhibitam artificis industriam ex utroque facta est imago et effigies crucifixi Salvatoris, e vestigio illud adoras ; ita quoque licet homo e luto formatus, defectibus multis obnoxius, tibique ingratus existat, a te tamen ipse diligendus est, vel quia Deus id ipsum præcepit, vel quia Deo carus est et acceptus, ideoque ab eodem ad æternam gloriam destinatus, vel quia in se defert imaginem communis Creatoris. Unde S. Ambrosius ait : Nos unum esse præcepit, et suæ naturæ unitatisque similitudinem in nos gratiæ adoptione transfudit, dicens : Pater, sicut ego et tu unum sumus, ita et isti in nobis unum sint. Hug. Car. *in c.* iv. *Joan.*

Nosse debet, *cur Christus mandatum de dilectione novum dixerit.* Qua de re Origenes quærit, qua ratione Dominus noster præceptum istud novum appellare potuerit, cum (utpote ipsimet naturæ hominis impressum) adeo fuerit antiquum, imo cum idem divinus Magister dixerit : « Hoc est maximum et primum mandatum : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo etc. Secundum simile huic : Diliges proximum tuum, » et ideo inquit Origenes, quomodo mandatum hoc novum dici potuit, cum utique sciret, olim esse mandatum in lege? Mox vero respondet dicens : Sed quoniam charitas numquam cadit, nec mandatum charitatis veterascit ; hoc autem quod numquam veterascit, semper novum esse prænuntiat, semper enim conservantes et custodientes in se charitatis mandatum novos reddit spiritu. S. Thom. tres adducit rationes, ob quas præceptum istud mandatum novum glorioso titulo appellat, tametsi etiam dudum antea in veteri Testamento statutum fuerit. Primo, propter effectum innovationis, quem effecit ; Ad Coloss. iii. *Expoliantes vos veterem hominem, et induentes novum.* Hæc novitas est per charitatem, ad quam exhortatur Christus. Secundo, novum propter causam, quæ hoc effecit, quia est a novo spiritu. Est enim duplex spiritus, vetus, et novus ; vetus spiritus servitutis, novus spiritus amoris ; ille generat servos, hic filios adoptionis. Rom. viii. *Non accepistis spiritum servitutis.* Hic spiritus inflammat ad charitatem, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum. Tertio, effectum quem constituit, scilicet novum Testamentum, nam brevis differentia veteris et novi Testamenti est timor et amor. Origenes, hom. ix *in Num.*

Nosse debet, *quomodo Christus hoc præceptum suum, sibique proprium dixerit* ; quo de dubio sic Josephus Mansi discurrit : Experientia quotidiana in curia Romana vel maxime demonstrat, quod is, qui magna a Principe beneficia quotidie accipit, in signum æstimationis veræque gratitudinis erga illum, ejusdem Principis effigiem in no-

bilioribus conclavibus publice expositam habeat, aulicos quoque ejusdem honoret, illum veneratione et obedientia debita prosequatur, imo genium et nutus ejus observet. Eodem quoque modo manifestum in nobis indicium erit, quanti Deum nostrum æstimemus et diligamus, si ex ipsius amore permagni æstimemus et honoremus proximum, qui velut imago et similitudo ejus est; sicque hoc præceptum, quod ipse proprium suum præceptum appellat : « Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem », inviolabiliter observemus. Mansi, tr. X, disc. II, n. 17.

Ita S. Paulus dilexit proximum, quemadmodum ipsemet testatus est : « Tristitiam mihi magna est, et continuus dolor cordi meo ; optabam enim anathema esse a Christo pro fratribus meis. Et quis infirmatur, et ego non infirmor ? Quis scandalizatur, et ego non uror ? » Rom. IX, 3. 2. Cor. XI, 29.

Nosse debet *summam perfectionem hujus dilectionis*, quæ quidem in perfectissima unione consistit. Pro qua intelligenda notandum est ex Ludovico de Ponte, quinque unitionis gradus posse assignari. I. Est intellectus et judicii, ut scilicet in iisdem veritatibus credendis et præceptis admittendis conveniamus, quemadmodum S. Paulus hortatus est Corinthios dicens : « Obsecro vos, Fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia. Secundus gradus est voluntatum et cordium, sicut olim multitudinis credentium cor unum erat et anima una, ad quem gradum hortatus est S. Paulus ad Philippenses dicens : « Si quæ consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si quæ societas spiritus, si quæ viscera miserationis, implete gaudium meum ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, nec per inanem gloriam facientes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum. » Tertius gradus est unitionis cum ipso Deo, ut unio nostra sit divina, et non humana, quem gradum petebat Christus illis verbis : « Sicut, Pater, es in me, et ego in te, et ipsi in nobis unum sint, » id est, ut sicut ego et tu eamdem essentiam habemus, summam unionem in sensu, voluntate et executione, ita et ipsi in nobis eamdem habeant per voluntatis suæ cum nostra concordiam. Quartus gradus est unitionis, ratione carnis ejusdem cum divinitate unitæ in SS. Sacramento altaris, de qua locutus est S. Paulus dicens : « Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus. » Quintus tandem gradus est unitionis, propter eumdem statum perfectionis, de qua præcipue Christus locutus est, dicens : « Ego, Pater, sum in eis, sicut in me, ut sint consummati in unum, » id est, ut omnes hos quinque gradus conjungant cum magna constantia et perpetuitate, et ad similitudinem perfectissimæ, *unitionis, quam divinæ personæ inter se habent.*

Et hæc perfectio præcipue in Religiosis statibus reperitur, in hac enim majori cum sollicitudine procuratur subjectio proprii judicii, abnegatio propriæ voluntatis, familiaritas cum Deo per orationem, frequentia magis quieta et pia S. Communionis, et renuntiatio rerum omnium et inordinati ad eas affectus, ex quibus omnes dissensiones oriuntur, ex quo recte colligunt Ascetæ, amicitiam nullibi perfectiorem, quam in Religiosis veris reperiri, utpote de quibus potissimum dici possit, quod amicorum omnia sint communia. Ut adeo merito dixerit Apostolus : « Super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis, et pax Christi exultet in cordibus vestris, in quo et vocati estis in uno corpore. Coloss. III, v. 15. »

Nosse debet *uniones malas, sive amicitias particulares*, quarum tres species recte a P. Rodriquez assignantur. Prima est, quando æquales se majori quadam propensione ob titulum, non in spiritu, sed in carne et sanguine, fundatum, amant, quam quidem amicitiam S. Dorotheus ut amicitiam diaboli fugiendam docet, utpote quæ spiritum corrumpit, et profectus sui zelum extinguit. Imo, juxta Basilium, in Religionibus mille odiorum, invidiarum, suspicionum, inimicitiarumque est seminarium, causa item divisionum, circulorum, clancularium congressuum, conspirationum, et pestis Ordinum deterrima, utpote prævaricatrix omnium Regularum, et bonorum omnium expultrix. Unde sequendum prudens S. Dorothei consilium : « Si proficere cupias, unicum habe socium, unicum amicum, Deum, et qui Deum timeat, et cum eo loquaris, et converseris. Et is in domo Dei inops sit, in mysteriis autem Divinis dives et plenus. Quod si dixerint tales, se loqui de bonis rebus, et sibi mutuo præbere bona consilia,

meminerint, non placere Deo sacrificium, quod alieno igne offertur; et silentium obligare, ut certis temporibus etiam a bonis abstineamus, » ne, ut S. Augustinus advertit, prolabamur in mala, transeuntes a verbis bonis, sed tempore prohibito dictis, ad otiosa, et inania, et ex his etiam ad noxia. Secunda species est, quando aliquis ex desiderio ascendendi ad splendida et speciosa in Religione officia, iis se plus æquo adjungit, et velut affigit, qui muniis illis et honoribus consequendis, aut procurandis magis videntur idonei, quæ species merito lues pestilentissima censetur; nam domus, quæ exterius pontibus et sustentaculis nititur, ruinæ proxima est ; et arbor palo alligata, satis ostendit, firmas radices in terris se necdum egisse. Certe parasitorum et adulatorum propria sunt talia officia, non Religiosorum, et argumentum minime fallax præbent, sub religioso pallio superbum, sæcularem, et vanum animum latere. Unde prudenter iterum S. Dorotheus monet : « Superioribus, Præfectis et Ducibus tuis subditus esto, ac nimiam illorum consuetudinem devita ; est enim laqueus quidam, qui desides et vecordes in perditionem et interitum adducit.» Tertia species est, quando certæ personæ uniunt sese, coeuntque ad inducendas in communitatem inauditas novitates, ordinationesque sapienter a majoribus institutas convellendas, quam amicitiam proinde, ut S. Bernardus in simili loquitur, « communitas expressius plangit, sentit differentius, et vigilantius cavendum existimat, utpote intestinum et domesticum malum. » Rodrig. p. I, tr. iv, c. xviii.

Nosse debet *potiora officia charitatis;* quæ quidem apte per similitudinem corporis et membrorum explicantur, juxta illud Apostoli : « Vos estis corpus Christi et membra de membro. » I Cor., xxii.

Unde sicut tunc corpus bene constitutum censetur, si caput erga membra et hæc erga caput aliaque commembra officium suum præstant ; ita tunc quoque charitas censebitur perfecta in communitate, si superior respectu inferiorum, et hi erga superiorem et æquales membrorum et capitis officia imitantur. 1. Itaque sicut caput suavem imperandi modum habet præeundo plerumque, aut comitando ad labores : et sicut necessarium alimentum spirituum et sanguinis liberaliter reliquis membris dividit, dolentibus vero et afflictis valde compatitur, et efficaciter, quantum est ex se, morbos depellere nititur ; ita simili modo Superior erga subditos se gerat. 2. Sicut membra inferiora capiti aliquid imperanti celerrime obediunt, mire amant, et defendunt, et se pro illo ictibus exponunt, singulariter denique reverentur, ubi maculatum est, abluunt ; si erubescit, tegunt , si insigne aliquod facinus ab iis est factum, illi honorem relinquunt, et coronari sinunt ; ita similia quoque officia Subditi erga Superiores exercent. 3. Sicut membra æqualia summam conjunctionem retinent, omnemque etiam minimam divisionem fugiunt, se mutuo supportant, ita ut nunc pes, nunc tergum aut latus, nunc alia pars totum pondus sustineat, et summe se defendat, ita ut si flamma pedem aut manum unam corripit, mox alterum depellere nitatur, si occulta pars revelatur, mox alterum membrum tegat ; ita hæc ipsa ejusdem communitatis Religiosi erga se observare studeant, sibique illud Apostoli dictum applicent : Ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes.

Nosse debet *circumstantias ad primarium actum dilectionis, scilicet correctionem fraternam, requisitas ;* quæ sunt quinque potissimum, quarum prima pertinet ad ipsum morbum, ut scilicet non suscipiatur curatio morbi ad se non pertinentis, aut incogniti, aut jam ex integro emendati. 2. Ad tempus pertinet, ut scilicet non suscipiatur correctio, cum vel corrigens ipse iratum se advertit, aut certe peccantem iratum esse videt ; ut non assidue aut statim semper corrigat, sed paulatim emendare studeat, nisi forte periculum in mora sit. 3. Ad locum pertinet, ut scilicet, quæ coram omnibus peccantur, coram omnibus corripiantur, ut omnes timeant ; quæ autem secreto patrata sunt, secreto corripiantur. 4. Ad modum pertinet, ut scilicet principiis obsistatur ; ut ad radicem exscindendam tendatur ; ut non acetum semper severæ increpationis adhibeatur, sed oleum etiam mansuetudinis et lenitatis misceatur, sicque regat vigor disciplinæ mansuetudinem, et mansuetudo ornet vigorem, et sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissolvatur. 5. Ad finem pertinet, ut scilicet cum intentione solius gloriæ Dei, et salutis proximi ea correctio suscipiatur ; et effectus quicumque a Divina manu cum magna tranquillitate suscipiatur. Hinc etiam pertinet, ut bene apprehendantur causæ

obligantes tum ad correctionem faciendam, quales sunt v. g. honor Dei, bonum spirituale fratris peccantis, et bonum Communitatis, quod ex tali correctione dependet, imo et bonum ipsius corripientis, quod ex correctione legitime suscepta merito sperare potest; tum ad eamdem æquo animo ferendam, quales sunt præter paulo ante allatas, incrementum insigne humilitatis, patientiæ, et charitatis.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ostendi potest fraternæ charitatis officium ex similitudine membrorum ejusdem corporis, eo fere modo, qui præcedente §, et ostensus est, dividendo concionem in tria membra, et ostendendo, quomodo superiores se erga inferiores, hi erga superiores, et æquales erga æquales gerere debeant.

Ostendi potest ars omnes lucrandi, juxta illud Senecæ : Monstrabo tibi amatorium sine herba, sine medicamento, sine ullius veneficæ carmine : Si vis amari, ama. Ostendi ergo poterit, quomodo per amorem conciliemus nobis amorem Dei, cujus imaginem tantopere diligimus : *Christi,* cujus discipuli per hanc dilectionem agnoscemur : *Sanctorum,* qui nihil magis desiderant, quam ut concordiam illam perfectissimam, quam illi in cælis tenent, nos in terris inchoemus : *Proximi*, qui non potest serio amantem non diligere : *Nostri*, qui alios vere amando discimus et nos sincere diligere, veraque nobis bona procurare.

Demonstrari potest, quomodo verum sit proverbium illud : Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur; atque adeo dividi concio in duas partes, in quarum prima ostendatur, quid sit concordia, nempe conformitas in judicio, voluntate, et executione externa; seu quod idem est, ut idem sapiamus, appetamus et quæramus. In secunda autem ostendatur, quomodo talis concordia fit augmentum, 1. In temporalibus. 2. In spiritualibus bonis gratiæ, et virtutibus. 3. In meritis seu bonis æternis. 4. In amicitia non cum Deo duntaxat, sed etiam cum hominibus.

Ostendi potest, quod dilectio proximi sit vestis (*die Liberen*) Christi Salvatoris nostri, juxta illud S. Joannis : In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Joan. xix, 25.

Atque adeo. 1. ostendi potest, quomodo ex dilectione proximi cognoscatur, et probetur charitas erga Deum, quæ sola verum imitatorem et discipulum Christi facit. 2. Quam pretiosa sit hæc vestis, nempe aurea; quantopere exornet, et quomodo calefaciat animam; quomodo tegat inhonestas nostras actiones (juxta illud : Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum) et ab aliis extrinsecis molestiis defendat; quanto proinde studio cavendum, ne vestis hæc deturpetur per varios actus contra charitatem exercitos, aut omnino laceretur per odia, inimicitias, contentiones, rixas, homicidia.

Desumi potest occasio officia dilectionis hujus explicandi ex more nunc recepto, quo passim nunc solent varia ligamina serica (*seidene Bandlein oder Favorsin*) portari, et dici, quod, ut laudabilior hæc consuetudo reddatur, tu suadeas, ut certos colores eligant, et per hos dilectionis officia erga proximum exercenda in memoriam revocent; et primum quidem cæruleum sit oportet, per quod significatur, proximum precibus esse juvandum, juxta illud S. Jacobi : Orate pro invicem, ut salvemini, multum enim valet deprecatio justi assidua. v. 16, Hinc et Christus in oratione Dominica semper usus est plurali numero. 2. (*Leichtfarb*) per quod significatur, proximum exemplo esse juvandum, juxta illud Christi : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem, qui in cœlis est. Matth. v, 16. Uti S. Franciscus fecit dicens : Se concionari velle, et tum modeste per urbem ambulans. 3. Aureum (*Goldfarb*) vel versicolor, ad significandum, quod etiam operibus variis proximum juvare debeamus, juxta illud S. Joannis : Filioli mei, non diligamus verbo aut lingua, sed opere et veritate. I. c. iii, 18.

Dicatur proinde hos esse funiculos, quibus proximum trahamus et lucremur, juxta illud Oseæ : In funiculis Adæ traham eos, in funiculis charitatis. II, 4.

Doceri potest, quomodo firmari debeat dilectio, contra omnes occasiones ejusdem violandæ, ex occasione illius sententiæ ab Ecclesiaste prolatæ : Funicuius triplex difficulter rumpitur. c. iv. 12.

Atque adeo in prima parte ostendatur, quam efficacia motiva diligendi Deum habeamus ex parte Dei, et scilicet ejus manda-

tum, beneplacitum et promissionem, de quibus Faber, Dom. XVII, post Pentec. conc. VI, num. 2 et 4. In secunda, qualia motiva habeamus ex parte *proximi*, scilicet, titulum similitudinis quoad naturam, fraternitatis propter gratiam et jus hæreditatis æternæ, exemplo præcipue a primis Christianis dato, de quibus Faber loc. cit. num. 1 et 5. In tertia, qualia motiva habeamus ex parte *nostri* propter necessitatem, utilitatem, et jucunditatem dilectionis, de quibus Faber loc. cit. n. 3 et 6.

Ostendi potest auditoribus *Idea proximi*, quia multi reperiuntur cum Legisperito quærentes : Quis est meus proximus? Luc. X, 19. Ad quam responsionem resolvendam, variæ ideæ seu descriptiones variis personis afferri possunt ; uti videre est apud Fabrum, Dom. XII post Pent. c. VIII.

Dici potest, non dubitari quidem, quod auditores parati sint ad dilectionis proximi præceptum implendum, verum quomodo id adimplendum sit, forte non perinde omnibus constare ; quare duas regulas se oblaturum dicat concionator, secundum quas deinceps regulare suum amorem possint. Quarum prima est : Dilige proximum, sicut teipsum. Altera : Sicut dilexit Christus etc. utraque proinde, vel alterutra certe, si longius videtur excursura concio, fusius explicetur, secundum ea, quæ supra sunt dicta, et quæ apud Fabrum, Dom. XII post Pent. conc. 2 habentur.

Explicari possunt commoda et fructus dilectionis proximi, per comparationem cum pace civili, atque adeo in tres partes dividi concio ; in quarum prima ostendatur jucunditas pacis et dilectionis, ad quam significandam in libris Regum dicitur : Habitabatque Juda et Israel absque ullo timore, unusquisque sub vite sua et sub ficu sua. In secunda, utilitas pacis ad divitias augendas, fructusque colligendos, qui applicari ad bona opera et virtutes ac merita possunt. In tertia, necessitas pacis, ut sine qua semper in periculo manifesto versamur vitæ, et omnium bonorum amittendorum. Concludatur concio illis S. Pauli verbis : Pax Dei quæ exuperat omnem sensum etc,

Ostendi potest, quibus modis pax obtinere possit ; videlicet I. Expugnando hostes, id est proprias passiones, et vitia ; sine his enim numquam vera pax obtinebitur, cum non sit pax impiis, PHIL IV, 7,

2. Per justitiæ conservationem, relinquendo cuilibet quod suum est ; quia per *meum et tuum* potissime lites et jurgia causantur ; hinc S. David ait : Justitia et Pax osculatæ sunt. Ps, LXXXIV, 2,

3. Per confœderationem mutuam, id est, propositum mutui defectus supportandi, juxta illud Apostoli : Alter alterius onera portate ; et Thom, Kemp. Stude patiens esse in tolerando aliorum defectus, quia et tu multa habes, quæ oportet ab aliis tolerari. Claudatur illis verbis : Quis est homo, qui vult vitam? Inquire pacem ut possis olim dicere cum eodem : In pace dormiam, et requiescam. GAL. VI, 2. *Imit.* l. I, c. XVI. Ps. XXXIII, 15. Ps. IV, 9.

Doceri potest ars corripiendi proximum, ostendendo primum, quanti referat, correctionem bene facere ; quod similitudine medicorum facile demonstrari potest, dein afferendo aphorismos in correctione observandos, quales sunt sequentes potissimum : 1. Non suscipienda curatio morbi incogniti. 2. Non danda medecina, dum patitur infirmus paroxismum. 3. Non nimis coacerventur medicinæ, nec correctio sit assidua. 4. Secretis morbis secreta remedia adhibenda. 5. Principiis obstandum, ne sero medicina paretur. 6. Radix morbi quærenda, tollenda, puta occasiones, societates, consuetudines malæ. 7. Non acetum solum, sed etiam oleum vulneribus applicandum. Vide supra. Item Fabrum, part. 3. Dom. 16, post Pentec. conc. 17.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

QUALITAS. — Charitas proximi ut sit vere perfecta et meritoria, fundata esse debet in vera charitate, quæ est Deus. Quæ ex aliquo fœdere, et inclinatione tantum naturali procedit, centies millies inferior est, quia non tendit pure ad Deum, tantoque plus de merito deperditur, quanto plus adest de complacentia et satisfactione, quam habemus in exhibitione similis obsequii et beneficii. Et vero charitas, quæ ex inclinatione naturali tantum procedit, non diu durat, quia cum causa sit fragilis et caduca, quamprimum aliquid adversum se objicit, defervescit et alteratur, quod non evenit illi, quæ in Deo fundata est, quia in hac causa stabilis est, et solida. S. FRANC. SALESIUS, *in colloc. spirit.* 8, *de Expropriatione sui.*

Subministrat ad doctrinam hanc pulcherrimam comparationem S. Catharina Senensis : Si accipias, inquit illa, vitrum, et impleas quopiam in fonte, bibasque ex dicto vitro non extracto ex fonte, esto bibas, quantumque velis, vitrum non evacuabitur : verum si eximas e fonte, postquam ebiberis, vitrum penitus evacuabitur. Sic se habent amicitiæ, quando non extrahuntur ex sua origine, nunquam decrescunt.

Blanditiæ ipsæ, et signa amicitiæ, quæ contra propriam nostram inclinationem exhibemus aliquibus hominibus, a quibus aversionem aliquam habemus, meliores et gratiores sunt Deo, quam sint illæ, quas exhibemus attracti, et allecti ab affectu sensitivo. Et hoc nullo pacto vocari debet duplicitas, aut simulatio. Nam esto habeam sensum contrarium, is solummodo est in parte inferiori, actus autem, quos elicio vi et fortitudine rationis, quæ est pars præcipua animæ meæ, elicio. Atque adeo si illi ipsi, quibus sancte blandiri, et simul gratificari intendo, jurent, quod id illis facerem, quin aliquam ab iis habeam aversionem, haud jure offendi possent, sed magis æstimare, et insuper cariores habere deberent meos hujusmodi actus, quam si provenirent ex partis inferioris affectione. Quia aversiones sunt naturales, et ex se ipsis non malæ, quando eas non sequimur. Contra modus est, et ratio exercendi quamplurimas virtutes ; quia et ipsi Domino gratius est, quando summa cum repugnantia ejus osculamur pedes, quam si multa cum suavitate id ipsum faceremus. Hinc ii, qui nihil præseferunt amabile, neque forte habent, unde magnopere amentur, magna gaudent felicitate ; certi enim sunt, quod amor, qui illis defertur, sit perquam excellens, totus siquidem est in Deum et ex Deo. Idem. l. c.

S. Paulus Apostolus, qui in cœlo empyreo edoctus fuit, et audivit arcana verba, Magnus, inquam, ille gentium Doctor ad Romanos liberrime et imperterrite scribit, quod nullo prorsus debito ulli sive in cœlo, sive in terra, sive hominibus obstringantur, quam solo debito dilectionis reciprocæ, quia hoc debito semel perfecte expedito omnis lex perfecte impleta et observata esse censetur : « Nemini quidquam debeatis etc. » Unde Toletus ait : Charitas est brevis summa, et mandatorum Dei epilogus. Idemque Apostolus eorum, quæ asseruit, optimam reddit rationem, nam ad magis præcipua Decalogi præcepta sese reflectendo dicit : « Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur : Diliges proximum tuum. » Porro idem citatus Toletus verbi hujus, « instauratur, » sensum nobis declarat dicens : Instaurari non aliud significat, quam summatim comprehendi. S. Augustinus legit : Recapitulatur. S. Ambrosius vero vertit : Consummatur. Tertullianus dicit : Merito totam Creatoris disciplinam principali præcepto ejus conclusit : « Diliges proximum tuum sicut te ipsum. » Mansi, *tr.* 1, *disc.* 3, *n.* 1.

Quid est, quod scribitur : Qui proximum diligit, legem implet? Nisi quod, qui diligit proximum, diligit et Deum; quia eadem est virtus et dilectio, qua quis utrumque diligit, ut idem est radius, quo quis solem et terram intuetur.

Quamvis pluraliter dixerit præcepta mea, omnia tamen sumendo ad unum reduxit, dicens : « Hoc est præceptum meum ; » quoniam hoc uno impleto omnia implentur, et sine hoc servatio cæterorum nihil prodest. Hinc et Salmeron dicit : Quod supra in plurali dixerat præcepta, nunc præceptum in singulari declarat, quia charitas unum præceptum est et multa, unum in radice, multum in opere. S. Thomas ad eamdem difficultatem respondendo, expositionem adducit S. Gregorii dicentis : Dicendum, quod charitas est radix et finis omnium virtutum; radix quidem, quia ex charitate confirmata in corde hominis movetur homo ad implenda omnia præcepta, quæ quasi ad hoc ordinantur, ut homo benefaciat proximo; finis est, quia omnia præcepta ad ipsam ordinantur, et in sola charitate solidantur. Albertus Magnus assignat magnam quamdam, quæ inter hoc et alia præcepta versatur, differentiam, dicens : Discretum est ab aliis in tribus, scilicet, quia unit omnia ut radix ; quia implet alia, ut forma et motor; et quia perficit alia, ut finis. Cajetan, *in Joan.*

Enim vero dubium quoddam hic subnascitur, quonam modo videlicet Deus nos amare potuerit, vermes adeo viles, adeoque Majestati et Divinitati suæ dissimiles, sicut exaltantur cæli a terra, cum tamen trita omnibusque vulgata regula sit, quod similitudo est causa amoris. Responsio vero in promptu est, et facilis, quia « creavit Deus

hominem ad imaginem et similitudinem suam; item, Verbum caro factum est; ecce Deus quasi unus ex nobis factus est. » At vero instare quis poterit, ex quo homo, ut S. Augustinus ait ad similitudinem Dei creatus fuit, ut factorem suum pro similitudine diligat; simulque nobis constet, quod Deus a nobis totum affectum nostrum sibi exposcat, absque eo quod ille in alias simul creaturas dispergatur: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua; » qua igitur ratione amoris nostri partem proximo impertiri poterimus, cum ille totum sibi vendicet? Et ideo advertendum est, quod simul et indivisim connectat: *Et proximum tuum;* id quod per sequentem similitudinem declarare haud difficile erit. Si enim alicui millium scutorum debitor esses, is autem te illa Petro solvere juberet, utique postquam summan prædictam Petro expedivisses, creditor tuus sibi satisfactum plene esse negare non posset, tametsi nummos ipse debitor alteri solvisses, quia jussu et ordinatione creditoris tui id fecisses. Idem ergo in præsenti nostro casu pariter militat. Nos etenim Deo magno amoris debito obstringimur, adeo ut ipsum ex toto corde nostro diligere teneamur; idem vero Deus hoc amoris debitum proximo nostro, quem tenerrime diligit, adeo ut semetipsum in pretium et redemptionem illius tradiderit, impendi et expediri jubet, dum ergo proximum diligis, nihil Deo de debito ipsius amore diminuis, aut subtrahis, quia amore illius et jussu ejus proximum diligis. Mansi, tr. V, *disc.* III, n. 6.

S. Augustinus vero optime notat, amorem nostrum erga proximum minime affectum esse debere ea qualitate, qua imbutus est amor, quo amamus amicos, parentes, filios, uxorem; et multo minus ea qualitate, cum qua simul etiam amamus adulteros, sed ordinandum esse ad finem, ad quem illum Deus ordinavit, nimirum ad salutem æternam: Ipsa est dilectio, inquit, ab omni mundana dilectione discreta, quam distinguendo addidit Dominus, *sicut dilexi vos.* Quid enim nisi Deum dilexit in nobis, non quod habeamus, sed quod haberemus: Adducitque medici alicujus exemplum, qui infirmum diligere dicitur, quia ei desiderat et procurat salutem, non vero morbum diligit, sed potius illum extinguere satagit; sic ergo et nos invicem diligamus, ut quantum possumus, invicem ad habendum Deum cura dilectionis attrahamus. S. Aug. tr. LXV. *In Joan.*

Spiritus Sanctus bina vice in forma visibili de cœlo descendit, et prima quidem vice usus est elemento ignis, de quo Ecclesia canit: *Ignis, Charitas,* quia ignis est symbolum amoris. Altera autem vice in similitudine columbæ apparuit: In columbæ specie Spiritus Sanctus visus est. Porro mysterium istud auctor *Imperfecti Operis* hisce verbis nobis declarat: Ideo Spiritus Sanctus speciem columbæ suscepit, quoniam præ omnibus animalibus hæc cultrix est charitatis. Qui idem auctor demum docet, hypocritas omnes quidem virtutes, quibus veri servi Dei præditi esse conspiciuntur, simulare valere, sed non charitatem aut proximorum dilectionem. Habet enim diabolus et mansuetos, et humiles, habet castos, eleemosynarios, et jejunos. Item, inquit idem auctor, per experientiam videtur, quod, quidquid boni fit a bonis, astutissimus inferni coluber per suos imitari contendat, ut bonos seducat; ut inter bonum verum et simulatum falsum confusio fiat, ut simplices homines boni veri, et boni simulati intelligere differentiam caute non possint. Tandem ad propositum nostrum concludit: Solam autem charitatem Sancti Spiritus non potest immundus Spiritus imitari.

S. Albertus Magnus verba illa exponens: « In hoc cognoscent omnes, quod Discipuli mei estis, etc. » hunc in modum scribit: Omnes Christi discipuli hoc signaculo cognoscuntur; et in hoc signatum est Josue II, ubi dicitur, quod signavit Raab domum et familiam suam omnibus Dei inimicis, ut cognosceretur per vittam coccineam, per fenestram domus suæ pendentem; vitta enim est charitas, quæ ligat, coccinea autem est per ruborem charitatis. De certitudine autem est, quod sola charitas est signum certum salutis. Apostoli autem præfigurati fuerunt in exploratoribus, inquit Rabanus: « Exploratores Apostoli. » At vero scitisne causam cur duo tantum, et non plures fuerint emissi? Idem Rabanus hanc pandit, dum ait: Duo viri exploratores in duobus præceptis charitatis ambulantes. Unde Albertus Magnus (ubi supra) concludit: Tantus quilibet in discipulatu Christi est, quanta est charitas sua. S. Albert. Magn. *In Joan.* XIII.

Moyses in Genesi, hoc est, in Historia Creationis mundi, refert, Creatorem de re-

bus a se creatis dixisse : « Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona, » cum tamen paulo ante in aliarum substantiarum productione dixisset : « Vidit Deus, quod esset bonum ; » cur obsecro in approbatione cunctarum creaturarum simul sumptarum dixit : « Et erant valde bona? » S. Hieronymus apte ad hoc respondet : Omne, secundum Philosophos, tantum habet bonitatis, quantum habet unitatis, propterea in exordio mundi « vidit Deus cuncta, quæ fecerat et erant valde bona. » Mansi. tr. s. disc. VI, n. 7.

Si homines, sicut Angeli, omnes simul et semel creati fuissent, vel unus independenter ab alio, dilectio, quam generatio et cognatio ejusdem sanguinis insinuare solet, ipsis adeo firmiter minime impressa fuisset ; nunc autem homo alium hominem generando, eidem pariter amorem infundit per viam similitudinis et propagationis naturalis. Similiter Theodoretus ait : Voluit Deus ex uno viro, et ex una muliere subsistere universalitatem hominum, ut in concordiam convenirent, tamquam ex una radice florentes. Ibidem, n. 21.

B. Laurentius Justinianus quoque hanc eamdem rationem notavit, dum ait : Propterea Deus voluit unicum hominem primo formare, ex quo omnes procederent, ut tamquam fratres se amarent ; non sic legitur factum esse in Angelis, et brutis.

Quando altissimæ diluvii aquæ deficere cœperunt, et prohibitæ sunt pluviæ de cœlo, Noe columbam extra arcam emisit. Circa quod factum duo mihi quærenda occurrunt. Primo, cur Noe, qui tot alias volucres intra arcam reclusas habebat, post emissum corvum, hac columba, tantopere a corvi deformitate et rapacitate aliena, uti voluerit? Secundo, cur columba isthæc inter tot arborum genera, solius olivæ ramusculum in ore suo deportarit? Portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo. S. Bruno in hac vasta arcæ mole omnes totius mundi nationes et populos virtualiter reclusos fuisse dicit, quia ab octo illis hominibus tota humana progenies super terram propagari debebat. Columbam autem dicit figurasse Spiritum Sanctum, qui hoc suæ olivæ ramo, quem ore deferebat, quasi tacitus omnes totius universi Provincias et Regna monere voluisse videbatur, ut pacem et concordiam inter se mutuam omni studio conservarent, quibus tunc in illa columba Spiritus Sanctus, quodammodo loquebatur, et dicere videbatur : Pacem tenete, pacem diligite, sine qua nemo Deum videbit et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum ; pauci quidem estis, sed res parvæ concordia crescunt, magnæ vero discordia dilabuntur. Oliva symbolum est pacis, et ideo hanc Deus tantopere amavit, ut inter omnes alias arbores solam olivam in suo virore et vigore conservarit. Corvus quidem ante columbam ex arca dimissus fuerat, et tamen hic ramum hunc minime secum attulit, quia avis hæc rapax et sanguinolenta est, et cadaveribus pascitur, et ideo homines significat contentiosos et discordes, cum e contra columba avis pacifica et mansueta sit, quæ proinde amorem et dilectionem fraternam mutuam repræsentat, et hæc quidem olivam non intra pedum ungues, sed in ore suo attulisse dicitur : In ore suo virentibus foliis; idque non sine peculiari mysterio factum est, quia, ut Sanctus Ambrosius notat : In ore non frustra ramus videtur esse delatus, eo quod Justus in sermone suo habet charitatem, maxime cum pacifica loquitur. Quod si enim pacis amicum ab homine contentioso dignoscere cupitis, advertere debetis, quonam modo quis loquatur de proximo suo ; si enim in respondendo asper, amarus, pungitivus, et elatus fuerit, non columba, sed corvus erit. Oliva quoque in ore deferenda est, quia tunc nos proximos nostros diligere probabimus, si illos pro majori ipsorum utilitate verbis charitativis, benignis et mansuetis correxerimus, si consilia ipsis salutaria suggesserimus, si eos in afflictionibus consolati fuerimus, et ubi opus fuerit, ea, quæ ad salutem necessario scire debent, edocuerimus, beneque semper et honorifice locuti fuerimus, denique si illis non solum lingua et verbo, sed etiam opere ipso benefecerimus. Ibid., dis. II, n. 5.

In Sion a Salomone templum, quod Ecclesiæ figura extitit, ædificatum fuit. In cujus typo advertendum est, quod Deus ad illius fabricam erigendam Regem illum voluerit adhiberi, qui Salomonis, id est, Pacifici nomen sortiebatur. Præterea, quod in machina quadam adeo vasta valde stupendum fuit, Spiritus Sanctus signanter notavit, quod malleus et securis et omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur; hæc autem omnia in figura contingebant ; siquidem per hoc edocemur, quod fideles, qui sunt lapides vivi, e quibus Jero-

solyma cœlestis, id est, Ecclesia, ædificatur, quæ construitur vivis ex lapidibus, nunquam ferrum, seu enses et gladios tractare debeant, sed potus satagere, ut charitatem, pacem et unionem mutuam fideliter diligant. Ibid. n. 7.

Stetit Jesus in medio discipulorum suorum, et dixit eis : Pax vobis. In quibus verbis singulariter, *in medio*, ponderandum nobis venit; ex illis namque Didacus Stella egregiam, suoque ingenio dignam educit moralitatem. Postquam enim per S. Apostoli auctoritatem Christum mediatorem nostrum demonstravit, pergit ulterius dicens : Quocirca debes animadvertere, quod, si proximo injuriam intuleris, aut manu eum percusseris, prius maxillam Christi ictus fueris, quam maxillam proximi, ideoque nemo proximum offendit et lædit quin prius Christum offendat. Paulo post vero idem auctor efficax quoddam subjungit motivum, per quod inducamur, ut vindicativos in nobis spiritus reprimamus, Christumque defensorem nostrum esse sinamus : Iram comprime, inquit, nec proximum offendas ; si vero tu injuria fueris affectus, tace; Deus enim, qui prius injuriam accepit, ipse vindicabit, cum dicat : Mihi vindictam, et ego retribuam. Ibid. dis. VIII, n. 15.

Cardinalis Toletus ulterius progrediens, considerat, quod universæ leges, quæ hactenus a bene ordinatis Republicis emanarunt, ad hunc quoque amorem reciprocum tendunt, omnes enim, sicut lineæ ad suum centrum, ita ad hoc dilectionis præceptum reducuntur. Revera enim omnis lex etiam civilis comprehenditur, quæ maxime in justitia cum proximo servanda consistit. Et vero per hanc occasionem Principibus insinuat, quanto ipsis pro quiete et pace publica conservanda auxilio sit lex Evangelica, utpote quæ in substantia sua professoribus suis aliud nihil æque inculcat, firmiterque persuadet, quam reciprocam charitatem et dilectionem. Cum Principatus versentur in conservanda justitia et pace inter homines, malum omne prohibendo, quo se mutuo afficere solent; Evangelium perfectionem maximam adfert Principibus, quia præcipit et inducit charitatem proximorum mutuam, quæ plenitudo est omnium legum. TOLETUS *ad Rom.*

S. Job maxima cura angebatur, ut familiæ suæ innocentiam sartam tectam conservaret : « Cum in orbem transissent dies convivit, mittebat ad eos Job, et sanctificabat illos, dicebatque : Ne forte peccaverint filii mei.» Verum dicat aliquis, qua ratione S. Job de puritate conscientiæ ipsorum bene sperare poterat, quando illi continuo epulabantur, et in conviviis erant? Potius quoad apparentiam externam, mala quævis suspicari de illis potuisset; siquidem conviviorum hilaria ut plurimum solent ad malum esse valde proclivia, et tamen, si Chrysostomo credimus, inimicus infernalis, qui unionem, et dilectionem fraternam et reciprocam ferre nequit, eisdem convivantibus iratus, muros domus subversos super illos corruere fecit. Observavit, tali eos tempore necare (quo nullatenus peccaverunt) quo, cum omnes simul læti erant, cum ad pacem conjungebantur. Instituantur licet convivia, sint homines jucundi, hilares, et faceta conversatione, cunctisque aliis recreationibus animum serenent, dummodo convivia illa et recreationes dilectione conditæ, et per charitatis legem bene regulatæ sint, nulla in iis offensa Dei subesse poterit; « quia qui diligit proximum legem implevit; et dilectio proximi, malum non operatur. » S. CHRYS. *de Job.*

S. Augustinus illa verba S. Pauli considerans : « Qui diligit proximum, legem implevit, » eademque cum aliis conferens, quæ idem Apostolus scripsit ad Galatas, nimirum : « Omnis lex, etc. sequens movet dubium, dicens : Cum in duobus præceptis dilectionis Dei et proximi perfecta sit charitas, cur Apostolus et in hac et in illa epistola solam proximi dilectionem commemorat, nisi quia in dilectione Dei possunt mentiri homines, quia rariores tentationes eam probant; in dilectione autem proximi facilius convincuntur eam non habere, dum iniqua cum hominibus agunt. Ergo is, qui non diligit proximum, omnium legum prævaricator esse convincitur, et idem evidens quoque argumentum est, quod neque diligat Deum. S. AUG. *in epist. ad Gal. l. c.*

Cherubini templi Salomonis ad utrumque propitiatorii latus constituti, expansis alis suis, et conversis ad se invicem vultibus sese mutuo aspiciebant : « Duos Cherubim aureos, et productiles facies ex utraque parte oraculi, Cherub unus sit in latere uno, et alter in altero, utrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas et operientes oraculum; respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium.» Advertendum enim est, quod

uno eodemque tempore sese invicem vicissim respexerint, concussisque alis reciproci in se amoris ignem accenderint, ita tamen, quod oculos habere debuerint in propitiatorium directos, ad denotandum, quod mediante igne amoris divini, alius quoque in nobis fraternæ dilectionis ignis accendatur. Unde Abbas Cellensis ait : Non vertunt vultus in propitiatorium, qui sese mutuo non respiciunt, « quia qui proximum, quem videt, non diligit, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere ? » In mutuo respectu fraterna dilectio, in verso vultu in propitiatorium humilis reverentia ad Creatorem nostrum intelligitur. Aliam ejusdem rei rationem B. Laurentius Justinianus adfert, nimirum connexionem necessariam, quam dilectio proximi habet cum dilectione Dei : Notandum autem est, inquit, quod nequaquam proximum recte potest diligere, qui prius Deum veraciter non diligit, amore Dei firmata esse debet dilectio proximi, nec hominem recte diligere novit, quisquis eum recte non diligit, qui hominem fecit. *Abbas Cell.* l. II *de Taber.*

D. Laurentius Justinianus dicit, quod juxta mensuram charitatis, qua proximum diligimus, amoris quo Deum prosequimur, intensio agnoscatur : Stateram quamdam spiritualem divini amoris, proximi voluit esse dilectionem. Scripturam Sacram quaquaversum, obsecro, pervolvatis, sic enim utique invenietis, quod Deus majorem curam habeat, ut proximos nostros diligamus, quam ut amemus Deum ipsum. Non quod et ipse cor nostrum possideret, sed quod ex proximorum dilectione, ea, qua ipsum amamus, mensurari et agnosci soleat. B. Laur. *Just. in Fascic. amor.* c. I.

Deus olim cuncta Sacrificia sale conspergi præcepit : « Quidquid obtuleris Sacrificii, sale condies, » idque mandavit non pro meliori carnium illarum sapore et condimento (Numquid manducabo carnes taurorum?) sed propter mysterium, ad denotandum videlicet, quod nullum opus nostrum illi acceptum sit, nisi illud a corde et voluntate, dilectione et amore erga Deum et proximum accensa processerit. Sal etenim ex duobus elementis inter se contrariis, aqua nimirum et igne, in nostrum tamen commodum et obsequium simul unitis et concordibus componitur. « Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos. » Man. dis. II, n. 10.

De S. Josepho, qui Dei honorem, fratrumque suorum salutem magno cum zelo prosecutus fuit, sacer Textus ait : « Accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo.» Porro inter sacros expositores non satis convenit, in quonam hæc accusatio præcipue steterit. Aliqui enim per crimen pessimum, crimen nefandum ; alii bestialitatem, alii prolatam adversus proprium suum genitorem detractionem intelligunt ; Pererius vero per crimen illud pessimum, sæpius inter ipsos obortas rixas et dissensiones intelligit, cui consonat Glossa interlinealis dicens : Quod est fraternum odium. Hebræus loco illius, crimine pessimo, ita legit : « Et retulit patri rixam eorum pessimam.» Unde subjungit Pererius, id ipsum bene consonare cum illo, quod sacer Chronista supra retulerat, scilicet filios liberæ contempsisse illos, qui ex ancilla nati fuerant, unde discordiæ et dissensiones inter ipsos procedebant. Istud in translatione nostra vocatur crimen pessimum, quia sicut fraterna charitas quid optimum dicitur, ita e contrario odium fraternum crimen pessimum nominatur. Idem, dis. x, n. 21.

Actus correctionis.

Macrobius Aurelius, lib. VI, Saturnal. cap. III, ait : Aqua dulcis magis idonea est, quam salsa, eluendis maculis. Rationem dicti ex Aristotele sumptam ibi assignat Disarius. Tantumdem ego de maculis et culpis proximorum affirmo, ut aquam dulcem suavioris reprehensionis adhibeamus, si emendare eas volumus, non aspera verba salsæ, et mordacioris increpationis. Argue mansuete et affabiliter, et videbis quantum fructum facies. Remissius imperanti, facilius paretur. Natura contumax est humanus animus, et in contrarium atque arduum nitens, sequitur facilius, quam ducitur, aiebat bonus Seneca de clementia. Nyssenus p. I, Fer. II, post 3, *Dom. Quadrag.* § 3.

S. Petrus Damianus quærit, quid mysterii habeat, quod Eliseus, quando cum virga, aut baculo misit discipulum suum Giezi, non revocavit in vitam piæ hospitis suæ filium : « Giezi posuit baculum super faciem pueri, et non erat vox, neque sensus.» 4. R. 4, 31. Præcucurrit Giezi, ut resuscitaret puerum, cumque omnia frustra a se tentata cerneret, reversus in occursum Magistri sui, inquit : Non surrexit puer. Baculum illi, sed nullo

commodo imposui, mors enim illum hactenus pertinax attinet. Ingressus itaque Eliseus cubile, in quo exanimis puer jacebat, claudensque post se ostium, posuit os suum super os ejus, et oculos suos super oculos ejus, et manus suas super manus ejus, et incurvavit se super eum, et calefacta est caro pueri. Percunctatur nunc S. Petrus Damianus, quare non æque Giezi, ac Eliseus redanimavit puerum? Respondet: Vide, quid quisque egit, ut resuscitaret, atque inde accipies, quare unus præ alio mortem depulerit. Giezi posuit baculum super faciem pueri; baculo velut dure illum excepit. At Eliseus posuit os suum super os ejus, ac blandiuscule illum habuit, et quid inde? Calefactus est puer, et revixit. Quare significatum fuit, ut, si ab animæ morte revocare proximos, si correptione reddere iis vitam, si Deo lucrari, si a malo statu reducere volumus, blanda manu eos contingamus, cum suavitate et charitate, non acerbe, non morose objurgemus: Quem terroris virga suscitare non potuit, per amoris Spiritum puer ad vitam rediit, inquit Sanctissimus Cardinalis opusc. II, c. XXVIII. Ibidem.

Tanta autem adhiberi debet lenitas et suavitas, tantumque piæ correptionis artificium, quo illa optatum fructum referat, ut, si capere, et constringere, Deoque venari fratrem tuum velis, industrios venatores imitari, et pro more illorum, animalis, quod captum cupis, colorem inducre debeas, hoc est, cum peccatore peccatorem, imbecillem cum imbecilli, cum tristi tristem præferre, sic nimirum, quæ voles, feliciter sub manus ibunt.

Indumenta, quibus Joannes utebatur, cum in eremo prædicans animarum lucris inhiabat, sic Matth. delineat, c. III. « Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos. » Atque ita vestibus clamabat in deserto, magnisque vocibus ad agendam pœnitentiam omnes cohortabatur.

Quæri potest, cur Joannes ut pœnitentiam prædicaret, et peccatores attraheret, tam informis animalis pellem, tam distorti simul ac turpis bruti exuviis vestiri voluerit, quem magis albus e candidiore mustela amictus decuisse videtur. Sacer Ravennatum Archiepiscopus D. Petr. Chrysol. ser. CLXX, respondet apte dicens: Accepit tortuosissimi pilos animantis, nihil habentis recti, nihil gratiæ, nihil decoris. Tali pœnitentiæ Magister indui debet vestimento, ut peccatores a vitiis abstractos Deo attrahat, nec enim aliud est, artificium, quo capere ac venari facilius illos possis, quam si miserias illorum induas, imbecillitatesque eorum ipse præferas. ABBAS COLL. I. II, *de Taber*.

Constituebat Christus Petrum et Andream prædicatores mundi, simul autem et illos et omnes, quotquot idem sacrum munus exercituri erant, piscatores hominum futuros dicebat, inquiens: « Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum; » MATTH. IV, 19.

Hinc scrupulus enascitur, quare Christus illos titulo Doctorum et Ministrorum insignire voluerit potius sub metaphora piscatorum, quam sub aliorum quorumcumque artificum similitudine?

S. Dorotheus, doct. VI, in piscatoria arte aliquid observavit, quod movere potuit, ut piscatores hominum facere velle diceret, quos Doctores illorum constituere certum habebat: Cum piscem ullum immensum hamo jacto ceperint, inquit ille, ubi illum fluctus miscere, et magna vi concuti sentiunt, non eum subito ad littus trahunt cum molestia, sed callide funem illi remittunt, sinuntque molliter enatare, quo voluerit, at ubi cognoverint remissam iram, sensim illum incipiunt trahere, sicque capto potiuntur. Hoc est, quod a piscatoribus discere prædicatores debent, ut magna utantur cautione et industria, cum educere ab aquis peccatorem quempiam volunt, quando is hamum correptionis hausit, ne illum perterrefaciant, ne minaciis percellant, sed blande suaviterque adducant temporisque omnes articulos observent, ut, quem destinato operi opportunissimum fore putarint, eo illum ex undis vitiorum ad emendationis littus attrahant. Viri Sancti, inquit iterum Dorotheus, cum patientia et charitate fratrem trahunt, neque ipsum calcibus appetunt, sed veluti mater, quæ deformem filium peperit, non eum spernit, quia deformis est, sed materno amore, et mansuetudine ornatum reddit, et quidquid gratum noverit, facit; ita illi peccatorem semper suscipiunt, ornant, tuentur, protegunt, ut tandem eum revocent, et erigant. Id. *Dom.* V, *post Pasch.* § 3.

Commisit David duo illa tam gravia, quam notoria flagitia, et quia Deus rebus illum magnis servabat, ejusque exemplo spem aliorum, qui similia perpetraturi erant, erigere volebat, misit Dominus Nathan ad

David, II, Reg. XIII. qui illum de malefactis objurgaret. Dubitarunt nonnulli, quantum temporis intercesserit inter horam, qua peccavit David, et eam, qua de sceleribus suis commonefactus a Nathan fuit, quod Sacer Scriptor dissimulasse videtur. Eusebius Cæsariensis apud Danielem Barbarum, in Catena super Psal. L, ait, totum annum effluxisse, antequam venerit monitor. Sed cur Deus tamdiu cunctatus fuit, ut Davidi reprehensorem vatem submitteret? Nonne satius factum, si recenti adhuc vulneri cataplasma impositum, et quam primum natæ infirmitati medicina adhibita fuisset? Eusebius, quem dixi, aliter sentit, ob eam causam, quod primi a commisso peccato dies nondum essent opportuni, adhibendæ medicinæ, aut curando ægro, cujus in corde peccatum per id tempus, non secus ac in dolio mustum effervescebat, adeo non hæsisset vulneri emplastrum.

Huc facit illud Dionis Cassii de agricultura, l. VII, c. XIII. Illud in omnibus vinis peculiariter observandum est, ut jam sedatis ipsis condituram faciamus, quæ si tum curare velis, cum æstuant, sursumque ac deorsum convolvuntur, frustra condimentum adhibueris. Ea propter providentissime Dominus expectavit, donec animus Davidis discusso nubilo serenatus, sibique redditus fuisset, ut optatum sortiri medicina effectum, atque in vulneris intima penetrare efficacitas emplastri posset. Deus nimirum, ut scribebat Abulensis, qu. V, in c. IX. Judicum, pro sua benignitate non solum miseretur nobis, sed etiam fecit nos dignos misericordia, inquirens tempus, in quo misereatur, secundum illud Isaiæ XXX, 18, *Expectat Dominus, ut misereatur vestri*. Cum Davide sane sic egit, expectans tempus opportunum curationi, quo providebat salutarem fore medicinam, quam paratam habebat, tempus, inquam, quo illum correptioni aptum, et ad eam recipiendam commode dispositum prospiciebat. Docuit eo exemplo omnes, qui aliorum emendationi dare operam volunt, quo artificio et astu ad hanc rem uti debeant, ut prosit reprehensio, et non magis exasperet vulnus medicina. Ibidem.

Quærit Beatissimus P. Gregorius, cur Nathan tam densis obscuræ parabolæ involucris contegere voluerit, quæ Davidi, ut sceleris sui illum admoneret, dicturus erat, neque apertis verbis in os illum objurgarit de peccato, quod jam ante nimis, quam pervulgatum erat. Respondet autem his tam disertis verbis : Vir Sanctus, et peccatorem considerans, et Regem, miro ordine audacem reum prius per confessionem ligare studuit, et postmodum per invectionem secare, celavit paululum, quod quæsivit, sed percussit repente, quem tenuit, pigrius enim fortasse incideret, si ab ipso sermonis exordio aperte culpa ferire voluisset, sed præmissa similitudine eam, quam occultabat, exacuit increpationem. Ad ægrum medicus venerat, secandum vulnus videbat, sed de patientia ægri dubitabat. Abscondit ergo ferrum medicinale sub veste, quod eductum subito fixit in vulnere, ut secantem gladium sentiret æger, antequam cerneret, ne si ante cerneret, sentire recusaret. Hæc ille in lib. curæ pastoral. p. III. admon 4. Nonne videtis, quam solertiam hoc opus, et quantam sedulitatem res ista postulet, et quam attentum, circumspectumque esse oporteat, ut bonæ occasionis optimam rationem habeat, qui alios redarguturus est, ne, si forte intempestivus adveniat, corrumpat eum, quem corripere, et emendare cupiebat. O quantum artis et industriæ, recte corripiendorum aliorum officium exposcit! Ut enim crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur, atque ultro requirit, sic recens animi dolor consolationes rejicit, mox desiderat, et clementer admotis acquiescit, inquiebat Plinius, l. V, ep. XVI; sic vere nova animæ plaga curam omnem respuit, sed post, quam inde subsecuta perturbatio subsidit, non admittit solum, verum expetit etiam medicinam. Quare prudentissime facit, qui temporis oportunitatem caute, diligenterque observat, per quam sæpe fit, ut antidotum ab exoccupato jam ægro non ægre suscipiatur, neque admodum vel sentiatur, vel curetur, tametsi forte acerbius asperiusque expectatione illius, malagma fuerit. Ibidem.

XV. MISCELLANEA.

Rachel dilexit Tobiam juniorem, vel hac una de causa, quod boni et optimi viri filius esset, et illius similitudinem haberet, etsi nesciebat, an junior Tobias pius futurus esset; pari modo, et anima quævis, etsi nesciamus, an odio vel amore digna sit, amanda tamen est, quia optimi Dei similitudinem refert, ejusque filia est. F. Sales. lib. X.

Abbas Pæmen interrogatus, quomodo in-

telligendum esset illud Christi : Majorem charitatem etc. Respondit : Si quis malum verbum audivit a proximo suo, et tolerat patienter, iste animam ponit pro amico suo. *V. PP.* l. III. n. 201.

Dixit Abbas Pastor, quacumque hora tegimus peccatum fratris nostri, teget etiam Deus nostrum ; et quacumque hora prodiderimus culpas fratrum, et Deus similiter nostra prodet.

Quidam Frater rogavit Abbatem Pæminem : Quid faciendum, quia turbor a tristitia? Respondit senex : Neminem pro nihilo despicias, nullum condemnes, nulli detrahas, et dabit tibi Dominus requiem.

Interrogatus quidam senex a Fratre quomodo inveniret Deum, utrum in jejuniis, vel in laboribus, vel vigiliis, vel misericordia ? respondit : In his, quæ enumerasti, et in discretione ; dico enim tibi, quod multi afflixerunt carnem suam, et quia hoc sine discretione faciebant, abierunt vacui, nihil habentes. Os nostrum præ jejunio fœtet, Scripturas omnes didicimus, ex corde psalmos David consummavimus, et quod Deus requirit in nobis, non habemus, scilicet charitatem et humilitatem. Ib, l. IX, n. 6.

Quidam monacus senex magna charitate fratres suscipiens cum interrogaretur, cur ante canonicam refectionis horam prandere eos cogeret? respondit : Jejunium, Fratres, semper est mecum, vos vero non semper mecum tenere potero. Itaque Christum in vobis suscipiens, reficere eum debeo, et cum vos deduxero, districtione jejunii in memetipso potero compensare. Non enim possunt filii Sponsi jejunare, donec cum illis est Sponsus, cum autem discesserit, tunc cito jejunabunt. *Vitæ PP.*

Cum quidam Frater diceret ad senem : Duo Fratres sunt in cella. Unus sex diebus jejunat, alter infirmantibus facit obsequium, cujus opus melius est apud Deum ? Respondit senex : Etsi ille jejunus per nares se suspenderit non erit similis alteri in conspectu Dei. *Vitæ PP.*

Senex solitario mortuum portanti dixit : Mortuos portas? At vivos porta. Penn. Q. *in Isag.* p. III, c. xv, n. 1.

Animalia portantia currum Dei, habebant quatuor facies, indicantes appetitum concupiscibilem, et irascibilem, intellectum, et voluntatem ; aut etiam quatuor Virtutes Cardinales, et habebant tantam inter se concordiam, ut Propheta nunc de iis quasi de multis, nunc quasi de uno loquatur, dicens : Ipsum est animal. Ludov. de Pont. P. III, tr. iii, c. ix.

Regina dicitur astitisse in vestitu deaurato, circumdata varietate, ad significandum, quod licet in aliqua communitate sunt homines diversarum nationum et linguarum, debeant tamen semper convenire in veste aurea dilectionis portanda. *Ps.* lxiv, v. 10, Ibid.

Unde Ecclesiasticus ait : Filii sapientiæ, Ecclesia justorum ; et natio illorum obedientia et dilectio. Eccl. II, v. p.

Cervi cum insulas tranant, ita sibi mutuo capita inclinant, ut primus, quando fatigatus est, post omnes recedat et ipse pariter alteri caput inclinet, onus portandi proxime succedenti reliquens ; si hoc cervi, quid Christiani? Nihil sic probat amicum, quam oneris amici portatio. S. Aug. ser. XV, *de Apost.*

Cæsar cum exteros quosdam videret catulos in sinu ferentes, interrogabat, an apud illos populos liberi non reperirentur ? indignatus videlicet, amorem, qui liberis debetur, in catulos transferri. Stapl. Dom. XVII, *post. Pent.*

Sponsa in Canticis, postquam dixisset : Posuerunt me custodem in vineis ; mox addit : Vineam meam non custodivi ; quia quocumque die aliis quis vigilare incipit, eodem rerum suarum memoriam deponere, et suis commodis dormire incipit, ut officio suo satisfaciat. Them. III, Cant. i, v. 6.

Christus post mortem in latere, quod versus Aquilonem erat situm, vulnerari voluit, quia cum omne malum adversus Ecclesiam ab Aquilone venturum prævideret, juxta illud Jeremiæ : Ab Aquilone pandetur omne malum (Jer. I. 14), primum ictum in se suscipere voluit, ut minus læderetur Ecclesia. Didacus Nyss. per. n. 4. in Dom I. *Adv.*

Carolus Fridericus, Dux Juliacensis, pro symbolo habuit parmam, sive scutum, humanis cordibus plenum, cum inscriptione : Sic murus aeneus esto. Mich. Radaw, *in orat. exemp.* p. II, c. iii, q. 6.

Parthenica Sodalitas in collegio Romano habuit in symbolo catenam ex annulis, non nexis sibi invicem, sed a superstante magnete compositis, cum inscriptione : *Arcanis nodis.* Sodalitas vero Mariana habuit columbam odore perfusam, quam gregatim aliæ sequebantur, cum lemmate : *In odorem.* Ibid.

AXIOMATA.

Est amor ingratus, si non sit amator amatus.

Sorte patet misera, quæ sit dilectio vera.

Verus amator erit, qui me plus, quam mea, quærit. Buchler. v. eod. Ibid.

Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Ibid.

AUCTORES.

Alphonsus Rodriquez, p. I. tr. 4. n. 3. NB.

Ludovicus de Ponte, t. II. tr. III. et t. III. tr. I. c. v, et tr. VII, c. III, IX, X, XI, XII, n. 3. NB.

Franciscus Labata, in Apparatu, verbo : Amor proximi, et correctio fraterna.

Petrus Sanchez, in Regno Dei p. VI.

Petrus Canisius, t. I, c. III.

Bernardinus Rosignolius, de Discip. perf. l. II, c. VII.

Hieremias Drexelius, in Rosis p. I, c. I.

Joannes Busæus, in Viridiario v. Charitas Dei, et proximi.

Ludovicus Granatensis, in Silva locorum communium, f. 329.

Laurentius Beyrlinck, tex. V, in Fest. S. M. Magd. et test. I, in Festo SS, Simonis et Judæ.

Th. Stapletonus, tex. IV, in Dom. XII, post Pent. et tex. III, in Dom. XVII. Item tex. I. In Dom. I, et tex. VIII, in Dom XII, post Pent.

Matthias Faber, c. I, in Fest. SS. Simonis, et Judæ, conc. II. de Inimicis diligendis. Quam materiam etiam tr. conc. III. in fest. S. Stephani. Item con. II, in Dom. XII. post. Pent. conc. V, in Dom XVII, conc. II, in Dom. XXI.

Josephus Mansi, t. I, tr. V. Bibl. Mor.

DISCORDIA.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.—Est quædam voluntatum disgregatio in diversa, juxta S. Th. aut juxta Ciceronem, est ira acerbior intimo odio et corde concepta. S. Th. II. II, q. XXXVII a. 1.

Unde Isidorus dixit : Discordia est aliquorum diversio, quos prius amoris vinculum colligavit. Concordia vero est convenientium in rectitudine animorum indirupta quædam et unita complexio. Seditiosus est qui dissensionem animorum facit, et discordias gignit. Isid. *l. Ethymol.*

Actus. — *Verbis, alterius opinioni se plus æquo opponere ;* id quod S. Paulus prohibuit dicens : Noli contendere verbis; ad nihil enim utile est nisi ad subversionem audientium. II. Tim. II, II, 14.

Ad verbera usque contentiones et rixas extendere ; de quo illud Salomonis intelligi potest : Non litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius. Eccl. VIII, v. I.

Etiam sanguinem effundere rixando ; id quod Siracides indicavit, dum dixit : Certamen festinatum incendit ignem, lis festinans effundit sanguinem. Ib. XXVIII, v. 13.

II. EX. S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Non est dissensionis Deus, sed pacis.

Sex sunt quæ odit Deus, et septimum detestatur anima ejus, qui seminat inter Fratres discordias. Prov. VI, v. 16.

Cum sit inter vos zelus et contentio, non carnales estis ? I. Cor. XIV, v. 33.

Inter superbos semper jurgia sunt. Prov. XIII, v. 10.

Abstine a lite, et minues peccata. Eccl. XXVIII, v. 12.

Qui tecum vult judicio contendere, et tunicam tollere, dimitte ei et pallium. Matth. V, v. 60.

Dammum. — Sex sunt, quæ odit Deus, et septimum detestatur anima ejus, qui seminat inter Fratres discordias. Prov. VI, v. 16.

Noli contendere verbis, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. II. Tim. VI, v. 14.

Vir sapiens, si cum stulto contenderit, non inveniet requiem. Prov. IX, v. 9.

Omne regnum divisum contra se desolabitur, et omnis civitas vel domus divisa contra se non stabit. Matth. XII, v. XV.

Væ mihi ! Mater mea, quare genuisti me virum rixæ et discordiæ in universa terra ? Jer. XV, v. 10.

Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in jurgio cito ; ne postea emendare non possis, cum dehonestaveris amicum tuum. Prov. XXV, v. 8.

Fortis impegit in fortem, et ambo pariter conciderunt. Jer. XLVI. v. 12.

Ubi zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. Jac. III,16.

Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, etc. Qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt. Gal. V,19.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.—Septimum locum inter carnis opera contentio possidet, quodam quasi sacrato, et eminenti inter vitia numero collocata. Servum enim Domini non oportet rixari, sed esse mansuetum ad omnes, doctorem longanimem, cum mansuetudine audientem etiam eos, qui e contra disputant. S. Hier. in cap. V *ad Galat.*

In discordia nemo benedicit Dominum. S. Aug. *in Psalm.*

Decet regalis apicis curam, generalitatis custodire concordiam, quæ ad laudem regnantis trahitur, si ab hominibus pax ametur. Quid enim est, quod Principem melius prædicet, quam quietus Populus, concors Senatus, et tota Respublica morum honestate vestita? Cassiod. Ep. XXII.

Summopere jurgia fuge; nam contra parem contendere anceps est, cum superiore furiosum, cum inferiore sordidum, maxime autem contra fatuum contentionem inire; nam absentem lædit, qui cum ebrio litigat. Idem.

Discordia est aliquorum diversio, quos prius amoris vinculum colligavit. Isid. *Etym.*

Nulla spatia possunt satis esse discordibus, pacificis angusta abundant, dissitis moribus etiam spatiosa arctantur. S. Ambros. *de Patriarcha.*

Damnum. — Qui incepto verbo rixam et discordiam ex fraterno corde provocat, quasi necessaria ultra modum emungens sanguinem elicit. S. Hier. in c. XXX *Prov.*

Perversæ mentes, si semel ad studium contrarietatis eruperint, sive pravum, sive rectum quid a contradicentibus audiant, adversus hoc responsionibus impugnant; quia cum persona per contrarietatem displicet, nec recta, quæ protulerint, placent. S. Greg. *l. Moral.*

Discordans et dissidens, et pacem cum fratribus non habens, secundum quod B. Apostolus et Scriptura testatur, nec si pro nomine Christi occisus fuerit, crimen dissensionis poterit evadere, quia, sicut scriptum est: Qui odit fratrem suum, homicida est. Quale delictum est, quod nec Martyrio sanguinis potest ablui. S. Cypr. *de Grat. Dom.*

Nulla re amicitiæ facilius diluuntur, quam diversa animorum sententia. S. Basil. Orat. I, *de pace.*

Quid in nostra doctrina præstantissimum est? Pax, addam etiam utilissimum. Contra quid turpissimum et perniciossimum? Voluntatum disjunctio. S. Greg. or. XX.

Audiant jurgiorum seminatores, quod scriptum est: Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur; atque e diverso colligant, quia si Filii Dei vocantur, qui pacem faciunt, procul dubio sunt Satanæ Filii, qui confundunt. Ibidem.

Lingua rixosa veneno est plena; quæ si non fuerit castigata, omnes suos socios perducet ad scandala. S. Bern. *de Modo bene viv.* S. XVII.

Contentiones e principio exiles quidem esse solent, et facile curantur; at procedente tempore auctæ, insanabiles omnino evadunt. S. Basil. or. IX.

Infelix victoria est, qua superans hominem succumbis vitio. S. Bern. S. *ad milit.*

Discordia aditus potius dispendii habet, quam utilitatis. S. Greg. *in Registr.*

Munus non recipitur, nisi prius discordia repellatur ab animo. Id. *super Ezech.*

EXEMPLA CATHOLICA.

Qualitas.—Josephi, Ægyptii Proregis, fratres non poterant ei quidquam pacifice loqui; ideo ille postea jam Prorex ab eis agnitus redituris in patriam dixit: Ne irascimini in via; quasi diceret: Novi contentiosum vestrum genium; moneo proinde, ut caveatis a litibus, ne unio fraterna violetur, et gravia vobis per discordiam mala creentur. Gen. XXXVII,4.

De Abrahami et Lot pastoribus testatur S. Scriptura: Facta est rixa inter pastores gregum Abraham et Lot; erat quippe substantia eorum multa, nec poterant habitare communiter. Gen. XIII,7.

Esau et Jacob in utero matris collidebantur, quod explicans Dominus consulenti Rebeccæ dixit: Duæ Gentes sunt in utero tuo, et duo Populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, et major serviet minori. Gen. XXV,12.

Diuturna fuit dissensio inter domum Saul, et domum David, sed hujus domus semper proficiebat, alterius vero continue decrescebat. I Reg. v.

Inter Christi discipulos orta est contentio quis eorum videretur major? cæterum id Domino diplicuisse ex iis, quæ sequuntur manifestum est. Luc. xxii.

Occasione Joannis Marci, quem Paulus volebat assumere ad opus Evangelii, facta est dissensio inter Paulum et Barnabam, ita ut ab invicem discederent. Act. xv.

B. Franciscus Assisius, cum venisset aliquando ad Aretinam civitatem et ibi seditione inter cives orta propinquum immineret excidium civitatis, vidit duos dæmones exultantes, civesque contra se invicem succensentes. Cum autem Sanctus vir mandasset, per socium, ut ex parte omnipotentis et sui dæmones omnes recederent, subito miro modo cives omnes unanimiter in pacem assenserunt. Joan. Trit. lib. I, *de Tent. et elig.* c. v.

Anno Domini 1035, Henricus III, Imperator, natura jucundus, hominibus affabilis, omnibus humilis, hostibus terribilis, pauperibus pius et largus, cum semel festum Pentecostes apud Moguntiam celebraret, diabolo suadente, inter famulos Archiepiscopi et famulos Abbatis Fuldensis contentione suborta de locatione, post verba deventum est ad verbera, ex quo Ecclesiæ pavimentum cruore repletur; sed Episcopis et aliis convolantibus, pax inter dissidentes reformata est, templum purgatum, atque cum multa devotione Missa celebrata est, et cum ad illum versum Sequentiæ ventum est : Hunc diem gloriosum fecisti, vox ab aere lapsa est, dicens : Hunc diem bellicosum ego feci. Quo audito, rigentibus omnibus, Imperator diligenter intendens lætitiam diaboli : Tu, inquit, omnis malitiæ inventor et incensor, diem bellicosum, et arrogantibus luctuosum fecisti ; sed nos per Dei gratiam, qui illum gloriosum fecit, pauperibus et indigentibus gratiosum faciemus. Et mox reincepta sequentia, solemni ploratu gratiam Dei invocabant, completaque cum devotione Missa, omnibus pauperibus per præconem vocatis, omnia pretiosa cibaria quæ sibi et curalibus præparata erant, in usus illorum consumpsit, ipseque pius Imperator cum cæteris Prælatis ac Ministris propriis manibus illis servivit. Joan. Naucter, *vol.* ii, *Chronogr. gener.* xxxvi. An. 1055.

Fuga. — Abraham advertens rixas inter suos et fratris pastores exortas esse, dixit ad Lot : Ne, quæso, sit jurgium inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos. Fratres enim sumus. Ecce universa terra coram te est ; recede a me, obsecro ; si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo ; si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. Gen. xiii, 8.

S. Paulus licet oraculo Spiritus S. ab initio cum S. Barnaba conjunctus fuerit, tamen quia postea diversitas opinionum inter eos exorta fuerat, se ab eo segregavit, ne contentio inter eos exurgeret, uti S. Chrysos. testatus est dicens : Mihi discrete videtur separatio Pauli a Barnaba facta, quod inter se dixerint : Quoniam ego non volo, nec tu vis, ne pugnemus, distribuamus Provincias. Et ita sibi invicem multum cedentes hoc fecerunt. Act. xv, 30.

Unde idem S. Paulus Corinthiis postea scripsit : Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei. I Cor. xi, 16.

S. Gregorius sententiam quamdam de certo Evangelii argumento explicans in concione, subjecit, si quis contrarium sentiat, malle se alienæ sententiæ salva Fidei veritate subscribere, quam cum aliquo contendere. S. Greg. hom. iii, *in Ev.*

S. Ephrem testamentum conscripsit, non nummis sed meritis opulentum, in quo gratias agit Deo, quod numquam litigarit cum ullo homine. Drex. *in Phaet.* c. x, § 4.

In Galliarum finibus, cum Abbas quidam graves cum domino quodam præpotente lites haberet, jamque eo devenisset contentio, ut sæcularis dominus integras cohortes in aciem educeret, ipse Abbas cum solis monachis equis impositis crucisque vexillo eidem obviam progressus est, quo viso, tantus hostes divini timoris horror invasit, ut protinus de equis desilientes arma projicerent, et in genua provoluti veniam peterent. *Spec. Ex. V. Discor.* ex. ii.

S. Macarius audiens cœlitus se nondum pervenisse ad mensuram meriti duarum mulierum in civitate Alexandrina existentium; cum easdem indagasset et interrogasset, quibus potissimum virtutibus studerent? Responderunt illæ, se nihil aliud scire, nisi quod quindecim annis in eadem domo habitantes numquam litigassent, sed semper pacem coluissent. Ib. ex. v.

Senex quidam, in vitis Patrum, egregie admonet : Si quis, ait, aut de Scripturis, aut

de quacumque causa locutus fuerit, ne contendas cum eo, sed si quidem bene dicit, consentias ei, si vero male, dic ei : Tu scis quomodo loqueris. Ait enim Apostolus : Nolite contendere verbis. Hoc observans et humilitatem possidebis, et odium evitabis. Nam si persistas contendens, et vis defendere sermonem tuum, nascetur scandalum. *Ex vit. Patrum*, p. II, p. 175.

Damnum.— Duo adolescentes, quia de lacu ex paterna hæreditate relicto fœde contendebant, nec etiam S. Gregorio Thaumat. quem arbitrum litis constituerant, cedere volebant, effecerunt, ut ad ejusdem Sancti preces lacus totus exsiccaretur. Euseb. lib. VII, c. xxv.

Quidam Sacerdos, capitalem cum alio Sacerdote discordiam fovens ad eumdem assumpta secum lancea perrexit ; verum ingruentibus tenebris quinque nigros equites obvios habuit, quorum duci cum manum offerret (putans eum esse alium, a quo jam sæpe sollicitatus erat, ut ejus subditus fieret) et fidelitatem promitteret, dux dicens diabolum se esse, et ad servanda promissa hortatus, cum sociis disparuit. Unde ipse territus Episcopum adiit, factum narravit, et seriam pœnitentiam egit. S. Petrus Dam. l. IV, ep. xvii.

Vetula quædam, quia a diabolo loculum nummis plenum acceperat, ut discordiam inter maritum quemdam et uxorem seminaret, ea seminata audivit a dæmone : Quod triginta annis ego perficere non potui, tu tribus diebus effecisti ; digna proinde es competente præmio. Secumque vivam in infernum abripuit. *Spec. Ex.* l. c. ex. x.

Frater quidam conversus in monasterio Schonaug, quia ob certum calceamentorum genus singulis annis dari solitum et ab Abbate ob graves causas abrogatum, reliquos adversus dictum Abbatem concitavit ; post aliquot monitiones et castigationes frustra factas, denique ut idem Abbas prædixerat, pridie Natalis Domini, quo consilium ab eo suggestum de calceamentis minutim scindendis executioni mandari debebat, subito vocem cum gemitu extollens et pallescente facie, naribus contractis, oculisque eversis, inter brachia socii conspirantis expiravit. Ibid. ex. vii.

EXEMPLA DOMESTICA,

S. Ignatius summe detestabatur lites et contentiones ; hinc etiam in gravissimi momenti controversiis cedere malebat, quam litigare, etiam si cum sat magno incommodo suo id fieret, uti factum est, cum in refectorium Domus Professæ perobscurum vetuit fenestram in communi muro effingi, eo quod vicinus, licet contra jus, concedere id nollet. Addebat autem ejusmodi studium concordiæ non modo per honestum et liberale, sed etiam valde proficuum esse ad benedictionem a Deo, propter quem et ex amore justitiæ ac charitatis fraternæ damnum in temporalibus patimur, obtinendam. *Vit.* l. V, c. ii.

S. Franciscus Xaverius semper quidem, sed maxime pro suggestu contentiones et certamina vitari jubebat, quamvis justæ certaminum, multæque ac magnæ causæ incidissent ; ex talibus enim concionibus non solum Dei populique offensionem oriri, sed etiam certantium, cultusque divini perturbationem. *Vita*, l. IV, c. xxii.

Coccini cum Sodales quosdam, qui Soc. Jesu templum concesserant, Patribus infestiores esse cognovisset, ipsemet magna honestissimorum hominum frequentia prostratus claves templi ante eorum posuit pedes, eaque demissione offensos animos penitus placavit. Ibidem, l. IV, c. xiii.

P. Petrus Faber Alphonso Alvaro inter alia hoc etiam præceptum dabat : Offensiunculas statim elide, ex illoque Apostolico monito : Sol non occidat super iracundiam vestram. Ne quieti te des ante quam fratri reconcilieris, eique ipsi simpliciter animi tui commotionem aperias. Id est colaphum dæmoni impingere, cui reconciliatio et demissio illa acerrimum dolorem ac probrum inurit. *Vita*, l. II, c. xiii.

Joannes Berchman in lusu numquam vocem clamosiorem edebat, aut cum altero contendebat. Imo inter alia sibi hoc etiam præceptum fecerat : In rebus agendis cave a spiritu contentionis et contradictionis, et quando aliquid faciendum est, ut laborandum in culina, libenter sequaris judicium alterius, et idem sentias in rebus levioribus.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut vultures ad extincta corpora odore feruntur, sana non sentiunt ; ita mali delicta statim olfaciunt, et ob ea litigant et contendunt, ad recte facta stupidi. Plin. l. x.

Sicut macula statim eluenda est, ne inhærescat, et difficilius eximatur; ita dissensio fratrum illico tollenda est, ne odium gignat. PLUTARC. *in Mor.*

Sicut unico gallo cantante, aut cane latrante, mox alii etiam galli canunt, vel canes latrant; ita fatuus, si incidat in hominem contensiosum, ambo clamare, et extra se ire incipiunt. DREX. *in Phaet.* c. X, §. 1.

Sicut qui apprehenderit auribus canem, sic qui transit impatiens, et commiscetur rixæ alterius. PROV. XXVI, 17.

Sicut echo silvarum tamdiu clamoribus respondet, quamdiu clamatur; ita inter litigantes non cessat contentio, quamdiu neuter a clamore desistit. DREX. l. c. §. 4.

DAMNUM. — Sicut acetum corrumpit vas, si diutius ibi fuerit; sic ira corrumpit cor, si in alium diem duraverit. S. AUG. ep. 87.

Sicut ventis certantibus universum mare concutitur et conturbatur; sic Regibus aut Principibus sibi adversantibus populus vexatur S. CHRYS. in c. I. *Matth.*

Sicut in musica, si vel unica chorda dissensiat, ingratissimus sonus efficitur; ita in communitate, si vel unicum membrum discordet, dulcedo pacis et charitatis corrumpitur et turbatur. Id. hom. XXVI, *in Num.*

Sicut singula hastilia aut tela facile franguntur, non item si plura uno vinculo sint colligata; sic vires per concordiam unitæ difficulter superantur, facile autem si per discordiam sunt separatæ. PLUTAR. *in Mor.*

Sicut periculum, quod navi in unum latus inclinatæ et ad submersionem tendenti impendet, avertitur, si omnes in alterum latus se inclinent; ita exitium, quod interdum Reipublicæ imminet, per civium concordiam evitatur. Idem

Sicut aqua, si in locos hiantes ac diductos influit, magis eos divellit; ita qui discordias importune componere satagit, sæpe magis illas adauget. Idem.

MOTIVA.

Quia diabolicum est vitium; uti S. Gregorius indicavit, dum dixit: Admonendi sunt, qui jurgia seminant, ut, cujus sint sequaces, agnoscant. S. GREG. III, p. *Past admon.* 23.

Quia stultissimum est vitium; juxta Salomonem enim: Labia stulti miscent sé rixis, et os ejus jurgia provocat. PROV. XVIII, 6.

Quia nocentissimum est vitium; uti S. Gregorius iterum testatus est dicens: Admonendi sunt dissidentes, ut noverint, quod tamdiu nullum boni operis sacrificium Deo immolant, quamdiu a proximorum charitate discordant. Scriptum namque est: Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversus te, relinque munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo. Ex qua præceptione pensandum est, quorum hostia repellitur, quam intolerabilis culpa monstratur. Nam cum mala cunctis bonis operibus sequentibus diluantur, pensemus, quanta sint mala discordiæ, quæ, nisi extincta penitus fuerint, bonum subsequi non permittit. S. GREG. l. c.

Quia summum impedimentum orationi affert; hinc S. Augustinus Fratres suos monuit dicens: Si invicem se læserint, invicem sibi debita relaxare debebunt propter orationes vestras, quas utique, quanto crebriores habetis, tanto saniores habere debetis. S. AUG. Ep. 109.

Quia plurimorum vitiorum est radix; in uno enim malo innumera peragunt, qui seminando discordiam, charitatem, quæ virtutum omnium mater est, extinguunt. Quia autem nihil pretiosius est Deo virtute dilectionis, nihil est delectabilius diabolo extinctione charitatis. S. GREG. III, *Past. admonit.* 23.

Quia mali homines ad patrandum malum tam sunt concordes; hinc lamentans S. Hieronymus ait: Infelix populus Dei non potest in bono tantam habere concordiam, quantam mali habent in malo. S. HIER. in *Ps.* 82.

Quia præstat honeste vinci, quam periculose ac nefarie vincere, teste S. Greg. Nazianzeno. Non enim tantum est egregium scire vincere, sed etiam posse vinci pulchrum est, ubi victoria damnosa est, inquit recte Plutarcus. PLUT. l. *de Educ. liber.*

MEDIA.

Virtuti charitatis studere; nam, teste S. Aug. contentioni non resistitur, nisi crebro divinorum librorum testimoniis incutiatur timor et charitas Dei. S. AUG. ep. LXIV.

Silentium servare, dum alter contendit; ita S. Chrysos. suasit dicens: Malum hominem

tacendo, et locum dando melius vincis, quam respondendo, quia malitia non instruitur sermonibus, sed excitatur. Et, teste S. Valeriano, plena victoria est, ad clamantem tacere et non respondere provocanti; id quod S. Chrys. similitudine venti per duas januas flantis declarat, quarum si utraque aperta sit, ventus vehementius furere pergit; omnes autem mox vires amittit, si alterutra claudatur. S. Chrys. hom. xxxviii, in c. xxii. *Matth.*

Cedere loco; ut S. Ambros. suasit dicens : Resiste iræ, si potes; cede, si non potes. Quia scriptum est : Date locum iræ. Jacob fratri indignanti pie cessit et ideo tantam apud Deum invenit gratiam. Certe Isocrati videtur humanitatis officium deserere eum, qui rixosus est, et contra omnia contendit. S. Amb. l. II. *Offic.* c. II.

Cito componere; id quod majores nostri docuerunt, convivium solemne instituentes, quod Eucharistiam vocaverunt, cui præter cognatos et affines nemo aderat, ut si quæ inter eos querelæ essent exortæ, apud sacram mensam et inter hilaritatem animarum, fautoribus concordiæ adhibitis, tollerentur. Valer. Max. l. II.

Castigatio seria; nam, teste Cassiodoro, cogi debet esse quietus, qui suo vitio renuit esse pacificus. Cass. l. I, ep. I.

ASCETICA.

Tria præcipue sunt, quæ circa hoc vitium bene advertere debet Asceta. Primum est, ut sciat, quando permittere possit dissensiones; nam, ut sapienter dixit S. Aug. « Dissensiones nunquam debent amari; sed aliquando tamen aut ex charitate nascuntur, aut charitatem probant. Quis enim facile invenitur, qui velit reprehendi? Et ubi est ille sapiens, de quo scriptum est : Corripe sapientem, et amabit te? Nunquid tamen ideo non debemus reprehendere et corripere fratrem, ne securus tendat in mortem. » S. Aug. ep. c. lvii.

Aliam causam permissionis affert S. Greg. dum ait : Sicut noxium esse solet, si unitas desit bonis, ita perniciosum est, si sit in malis, perversos quippe unitas corroborat, dum concordant, et tanto magis incorrigibiles, quanto magis unanimes fecit. S. Greg. l. XXXIII. *Mor.*

Id quod apposite per fabulam confirmavit nonnemo, dum finxit : Accipitres quondam acerrime inter se belligeratos fuisse. Quos proin Columbæ pacificare conatæ effecerunt, ut ipsi quidem inter se concordes essent, sed odium in Columbas converterent, easque ad necem usque persequerentur. Hinc Melanthius dicere solebat, Rempublicam Atheniensium dissidiis oratorum servari, quod, cum non incumbant universi in unum latus navigii, fiat, ut ab altera parte veluti pondere opposito administratio libretur. Lang. *in Polyanth.* v. conc.

Alterum est, ut sciat solidum modum vitandi discordias, quem quidem pulchre S. Gregorius indicavit, dum dixit : Boni viri freno consilii retinent præcipitationem verbi, et caute considerant, ne relaxantes linguæ lasciviam auditorum conscientiam incauta locutione transfigant. Unde bene per Salomonem dicitur : Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum. Aqua quippe dimittitur, cum linguæ fluxus effrenatur. Sed dimissor aquæ caput jurgiorum efficitur, quia per linguæ incontinentiam discordiæ origo propinatur. S. Greg. l. V, *Mor.* c. xii.

Tertium est, ut solidum quoque medium sciat sedandi discordias exortas, quale quidem S. Ambrosius assignat dicens : Illæ commotiones in pueris innoxiæ sunt, quæ plus habent gratiæ quam amaritudinis. Et si cito pueri inter se moventur, facile sedantur, et majori suavitate in se recurrunt. Nesciunt se subdole, artificioseque tractare. Nolite contemnere hos pueros, de quibus Dominus ait : Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cœlorum. S. Amb. I. *Offic.* 21.

Aliud medium suggessit alius, qui dixit : Sicut tormenta bellica majora, si muro allidantur, perfringunt, si in saccum laneum deferantur, non penetrant, et sine noxa sunt; ita litigantes ac contentionum amatores si in mitem incurrant, vim amittunt nocendi, si autem in sui similem offendant, utrinque detrimentum contrahitur. Drex. *in Phaet.* c. x, § 3.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : « Unde bella et lites in vobis? » Luc. iv, 1.

Potest ostendi. 1. Quam grave bellum sit discordia, quia videlicet aufert opes spirituales et temporales, famam, societatis humanæ jucunditatem, et ipsam denique vitam

temporalem et æternam. 2. Demonstrari potest, quam vere dixerit S. Jacobus, has discordias ex nimio amore erga res terrenas oriri; id quod etiam Aristoteles agnovit, dum dixit : Nobilitas generis et divitiæ sunt fontes et principia seditionum. ARIST. l. V. cit.

Ex occasione thematis : « Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio : » PROV. XVII, 1.

Ostendi potest, quomodo talis buccella sicca cum gaudio, seu pace, melior sit 1. *Deo*, cui nullum opus placere potest ab homine contentioso oblatum. 2. *Reipublicæ*, cujus incolumitas a concordia membrorum pendet. 3. *Rei familiari domesticæ*, quia concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. 4. *Corpori*, quia sicut spiritus tristis exsiccat ossa; ita jucunditas mentis etiam in corpus redundat, bonumque sanguinem efficit. 5. *Animæ*, quia præservat a multis peccatis, et veram ei quietem conciliat.

Ex occasione thematis : « Omne Regnum divisum contra se desolabitur : » MATTH XII, 15.

Ostendi potest per inductionem variorum Regnorum, quomodo per discordiam desolata sint. 1. *Regnum cœleste*, per discordiam Angelorum, ubi ruina eorum fusius explicari. 2. *Regnum terrestre*, ubi per inductionem Regnorum Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, et maxime Romani, fuse demonstrari potest, quantam cladem his Regnis crearit discordia. 3. *Regnum spirituale animæ*, quod intra nos est, et gravissimam desolationem patitur per discordiam, quia interna radice gaudii et meritorum cælestium privatur per eam, et, uno verbo, omnes effectus belli spiritualiter experitur.

Ex occasione thematis : « Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una : ACT. IV, 32.

Dici potest, sicut olim Babylonii turrim feliciter ædificarunt, quamdiu fuerunt unius labii et linguæ; ita Christum, quia volebat ostendere, quomodo Christiani turrim Evangelicæ perfectionis ædificare deberent, exemplum, in primis Christianis relinquere voluisse, ut qui summam inter se cordis et oris concordiam servarunt. Dein ostendatur, quo medio usi sint ad hanc concordiam servandam, scilicet, quia nemo eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia; id quod et nunc fieri potest, si, ut Apostolus monet, qui utuntur hoc mundo, tanquam non utentes, et qui possident, tamquam non possidentes sint.

Ex occasione thematis : « Zizania autem filii sunt nequam. » MATTH. XV, 38.

Comparari possunt contentiosi zizaniis. 1. Quia seminantur ab inimico, scilicet a diabolo, cujus sunt ministri et filii. 2. Quia seminantur, cum dormiunt homines, maxime Prælati, quorum officium est, ejusmodi seminationem præcavere. 3. Quia, ut zizania, in se sunt infructuosi, non enim quidquam possunt gratum præstare Deo, quamdiu discordias fovent. 4. Quia, ut zizania, impediunt a profectu bonum semen justorum, et sæpe omnino suffocant. 5. Quia olim separabuntur a tritico, id est, justis hominibus, et colligati in æternum ignem conjicientur. Vide Fabrum, conc. VIII, in Dom. V, post. Epiph. n. 3.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Cum mulier quædam, crebro a marito verberata, consilium ab amico peteret, et qua ratione se a tot verberibus liberare posset, quæreret, ille vasculum communi aqua plenum obtulit, et hac, quoties iratus maritus litigaret, os implere jussit, nec deglutire, donec mariti ira deferbuisset. Quo facto significare voluit, silentium esse optimum remedium ad aliorum contentiones sedandas.

Petronius Discordiam recte sic descripsit :

Intremuere tubæ, ac scisso Discordia crine
Extulit ad superos stygium caput : hujus in ore
Concretus sanguis : contusaque lumina flebant.
Stabant irati scabra rubigine dentes,
Tabo lingua fluens, obsessa Draconibus ora,
Atque inter toto laceratam pectore vestem
Sanguineam tremula quatiebat lampada dextra.

Omne bellum, inquit recte Sallustius, facile sumitur, cæterum ægerrime finitur; non enim in ejusdem potestate initium et finis est. *In Jurgurtha.*

Scilurus, Rex Scytharum, moriturus fasciculum LXXX sagittarum colligatum sibi afferri, et singulos filios, qui octoginta erant, vocari jussit; quibus cum fasciculum in primis ligatum obtulisset, et nullus ex eis frangere illum potuisset, solvi eumdem et singulas sagittas singulis filiis offerri præcepit, atque, ut frangerent, hortatus est; quod cum illi facile præstitissent, hanc memorabilem illis doctrinam dedit : Sic vobiscum se res habebit, o filii; quamdiu per vinculum

charitatis, et concordiæ conjuncti manebitis, invicti eritis ; imbecilles vero, si per discordiam dissoluti sua quisque commoda dumtaxat quæsiveritis.

Damnum. — Discordiæ damna, breviter, sed nervose descripsit. Virgilius, dum cecinit.

Tu potes unanines armare in prælia Fratres,
Atque odiis versare domos ; tu verbera tectis,
Funereasque inferre faces, tibi nomina mille,
Mille nocendi artes.

Virgilius, lib. VII.

Alphonsus sæpe numero dicere solitus est, se, si Romanorum tempore vixisset, constructurum fuisse templum Jovi Positorio, ut de rebus acturi prius in eo convenirent, et omnem contentionem deponerent. Quo dicto innuere voluit, nihil Reipublicæ æque perniciosum esse, quam si plebs cum magistratu non concordaret. Panorm, l. III, *de reb. gest. Alph.*

Tytheus lapis, quamvis grandis sit, innatat tamen undis, comminutus vero mox subsidit ; sic concordia sustinemur, discordia pessum imus. Plinius. l. XXXVI, c. xvii.

Inter Agathallos et Acanthylides tanta est discordia et odium, ut, si sanguis eorum vi misceatur, continuo se rursus separent, ac dissiliant. Plutarc. *in Moral.*

AXIOMATA.

Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur.

Contra verbosos noli contendere verbis.

Ubi multæ rixæ, ibi multæ injuriæ. Plut: *in Moral.* c. x.

AUCTORES.

Joannes Busæus, in Panorio V. eodem.

Hieremias Drexelius, in Phaetonte, c. x.

Josephus Langius, in Polyanthæa V. eod.

Joannes Major, in Speculo magno Exemplorum. V. eodem.

Antonius Dauroltius, in Floribus Exemplorum, c. v, tit. 20.

DIVITIÆ.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Sunt bona externa, ad usum hominum a Domino concessa. Unde etiam opes vocantur, quia homini tum ad proprias, tum ad alienas necessitates sublevandas, opem et auxilium præstant.

Divisio. — Dividuntur in *mobiles et immobiles*, quarum istæ in agris, fundis, ædificiis, et similibus bonis consistunt, illæ vero pecuniam, gemmas, uniones, vasa aurea et argentea, aliamque supellectilem, uti et pecora, continent.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Dives, cum dormierit, nil secum auferet, aperiet oculos suos, et nihil inveniet. Apprehendet eum, quasi aqua, inopia, et nocte eum opprimet tempestas. Job. xxvii, v. 19.

Nec timueris, cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus. Quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. Psal. xlviii, 17.

Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Psal. lxxv, 6.

Et relinquent alienis divitias suas, et sepulchra eorum domus illorum in æternum. Psal. xlviii, 12.

Argentum eorum et aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini. Sophon. i. 18.

Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur, frater non redimit, nec redimet homo, non dabit Deo placationem suam, et pretium redemptionis animæ suæ. Psal. xlviii, 7.

Telas araneæ texuerunt ; telæ eorum non erunt vestimentum, neque operientur operibus suis. Opera eorum inutilia, opus iniquitatis in manibus eorum. Isaias. lix, 5.

Fuga. — Noli laborare, ut diteris, sed prudentiæ tuæ pone modum. Prov. xxv, 4.

Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia facient sibi pennas quasi aquilæ, et volabunt in cœlum. *Ib.* 5.

Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Psal. lxi, 11.

Mendicitatem et divitias ne dederis mihi ; tribue tantum victui meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum et dicam : Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei. Prov. xxx, 8.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi fures effodiunt et furantur, ubi ærugo et tinea demolitur. Matth. vi, 19.

Divitibus hujus sæculi præcipe, non su-

blime sapere, neque sapere in incerto divitiarum, sed in Deo vivo. Timoth. VI, 17.

Damnum. — Nihil est iniquius, quam amare pecuniam; hic enim et animam suam venalem habet. Eccl. X, 10.

Ubi sunt, qui thesaurizant argentum et aurum, in quo confidunt homines? Ad inferos descenderunt, et alii loco eorum surrexerunt. Baruch. III, 18.

Si dives fueris, non eris immunis a delicto. Eccl. XI, 10.

Multos perdidit aurum et argentum, et usque ad cor Regum extendit, et convertit. *Ib.* VIII, 3.

Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Timoth. VI, 9.

Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in Regnum cœlorum. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in Regnum cœlorum. Matth. I. 13.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.— Solæ divitiæ veræ sunt, quæ nos divites virtutibus efficiunt. Si ergo, Fratres, divites esse cupitis, veras divitias amate. S. Greg. *in Ev.*

Divitiæ maximæ sunt, non egere divitiis. S. Chrys. *in hom.*

Aurum et argentum, et cætera hujusmodi, quantum ad animi bonum spectat, nec bona sunt, nec mala; usus tamen horum bonus, abusio mala, sollicitudo pejor, quæstus turpior. S. Bern. *serm.* 4.

Ad subsidium vitæ, non ad malorum incitamentum, opes datæ sunt: pecunia animæ redemptio est, non exitii occasio. S. Basil. *apud. March. in Horto past. Tub. sac.* tr. II, lect. I.

Divitiæ ut impedimenta sunt improbis, ita adjutamenta virtutis sunt bonis. S. Ambros. *sup. Luc.*

Divitiarum morbus superbia est, nam grandis animus est qui inter divitias isto morbo non tenetur. S. Aug. s. XXIV.

Dives vere est qui in Deo dives est. S. Chrysost.

Ubi aurum pluit, ibi pluit vitium. S. Greg.

Fuga. — Quid prodest arca plena pecuniis, si inanis sit conscientia? Bona vis habere, et tu bonus esse non vis? Erubescere debes de bonis tuis, si domus plena bonis te malum habet dominum. Quid prodest diviti, quod habet, si Deum, qui omnia dedit, non habet? S. Hier. s. XII. *de ver. Dom.*

Habes terræ partim arboribus consitæ, partim aratro utilis tot jugera; præterea vineas, montes, campos, saltus, flumina, loca amœna. Quid ergo posthæc? Nonne telluris tres tantum cubiti te expectant? Nonne parvus lapis ad tui miseri corporis custodiam satis erit? S. Basil. I. cap.

Quid attonitus aurum miraris? Lapis est aurum, lapis est argentum, lapis margarita, lapides sunt chrysolitus, beryllus, achates, hyacinthus, amethistus, jaspis. Hæc summa, hi flores opum magnarum. Ibidem.

Cui mors ob divitias parcit? A quo morbus ob pecuniam abstinet? Quousque igitur opes erunt animarum laqueus, mortis hamus, peccati esca? Ibidem.

Damnum. — Qui male utitur divitiis, miserabilis est, ut ille, qui sponte se vulneraverit eo gladio, quem ad vindictam hostium sumpsit. S. Greg. *Nazianz.*

Divitiarum sequela est luxuria, ira, intemperantia, furor injustus, arrogantia superba, omnisque irrationalis motus. S. Chrys. I. *Nemo læditur.*

Camelus unum solum pondus habet, dives duo, unum terrenarum possessionum, aliud peccatorum. Primum in morte deponitur, aliud (velit, nolit) morieus retinet, nisi ante mortem deponat, S. Bern. *in serm.*

Omnis dives aut est iniquus, aut iniqui hæres. S. Hier. *in ep. ad Helid.*

Undequaque, ubi ipse attigeris, innatis aculeis manus cruentant. Theoph. *in* c. VI. *ep.* I *ad Tim.*

Dives nihil aliud esse videtur, quam civitas quædam absque muris in agro sita, et undique insidiantibus exposita; paupertas vero e contrario securum præsidium est, et expugnatu difficile. S. Chrys. hom. XIII, *in Act. Ap.*

Si intueri volueris animam hominis aurum amantis, invenies eam, ut vestimentum a decem millibus vermium corrosum, ita eam perforatam undique a sollicitudinibus, et a peccatis putrefactam, et ærugine plenam. Id. hom. XXVII, *in Matth.*

Aurum et divitiæ homines in dæmones mutant. S. Chrys. *sup. ep. ad Cor.* hom. XL.

Divitiæ multorum periculorum auctores sunt. Id. *super Matth.* hom. III.

Aurum et divitiæ sunt materia laborum, periculum possidentium, enervatio virtutum; aurum est malus dominus, proditor servus. Id. *de Verbo Dom.*

EXEMPLA.

S. Job, quomodo erga divitias affectus fuerit, testatur ipse, dum ait : Si lætatus sum super multis divitiis meis et quia plurima reperit manus mea etc. pro frumento oriatur mihi tribulus , et pro hordeo spina. Job. XXXI, 25.

Fridericus Imperator, cum Ladislaum Ungariæ Regem, adhuc puerum educaret et proceres clam suaderent, ut occidi curaret Ladislaum, quo ejus opibus et regno potiretur, respondit : Ego sane non ita amo divitias, ut propter eas tam impium facinus attentem. Æneas Silv. l. IV, *de Gestis Alph.*

Sigismundus Cæsar , cum quadraginta millia aureorum ex Ungaria allata essent et in thalamo regio recondita , dum cogitat, quem in usum hanc pecuniam expendere velit, somnus illum destituit. Quare excitatis cubiculariis jussit proceres et duces militum convocari, quibus, cum totam eam summam distribuisset : Ite, inquit, nam nunc nobis tranquille ac secure dormire licebit, postquam id, quod somnum ademit, procul a cubiculo aberit. Æneas Silv. l. IV, *de gest. Alph.*

Maximilianus Cæsar, etsi non raro ingens pondus pecuniæ ad eum deferretur, semper tamen ad quæstores portari jussit, dicens, se regendis hominibus constitutum, nec auri custodiam sibi demandatam, quo si quis semel capiatur, mox e Rege servum futurum. Lang. *in Polyanth. V. eod.*

Euphrasia, Antigoni filia , promittenti Theodosio Imperatori opulentam dotem, si adolescenti cuipiam Patritio, cui a parentibus promissa fuerat , nuberet, respondit : Opes meæ Christus est, tu tuas aliis dato. Sicque monasterium ingressa, Christo se desponsavit. Æneas Silv. l. *de Gest. Alph.*

Eucritus interrogatus, uter esse mallet, Crœsus, an Socrates? respondit : Vivens mallem esse Crœsus, sed moriens Socrates. Stobæus *ap. Lang.*

Lycurgus quæsitus, cur hostium interfectorum corpora spoliare prohibuisset ? respondit : Ne milites ditescant, et, dum prædæ incumbunt , pugnam negligant. Plut. *in Lacon.*

Crates Thebanus, vir ditissimus, projecit divitias in mare dicens: Ite, pessimæ divitiæ, præstat, ut vos mergam, quam ut a vobis mergar. Fab. conc. VI. *in Dom.* XIV. *post Pent.*

Babytaces, in Septentrionali Tigri alveo siti incolæ, aurum in odio usque adeo habent, ut coemant illud ac defodiant, ne cui mortalium sit in usu. Plin. l. VI. c. XXVII.

Anacreon Philosophus, cum a Polycrate, Samiæ Rege, decem millia ducatorum dono accepisset, ideoque ob phantasias et curas animi inde exortas triduo insomnis fuisset, remisit donum, jubens retinere res suas, quando præter curas et inquietudinem aliud nihil donare posset. Fab. conc. II. *in Dom. Sexag.*

Telecrus percontanti, quantum possideret auri? non plus, respondit, quam sat est; quo dicto clare ostendit, se divitias non cupiditate, sed usu metiri. Plut. *in Lacon.*

Themistocles cum inter deambulandum torquem aureum humi jacentem vidisset, vocans ad se ex pueris quemdam dixisse fertur: Quin hoc tollis, o puer, non enim tu es Themistocles ! Id. *in apopht.*

De Alarico, Gothorum Duce, scribitur cum jam trajicere in Siciliam exercitum frustra tentaret, et inopinatus se possidere divitias gloriaretur, apud Consentiæ regionem subita morte defungitur. Raul. Diacon. c. XIII. *Miscell.*

Cum aliquando Beatus Ambrosius Romam proficisceretur atque in Hetruria a prædivite fuisset hospitio exceptus, jactabat ille divitas, familiam, filios, ac prospera omnia, nihilque sibi accidisse infeliciter. Id animadvertens Ambrosius, discessum accelerandum instituit, quod tanta prosperarum rerum affluentia exitum longe infelicissimum habitura foret. Hortatus igitur suos est, ut inde mox omnes secum abscederent, ne iræ Dei furorem experirentur. Abeuntibus omnibus, mox hospes cum reliqua familia domoque omni hiatu patente absorpti sunt. Marull. l. II, c. III.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut putei, qui exhauriuntur, melius fluunt, quibus si suas aquas intactas relinquas, fœtorem contrahunt ; ita etiam divitiarum quies inutilis, motus et

transgressus publice utilis est et fructuosus. S. Basilius *in Lucam.*

Sicut equus, si freno careat, usui non est hominibus; sic nec divitiæ, nisi recta ratione gubernentur. Stob. ser. III, *de Temper.*

Sicut non melior est gubernator, cui pulchrius aut majus est navigium; ita nec melior est vir cui fortuna splendidior. Senec. *de Vit. beat.*

Sicut plantæ, quæ citissime oriuntur, brevissime durant; ita raro solent multos successores ditare, quæ celeriter obtinentur divitiæ. Lang. *in Polyanth. V. eod.*

Sicut muscæ, si modice delibent mel, incolumes evadunt, secus si toto corpore se immergant; ita qui moderate utitur divitiis innoxius manebit, non item, qui cor apponit. Fab. c. VI *in Dom.* XIV. *post Pent.*

Sicut in symphonia is tantum vituperatur, qui male et dissonanter canit; ita Deus non nisi illos divites odit, qui abutuntur divitiis. Ib. con. VII.

Damnum. — Sicut luna tunc solum patitur eclypsin, cum plena est; ita turgidi divitiis sunt inanes gratiis, et obscurati peccatis. Bessæus, *in Dom.* I, *post Trinit.*

Sicut aranea succum floris optimum in venenum pessimum convertit; ita quidam divitias, aliaque dona Dei ac beneficia in scandalum et offensam ejus vertunt. Ibid.

Sicut eos, qui nudi fugiunt adversarium, nemo facile tenere potest, qui vero vestimentum post se trahit, eum quis facile apprehendit; ita pauper, si capiatur, facillime fugere potest, dives vero, etiamsi non capiatur, suis tamen compedibus irretitur, curis innumeris et cogitationibus adstrictus. S. Chrysos. hom. VI. *in ep. ad. Tit.* c. III.

Sicut nubes prætervolantes aspectum solis nobis eripiunt; ita divitiarum amor cogitationem Dei turbat. Fab. c. V. *in Dom.* XIV. *post Pent.*

Sicut vestes talares corpora, ita divitiæ animas impediunt in via mandatorum currenda. Democr. *ap. Stob.* f. 91.

Sicut flos fœni a sole arefactus decidit, et decor vultus ejus deperit; ita et dives in itineribus suis marcescet. Jac. I.

Sicut camelus non potest transire perforamen acus, nisi in minima fila dividatur; ita dives non potest intrare in Regnum cælorum, nisi suas divitias etiam aliis distribuat. Luc. XVIII.

Sicut spinæ steriles sunt, quæ tangunt, lacerant, ignem facile concipiunt, et viperis scorpiisque sub se delitescentibus scatent; ita divitiæ, earumque immoderata cupiditas hæc omnia suo modo tanto pejus participant, quanto digniores sunt, quos lacerant, et quanto acerbior est ignis, cui pabulum subministrant, et quanto nocentiora sunt peccata, quæ fovent. S. Chrys. hom. *in Joan.*

Sicut Absalonem crines sui valde ornabant, amabilemque efficiebant, simul tamen etiam valde gravabant, unde semel in anno tondebatur; ita divitiæ possessori suo magnam quidem apud homines gratiam et amorem conciliant, sed simul tamen animam, et conscientiam valde gravant, et cruciant. Bess. *in Dom.* XX. *post Pent.*

MOTIVA.

Ad divitias spernendas.

Quia impediunt a servitio Dei; uti ipse Christus dixit: Non potestis Deo servire et mammonæ. Hinc S. Lucius, Rex Angliæ, cum audivisset de cœlo vocem dicentem sibi: Luci, non potes duobus Dominis servire, mox regno relicto vocantem Deum secutus, Sueviæque Apostolus est factus. Fab. tom. V, *in Dom.* XIV, *post Pent.*

Quia impediunt ab oratione; ubi enim thesaurus tuus, ibi est et cor tuum, inquit Christus. Hinc pictor quidam divitem orantem pingens, varias lineas ab ore ejus ad agros, vineas, cellam, thesaurum, familiam direxit, ut significaret, a quam multis objectis animus ejus ab oratione abstraheretur. Matt. XXVI, 21.

Quia ab animi libertate impediunt. Sunt quippe aurei compedes, quibus homo constringitur, ut non, quod ratio dictat, faciat, sed quod divitiarum error et cupiditas imperat, exequatur.

Quia impediunt quietem et jucunditatem animi; ut testatus est faber ille, qui cum semper anteā sub labore cecinisset, conjecto a quopiam in officinam marsupio pecuniis pleno, mox canere desiit, quia mentem inventæ pecuniæ, et timor, ne repeterentur, occupabant.

Quia a Regno cælorum impediunt; ut ipse iterum Christus testatus est dicens: Filioli, quam difficile est, confidentes in pecuniis in Regnum Dei introire! Marc. X, 2.

ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ Asceta circa divitias bene observare, aliisque inculcare debet. Primum est, ut earum fallaciam bene cognoscat, atque adeo eas mature abjiciat et perdat, ne ab iis perdatur.

Secundum est, ut, cum sæpe non possunt omnibus bonis se privare, doceat solidum et securum modum iisdem utendi, ut scilicet cor non apponant, sicque utantur, quasi non utentes.

Tertium est, ut ad veras et spirituales divitias potissimam suam curam, et convertat ipse, et alios convertere persuadeat, eas nempe de quibus S. Bern. dixit: Veræ divitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat. S. Bern. *in serm.*

Ad has enim ipse etiam Christus hortatus est, dicens: Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. Matth. vi, 20.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Recte de pecuniarum efficacia cecinit Ovidius.

> In pretio pretium nunc est: dat census honores,
> Census amicitias, pauper ubique jacet.
>
> Ovid. l. Fast.

Is maxime divitiis fruitur (ut sapienter advertit Seneca) qui minime divitiis indiget. Nemo autem sollicito bono fruitur; ille studet aliquid adjicere; dum de incremento cogitat, oblitus est boni. Seneca, ep. xiv.

Quid refert, quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, si alieno inhiet, si non quæsita, sed quærenda computet? Non enim pauper est, qui minus habet, sed qui minus cupit, dives. Si ad naturam vives, nunquam eris pauper. Si ad opinionem, nunquam eris dives. Exiguum natura desiderat, opinio immensum. Id. *ep.* xvi, *ad Lucil.*

Nemo alius est Deo dignior, quam qui opes contempsit, quarum possessionem tibi non interdico, sed efficere volo, ut illas intrepide possideas. Id. *ep.* xviii.

Socrates interroganti, quis ipsi ditissimus videretur? respondit: Qui paucissimis contentus est. Stob. s. 2.

Plato quæsitus, quantas opes habere conveniret? dixit: Quantæ possidenti neque insidias pariunt, neque rerum necessariarum inopiam. Id. s. 90.

Damnum.— Breviter, sed bene hoc expressit, qui cecinit:

> Quid non mortalia pectora cogis,
> Auri sacra fames?
> Effodiuntur opes, irritamenta malorum.
>
> Ovid. *in Metam.*

Nihil est tam angusti, tamque parvi animi, teste Cicerone, quam amare divitias; nihil honestius, magnificentiusque, quam pecunias contemnere. Cic. l. ii. *Offic.*

Chilon percontatus, quid essent divitiæ? respondit: Thesaurus malorum, calamitatis viaticum, improbitatis suppeditatio. Lang. *in Polyanth. V. eod.*

Diogenes dicere solebat, neque in civitate, neque in domo opulenta, habitandi locum esse virtuti. Stob. s. ix.

Plato rogatus ab Erinensibus civibus, ut leges eis daret, renuit, eo quod divites essent, qui ordinarie regere, quam regi malunt. Fab. *conc.* v, in *Dom.* xiv, *post Pent.*

Fuga. — Cum olim Philosophi coram Philippo, Macedonum Rege, disputassent, quæ res in mundo maxima esset, et alii montem Olympum, alii solem, alii mare maximum dicerent, postremus ac sapientissimus, animum terrena omnia (atque adeo et divitias) despicientem, et illis omnibus superstantem, maximum, esse cum veritate dixit. Ib. *Conc.* viii, n. 4.

Epicurus scribens ad Pytocleam: Si vis, inquit, te divitem facere, non pecuniæ adjiciendum, sed cupiditatibus detrahendum est. Seneca, apud Lang.

Quod Lydius lapis auro est, dicebat Chilon, hoc aurum est homini. Lapis enim index affrictu prodit, quale sit aurum; ipsum autem aurum arguit, quale sit hominis ingenium. Laert. *in ejus Vita.*

Divitem illum putas, inquit Seneca, quem aurea supellex in via sequitur, qui in omnibus provinciis arat, qui multum suburbani agri possidet? Cum omnia dixeris, pauper est? Quare. Quia debet. Quantum? inquis. Omnia, nisi forte tu dicas, utrum ab homine, an a fortuna sumpserit mutuam. Seneca, *Ep.* xxviii.

AUCTORES.

Laurentius Beyrlink, in Theatro vitæ humanæ. V. eodem.

Josephus Langius, in Polyanthæa V. eod.

Matthias Faber, conc. IV, V et VI in *Dom. 14 post Pent.*

Thomas Stapletonus, in *Dom. Sexag.* text. II.

Jacobus March. tr. II, in Tuba Pastorali.

Antonius Balinghem, in loc. comm. V. eodem.

DUBIA ASCETICA.

DUBIA CIRCA PERFECTIONEM IN GENERE.

DUBIUM I.

An omnes homines ad perfectionem sint vocati?

Audiens Philothea, omnes homines illis Christi verbis : « Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est » : dubitat, quomodo Christus hoc exigere ab hominibus potuerit, cum perfectio Patris cœlestis infinita sit, atque adeo nullus hominum illam assequi queat.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, Christum iis verbis non voluisse exigere, ut quoad substantiam tam perfecti simus, ac Pater cœlestis, sed quoad qualitatem dumtaxat, et similitudinem illo verbo, *sicut*, indicatam, id est, ut sicut Pater æternus semper facit, *quæ vult* (juxta illud Psalmi CXIII. Omnia, quæcumque voluit, fecit) *et quomodo vult* (juxta illud Gen. cap. I. Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona) *et quia vult*. (Prov. XVI. Universa propter semetipsum operatus est Dominus) ita et homo quoad hunc operandi modum illi assimilari studeat, uti apposite quidam sequenti distycho expressit :

Omne tulit punctum, patitur qui semper, agitque,
Quæ vult, quove modo vult Deus, et quia vult.

Ut adeo merito Deus de Davide, velut viro perfecto, dixerit : « Inveni David virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas, » indicare scilicet volens, eum omnem perfectionem in voluntate divina adimplenda implevisse, dum et quo ad substantiam id semper elegit, quod Deo summe placere intellexerat ; et quo ad modum quoque illum elegit, quem Deo gratiorem esse cognoverat ; et quo ad finem denique solum Dei beneplacitum purissime intendit, ac quæsivit.

DUBIUM II.

In quo consistat perfectio hominis?

Cum perfectionis naturam Auctores diversimode explicent, et alii quidem dicant, eam in perfecta conformitate voluntatis humanæ cum divina, alii in perfecta quotidianarum actionum transactione, alii in illis Davidicis verbis : « Declina a malo, et fac bonum »; alii denique in hoc, ut homo Dominum Deum laudet, revereatur et amet, eique serviens salvus fiat, consistere ; dubitat Philothea quænam ex his opinionibus præferenda, et in praxi tenenda sit.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, etsi Auctores his verbis discrepent, omnes tamen in substantia convenire, faterique debere, perfectionem in charitate consistere, sed quia non omnes satis cognoscere videbantur, in quo consistat charitas, ideo conati sunt clarius eamdem per modos paulo ante indicatos explicare, ex quibus tamen omnibus modis iste, quo dicitur, charitatem in eo præcipue consistere, ut quis semper id faciat, quod Deus vult, quomodo vult, et quia vult (quem P. Rodriquez, et P. Vincentius Caraffa insinuant) præ cæteris aptus et facilis videtur ad naturam perfectionis et charitatis explicandam ; et quidem ob tres causas. 1. Quia distinctius charitatis officia explicat, quam alii ; nam, licet dicas, charitatem in perfecta conformitate voluntatis humanæ cum divina consistere, aut in perfecta transactione quotidianarum actionum, adhuc tamen explicandum restat, quando vel voluntas perfecte conformata, vel opera quotidiana perfecte transacta dici debeant, quod quidem hic modus clarius explicat, dum ait, tum perfectam laudem, servitium et amorem Dei exhiberi, quando actiones in substantia, modo et fine, divino beneplacito conformes habentur ; quomodo enim aut opus suum artificem perfectius laudare ; aut servus perfectius servire ; aut sponsa sponsum perfectius amare possunt, quam si semper agant, quæ, quomodo, et quia artifici, domino, sponso maxime pla-

cent. 2. Quia ex hoc ipso modo explicandi perfectionem, facile colligitur, quantum aliquis in perfectione profecerit; cum enim quilibet ex his tribus actibus alios sub se gradus contineat, et *quoad substantiam* quidem ille censeatur magis Deo placere, in quibus homo plus abstinet, aut sustinet, aut quæ non ad propriam dumtaxat, sed alienam etiam salutem ordinantur; *quoad modum* vero Deo magis placeat, qui diligenter, alacriter et constanter operatur; et *quoad finem* denique magis placeat, qui minus de solatio, præmio aut laude humana pro operibus suis quærit, aut admittit; facile patet, tanto majorem quemque in perfectione progressum fecisse, quanto perfectius gradus hos assignatos impleverit. 3. Quia idem percommode etiam ostendit, quomodo quivis in suo statu perfectus esse possit, atque adeo omnes a Christo per illa verba Matth. v, ad perfectionem invitati sint : « Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. » Etsi enim multi excusare se possint, quod non possint varias austeritates aliaque opera valde ardua suscipere, nemo tamen excusare se potest, quod non possit facere, quæ vult Deus, et quomodo vult, et quia vult, cum Deus nihil ab homine ultra vires et statum illius exigat, et, ut bene Thomas Kempensis advertit; magis penset, ex quanto quis agat, quam quantum faciat. Lib. I. *de Imit.* c. XV.

DUBIUM III.

Cur tres viæ perfectionis assignentur?

Cum perfectio, ut dictum paulo ante, in perfecta operum quotidianorum absolutione consistat, dubitat Philothea, quæritque cur Ascetæ eamdem in triplicem viam, *purgativam* scilicet, *illuminativam*, et *unitivam* dividant?

Solutio.

Respondet Asceta, id fieri, quia per has tres vias natura et officium perfectionis percommode assignatur. Nam sicut in omni via tres quodammodo termini reperiuntur, nempe, terminus a quo discediturr, terminus ad quem tenditur, et terminus intermedius, per quem ambulatur; ita et in ambulatione spirituali tres similes termini reperiuntur, nempe, peccatum, a quo recedere oportet, id quod perviam purgativam obtinetur; virtutes, per quas transire et pervenire ad ultimum finem necesse est, uti per viam illuminativam contingit; et tandem Deus, ad quem possidendum, velut terminum totæ ambulationis spiritualis instituitur, quod per viam unitivam impetratur. Quæ sane tres viæ clare jam olim a S. Davide, Psalm. XXXIII. indicatæ sunt, dum dixit : *Quis est homo qui vult vitam? diligit dies videre bonos? Diverte a malo* (id est, peccato, quod unice disjungit, et minuit possessionem summi boni, atque adeo proprie malum vocari potest) *et fac bonum* (id est, virtutes, quæ solæ proprie rationem veri boni continent) *inquire pacem* (id est, unionem cum Deo, per quam solam vera pax obtinetur) et *persequere eam.* Ps. XXXIII.

DUBIUM IV.

An non perfectio ex aspera tractatione corporis recte colligatur?

Cum passim ii, qui corpus crebris castigationibus affligunt, consolationibus divinis abundant, et virtutibus variis sunt ornati, ab hominibus perfecti et sancti habeantur, dubitat Philothea, an non in illis potius perfectio constitui dicatur.

Solutio.

Respondet Asceta ex Cassiano : « Jejunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas ac privatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt; quia non in ipsis consistit disciplinæ finis, sed per illa pervenitur ad finem. » Cassian. coll. 5.

Unde sicut non ille dicitur bonus artifex, qui bona instrumenta habet, sed qui peritus illis uti novit; ita nec ille perfectus censeri debet, qui ejusmodi asperitates velut instrumenta perfectionis suscepit, sed qui easdem ad debitum finem, scilicet charitatem perfectam obtinendam, ordinare didicit. Sed neque ex visionibus et consolationibus perfectionem recte colligi, ut recte Thomas Kempensis advertit dicens : « Merita (atque adeo et perfectio velut radix, et causa meritorum) non sunt ex hoc æstimanda, si quis plures visiones et consolationes habeat, vel si peritus sit in Scripturis, aut in altiori ponatur gradu; sed si vera fuerit humilitate fundatus, et divina charitate repletus; si

Dei honorem pure et integre semper quærat; si seipsum nihil reputet, et in veritate despiciat, atque ab aliis etiam despici et humiliari magis gaudeat, quam honorari. » Unde altissime menti ac memoriæ imprimenda est verissima simul et notatu dignissima ejusdem Ascetæ doctrina : « Si dederit homo omnem substantiam suam, adhuc nihil est ; et si fecerit pœnitentiam magnam, adhuc exiguum est ; et si apprehenderit omnem scientiam adhuc longe est ; et si habuerit virtutem magnam, et devotionem nimis ardentem, adhuc multum sibi deest, scilicet unum, quod summe sibi necessarium est. Quid illud ? Ut omnibus relictis se relinquat, et a se totaliter exeat, nihilque de privato amore retineat ; cumque omnia fecerit, quæ facienda noverit, nihil se fecisse sentiat. » Thom. Kemp. l. III, *de Imit.* cap. VII.

DUBIUM V.

Quid sit omnia relinquere ?

Postquam Philothea in priori solutione intellexit, ad perfectionem requiri, ut omnibus relictis, se ipsum quis etiam Relinquat, dubitat, an ad hoc sufficiat, ut parentes, consanguineos, domos, et divitias etc. relinquat, ut dicere cum Apostolis queat : *Ecce nos reliquimus omnia.*

Solutio.

Respondet Asceta, non sufficere, sed triplici in occasione omnia relinquenda esse. Prima est, quando ad Religionem venimus ; tunc enim omnia, quæ paulo ante commemoravimus, relinquenda sunt, juxta illud Christi : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, et veni, et sequere me. » Matth. XVIV. Unde sequitur, quemvis Religiosum amore Christi, qui, cum dives esset propter nos egenus factus est, se per votum paupertatis voluntarie mendicum pauperrimum constituere, atque adeo, sicut mendici in omnibus rebus, præcipue tamen in victu, vestitu, habitatione, vilissima usurpare, immo non raro etiam necessariis carere coguntur, ita id ipsum etiam Religiosum, paupertatis amatorem, observare debere ; nam ut recte quidam sanctus, apud Rodriquez, dixit, pauperem esse, nihil habet laudis, nisi cum pauperrimus suam paupertatem in amoribus habet, et quæcumque ipsi incommoda se offerunt, lætus propter Christum sustinet. Secunda occasio est, quando ab uno loco aut officio ad aliud mittimur. Hic enim vero oportet speciliater iterum, et magno cum affectu dicere : *Ecce nos reliquimus omnia.* Habuit forte aliquis in priore loco, et officio multos auditores, discipulos, aut alias personas, aut commoditates, ex quorum consortio, et familiaritate, aut instructione non modicum solatium hauriebat ; verum cum Deus per Superiores alio vocat, mox relictis omnibus sequi oportet vocantem Deum. Sic S. Franciscus Xaverius egit, quando ad remotissimos Indos proficisci jussus, mox solo Breviario instructus iter arripuit ; sic venerabilis Pater Petrus Faber a S. Ignatio Romam vocatus mox paruit, licet sciret, ex suo ad locum imperatum discessu spem maximi fructus præcisum, et valetudinem primum recuperatam graviter læsum iri, ipsumque periculum mortis imminere, et quod caput erat, ipsos etiam Principes, Proceres, Respublicas de eo retinendo laborare. Sed quod illustrius exemplum requirere possumus quam ipsius sacratissimæ Christi Familiæ, quæ, licet sciret, quam duros et infestos hospites in Ægypto habitura, et quam multa graviaque incommoda esset passura, ipsa adhuc, qua ab Angelo monita fuerat, nocte, surgens ad locum destinatum iter instituit. Tertia occasio est, ut, quando ab uno opere ad aliud vocamur, omnia alia negotia et curas relinquamus, et nos totos operi, ad quod vocamur, accingamus ; hoc enim est, quod regula comm. 15. jubet, dum ait : Signo campanæ constitutis horis audito, omnes statim vel imperfecta littera relicta, ad id, ad quod vocantur, se conferant. Et hæc sane occasio præcipue ostendit, an omnia et præcipue voluntatem nostram reliquerimus. Unde merito de illa dicere possumus, quod Thomas Kempensis, lib. III. cap. XXVI. dixit : « Domine, hoc opus est perfecti viri, numquam ab intentione cœlestium animum relaxare, et inter multas curas, quasi sine cura transire, non more torpentis, sed prærogativa quadam liberæ mentis, nulli creaturæ inordinata affectione adhærentis. » Et sane quantopere sibi placeat hæc relictio, quantumque conferat ad profectum et meritum augendum, non uno argumento et miraculo Christus ostendit ; cur enim imperfectam litteram ab obediente Religioso relictam, aureo charactere com-

plevit? Cur moniali, quæ ipsum in forma pueruli sibi apparentem ad opus obedientiæ vocata reliquit, postea redeunti in forma adulti juvenis apparuit, nisi ut ostenderet, quantopere in meritis et profectu crescant ii, qui tam celerem in similibus casibus obedientiam præstant. Suadet ergo Philotheæ Asceta, ut quoties ab uno loco aut opere ad aliud vocatur, imaginetur sibi se Christi vocem audire illa sponsi, Cant. c. II. verba dicentis : « Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, ac veni! » Sed et S. Mariam Magdalenam imitetur, quæ ubi audivit a Martha sorore sua : « Magister adest, et vocat te ; » surrexit cito, et venit ad eum. Similiter ergo et ipsa Philothea, quamprimum vocem aut campanam alium ad locum vel opus vocantem audiverit, surgat cito, et non corpore dumtaxat, sed animo etiam Christum vocantem sequatur, id est, totis viribus illud perficiat ; sic enim cum veritate dicere poterit : Ecce nos reliquimus omnia.

DUBIUM VI.

An peccata ex fragilitate admissa perfectioni obstent?

Cum experiatur Philothea quotidie, se in aliqua peccata venialia ex fragilitate labi, nec ullam ab illis liberationem omnimodam sperare queat, dubitat, et quærit, an ejusmodi peccata perfectioni non obstent.

Solutio.

Respondet Asceta, sicut non statim perfectus censendus est, qui nullas in se, aut certe non multas culpas deprehendit ; ita nec illum vicissim statim argui debere perfectionem non assecutum, qui aliquoties se ex fragilitate in peccata venialia labi advertit ; sicut enim domus illa mundissima dicitur, quæ, quamprimum aliquis sordidis pedibus ingressus est, statim eluitur, et purgatur ; et sicut Dux militaris, si constanter hostem impugnet, et vellicet, egregii Ducis nomen obtinet, licet eum non omnino expugnet, et deleat, immo interdum minus feliciter pugnet ; sic perfectus censeri quis potest, etiamsi interdum in venialia aliquot peccata ex fragilitate labatur. Nam ut recte iterum Kempensis Asceta, lib. I. c. III. dixit : « Omnis perfectio in hac vita quamdam imperfectionem habet annexam ; » et ut S. Hieronymus, in epist. ad Cellantiam, ait : « Hæc una præsentis vitæ perfectio est, ut te imperfectum agnoscas. »

DUBIUM VII.

An summam perfectionem mox ab initio sui ingressus in Religionem sectari liceat?

Audiens Philothea, quod de perfectione recte dicatur illud Salomonis : « Omnia bona mihi pariter venerunt cum ea ; » *Sap.* c. VII ; vehementer aspirat ad summam perfectionem assequendam, dubitat tamen, an prudenter sic agat ; quare hoc dubium Ascetæ proponit.

Solutio.

Respondet Asceta, desiderium quidem per se laudabile esse, sed si uno quasi impetu et conatu perfectionem assequi velit, non modice eam errare ; nam, ut S. Bernardus sapienter advertit : « Nemo repente fit summus, et ascendendo, non volando, apprehenditur summitas scalæ. » S. Bern. *in ser.* VII, *de S. Andrea.*

Quod confirmans S. Laurentius Justinianus. « Quisquis, ait, in spirituali exercitio cupit perfectionis culmen attingere, juxta Prophetæ admonitionem, ascensionis sibi in corde componat gradus, per quos de virtute in virtutem proficiens, ipsum Deum ex parte comprehendere valet, a quo plenissime comprehensus est. » S. Laur. Just. *in Proœm. de grad. perf.*

Hinc S. Paulinus Episcopus ait : « Christus sicut in illo homine, quem gessit, ita in nostris mentibus quosdam gradus corporeæ ætatis exequitur, nascitur, crescit, roboratur, senescit, sed orandus, ne in nobis diu aut jugiter parvulus, aut infirmus, aut pauper sit. » S. Paulinus, *in ep.* IV, *ad Sever.*

Suadet proin Asceta Philotheæ, ut meminerit, tria esse oscula, quibus osculari sponsum suum debet sponsa spiritualis, quorum primum est *pedum osculum* (per quod via purgativa indicatur) alterum, *osculum manuum* (viam illuminativam significans) tertium, *osculum oris*, et tunc per osculum hoc viam unitivam ad perfectam cum Deo unionem et familiaritatem pervenit. Suadet item, ut se ad perfectionem velut regale convivium invitatam credat, adeoque consilium Christi sequatur dicentis : « Cum invi-

tatus fueris ad nuptias recumbe in novissimo loco, ut, cum venerit, qui te invitavit, dicat tibi; Amice, ascende superius! et erit tibi honor coram discumbentibus. » Luc. c. xiv.

Hinc recte quidam dixit, laborandum Religioso esse, ut de eo dici queat: « Principium friget, medium tepet, ultima fervent. « Cavendum vero, ne e contrario dicatur: « Principium fervet, medium tepet, ultima frigent. »

DUBIUM VIII.

De regularum observatione procuranda.

Proposuerat quondam Philothea vocationi suæ plene satisfacere, et verum spiritum suæ Religionis assequi; sed fragilitatis et inconstantiæ suæ memor, dubitat, an eo pervenire queat; quare dubium hoc Ascetæ solvendum proponit.

Solutio.

Respondet Asceta, diffidere eam non debere, eo quod Deus, qui velle dedit, eam ad hanc Religionem vocando, etiam perficere dare soleat, id est, gratiam efficacem ad respondendum vocationi. Quare audacter eam opus aggredi debere, industriamque artificum illorum imitari, qui, ubi perfectam aliquam imaginem proponere decreverunt, de forma bona sibi prospiciunt, in eamque aurum vel argentum, aut aliam materiam infundunt; talis autem forma sunt regulæ sui Ordinis, de quibus cum veritate dici potest, quod quidam Pontifex de regulis Societatis dixit: « Date mihi virum, qui has regulas exacte observet, et ego eum vivum canonizabo. »

DUBIA CIRCA VIAM PURGATIVAM.

DUBIUM I.

de peccatis.

An omnia peccata venialia vitari queant?

Cum Philothea alicubi legisset, omnia peccata venialia collective accepta sine speciali Dei gratia vitari non posse, dubitat, quomodo talia peccata adhuc malitiam habeant, cum ea simul omnia vitare non sit in potestate hominis.

Solutio.

Respondet Asceta, etsi non omnia collective accepta vitare possit, posse tamen ea disjunctive vitare; sicut quis non potest viginti panes ante se positos collective acceptos una vice comedere, bene tamen disjunctive. Addit tamen, etsi non possit homo abstinere a peccato, posse tamen satis longo tempore vivere absque omni peccato, uti plurimis auctoritatibus SS. Patrum, aliorumque Doctorum, et exemplis probat Lancisius, ubi de S. Francisco Xaverio et B. Aloysio refert, quod, licet sæpe confessi sint, tamen per semestre integrum nullam attulerint materiam, quæ pro veniali peccato agnosci posset. Sed et ipse Lancisius ait, sancte testari se posse, se in variis monasteriis Romanis multarum Monialium hebdomarias confessiones audivisse per multos menses et annos, et tamen vix toto anno aliquod peccatum veniale in iis invenisse, licet certo sciverit, eas nihil celasse. Nec obstat, quod Prov. xxiv. dicatur: « Septies in die cadit justus. » Nam imprimis illa verba: *In die*, non reperiuntur in correctis Bibliis; deinde illud verbum: *Cadit*, non de casu in peccatum, sed in varias ærumnas et calamitates, aliaque mala, bene intelligunt non solum Catholici, sed etiam Hæretici interpretes, ut apud eumdem Lancisium, n. 55, videre est. Ubi etiam, n. 42. ostendit, S. Patres, quando dicunt, hominem vix una hora absque reatu peccati venialis vivere posse, de vulgo et plebe justorum, non autem de perfectioribus intelligendos esse, sicut et illud Gen. vi. « Omnis caro corruperat viam suam super terram, » et illud Ps. cxxii. « Omnis homo mendax, » cum simili limitatione intelligenda sunt, cum utique Noe non corruperit viam suam, et plures de facto tota vita sua nunquam mentiti fuisse legantur.

DUBIUM II.

An defectus quotidiani ex fragilitate commissi multum angere nos debeant?

Advertens Philothea, se frequenter ex fragilitate in defectus quosdam incidere, vehe-

mentem inde tristitiam et anxietatem concipit; dubitat tamen, num bene sic agat, ideoque solutionem hujus dubii petit ab Asceta.

Solutio.

Respondet Asceta, narrando ei, quid S. Gertrudi contigerit, quæ propter minutiorem quemdam defectum sese multum arguens ac reprehendens, desideravit, et petiit a Domino, ut illum penitus in ipsa emendaret, atque ab ipsa auferret, cui benignus Dominus blande respondit : Et quare velles, ut et ego magno honore privarer, et tu ingenti præmio careres? nam grande nimis præmium lucraris quotiescumque illum vel similem defectum recognoscens, proponis de cætero eum vitare; et quandocumque quis studet pro amore meo defectus suos devincere, tantum mihi honoris et fidelitatis exhibet, quantum miles exhiberet domino suo, si strenue se ipsum in bello inimicis opponeret, eosque viriliter expugnaret, atque prosterneret. Unde suadet ei, ut B. Aloysii exemplum sequatur, qui, ubi incidisset in similem defectum, non inordinate tristabatur, sed dolebat de eo admisso, et ulteriorem illius discussionem ad examen differebat, dicere solitus, eum, qui nimis ob similes defectus tristatur, clarum indicium præbere, quod se ipsum non cognoscat, alioqui enim certo sibi persuasurum, mentem suam inculto agro, qui nihil nisi lolia et zizania proferat, similem esse. Quare hortatur Philotheam Asceta, ut talibus defectibus tamquam fimo utatur, qui, etsi vilis et fœtidus sit, tamen si ad arbores et prata fecundanda adhibeatur, plurimam utilitatem confert; quod, et ipsa faciet si ex talibus defectibus occasionem se humiliandi, et ferventius Deo serviendi, accipiat. *Insinuat.* l. III, c. LVIII.

Quem in finem proderit narrare, quod idem Blosius de eadem virgine Gertrude narrat his verbis : Orante eadem virgine pro defectu cujusdam personæ, quæ congregationi præerat, Dominus illi apparens dixit : Ego ex abundantia pietatis, dulcedinis et dilectionis meæ divinæ, qua congregationem hanc elegi, permitto inhærere aliquos defectus etiam illis, qui præsunt, ut inde meritum congregationis augeatur. Nam multo major virtus est, subjici ei, cujus defectus cognoscitur, quam alteri, cujus opera per omnia probata videntur. Ego sino superiores habere aliquos defectus, et ex diversitate curarum quandoque maculari, ut magis humilientur. Subditarum meritum crescit tam ex defectibus, quam ex profectibus earum, quæ præsunt; et similiter meritum illarum, quæ bene præsunt, crescit tam ex profectibus, quam ex defectibus subditarum. Ex quibus verbis Gertrudis intellexit supereffluentem divinæ sapientiæ pietatem, quæ tam subtiliter salutem electorum disponit, permittens in eis esse defectus, ut ipsos ad majores ducat profectus. Videbatur itaque sibi, quod etiamsi bonitas Dei numquam in alia re magis claruisset, quam in ista, omnis tamen creatura Deum satis laudare non posset. Ibidem l. III, c. LXXXVIII.

DUBIUM III.

An defectus quotidiani divinam munificentiam suspendant?

Cum Philothea quondam in levem impatientiæ motum incidisset, et tamen paulo post non modicam in oratione consolationem sensisset, dubitavit, an non hæc consolatio illusio potius esset, utpote indignæ collata, ad quod dubium Ascetæ propositum sequens responsum accipit.

Solutio.

Respondet Asceta, iterum narrando, quod S. Gertrudi evenit, quæ cum iterum incidisset in impatientiam, et tamen Deus benignissime eam visitaret, tandem dixit ad Dominum : O dulcissime Deus, quomodo potuisti mihi nunc tam indignæ atque imparatæ tam consolatoria tuæ dona gratiæ impertiri? Respondit Dominus : Amor coegit me. Et illa : Ubi nam sunt maculæ illæ a me contractæ per impatientiam, quam incurri, et aliquantulum verbis ostendi? Ad quod Dominus : Ignis divinitatis meæ consumpsit eas. Tunc illa : O clementissime Deus, quum toties gratia tua præveniat vilitatem meam, vellem scire, utrum prædicta impatientia, et similes defectus, post mortem in anima mea purgari debebunt. Cui quum Dominus benigne dissimulando non responderet, ipsa subjunxit : Vere Domine, si decor justitiæ tuæ exigeret sponte et libens descenderem etiam in infernum, ut ego digniorem emendationem tibi pro culpis meis exhiberem; si vero naturali bonitati et misericordiæ tuæ

magis congruit, ut maculæ meæ amore tuo prorsus consumentur, atque ad nihilum redigantur, liberrime exposcam, ut idem amor tuus ipsas animæ meæ maculas plene expurget. Dominus igitur solita pietate sua petitioni et desiderio ejus promptissime satisfecit. Quod ipsum etiam Asceta apta similitudine declaravit dicens : Sicut si mater filiolum vel ex natura, vel ex morbo debilem cadere videat, mox accurrit, erigit, solatur, saccharum aut pomum, ut a lacrymis abstineat, aut cesset, porrigit; si vero petulantem filium, sæpius, ne in plateis oberret, admonitum, cecidisse et cum vulnere rediisse advertat, graviter irascitur, et verbera infligit; ita Deus ex fragilitate labentibus sua dona potius, si casum deflcant, communicat, quam irascatur. Id quod eidem Gertrudi alias clarius Christus significavit, dum ei dixit : Cor divinum inæstimabili dulcedine affici, quoties aliquis cum mœrore recolit, se per evagationem mentis, vel per verborum operumve inutilium dissolutionem decidisse a Domino Deo suo, qui ipsum singulis horis ac momentis tam benigne beneficiis prævenit, et subsequitur. Intellexit, quod, quando homo corde compuncto apud se dicit hæc aut similia verba : Heu me miserum ! quomodo tempus istud consumpsi ? Quam parum Deo amatori meo intendi ! et cum desiderio proponit de cætero vitare hujusmodi negligentias atque offensas, efficitur revera tabernaculum Dei, in quo tanquam in domo propria habitare dignatur Dominus summæ Majestatis. Sicque per sanctissimam Filii Dei conversationem suppletur negligentia, et sancta vita renovatur in homine fideli; atque fit gaudium in cœlo, eo quod infinita Dei bonitas dignatur in anima vere pœnitente suas habere delicias.

DUBIUM IV.

Cur inutilibus malisque cogitationibus Deus animam vexari patiatur?

Philothea cum perpetuo inutiles sibi, noxiasque cogitationes incidere adverteret, admodum timet, ne per has Deo summe displiceat, dubitatque, an non in laqueum potius, quam commodum, sint permissæ.

Solutio.

Respondet Asceta, ob tres causas ab ipso Christo indicatas permitti ejusmodi cogitationes et luctas. Primam indicavit, dum S. Brigittæ, ob eas turbatæ, dixit : Hæc vera est justitia, ut, sicut prius delectabaris in vanitatibus mundi contra voluntatem meam, ita modo tibi molestæ sint variæ perversæque cogitationes contra tuam voluntatem. Verumtamen time judicium meum moderate et cum discretione, firmiter semper confidens in me Deo tuo. Certissime enim scire debes, malas cogitationes, quibus mens reluctatur, et quas detestatur, esse purgationem animæ, atque coronam. Si tu illas prohibere non potes, fer patienter ac voluntate eis renitere. Et quamvis ipsis non consentias, time nihilominus, ne inde superbias, et cadas; nam quicumque stat, solius Dei virtute stat. Secundam indicavit eidem his verbis : Ut homo intelligat infirmitatem, quam habet a se ipso, et fortitudinem, quam habet a me, necesse est, ut quandoque permittatur pulsari pravis cogitationibus, quibus si non consentit, illæ efficiuntur ei purgatio animæ et custodia virtutum. Et licet valde amaræ sint ad ferendum, sanant tamen animam, et ducunt eam ad æternam vitam, quæ non potest haberi sine amaritudinibus. Diligenter laborare debet anima, ne eis consentiat, aut in eis delectetur. Nonnulli in initio conversionis suæ, alii in vitæ medio, atque alii in senectute gravius tentari permittuntur. Hinc Mater Dei eidem Brigittæ ait : Tu miraris cur in senectute tentationes tibi accrescant, et eas modo sentias, quas nec in juventute, nec in conjugio experta es. Hoc ideo fit, ut cognoscas, te nihil esse, et nihil posse sine Filio meo. Nisi enim ille te servasset, non est aliquod peccatum tam grave, quod non commisisses. Tertio, S. Gertrudi aperuit, dum ei revelavit, eas permitti, ut homo postea de triumpho felicius exultet, et majorem gloriam in cœlo obtineat. Cognovit plerosque esse eximios castitatis et puritatis sectatores (quales fuerunt Apostoli Christi) qui suspecta quidem omnia fugiunt, sed ea, quæ suspecta minime sunt, rationabiliter admittunt. Et, nisi interea tentatione aliqua pulsentur, viriliter certando (adjuvante Dei gratia) ipsam tentationem devincunt; si vero interdum ex humana fragilitate aliquantulum succumbunt, student hoc dignis pœnitentiæ fructibus delere. Hujusmodi præliatores B. Augustinus exhortatur : « Attendite Sancti, quicumque pugnatis præliantibus loquor. Intelligunt, qui pugnant; non me intelligunt,

qui non pugnant. Vult homo castus, ut nulla omnino surgat in membris suis concupiscentia adversaria castitatis. Pacem vult, sed nondum habet; quando enim ad illud ventum fuerit, ut nulla omnino surgat concupiscentia adversaria, nullus erit hostis, cum quo luctemus; nec expectatur ibi victoria, quia de hoste jam victo triumphatur. Modo autem, quando caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus contra carnem, contentio est. Non quod volumus, facimus. Quare? Quia volumus, ut nullæ sint concupiscentiæ, sed non possumus; velimus, nolimus, habemus illas; velimus, nolimus, titillant, blandiuntur, stimulant, infestant, surgere volunt, premuntur, nondum extinguuntur. Caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, ut non ea, quæcumque vultis, faciatis. Quid enim vultis, o Sancti, o boni præliatores, o fortes milites Christi, quid vultis? Ut non sint omnino concupiscentiæ malæ, sed non potestis. Exercete bellum, sperate triumphum. Facite, quod potestis, quod ait ipse Apostolus alio loco: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desideriis ejus. Non ait: *Non sit peccatum*, sed *non regnet;* quamdiu vivis, peccatum necesse est esse in membris tuis; saltem illi regnum auferatur, non fiat, quod jubet.»

DUBIUM V.

An cognoscere possit homo, se esse in gratia?

Legens aliquando Philothea verba illa: *Nescit homo an amore, an odio dignus sit;* vehementer angitur, cum ex una parte de veritate hujus sententiæ non dubitet, ex altera vero parte hoc ipso, quod nullius gravis peccati sibi conscia sit, merito credat, se esse in gratia Dei constitutam.

Solutio.

Respondet Asceta cum Blosio sic loquente: Si bonæ voluntatis es, plurimum te consolari, et exhilarare debet immensus atque incomprehensibilis amor, quem Deus habet erga homines. Noveris autem duplicem esse ipsam Dei ad homines dilectionem quarum alteram meritam, alteram immeritam dicere possumus. Merita illa est, quam bonis operibus, virtutum exercitatione, præceptorum Dei et Christi consiliorum observatione, conciliare nobis et possumus, et debemus. Immeritam vero illam dicimus, quam ab omni æternitate ex sua natura Deus gratuitam prorsus atque immensam ad nos habuit, quam sane meriti non sumus. Nonnullis quidem aliqua ex parte in hac vita occultatur merita Dei erga ipsos dilectio, sicut Scriptura ait: « Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit, » sed hoc fit in bonum, maximamque salutem eorum, ut scilicet in bonis actibus, virtutumque studiis tanto humiliores, constantiores ad finem usque perseverent, nec superbia intumescant, vel negligentia dissolvantur, quod accidere posset, si certo illis Dei erga ipsos dilectio constaret. Pie tamen credimus (salvo judicio melius sentientium) illam Scripturæ sententiam de vulgari dumtaxat et imperfecto homine scriptam esse, non de eo, cujus spiritui testimonium perhibet Spiritus veritatis, quod Filius Dei sit, ut dicit Paulus Apostolus. Neque enim scriptum est: Nescit quisquam, sed, *nescit homo*; id est, quatenus homo est, absque testimonio Spiritus Dei nescit, utrum amore, an odio dignus sit. Quod autem possimus aliquo modo certi fieri de merito erga nos Dei amore, etiam hæc verba Christi aperte testantur: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum. » Nam cum Deus diligat servantem mandata sua, non omnino ambigimus, nos a Deo diligi, si præcepta illius sermonesque observamus. Plane si de nostro erga Deum amore certi sumus, etiam de ejus erga nos dilectione minime dubitamus. Ipse enim dicit: « Ego diligentes me diligo. » Modis omnibus prorsus impossibile est, ut incomprehensibilis Dei benignitas suum amorem deneget iis, qui eum vere diligunt. Et hæc ipsa merita dilectio, qua Deus nos ob sibi exhibitum verum amorem complectitur, tam infinita ac vehemens est, ut non intellectum modo, sed et omne desiderium hominis superet, nam multo amplius omnem Angelicum et humanum vincit amorem, quam ignis immensus tenuissimam scintillam. Blosius *in Consil. pusillan.*

DUBIUM VI.

De Confessione.

Cum Philothea assiduo dubitaret, an rite omnia peccata sit confessa, et legitime ab

iisdem absoluta ; ideoque frequenter hoc dubium, aut scrupulum potius, Ascetæ aperiret,

Solutio.

Respondit ille, cum Taulero apud Blosium: Quod ad veniales , quotidianasque culpas attinet (a quibus dum hic vivimus, omnino liberi esse non valemus) monendi estis, charissimi, ne multum solliciti sitis, neve perturbemini, si non omnes in confessione expresseritis. Illas humiliter ac serio Deo confitebimini, et contrito devotoque corde vos reos coram eo accusabitis. Sic enim iis, qui confessionibus audiendis adhibentur, nimis multum temporis non auferetur. Sane tales culpas generaliter exposuisse satis est ; cum mortalia dumtaxat peccata, et, juxta quorumdam, sententiam, etiam ea, de quibus dubium est an mortalia sint, ex Ecclesiæ præcepto, et necessitate confiteri obligemur. Venialia enim peccata multis modis delentur, puta , contritione, Dominicæ Orationis prolatione, genuflexione, aquæ benedictæ aspersione etc. Et iterum : Eorum, qui confessiones recipiunt, potestati et auctoritati fides adhibenda est, sicut et verbis Dominicis, quibus ait : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. » In veritate dico, charissimi, ubi quis peccata sua rite confessus remorsum ex iisdem in conscientia patitur, multo melius fecerit, si hac in parte Deo confitendo, et fidem virtuti confessionis adhibendo, eadem denuo non confiteatur, quam si iteret confessionem. Oportet enim divinæ pollicitationi , et ipsi Deo confidere. Quod dum facit homo, habet illum veracem, credens haud dubie servaturum, quod ei in absolutione promisit. Blosius *in Consil. pusillan.*

DUBIUM VII.

De longis Confessionibus.

Dum sæpius advertit Philothea alias personas tamdiu protrahere confessionem, quam tamen ipsa brevissimo tempore absolvit, dubitare incipit , et vereri, ne hoc ex defectu sufficientis cognitionis peccatorum proveniat, quare idipsum dubium Ascetæ aperit, ab eoque avide responsum expectat ?

Solutio.

Respondit Asceta, varias esse rationes, quibus aliqui interdum confessionem longius protrahunt, quarum tamen, quia vix ulla ipsam attingit, mirari eam non debere, si alii longius tempus, quam ipsa in confessione facienda insumant. Ejusmodi autem rationes esse possunt, quod alii generalem confessionem faciant ; alii sacrilegas confessiones a multis annis repetere cogantur; alii in magno luctu et tribulatione sint constituti, quos proin, dum causam sui luctus explicent, patienter audire, et variis rationibus solari oporteat ; alii peccata sua cum multis ambagibus et historiis enumerent, quas tamen Confessarius sæpe, ne perturbet, aut contristet, corrigere non potest ; alii, quia ob confessionem diu dilatam multas sordes congregarunt, longiori etiam examinatione opus habent ; alii ob varias obligationes faciendæ restitutionis , occasionis vitandæ , consuetudinis malæ deponendæ, acrioribus stimulis et instructionibus, qui tam brevi tempore adhiberi non possunt, incitandi sunt; alii denique variis scrupulis et dubiis interdum graviter vexentur, quos eripere, ut perquam plerumque laboriosum est, ita longiorem etiam moram requirit. Ex quibus sane rationibus satis apparet, non semper inutiliter et frustra confessiones protrahi, neque suo pede quempiam alios metiri debere, cum sæpe ratio aliqua ex prædictis in altero locum habeat.

DUBIUM VIII.

An relapsus in imperfectiones arguat nullum profectum in perfectione?

Advertens Philothea, se in antiquas semper imperfectiones recidere, merito dubitare incipit, an aliquem in perfectione profectum faciat, maxime cum nullum singulare indicium ullius profectus in se deprehendat?

Solutio.

Respondet Asceta, et in primis quærit, an si aliquis ab uno loco in alium ambulet, et sæpius quidem cadat, sed mox iterum resurgat, et in itinere pergat, an, inquam, talis nullum progressum in itinere faciat, et propius semper ad locum destinatum acce-

dat. Simili ergo modo Philotheam de suo profectu discurrere jubet, si post lapsum per pœnitentiam cito iterum resurgat, et in studio perfectionis alacriter pergat. Nec terrere debet, quod nulla signa profectus deprehendat; nam et hieme nulla indicia fructificantis seminis deprehendimus, et tamen ex illo copiosam suo tempore messem reportamus. Idem ergo Philothea de suo semine seu studio perfectionis speret.

DUBIUM IX.

De mortis desiderio.

Cum aliquando gravibus tribulationibus, propemodum obruta esset Philothea, aliquoties mortem optavit, dubitat tamen postea, an licite id fecerit?

Solutio.

Respondet Asceta, omnino id licite ab ea factum esse, cum ipse etiam Sapiens dixerit: « Melior est mors, quam vita amara. » Eccl. c. xxx.

Hoc pacto videmus etiam mundanos homines, mortem a Deo non raro expetere, quod et sine peccato facere possunt, cum enim tot sint hujus mundi mala, licitum erit, ad exeundum ex illis, mortem desiderare. Cur autem Deus mundum tot amaritudinibus impleverit, causam inter alias illam assignant Sancti, ne homines alias carnales, nimium amori ejus sese implicarent, sed corde in cœlum fixo spirarent ad vitam alteram, *ubi non erit luctus, neque dolor erit ultra.* Docet S. Augustinus voluisse Deum, ut hæc vita cito decurreret, quod molestiarum plena sit, altera vero æternum duraret, et ut requies esset æterna. S. Aug. *s.* xxxvii *de SS.*

Et S. Ambrosius : « Tantis malis, inquit, hæc vita repleta est, ut comparatione ejus, mors remedium esse putetur, non pœna. » S. Amb. t. II, s. vii, *sup. Job.*

Hinc et Elias petivit animæ suæ, ut moreretur dicens: « Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam. » III Reg. xix.

Sed et Judas Machabæus dixit: « Melius est mori in bello, quam videre mala gentis nostræ et Sanctorum. » 1. Mach. cap. iii.

DUBIUM X.

De mediis ad bonam mortem oppetendam.

Cum Philothea sæpius audisset et legisset, totam hominis salutem a felici morte pendere, decrevit serio efficacissima ad hunc finem media adhibere, quia tamen valde multa et disparata hujusmodi media assignantur a scriptoribus, dubitat, quodnam ex illis optimum eligendum sit.

Solutio.

Respondet Asceta, optime facturum si Joannis Berchmanni, Soc. Jesu Scholastici, exemplum sequatur, qui, imminente mortis hora, imaginem Crucifixi, rosarium et regularum librum in manu sumens, dixit : « Cum his tribus libenter moriar. » *Vita.*

Nam fiduciam quidem ad passionem ipse Christus S. Edmundo adhuc puero suasit. Quam efficax vero sit B. Virginis patrocinium ad felicem mortem obeundam, innumera exempla testantur ; hinc et ab Ecclesia in Salutatione Angelica ad hunc finem invocari jubetur. Ipsam denique regularum vel mandatorum divinorum sedulam observationem, efficacissimum esse medium; præter experientiam quotidianam S. Aug. testatus est dicens: « Non potest male mori, qui bene vixerit. » S. Aug. *de Discip. Chr.* c. ii.

Hinc non immerito mors echo vitæ vocatur. Quod Poeta confirmat canens :

> Ut tibi mors felix contingat, vivere disce :
> Ut felix possis vivere, disce mori.

Addunt alii misericordiæ constans exercitium præcipue erga defunctos, eo quod S. Hieronymus, alibi citatus, testetur, non legisse se, aliquem fuisse mala morte defunctum, qui libenter opera charitatis exercuerit.

DUBIUM XI.

De Judicii Extremi timore moderando.

Dum inter alia Philothea in Sequentia *Dies iræ*, legeret ista verba : « Quantus tremor est futurus, quando Judex est venturus, cuncta stricte discussurus ; » vehementi timore corripitur, ideoque serio decernit,

omnia media adhibere ad severissimum Judicem placandum ; dubitat tamen, quodnam ex pluribus præscribi communiter solitis præferre debeat, idque ab Asceta intelligere cupit.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, duo se præcipue suadere. Primum ipse Christus indicavit dicens: « Nolite judicare, et non judicabimini. Nolite condemnare, et non condemnabimini. » LUC. c. VI.

Expertus est medii hujus efficaciam monachus, qui alioqui non admodum pius, hoc uno tamen charitatis actu instructus, lætus mortem obiit, omniaque sua peccata a duobus juvenibus venustissimis, paulo ante a se conspectis, deleta esse dixit. BARON *ad ann.* 559, n. 20.

Alterum S. Paulus præscripsit dicens : « Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. » COR. XI.

« Peccata enim, teste S. Aug., sive, parva, sive magna impunita esse non possunt, quia aut homine pœnitente, aut in judicio Deo puniente plectuntur. Cessat autem vindicta divina, si conversio præcurrat humana ; amat enim Deus confitentibus parcere, et eos, qui semetipsos judicant, non judicare. » S. AUG.

Hinc merito S. Bernardus exclamat : « Bonum judicium, quod me illi divino, districtoque judicio subducit et abscondit ! » S. BERN. ser. 35. *in Cant.*

DUBIUM XII.

De Purgatorio vitando.

Cum audisset Philothea, ad Purgatorium evitandum efficax valde medium esse, si quis ipse prius multas animas liberare studeat, eumque in finem omnia sua opera quoad fructum satisfactorium pro ipsis offerat, dubitat, an non contra ordinatam charitatem erga seipsam peccet, si hoc medio utatur ; cupit ergo per Ascetam ab hoc dubio liberari.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, non deesse quidem aliquos auctores, qui ita sentiant, sed contrariam sententiam communiorem et veriorem esse, utpote quam ipse Christus approbasse videatur, dum S. Gertrudi morti vicinæ, et quia omnia sua opera pro animabus illis offerre solita fuerat, ne grave Purgatorium sustinere deberet sollicitæ dixit : Ut intelligas, quam grata mihi fuerit charitas tua, qua erga animas usa es, remitto jam nunc omnes pœnas, quæ tibi subeundæ essent. Et qui pro uno spopondi centuplum, liberalitatem meam modo ostendam, tuamque gloriam cumulabo. Unde Montfordus concludit, potius agere pro, quam contra charitatem, si hoc medio utatur, utpote per quod beatitudo *certius, citius et copiosius* obtineatur ; ob quam causam aliqui etiam post mortem pro ipsis offerenda donant. Addit tamen idem Asceta, suadetque Philotheæ, ut sua opera cum adjecta conditione (si ad majorem Dei gloriam hæc oblatio conducat, eique magis) offerat ; sic enim errare eam non posse. Modum autem hunc Montfordus sic præscribit : Quantum divinæ voluntati consentaneum est, ceditque ad majorem Dei gloriam, offero animabus in Purgatorio, quidquid satisfactorium a me per totam vitam fiet ; offero suffragia, quæ pro me vivente fient, vel unquam pro me vita functo ab ullo quovis tempore fieri contigerit, hæc, inquam, : omnia ad dictum finem offero, quantum a majore Dei gloria divinæque voluntatis beneplacito a me fieri potest. MONTFORT. *in tract. de Mis. anim. præstanda.*

DUBIUM XIII.

Quæ animæ prius liberandæ.

Satisfactum quidem abunde per responsum præcedens est Philotheæ ; dubitat tamen adhuc, quibus præcipue animabus sua opera applicare debeat, cum varias hac in controversia opiniones esse intellexerit.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, ante omnia præferendam esse animam, pro qua ex præscripto obedientiæ, vel ordinatæ charitatis, opera nostra offerre obligamur ; tunc enim clare nobis de voluntate Dei constat. Hinc primo applicanda pro iis, pro quibus vel promissio nostra nos obligat, vel pactum initum, vel Ordinis nostri, vel nostræ Sodalitatis regula,

vel Superioris urget jussio. Præterea suadet pietatis virtus, ut nominatim oretur pro parentibus, cognatis, amicis etc., suadet observantia, ut pro superioribus, patribusque spiritualibus; suadet gratitudo, ut pro iis, qui nobis quoquo modo benefecerunt, frequentius, ardentiusque Deum, precemur; suadet æquitas, ut eorum quoque animas impensius Deo commendemus, quibus olim peccandi occasionem quoquo modo præbuimus; æquissimum enim est, ut, quos in Purgatorii flammas quodammodo præcipitavimus, inde eosdem omni studio eripere contendamus. Cum vero hæ rationes desunt mihi, ait Asceta, ea præ reliquis placet devotio, quæ non proprii commodi studio ducitur, sed quæ primo loco divini honoris rationem habet semper, et ante omnia ad majorem Dei gloriam intenta est. Estque mihi persuasissimum, nihil animæ etiam meæ quæstuosius esse posse, quam illud unice spectare, quod e majore Dei gloria esse intellexero. Illam igitur animam mihi meis potissimum suffragiis, precibus et sacrificiis juvandam seligo, quam a me potissimum juvari ad majorem Dei gloriam facit. Quod si duæ, vel plures animæ sint, quas a me juvari perinde ad majorem Dei gloriam facit, ego illi potius hæc mea suffragia applico, quam graviora manent subeunda tormenta; cæteris enim paribus hoc magis charitati consentaneum existimo. Et quamvis mihi hæc anima nota non sit, est tamen Deo notissima. Sed quid, inquies, si contingat, animam, pro qua tot orationes et sacrificia offero, illis omnibus non indigere, vel aliter incapacem esse. Respondeo, ne hoc ullo umquam tempore contingere possit, studiose esse præcavendum hac vel simili clausula: Volo autem, ut, si quid ex his suffragiis meis supersit aut redundet, id omne cedat in bonum illius animæ, quam a me juvari ad majorem divini Nominis gloriam proxime facere Deus jam novit. Semper autem cavendum est, ut determinata fiat applicatio. Si tamen applicatio nulla a me fiat, oratio mea in sinum meum convertetur. Quod enim alteri non dedero, a me ipso transtulisse credendus non sum, sed mihi potius reservasse

DUBIUM XIV.

Quomodo viventes in infernum descendere debeamus?

Cum quondam audisset Philothea, suaderi ab Ascetis, ut viventes in infernum descendamus, ne post mortem descendere in illum debeamus, dubitare cœpit, quomodo hoc fieri possit. Quare dubii hujus solutionem ab Asceta petiit.

Solutio.

Respondet Asceta, hunc modum a S. Bernardo ostensum esse dicente: « E cella in cœlum sæpe ascenditur, vix autem unquam e cella in infernum descenditur; nisi sicut Psalmista dicit: *Descendant in infernum viventes*, videlicet ne descendant morientes. Hoc enim modo cellarum incolæ sæpe descendunt (considerando videlicet, quod ibi sit omnis boni absentia, omnis mali præsentia, omnis pœnæ indesinentia) sicut enim revisere solent gaudia cœlestia, ut ea ardentius appetant, sic et dolores inferni, ut horreant et fugiant.» S. Bern. *serm. Vit. solit.*

DUBIA CIRCA VIAM ILLUMINATIVAM

DUBIUM I.

De Virtute in genere.

Cum Philothea tum a regulis suis, tum a patribus spiritualibus frequenter excitata fuisset ad solidas virtutes sectandas, nesciat autem, quænam solidæ virtutes censeri debeant, dubitare incipit, an ullam ejusmodi virtutem possideat quare dubium hoc sibi solvi petit.

Solutio.

Respondet Asceta, cum solidum a solo denominationem accipiat, eo quod sicut solum fixum et immobile permaneat, recte virtutem solidam dici, quæ adeo constans est, ut non tantum prosperitatis, sed etiam adversitatis tempore exercetur; hinc aliqui virtutem proponunt per emblema rupis in medio mari extantis cum hac inscriptione: *Nec flamine*, (id est, favoribus ac blanditiis) *nec flumine*, (id est, adversitatum ac persecutionum fluctibus et procellis) *nec fulmine.* (id

est, tribulationibus a Deo immissis) moveri se, et a suo exercitio absterreri se sinit. Alii vero per similitudinem faciei fucatæ et naturaliter pulchræ, discrimen inter fucatam et solidam virtutem explicant; sicut enim fucata facies aqua calida superfusa colorem, et cum hoc etiam decorem amittit; naturaliter pulchra autem, non modo per talem aquam non amittit coloris venustatem, sed auget; ita vera virtus in infirmitatibus et adversitatibus perficitur, falsa vero deficit, et vitium suum prodit. Hinc de justo seu virtuoso homine Ecclesia canit: « Justus ut palma florebit, » quia sicut palma, quo magis deprimitur, tanto celerius iterum assurgit, atque adeo premi, non opprimi potest.

DUBIUM II.

Cur omnis gloria filiæ Regis ab intus?

Dum Philothea Ps. XLIV. in Officio B. Virginis recitat, illaque verba: « Omnis gloria Filiæ Regis ab intus » considerat, dubitare incipit, quomodo hoc verum sit, cum sponsæ terrestres gloriam suam potius in externis ornamentis vestium, gemmarum, auri et argenti, ac favore et æstimatione hominum ponant.

Solutio.

Respondet Asceta, id ideo dici, quia tota gloria et perfectio hominis consistit in operibus bonis et perfectis; hæc autem bonitatem suam ab intentione præcipue desumunt juxta vulgare axioma:

Quidquid agant homines, intentio judicat omnes:

Cum ergo intentio occulta in animo lateat, hinc merito gloria et perfectio animæ justæ ab intus oriri dicitur. Unde recte S. Greg. dixit: « Sic sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut et de bono opere præbeamus exemplum, et tamen per intentionem, qua soli Deo placere quærimus, semper optemus secretum. S. Greg. hom. II. *in Ev. Matth.* c. VI.

Hinc et Christus monuit: « Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus; alioqui mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est.

DUBIUM III.

Cur sola virtus Mater gloriæ dicatur?

Legerat quondam Philothea in libro quodam hanc S. Bernardi sententiam: « Sola virtus Mater gloriæ est. Sola enim est cui gloria jure debetur, et secure impenditur. Quæ autem est sine virtute gloria, profecto indebite venit, propere affectatur, periculose captatur. » S. Bern. *in Cant.*

De cujus sententiæ veritate valde dubitare incipit, eo quod passim videat homines ob alios titulos, quam propter virtutem, honorari.

Solutio.

Respondet Asceta, cum honor sit reverentia exterior, quæ alicui ob excellentiam defertur; excellentia autem cujusque rei a possessione sui finis desumatur; finis autem hominis sit bene, et secundum rationis et voluntatis divinæ dictamen vivere; hoc autem sola virtus præstet, merito sola virtus mater et causa gloriæ dicitur. Quod et Romani jam olim agnoverunt, dum duo templa ædificari curarunt, unum Virtuti, alterum Honori, sed tali modo, ut nulli ad templum Honoris accessus pateret, qui non per templum Virtutis prius transiisset. Quando ergo honor passim ob alios titulos confertur, non verus, sed falsus honor censendus est; uti recte Seneca indicavit dicens: « Nemo eorum, quos divitiæ, honoresque in alto fastigio ponunt, magnus est. Quare ergo magnus videtur, cum basi sua illum metiris. Minimus est pumilio, licet in monte constiterit. Colossus magnitudinem servabit, etsi in puteo constiterit. Hoc laboramus errore, quod neminem æstimamus ex æquo; cum vero velis æstimationem hominis inire, et scire qualis sit, nudum inspice; ponat patrimonium, honores, et alia fortunæ mendacia, corpus suum exuat, et animum intuere qualis sit, quantusve, alieno an suo magnus.» Seneca. *in epist.*

Unde et Aristoteles dicere solebat: Qua in civitate non maximus virtuti honor tribuitur, in ea optimus civitatis status stabilis et firmus esse nullatenus potest.

DUBIUM IV.

Cur virtus optima pars hominis dicatur?

Cum, in festo Assumptionis B. Virginis, Philothea in Evangelio hæc verba : « Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, » legi audivisset, dubitare incepit, quidnam Christus per optimam partem intellexerit, quare id sibi ab Asceta indicari petiit.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, id ipsum indicari per occasionem ex qua Christus hæc verba protulit, scilicet, quando Magdalena secus pedes Domini sedebat, per hoc indicare volens, solam subjectionem, qua quis Deo se subjicit, eique adhæret (id quod per virtutem maxime præstatur) optimam esse partem illius; hæc enim sola est, quæ auferri ab eo, nisi volente, non potest; hinc S. Bernardus recte dixit : « Veræ divitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives sit; opera enim illorum sequuntur eos. » S. BERN. s. *in Sexag.*

Sed et sapienter Epictetus : « Memento, si ea, quæ naturæ serviunt, libera putaris, et aliena pro tuis habueris, fore ut impediaris, lugeas, perturberis, Deos hominesque accuses. Sin id solum tuum existimaris, quod tuum est, aliena vero, ut sunt, aliena, te nemo coget umquam, nemo impediet, neminem accusabis, neminem criminaberis, nihil ages invitus, nemo lædet, inimicum non habebis, neque enim ullam calamitatem accipies. Verbo, beatus et felix eris. » EPICT. c. III, *Enc.*

DUBIUM V.

Cur virtus sit optimus cultus Dei?

Cum legisset quondam Philothea in libro quopiam hanc Senecæ sententiam : « Optima vita pulcherrimus Numinis cultus est » dubitavit, an veritati conformis sit hæc sententia, cum utique plures alii, Deoque gratiores modi colendi Deum reperiantur.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, verissime id a Seneca dictum esse, eo quod optima vita, seu ex virtute transacta omnes veri cultus proprietates in se contineat. Est enim 1. *Amplissimus*, id est, universas hominis actiones complectens, utpote quæ omnes per intentionem solius divinæ gloriæ procurandæ ad Dei cultum referantur. Est 2. *Purissimus*, cum bonum non sit nisi ex integra causa, atque adeo optima, et virtuosa vita nullum defectum aut peccatum admittat. Et 3. *Constantissimus* seu *Perpetuus*; quia hoc ipso, quod omnes actiones, etiam somnus, ad Dei cultum, ut dictum est, referantur, recte diu noctuque perseverare dicitur. Hinc merito Alphonsus Rodriquez de hoc cultu sic discurrit : Solemnem atque ordinarium in Societate nostra est, ut appetente peculiari aliquo vel tempore, vel Festo Pentecostes v. gr. Paschatis, Adventus Dominici, Quadragesimæ, et similibus, in collationibus spiritualibus petant Fratres, et quidnam devotionis assumere possint, ad diem vel tempus illud quam sanctissime exigendum; solent autem, ut fit, afferri plurima, et quidem bona omnia. Sed ego id unum respondeo : Perfice te, mi frater, in eo, quod habes præ manibus, quodque tractas quotidie; exscinde defectus tuos, imperfectionesque circa ista ordinaria, et elabora, ut quæ facis, facias quam optime ac perfectissime, et quotidie melius ac melius, et præparaveris te optime sanctissimeque; neque aliud, quod adjicias, superest quidquam.

DUBIUM VI.

De Fide.

Audiens quondam Philothea S. Theresiam dixisse, omnes nostras imperfectiones et peccata ex vivæ fidei defectu oriri, dubitat de sententiæ hujus veritate, cum multi de peccatis variis se accusent, qui tamen firmissimi sunt in fide Catholica retinenda.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, facile illam veritatem hujus sententiæ intellecturam, si bene apprehenderit, quid S. Theresia per fidem vivam intellexerit, nimirum talem, per quam assiduo in mente et memoria recenti habeamus quosdam articulos fidei ad malum fugiendum, bonumque faciendum singulariter conducentes, quales præ aliis sequentes quatuor censeri possunt : *Deus ubique præ-*

sens est, et intima cordis cognoscit. (Quis enim ob hanc præsentiam actu ob oculos versantem non horreret aliquod peccatum admittere)? *Nemo bonus nisi Deus.* (Quis enim amplecti dignaretur bonum creatum, si firmiter crederet, se in Deo, velut fonte, omnia bona infinities perfectius possidere) : *Quidquid accidit hominibus, ex voluntate Dei sapientissime omnia in bonum illorum ordinantis, provenit.* (Quis enim in hanc veritatem vivaciter credens, non perfectissime se voluntati divinæ conformaret?) *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* (Quis enim hoc sibi firmiter persuadens, proximum offendere auderet, et non potius omnia charitatis obsequia cum summa alacritate præstaret?) Hinc non immerito Joannes Avila dicere solitus erat, plerosque homines aut carcere Inquisitionis, aut cavea stultorum dignos esse. Si enim credunt ea, quæ fides de altera vita docet, et tamen toties peccare audeant, stulti profecto sunt, et stultorum cavea digni ; si autem non credant, hoc ipso carcere Inquisitionis concludi merentur.

DUBIUM VII.

De Spei virtute.

Legens aliquando Philothea sententiam Ludovici Granatensis dicentis: « Nihil omnipotentiam Dei clariorem reddit, quam quod omnipotentes faciat eos, qui in se sperant » non poterat sibi imaginari, quomodo hoc verum sit, cum omnipotentia, utpote ens infinitum nulli creaturæ competere possit, sed soli Deo sit propria,

Solutio.

Respondet Asceta, duplicem esse omnipotentiam, *intrinsecam*, quæ velut proprietas ex ipsa natura secundum nostrum modum loquendi emanat, et hæc recte soli Deo convenire dicitur ; et *intrinsecam*, quæ ratione alieni et intrinseci auxilii competit, et de hac intelligendus est Granatensis ; cum enim Deus suum auxilium promiserit sperantibus in se, hoc ipso tantum quisquis potest per Deum, quantum potest Deus per se. Hinc S. Paulus dixit : « Omnia possum in eo, qui me confortat. » Sed et ipse Christus quondam S. Mechtildi dixit : « Perplacet mihi videre homines confidentes de mea bonitate; talis enim quicumque est, et in hoc perseverat, singulariter eum in hac vita remunerabor, et in altera uberrimam ei mercedem conferam. Et quanto plus de me confidet, tanto plus etiam a me consequetur ; impossibile enim est, ut, quod quis sancte de me credit, et consequi speravit, non obtineat, cum hoc ipsum ego promiserim. Mihi igitur fidat, qui grandia a me expectat. » Blosius c. xi *Monil. spir.*

Alias vero S. Gertrudi dixit : « Fiducia illa, quam homo in me solo collocat, credendo, posse, scire et velle me ipsum fiducialiter juvare in omnibus, cor mihi transfigit, tantamque pietati meæ violentiam facit, ut non possim non ei gratificari, et manus porrigere ob gustum, quem ex eo, quod totus a me pendeat, capio. » Et merito, si enim artifex, qui opus aliquod præcipuum ad artem suam et ingenium in eo ostendendum fecit, cupit illi suam perfectionem dare, cavetque sedulo, ne quis dicto, vel facto male id tractet, et si forte detrimentum passum est, omni modo restaurare studet ; quanto minus Deus patietur, ut homo, in quo omnem suum amorem et sapientiam ostendit, ne pereat, omnem perfectionem acquirat? Unde merito S. Aug. dixit : Spes nostra tam certa est, quasi res jam perfecta sit. Neque enim timemus promittente veritate. Veritas enim nec fallere potest, nec falli. S. Aug. *in Ps.* cliii.

Et S. Bernardus : Tantum, ait, per nos operabitur Deus quantum se nostra in eum fiducia extenderit. S. Bern. ser. ix, *in Ps. Qui habitat.*

DUBIUM VIII.

De Charitate Dei.

Alia vice audiens Philothea, S. Augustinum dixisse : « Hoc es, quod diligis » ; capere non valens hujus sententiæ sensum et veritatem, eodem sibi ab Asceta declarari petit ; cui petitioni satisfacturus,

Solutio.

Respondet Asceta, cum cujusque rei perfectio in possessione sui finis consistat, finis autem hominis sit, Deum per amorem in hac

vita temporaliter, et in altera æternum possidere, facile apparere, quod verissime dicatur de homine : Tantum es, quantum diligis, uti clarius S. Bernardus indicavit dicens : « Quantitas cujusque animæ æstimatur de charitate, quam habet. » S. Bern. *Ser.* xvii. *in Cant.*

Hinc et Ecclesiastes dixit : « Finem loquendi (ad quem omnis locutio et adhortatio ordinatur) pariter omnes audiamus. Deum time, et mandata ejus observa, hoc enim est omnis homo. » Eccl. cap. ult.

Ex quibus verbis S. Bernardus infert : « Si hoc est omnis homo, ergo absque hoc nihil est homo. Non enim clarescit anima, teste S. Gregorio, fulgore æternæ pulchritudinis, nisi prius hic arserit in officina charitatis. » S. Greg. l. XVIII, *Mor.* c. xv.

Hinc recte S. August., « Ad Deum, inquit, non pedibus licet ire, sed moribus ; mores autem nostri non ex eo, quod quisquis novit, sed ex eo, quod diligit, dijudicari solent, nec faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali sint amores. »

DUBIUM IX.

De Prudentia.

Cum aliquando Philothea ob actionem aliquam non prudenter satis exercitam in gravem miseriam incidisset, eique causam quærenti hujus miseriæ Confessarius respondisset ex Ovidio : « Crede mihi, miseros prudentia prima relinquit. » Ovid. l. IV *de Pont.* eleg. xi; non poterat sibi hoc Philothea persuadere, quare clarius sibi veritatem hujus versus explicari petit, cui,

Solutio.

Respondet Asceta, solutionem hujus dubii ex natura et officio prudentiæ petendam esse. Cum enim hujus officium sit, finem debitum ob oculos ponere, mediaque ad illum assequendum convenientia eligere, facile colligitur, eum, qui in miseriam ex culpa propria provenientem incidit, prudentiæ leges et dictamina non observasse, cum miseria talis nihil aliud sit, quam deviatio a scopo et fine proposito, aut mediis congruentibus non electis proveniat, nam cæteroquin diligentibus Deum (qui est finis unicus et postremus hominis) omnia cooperantur in bonum.

DUBIUM X.

De Oratione.

Cum aliquando concionator quidam ap orationis sedulum usum et exercitium adhortans, inter alia sententiam illam cujusdam S. Patris attulisset : « Recte novit vivere, qui recte novit orare, » dubitat Philothea de veritate hujus axiomatis, cum multos quotidie videat orationi, perquam deditos, et tamen pessime viventes.

Solutio.

Respondet Asceta, vere id dictum esse a S. Aug., eo quod duo præcipue media ad recte vivendum requirantur, illustratio intellectus et motio voluntatis, utrumque autem per orationem maxime obtineatur, nam de intellectu quidem testatur S. Jacobus dicens : « Si quis vestrum indiget sapientia, postulat a Deo, qui dat omnibus affluenter. » Jac. c. i.

Sed et Thomas Kempensis in Persona Christi id confirmat, dicens : « Ego sum qui humilem in puncto elevo mentem, ut plures sapiat æternæ veritatis rationes, quam si decem annis in scholis studuisset. » Th. Kemp. l. III, c. xliii.

Hinc S. Th., S. Bonav., et alii fassi sunt, se plus in scientiis orando, quam studendo profecisse. De voluntatis vero motione exemplum est in Discipulis in Emmaus euntibus et dicentibus : « Nonne cor nostrum ardens erat, dum loqueretur nobis in via? » Quid autem aliud est oratio, nisi locutio cum Deo? Nimirum hic locum habet solemne illud axioma : « Gustato spiritu desipit omnis caro. » Hinc et Apostoli cum Christo in montem Thabor educti exclamaverunt : « Bonum est nos hic esse! » Luc. c. xxii. quia dulcedinem divinæ præsentiæ degustaverunt. Sed et experientia sat crebra testatur, adeo quosdam hac dulcedine ab-

reptos esse, ut exclamare coacti sint : Satis est, Domine, quia infirmum hoc vasculum capere non potest divinæ dulcedinis tuæ abundantiam; alii vero strophiola aqua frigida madefacta adhibere cogerentur, ad ardorem inflammationis ex divina dulcedine degustata temperandum.

DUBIUM XI.

De Humilitate.

Cum legisset Philothea, S. Franciscum se omnium peccatorum maximum dixisse, vehementer dubitavit de veritate hujus dicti, cum utique Sanctus hic moraliter certe sciverit, innumeros esse homines, qui tot tantaque peccata commiserint, de quibus ipse, ut loqui solemus, ne somniavit quidem.

Solutio.

Respondet Asceta, varie hoc explicari ab Ascetis, nempe ut vel quis cogitet, posse esse aliquid occultum, quo alius non superet (quemadmodum S. Aug. tradit) vel ut propter dona, quæ alius actu possidet, et ipsi desunt, alium anteponat (quomodo S. Greg. hanc difficultatem explicat), vel ut persuadeat sibi, quemvis sceleratum hominem multo majorem gratitudinem exhibiturum Deo, fideliusque serviturum fuisse, si tanta eum misericordia fuisset prosecutus (quem modum S. Franciscus insinuavit, et P. Jacobus Alvarez convenientiorem cæteris putat) velut sua peccata conferat cum Dei donis, quæ sunt in altero (uti S. Th. et S. Anselmus, fecerunt), vel ut cogitet, alia esse judicia Dei et hominum, ideoque illud S. Pauli dicat : « Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum ; » quia nescit homo, an amore, an odio dignus sit (et hic modus S. Bernardo aptior est visus) vel ut propter Scripturæ sacræ auctoritatem, servum se inutilem atque aliis longe minorem judicet, non multum disputans, quomodo cum veritate id dicere possit, quomodo Lancisius hanc quæstionem dissolvi posse existimavit. Addit tamen ipse Asceta, optime sibi videri S.Th. solvisse hoc dubium, dum dixit : « Humilitatem esse laudabilem sui ad ima demissionem, » atque adeo non requiri, ut speculative quis minorem se omnibus reputet (quæ enim esset dejectio, si rusticus cum aulicis convivio assidens, et sciens, se omnibus illis longe inferiorem esse, ultimum in mensa locum occupet) sed ut practice perinde se tractet, et tractari petat, quemadmodum vilissimi quique et abjectissimi servi tractari solent, scilicet ut nec æstimari, nec laudari, nec honorari, nec amari, nec foveri, ac beneficiis affici cupiat, sed potius omnia contraria fieri desideret. Hinc S. Bernardus recte dixit : « Non magnum est, esse humilem in abjectione, magna prorsus et rara virtus est humilitas honorata. » S. Bern. *Ser. sup. Missus.*

Et sic facile capitur, quomodo Christus et B. Virgo se humiliarint, formam servi et ancillæ accipiendo, quia scilicet, ut tales se tractarunt et tractari desiderarunt.

DUBIUM XII.

De eadem Humilitate.

Audiens Philothea in Evangelio : « Omnis, qui se humiliat, exaltabitur ; » dubitat, an non potius eos, qui excelsi et in magna dignitate constituti sunt exaltari et honorari oporteat, sicut in hoc mundo fieri solet. Vehementer proin causas scire desiderat, et quos Deus humiles præ aliis exaltare soleat.

Solutio.

Respondet Asceta, tres ob causas id fieri. 1. Quia, cum nihil habere et posse se putent, ad Deum fiducialiter confugiunt, et ardenter auxilium petunt, et ideo etiam juxta promissum Salvatoris accipiunt. 2. Quia, cum se tam longe esse a perfectione existiment, valde esuriunt et sitiunt justitiam, atque adeo saturari merentur. 3. Quia, cum se totos evacuent, a Deo qui perinde ut natura vacuum non patitur, impleri merentur, juxta illud Scripturæ : « Dilata os tuum et ego implebo illud. » Quas tres Christus indicasse videtur, dum dixit : « Petite, et accipietis; quærite et invenietis; pulsate et aperietur vobis », quæ omnia humilis præstat. Nam petit se incurvando ; quærit, quia vacuum se videt ; pulsat desiderando, quod deesse sibi advertit.

DUBIUM XIII.

De minimorum Cura et Electione.

Legens quondam Philothea de S. Ignatio Loyola, quod ad quemdam ex suis sociis hæc verba scripserit : « Libentissime audimus, te inter Fratres infima quærere, et ultima, atque consectari minima ; nam magnitudo humanæ mentis non in eo sita est, ut magna ex suo sensu quis amet et amplectatur, sed ut ad minima se extendat. Perge igitur exerceri in minimis, ut maxima æternæ vitæ consequaris... » capere non poterat, quomodo magnitudo et perfectio hominis in cura et electione minimorum consistat ; quare veritatem hujus doctrinæ sibi explicari desiderat.

Solutio.

Respondet Asceta, et pro fundamento supponit, quod juxta communem sensum hominum tanto laudabilius opus censeatur, quanto major difficultas in eo reperitur, et quanto major conatus adhibetur ad eam superandam. Hinc qui vicit hostem aperto prælio, multis vulneribus acceptis, longe perfectior miles censetur, quam alius sub mœnibus sine vulnere pugnans. Hinc artifices parva opera facientes, ut horologia minutissima, et similia, magis suscipimus, ut adeo merito dixerit Theophridius de simili artifice loquens : « Qui licet magnus in magnis sit artifex, gloriosius tamen mirabilia in minimis operatur. » Id quod etiam S. Thomas confirmat dicens : « Scientia operativa tanto perfectior est, quanto magis particularia considerat, in quibus est actus. S. Thom. *in Proleg.* xxii.

Hoc notato probat veritatem axiomatis, hoc syllogismo : In illis est summa perfectio, in quibus maxima difficultas reperitur ; at in minimorum electione, factione, intentione maxima difficultas reperitur, ergo. Major patet ex dictis. Minor experientia quotidiana probatur, qua habemus. Opera et officia splendida facile eligi, magna cum alacritate peragi, facile ad majorem Dei gloriam suscipi, quia vires per se excitant ; at minima eligere, æque accurate, cum æquali amore Dei et proximi peragere, hoc opus, hic labor est. Ut adeo merito S. Valerianus dixerit : « Virtus magna in minoribus semper experimentum cupit. » Et hinc S. Chrysost. dicit : « Deus omnia facit et satagit, ut ex minimis te coronet. » S. Chrys. hom. xxxviii, *ad Pop.*

Id quod ipse Christus confirmavit, quando, Matth. xxv, dixit « Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. »

DUBIUM XIV.

De Paupertatis virtute.

Audiens Philothea illa S. Apostoli verba : « Nihil habentes, omnia possidentes, » dubitat, nec immerito quomodo cum veritate id dicere potuerit S. Paulus, cum hoc ipso, quod pauper quis existat, inopia premi soleat, atque adeo nihil potius, quam omnia, possidere dicatur.

Solutio.

Respondet Asceta, et dubium hoc ex SS. Patrum doctrina solvit quorum primus S. Leo sic locutus est : « Semper dives est Christiana paupertas, nec pavet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum est, in omnium rerum Domino omnia possidere. » Ser. n. 4 *in Quadrag.*

Alter est S. Bernardus, sic loquens : « Non eos æstiment, sola cœlestia possidere, quia ea sola audiunt in promissione ; possident et terrena, et quidem tanquam nihil habentes, et omnia possidentes, eo pro certo magis Domini, quo minus cupidi. Denique fideli homini totus mundus divitiarum est, totus plane, quia tam adversa, quam prospera ipsius, æque omnia serviunt ei, et cooperantur in bonum. Ergo avarus terrena esurit ut amicus, fidelis contemnit ut dominus ; ille possidendo mendicat ; iste contemnendo servat. » S. Bern. Ser. xxi *sup. Cant.*

Tertius est V. Beda id ipsum confirmans his verbis : « Pauper innumerabiles possidet divitias ; est pauper Evangelicus, qui cum Deum ipsum bonorum omnium fontem portet in corde, bonis indigere non potest. Si ergo hic nullo indiget, et multas divitias habet, dives est. Vere dives, qui paupertatem spiritus habens, virtutes, veras animæ opes, ad se transtulit possidendas. » V. Beda, l. II *in Prov.* c. xiii.

DUBIUM XV.

De Castitatis virtute.

Cum legisset Philothea in libello de Imitatione Christi sententiam : « Disce celeriter superiori tuo te submittere, si carnem propriam optas subjugare »; capere non potest, quod obedientia sit tam efficax remedium castitatis ; quare ab Asceta hac in parte instrui, et a dubio suo liberari petit.

Solutio.

Respondet Asceta, tres esse hujus doctrinæ causas : Prima a Sancto Augustino his notatu dignissimis verbis assignatur : « Expedit inferius subjici superiori, ut ille, qui subjici vult, quod est inferius, se subjiciat superiori suo. Agnosce ordinem, quære pacem. Tu Deo, tibi caro.Quid justius ? Quid pulchrius? Tu majori, tibi minor. Servi tu ei qui te fecit, ut tibi serviat, quod propter te factum est. Si autem contemnis tu servire Deo,nunquam efficies ut tibi caro obediat. » Secundam citatus libellus de Imitat. l. c. indicat, dum ait : « Citius namque exterior vincitur inimicus, si interior homo non fuerit devastatus. Non est molestior et pejor animæ hostis, quam et ipse tibi, non bene concordans spiritus. Oportet omnino verum te assumere tui ipsius contemptum, si vis prævalere adversus carnem et sanguinem. » Tertia colligitur ex sequenti discursu : Ille maxime defensus erit contra tentationes carnis, qui maxime in Deo sperat. Quis autem sperare potest magis, quam obediens? De hoc enim verificatur illud Joan. I. ep. cap. III. « Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, etc. » De hoc etiam verificabitur illud David Psal. 90. « Quoniam in me sperabit, liberabo eum. » Et sane non desunt exempla tam veteris, quam novi Testamenti ; veteris quidem per tres pueros ab eo, qui Filio hominis similis erat, defensos a flammis, Dan. cap. III. In novo autem per eum Candidatum Ordinis, qui jussus erat in clibanum descendere, et illæsus exivit. Quod istis in materiali, hoc in spirituali obedientibus eveniet, ita ut vere dici possit illis, quod Judith c. XV.« Confortatum est cor tuum, eo quod castitatem (dicam ego obedientiam) amaveris, ideo eris benedicta in æternum. » Talis dicere poterit cum eadem : « Vivit Dominus, quoniam custodit me Angelus. etc. » Cujus iterum pulchrum exemplum habemus in Fratre ad mandatum senis in locum periculosum profecto et mirabiliter ad monasterium translato, cum a puella tentaretur. Hinc P. Balthasar Alvarez dicere solebat : Securitatem in agendo cum proximis esse valde magnam, si ex obedientia fiat, ita ut si quis obediendi causa infames feminas accederet, purissimas cogitationes haberet ; qui tamen, si ex voluntate propria in cubiculo maneret, fœdissimis cogitationibus uteretur. Sane nescio, inquit idem Pater, quomodo quid tutum possit reputari, quod a Domini voluntate recedit. Quomodo, quæso, securitas est, ubi Deus non est ? *Vita* c. V.

DUBIUM XVI.

De Obedientiæ virtute.

Audiens quondam Philothea sententiam Salomonis : « Obediens loquetur victorias » Prov. c. I ; imaginari sibi non potest, unde tanta vis et robur obedientiæ proveniat, ut et Dæmones et inimicos tam potenter oppugnare et vincere possit. Cupit ergo hoc ipsum ab Asceta clarius sibi explicari.

Solutio.

Respondet Asceta referendo, quod Abbas Pastor Abbati Abrahamo quærens, quare Dæmones ipsum oppugnent ? respondit : Non pugnant nobiscum Dæmones, quando voluntates nostras facimus, quia voluntates nostræ dæmones factæ sunt, et hæ sunt, quæ tribulant nos, ut faciamus eas. Id quod Abbas Achilles sequenti apologo confirmavit. Ligna Libani dixerunt : Quam grandia nos sumus, et alta, et minimo ferro incidimur ! Nihil ergo ei demus ex nobis, et non poterit incidere. Venerunt ergo homines, et fecerunt in securi manubrium ex ipsis lignis, et ita inciderunt. Ligna ergo sunt animæ ; securis diabolus;manubrium voluntas nostra est. Per malas ergo voluntates nostras incidimur. *Vita PP.* l. X, n. 62.

Hinc recte Abbas Moses dixit : « Nullo alio vitio tam præcipitem diabolus mona-

chum pertrahit et perducit ad mortem, quam cum neglectis consiliis seniorum, suo judicio persuaserit definitionique confidere.» Cassian. *in Col.* II, c. xi.

Cum ergo hanc voluntatem propriam obedientia potissimum expugnet, recte dicitur, obedientem loqui et reportare victorias.

DUBIUM XVII.

De Modestiæ virtute.

Inter alias SS. Patrum sententias illa præcipue admirabilis Philotheæ est visa, qua S. Gregorius Nazianzenus dixit : « Ubi Christus est, modestia quoque est. » Lib. IV, *Revel.* c. xx. Quam difficultatem et dubium cum more suo proposuisset,

Solutio.

Respondet Asceta ; cum ex una parte Christi deliciæ sint esse cum filiis hominum ; ex altera vero parte, juxta commune proverbium : Simili gaudeat ; merito credi, quod Christus, cum illis libenter habitet, qui modestiæ specialiter sunt studiosi, cum ipse Christus, ut B. Virgo S. Brigittæ revelavit, adeo modestus et amabilis fuerit aspectu, ut, si Judæi ob aliquem casum sinistrum tristitiam aut dolorem gravem concepissent, se mutuo alloquentes dixerint : *Eamus ad Filium Mariæ, ut hilares fiamus.* Hinc et ipsa B. Virgo tantopere hujus virtutis studiosa exstitit, ut Musam duodecennem virgunculam prius in consortium suum non admiserit, quam leviculum aliquem immodestiæ defectum emendasset. Merito ergo S. Bernardus suos ad modestiam adhortans dixit : « Obsecro vos, Filioli, æmulamini hanc virtutem ; si Mariam (et multo magis ejus Filium Christum) diligitis, si contenditis ei placere, æmulamini modestiam ejus ; nihil enim tam idoneum homini, nihil tam congruum Christiano. » S. Bern. l. IV, *Dial.* c. xiii.

DUBIUM XVIII.

De Patientiæ virtute.

Audiens Philothea in concione S. Gregorii sententiam citari, qua dicebat : « Ego fidenter dico, quia minus pio vivis, si minus persecutionem pateris » ; difficulter assentiri poterat huic dicto, cum potius pie viventes mereri, videantur, ut ab aliis amentur et honorentur quam ut passionibus exerceantur.

Solutio.

Respondet Asceta, tres ob causas justos hac in vita tribulationibus affligi : 1. *Ob filialem castigationem.* Hinc Salomon monebat : « Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, nec deficias, cum ab eo corripieris ; quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi Pater in filio complacet sibi. Prov. c. iii.

2. *Ob magistralem probationem.* Hinc Apostolus ait : « Gloriamur in spe gloriæ Filiorum Dei. Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit. » Rom. v.

Quod ipsum etiam Seneca agnovit, dicens « Hanc rationem sequuntur Dii in bonis viris, quam in discipulis sui præceptores, qui plus laboris exigunt ab iis, in quibus certior spes est. Dicant ergo ipsi : Digni visi sumus Deo, in quibus experiretur, quantum natura humana pati posset ; optimi milites ad durissima mittuntur. » Seneca, l. *de Provid.*

3. *Ob amorosam delectationem.* Hinc Christus B. Baptistæ Vexenæ dixit : « Recordare magis me tibi ostendisse signum amoris, dum te afflixi, quam dum te tenerem arcte in dulcissimis brachiis. » *Chron. Ord. S. Franc.* t. II, l. VII, c. xxiv.

Nimirum, sicut amantes in signum dilectionis fortissime, nec sine dolore comprimunt manus; ita Deus suos dilectos tribulationibus premit. Id ipsum etiam S. Gertrudi insinuavit dicens : Sicut annulus signum est desponsationis, et quasi desponsatio animæ cum Deo. Et alias eidem dixit : « Ne contristare, delector enim tua cohabitatione ; ideo ut mecum maneas, mitto tibi amicos contrarios, ut dum in nulla creatura fidelitatem reperis, ad me plenius recurras. » S. Gertrud. l. VI, *Insin.* c. xiv.

Recte proin dixit Petrus Berchonius : Qui bene vult probare dispositionem cordis, tangat pulsum in sinistra ; quia medici certius in hac, quam dextra, eum explorari docent;

simili modo, qui vult probare dispositionem dilectionis, tangat et probet hominem in adversitate, quia certior est probatio. Nam, teste S. Chrysologo : « Verus amor non nisi passionibus probatur. » Lib. III, c. LXVIII.

DUBIUM XIX.

De eadem.

Cum audivisset Philothea a concionatore quopiam, eodem vultu tribulationes esse accipiendas, quo gloria cœlestis olim accipietur, imaginari sibi non poterat, quomodo hoc possibile sit, quapropter explicari sibi id clarius petit.

Solutio.

Respondet Asceta, non solum non impossibile id esse, sed fieri etiam oportet si secundum rationis dictamen operari velimus, quia eodem vultu finis et media sunt amplectenda ; atqui finis est gloria cœlestis, medium autem a Deo ordinatum calix seu tribulationes (oportet enim hos omnes per tribulationes introire in Regnum Dei) ergo sicut in gloria olim, ita nunc, cum S. Paulo, superabundare debemus gaudio in omni tribulatione nostra. Hinc et Thomas Kempensis dixit : « Perfectionem consistere in offerendo te ex toto corde tuo voluntati divinæ; non quærendo quæ tua sunt nec in parvo, nec in magno, nec in tempore, nec in æternitate. Ita ut una æquali facie, in gratiarum actione permaneas, inter prospera et contraria omnia æqua lance pensando.. » Thomas Kemp. l. III, c. XXV.

Quod ipsum ulterius sequenti discursu probari potest. Tota asperitas crucis consistit in eo, quod animus repugnet illis, quæ nobis aspera videntur ; atqui hanc asperitatem Christus sua gratia, infusa charitate, exemplo, beneficiis, promissis, et pro meritis sustulit, ita ut, teste Apostolo : « Sicut abundant Passiones Christi in nobis ; ita et per Christum abundet consolatio nostra. » S. Paul. II *Cor.* c. I

Hinc S. Augustinus : « Quam suave mihi subito factum ! » Et : « Mansuefecisti jugo tuo cervicem meam, et nunc porto illud, et leve est mihi, quoniam sic permisisti, et fecisti. Et vere sic erat, et nesciebam, quando id subire metuebam. » S. Aug. l. IX. *Conf.* c. I, et l. X, c. XXXVIII.

DUBIUM XX.

De eadem.

Iterum audiens Philothea, eum, qui modicas fugit adversitates, incidere in majores, dubitat vehementer de dicti hujus veritate, cum experientiæ quotidianæ adversari videatur, atque ideo solutionem ab Asceta petit.

Solutio.

Respondet Asceta, rationem hujus dicti esse, quia ejusmodi homo privat se virtute et gratia, quæ omnem, aut certe potiorem difficultatis laborem tollunt. Unde ex defectu illarum merito adversa, quibus carere in hac vita non possumus, difficiliora accident, ita ut et ipse cum impiis fateri cogatur : « Lassati sumus in via iniquitatis, et virtutis nullum signum voluimus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus. Sicque, dum timent pruinam, irruit super eos nix. » Merito ergo S. Paulus precatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum in interiori homine.

DUBIUM XXI.

De eadem.

Alias audiens dicentem quemdam : Non quæsitas cruces esse magis exquisitas ; non poterat sensum hujus doctrinæ assequi, quare eumdem sibi ab Asceta explicari desiderat.

Solutio.

Respondet Asceta, id triplicem ob causam dici merito posse. 1. Quia prius hominem Deo subjiciunt. 2. Quia certius voluntatem divinam manifestant, eo quod in illis voluntas propria non inveniatur, atque adeo locum non habeat illa Dei apud Aggæum exprobratio : « Quare jejunavimus, et non aspexisti ? Humiliavimus animas nostras, et nescivisti ? Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra. » Agg. c. I.

3. Quia propter obedientiam majoris sunt meriti; melior enim est obedientia quam victimæ; « et majoris meriti est injuncta charitatis refectio. Qui enim jussus carnem, reficit, invitus jejunii præmium devotione promeruit, et ampliorem mercedem obedientiæ manducando acquisivit. »

DUBIUM XXII.

De eadem.

Alio tempore intellexit a Confessario suo Philothea, crucem quidem interdum a corpore, nunquam vero ab animo deponendam esse; sed quia difficile videbatur sub perpetua cruce sine intermissione suspirare, dubitat, an merito hoc ab homine exigi queat.

Solutio.

Respondet Asceta, jure meritissimo hoc exigi, quia crux duplex est pœnitentia, exterior dolor corporis castigati, et interior dolor animi de peccato commisso; potest ergo contingere, ut castigatio corporis omitti debeat, ob justum impedimentum, et majus bonum; dolor tamen de peccato nunquam omitti debet, cum Salomon moneat: «de propitiato peccato noli esse sine metu.» Eccl. c. v.

Et S. David : « Peccatum meum contra me est semper. » Psalm. L.

Et S. Aug. « Nunquam credat sufficere semper coram Domino, ante quem peccavit, erubescat; dolorem cum vita finiat; ubi dolor finitur, deficit pœnitentia; ubi deficit pœnitentia, ibi et venia. Vade, etiam noli peccare, hoc est, pœnitere. Hinc ergo semper doleat, et de dolore gaudeat, et non semper doluisse doleat. O quale gaudium dicere posse cum David : Defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus ! » S. Aug. *de vera et falsa Rel.* c. xiii.

DE DUBIIS AD VIAM UNITIVAM PERTINENTIBUS.

DUBIUM I.

De Devotione.

Cum aliquando legisset Philothea memorabilem sententiam : Nisi cor, lingua, et manus ad devotionem conspirent, ipsa exspirabit devotio; assequi non poterat quomodo non devotio etiam interior sine opere datur. Quare dubium sibi hoc solvi petit.

Solutio.

Respondet Asceta, proprium esse effectum devotionis, nos totos Deo devovere, nam, ut S. Th. ait : Devotio *a devovendo* dicitur. S. Thomas II, II, quæst. lxxxi, art. 1.

Unde devoti dicuntur, qui se ipsos quodammodo devovent Deo, vel ei totaliter subdunt, propter quod et olim Gentiles devoti dicebantur, qui se ipsos Idolis devovebant in mortem pro sui salute exercitus; sicut de duobus Deciis Livius narrat. Unde devotio nihil aliud esse videtur, quam voluntas quædam prompte se tradendi ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum; sicut dicitur, quod multitudo Filiorum Israel obtulit mente promptissima, atque devota primitias Domino. Exod. c. xxxv.

Atqui hunc effectum non producet, nisi cor, lingua et manus conspirent, ut S. Thomas loc. cit, pulchre his verbis ostendit. Cum devotio sit actus voluntatis hominis se ipsum offerentis Deo ad ei serviendum, qui est ultimus finis, consequens est, quod devotio imponat modum humanis actibus, sive sint ipsius voluntatis circa ea, quæ sunt ad finem, sive etiam sint aliarum potentiarum. Unde in Hymno de Ven. Sacramento composito postea cecinit : « Recedant vetera, nova sint omnia, corda, voces et opera. » Confirmans id ipsum S. Bern. ait : « Omnes nobis causamur deesse gratiam, sed justius forsan ipsa sibi queratur gratia desse nonnullis. » S. Bern. v, *de Tripl. Custod.*

Nempe res cordis est gratia devotionis ista quam quærimus, et hoc munere ipse se fraudat, qui internum ei dissimulat receptaculum exhibere. Cæterum unde illi cura cordis, cui ne ipsa quidem adhuc oris circumspectio, seu manus custodia subest ? Non sibi deesse miretur consummationem, qui nec initium apprehendit. Sed ne is quidem initium tenere jam videtur, si ad medium non pervenit. Implendum ergo id, quod dicitur : « Det vobis cor omnibus, ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem corde magno et animo volenti, » II Mach. v. v, 2. uti præclare Abraham in oblatione filii fecit, et in descensu in Ægyptum, de quo

S. Ambr. sic loquitur : Magnum exemplum devotionis Abrahæ, quod cum uxore speciosa descendit in Ægyptum. Erat quidem justo viro cura conjugalis pudicitiæ, sed majus erat studium maturandæ devotionis, ne prætulisse custodiam thori mandatis videretur cœlestibus. Itaque, quoniam propter Deum contempsit omnia, recepit a Deo multiplicata omnia. Et postea : Adverte immolantis studium maturum atque festivum, ut mora expectationis non esset, nisi donec audiretur oraculum. Deinde, ut sterneret asinam suam, obsequium omne ipse susciperet, et Sacrificio necessaria obtineret. Unde merito notant aliqui, vix ullam esse virtutem, in qua magis decipiantur homines, quam veram devotionem. Non est, quod putant, multum orare, multum affici, multa scire de divinis, vel multa de his loqui, sed hoc unum vel maxime, « totum esse Dei, totum corde, lingua et manu ; » quod quia nisi recte meditando non comparatur, paucique sunt, qui non modo vere sint devoti, sed quid sit esse devotum vix sciant. Id quod S. Th. pulchre iterum sequentibus verbis confirmat : Dictum est enim, quod devotio est quidam actus voluntatis ad hoc, quod homo se prompte tradat ad divinum obsequium, omnis autem actus ex aliqua consideratione procedit, eo quod bonum intellectus, est bonum voluntatis. Et ideo necesse est, quod meditatio sit devotionis causa, in quantum scilicet homo per meditationem concipit, quod se tradat divino obsequio. « Itaque subditus esto Deo, et ora eum. Sed et dic animæ : Nonne Deo subjecta erit anima mea? » Et pro solatio nota illud S. Augustini super hunc locum : « Quantumcumque accedam, quantumcumque ascendam, quantumcumque transiliam, sub Deo ero, et non contra Deum. Securus ergo transcendo cætera, quando ille me sub me tenet, qui est super omnia. »

DUBIUM II.

De eadem.

Dicebat quondam exhortator quidam, devotionem perinde ut gratiam nescire tarda molimina ; cujus dicti geminum sensum cum assequi satis non posset Philothea eumdem sibi ab Asceta, explicari cupit.

Solutio.

Respondet Asceta, causam hujus dicti esse, quia gratia ideo nescit tarda molimina, quod impellat ad divinam voluntatem faciendam, quæ non cunctanter, sed prompte adimplenda est ; atque hic idem finis est etiam devotionis, ut indicat S. Thomas, probans devotionem esse actum Religionis ex eo, quod ad eamdem virtutem pertineat velle facere aliquid, et promptam voluntatem habere ad illud faciendum, quia utriusque actus est idem objectum. Manifestum est autem, quod operari ea, quæ pertinent ad divinum cultum, pertinet ad Religionem, unde etiam ad eamdem pertinet habere voluntatem promptam ad hujusmodi exequenda, quod est esse devotum. S. Th. II. cc.

Unde S. Bern. « Velociter currit sermo Dei, et volocem desiderat habere sequentem; vides cum quanta volocitate currit ille, qui dicit : Viam mandatorum tuorum cucurri ! Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes, totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem. Vide Dominum velociter præcipientem, et hominem festinanter obedientem : Zachæe, inquit, festinus descende, quia hodie etc., et festinanter descendit, et excepit illum gaudens. Nonne legisti, quod filiis Israel præcipitur, ut agnum comedant festinanter ? Quare verba illa, quæ per legem dedit, quæ per semetipsum præsens exhibuit, quæ per Ecclesiæ præpositos tradenda reliquit, veloci sunt obedientia consummanda. S. Bernard. *in Ps.* viii, 12.

Hinc et S. Ambrosius ait : Consideremus, cujusmodi in eo viro fuerit devotio. Ea enim usus ordine prima est, quæ est, fundamentum cæterorum, meritoque hanc ab eo primam exegit Deus dicens : « Exi de terra etc. » S, Ambros. l. I *de Abrah.*

Porro duas causas devotionis assignat S. Thomas, unam quidem, quæ ex parte bonitatis et beneficii ipsius se tenet, secundum Ps. 72. *Mihi autem adhærere etc.*, et hæc consideratio excitat dilectionem, quæ est proxima devotionis causa ; aliam vero ex parte hominis considerantis suos defectus, ex quibus indiget, ut Deo innitatur ; et hæc consideratio excludit præsumptionem, per quam quis impeditur, ne se Deo subjiciat :

« Quid ergo retardatis adhuc ? Et quid dicitis in his ? Si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare, in omnibus operibus tuis esto velox. » S. Thomas.

DUBIUM III.

De eadem.

Cum idem exhortator dixisset præter alia, devotionem esse invariabilem, dubitat non immerito Philothea de veritate hujus dicti, eo quod meminisset, se in Libello de Imitatione Christi legisse : Non possunt omnes habere unum exercitium, sed aliud isti, aliud illi magis deservit. Etiam pro temporis congruentia diversa placent exercitia, quia alia in Festis, alia in feriatis magis sapiunt diebus. Alia cum tristamur, libet cogitare, et alia cum læti in Domino fuerimus. Thom. Kemp. l. I, c. xix.

Solutio.

Respondet Asceta, verissimum esse hoc axioma quia vera devotio, ut supra dictum est, voluntas prompta est ad faciendam voluntatem divinam. Atqui hæc semper eadem est, uti bene etiam Seneca ostendit, dicens : « Sapiens malis non premitur, sed utitur. » Novit in adversis æque ac secundis suam explicare virtutem. Non ex ebore tantum Phidias faciebat simulacra, sed etiam ære. Si marmor illi, si materiam viliorem quis obtulisset, fecisset, quale ex illa fieri optimum posset. Sic sapiens, si licebit, virtutem in divitiis explicabit; sin minus in paupertate. Si poterit in patria ; sin minus in exilio. Si poterit, Imperator ; sin minus miles. Si poterit integer ; sin minus debilis.

DUBIUM IV.

De eadem.

Inter alia motiva ad devotionem excitantia, etiam illud solet adhiberi, quod *qui cito dat, bis dat*. Hoc cum capere non posset Philothea, ideoque melius declarari desideraret.

Solutio.

Respondit Asceta, et in primis supponit hoc loco, per cito dare, nihil aliud intelligi, quam cum magna devotione, hilaritate et celeritate sua munera et actiones peragere. Hoc supposito, tales bis dare sic ostendit 1. *Propter perfectiorem intentionem* ; ad quam rem explicandam serviet doctrina quorumdam Theologorum, docentium, quod Christus libere omnia fecerit, propter intentionem, quam habebat,efficacem, omnia opera præcepta æque, ac si non præcepta fuissent. Dedit ergo bis, quia fecit ex præcepto et ex libertate. Simili ergo modo verus Religiosus, etsi imperium Superioris adsit, tamen ita facit, ut si non esset intimatum, tamen facere vellet, memor, quod S. Benedictus nuntiari jussit monacho : « Si verus servus Dei es, non catenis alligandus es, sed vinculis charitatis ; » de quibus Deus Oseæ : « In funiculis Adæ traham eos, in vinculis charitatis. » De his Christus : « Ego, cum exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum. » Hæc vincula S. P. noster in Regula xvii. indicat. Alius adhuc modus superest, propter quem bis dare censendus sit per intentionem. Notum est, quod, qui plura amat, hoc ipso minus amet, adeoque minus de corde dat alteri; hinc S. Augustinus : « Minus te amat, qui aliquid præter te amat, quod propter te non amat. » Cum ergo, qui propter Deum dicto modo operatur, solum illum quærat, imo paratus sit mille mundos relinquere, vere dici potest, non bis, sed millies dedisse hic enim habet locum, quod præclare S. Gregorius advertit dicens : « Hac in re, Fratres charissimi, affectum debemus potius pensare, quam censum. Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit ; multum reliquit, qui, quantumlibet parum, totum deseruit. » S. Gregor. hom. v, *in Evang.*

2. Bis dat *propter ferventem operationem* ; notum enim est, quod, quæ cum fervore et alacritate fiunt, multo perfectius fiant; hinc enim fervor dictus, quod, sicut aqua fervens se dilatat, et majus spatium occupat, ita et fervens homo majus spatium in perfectione operis. Id quod Aristoteles olim advertit, dicens : « Delectationem perficere operationem. » Et confirmat S. Pater, dum ait : « Ad quem virtutis gradum multis annis piger non potest adrepere, exigua temporis intercapedine diligens mirabiliter volat. » S. Ignat. in epist. *de Perfect.*

Cum ergo, quanto major est alacritas et delectatio, tanto perfectior sit operatio ; ipsa vero delectatio tanto major sit, quanto major est causa delectationis, facile apparet, quod perfecta sit futura operatio Religiosi, qui pure Deum quærit, cum omnia illa motiva, quæ tantam in mundanis alacritatem causant perfectissimo modo ipse possideat. 3. Bis dat propter fructum, qui triplici ex capite major sperandus est ab hilari et fervente operario. 1. Quia Deus, qui liberalitate vinci se non patitur, dat majorem gratiam ; ita S. Paulus indicavit, dum, postquam dixit, hilarem datorem diligi a Deo, mox subjunxit : « Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum. » II Cor. IX.

Nimirum Christus est vitis, nos palmites, qui, quo magis per purissimam intentionem et amorem nos cum eo conjunxerimus, tanto majorem gratiam participabimus ; sicque verificabitur, quod Joan. cap. XV. dixit : « Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. » Joan. XV.

2. Quia habet majorem occasionem pluribus benefaciendis, sicut enim cœlo sereno se omnes committunt, ita et homini serenam faciem habenti ; hinc de Christo dictum : « Specie tua et pulchritudine tua intende ; prospere procede, et regna. Psal. XLIV. Simili ergo modo operario dicetur. Tunc clamabunt : « Sonet vox tua in auribus nostris, vox enim tua dulcis, et facies tua decora. » Cant. II, 14. Cum ergo, teste Salomone. « Qui dulcis est eloquio, commendatiorem reddat doctrinam. » Prov. XVI. Et, ut idem dicit, *verbum dulce multiplicet amicos*, non dubitandum est, quod etiam ex hoc capite abundantior fructus sit sperandus. 3. Et potissimum *propter felicioren exitum*, cum enim talis præ aliis suam fiduciam ponat in Deo, et nihil aliud quærat, quam beneplacitum Dei, vere potest usurpare illud Christi, Joan. VI. « Et non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei, facio semper. » Si autem Christus simul cooperatur, quis non copiosum fructum speret, si in nomine illius conatum suum inchoet ? An non dicere poterit : Quid facies magno nomini tuo ? An non capiet fructuum multitudinem magnam ? Ita sane S. David indicavit dicens : « Beatus vir etc. sed in lege Domini voluntas ejus, et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, et fructum dabit in tempore suo, et folium ejus non defluet, et omnia, quæcumque faciet, prosperabuntur. » Psalm. I.

Unde merito hortatur Apostolus : « Unus quisque, prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus. » II Cor. IX, 7.

DUBIUM V.

De Liberalitate erga Deum.

Inter alia monita, quæ S. Ignatius in suis constitutionibus reliquit, non postremum erat, quod his verbis expressit : « Magnopere conferet devote, quoad fieri poterit, ea munera obire, in quibus magis exercetur humilitas et devotio. Et in universum loquendo, quanto aliquis arctius se Deo astrinxerit, et liberaliorem se erga divinam Majestatem se præstiterit, tanto in se liberaliorem etiam experietur, et ipse in dies magis idoneus erit ad gratias et bona spiritualia uberiora recipienda. « Hoc monitum cum legisset Philothea, valde excitabatur ad similem liberalitatem erga Deum ostendendam. Sed quia non cognoscebat satis, in quo consisteret hæc liberalitas, id ab Asceta sibi explicari petiit.

Solutio.

Respondet Asceta, quod liberalitas hæc nihil aliud sit, quam virtus inclinans bona sua alteri, gratuito et prudenter communicanda. Hinc quia amicorum omnia communia, hæc virtus proprie amicis convenit, et quo hæc amicitia major est, tanto major inclinatio ad liberalitatem. Communicatio autem hæc non quæcumque est, sed plena donatio, seu talis, per quam plenam alteri dispositionem relinquimus, ita ut non jam in nostram, sed illius, cui donavimus, utilitatem cedere velimus. Hinc facile patet, in quo liberalitas nostra consistat, scilicet in hoc, ut nos nostraque Deo penitus donemus; ut non jam nostram utilitatem et solatium, sed Dei gloriam et beneplacitum quæramus, ut dicamus cum S. Paulo : « Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus. » Gal. II, 20.

Hinc est, quod ipse Deus a nobis maxime requirit, ut libellus de Imitatione in persona

Dei indicavit, dicens : « Quid magis a te requiro, quam ut te studeas mihi ex integro resignare? Quidquid præter te ipsum das, nihil curo ; quia non quæro datum tuum, sed te. Sicut non sufficeret tibi, omnibus habitis, præter me; ita nec mihi placere poterit, quidquid dederis, te non oblato. » Thomas Kemp. l. IV, c. viii.

Porro ad hanc liberalitatem in nobis excitandam nihil magis conducet, quam liberalitas Dei erga nos præterita et futura serio ponderata, quam succincte et bene proposuit Ecclesia in Hymno Festi Corporis Christi sic canens : « Se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium. » Quis enim adeo durus est, quem tantæ consideratio liberalitatis non excitet ad se vicissim dandum. Disputant Ethnici, cur amor sit potissimum medium ad amorem? Et respondetur, quia amor est traditio sui. Unde cum amatus possideat amantem, injuste faciet, si non se quoque per amorem communicet. Id si verum est, uti dubitari non debet, quis jam non erubescat, se ipsum cum omnibus suis dare, quando cogitat, Deum toties se dedisse? An non exclamabimus cum S. Bernardo : « Amat immensitas, amat charitas, et nos vicem rependimus cum mensura. » Hortatur ergo Philotheam Asceta, ut cum S. Ignatio dicat : « Suscipe, Domine, universam libertatem meam. Accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem meam. Quidquid habeo et possideo, mihi largitus es, id totum tibi restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum; amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quid ultra posco. »

DUBIUM VI.

De Deo super omnia diligendo.

Audiverat Philothea frequenter notum illud axioma : Dulcius ex ipso fonte potantur aquæ, idque sæpius ad Deum applicari intellexerat ; sed in quo illa dulcedo proprie consistat, non satis cognoscebat; iterum ergo ad Ascetam pro hac explicatione recurrit.

Solutio.

Respondet Asceta, dulcedinem hanc in tribus consistere : 1. Quia sicut *purius* in fonte aquæ reperiuntur, eo quod non sicut rivi et fluvii per terram et lutum currentes sordes contrahant ; ita bonitas purius in Deo gustatur, quia nullis ibi imperfectionibus permixta est, sed est ipsa puritas. Hinc S. Agnes dicebat : « Amo Christum, quem cum amavero, casta sum; cum tetigero, munda sum. » 2. Quia sicut aqua *recentius* in fonte resumitur, eo quod, quo magis a contrario calore extrinseco libera est, hoc magis naturale frigus retinet ; ita et Deus semper recens est, teste S. Paulo. « Ipsi peribunt, tu autem permanebis, idem ipse es. » Hebr. I ; Id quod Deus S. Joanni per animalia non habentia requiem, id est, semper desiderantia ulterius gustare, indicavit. Apoc. IV. Hinc S. Augustinus : « Si quæris, inquit, quære, sed non ubi quæris, quære. Quære in fonte, ibi enim omnia vivunt. » S. Aug. in *Medit.*

3. Quia sicut *plenius* in fonte aquæ gustantur, eo quod quævis res se ipsam prius perficiat, quam alia ; ita id vel maxime de Deo dicitur, qui ipse dixit Moysi : « Veni ostendam omne bonum tibi, » respectu cujus creaturæ sunt tamquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram, hinc semper clamandum amplius ; Deus autem est mare immensum omnium bonorum, quod solum satiare potest cor humanum. Hinc recte S. Anselmus animam alloquens : « Quid vagaris, inquit, per multa quærens bona corporis et animi? Ama unum bonum, in quo est omne bonum, et sufficit. » Hinc S. Franciscus Seraphicus diu noctuque verba ista : « Deus meus et omnia ! » ruminabat.

DUBIUM VII.

De Unione cum Deo.

Legerat aliquando Philothea, B. Fratrem Ægidium verba ista : « Unus uni, » semper in ore et mente habuisse, quorum sensum cum non intelligeret ipsa, ab Asceta sibi illum indicari petiit.

Solutio.

Respondet Asceta, eorum sensum esse, quod sicut Deus unus est, et omnia in se bona infinito modo continet; ita hominem quoque unum fieri, id est, per amorem soli Deo ad-

hærere debere, juxta S. Davidis exemplum dicentis : « Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea in æternum! » Psalm. lxxii.

Hinc S. Ambrosius : « Unum, inquit, vult nos esse Deus, ut supra mundum simus; nam qui partitur studium, derivat affectum, et qui dividit curam, differt profectum. » S. Ambr. *ad Virg.*

Quod non ignorans Satan, ut hominem expugnet, amorem illius dividere satagit, sicut Cyrus Rex, ut Babylonem expugnaret, Euphratem fluvium, qui ipsis pro munimento erat, in multos rivos divisit.

DUBIUM VIII.

De Gustatione Dei.

Audierat frequenter Philothea notum illud axioma : « Gustato spiritu desipit omnis caro; » sed rationem hujus dicti penetrare satis non poterat. Quare rogat Ascetam, ut genuinum illius sensum et rationem indicare dignetur.

Solutio.

Respondet Asceta, cum ignoti nulla cupido sit, hoc ipso necessarium esse, ut cognoscatur bonitas cujusque rei, antequam desiderium illius concipiatur; cum autem nulla sit cognitio perfectior et efficacior ad trahendum animum, quam quæ gustu seu experientia ipsa percipitur, hinc sit, ut talis experimentalis cognitio præ aliis sit efficax ad bonitatem aliquam sectandam. Cum ergo spirituales deliciæ ex Dei amore (quo modo proprie gustatur) haustæ innumeris partibus superent carnales, hoc ipso si veraciter illæ gustentur, omnes carnales delectationes desipient, id quod jam olim Apostoli experti sunt, ut qui gustata dulcedine divinitatis exclamare coacti sint : « Domine, bonum est nos hic esse; faciamus tria tabernacula. » Sed et S. Augustinus post eamdem degustatam exclamare coactus est, ut supra dictum est : « O quam suave subito mihi factum est, carere suavitatibus nugarum, et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium jam erat; ejiciebas enim a me, tu vera et summa suavitas, ejiciebas eas, et intrabas pro eis, omni voluptate dulcior. » S. Aug. l. XI, *conf.* c. 1.

DUBIUM IX.

De Familiaritate cum Deo.

Legerat Philothea in libello de Imitatione Christi hæc verba ? « Ex omnibus ergo charis sit Jesus solus dilectus specialis. » Lib. II, c. viii. Cum autem ex altera parte meminerit, sæpius se dici audivisse, quod familiaritas contemptum pariat, ideo timet, ne, si talem familiaritatem cum Deo ineat, etiam ipsa contemptum pariat, atque adeo amorem imminuat.

Solutio.

Respondet Asceta, breviter sequentem S. Augustini sententiam allegando : « Nihil delectabilius Deo; nam in homine sunt, quæ te offendunt, toleras tamen propter amicitiam; Dei amicitia quibus rebus debet cogi, ut dissolvatur a te, non invenies. » S. Aug. l. V, hom. xxxviii.

Hinc quotidiana experientia testatur, quo magis homines familiariter cum Deo per orationem conversantur, hoc magis illos familiaritatem talem appetere.

DUBIUM X.

De Deo solo amando

Cum aliquando Philothea Psal. 32, et in eo verba ista : « Qui finxit sigillatim corda eorum, » legisset, intelligere non poterat, quid verbum *sigillatim* significaret; quod dubium cum proposuisset, more suo,

Solutio.

Respondet Asceta per hoc verbum indicari, quod Deus cum speciali consideratione cor creaverit, ut indicaret, cur et quomodo cor nostrum ipsum solum amare debeat. Nimirum 1. Triangulare esse factum, ut innueret, quam parum vas triangulare a rotundo globo repleri potest, tam parum cor triangulare hominis a toto mundo rotundo satiari posse; capacem enim Dei, quidquid Deo minus est, replere non potest. Unde S. Au-

gust. dicebat : « Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. »S. Aug. l. I *Conf.*

2. Supra latum et apertum esse creatum, ut indicetur ad cœlestia bona et gaudia semper patulum et amplum esse debere, dicereque cum pio Asceta : Ecce Deus meus, et omnia. Quid volo amplius, et quid felicius desiderare possum? O sapidum et dulce verbum, sed amanti verbum non mundum, nec ea quæ in mundo sunt. Deus meus et omnia! Intelligenti, satis dictum est, et sæpe repetere jucundum est amanti. Te siquidem præsente jucunda sunt omnia; te autem absente, fastidiunt cuncta. Tu facis cor tranquillum, et pacem magnam, lætitiamque festivam. Lib. I *de Im.* c. xxxiv.

3. Infra acuminatum et clausum esse, ut indicetur, terrena non nisi modice, et quasi in puncto esse tangenda et usurpanda, id est, solum, quantum necessitas, aut utilitas ad finem præfixum obtinendum requirit, ut quoniam parum pro nihilo computatur, quasi non uti mundo censeri valeamus, sicque consilium Apostoli impleamus dicentis: Reliquum est, ut qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur. I Cor. vii, v. 31.

DUBIUM XI.

De Compensatione amoris divini.

Cum legisset aliquando Philothea amorem non nisi amore compensari, dubitabat non parum de veritate hujus sententiæ, eo quod passim aliis etiam modis amorem compensari advertit. Ad quod dubium eximendum,

Solutio.

Respondet Asceta, et sic probat dictum axioma : Quia juxta Jureconsultos compensatio nonnisi per retributionem æqualis fieri solet; sed amori nihil est par et æquale, nisi amor, maxime apud Deum, qui amorem suum omnia sua dando demonstravit, et non nostra, sed nos ipsos possidere cupit. Neque nos aliter vere possidet, quam dato corde, et amore nostro; nec illi aliud quidquam æquale reddideris, nisi te totum sic plane possideat, ut nihil cordis et affectus supersit, quin ad eum amandum plane profunderis. Quia quod æqualitatem facit (si qua est æqualitas) non est rei datæ substantia, non ejus qualitas, aut quantitas, sed tota, et integra nostri donatio. Unde sicut æqualitas dicitur perfici, quando totum donatur; sic nisi detur, quidquid dederis, nihil æquale datur. Totum est dandum, in quo uno toto tota est æqualitas, et sine quo nulla. Sic apte S. Bernardus : « Ipse, inquit, meritum, ipse sibi præmium est amor. Præter se non requirit causam, non fructum; fructus ejus, usus ejus. Amo quia amo; amo, ut amem. Magna res amor, si tamen recurrat ad suum principium, si suæ origini redditus, si refusus suo fonti, semper ex uno sumat, unde jugiter fluat. Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus, atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere Auctori, saltem de simili mutuam rependere vicem. » S. Bern. ser. lxxxiii, *in Cant.*

DUBIUM XII.

Quod omnis copia, quæ Deus non est, egestas sit.

Audierat aliquando citari Philothea sententiam a S. Augustino prolatam, qua dicebat : « Omnis copia, quæ Deus non est, egestas est mihi, » S. Aug. l. X, *Conf.* c. xiii, quam cum satis assequi non posset, eo quod plurimos etiam amantes Deum divitiis abundare cerneret, clarius id sibi explicari ab Asceta petiit.

Solutio.

Respondet Asceta, et veritatem dictæ sententiæ ostendit : Quæcumque tandem sit rerum humarum copia et abundantia, si possessori suo nihil prodest in summa ipsius necessitate, profecto non nisi egestas, et inopia censenda est; ut si quis abundet rebus, quæ nullum prorsus habent usum in ea mundi parte, ubi vitam agit, nonne hæc rerum abundantia tunc erit illi inutilis, et mera inopia? Si alius abundet prædiis, nec ullum inde proventum, nullam pecuniam, nec ullum denique reditum recipiat, quo se sustentare possit, nonne illa prædiorum copia egestas est? Abundet alius pecuniis, nec panem, aut ullum alimentum sibi comparare possit, ut accidit in obsessa civitate, nonne illam pecuniarum copiam tunc me-

ram inopiam et egestatem dixeris? Abundet denique panibus et alimentis, morbo autem vel captivitate ita detineatur, ut cibo uti nullo queat, sicque fame intereat, nonne tunc inopiam reputabis quamlibet copiam? Quid mihi divitiæ, inquit Poeta, si non conceditur usus? Sic noster Sapiens : « Quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit? Sap. c. v. Quia scilicet ad hunc effectum nihil prosunt divitiæ, vel potius quasi diceret, nihil prosunt stulto divitiæ, cum iis uti non possit stultus, nec iis se stultitia liberare; atqui talis est copia, quæ Deus non est, id est, quidquid sit, quod habeas, nisi habeas illam divinam gratiam, per quam Deus nobiscum habitat, et nos cum illo; « per quam filii Dei sumus, et hæredes ejus, cohæredes autem Christi. » Rom. viii.

Nisi habeas virtutes et opera, quæ sunt necessaria ad gratiam illam conservandam, illamque hæreditatem aliquando consequendam, nihil habes, quod tibi prosit in tua summa necessitate; nam hæc est tua summa necessitas, salvum et beatum esse, cui necessitati nihil prosunt divitiæ, nisi fuerint fructuose propter Deum impensæ. Nihil prosunt dignitates, nihil doctrina, nihil artes, nihil auctoritas, nihil denique aliud, quam quod spirituale est et divinum. « Quid nobis, inquiunt, profuit superbia? Aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt illa tamquam umbra, et tamquam nuntius percurrens, et tamquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam, aut tamquam avis, quæ transvolat in aere, et tamquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aer in se continuo reclusus est, ut ignoretur transitus illius; sic et nos nati continuo desinimus esse, et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere; in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt, quoniam spes impii tanquam lanugo est, quæ a vento tollitur, et tamquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur, et tamquam fumus, qui a vento diffusus est, et tamquam memoria hospitis unius diei prætereuntis. Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum. » Sap. v. 8.

Omnis ergo copia, quæ Deus non est, egestas censenda est.

DUBIUM XIII.

De Sermocinatione Dei cum simplicibus.

Legerat aliquando Philothea versum illum Salomonis : « Cum simplicibus sermocinatio ejus, » Prov. iii, magnamque inde lætitiam conceperat; sed pro majori solatio suo etiam causam hujus familiarioris conversationis intelligere cupiebat.

Solutio.

Respondet Asceta, causam esse, quod iis se libentius Deus communicet, qui se illi totos subjiciunt; hoc autem faciunt simplices, qui intellectu et voluntate se illi subjiciunt; in hoc enim proprie consistit simplicitas animi, ut, sicut parvulus, non reluctetur, non repugnet, simpliciter credat, et facit, quod cognoverit a Domino revelatum, et ordinatum. « Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, ait Moyses, nec addas quidquam nec minuas. » Deut. xii.

Hoc vere est esse simplicem; atque hinc dicitur in Proverbiis : « Abominabile Domino cor pravum, et voluntas ejus iis, qui simpliciter ambulant; » quia hi scilicet sese illi subjiciunt. Hoc diserte S. Joannes Chrysostomus allata similitudine parvulorum ostendit : « Etiamsi, inquit, Regina cum diademate atque purpura parvulis offeratur, non præponunt eam matri, licet pannosæ; » sic se simplices divinæ fidei et providentiæ totos addicunt, ut, licet humilia et abjecta proponantur ad credendum, vel faciendum, iis potius acquiescant, quam quæ mundus jactat et offert : « Gloria nostra hæc est, inquit Apostolus, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo. » Hom. lxiii, *in Matth.*

Patet, ergo, quod cum simplicibus sit communicatio ejus, id est, communicatio familiaris de divinis mysteriis, aut quibuscumque rebus spectantibus ad salutem et perfectionem. « Deo enim sermocinari est, inquit S. Gregorius, per illustrationem suæ præsentiæ, humanis mentibus arcana revelare; cum simplicibus igitur sermocinari di-

citur, quia de supernis mysteriis illorum mentes radio suæ visitationis illuminat, quos nulla umbra duplicitatis obscurat. » II Cor. I.

Et S. Hieronymus : « Sermocinatio, inquit, Domini cum simplicibus est, quia illos cælestis sapientiæ secretis illustrat, quos terreni fastus, ac duplicitatis nihil habere considerat ; hinc etenim dicit : Abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis. » Matth. XI.

DUBIUM XIV,

De Deo super omnia amando.

Alias pauca hæc cujusdam auctoris verba legerat : « Sicut a Deo, sic ad Deum; » quorum obscuritatem, et brevitatem cum non satis intelligeret, ideoque clariorem explicationem expeteret,

Solutio.

Respondit Asceta, sensum esse, quod sicut a Deo creati sumus, sic nos ad eum, nostraque omnia referamus, tanta est necessitas unius atque alterius. Differentia quidem est necessitatis, quandoquidem illa est physica, et extra nos posita, qua sumus a Deo; altera vero, qua nos ad eum referamus, est moralis, et a nobis cum divina dependens gratia ; sed tamen hæc tam una, tantaque est necessitas, ut vere dici possit, quod sicut necessario sumus a Deo, sic necessarium sit, ut nos ad eum referamus. Liberum quidem nobis est, ut id actu fiat cum gratia ; sed ne desimus gratiæ, nostroque debito, persuadeamur, oportet, id esse nobis tam necessarium, quam si non esset liberum; neque enim libertas talis nos a debitis nostris magis exolvit, quam a cæteris omnibus Christianæ justitiæ tum positivis, tum negativis officiis, ad quæ præstanda similiter liberi sumus. Sed quo sensu liberi? Nempe ut possimus nolle, aut velle cum gratia; si autem volumus, libere ac voluntarie id velimus, quod debemus, atque hoc ipsum, quod debemus, ac volumus, semper exequamur, non necessario, sicut animantes belluæ, non coacte sicut serviles animæ. Quo in sensu dixit etiam Apostolus, *legem justo non esse positam;* id est, non coerceri justos legibus, quia ultro illi, et sponte observant legem; sunt enim in qualibet lege tria consideranda, nempe obligare, dirigere et coercere, sive punire. Duo priora lex in justos exercet, tertium vero in injustos, qui se duobus primis non subjiciunt. Hoc ipso itaque, quo agnoscis Deum esse finem tuum, tanta necessitate, tanto jure, tantaque teneris obligatione, te ad illum totum referre, quanta est ipsa quodammodo necessitas, qua Deus est finis tuus.

DE DUBIIS MISCELLANEIS.

DUBIUM I.

De Patrocinii B. Virginis efficacia.

Legerat aliquando Philothea ex SS. Patribus : « Sicut a te. (O B. Dei Mater) aversus et despectus, necesse ut pereat; sic ad te conversus et a te respectus, impossibile est, ut perat; » quæ sententia merito illi difficilis captu videbatur, eo quod peccatores ea abuti in suam perniciem possent, quare explicari sibi illam cupit.

Solutio.

Respondet Asceta, eam de morali, non physica impossibilitate intelligendum esse, quo in sensu veram esse sententiam colligitur 1. Ex sententia Salomonis, quæ ipsi attribuitur : « Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino. » Prov. VIII. Et iterum : « In me gratia omnis viæ, et veritatis, in me spes vitæ et virtutis. » Eccl. XXIV.

2. Colligitur ex SS. Patribus, ex quibus S. Anselmus ait : « Velocior est nonnumquam salus memorato nomine ejus, quam invocato nomine D. Jesu; non quod ipsa major et potentior sit, nec enim ipse magnus et potens est per eam, sed illa per ipsum. Quare ergo? Dicam quod sentio : Filius Dominus est, et Judex omnium, discernens merita singulorum. Dum igitur ipse a quovis suo nomine invocatus non statim exaudit, profecto id juste facit. Invocato autem nomine Matris, et si merita invocantis non merentur, ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur. *De Exc. Vit.* c. VI.

Brevius Idiota : « Quos sæpe justitia Filii damnare potest, Matris misericordia liberat. » Fusissime vero S. Bernardus sermone de aquæ ductu, ubi postquam de mediatrice interponenda ad mediatorem egit, sic pergit : Invenisti, inquit Angelus, gratiam apud Deum feliciter; semper hoc invenit gratiam, et sola est gratia, qua egemus; sola est gratia, qua salvamur. Quæramus; gratiam, et per Mariam quæramus; quia quod quærit invenit, et frustrari non potest. S. Bern. apud *Hainens.* ser. VI, *heb.* I *Adventus.*

Unde sequens formari potest discursus : « Idcirco omnis respectus ab ea non perit, quia per eam obtinet gratiam finalis perseverantiæ, cum qua nemo perit. Sed omnis etiam despectus ab ea, privatur illa gratia, qua quisquis privatur, perit. Ergo sicut omnis respectus ab ea, impossibile est, ut pereat; ita omnis despectus ab ea, necesse est, ut intereat.

DUBIUM II.

De Sanctorum Cultu optimo.

Audierat aliquando Philothea citari S. Ildephonsi sententiam sic sonantem : « Imitamini Matrem Virginem, et Sanctos omnes quos laudatis; quoniam non tantum prodest illis nostra laudatio, quam nobis eorum imitatio. Unde Sponso magis placet imitator devotus quam laudator otiosus; tamen vera laudatio cordis, est imitatio operis; » nec poterat capere, quam ob causam imitatio plus ipsis, quam laudatio placeat. Cui dubio,

Solutio.

Respondet Asceta, aitque rationem esse, quod omnis honor et cultus proveniat ab æstimatione, quam facimus de eo, quem honoramus; quanto apertius erit signum meæ de Sancto æstimationis, tanto erit major illius cultus. Longe autem apertius erit signum, cum ejus virtutes imitabor, quam cum laudavero; nam facta præstant verbis. Qui tantum laudat, nec imitatur, dubiam facit laudationem. Cur enim non exprimit opere, quod sermone? At vero qui imitatur, etiamsi non laudat verbis, opere ipso magnificat. Hinc S. Joan. Chrysostomus sermonem egregium scripsit de Martyribus, quod vel laudandi non sint, vel imitandi : « Quoniam, inquit, quem delectat Sancti alicujus meritum, delectare debet par circa cultum Dei obsequium; quare aut imitari debet, si laudat; aut laudare non debet, si imitari detrectat. » Tom. III.

Adde, quod ipsi Sancti in obsequiis nostris magis spectent gloriam Dei, et nostram salutem, quam sui venerationem. Est autem Dei gloriosius, et nobis utilius, eos imitari quam laudare. Non quod a nobis laudandi non sint, sed quod magis etiam imitandi. Sic apte S. Bernardus : « Ad quid Sanctis laus nostra? Ad quid glorificatio nostra? Quo eis præconia nostra? Pleni sunt, bonorum nostrorum non egent, nec quidquam eis nostra devotione præstatur. Plane quod eorum memoriam veneramur nostra interest, non ipsorum. » *Ser.* V, *de Fest. omn. Sanctor.* Quasi diceret, magis coluntur, magisque sibi gratificatum putant, si ipsorum præclare gesta factis consectemur, quam verbis. Quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem, inquit Apostolus. Hebr. XV.

Hinc S. Aug. ait : « Quotiescumque, Fratres charissimi, sanctorum Martyrum solemnia celebramus, ita ipsis intercedentibus expectemus a Domino consequi temporalia beneficia, ut ipsos Martyres imitando, accipere mereamur æterna. Ab eis sanctorum Martyrum in veritate festiva gaudia celebrantur, qui ipsorum Martyrum, exempla sequuntur. Solemnitates enim Martyrum, exhortationes martyriorum sunt, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat.

DUBIUM III.

De Officio recte obeundo.

Dixerat nonnemo in exhortatione, eum esse vere et unice laudandum, qui ab officio laudatur; quod sibi imaginari non poterat Philothea, eo quod multo plures titulos reperiri existimet, e quibus vera laus peti queat. Itaque, cum de more hoc dubium proposuisset,

Solutio.

Respondet Asceta, rationem dicti hujus esse evidentem, quia laudari a voluntate Dei

completa, seu plane effecta, hoc est vere laudabile. Hic est enim finis omnis creaturæ, ut sit ad Deum, sicut hoc est ejus principium, ut sit Deo, qui propterea dicitur *primus et novissimus*, α *et* ω, *principium et finis*. Esse autem creaturas ad Deum, quid est aliud, quam idcirco esse, ut faciant verbum, seu voluntatem ejus? Est igitur earum finis voluntas Dei. Jam vero, cum res aliqua finem suum perfecte attigit, nonne perfecta est? Si porro est perfecta, nonne tum laudabilis, quantum laude digna? Sic ergo evidenter apparet, quod laudari a voluntate Dei, hoc sit vere laudabile. Sic Angeli nobiliores creaturæ maxime commendantur, cum de his dicitur : « Benedicite Domino Angeli ejus, potentes Virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus. » Ps. CII, 20.

Sic ipse Angelorum et hominum Dominus hoc uno se commendabat : Ut faciam, inquit, voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus ; sed laudari ab officio rite administrato, est laudari a voluntate Dei completa, seu quam bene fieri potest, adimpleta. Nam cum semel ex ordinatione divina susceptum est officium, quoties bene illud administratur, toties Dei voluntas efficitur, neque aliter certius et manifestius divina nobis voluntas innotescet, quam per nostrum officium. Quis enim dubitet, quin Deus ab unoquoque velit, ut id præstet, quod ab ipso præstandum accepit? Quis sibi non dictum putet ab Apostolo, quod is dicit Archippo : « Vide ministerium, quod accepisti a Domino, ut illud impleas! » COLOSS. IV.

At de quovis alio bono opere quis ita certus esse potest? Imo quantumcumque bonum sit, si quis repugnet officio rite obeundo, tunc desinet opus esse bonum, quia impedit aliud, quod est certius bonum. Sed unde est certius bonum, nisi quod est certius a divina voluntate? Atque illud est, quod monebat Apostolus : « Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus... » ROM. XII, 3. Et quæ plura, pergit. Adde hic vero, quod cum officii cujuslibet plures sint partes, seu plures bene gerendi occasiones, quisquis sic omnibus intentus est, ut nullam omittat, vere is dicetur totus esse in voluntate Dei adimplenda, quod non potest dici de alio quolibet bono opere, in quo tam frequens esse non poterit, sicut in officio, et munere persolvendo. Denique non una tantum voluntas Dei in eo fit, sed triplex illa, de qua Apostolus : « Ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta. » Nempe cum id fit in substantia, quod vult Deus ; cum in modo sicut vult ; et in fine, quia sic vult. O quam præclare tum administratur officium, cum sic voluntas Dei adimpletur! Et quam vere tum voluntas divina completur, cum sic præclare administratur officium! Quare hortatur Asceta, ut audiat Philothea Christum Petro dicentem : Quid ad te? Tu me sequere. Quasi diceret, ut interpretatur S. Chrysostomus : « Opus suscepisti, id considera, perfice et labora. Quid ad te de Joanne? Tu officium tuum cura, et exequere. »

DUBIUM IV.

De Modo officii recte obeundi.

Audierat aliquando Philothea, in renovatione sui illud axioma : « Non aliud, sed aliter » ob oculos habendum; cujus dicti veritas non parum illi suspecta erat, cum utique renovatio requirat, ut aliud etiam agamus, quam prius feceramus, uti in peccatoribus patet.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, hoc axioma non tam de gravibus peccatoribus, quam de justis gravia peccata vitantibus esse intelligendum ; hi enim, cum in modo præcipue quotidianas suas actiones obeundi plerumque deficiant, merito illis suadetur, ut non aliud, sed aliter agant, seu, ut alius dixit : Non quid, sed quomodo agatur, Deus attendit. JOAN. XII.

Id quod pius auctor his verbis confirmat : Sine charitate opus externum nihil prodest ; quidquid autem ex charitate agitur, quantumcumque etiam parum sit, et despectum, totum fructuosum efficitur. Magis siquidem Deus pensat, ex quanto quis agit, quam quantum facit. Multum facit, qui multum diligit. Multum facit qui rem bene facit. Bene facit, qui magis communitati, quam suæ voluntati servit. Quæ omnia in

renovatione imaginis clarius patent; sicut enim hæc non quoad substantiam ipsam, sed quoad modum dumtaxat, scilicet per inductionem novorum colorum, renovatur; ita se res eodem modo in renovatione mentis habet.

DUBIUM V.

De Perpetuo Gaudio.

Æque parum imaginari sibi poterat Philothea, quomodo verificetur illa Salomonis sententia : « Non contristabit justum, quidquid ei acciderit ; » Prov. xii, 21 cum plures plerumque justis cruces, et tribulationes obveniant, quam injustis ; ad quem scrupulum et dubium ei eximendum sic

Solutio.

Respondet Asceta et confirmat allatam sententiam : Nihil potest accidere homini, nisi volente Deo ; hinc apud Isaiam. dicit : « Ego Dominus, et non est alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum. Ego Dominus faciens hæc omnia. » Qui et queritur, et minatur, si quis aliter sentiat. Quis est iste, qui dixit, ut fieret Domino non jubente ? Ex ore Altissimi non egredientur, nec bona nec mala ? » Isa. iii, 38. Quasi diceret, qui est iste ignarus, quis iste temerarius, quis iste blasphemus in divinam providentiam, qui dubitet, non æque eam procreare mala atque bona? Sed *quidquid volente Deo accidit, non contristabit justum.* Aut certe justus non erit, si inordinate contristetur ; nam sicut nihil justius, quam Deo volenti et jubenti parere, et subjici, sic nihil injustius, quam velle se, suamque voluntatem præferri divinæ. O homo, tu quis es, qui respondeas Deo ? Vel enim judicas illud, quod accidit, injuste a Deo accidisse, vel juste ; si injuste, injustus vel iniquus ipse es, qui injustitiam Deo imputare audes. *Numquid iniquus est Deus, qui infert iram?* inquit Apostolus. *Absit* ; *alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum* ? Quod si id juste factum putas nec aliter nisi juste et sancte posse Deum aliquid facere credis, sicut ait Deo Sapiens : « Cum sis justus, juste omnia disponis. » Nonne etiam tu injustus es, si contristeris, et doleas de eo, quod tu ipse justum, et juste factum putas ? Sic egregie S. Greg. in hæc verba Jobi : « Sicut Domino placuit, ita factum est. » Cum enim in hac vita, ea quæ nolumus, patimur, necesse est, ut ad eum, qui injustum velle nihil potest, studia voluntatis nostræ inclinemus. Magna quippe consolatio in eo, quod displicet, quod illo ordinante erga nos agitur, cui nonnisi justum placet. Si igitur justa Deo placere scimus, pati autem nulla, nisi quæ Domino placuerunt, possumus. Justa sunt, quæ patimur ; et valde injustum est, si de justa passione murmuramus. » Hoc est ita certum ut ab impiissimo mortalium, nempe Antiocho Rege, voluerit Deus publica confessione declarari, ne deinceps auderet aliquis id negare, quod tam nefarius protulisset, ipsa veritate convictus : *Justum est*, inquit *subditum esse Deo.* Hinc fortissima Judith recte dixit : « Non ulciscamur nos pro his, quæ patimur, sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quibus quasi servi corripiuntur ad emendationem, et non ad perditionem nostram, evenisse credamus. Judith. viii, 26. Observa illud, quo utitur, verbum, *non ulciscamur.* Est enim quoddam ultionis et vindictæ genus in Deum, cum nimis contristari contrariis eventibus rationes prætendimus nostræ tristitiæ et afflictionis, quasi vellemus illum arguere, aut nos ita justificare, quasi hoc immerito pateremur, quod patimur, hoc est, ut illa ipsa Judith admonebat ; improperium murmurationis suæ contra Dominum proferre. L. II *Mor.* cap. ixx.

DUBIUM VI.

De Sensibili Consolatione.

Subtrahebatur aliquando Philotheæ omnis sensibilis consolatio ; ob quam subtractionem, cum multum affligeretur, seque omnino derelictam crederet, occurrit,

Solutio.

Respondet Asceta et in primis ei ex S. Bernardo ostendit, quid sit sensibilis consolatio, et substractio ejusdem. Sic ergo ille loquitur : « Sane ab heri et nudius tertius invasit me languor iste animi et mentis hebetudo, insolita quædam inertia spiritus. Currebam

bene, sed ecce lapis offensionis in via impegi, et corrui; superbia inventa est in me, Dominus declinavit a servo suo. Hinc ista sterilitas animæ meæ, et devotionis inopia, quam patior. Quomodo ita exaruit cor meum, coagulatum est sicut lac et factum est sicut terra sine aqua, nec compungi ad lacrymas queo, tanta est duritia cordis. Non sapit Psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non invenio. Ubi illa inebriatio spiritus? Ubi mentis serenitas, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto? Ideo ad opus manuum piger, ad vigilias somnolentus, ad iram præceps, ad odium pertinax, linguæ et gulæ indulgentior, segnior obtusiorque ad prædicationem. Heu! omnes montes in circuitu meo visitat Dominus, ad me autem non appropinquat. Quid me aliud putem quam unum de montibus Gelboe quem præterit in ira et indignatione sua ille cæterorum omnium benignissimus visitator? » *Ser.* LIV, *in Cant.*

Hoc supposito gemino argumento probat, eam tristari non debere ob talem subtractionem. Primum sic format : Tunc veræ et solidæ virtutis est probatio, cum necessitas et difficultas occurunt simul in ejus exercitio; dicitur autem necessitas virtutis exercendæ, quando in contrarium abires vitium, oppositumque peccatum, nisi virtutem exerceres. Non est enim major necessitas, quam non peccare, nam ipsa vitæ degendæ necessitas illi cedit : *Una est inevitabilis necessitas, Deum non offendere*, inquit S. Joan. Chryst. *imo hoc unum necessarium*, (*Hom.* V, *ad Pópulum.*) de quo Christus Dominus, cum in fuga peccati potissimum consistat nostra salus, divinusque cultus. At vero cum tantæ necessitati jungitur difficultas exercendæ actu et re ipsa virtutis, undecumque tandem difficultas proveniat, tunc maxime dicitur probari virtus, an sit vera et solida, quia tentatur et sollicitatur animus ex diversa parte ad virtutem et vitium. Necessitate virtutis excitatur ad ejus exercitium, sed ejusdem difficultate, inde avocatur, sed subtracta devotione sensibili necessitas et difficultas veræ et solidæ devotionis simul occurrunt. Nam cum oppositum vitium invaserit penitus animam, et ita quodammodo constrictam teneat, ut vix se contra movere possit, quibus armis, quibus præsidiis se se tandem a vitio tutabitur, nisi tam certa solidaque sit devotio, ut nullis cedat impugnationibus, et contra potius ex infirmitate fiat robustior. Quanta sit vero difficultas sic secum decertandi, quis non videt? Quis non sentit? Cum ipsi ferventiores et sanctiores vix pares sint certamini, et tantum non deficiant, tantum non cedant : « Ecce gigantes gemunt sub aquis, et qui habitant cum eis, » JOB. XXVI, 5. inquit Beatus Job, quasi dicat, ipsi fortiores tum ingemiscunt præ difficultate, quid alii debiliores? Sensibilis ergo devotionis subtractio veræ et solidæ devotionis est probatio; quia tum duo illa simul concurrunt, ex quibus certa probatur virtus, nempe necessitas et difficultas, quæ sic in diversa rapiunt animum, ut si quis tum fidelis sit, vere solideque devotus censeatur. *Nunc cognovi*, dicit Dominus de Abrahamo, *quod vere colis Deum.* GEN. XXII, 12. Id est, ex illa fidelitate, quam servasti in tali concursu necessitatis, et fidelitatis cognoscendum te præbuisti, qualis esses, an vere coleres Deum. Alterum argumentum sic format : Beatius est magis carere omni consolatione sensibili, quam ea abundare. Nam, ut ait Apostolus, « oportet meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit : Beatius est, magis dare, quam accipere. » Quod absolute et universim dictum de omni genere doni, magis adhuc videtur verum de donis, quæ Deo fiunt; nam, ut optime et suasissime ait S. Joan. Chrys. Beatius est, debitorem habere Deum, quam novis nos debitis apud eum constringere; cum jam enim tam multa illi debeamus, cumque ex tot capitibus, seu nominibus, mereatur a nobis coli, certe nihil amanti Deum accidere potest beatius, quam si eum qualicumque beneficio demereri, aut, si fieri possit, debitorem habere valeat. Hoc B. Virgini tanquam singulare aliquod privilegium a Sancto quodam Patre prædicatur : « Euge, quæ debitorem habes eum, cui nos debemus universi. »

Sed qui caret omni sensibili consolatione, dat Deo, quantum homo dici potest illi dare. Supponi duo debent ad declarationem hujus propositionis : Primum est sermonem esse de homine, qui se profiteatur Dei et virtutis cultorem. Alterum quod libenter talis in obsequio Dei carere velit omni prorsus sensibili consolatione. Quibus præsuppositis aperte patet, tum illum hominem dare Deo, quantum illi a nobis dari potest. Nam quid ultra cogitari potest, quod a servo detur, si postquam domino suo, quam potuit, cumulate ministrarit; nihil prorsus pretii, nihil mercedis, ne quidem cibum reposcat, imo se

beatum putet, si gratis illi serviat, vel si etiam male tractetur a domino, nihil de servitio suo remittat, imo eo magis augeat usque ad mortem, quo pejus tractatur. Hinc optime S. Bernardus : « Cum id totum dedit homo, quod potest, certe liberalior esse non potest, et ipsius est divinæ magnificentiæ, sua id acceptatione magnum facere, quod suo alioquin pretio nullum, aut valde modicum esset. » *Serm. de Quadr.*

Id quod etiam Christus confirmavit S. Gertrudæ dicens : « Vellem electis persuasum esse, quod eorum bona exercitia et opera mihi omnino placeant, quando ipsi serviunt expensis suis. Illi autem expensis suis mihi servitium præstant, qui, licet saporem devotionis minime sentiant, fideliter tamen (ut possunt) orationes, et alia pia exercitia sua peragunt, confidentes de pietate mea, quod ego illa libenter, et grate suscipiam. Plerique sunt, quibus si sapor et consolatio interna concederetur, non eis prodesset ad salutem, et meritum ipsorum valde minueretur. » Lib. *de divin. Insinuat*, c. XVIII.

Suadet ergo Asceta Philotheæ, ut illa verba pii Ascetæ semper in memoria habeat : « Devotus homo ubique secum fert consolatorem suum Jesum, et dicit ad eum : Adesto mihi, Domine Jesu, in omni loco, et tempore. Hæc mihi sit consolatio, libenter velle carere omni humano solatio. Et si tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas et justa probatio pro omni solatio. Non enim in perpetuum irasceris, neque in æternum comminaberis. Th. Kemp. l. II, c. XVI.

DUBIUM VII.

De Mortificatione.

Audierat aliquando in concione quadam Philothea, non minus perfectam mortificationem censeri debere, bene uti rebus, quam omnino non uti, quod prorsus imaginari non poterat, cum Religiosi propterea maxime præ sæcularibus eleemosynam dantibus laudentur et æstimentur, quod omnia simul relinquant, sæculares autem partem dumtaxat. Ad cujus doctrinæ veritatem illi persuadendam,

SOLUTIO.

Respondet Asceta, aitque, rationem petendam esse a perfectæ mortificationis definitione, quæ communi omnium, qui de ea scripserunt, Patrum consensu sic esse, declaratur, cum appetitus perfecte subjectus est rationi, et ratio Deo. « Id quod est in homine præcipuum, inquit S. Aug., imperet cæteris, quæ sunt nobis bestiisque communia. Atque id ipsum, quod excellit in homine, id est, mens et ratio, potiori subjiciatur, quæ est ipsa veritas unigenitus Filius Dei. Neque enim imperare inferioribus potest, nisi Superiori se ipse subjiciat. » Lib. I. *de ser. Dom. in monte*, c. II.

Sic S. Prosper : « Dominetur vitiis ratio, subjiciatur corpus animo, animus Deo, et impleta est tota hominis perfectio. S. Prosp. *in Sent.*

Sanctus quoque Leo : « Si mens rectori suo subdita terrenæ voluptatis incitamenta calcaverit, ordinatissimum tenebit ratio principatum ; quia tunc est vera pax, et vera libertas hominis, quando et caro animo judice regitur, et animus Deo Præside gubernatur. » *Ser.* I, *in Quadr.*

Itemque rursus : « Emundantes nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, ut castigatis colluctationibus, quæ sunt inter utramque substantiam, animus, quem sub Dei gubernaculis constitutum, corporis decet esse rectorem, dominationis suæ obtineat dignitatem. *Serm.* IV. »

Denique S. Papa Gregor. paucis hæc omnia contrahens. « Cum vel mentem Deo, inquit, vel carnem menti subjugamus. » S. Greg. l. VI. *Mor.* c. XVI.

Huc usque SS. Patres. Subsumebat postea Asceta : Atqui bene rebus utendo secundum propriam cujusque vocationem, non minus perfecte appetitus subjicitur rationi, et ratio Deo, quam non utendo. Cur enim non utendo fit ista duplex subjectio, nisi quia, cum naturaliter appetitus propenderet in usum rei, retinetur ista propensio ratione, et ratio discit a Deo, seu a gratia, quantum retinere debeat. Unde S. Petrus : « In scientia, inquit, ministrate abstinentiam, » S. Petr. II. c. I, 6, id est, discrete et rationabiliter secundum Deum, prout scitis in Domino. Sic plane in bono rei usu, qui fit tantum intuitu vocationis, cum ex naturali concupiscentiæ motu pars illa, quæ dicitur sensualis, seu appetitus, apparet rem usurpare alio prorsus modo et fine, quam velit ratio. Ratio, cum gratia cohibet hanc concupiscentiam, et a propria vocatione, tanquam ab interprete divinæ

legis et voluntatis, novit quantum cohibeat. Sic monet Sapiens : « Utere quasi homo frugis his quæ tibi apponuntur. Eccl. xxxi, 9.

Sic utebatur Apostolus dicens : « Ego didici, in quibus sum, sufficiens esse, scio et humiliari, scio et abundare, ubique in omnibus institutus sum, et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati. » Philipp. iv, c. 12. Quasi diceret, perinde me habeo in usu rerum, ac non usu ; nam dum rebus utor, sic utor ex ratione et gratia, ut tum non minus sim subjectus Deo, quam si non uterer. Itane tu, qui tam facile conquereris, si quid in usu rerum pateris? Hinc merito S. Aug. « Habet, inquit, vir temperans in rebus hujus vitæ regulam utroque testamento firmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ hujus, atque officiorum necessitatem, quantum satis est, usurpet utentis modestia, non amantis affectu. » Itemque alibi : « In omnibus talibus non usus rerum, sed utentis libido in culpa est. » L. *de Moribus Eccl.* c. 2.

Hæc autem libido sic coerceri potest, et debet, ut deinceps non aliter, nec alio fine rebus ullis utaris, quam prout vocatio, aut officium exigit, vel permittit. Quapropter recte precatur pius Auctor : Non me vincant, Deus meus, non me vincant caro et sanguis ; non me decipiat mundus, nec me supplantet diabolus. Ecce cibus, potus, vestis, et cætera utensilia ad corporis sustentaculum pertinentia ferventi spiritui sunt onerosa, tribue talibus fomentis temperate uti, non desiderio nimio implicari. L. III, c. 26, *de Imit.*

Nec obstat ratio in contrarium adducta, quia cum raro reperiatur, qui tali modo utatur rebus, et bonis temporalibus, melius utique facit, qui, ut se eximat tali periculo, omnino ea bona deserit ; per se autem loquendo, si quis sæcularis talibus bonis temperate juxta vocationis suæ exigentiam uteretur, negari non potest, eum in perfectione æquare posse alios omnia relinquentes, sicut non raro revelavit Deus, quosdam sæculares in perfectione et meritis æquales fuisse Macariis, Paphnutiis, et aliis ejusmodi sanctis hominibus.

DUBIUM VIII.

De Fidelitate.

Dicebatur quondam ab aliquo, majorem reperiri fidelitatem in parvis, quam magnis rebus; quod iterum credere non poterat Philothea, cum utique major difficultas, et attentio requiratur in magnis opibus juxta Domini voluntatem dispensandis, quam in parvis divitiis. Quare consultus super hoc dubio Magister ejus spiritualis,

Solutio.

Respondet istiusque dicti veritatem sic ostendit : In confesso est apud omnes, quod in eo potissimum consistat servi fidelitas, si constanter et pure domini sui rationes respiciat, et non suas ; atque adeo, quo is constantius, et purius sic se gerat erga dominum suum, eo fideliter servus et charior habebitur. Sic se Jacobus socero suo Labano probabat : « Viginti anni fui tecum ; oves tuæ et capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum a bestia ostendi tibi ; ego damnum omne reddebam, quidquid furto peribat, a me exigebas, die noctuque æstu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis, sicque per viginti annos in domo tua tibi servivi. » Gen., § 1, v. 38.

Hoc est, esse constans, hoc est, esse fidelis ex hac parte ; sed in parvis præcipue rebus hoc præstat servus Dei, id est, manifestius se ostendit constantem, et se pure respicere mandantem potius, quam mandata. Nam primo de constantia, cum frequentius occurrant parva, quam magna, certe in parvis etiam facilius est se constantem probare, quam in magnis. Esto enim occurrent aliquando magna, in quibus sis fidelis ; at, cum dictum sit, non ex uno aut altero casu fidelitatem probari, sed ex multis. Quis non videt, multa illa quotidie in parvis tantum rebus evenire, ubi se probabilem servus exhibeat? Deinde vero de puritate, qua imperans potius respicitur, quam imperium, aperte patet, in parvis rebus, ubi nihil adeo spectandum cernitur, quod animum pelliciat ad sui considerationem, sicut in magnis. Neque enim illic magnus proventus, aut jactura magna ; non inde illud decus,

aut aliqua gravis injuria. Unde si quis parva et quotidiana illa constanter, et qua potest sollicitudine ac diligentia perficiat, profecto indicabit se unum imperantem pure respicere, se uni Deo intendere, si illi uni adhærere, et cum Davide posse dicere : « Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Defecit caro mea, et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. » Psal. lxxii, v. 26.

« Alii sibi partes faciant de rebus humanis, inquit S. Aug., clamet populus Dei : Pars mea Deus meus. Non ad tempus pars mea, sed pars mea Deus in sæcula.» In parvis major est igitur servi Dei fidelitas, quam in magnis; quia illis major constantia, et puritas cultus Dei spectatur, in quibus tota consistit fidelitas : « Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. » Matth. xxv.

Non commemorat Dominus, quæ magna servus egerit, quia ubi agitur de compensanda fidelitate servi, declarandum dumtaxat sibi id videtur, in quo est sita illa fidelitas, ut alii servi doceantur, et excitentur ad illam exercendam. Sic rursum alibi Dominus. « Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est, et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est, » Luc, xvi ; quasi aperte diceret, non a magnis, sed a parvis rebus dignoscitur fidelitas servi, quia sæpe contingit, ut qui in magnis fidelis est, non sit in parvis, vix autem fit, ut qui in parvis sit fidelis, non sit in magnis. Et sic primi hominis tentata est fidelitas in re exigua, qualis est pomi esus. Sic primi Judæorum Regis in mora et expectatione Samuelis per unam aut alteram horam. Sic plura suppeterent aliorum exempla, quibus Domini sententia confirmetur, sed ipse Dominus in se ipso suisque rebus gestis longe id evidentius manifestat, quam in aliis. Cum enim vellet indicare, quam se constanter et accurate fidelem exhiberet in observanda lege : Peribit, inquit, potius cœlum et terra, quin omnia fiant usque ad unum iota vel unum apicem. Quin et ipse Deus optimus maximus, « qui appendit tribus digitis molem terræ, » Isai, xl, 12, id est, tribus his attributis universum regit mundum, Sapentia, Bonitate et Potentia, nonne hæc in minimis magis elucere facit, quam in magnis? Nonne magis mirandum, quod omnes capitis nostri capillos habeat numeratos, et ad folium arboris decidens advertat animum, quam quod homines regat et Angelos? Nonne ad bonitatem suam maxime declarandam, sic Sponsus sponsæ loquitur : « Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui? » Cant. iv, 9.

Quid minutius uno crine? Nonne ad potentiam denique manifestandam illud D. Aug. valet dictum : « Deus creat minima corpore, acuta sensu animantia, ut majori attentione stupeamus agilitatem muscæ volantis, quam magnitudinem jumenti gradientis; ampliusque miremur opera formicarum, quam onera camelorum. » Lib. IV *de Genesi ad lit.* c. 14.

DUBIUM IX.

De Abstinentia et Sustinentia.

Audierat quondam e S. Jacobo Philothea, quod patientia opus perfectum habet, sed non satis videbat, cur huic potius virtuti, quam alteri perfectio adscribatur. Quare clariorem hujus dubii explicationem petit, cui

Solutio.

Respondet Asceta, supponendo in primis ex S. Aug., « quod omnia peccata duæ res faciunt in homine : Cupiditas et Timor; cogitate, discutite, interrogate corda vestra, perscrutamini conscientias ; videte, utrum possint esse peccata, nisi aut cupiendo, aut timendo. Proponitur tibi præmium, ut pecces, id est, quod te delectat facis, propter quod cupis. Sed forte non induceris donis, terreris minis; facies, propter quod times. Si cupiditas non valuit, forte timor valebit. Porro autem si de Scripturis contra cupiditatem venit tibi in mentem : Quid prodest homini, si totum lucretur mundum, animæ vero suæ detrimentum patiatur? veniat etiam contra timorem in mentem : Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere. In Ps. lxxix.

Ex quibus vides, quanti referat abstinere et sustinere, cum inde vel virtutes universæ vel peccata omnia enascantur. Sic idem S. Aug. de Christo Domino : « Omnia quæ habere cupientes non recte videbamus, carendo vitia fecit; omnia quæ vitare cupientes a studio deviabamus veritatis, perpetiendo dejecit. Non enim ullum peccatum

committi potest, nisi dum appetuntur ea, quæ ille contempsit, aut fugiuntur ea, quæ ille sustinuit. MATTH. X, 28.

Atqui in his duobus actibus omnis patientia continetur, libenter abstinere ab omnibus bonis sensibilibus, et mala omnia sustinere. Nam cum omnis patientia versetur circa ea, quæ sunt carni aut animo contraria; nihil autem sit contrarium, quam vel privari bonis, quæ naturaliter appetimus, vel sustinere mala, quæ refugimus. Profecto hinc manifeste sequitur, quod omnis patientia in his duobus actibus continetur, quos Christus Dominus celeberrima illa sua sententia complexus est, qua sequentes monet: « Qui vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam quotidie. » LUC. IX, v. 25.

Est enim abnegare seipsum, abstinere a bonis sensibilibus, et est tollere crucem, sustinere mala. Sic S. Prosper agens de fortitudine seu patientia : « Quæ si virtus, inquit, esset, fortiter etiam talibus blandimentis repugnaret, nec acquiesceret mollibus, qua adjuvante Domino dura quæque, vel aspera superasset. » S. PROSP. c. 10. *de vit. contempl.*

DUBIUM X.

De Zelo et Scientia jungendis.

Cum aliquando audivisset Philothea, scientiam sine zelo, arma sine milite, et zelum sine scientia militem sine armis esse, difficulter capiebat sensum hujus sententiæ; eam itaque sibi explicari petit, cui

SOLUTIO.

Respondet Asceta, et utriusque necessitatem sic ostendit. Nam primo, quid efficiet scientia sine zelo, cum sit hoc zeli proprium, scientiam acuere, excitare, et in medium producere, ut se ipsa probet ad opus externum, quæ alioquin non sic excitata lateret, et otiaretur? Hinc Sapiens semel et iterum : « Sapientia absconsa, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utroque? Melior est qui celat insipientiam suam, quam homo, qui abscondit sapientiam suam. » ECCL. XX, 32 et XLI, 17.

Angeli quoque, inquit S. Ambr. in Ps. 118, sine zelo nihil sunt, et substantiæ suæ amittunt prærogativam, nisi eam zeli ardore sustentent. Tum paulo post : « Et quid miramur, si Angeli eum habent? Ipse Deus Pater ait : Zelans zelabo Jerusalem zelo magno; quia Deus magnus, ideo et zelus magnus est, et pro uniuscujusque qualitate, ita et zelus, aut mediocris, aut magnus est. Zelo vindicatur Jerusalem, zelo Ecclesia congregatur, zelo fides acquiritur, zelo prudentia possidetur. Dominus quoque Jesus ait : Zelus domus tuæ comedit me. » Et nonnullis interjectis : « Zelus utilis in Sacerdote præcipue, ne negligens et remissus sit. » Ac denique zelum vocat Dei vitam, quasi diceret, zeli ministerio Deum in illis vivere, quibus prædicatur. Quod vero etiam zelo sit adjungenda scientia, dupliciter intelligi potest. Primo quidem, ut per scientiam intelligatur discretio et prudentia. Deinde vero etiam peritia et intelligentia eorum, quæ spectant ad cognitionem Domini Jesu. Quid enim doceas, quod ignores, aut quomodo fructuose doceas, nisi prudenter discernas, quid, quibus, ubi, quando? Quod præclare S. Greg. in hæc verba Job : « Quis dedit gallo intelligentiam? Gallo, inquit, intelligentia desuper tribuitur, quia Doctori veritatis virtus discretionis, ut noverit quibus, quid, quando et quomodo inferat, divinitus ministratur. Non enim una eademque cunctis exhortatio convenit, quia nec cunctos par morum qualitas adstringit; sæpe enim aliis officiunt, quæ aliis prosunt. » *In Job.* XXXVIII, *Mor.* 5 et 6.

Vide, quæ plura prosequitur. Quem in sensum etiam S. Bernardus : « Facillime zelo tuo spiritus illudet erroris, si scientiam negligas; nec habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quam si efficere possit, ut in ea incaute, et non cum ratione ambuletur. » Item que alibi : Importabilis, ait, absque scientia est zelus; ubi ergo vehemens æmulatio, ibi maxime discretio est necessaria, quæ est ordinatio charitatis. Semper quidem zelus absque scientia minus efficax, minusque utilis invenitur, plerumque autem et perniciosus valde sentitur. » *Serm.* XIX, *in Cant.*

Hoc est denique, quod Apostolus de Judæis dicebat : « Æmulationem quidem Dei habent sed non secundum scientiam. » ROM. X, 2.

Non est hoc æmulari Deum, sed seipsum.

DUBIUM XI.

De Respectu Humano.

Sæpius audiebat Philothea concionatorem quemdam auditores ad respectum humanum vitandum excitantem, atque inter alia dicentem, quod respectus iste sit gravissimus Christi et Dei despectus, quod cum sibi imaginari non satis posset Philothea, clarius id sibi ostendi petiit, cui

Solutio.

Respondet Asceta, idque sic ostendit. Respectus eo est iniquior, quo personæ, de quibus agitur, magis inter se differunt, et quo indignior est illa, quæ præfertur ; sed in humanis non reperitur tanta differentia personarum, seu talis indignitas ejus personæ, quæ præfertur, quam in respectu humano ; ergo non est iniquior respectus, quam humanus. Prima seu major propositio per se patet. Secunda autem, seu minor facile ostenditur ; cum enim respectus humanus nihil aliud sit, quam ex cupiditate placendi, vel metu displicendi hominibus aliquod Christianum opus omittere ; vel oppositum malum committere ; profecto hinc patet homines præferri Christo ; hæ sunt videlicet personæ, de quibus agitur, Christus ex una parte præcipit bonum, aut vetat malum ; ex alia vero mundus sive homines, quibus placendi cupiditas vel metus displicendi avertunt ab illo bono tenendo, ut impellant ad malum. At nonne est tanta istarum personarum distantia, quanta in humanis alia reperiri non possit ? Nonne si mundus præfertur Deo, præfertur persona tam indigna quam longe indigna esse potest præ altera, quæ posthabetur ? Quæcumque alia fiat comparatio personarum, aut quæcumque earum sit distantia, vel unius ad alium proportio, tota tamen illa differentia finita est, et suis terminis circumscripta, cum fiat comparatio inter homines, inter creaturas, quarum alia quantumcumque aliam dignitate excedat, excessus tamen ille est determinatus ; at inter Deum et hominem nulla prorsus est proportio, sed infinita quædam distantia, quæ efficit, ut, cum per respectum humanum præferantur homines Christo et Deo, id præferatur alteri, quod tam longe est indignum, ut nihil longius, nihil indignius cogitari possit : « Cui assimilastis me, aut adæquastis, et comparastis me ? » ait Dominus apud Prophetam. *Responde et erubesce.* Is. xlvi, 5.

Quando esset mundus universus, quid ille est ad Deum nisi quod ait Sapiens ? « Tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, et tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram. » Sap. ii, 23.

Sic et Propheta : « Ecce gentes quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ sunt. » Is. xl, 15.

At certe non intervenit illo respectu humano mundus universus, non Angeli, non Beati, non ipsi etiam homines sanctiores, doctiores, sapientiores, non milliones hominum, non millia, non centum, vix decem, vix unus aut alter ; mera est plerumque imaginatio, timor nocturnus. Et tamen hunc aut alterum præfers Christo, præfers Deo ? O indignitatem ! Quis ut Deus ? Quid tibi videtur de Christo ? Merito ergo tales olim audient : « Ubi sunt Dii eorum, quibus habebant fiduciam ? Surgant, et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant. Videte, quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me. » Deut. xxxii, 38.

DUBIUM XII.

De Infirmitatis Utilitate.

Cum legisset Philothea, quod S. Paulo olim tentato, et liberationem a tentatione suppliciter petenti, responderit Deus : « Sufficit tibi gratia mea ; nam virtus in infirmitate perficitur ; II Cor. 12, v. 9, non poterat sibi imaginari, quomodo per id, quod ipsum infirmum est, roborari aliud posset ; quare, cum hoc dubium de more proposuisset,

Solutio.

Respondet Asceta, et veritatem hujus asserti ex eo ostendit, quod ibi sit major virtus et potentia, ubi majus sentitur divinum auxilium ; tum ibi etiam magis vere et proprie dici possit esse virtutem et potentiam, vel ad agendum, vel ad patiendum. « Nam si Deus pro nobis, quis contra nos ? » Rom. viii, 3.

« Dominus meus, auxiliator meus, inquit Propheta, ideo non sum confusus, ideo posui

faciem meam ut petram durissimam, et scio, quod non confundar. Juxta est, quis contradicet mihi? Stemus simul : Quis est adversarius meus? Accedat ad me. Ecce Dominus, Deus auxiliator meus, quis est, qui condemnet me? » Is. L, 9.

Denique quidquid se contra opponat, vel mundus universus, vel infernus totus, vel omnes simul junctæ creaturæ, quamdiu nobiscum erit Dominus, semper illud erit verum, quod dilectus ait Discipulus : « Major est, qui in vobis est, quam qui in mundo. » I. Joan. IV, v. 4.

Sed in infirmitate et impotentia, si humiliter agnoscantur, et perfecte Deo subjiciantur, majus adest divinum auxilium, major Dei virtus et potentia. Id quod tribus rationibus probatur. Prima petitur ab ipsa Dei bonitate et misericordia, quæ, quo egentiorem videt hominem, primo quidem illustrat et monet, ut se videat, et agnoscat quam sit pauper et nudus et miser; tum si talem se agnoscat, aut si saltem de se nihil præsumat et arroget, benignitatis suæ fontem aperit, et « abysso miseriarum invocante misericordiarum abyssum, » Ps. XLI, 8, ubi abundaverat delictum, ibi superabundat gratia. Rom. V, 20. Deinde vero, quæ secunda est ratio, si miser ille, sic præventus a Domino, non modo non inde se efferat, sed magis se ac magis humiliet, paupertatis suæ semper memor, et infirmitatis prædicator assiduus, sibi totus diffidat, ut se totum in divinam projiciat bonitatem, tum mirum quantum hac delectatus confidentia Dominus, sperantium in se corda roborat, confortat animos, et ad omnia vires subministrat : « Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus, Deus meus, adjutor meus, et sperabo in eum. » Ps. XVII, v. 3.

Tum vero Dominus : « Quoniam in me speravit liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. » Ps. XC. v.14.

Hinc præclare S. Aug. : « Fortitudo nostra est infirmitatis in veritate cognitio, et humilitate confessio. » Tertio denique majorem id spectat Dei gloriam, ut, quo infirmiore utitur instrumento, eo apertius cognoscatur Deum esse, qui facit, quidquid est admirabile, et quam sit admirabile, quidquid facit. « Tu venis ad me cum gladio et hasta et clypeo, dicebat pusillus David giganti. Ego autem venio ad te in nomine Domini et dabit te Dominus in manu mea, ut sciat omnis terra, quia est Deus in Israel, et noverit universa Ecclesia hæc, quia nec in gladio, nec in hasta salvat Dominus. » I. Reg. XVII, 45.

Sic humilis et generosa Judith : « Erit et memoriale nominis tui, cum manus feminæ dejecerit eum. Non enim in multitudine est virtus tua Domine, neque in equorum viribus voluntas tua est, nec superbi ab initio placuerunt tibi, sed humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. » Judith. IX, 16.

Sic ipse Dominus infirmitatem carnis nostræ assumpsit, ut glorisius in ea de Diabolo triumpharet: Unde illa sunt præclara S. Augustini : « Fortitudo Christi te creavit. Fortitudo Christi fecit, ut, quod erat, non periret. » Tract. XV, *in Joan.*

O quantum debemus infirmitati! Quantum est scilicet redemptionis beneficium! Jam non miror, quam multus sit, et quam facundus sit Apostolus in hoc divino consilio deprædicando, quoad majorem sui notitiam : « Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi et contemptibilia, et ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret; ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. » I Cor. I, 1.

Merito ergo dixit Propheta Joel : « Infirmus dicat, quia fortis ego sum. » Joel. t. III, 10.

Et S. Paulus : « Cum infirmor, tunc potens sum. » II Cor. XII, 10.

Recte tamen monuit Asceta, hactenus dicta non ita intelligenda esse, quasi ultro velimus esse infirmi, aut quasi ipsa infirmitas et impotentia naturalis sint ex se optandæ : « Dominus est, qui mortificat, et vivificat, qui pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat. » I. Reg. II, 20.

Nostrum vero est, nostra infirmitate non tantum non infirmari, nec desperare, sed eo magis confidere, quo infirmiores sumus, cum invocatus non desit Dominus, qui nos confortet; aut si etiam non adesset, sicut vellemus, velitque nos in nostra imbecillitate relinquere, neque tunc etiam dejiciamur, ne fortiores esse velimus, quam velit Deus. Satis enim fortes sumus, si nostram infirmitatem libenter portamus; et suam impotentiam generose ferre magna est potentia.

cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. » I Cor. IX, 25.

DUBIUM XIII.

De Violentia ad Cœlum obtinendum necessaria.

Cum legisset in Evangelio Philothea : « Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud ; » partim mirabatur, quod Deus cum tam ardenter cupiat omnes homines salvos, nihilominus tamen violentos illud acquiri velit ; partim nesciebat, in quo vere consisteret illa violentia ; quod utrumque dubium ut ei solvatur,

Solutio.

Respondet Asceta, per violentiam hanc nihil aliud intelligi, quam victoriam de difficultate, quæ in virtutum exercitio occurrit ; cum enim ex una parte Regnum cœlorum obtineri nequeat sine virtutum, præcipue Charitatis, Castitatis et Humilitatis, exercitio ; similes autem virtutes exerceri non possint, nisi naturæ corruptæ vis et violentia inferatur, tam necessaria est hæc violentia, quam ipsa virtus ; et sicut de una virtute ait Apostolus : « Patientia vobis est necessaria, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem ; » Hebr. X, 36, sic plane de vi nobis inferenda sentiendum est, cum alioqui nulla sit solida virtus. « Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. » Apoc. III, 21.

Quasi aperte diceret : Non aliter sedebit mecum, nisi pugnet, et nisi vincat, cum ego ipse non aliter sessionem illam meruerim, quam pugnando et vincendo. Hinc merito Apostolus dixit. « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus. » II Tim. IV, 7.

Et vero inquit idem : « Qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitime certaverit. » Ibid. II, 1.

Et rursum : « Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum ; si pugno, non quasi aerem verberans ; sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte,

DUBIUM XIV.

De Habitu Religioso.

Cum aliqua persona religioso habitu indueretur, inter alia dixerat exhortator, qui pro illa solemnitate perorabat : Non esse in novo habitu novum cordis gaudium, sed in novo corde. Quam doctrinam utpote valde salutarem cum Philothea melius explicari petiisset,

Solutio.

Respondet Asceta, bene dixisse exhortatorem, eo quod vocationis gratia sit novum illud gaudium, et illa vocationis gratia sit in novo corde, quod profecto non gauderet in ingressu Religionis, nisi novum esset, et mutatum sicut dictum est : Quia gaudium non nisi ex amore nascitur. Atque adeo, ut sit gaudium spirituale, debet esse amor spiritualis ; ut sit gaudium de mortificanda carne, debet esse odium carnis et amor spiritus, quod certe carnis odium et amor spiritus non esset in novitio, nisi cor ejus mutatum esset. « Converte me, et convertar, ait Propheta, quia tu Dominus Deus meus ; postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam, et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. » Jer. XXII, 18.

« Quid in femore, nisi voluptas carnis, accipitur, inquit S. Gregorius, et quid est, quod ait, postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, nisi postquam superna spiritualiter vidit, omne quod in se inferius carnaliter vivebat, extinxit, ut quanto magis summa patescerent, tanto amplius ima, quæ tenuerat, non liberent ? Nam quanto incipit quisque superius vivere, tanto et inchoat inferius interire. » L. XXV, *Mor.* c. XVI.

Sicut enim mutata dicitur persona, quia mutatus est ejus vitæ status, sic etiam mutatus est vitæ status, quia mutata est persona ; sed utraque mutatio, tum personæ, tum status, ut sit vera et sincera, cor mutatum esse debet : « Cor est primum vivens, et ultimum moriens. » Hoc vulgare dictum de utraque vita seu morte, tam naturali, quam spirituali, vere debet intelligi ; sicut et illud Sapientis : « Omni custodia serva

cor tuum, quia ex ipso vita procedit. » Prov. IV, 23. Quasi novitio diceretur : Quia nunc, quando sumitur habitus, cor est novum, et in sua novitate integrum, spirituales sentis effectus, amore commoveris et gaudio, bene habet,hoc est suave Christi jugum, hæc vitæ religiosæ suavitas; sed quandiu putas, sic suaviter vives? Audi et crede. Quandiu scilicet cor tuum conservabis in sua integritate et novitate. Hic est scopus propositæ veritatis, et totus finis discursus, ut, quantum gaudere semper velis, tantum in hac novitate cordis persistas. Statim enim atque cor inveterascet, desinet gaudium. Tum autem inveterascet, quando aliter de rebus senties, ac modo sentis. Modo tibi omnia vana videntur propter Deum, et salutem, et nihil tam abjectum in Religione, quod non acceptes ; si post, aliter sentias et judices, tum puta te inveteratum, et ne mireris, si te privatum gaudio sentias, quia non est gaudium, nisi in corde novitatem suam conservante. Hinc S. Bernardus merito monuit : « Scrutetur proinde vias suas, et studia sua, qui promissam centupli gratiam sibi deesse causatur, et videbitis profecto, se non omnia reliquisse, nec propterea miretur, se non illud percipere, quod non est promissum, nisi his, qui relinquent omnia, et inter omnia semetipsos.» S. Bernardus, *in illa verba*: *Ecce nos reliquimus omnia.*

Quam ob rem idem S. Pater ad se primo accedentes, et ad sumendum paratos habitum sic urgebat vehementius : « Age ergo qui relinquere universa disponis, te quoque inter relinquenda numerare memento. Imo vero maxime et principaliter abnega temetipsum, si deliberas sequi eum, qui exinanivit propter te semetipsum; pone gravissimam sarcinam, pone asinariam molam, terrenam molem, pone illa quinque non hominum plane juga, sed boum, quæ tibi insipienter emisti. Alioqui sequi sponsum et venire ad nuptias spirituales quinaria hac pressus et oppressus corporis sensualitate non poteris.

DUBIUM XV.

De Vita Occulta.

Legerat quondam Philothea in libro quopiam, quod nemo manifestius cum Christo vivat, quam qui occultius. Quæ doctrina cum sibi ipsi contradicere videretur ad OEdipum iterum suum confugit, cui

Solutio.

Respondit Asceta, tribus modis intelligi potest occulta cum Christo vita. Primo, si remota sit a sæcularibus negotiis et curis, qualis est Regularium, vel eorum vita, qui domi suæ privatam et arctiorem vivendi normam servant. Secundo, si vita quidem sit publica et civilis, quantum ad vacationem et ministeria, sed multa in occulto bona faciant, sive quæ Deum respiciunt frequentandis Sacramentis, et aliis piis obeundis exercitiis ; sive quæ proximum in largis eleemosynis ; sive quæ ipsos spectant in variis virtutum actibus frequentandis. Tertio, denique, sive illi Religiosi sint, sive Sæculares ; sive privati, sive publici ; sive soli, sibi vacantes, sive proximorum saluti; sic tamen vivunt, ut animam, et omnia sua interna conforment, quantum gratia possunt, Evangelicis præceptis et consiliis , qui beatos credunt pauperes spiritu, et miseros divites; qui beatiores eos putant, qui lugent, quam qui rident; et qui beatissimos se dicunt potius, si maledicantur, pro justitia, quam si ab hominibus honorentur et benedicantur. Hi sunt præcipue, quos dicimus occulte cum Christo vivere; et hi sunt præ cæteris, qui manifestius vitam vivunt supernaturalem; quia quod in illis est occultius,hoc ipsum est magis supernaturale, hoc est magis supra humanam naturam, et communem vivendi morem; nempe in divitiis paupertatem colere, in honoribus humilitatem, in deliciis asperitatem, in abundantia penuriam, in varia negotiorum diversitate, eamdem servare animæ æqualitatem, et puram Deo placendi intentionem; quid occultius? Quid rarius, et quid simul sublimius et excellentius? *Rara hæc avis super terram*, ait S. Bernardus. « Hæc est aquila, inquit S.Gregorius, de qua Job : Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum ? Hæc mulier amicta sole, et luna sub pedibus, cui datæ sunt alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum, et in deserto deliciis affluens, inde ascendere innixa super dilectum suum; » (S. Greg. XXXI, *Mor.* XIX.) ut est in Canticis , et in Apocalypsi , ad illud ipsum exprimendum, quod dicimus de

occulta vita, quæ est manifestius vita spiritualis et supernaturalis. O vere thesaurus in agro absconditus, pro quo emendo vendi debent universa ! Hinc præclare S. Augustinus in illum Psalmi versiculum : *Et exaltabit cornu populi sui.* Ps. 138, 14. « Modo fructus per hibernum in radice non apparent, attendis quasi aridas arbores per hyemem; qui non novit vivere, aridam putat vitem, et forte juxta est, quæ vere aruit ; similes sunt ambæ per hyemem, illa vicit, illa mortua est, sed vita et illius mors in abscondito est. Æstas præcedit; vita illius clarificatur, mors illius manifestatur, præcedit honor foliorum, fecunditas fructuum, vestitur vitis in facie ex eo quod habebat in radice. Ergo modo, Fratres, tales sumus, quales sunt et alii homines. Quomodo nascuntur, manducant, bibunt, vivunt, et vestiuntur, transigunt vitam istam, sic et Sancti. Aliquando res ipsæ decipiunt homines, et dicunt : ecce postquam cœpit esse Christianus numquid non ei dolet caput,aut quia Christianus est, quid habet plus a me? O vitis arida, attendis juxta te vitem nudam in hyberno, sed non aridam per æstatis vim. Et veniet Dominus honor noster, qui latebat in radice; et tunc exaltabit cornu populi sui.»

DUBIUM XVI.

De Votorum Renovatione.

Cum in exhortatione pro votis renovandis dictum fuisset : « Votum non recte renovat, quem non ipsa etiam vota renovant : » non satis assequebatur sensum hujus axiomatis Philothea, quem proin ut melius caperet,

Solutio.

Respondet Asceta, et primo supponit, opportune factum et plane divinitus inspiratum S. Ignatio fundatori Societatis Jesu ut renovando animo jungeretur votorum renovatio, qua facile id fieret, quod vix alioquin fieri posset. Cum enim tanta sit, et tam alte impressa menti nostræ votorum religio, ut nullus nisi perditus, quidquid ad votum spectat, nisi sancte et religiose velit attrectare, nihil poterat aptius excogitari ad perfecte instituendam animi renovationem; et primum ad religiosi spiritus inflammandum fervorem, quam si votis renovandis jungeretur illa spiritus renovatio, simulque omnes vota renovaturi, discerent, ac probe intelligerent, non se recte et religiose vota sua renovaturos, nisi simul ex renovatis votis renovaretur spiritus. Quod tibi, Religiose, voto est religiosius? At de voto agitur, cum de renovando spiritu agitur. De religione, qua nuncupantur vota, negotium est, cum de renovatione spiritus negotiaris spiritualiter. Quis voti reus esse vellet? Reus erit, qui vota renovabit, non renovato spiritu. Quam ob rem quantus est metus, et horror tam execrandi reatus contrahendi, tantus esse debet timor non renovandi animi, cum unum alteri connectatur. Hoc supposito, sic discurrit : Vota non recte renovas, nisi finem assequaris, vel prætendas assequi, cur vota renovantur. Cum enim in bono quovis opere bonus finis sit semper sibi præfigendus, tum vero maxime in votis Deo nuncupandis, in quibus tota vis, tota Religio, totus valor pendet ex mente, seu ex fine, ac intentione voventis, et votum admittentis. Non est, inquam, aliud in voto, quam quod intendit votum faciens, et recipiens. Unde si vovendo aliud intenderet, qui votum facit, quam qui recipit, nullum esset votum, non enim intendit vovendo, quod debebat intendere ; et tale votum nullum est, quod caret suo debito fine, sua intentione, sua veluti essentia et anima. Imo esset grave peccatum sic vovere, nisi quid legitime excusaret, ut ignorantia vel metus rationabilis, aut vis illata, aut quid simile canonicum et regulare, sine quo alioquin Deum irrideret, Deum contemneret, et se gravi Religione obstringeret, qui Deo votum offerret, non eo fine et animo, quo esset offerendum. Sed nisi vota te renovent, non assequeris finem, cur vota renovantur. Vel clarius : Nisi renovando vota intendas te renovare, non habebis finem et intentionem, quam in renovandis votis debes habere. Nam hæc est horum certa et determinata intentio, ut expresse habetur in Constitutionibus et Instituto Societatis Jesu, a quo idem cæteræ, quæ sua vota renovant, hauserunt Religiones; neque enim renovantur vota, ut nova vel majori voventes obligatione se obstringant, cum quanta voti potest esse obligatio, jam in prima ejus nuncupatione tota contracta sit, ac proinde nullus alius superest renovandi voti finis, quam ut renovetur is animus, quo primo factum est tale votum. Unde id tandem se-

quitur, quod, qui votum renovat, nisi hunc habeat finem, non habet finem sui voti; nam eum debet habere, quem habet ipsa Religio, quem habuit ejus Fundator, quem habent superiores, ejus legum ac ejus mentis interpretes. Sicut enim cum religiosa primum vota in quolibet Instituto et Ordine religioso fiunt, sic omnino fieri debent a novitio, prout talis est instituti ratio et regula. Unde in ipsa votorum formula sæpe hæc exprimuntur verba, *secundum Regulam*, *vel omnia intelligendo juxta Constitutiones*; sic plane in ipsis renovandis votis se quisque conformare debet suo Instituto, cujus cum alius finis non sit, quam renovare animum, non alius etiam esse potest vota renovantis, aut si alius fuerit, non erit is, qui esse debet.

DUBIUM XVII.

De eodem.

Cum juxta communem Doctorum sensum propter votorum Ordinis editionem Religioso omnia peccata perinde, ut per Baptismum remittantur, dubitat Philothea, an eadem gratia etiam renovationi votorum concedenda sit? cui

Solutio.

Respondet Asceta affirmative, idque tribus argumentis probat, quorum primum est ipsa institutio faciendæ bis in anno renovationis votorum, ad hunc finem, ut simul fiat spiritus renovatio. Sive enim consideretur, ut a Domino particulatim inspirata, sive ut a sancto Fundatore Ordinis approbati, una cum ipso fundata Ordine, dubitari non potest, quin ea ipsa gratia, quæ Fundatori data est, ad stabiliendum suum Ordinem, sese extendat ad hanc ejus partem, quæ perfectioni acquirendæ ac conservandæ tam apta est, ut quotidiana constat experientia. Secundum est ipsa operis excellentia, seu ipsum renovationis votorum meritum, quod certe non est ex se minus, quam primæ votorum nuncupationis, cum sit eadem plane voventis, et vota renovantis intentio, perfecte Deo serviendi, eademque prorsus voveat, quibus ei serviatur. At vero certum est, primam illam votorum nuncupationem tanti esse valoris et meriti, ut veteribus omnino condonatis delictis, novam afferat novæ vitæ gratiam. Tertium est, illa quæ inter vota religiosa et animum renovatum intercedit similitudo et paritas. Quid est enim vovere vota religiosa, nisi totum se dare Deo, velut in holocaustum, ut supra visum est? Et quid est aliud renovare illam mentem, quæ sit tota Dei, si qua forte parte deflexisset? Unde sicut non dubitatur dari gratiam Religiosis ad observanda sua vota, nec non ad perfecte vivendum, seque totos suæ vocationi conformandos; ita certe tenendum est vel illam ipsam valere gratiam, vel novam addi, ad renovandum et revocandum, quod semel datum est. « Levavi oculos meos ad cœlum, et sensus meus redditus est mihi. » Dan. iv, 31.

« Bonis donabo majoribus, quam habuisti ab initio. » Ezech. xvi, 11.

« Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanctitas tua citius orietur. » Isaias, lii, 8.

DUBIUM XVIII.

De Tempore.

Audierat quemdam Philothea dicentem : « Nihil est magis nostrum, quam tempus; et nihil minus est nostrum. » Quæ cum contradictoria sint, non potuit Philothea sibi persuadere, quod vera sint; quare explicationem petit, cui

Solutio.

Respondet Asceta, et primam partem sic probat : Nihil magis est nostrum, quam quod prorsus pendet a nobis nullo prohibente. Quid clarius? Sed nihil est, quod magis a nobis pendeat nullo prohibente, quam tempus, si velimus eo recte uti. Nam quidquid cogamur facere, possumus illud semper cum Dei gratia dirigere in rectum finem, sive ut placeamus Deo, sive ut dissolvendis peccatis satisfaciamus, sive ut cumulandis æternis laboremus bonis. Unde Sapiens : « Non impediaris orare semper, et ne verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in æternum. » Eccl. xviii, 22. Id est, hoc tibi plane liberum est, semper orare, saltem mente, sal-

tem intentione, dirigendo tuum opus in bonum finem; sic enim ex quocumque opere tibi thesauros gratiarum et æternæ futuræ gloriæ colliges, nec vereri debes, ne aut desit labori merces, aut mercedi labor supersit; nam laboratur æternitati. O ponderosum nomen! O quam recte Apostolus. « Æternæ gloriæ pondus, ait, quod operatur in nobis, quidquid occurrit laborandum. » I Cor. IV. Hoc est enim, quod labore nostro dare debet pondus, ne sit inanis et vacuus.

Alteram partem sic ostendit: Nihil est, quod minus nobis vindicemus tanquam nostrum, et tanquam nobis proprium, si nos a Deo separemus. Ratio est valde consideranda, quia nihil est minus nostrum, quam vita nostra, quæ tota est Dei, ut Creatoris, ut finis, ut summi boni; quæ tota est Christi, ut Redemptoris, ut Domini, ut Glorificatoris, et sexcentis aliis ex titulis: « Non estis vestri; empti enim estis pretio magno. » I. Cor. VI, 10.

« Ut qui vivunt, jam non sibi vivant. » II Cor. V, 15.

Sed qua ratione vita nostra non est nostra, eadem prorsus tempus nostrum non est nostrum. Nam tempus et vita sic sibi mutuo correspondent, quantum præcipue spectat ad humanos nostros actus, ut neque aliter concipi possit, nos aliquem vitæ humanæ actum posse producere, nisi una concipiatur, nos tempus aliquod in eo collocare; neque intelligi id possit, nos tempus in re quapiam ponere, quin simul intelligatur, nos humanæ vitæ nostræ motum et actum aliquem edidisse. Nemo enim vivit, nisi in tempore, et nullum est nostrum tempus, nisi quo vivimus. « Sic omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cælo. » Eccl. III, 1.

Unde illud plane concludi necesse est, ut si tibi non licet partem aliquam vitæ tuæ Christo subtrahere, neque etiam tibi licet ullam ei temporis negare partem; nam pars illa temporis, quam negares, pars esset vitæ tuæ. Quidquid enim in illa parte temporis ageres, viveres scilicet; et quod tum viveres, nonne tam vere Christo subtraheres, quam tempus ipsum, quo vivere et agere dicereris? Posses ne actu vitæ expresso velle Domino vivere, et non velle ei respirare? Non posses, quia hoc esset vivere, et non vivere; seu velle et nolle cum vivere, et respirare sit unum et idem. Sic omnino quantum ad rem nostram licet tempus cum non sit tam intrinsecum humanæ nostræ vitæ, quam ipsa respiratio, sic tamen illi est connexum et colligatum, ut, quo actu vita ponitur, ponatur tempus; et qua parte tempus collocetur, collocetur et vita. *Ventus est vita mea,* dicebat Job. VII, 7, et præclare, hoc utrumque respiciens. Nam vita ventus est, id est, respiratio; et vita ventus est, id est, citissimum tempus. Quam gravis autem hæc jactura sit, vel ex eo patet, quod ea omnes gravitatis circumstantias habeat. Nam 1. gravis prodigalitas vel negligentia est, si res pretiosa perdatur, atqui ut Sanctus Bernardus et alii communiter aiunt, *nihil pretiosius tempore.* 2. Si res irreparabilis; atqui irreparabile tempus. 3. Si res unica, et summe necessaria; atqui solum tempus nostrum est, et ita necessarium, ut sine illo nihil habeamus. 4. Si res sacra; atqui omne tempus Deo sacrum est. Unde merito timere tales possunt, ne aliquando verificetur, quod Christus flens super Jerusalem dixit: « Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui, et coangustabunt te undique, etc., eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. » Luc. XIX, 43.

DUBIUM XIX.

De Fervore.

Audierat aliquando Philothea sequentia verba ex Sancti Ignatii epistola citari: « Fovete semper in sinu cordis vestri vividum quemdam, sanctumque fervorem ad quosvis pro virtute exantlandos labores, quia rarum aliquod et eximium facinus excellit sexcentis vulgaribus, minutisque. Ad quem enim virtutis gradum piger non potest adrepere, exigua temporis intercapedine diligens mirabiliter volat. » S. Ignat. *in Epist. de Pers.* Quam doctrinam cum creditu difficilem sibi judicasset,

Solutio.

Respondet Asceta, et sic probat assertum: Illud est majoris meriti opus, quod est ex puriori corde profectum, sed quod ferventius peragitur, ex puriori corde proficiscitur, ergo et majoris est meriti; quod ut melius intelligatur, atque ut simul apertius internoscatur, quid charitati fervor addat ad puritatem actionis, observandum est, duobus præsertim modis actionem posse inqui

nari, et purgari. Primo quidem inquinatur impuris affectibus, seu mundanis propositis finibus ac intentionibus, a quo inquinamento mentem purgat illa charitas, quæ nunc respicit Deum. Sed cum etiam in respiciendo Deo multi se humani respectus, et discursus obtrudant, qui hominem in diversa rapiunt, et sub specie recti ac boni sæpe fallant, et avertant a bono, aut certe dubium, et suspensum animum sic retineant, ut quid agat, quove se vertat, ignoret; ac interim nonnisi remisse, anxie, et imperfecte agat, potest dici hoc alterum inquinamenti genus, quo non quidem malum appetas, nec bonum sine malo facias; sed quo bonum non satis bene, non satis prompte, non satis studiose amplecteris; a quo inquinamento nos purgat fervor; quatenus qui suo fervet in opere nihil moratur, quidquid obviet animo, non se sinit illis retardari obstaculis, quæ apparenti virtutis specie, vel nobili prætextu mentem alio avocant. Sed toto, quod ajunt, pectore rem aggreditur, rem promovet, et absolvit, uni Deo intentus, uni attentus operi. «Vidisti virumvelocem in opere suo? Coram Regibus stabit, nec erit ante ignobiles, » Prov. xxii, 29, eis scilicet serviendo, id est, illustris ille futurus est. Et hæc est vis illa summa, qua præteritum tempus possis revocare, qua metiri possis ventum, et ignem ponderare; quæ tria quondam Esdræ ab Angelo sunt proposita, tamquam ea, quæ essent extra omnem efficientiam posita. Sic enim fervor, præteritum revocat tempus, cum lacunæ replentur illorum mensium, quas Scriptura vocat *vacuos*. Replentur autem, cum fervor geminat opera, non tam numero, quam valore et merito: « Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.» Job. vii, 3. Metiris autem ventum, cum ad unumquodque momentum, quo aerem spiras, inspiras operi meritum. Ignem denique ponderas cum tanta fervoris habetur ratio, ut, pro singulis ejus gradibus agendi meritum crescat et præmium. Sic præclare Sanctus Hieronymus in Apostoli verba: « Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. » Quod in diebus malis est, inquit, quodammodo immutamus illud, et dies malos in bonos vertimus, et facimus illos non præsentis sæculi, sed futuri. » O quam proinde sapienter Sapiens: « In omnibus operibus tuis esto velox, et omnis infirmitas non occurret tibi! » Eccl. xxxi, 27. Non ægrotabis illa ægritudine animi, qua in diversa distraharis, et qua distractus vix aliquid agas, aut agendo merearis. Non occuret ficta infirmitas corporis, quasi non id possis operari, quod occurrit. Non infirmitas animi, quasi nolis aut nescias. Non infirmitas ipsius operis, quasi fatiscas operando. Nulla denique tibi occurret infirmitas, quia velocitate et fervore sic roboratur animus, ut licet etiam infirmaretur, non desineret operari, et tunc vel maxime diceret: Cum infirmor, tunc potens sum.

DUBIUM XX.

De Affectibus.

Legerat quondam in libro Philothea, affectum præcipue probari ab effectu; quia vero advertebat, multos concipere varia desideria, post quæ tamen effectus non sequatur, non parum dubitare cœpit de veritate hujus sententiæ, cui

Solutio.

Respondet Asceta, et in primis supponit, 1. hanc vocem *affectus* æquivocam esse ad omnes illos motus, quo movetur animus circa rem unam, vel diversas, exprimendos; sive enim sit naturalis inclinatio, seu passio appetitus concitatior, seu simplex voluntatis complacentia, seu denique absoluta voluntas, dicuntur hi omnes animi motus eodem affectus et concupiscentiæ nomine, licet eorum ratio sit longe diversa. Deinde vero est observandum, quod hi simul affectus, quantumcumque varii et diversi sint, sæpe concurrunt circa unum et idem objectum ut vel se juvent ad illud prosequendum et obtinendum, vel se impediant et destruant. Nonne id sæpe accidit, ut quis in virtutem aliquam ex naturali indole vel ex affectu humano, vel rationali et divino simul prosequatur? Nonne e contra fit etiam sæpius, ut quis naturali affectu aversetur virtutem aliquam; et tamen ipsam eamdem in alio rationali et spirituali affectu diligat, et observet? Quod et de vitio quolibet sic sentitur et dicitur, cum directe oppositi circa idem excitantur affectus et amoris, et odii, et persecutionis et fugæ. Denique quod observes diligenter cum hi affectus sint plane oppo-

siti, atque inter se pugnantes, ut patet, oportet alios præ aliis esse unius rei veros affectus, et alios falsos. Neque enim vere et ex æquo potest animus simul virtutem aut vitium colere, et odisse : « Aut enim unum odio habebit, et alterum diliget, aut unum sustinebit et alterum contemnet, » Matth. VI, 24, inquit Dominus. Supponit 2. affectum nihil aliud esse, quam quando actu et re ipsa fit aliquid, quod dependet a nobis, et quod non fieret, nisi vellemus, ut cum scientes volentes non ex primo naturæ impetu, sed advertenter cogitamus, loquimur, ad quidpiam agimus ; ista cogitatio, vel loquela, vel actio dicitur esse affectus negativus ; qui affectus tam in actu vitii reperitur, quam in actu virtutis. Unde sunt peccata commissionis et omissionis sub eadem peccati specie : « Qui ad idem ordinantur, et ex eodem motivo procedunt, » inquit S. Th. ut cum avarus rapit aliena, et non dat sua, quæ dare debet ex eodem affectu pecuniæ, et gulosus superflua comedit, nec debita servat jejunia, ex eodem etiam affectu gulæ. His suppositis ut cognoscatur, uter altero sit verior rei affectus, videndum est, uter sit magis liber et voluntarius. Nam hic profecto affectus est verior, qui est magis voluntarius ; si magis voluntarie consentis vitio quam virtuti, magis verus est affectus vitii, quam virtutis, et affectus virtutis, quem cum senties, non erit verus affectus virtutis, sed falsus et adumbratus. Hinc illa Sancti Thomæ, et similia in prima secundæ : « Actus in tantum est peccatum, in quantum est voluntarius, et in nobis existens. Et cum peccatum principaliter in voluntate consistat, quanto motus peccati magis est proprius voluntati, tanto peccatum est gravius. » Atque idcirco Apostolus : « Voluntarie, inquit, peccantibus nobis terribilis expectatio judicii, » id est, quo quis magis voluntarie peccat, eo terribilius judicatur ; atqui per effectum maxime probatur et manifestatur, quisnam ex multis affectus sit magis voluntarius. Nam cum affectus procedat a voluntate, et voluntas ad illum producendum suo moveatur affectu, profecto necesse est, quod effectus sit tam certum signum affectus, quam certo constat, effectum esse signum suæ causæ.

DUBIUM XXI.

De Exempli Efficacia.

Audierat frequenter citari Philothea sequentem Senecæ sententiam : « Longum iter per præcepta, breve et efficax per exempla. » Senec. l. II, ep. VI. Sed cum ipsa fere magis per ferventes sermones aut libros devotos moveri se sentiat, dubitat de veritate hujus sententiæ, cui

Solutio.

Respondet Asceta : Duplici ex capite hanc exempli efficaciam oriri, quia fidelis instruit, eo quod non tantum doceat modum aliquid faciendi, sed etiam possibilitatem ostendat ; nam ut bene notavit S. Ambrosius : « Non difficile æstimatur, quod jam factum conspicitur. » Hinc Deus S. Augustino tergiversanti, continentiam cum pueris et puellis ostendit, dicens : « Potuerunt isti, et istæ, et tu non poteris ? » Idem et quivis videns aliorum exempla. Recte ergo Sanctus Laurentius Justinianus l. I, *de Conflictu interiori* cap. II. « Dabis voci tuæ vocem virtutis, si, quod suades, prius tibi cognoscaris persuasisse, validior operis, quam oris vox est, fac, ut loqueris. » 2. Etiam potentius movet. Ita Sponsa Canticorum : « Trahe me post te, curremus in odorem, etc. » Cant. II, 13 ; alludens ad amorem columbariorum balsamo allinentium columbas, ut alias trahant. Hinc ipse Sponsus : « Surge, amica mea, speciosa mea, et veni, columba mea ; » nimirum sicut columbis gratus est odor balsami ; ita odor virtutis hominibus. Hinc S. Chrysostomus : « Nihil adeo Gentiles arguit, ut virtus, etc. » *Hom.* XII, *in Cant.* XIII.

Et Apostolus : « Christi bonus odor sumus in Deo, in his, qui salvi fiunt, et his, qui pereunt. » I Cor. I, 8.

Ideo alii idipsum magneti ferrum attrahenti compararunt. Hoc instructus S. Paulus : « Sermo meus, et prædicatio mea non in persuasibilus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus et virtutis, ut fides nostra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. » Ibid. c. II, 4.

Hinc S. Dominicus volens convertere alios adibat domos, et aliquandiu ibi commorans

sancte vivebat. Et P. Ludovicus Gonzalez in Societate Jesu testatus est, plus se aspectu S. Patris motum, quam quacumque lectione aut concione.

DUBIUM XXII.

De Judiciis Humanis.

Cum quondam Philothea S. Climacum dixisse audisset : « Prima virtus Monachi est, hominum judicia contemnere ; » vehementer hoc dictum mirabatur, cum utique Superiorum et aliorum virorum sapientum judicia non modo non spernere, sed vel maximi æstimare, audire, et sequi oporteat; a quo dubio ut ipsa liberetur

Solutio.

Respondet Asceta, et pro fundamento ponit duplicis generis esse judicia. 1. Conformia Dei voluntati, regulis, et rationi. 2. Alia his difformia ; de prioribus ergo ait, recte sensisse Philotheam, de posterioribus intelligendum S. Climacum, eo quod sine tali contemptu servus Dei esse non possit, sicut S. Paulus indicavit, Galat. x, 10. Quid enim quærit Religiosus, nisi perfectionem et quietem? Atqui neutrum sine hoc contemptu obtinere potest. Non primum, quia sicut is, qui distortam habet regulam, distorta et imperfecta opera facit ; ita qui hominum sinistra judicia attendit, imperfecta faciat opera, necesse est. Non secundum, quia, qui omnibus placere cupit, numquam id obtinuit, cum impossibile sit omnibus placere, uti bene notavit pius Auctor, dicens : Multa loquuntur, et ideo parva fides est adhibenda; sed et omnibus satis esse, non est possibile. Et si Paulus omnibus studuit in Domino placere, et omnibus omnia factus est, tamen etiam pro minimo duxit, quod ab humano die judicatus fuerit. Egit satis pro aliorum ædificatione et salute, quantum in se erat et poterat; sed ne ab aliis aliquando judicaretur, vel non despiceretur, cohibere non potuit. Ideo totum Deo commisit, qui totum noverat; et patientia ac humilitate contra ora loquentium iniqua, aut etiam vana ac mendosa cogitantium, atque pro lubitu suo quæque jactantium se defendit. Respondit tamen interdum, neinfirmis ex sua taciturnitate generaretur scandalum. Thom. Kemp. l. III, c. xxxvi.

Sed quid de Paulo dicimus? Quis Christo, quis Deo sanctior? Et tamen quis nescit, quam sinistra de his judicia sint lata? Quod opus præstantius Redemptione? Et tamen quam multi carpebant? Quod opus homine nobilius? Et tamen quis nescit, quod etiam hoc carpserit nonnemo, judicans januam deesse? Quid ergo superest, nisi ut perpetuo turbemur? Unde recte conclusit S. Gregorius Nazianzenus, cordatis hominibus pluris faciendum, magisque curandum esse judicium Dei, quam omnium aliorum in unum coactorum hominum. An tu, inquit, si duos homines, quorum alter acutior et sagacior, alter imperitior et hebetior esset, de eodem negotio in consilium adhiberes, recta mente præditus videreris, si relicto prudenti consilio, judicium imperiti sequereris? An non Roboam ex eo est reprehensus, quod pro nihilo habita senum sententia juvenum consiliis paruit? Et tu, cum Deus et homines inter se expenduntur, judicia hominum potiora duces, quam Dei? Recte proin Philothea illa pii Auctoris verba sibi applicabit : « Quis es tu, ut timeas a mortali homine? Hodie est, et cras non comparet. Deum time, et hominum terrores non expavesces. » Ibid.

DUBIUM XXIII.

De Alienorum Bonorum Participatione.

Recitaverat aliquando Philothea versiculum illum Davidicum : « Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua, » Ps. cxviii, 63, sed non poterat persuadere sibi, quomodo quis aliena bona sine injuria alterius participare queat. Quare ut recte hanc veritatem capiat

Solutio.

Respondet Asceta, duplici modo posse aliquem possidere bona alterius. 1. *Eminenter*, in Deo scilicet. Narratur de quodam Rege Franciæ, quod quondam titulos Imperatoris prælegi curaverit, et quando v. g. dicebatur, Rex Bohemiæ etc. et ego Rex Franciæ etc. indicare volens, hunc titulum omnes alios eminenter continere. Idem facit Religiosus verus. Sequitur S. Davidis exemplum :

« Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus. » Ps. CXLIII, 15. Sequitur S. Franciscum diu noctuque meditantem : « Deus meus, et omnia. » Dicit cum Habacuc : « Ego autem gaudebo in Domino, et exultabo in Deo salutari meo.» C. III, 18. Videbit, 1. quidem, aliquos habere voluptates in cibo et potu, in tactu, etc. sed mox dicet : « Deus meus et omnia. » Aut cum S. Paulo : « Propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora. » AD PHILIP. III, 8. Sicut ergo nemo invidet alteri comiti ob lutum adhærens, ita nec habenti voluptates sensuales. Videbit, 2. alios honoribus et laudibus affici ; sed ego in Deo : « Nimis honorificati sunt amici tui, Deus. Servire Deo, regnare est. Laus mea tu es, etc. » Videbit, 3. alios habere multos amicos, fautores, patronos, etc. sed dicet : « Ego in Deo. Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. » Iste vult, scit, et potest, etc. « In te, Domine speravi. Dixi, Deus meus es tu. » Videbit, 4. alios in divitiis, sed ego in Deo, « Deus meus et omnia. » Veræ divitiæ sunt, quæ nos virtutibus divites faciunt. « Quærite Regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. » MATTH. VI, 33. Videbit, 5. aliis officia honorifica applicari; sed ego in Deo. Quinimo beati, qui audiunt, etc. » Videbit, 6. alios scientiis pollere ; sed ego in Deo : Christe, sciant quæcumque alii, mihi sufficit una cognitioque tui, cognitioque mei : « Ego autem nihil existimavi, me scire, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.» Accedit, quod tota felicitas consistat in voluntate Dei adimplenda ; hanc autem in quocumque opere unus tam bene adimplere potest, ac alius ; ergo omnia bona vera alterius participabit.

2. *Formaliter* participare potest per charitatem, ut præclare S. Augustinus notat : « Congaude illi, cui Deus aliquam gratiam dedit, et potes in illo, quod in te non potes. Ille habet forte virginitatem ; ama illam, et tua est. Iterum tu habes majorem patientiam ; diligat te, et sua est ; hoc ideo, quia in illo tu es.» Per proprietatem enim non es tu, per charitatem tu es ; quibus verbis allegoricis ostendit pulcherrime fundamentum, propter quod alterius bonum etiam nostrum censere debeamus, scilicet quia unum sumus, propter triplicem titulum : Primo, quia unius naturæ ; si ergo omnia animalia ex ipso naturæ instinctu commune reputant damnum vel bonum, quanto magis ii, qui natura rationali sunt prædíti ? Secundo, quia *Fratres* nobili Christi sanguine procreati. Quis autem non quotidie experitur, quantopere se promoveant fratres ? Pulchrum exemplum habemus in Rebecca, cui dixerunt : « Soror nostra es, crescas in mille millia. » GEN. XXIV, 60. Quanto magis fratres spirituales, cum bona hæc quanto præstantiora, tanto digniora congratulatione. Tertio, quia membra ejusdem corporis. Ita S. Apostolus : « Sicut corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen sunt ; ita et Christus (immo et Religio). Deus temperavit corpus ei, cui dederat, abundantiorem tribuendo honorem, ut non sit schisma in corpore, sed et ipsa pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra ; sique gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. » I COR. XII, 12.

Ita profecto primi Christiani, quorum anima una, et cor unum erat. Hinc communis erat vox de illis : Ecce quomodo amant se, etc., si isti, quanto magis Religiosi, qui ut arctissime cum centro deberent esse conjuncti, ita magis conjungi deberent esse conjuncti, ita magis conjugi deberent inter se, atque adeo omnia communia reputare.

DUBIUM XXIV.

De Locutione.

Audierat Philothea quondam illam Christi sententiam : « Ex abundantia cordis os loquitur, MATTH. XII ; » citari, sed sensum illius non satis assequebatur ; quare eumdem sibi explicari petiit ; cui

SOLUTIO.

Respondet Asceta, multas quidem causas esse, ob quas ex abundantia cordis os loquatur, sed eam maxime, quam Thomas Kempensis indicavit dicens : Quare tam libenter loquimur, et invicem fabulamur, cum tamen raro sine læsione conscientiæ ad silentium redimus ? Ideo tam libenter loquimur, quia per mutuas locutiones ab invicem consolari quærimus, et cor diversis cogitationibus fatigatum, optamus relevare. Et multum li-

benter de his, quæ multum diligimus, vel cupimus, vel quæ nobis contraria sentimus, libet loqui, et cogitare. L. I, c. x. Quibus verbis clare satis ostendit duplicem esse causam, cur de hoc vel illo objecto libenter loquemur. Prima est, revelatio cordis; est enim cor nostrum musto simile, quod expumare nisi permittatur, omnia vasa disrumpit. Hinc S. Bernardus : « Suppressus dolor altius introrsus radicat ; eo acerbior fructus, quo non est exire permissus. » Ser. XXVI, *in Cant.*

Habet enim speciem ignis, teste Petro Blessensi ; quia quo plus tegitur, plus ignescit. Cujus rei causam dat S. Thomas : « Omne novicum interius clausum magis affligit, quia magis multiplicatur intentio animæ circa ipsum ; sed quando ad exteriora diffunditur, tunc animæ intentio ad exteriora quædam disgregatur, et sic dolor minuitur interior. » II, II, q. XXXVIII, n. 2.

Sed et S. Nilus : « Uti nubes dum densæ sunt et obscuræ, tum aquis turgent, at postquam eas effuderint, clarescunt et splendidæ fiunt ; » sic quamdiu quis a tentationibus suis onustus et gravis incedit, in magna tristitia confusus angoribus vivit, et melancolia repletur ; at hoc onus a se excutiendo, quando id excutit, et a se abjicit et alteri manifestat, cor alleviatur, tristitia mitigatur, homo quiete et gaudio delinitur. Altera causa amor est, qui verba dictat, et eructat, ut ipsius natura ostendit, cum enim amoris effectus potissimus sit, unire amantem et amatum, si hoc obtinere corporaliter non potest, spiritualiter obtinere studet, per memoriam, per quam amatus spiritualiter quodam modo in altero existit. Quia vero memoria nullibi fere magis, quam per locutionem excitatur, ideo de his, quæ amamus, libenter loquimur. Et hoc videlicet ipse Sponsus sub calculo approbavit, dum dixit: « Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis etc. » CANT. II, 14. Quæ enim convenientia inter vocem et faciem? Quid pulchritudo faciei ad vocem confert? Multum profecto ; nam dum facies formosa generat amorem, hoc ipso facit, ut etiam vox grata sit, quia memoriam amati excitat. Hinc ipse Sponsus : « Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua. » CANT. IV, 11.

Patet ergo, quam vere dicatur, ex abundantia cordis os loqui ; quamque verum sit tritum illud : Qualis constitutio, talis locutio. Ut merito Sapiens dixerit : « Adolescens, loquere, ut videam te. » Unde patet, quam libenter Religiosi de rebus spiritualibus loqui debeant. Hic enim proprie locum habet illa S. Jacobi sententia : « Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. » Unde enim colligi potest, Religiosum esse, nisi ex loquela. Profecto hic occini potest illud Judæorum : « Nam et loquela tua manifestum te facit. » Hujus rei præclarum testimonium dedit ipse Spiritus S. apparens in dispertitis igneis linguis, ut ostenderet illos, qui Spiritu S. repleti sunt, ferventer de spiritualibus loqui debere. Hinc Apostoli cœperunt loqui magnalia Dei. Merito ergo audiendus S. Hieronymus dicens : « Felix lingua, quæ non novit, nisi de Divinis tenere sermonem! » Ad EPH. IV, 29.

Sed et S. Apostolus dicens : « Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus, ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. » Et ut ait : « Verbum sanum irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens dicere de vobis. » II Ad TIT.

Sed potius dicamus cum Philosopho : « Ego ita me geram, ut nemo crediturus sit mihi detrahenti, nomenque meum laceranti. »

DUBIUM XXV.

De Sancta Stultitia.

Legerat aliquando Philothea S. Paulum dixisse : « Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus ; » (II COR. II, 26.) quæ verba cum contradicere sibi videantur, merito genuinam illorum explicationem petit Philothea, cui.

SOLUTIO.

Respondet Asceta, aitque pro fundamento supponi debere, quid sit sapientia ; nimirum scientia finis et mediorum. Hinc enim sapientia, id est, *sapida scientia*, dicitur, quia satiat animam, atque adeo bene sapit. Ex quo deducitur, sicut communiter duo sunt fines ; unus Mundanus, quem mundus sibi præfigit, alter Divinus, quem Deus præscribit ; ita duplicem quoque stultitiam et sapientiam esse. Quem autem finem sibi præ-

figit mundus, patet per se, scilicet voluptates carnales, et honores, et quæ ad hæc ducunt; qui ergo hunc finem præfigit, et ad hunc omnia media ordinat, hic sapientiam mundanam habere dicitur; qui vero hæc contemnit, stultus. E contrario vero, qui sibi finem præfigit amorem Dei et similitudinem Christi, et ad hunc finem ordinat omnia, hic enim vero stultus quidem mundo, sed sapiens coram Deo reputatur; qui vero negligit, quomodocumque sapiens mundo videatur, stultus est, quia, teste S. Paulo :« Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum. » I Cor. III, 19.

Talis stultus erat S. Paulus, quando dixit : « Nos stulti propter Christum etc. » I Cor. IV, 10. Quare, quæso, propter Christum? Quia propter Christum « omnia detrimentum fecit, et arbitratus est ut stercora, ut Christum lucrifaceret; » Phil. III, 8. id est, ut illi similis fieri, et dicere posset : « Vivo autem jam non ego, etc. » Et hæc videlicet est sententia, quam ambire, et sectari debemus, omnia detrimentum facere. Quare audiendus Apostolus : « Nolo vos ignorare, Fratres, mysterium hoc; ut non sitis vobis sapientes. Si quis ergo videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens. » *Ad* Rom. XI, 25.

Vere enim, quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat Deus sapientes. Et ignobilia mundi, et contemptibila elegit Deus, ut ea, quæ non sunt, destrueret. Hanc amavi, et exquisivi; hanc optavi, et invocavi etc. hanc ergo stultitiam æstimemus, hanc desideremus, hanc quæramus, ut veram sapientiam inveniamus, et dicere olim cum Sapiente possimus : « Venerunt mihi omnia bona pariter, et innumerabilis honestas per manus illius, et lætatus sum in omnibus; quoniam in omnibus antecedebat me ista sapientia. » Sap. VII, 11.

DUBIUM XXVI.

De Corpore tractando.

Adverterat quondam Philothea, non modice animam suam a corpore aggravari; quare desiderans amovere hoc impedimentum, quærit, quomodo id obtinere possit? Cui

Solutio.

Respondet Asceta, commode id S. Davidem docere, dum ait : « Ut jumentum factus sum apud te. » Ps. LXXII, 23.

Quibus verbis tria circa corpus observanda esse, quæ Siracides indicavit dicens : « Cibaria, et virga, et onus asino. » Eccl. XXXIII, 25.

Et 1. quidem *cibus* ei perinde ut jumento præbendus; hinc sicut certa tempora in pabulo offerendo observantur; ita et in cibo ac potu curandum, ut extra consueta tempora refectionis non facile comedatur et bibatur. Certe S. Philippus Nerius hoc tanti fecit, ut dixerit, neminem fore virum spiritualem, qui extra tempora prandii et cœnæ aliquid bibit, et comedit. Dein sicut eques pabulum in certa mensura apponit, cavetque, ne jumentum nimio æstu incensum sumat avide nimis potum, vel cibum; ita et id ipsum in cibo, potuve corpori præbendo observandum. 2. *Virga*, id est, castigatio adhibenda; nam Ascetæ recte monent, numquam etiam a sanctissimis viris omittendam esse corporis castigationem; sed perinde ac eques, dum equum conscendit, etiam non peccanti equo calcar aut virgam infligit, ut ipsum timere discat mitiusque ac cautius ambulet; ita ob eumdem finem semper castigandum corpus esse, ut sciat, subesse se debere animæ, minusque negotium facessat, id quod S. Paulus suo exemplo confirmavit, dum dixit : « Castigo corpus meum, et servituti subjicio, ne dum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar. » I Cor. IX, 15.

3. *Onus* quoque, seu labor, imponendus, ita tamen ut in impositione ejusdem illud Salomonis observetur : « Novit justus jumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia, » Prov. XII, 10; atque adeo discretio sit observanda, ne dum nimio jumentum seu corpus onere laboris gravemus, etiam ipsi animæ velut equiti periculum ruinæ, aut gravium incommodorum creet, sicque, ut S. Bernardus ait : « Corpori effectus, animo affectus, proximo exemplum, Deo honor subtrabatur. »

De Castigatione corporis.

Advertit Philothea nonnullos adeo ferventes esse in castigatione corporis assumenda, ut notabiliter corpus lædant; accenditur proinde desiderio imitandi, sed, an licitum sit, dubitat, quæritque.

Solutio.

Respondet Asceta, et cum Theologis supponit, nos vitæ nostræ dominos non esse, ejus dumtaxat nobis usumfructum a Deo concessum, cujus aliquando ratio a nobis sit exigenda; unde istud inter Theologos receptum est, posse nimio pœnitentiarum excessu lethale crimen admitti. Non possum licentius de vita mea corrumpere, aut demere aliquid, quam de vita proximi; imo ad meæ conservationem magis quam ad alterius, bene constituta, ordinataque charitas obligare me censetur; hinc nimia in se suumque corpus sævitia, qua illud fractum, quassatumque muniis suis obeundis impar et ineptum redditur, aut in mortis periculum aperte deducitur, a S. Hieronymo, et post illum ab Angelico Doctore, tamquam aliquid a ratione exorbitans obelisco configitur. Potest aliqua in corpus velut perduelle et fraudulentum, excandescentia, et damni ab illo emanantis severa quædam ultio excusari, præsertim si a viro prudente cui conscientiæ nostræ arcana commisimus, permittatur, nec ego, si hoc modo decem annos de vitæ meæ decursu adimam religioni duxero, cum de vitæ conservatione, non tam scrupulose sollicitum me esse oporteat, quam de virtutum meritorumque incrementis, et animi sempiterna salute. Non teneor mediis omnibus possibilibus vitæ producendæ anxius studere, nec medico alicui morem gerere, qui, si aquæ potu non abstineam, vinoque non utar, decennio toto citius me moriturum pronuntiat; neque medicamentis uti, quibus ad decem annos prorogaturum me vitam cognoscerem; neque similibus de causis victum mutare, aut domicilium; mihi enim doctissimorum virorum hac in parte pronuntiata omnem in hisce dubitandi materiam, omnemque scrupulum adimunt. Ad quorum confirmationem adducit idem Asceta S. Theresiæ exemplum, quæ, ubi distinxit, quid sanctorum res gestæ admirandum, quid imitandum proponant, tria notanda suggerit. Primo, non paucos esse ex iis, qui perfectioris vitæ studium profitentur, tam abjecti pusillique animi, ut sibi maximas impendere miserias arbitrentur, si ut animo excolendo liberius vacent, de cura corporis nonnihil remittant. Quin potius ubi omnia corpori necessaria suppetunt, tum animum curis expeditum liberius ad cœlestia tendere, secumque habitare persuasum habent. Unde fit, ut res nihil æque illos perturbent, an alios res magni momenti sibi tamen blandiuntur, ac se de illorum esse numero opinantur, qui serio virtutem consectantur; volunt animi negotia ita cum corporis accuratione componere, ut cum utroque pacem habeant, Deoque simul interea tranquille fruantur. Qui ita ingreditur, ait ipsa, gallinæ passu procedit, nec unquam veram spiritus libertatem assequetur. Secundo ait, plerosque eorum, qui conscientias regunt, immoderata hac in parte discretione laborare, ac per ipsos stare, quo minus incipientium plerique tam cito ad perfectionis culmen evadant, dum illis nimium parcunt; nunquam enim divinæ gratiæ nobis deesse subsidium. Tertio monet, ne in hoc negotio nobis a dæmone patiamur illudi; illum enim ubi meticulosos nos esse advertit, continuo accurrere, timoremque augere, ne minima quæque sanitatem lædant, brevique tumulo inferant. Ubi ego, inquit illa, has dæmonis artes, fraudemque deprehendi, meque perdendæ sanitatis et quietis metu velle perturbare; ejus machinas hac responsione disjeci: Parum interest, dixi, si sanitate excidam, quia parum etiam refert, si brevi e vivis decedam; quod attinet ad quietem, illa non egeo, cum cruces dumtaxat ambiam, easque sectari proponam; docuit me tum ac deinceps experientia, ubi sanitatis et corporis curam abjeci, me meliori, quam antea, valetudine frui. Apud Pennequin, p. III, c. VI.

DUBIUM XXVIII.

De Morbo desiderando.

Legerat aliquando Philothea, viros sanctos sibi, et aliis morbos optasse, et a Deo petiisse; quod quia contra ordinatam sui et aliorum charitatem fieri putet, merito dubitat, an licitum sit?

Solutio.

Respondet Asceta, morbum duobus modis considerari posse ; uno, ut est sanitatis privatio ; altero, ut est palæstra virtutis, qua et animus coronas sibi et Deo gloriæ augmentum elaborat. Ac primo quidem modo nullas habet excitando desiderio illecebras, cum sanitatis bonum destruat, et corporis animique functionibus tam publicis, quam privatis non parum incommodet, dominamque, ut ancillæ famuletur, quibusdam quasi compedibus astringat, aliisque quorum cura indigemus impedimentum adferat; cumque Christus, ejusque Mater Maria omni morbo caruerint, id indicio est, in illis nihil per se boni delitescere. Hæc tamen non obstant, si morbi aliis nominibus et titulis honestentur, quin expeti possint et rogari : v. g. ut carni ferocienti, aut per vitia palabundæ frenum injiciatur ; ut homini cum detrimento salutis negotiorum multitudine occupato, detur aliqua vacandi sibi occasio, ut virtutum plurimarum suppeditetur materies, ut malum aliquod impendens avertatur, ut prudentia peccatorum debitis fiat satis; quæ fere omnia paucis hisce verbis complexus est Angelicus Doctor, dum rationem adfert, cur Divina providentia pœnas a peccato Adami in posteros derivatas, in diversis diversas repartiri voluerit, inter cætera inquit : « Propter remedium salutis ejus, qui hujusmodi pœnalitatibus subditur, ut scilicet per hoc a peccatis arceatur, aut etiam de virtutibus non superbiat, et per patientiam coronetur. » P. II, q. XVI, a. 1 ad 4.

Quo in genere omni admiratione dignum esse judico (quod etiam suo calculo cœleste Numen approbasse videtur) facinus B. Joachimi Senensis, ex Ordine Servitarum. Consolabatur hic ægrotum in nosocomio epilepsia laborantem ; qui mali acerbitate abreptus : O Pater, inquit, facile est, cum sani sumus, alios ad patientiam adhortari; si paribus mecum doloribus agitareris, aliter loquereris. Hic insolito charitatis æstu concitatus B. Joachimus : Quid ais, inquit, mi frater? Ego te hoc tuo morbo tam beatum existimo, ut Deum ex intimo corde deprecer ut te liberet, illumque in me transferat. Utrobique exauditus fuit ; nam et æger continuo sanus lectulo exiliit, et vir sanctus se epilepsia contactum sensit, quam ad mortem usque magno animo, Deo gratias agens, pertulit, hoc velut charitatis suæ præmio donatus, ut feria sexta in Parasceve, cum in Evangelio legeretur de Christo : « Et inclinato capite tradidit spiritum, » ipse etiam animam efflarit. Ut tamen caute in hoc negotio procedatur, prudenter monet, observandum S. Borgiæ factum, quod sic narrat P. Petrus Pennequin : Rogabat Beatum Borgiam socius ejus, et itinerum comes P. Bustamantius, id sibi a Deo impetraret, quod potissimum pro se Franciscus efflagitabat. Annuit hic, et ut votis Bustamantii Deus annueret, prostratus rogat, et obtinet. Ecce ibi dolor capitis Bustamantium occupat, vehementer exagitat : Hæc scilicet erant B. Borgiæ vota, ad has cruces totis medullis aspirabat, cœlumque, ut sibi illæ concederentur, crebris precibus pulsabat; sed non erat ea mens Bustamantii, qui continuo temeritatis culpam agnovit, pares animi cum gigante vires non esse confessus est, Franciscumque rogavit, ut quem evocarat, dolorem expelleret. Subrisit Pater hominemque solatus, iterato Deo supplicans, malum omne est amolitus.

DUBIUM XXIX.

De liberatione a Morbo petenda.

Ægrotabat aliquando Philothea, et cum graves dolores sentiret, Cœlites assiduis precibus fatigabat, ut liberationem a morbo inpetrarent ; sed cum nihil impetrasset, dubitat, an non per similes preces Deum, Cœlitesque offendit? cui

Solutio.

Respondet Asceta, negari non posse, supplicationes isto tempore Deo esse acceptissimas, hominesque generoso et patiendi avidos, ad preces ingeminandas etiam isto tempore ab amore sancto incitari, non ut morbo liberentur, sed ut gratiam impetrent, qua ad Dei gloriam bene utantur, divinæque providentiæ placita adorent, dicantque cum Propheta : « Benedicam Dominum in omni tempore. » Si amici pro ejus incolumitate preces fundant; si novemdialia vota multiplicent, et pro restituenda sanitate sacrifia et eleemosynas offerant, ille in interiori et recondito animi sacrario ea omnia

ad ejus gloriæ amplificationem divinæque voluntatis beneplacitum tranquille et humiliter repræsentat; non quod honestum non sit, Deoque gratum, sanitatem ad Dei obsequium, animoque ad divina placita excipienda comparato instanter flagitare; verum divinus amor ad altiora semper volatum intendit, et ab omni eo, quod quomodocumque amori proprio blanditur, quam maxime potest, recedit, mavultque in Dei beneplacito se quodammodo omnium commodorum oblitus perdere, quam vel tantillum naturæ propensioni deservire. Qua in re suam opinionem S. Franciscus Salesius sincere aperuit. Cum enim gravi capitis dolore laboraret nonnemo, et se ad muneris sui functiones parum habilem persentisceret, Deum rogavit, malo ut levaretur; mordente deinde animum conscientia, an non id postulando a perfectionis semita deflexisset, dubitare cœpit, et hac de re ad B. Franciscum Salesium scribere, qui in hunc modum respondit : Supplicatio, quam pro dolore capitis amoliendo Deo fecisti, non est ex prohibitis ; sed tamen, mi Deus! non possem ad tale quid postulandum animum meum inducere. Innuens amoris sancti præscripta aliquid perfectius exigere, quod ipse morbi sui tempore constanter fecit, hæc ore sæpe ingeminans : Novit Deus, quid mihi utilius sit. Dominus est, quod in oculis suis placitum est, faciat. O Deus! tua, non mea fiat voluntas. Ita, Pater cœlestis, ita volo, quando tibi ita collibitum est. Ita, Domine, ita apud me firmiter constitui, ut lex tua et voluntas tua impressa, insculptaque regnet in medio cordis mei. Addebat insuper morbos diuturnos palæstram esse, scholamque misericordiæ illis, qui ægrotis assistunt, et patientiæ his, qui cum doloribus conflictan ur. Illos Beatam Virginem et S. Joannem adstantes cruci imitari; hos vero Christum cruci affixum cum cruciatibus colluctantem, a qua cum refigi et deponi non rogarit, qui exemplo ejus perfecte vult insistere, morbi levamentum, aut remissionem petere non debere. His tamen non obstantibus puto, ait Asceta, etiam aliquando ab amore sancto injici quibusdam viris, qui nihil aliud respirant, quam Dei gloriam, mentem petendæ sanitatis, uti a Bernardo factum legimus. Laborabat ille morbo gravissimo, quem peracuti, et propemodum intolerabiles capitis dolores comitabantur. Jussit unum ex monachis adstantibus ire ad templum, et Deum pro restituenda sanitate deprecari; cumque alter se excusaret, diceretque se indignum, qui alicui incolumitatem impetraret, jussit ire in virtute obedientiæ, ivit, et ante tres aras, unam B. Virgini, alteram S. Laurentio, tertiam S. Benedicto consecratas prostratus preces fudit, qui continuo tres simul ore sereno se Bernardo videndos dederunt, et partes magis affectas tangendo, confestim illum persanarunt. Credo S. Bernardum in hoc facto solam Dei gloriam spectasse, et non tam sibi, quam alterius profectui preces imperando, cum magna animi tranquillitate, studuisse.

DUBIUM XXX.

De Mediis in Morbo adhibendis.

In eodem morbo adhuc constituta Philothea, dubitat in primis, an medici opem, salva perfectione, implorare possit; deinde cum amaras et pretiosas præscripsisset, an eidem medico obedire teneatur. Ad quod utrumque dubium

Solutio.

Respondet Asceta, se nullam videre obligationem in utroque casu, nisi in gravi mortis periculo. Hinc Sanctus Bernardus dubiis quibusdam hanc materiam spectantibus a Monachis S. Anastasii propositis respondet, scire se locum, in quo degerent, insalubrem esse, eorumque non paucos variis inde morbis tentari, ideoque meminissent ejus, qui dixit : « Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut habitet in me virtus Christi.» Compati se ægritudinibus corporis, sed animorum morbos magi pertimescendos; quapropter neque pro bono monasterii, neque pro animæ salute expedire, ut pharmacis et medimentis utantur. Permitti quidem posse, ut vilibus herbis, sicut pauperes decet, interdum utantur : « At vero, inquit, quærere medicos, accipere potiones, Religioni indecens est, et contrarium puritati, maximeque Ordinis nostri. Hæc omnia enim gentes inquirunt ; scimus autem, quia in carne qui vivunt, Deo placere non possunt. Spiritualia proinde spiritualibus comparanda, et quærenda potio humilitatis, et clamandum in toto corde : Sana animam, Domine, quia peccavi tibi. Huic sanitati, Fratres dilectissimi,

operam date, hanc sectamini, hanc servate, quia vana salus hominum. » Et hanc sententiam se Dei lumine hausisse audacter pronuntiat. Ait enim : « Credo autem ego, quod Spiritum Dei habeam, et consilium Dei in hoc. » Sed et Sanctorum exempla id confirmant. Nam Sanctam Agatham nobilissimam Martyrem Apostolo Petro ad ejus sananda vulnera accedenti dixisse lego : Medicinam carnalem corpori meo numquam adhibui, et vero etiam tum proposuerat nullam admittere. Ad Sancti Pachomii Monasterium nec medicis, nec eorum medicamentis patebat ingressus, quin imo venerabilem senem, et magnæ virtutis virum Zacchæum nomine reprehendit ipse Pacchomius, quod sanandis manuum scissuris a palmarum foliis, quibus nattas conficiebant, provenientibus oleum adhibuisset. Centum et triginta Moniales in S. Euphrasiæ Cœnobio eumdem rigorem servabant, Palæmon, Pacchomi frater, quod aliorum precibus inductus stomacho debilitato refocillando aliquod præter consuetum sumpsisset, continuo velut Instituti anachoretici violator nimiæ erga se remissionis ac indulgentiæ a Deo veniam petiit. Verum etsi hæc apud viros illos sanctissimos et severissimos ita se habeant, ait tamen Asceta, ab amoris perfecti præscriptionibus illum non recedere, qui, dum morbus præter solitum aggreditur, medicum accersit, et Dei spiritum velut monentem audit : *Honora Medicum propter necessitatem.* Hoc e sacris paginis depromptum consilium secutus sanctus Joannes Chrysostomus Olympiadem morbis et tristitia oppressam ad medicorum quærenda subsidia amandat : « Quamobrem, inquit, hortor, ut varios pre iososque medicos adhibeas, et iis medicamentis utaris, quæ hujusmodi morbos expellere queant. » Hanc orbitam omnes fere Sanctos (si paucos illos, quos supra nominavi, cum quibusdam aliis, excipias) communiter tenuisse reperies, quam etiam Sanctus Bernardus aliorum jussu insistere coactus est, dum a Capitulo Generali Claræ vallis habito, Episcopo cuidam ejus perstudioso obedientiæ commissus, atque concreditus (qui ad eum persuadendum miro desiderio ferebatur) atque ab hoc rusticani cujusdam medici disciplinæ et curationi traditus, annum integrum medicinaliter vivere et potionibus remediisque ab illo præscriptis uti jussus est magno fastidio, nullo emolumento. Beatus Franciscus Salesius nostris temporibus, cum ex morbo decumberet, rogareturque, an hoc, vel illud expeteret, an libenter venæ sectionem, aut scarificationem admitteret, nihil aliud respondebat, quam facite de me, quod lubet, quandoquidem me Deus in vestra medicorumque potestate posuerit.

DUBIUM XXXI.

De Obedientia Medico præstanda.

Accidit, ut Philotheæ medicus etiam jejuniis et Horarum Canonicarum recitatione interdiceret, e contrario vero carnium, aliorumque ciborum in diebus abstinentiæ vel jejunii vetitorum usum præciperet; quod ipsi quia difficillimum videbatur, dubitat, an eidem obedire teneatur?

Solutio.

Respondet Asceta, varias fuisse hac in re Sanctorum praxes. S. Ignatius Loyola a medico non adeo experto contra morbi rationem se tractari permisit, præ nimio æstu ad extrema redactus, cum morbus frigidioris auræ aspirationem, secundum medici peritioris, qui evocatus fuerat, judicium reposceret. Idem vero ultimis magni jejunii diebus ad medici præscriptum carnem in cibum admisit, ad tam cæcam obedientiam medico attonito. Legimus sanctum Abbatem ad carnes edendas die vetito ex regulis Cœnobii Novitium ægrotum mandato et exemplo suo induxisse, idque Deum acceptum habuisse, et dæmonis ex energumenæ corpusculo ejectione testatum esse. Opposita via incessere Sanctorum aliqui non minori sanctimonia illustres. S. Franciscus de Paula, etsi Fratrum suorum precibus fatigatus, induci numquam potuit, ut morbi tempore aliis, quam cibis quadragesimalibus, vesceretur, etsi aliis, dum ægrotarent, oppositum imperarct. Cum S. Justiniano Patriarchæ, ut carnibus æger uteretur, exemplo viri sancti persuadere vellent, respondit : Unusquisque in suo sensu abundet, de cætero malle se antiquorum rigidis abstinentiis atque vestigiis insistere. S. Nicolaum Tolentinatem ex gravi decumbentem morbo ad carnium esum sollicitabant adstantes; abnuit ille constantissime, et cum nihilominus ad ejus conspectum allatæ essent : Amovete,

inquit,istas illecebras,quas tam sæpe corpori meo admodum similia concupiscenti hucusque denegavi. Cum tamen Ordinis Generalis Prior superveniens in virtute obedientiæ mandasset, ut aliquid acciperet, bolum dumtaxat sumpsit, et continuo sanitati est restitutus. Videbuntur fortassis alicui hæc inter se pugnare, et horum in recusando constantiam, aliorum in admittendo facilitatem condemnare; sed longe aliter se res habet; utrumque in eumdem divini beneplaciti scopum collimat, et alii abstinentia, alii vero humilitate et propriæ voluntatis abdicatione eo nituntur. Si quæris ex me, quos imitari debeas, suadeo obedientiæ ductum sequaris. Non ad eam tu cum Francisco de Paula, Justiniano, et Nicolao virtutis præstantiam, et cum Deo familiaritatem provectus es, ut, quid a te hic et nunc exigat Deus, perfecte cognoscas, aliorumque sententiis, et monitionibus tuum ipse judicium anteponas, te potius ad infantilem infantiam redactum existima, qui alieno regi debeas arbitrio, præsertim ubi ad illud medicorum consensus accedit.

DUBIUM XXXII.

De Ciborum Electione in morbo.

Experta erat Philothea sibi aliquas medicinas ab alio tempore adhibitas perquam salutares fuisse, sed ciborum fere omnium, præter unum alterumve, nauseam se habere; dubitat proin, an contra perfectionem sit actura, si tales medicinas aut cibos ipsa suggerat, petatque?

Solutio.

Respondet Asceta, non improbare hoc divinum amorem, si cum perfecta animi submissione id facias. S. Chrysostomum in exilio stomachi doloribus laborantem ab Olympiade medicamentum, quod alias utile expertus fuerat, per litteras postulasse legimus : « Des operam, inquit, ut idem rursum medicamentum ad nos mittatur. Pennequin, p. 3, c. viii, n. 24.

S. Franciscus Assisias, abstinentiæ prodigium, morbo conflictatus, ad nobilem matronam Romanam Jacobam de Septifoliis litteras dedit, ut veniret, si videre se vellet in vivis, additque : « Portes eum pannum, et cilicium, in quo corpus meum involvas, et ceram pro sepultura ; rogo etiam, quod portes de illis comestionibus, quas mihi consuevisti dare, quando infirmabar Romæ. » Erat autem ex saccharo et amygdalis, aliisque similibus confectum edulium. En duos viros sanctimoniæ laude facile principes, qui morborum solatiola emendicant, cælo votis illorum suffragante. Antequam enim Francisci litteræ Matronæ isti redderentur, illa nocte ab Angelo monita, ut cito pergeret ad S. Virum, nec quidquam eorum, quæ petebantur, prætermitteret. Nec est, quod suspicari quis audeat, eos ad similia postulanda ex animi mollitie descendisse. Nimis amabat Chrysostomus corporis cruciamenta, quæ Imperatorum coronis præferebat. Nimis S. Franciscus, cui gravius solito laboranti cum Frater assistens diceret : Ora Dominum, ut mitius tecum agat, manum enim suam super te plus solito gravare videtur. Continuo ad illum cum clamore conversus : Nisi, inquit, noscerem in te simplicem puritatem, tuum ex nunc abhorrerem consortium. Et in terram prostratus exhausto corpusculo eam deosculans, ait : Gratias tibi, Domine, ago, pro his omnibus doloribus meis, et rogo ut centuplum, si tibi placuerit, adjicias, quia hoc erit mihi acceptissimum, ut affligens me dolore non parcas. Poteris igitur et tu, tantorum virorum imitatione, ea, quæ ad mortis levamentum facere videbuntur, modeste postulare, et, si negentur, placide acquiescere; si vero repulsam ægre feras, si animum exulceratum querelis ostendas, si similia aliis procurari, te vero negligi declamites, scias te ab amoris perfecti legibus longe aberrantem, ad amoris proprii sordida declinamenta prolapsum esse, misereque deludi; tecumque melius omnia processura, si hoc S. Bonaventuræ monitum dictum tibi existimes : « Indulgentiæ proprio judicio non sunt admittendæ, non tamen sunt recusandæ alieno, a se ipso in se ipsum rigida debet esse censura. » Legimus Deum etiam præter naturæ cursum favisse ægrorum desideriis. P. Petro Canisio submisit per fenestram aviculam, quæ illi in edulium pararetur; ad S. Goaris intercessionem Abbati ægroto lucium piscem; alteri media hyeme ex arbore gelu perusta cerasa rubentia; Card. Bellarmino post ingentem ab igne fortuito arborum devastationem, et nominatim ficulnea, natas ex ea repente fi-

cus pulcherrimas. Quis hanc Dei indulgentiam recusandam judicat? Quæ si Deo miracula faciente admittenda videantur, cur non etiam Prælato imperanti? Ægrotabat Clarevallis Gulielmus, ex disciplina S. Bernardi ad aliud pedum assumptus, qui ex occasione Clarevallem diverterat. Cumque jam utcumque morbo se remittente convalesceret, voluit abstinere a carnibus, et communem Ordinis rigorem ; sequi obsistebat Bernardus, monebatque ut differret ad aliquot dies et dispensationis beneficio frueretur ; sed frustra, pertinaciam æger constantiæ velo obductam Sancti monitis opposuit; separantur ambo, et alter ad Completorium, ad lectulum alter secedit. Et ecce continuo febris hominem, ut satelles Numinis invadit et tam crudeliter exercet, ut se a morte propius adesse crederet, optaretque cito dilucescere, ut S. Bernardum evocare posset, et contumaciæ suæ veniam petere; qui ubi venit, hominem severius solito intuitus : Quid tandem, ait, hodie comedes? Heu! inquit æger, quidquid præceperis. Bene, inquit, Bernardus, quiesce modo, non morieris. Et continuo febris abscessit, suo nimirum perfuncta officio, quæ ut hominis pervicaciam castigaret, a Deo immissa fuerat. Non tam benigne cum altero æque contumaci egit divina Majestas, qui Prælato carnium esum præcipienti morem gerere noluerat ; is enim paulo post tam ardenti et præpostera carnium appetitione insanit, ut e valetudinario furtim se surripiens ad instar lupi, cadaveri dentes infigeret, ut inde carnium frusta convelleret.

DUBIUM XXXIII.

De Bona Voluntate.

Audierat sæpe Philothea, voluntatem a Deo pro opere computari, quod sibi persuadere non poterat, cum legerit quondam inferorum ergastulum plenum esse bonarum voluntatum. Ad quod dubium

Solutio.

Respondet Asceta, dictum hoc de inferno inscite et insulse prolatum esse; quomodo enim locus omnium malorum et scelerum colluvione refertus, tantum bonum, quantum est voluntas bona, sinu suo complecti potest? Distinguenda igitur est vera voluntas a fucata, ut sic loquar, velleitate, quam homo tum habere dicitur, cum loquitur secum hoc modo : Vellem quidem hoc agere, vellem ab hoc me abstinere, sed quia difficultas magna pervincenda est, nihil hac in parte aggredi volo, sed omnia potius intentata relinquere. Altera vero, quæ voluntatis nomen meretur, non ita se habet; sed dum illa hominem sollicitat, ita secum ille ratiocinatur : Volo id agere, volo id declinare ; sed quia plus voluntatis habeo, quam facultatis, idcirco doleo, quod pro voluntate nec illud exequi, nec hoc possim effugere. Prior inferos replet, non hæc posterior, de qua S. Augustinus hoc habet elogium : « Quidquid vis, et non potes, Deus factum computat. » *In Ps.* LVII.

Vidit aliquando animam ad supremi Judicis tribunal adductam magna trepidatione sententiæ fulmen expectantem S. Brigitta, pro qua intercedebat apud Deum S. Jacobus, quem femina illa degens in corpore pie coluerat, dicebatque : « O Domine, miserere, quia voluit, et non potuit, quia infirmitas obfuit, viriumque defectus, quo minus, quod habebat in votis, exequeretur. » Tum Judex ad animam conversus : Vade, inquit, fides tua et voluntas bona te salvant. Quo audito illa lætitia exiliens ad instar fulgentis stellæ abiit, Angelique adstantes, Deo laudis Canticum insonuere dicentes : « Benedictus sis, Domine Deus, qui es, qui eras, erisque semper, quia misericordiam tuam non aufers ab iis, qui sperant in te. » Verum hic prudenter discutiendum est, an vere virium defectus et imbecillitas ab operis aggressione et executione impediat; an non potius abjectio quædam animi, et torpor atque segnities, laborisque fuga nos remoretur. Adiit aliquando B. Annam de S. Bartholomæo sanctimonialis precum subsidium ab illa efflagitans, ut difficultatem aliquam pervinceret, asserens sibi ad id vires non suppetere; dum acquiescens ejus desiderio B. Anna Deo illa supplicat, ecce Deum audit respondentem, alteram illam mentiri, vires illi non deesse, sed voluntatem et conatum. Nec dubitem, quid simile multis accidere, quos cum ad aliquid pro gloria Dei difficilius capessendum hortaris, respondent, se non posse, vires tantæ rei pares sibi non esse, hoc est : Nolo cum tantis, quas prævideo in isto, ad quod me hortaris, difficultatibus col-

luctari, malo pacem, quam bellum; et tantillum perfectionis tanti non emo.

DUBIUM XXXIV.

De Pietate.

Legerat aliquando Philothea ex S. Paulo pietatem ad omnia utilem esse; quia tamen eamdem varie explicari intellexerat ab Ascetis et Interpretibus, dubitat quid proprie per eamdem intelligere debeat.

Solutio.

Respondet Asceta, tres communiter species pietatis assignari. Prima, quæ *innata* dicitur, sive affectio quædam ab Auctore naturæ omnibus indita ad aliis benefaciendum. Secunda *acquisita*, juxta regulas rectæ rationis animæ inducta, qua eos, qui causæ nostri ortus atque educationis extiterunt, præ cæteris commendamus. Tertia et veræ pietatis species, qua Deo obsequium præstamus, omnemque venerationem et reverentiam exhibemus, et hæc omnium excellentissima est; quam ut intelligamus, sciendum est, multis nos orationibus, ac motivis teneri obsequium, venerationem, observantiam, et cultum Deo optimo maximo exhibere. Primo, ut *Majori*; est namque id virtuti huic proprium munus, majoribus nos reddere obsequentes. Secundo, ut *Domino*, cujus sunt omnia, quæ habemus, atque hoc directe ad justitiam spectat. Tertio, ut *summo Benefactori*, et bonorum omnium Largitori. Quarto, ut rerum omnium *Conditori*, ac principio nostro, cui propterea supremum cultum debemus ex virtute Religionis. Quinto, ut *Patri*, qui nos per gratiam suam in filios adoptavit, atque ita omnem a nobis cultum promeritus, et honorem; quo respexit Apostolus, ad Titum scribens, his verbis: « Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem, id est, peccati lethalis statum, et gratiam justificationis adepti, sobrie, juste et pie vivamus in hoc sæculo.

Pietas in Religione proprie, maximeque consistit, de qua vera sapientia, veraque felicitas et beatitudo, id est summum hominis bonum resultat, juxta Ecclesiastem: « Deum time, et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo; » siquidem vera pietas, seu Religio, vera fide, spe et charitate constat, quemadmodum eleganter ostendit S. Aug. in *Enchirid.* ubi inter cætera sic scribit: « Hominis sapientia pietas est, habes hoc in libro S. Job; nam ibi legitur, quod ipsa Sapientia dixerit homini, ecce pietas ipsa est Sapientia. Si autem quæras, quam dixerit eo loco pietatem, distinctius in græco reperies Θεοσβείαν, quæ est Dei cultus. » Cap. I.

Et hic primus Christianæ pietatis est gradus, quo Gentium Doctor Paulus ad Timotheum respexit, inquiens: « Exerce te ipsum ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est; Pietas autem ad omnia utilis. » Ad Tim. IV, 8.

Quam S. Aug. definit in hunc modum: « Pietas est verax veri Dei cultus, unde omnia recte vivendi officia duci oportet. Atque hæc ea est, docente Apostolo, innuente Bernardo. » S. Aug. *ad Macedon.*

DUBIUM XXXV.

De Habitatione Animæ.

Audierat aliquando Philothea celebre illud axioma allegari: « Anima magis est ubi amat, quam ubi animat; » sed cum sensum et rationem illius non satis assequeretur, eumdem sibi explicari cupit, cui

Solutio.

Respondet Asceta cum S. Alberto M. dicens: « Trahit amor amantem se, et collocat eum in amato, faciens intimissime adhærere. Plus enim est anima ubi amat, quam ubi animat; quia sic est in amato, secundum propriam naturam, rationem, et voluntatem; sed in eo quod animat, tantum est secundum quod est forma, quod etiam brutis convenit. Ex quo quis recte concluserit arctiorem inter amantes, quam corpus inter et animam, unionem reperiri. Ecce igitur, quam bonum et quam jucundum, habitare Fratres in unum. » S. Alb. M. lib. *de Deo ad hom.* c. XII.

Quæ divinus Doctor Augustinus Religiosis exponens ait: « Qui sic vivunt in unum, ut unum hominem faciant, ut sit illis verum, quod scriptum est, una anima et unum cor. Multa quidem corpora, sed non multæ

animæ ; multa corpora, sed non multa corda. Ut nescio, quo nominis homine illud Anagramma : *Jonathas et David*, HODIE UNITAS DATA est, verissimum hic comprobetur.

EBRIETAS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. Ebrietas est excessus in potu voluptatis causa, donec rationis usus adimatur. Vel, ut alii volunt, est privatio usus rationis ex immoderato usu rei potabilis ad tempus facta. Dicitur ab *e*, id est, *sine*, et *briam*, quod mensuram significat, ita ut ebrius idem ac *extra briam* significet, uti S. Thomas notat. LAYM. l. III, ser. IV.

DIVISIO. Dividitur a S. Th. et aliis in ebrietatem pro ipsa rationis privatione sumptam, et in ebrietatem pro actu potandi causativo prædictæ privationis acceptam.

Alii in *materialem* et *formalem* dividunt ; illam vocant, quando alia de causa, quam voluptatis gratia potus inebrians sumitur ; istam, quando propter solam voluptatem se quis per potum inebriat. Alii denique in *plenam* et *plenissimam* dividunt, quarum prior rationis dumtaxat, posterior vero etiam exteriorum sensuum usum magna ex parte tollit.

ACTUS. « Tantum bibendo excedere, ut ratio quidem non omnino tollatur, sed tamen perturbetur ; » quæ *crapula* vocatur, de qua S. Aug. locutus est dicens : Ebrietas longe est a me, misereberis, ne appropinquet mihi; crapula autem nonnumquam subrepsit servo tuo. S. AUG. X. *Conf.* c. XXXI.

« Bibere usque ad rationis privationem : » qui excessus a modernis scriptoribus etiam *temulentia* vocatur, quæ rationem penitus labefactet ac tentet. P. GOB. *de Acc. Can.* c. V, n. 9.

« Etiam usque ad privationem externorum sensuum bibere ; » quæ *perfectissima ebrietas* merito vocatur. Ib. c. XXI. n. 14.

SIGNA EBRIETATIS. Primum signum est, si quis postridie non meminerit, quid dixerit, aut egerit ; nam, cum ratio etiam vim reflectendi se super actus, saltem potiores, habeat, recte colligitur, hac vi ablata, rationis usum non adfuisse. LESS. l. IV, c. III, n. 30.

Secundum, si commisit, quæ alias committere non solet; nam ejusmodi actus merito ex sopita ratione provenisse præsumuntur. Idem l. c.

Tertium est, si inter bonum malumque non amplius discernere queat. Idem l. c.

Quartum, si non tantum pedes vacillent, et domus everti videantur, sed etiam lingua balbutiat, et objecta duplicia appareant. P. GOB. *loc. cit.* XXXI, n. 7.

EX S. SCRIPTURA.

FUGA. Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ ; et superveniat in vos repentina dies illa. LUC. XXI, 34.

Expergiscimini ebrii, et flete, et ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine ; quoniam periit ab ore vestro. JOEL. I, 5.

Noli Regibus, Lamuel, noli Regibus dare vinum, quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas, ne forte bibant et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis. PROV. XXXI, 4.

Neque fornicarii, neque adulteri etc. neque ebriosi Regnum Dei possidebunt. I COR. VI, 9.

Sacerdos et Propheta nescierunt, præ ebrietate absorpti sunt a vino; erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium. ISAIAS, XXVIII, 7.

Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor. OSEE, IV, 11.

Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguent sensatos. ECCL. XIX, 2.

Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas ; quicumque his delectatur, non erit sapiens. PROV. XX, 20.

Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed replemini Spiritu Sancto. EPH. V, 28.

Ne intuearis vinum, quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus ; ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. PROV. XIII, 31.

Cui væ ? Cujus patri væ ? Cui rixæ ? Cui foveæ ? Cui sine causa vulnera ? Cui suffusio oculorum ? Nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? PROV. XXIII, 29.

Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum adferunt ; quia vacantes potibus et symbola dantes consumentur et vestietur pannis dormitatio. Ib. 20.

Operarius ebriosus non locupletabitur ; et qui spernit modica, paulatim decidet. Eccl. XXXIX, 1.

Qui suavis est in vini devorationibus, in suis munitionibus relinquit contumeliam. Prov. VII, 11.

Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem ! Isaias V, 2.

Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum, et inebrians, ut aspicias nuditatem ejus ! Habac. XV.

Propter crapulam multi obierunt ; qui autem abstinens est, adjiciet vitam. Eccl. XXXVII, 34.

Qui diligit epulas, in egestate erit ; qui amat vinum et pinguia, non ditabitur. Prov. XXI, 37.

Mulier ebriosa via magna ; et contumelia, et turpitudo ejus non tegetur. Eccl. XXVI, 11.

Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret. I Petr. VIII.

In calore eorum ponam potus eorum, et inebriabo eos, ut sopiantur, et dormiant somnum sempiternum, et non consurgant, dicit Dominus. Jer. LI, 39.

Diligentes in vino noli provocare ; multos enim exterminavit vinum. Eccl. XXXI, 30.

Amaritudo animæ vinum multum potatum. Ib. 39.

Ebrietatis animositas imprudentis offensio, minorans virtutem, et faciens vulnera. Ib. 40.

Vinum multum irritationem et iram et ruinas multas facit. Ib. 38.

Vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui. Amos. II, 8.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. Quid autem obtestationes potentium loquar? Quid memorem Sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt, pro salute Imperatorum, et qui non biberit, sit reus in devotione ; videtur enim non amare Imperatorem, qui pro ejus salute non biberit. O piæ devotionis obsequium ! O stultitia hominum, qui ebrietatem sacrificium putant, qui æstimant illos ebrietate placere, qui jejuniis passiones sustinere didicerunt ! S. Ambr. l. *de Elia et jejun.*

Omnes ebriosi tales sunt, quales paludes esse videntur. Nascuntur in illis sanguisugæ, ranæ, et diversa genera vermium, qui magis horrorem possunt generare, quam aliquid, quod ad victum proficiat, exhibere. S. Aug. s. CCXXXI.

Omnes qui ebrietatem sectantur, Filii Belial vocantur ; quia venter mero æstuans facile despumat in libidinem. S. Hier. in *Reg. Mun.*

Quis currus equorum indomitorum ita præceps fertur dominum suum excutiens ; quod navigium ita gubernatore destitutum, ita fluctibus exagitatum et concussum, quod non sit securius ebrio? S. Basil. hom. *de Ebriet.*

Fuga. Illud ante omnia rogo, et per tremendum diem judicii vos adjuro, ut illam fœdam consuetudinem, per quam grandi mensura sine mensura tres homines, aut volentes aut inviti, solebant bibere, tamquam venenum diaboli de vestris conviviis respuatis. S. Aug. s. CXXXI *de Temp.*

Damnum. Per hanc natura corrumpitur, libidinis nutriuntur incendia, subvertitur ratio, scelera panduntur, homicidia fiunt, proferuntur stultiloquia, detractiones et verba scurrilia, hebetatur mens, maturitas relaxatur, lætitia inepta dissolvit, immunditia polluit. S. Laur. Justin *de Spirit. anim. interitu* l. I.

Omne bonum spirituale dissipant ebriosi, quia ebrietas est mors omnium virtutum et morum. Ebrietate fit jactura omnium bonorum. Si habeat homo humilitatem, mansuetudinem, prudentiam, et cætera hujusmodi, omnia projicit in pelagus iniquitatis ; sicut et ebriosi sæpe vestibus suis materialibus spoliantur, sic eorum animæ virtutibus denudantur. Bellovac. *Spec. moral.* l. III, p. VIII, dist. II.

Quæ est hominis structura adeo firma, quæ tantis ebrietatis malis resistat ? Quis umquam madidum semper, et innatans vino corpus conservavit, ut non exile, dissolutum, et omnibus obnoxium morbis existat ? S. Basil, ap. Mansi, disc. XIX, n. 3.

Mel est, quod ascendit in labia ; fel est, quod descendit in viscera.

An non videtis quotidie ex sumptuosis mensis, et immodica ingluvie, infinita morborum genera induci ? Unde podagræ ? Unde capitis dolores ? Unde corruptorum humorum abundantia ? Unde innumeri alii morbi? Nonne ab intemperantia et largiore vini ingurgitatione, quam oportet ? S. Laur. Just. c. XI *de Humil.*

Ebrietas spontaneus est furor, perditio cogitationum, ridicula calamitas, morbus sanis expositus, voluntarius dæmon, et ipsa molestior insania. S. Chrys. hom. x, *in Gen.*

Dæmoniaco ebrius est deterior; miseremur ejus, qui a dæmonio vexatur; hunc odio prosequimur; illi enim injuria, huic negligentia est morbus. Nec aliter affectus est ebrius, quam dæmoniacus; pariter circumagitur; pariter de statu mentis dejectus est; pariter concidit; pariter oculos contorquet; pariter jacens in terra pedes jactat, spumam ex ore projicit, et ita fœtentem salivam exhalat. Injucundus est talis amicis, ridiculus inimicis, contemptibilis servis, uxori ingratus, omnibus molestus, ipsis bestiis asperior. Bestiæ bibunt, dum sitiunt. Hic intemperantia cupiditatem transilit, et ratione carentibus a ratione alienior apparet. Verum illud multo intolerabilius est, quod morbus tot malis redundans, totque secum invehens calamitates, ne quidem crimen censetur, sed in divitum mensis hujus turpitudinis gratia pugna fit, atque certamen. Et videre est stadium, certamenque diabolicum. Ebrius mortuis miserior est; ille enim sensu destitutus est, nec ad bona nec ad mala potest excitari; hic vero ad mala exequenda promptus est, et anima in corpore, ceu in monumento defossa, mortuum corpus circumfert. Nemo, qui vino inebriatur, divinorum esse cupidus eloquiorum potest. Idem. *contra Ebrietatem.*

Ebrietas dæmon est voluntarius animis nostris inditus. Ebrietas malitiæ mater est, virtutis inimica, fortem virum reddit ignavum, ex temperante facit lascivum, justitiam ignorat, prudentiam extinguit; sicut enim aqua igni est adversa, ita vinum immodicum rationi, etc. Quid quæso sint ebrii aliud, quam Gentium idola? Oculos habent, et non vident. S. Basil. hom. xiv, *in Ebr.*

Ebrietas fomentum libidinis, incentivum insaniæ, ebrietas venenum insipientiæ. Hæc sensus hominum mutat, ac format; per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes etc. vocem amittunt, colore variantur, oculis ignescunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt, sensu excedunt. S. Ambr. in lib. *de Elia et jejun.*

Ubi ebrietas, ibi diabolus; ubi turpia verba, ubi saturitas, illic dæmones chorcas agunt. Talem habebat mensam dives Epulo, propterea ne quidem guttæ aquæ dominus fuit. S. Chrys. *ad popul. Antioch.*

Vinum et adolescentia duplex est incendium voluptatis. Quid oleum flammæ adjicimus? Quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus? S. Hier. ep. xxii, *ad Eust.*

Audite, ebrietas quid agat. Audite, quantum facinoris conciliet temulentia. Ebrietas decipit, quem Sodoma non decepit; uritur ille flammis mulierum, quem sulphurea flamma non ussit. Origen. *in Gen.*

Non Æthnei ignes, non Vulcanea tellus, non Vesevus et Olympus tantis ardoribus æstuant, ut juveniles medullæ vino plenæ, et dapibus inflammatæ. S. Hier. *ad Fur.*

Ebrietas mater litium, furoris generatrix, petulantiæ magistra; hanc qui habet, homo non est; hanc qui habet, peccatum non facit, sed est ipse peccatum; hæc enim est rabies voluntaria, invitatus hostis, illecebra honestatis, et pudoris injuria. Petrus Rav. in quod serm.

Quid infelicius ebrietatis dominatu? Ventri ultra capacitatem infundere, sensui rationem adimere, non loqui, non meminisse, non stare, et mortem quamdam naturæ incolumi imperare? S. Hilar. *in Ps.* cxxv.

Ebriosus cum absorbet vinum, absorbetur a vino, abominatur a Deo, despicitur ab Angelis, deridetur ab hominibus, destituitur a virtutibus, confunditur a dæmonibus, conculcatur a bestiis. S. Ambr. l. *de Pœn.*

Si posses animam hominis peccatis involutam oculis cernere, non dubitares, multo melius esse in sepulcro jacere vivum corpus, quam jacere animam in vivo corpore vino sepultam. S. Chrys. hom. xxviii, *in Matth.*

Ebrietas in alio crimen est, in Sacerdote Sacrilegium. S. Petrus Chrys. ap. Fab. c. vii, *in Dom. 2 post Epiph.*

Nullus tam gravem injuriam sanctis Angelis, vel sanctis hominibus, agnoscitur irrogare, quam qui in eorum nominibus bibendo per ebrietatem suas animas probantur occidere. S. Aug. s. ccxxxii, *de Temp.*

Primum ebrietatis malum est pudicitiæ periculum. Eccl. ii, 2.

Ebrietas cor mutare, et mentem alienare solet. Ambr. l. I, *de Virg.*

Ebrietas causa est servitutis. Greg. *sup.* I, *Regist.*

Ebrietas mater est scortationis. Ambr. *de Elia.*

Ebrietas tempestas est tam in animo, quam in corpore. Chrys. s. xxi, *super Epist. ad Rom.*

Ebrietas est flagitiorum omnium mater, culparumque materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, subversio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, amissio temporis, insania voluntaria, ignominiosus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela. Idem *ad pop. Antioch.* hom. xlvi.

EXEMPLA CATHOLICA.

Salomon de seipso confessus est : Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam. S. Aug. *ad Sacr. Virg.*

Anna, Samuelis mater, numquam bibit vinum. Idem sanctæ sorores Martha et Maria Magdalena, post Christi in cœlos reditum, fecerunt. Drex. *in Tob.* c. iv. § 2.

S. Gabriel Archangelus inter majora admirandæ sanctitatis S. Joannis Baptistæ indicia ponit, quod vinum, siceramve non sit bibiturus. Luc. i, 15.

S. Hieronymus testatur, Palæstinæ Monachos olim ne ægris quidem sibi vinum indulsisse. S. Hier. ep. xxii, *ad Eust.*

Quidam adolescens, cum a Principe quodam ad largius potandum urgeretur, respondit : Veniam peto, Clementissime Princeps. A bestia parum absum, vultne Clementia Sua totum me bestiam fieri ? Engelgr. conc. *in Dom.* 2, *post Epiph.* § 4. Ibid. in fin.

Alius quidam, cum ingens poculum in sanitatem alterius evacuandum ei offerretur, ingens frustum secalicei panis ei obtulit, dicens : Ede tu istud in meam sanitatem, et ego tunc poculum hoc in tuam sanitatem ebibam. S. Greg. in l. *contra Propin.*

Joannes, Comes a Schwarzemberg, præter varia opuscula, quæ ex Cicerone in linguam Germanicam transtulit, et alia, e quibus etiam quædam proprio Marte vulgavit, unus est, quem contra propinationes et propinatores edidit, quod vitium seu consuetudinem ipse vocavit *Das Haupt Laster des Zutrinckens*, et non tantum calamo ac verbis insectatus, et abolere conatus est, sed ipse etiam reipsa fugit ; et alios ad idem inducere laboravit. Fuit quidem, dum junior in aula Principis esset, temulentiæ et lusui deditus, ut pater ejus Sigismundus a Schwarzemberg, in Hohenlandsperg, eum a Rheno in Franconiam, domum, revocaret, serioque ei comminatus esset, nisi ab ea ingluvie desisteret, se velle illum exhæredare, ac potius bona sua lupanari relicturum, quam filio tam male morato. Quæ commonitio ita Joannem commovit ac emendavit, ut polliceretur, se plus annuatim æris non insumpturum, quam ipsi pater assignaret ; nec in diem unum plus quam florenum Rhenensem lusui impensurum ; popinationes autem omnes omnino prætermissurum. Id postea in omnem vitam diligenter ac perpetuo præstitit ; ac præsertim propinare nec ipse umquam exinde visus est, nec propinanti cuicumque respondere. Dicere solebat, malle se videre filios honesta morte ab hoste occisos, quam præ ebrietate sui ac pedum impotes ad se deferri. Hinc et ipsos et nepotes continuo sobrietatis admonebat.

Damnum. — S. Gregorius Turonensis de Presbytero quodam refert, cui nomen Binocus Brito erat. Hic, cum vir abstinentissimus esset, herbis vivebat silvestribus minime coctis, vinum vero cum tanta temperantia sumebat, ut magis putaretur libare osculo, quam haurire. Accidit autem, ut dum ex magna devotorum concurrentium multitudine, ut se ejus intercessionibus recommendarent, quidam eorum multa ei offerebat munera, et inter alia quoque vinum ; unde paulatim a cœpto pie vivendi modo declinavit. Didicit extra modum haurire, et in tantum dissolvi, ut plerumque ebrius cerneretur, unde factum est, ut invalescente temulentia, tempore præcedente a dæmone correptus vexaretur in tantum, ut accepto cultro (vel quodcumque teli genus, aut lapidem, aut fustem potuisset eripere) post homines insano furore discurreret. Unde necessum fuit, Presbyterum arreptitium vinculis et catenis constrictum in ejus cella coercere. S. Greg. Tur. lib. VIII *Histor. Francor.* xxxiv.

Quadam vice in Conventu Bononiensi S. Dominici Conversus quidam fuit a spiritu maligno possessus, cui cum Fratres indicassent S. Dominicum in Ecclesia orationi operam dare, illuc accurrit, cumque sanctus vir Dei dæmonem de sua præsumptione redarguisset, is se excusando respondit, Conversum hunc statum optime fuisse commeritum, eo quod pridiana die in civitate sine licentia vinum biberit, ac proinde in eodem potationis actu corpus ejus Dei permissione

ingressus fuerit. *Pratum floridum* l. II, c. LXXXVI.

Bellovacensis de artifice quodam refert, qui in certo quodam illorum Monachorum monasterio laborabat, cujus V. Beda, *de Gestis Angelorum*, mentionem facit. Hic igitur diebus festivis potius crapulis et ebrietatibus vacabat, quam ut operam suam divino cultui, et animæ saluti impenderet ; cum vero infirmatus morti proximus esset, pios Monasterii illius Religiosos ad se accersivit, iisque salutem suam desperatam esse dixit, addiditque, quod viderat infernum apertum, et Satanam in profundum mersum, cum Caipha et cæteris crucifixoribus Domini æterno incendio traditum, in quorum inferis viderat sibi locum deputatum. Cui cum dicti Religiosi cum ingenti spiritus fervore promitterent veniam, dummodo ipse pœnitens, veræ compunctionis actus in se excitaret, infirmus hac promissione spreta respondit, quod videbat instare judicium, nec esse sibi ultra spem salutis, et hæc dicens expiravit, sine Viatico, et aliis signis salutis. Unde ab aliis separatim sepultus fuit, nec quisquam pro anima ipsius Sacrificium Deo offerre præsumpsit. BELLOV. p. VIII, l. III, dist. III, *Spec. mor.*

Terribile factum quoddam a Martino Delrio, et ab aliis scriptoribus classicis refertur, videlicet quod in Comitatu Flandriæ in quodam Prioratu, ubi tres morabantur homines, de nulla alia re, quam de cibo, potu et fornicationibus cogitantes ; quorum unus vesperi finita mensa aliis dixit : Sat Baccho, libidinique datum. Deo gratias agamus ! Ubi alter respondit : Ego dæmoni gratias ago, et agendum censeo, cujus opus agimus. His dictis singuli lectum petierunt, singulas secum impudicas ducentes feminas, cumque vix se vestibus exuissent, comparuit dæmon, portam aperiens, et habitum venatoris aspectumque præseferens horribilem, cum duobus aliis minoris staturæ, qui coci esse videbantur, ingressus est, torvoque vultu quaquaversum aspiciens voce horribili exclamavit : Ubi est, qui mihi gratias egit ? Adsum, referam. Ad quæ verba temerarius exhorruit, et tantum non mortuus est. Dæmon vero illum e lecto extractum subito astantium cocorum consignavit manibus, ut eumdem veru infixum ad ignem ibidem accensum torrerent. Assatur infelix, inquit auctor, emoritur planissime ; alii autem cadaver hoc ad ipsorum exemplum tostum videntes, et fœtorem intolerabilem percipientes longe amplius inhorruerunt, quibus diabolus, priusquam discederet, inquit : Digni vos etiam estis pari supplicio, nec deest voluntas mihi ; vetor vi majori, invitus abeo, et moneo, resipiscite, aut manent terribiliora. MART. DELRIO. l. III, *de Magic.* p. 1, q.

Citatus Bellovacensis de quibusdam Monachis refert, quod, cum ad Sultanum, ut eum per prædicationem et doctrinas suas ad fidem nostram converterent, profecti essent ; hic illos circa abstinentiam a lege nostra Evangelica præscriptam interrogavit, an videlicet carnem manducarent, et a mulieribus abstinerent, quibus affirmative respondentibus, iterum interrogavit, num abstemii essent ? Qui se a vino bibendo non abstinere responderunt ; quo audito magna cum honorificentia eosdem excepit, et lautissimum convivium, sine tamen vini potu, instaurari fecit ; nocte vero sequenti cum ad lectum, quietis captandæ causa, concessissent, impudicas quasdam feminas ad eosdem immisit, quæ eos tentarent, at ipsi constantes permanentes easdem generose repulerunt ; post aliquantulum tempus cum abstinuissent a vino, fecit eis propinari vinum fortissimum ; illi autem, qui a vino diu abstinuerant, avidius biberunt, non temperantes, ut oportuisset ; et cum essent inebritati et quasi consopiti, misit ad eos dictas mulieres, quibus sollicitantibus absorpti a vino consenserunt. Vereque tunc in iis adimpleta fuit illa Ecclesiastici sententia : « Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguent sensatos. » BELLOVAC.

Auctor quidam modernus refert ex plurium aliorum historicorum testimoniis sequens factum, quod in quodam Germaniæ castello, anno 1580, 24 Julii, contigit. Neckershovii enim duo impii hospitium ingressi vinum postularunt, quod quidem illis datum est, non tamen adeo generosum, quale postea petierunt, et impetrarunt ; quo accepto, petulanter se mutuo ad haustus faciendos invitarunt, quod cum diu continuassent, unus illorum ex vino incalescens sodali suo dixit : Cui nunc bibam ? Respondit alter : Bibe Deo, videbis, quid responsurus sit. Vitrum arripit miser, et his verbis Deum compellat : O Deus, audi me, tibi de pleno scypho propino, et nisi rationem feceris, injuriam mihi feceris. Hinc socium interrogans, quod Deo vinum propinare deberet, quia duplicis sortis

vinum habebant, communique consensu debilius electum fuit, dicendo, hoc Deo sufficere posse; scyphum itaque elevans ait: Tibi, o Deus! Miror, an reperies bonum? Si hoc anno illud melius effecisses, melius bibisses. His prolatis confestim irriguit, immobilis factus, sensus, respirationis quoque et loquelæ impotens. Socius eo prodigio deterritus, fugit, alii eo in loco tunc præsentes amovere conati sunt, sed frustra. Quare funibus eum ligarunt, quibus tres admoti equi, ut eum loco dimoverent, sed ne ad unicum quidem passum protrahi potuit; hinc Magistratus, ut accensus circa eum ad comburendum ignis exstrueretur, præcipit; sed neque hic quidquam in eo operatus fuit, sicque multo tempore ibi stetit immobilis, non loquens, neque bibens, neque manducans, ut omnes agnoscerent judicium Dei. MARCH. in *Hort Past. sup. Sacer. Lect.*

In historia Caroli Magni legitur, quod, cum Franci essent insuperabiles a Saracenis, et semper eos vincerent, duo Reges Saracenorum promittentes, quod baptizarentur, miserunt eis vinum fortissimum, et mulieres Saracenas, quorum multi inebriati et victi a vino, inciderunt in fornicationem, et victi sunt et occisi a Saracenis, victi inquam spiritualiter, et postea corporaliter. BELLOVAC. l. c.

Quidam curialis in Valeriana Provincia sanctissimo Paschali sabbato juvenculam cujusdam filiam in baptismate suscepit. Qui post jejunium domum reversus, multoque vino inebriatus, eamdem filiolam suam secum manere petiit, eamque nocte illa (quod dictu nefas est) perdidit. Cumque mane facto surrexisset, reus cogitare cœpit, ut ad balneum pergeret, si aqua balnei lavaret maculam peccati. Perrexit igitur, lavit, cœpitque trepide Ecclesiam ingredi. Sed si tanto die ad Ecclesiam non iret, erubescebat homines; si vero iret, pertimescebat judicium Dei. Vicit itaque humana verecundia; perrexit ad Ecclesiam sed tremebundus ac pavens stare cœpit, atque per singula momenta suspectus, qua hora immundo spiritui traderetur, et coram omni populo vexaretur. Cumque vehementer timeret, ei in illa Missarum celebritate quasi adversi nihil contigit. Qui lætus exivit, et die altero Ecclesiam jam securius intravit. Factumque est, ut per sex continuos dies lætus ac securus procederet æstimans, quod ejus scelus Dominus aut non vidisset, aut visum misericorditer dimisisset. Die autem septimo subita morte defunctus est. Cumque sepulturæ traditus fuisset, per longum tempus, videntibus cunctis, de sepulcro ejus flamma exivit, et tamdiu ossa ejus concremavit, quousque omne sepulcrum consumeret, et terra, quæ in tumulo collecta fuerat, defossa videretur. Quod videlicet omnipotens Deus faciens, ostendit, quid ejus anima in occulto pertulit, cujus et corpus ante humanos oculos flamma consumpsit. Qua in re nobis quoque audientibus hoc exemplum formidinis dare dignatus est, quid anima vivens ac sentiens pro reatu suo patitur, si tanto ignis supplicio etiam insensibilia ossa concremantur. S. GREG. l. IV *Dial.*

Sacerdos quidam impudicus ebrietati et luxuriæ deditus, miserrime de hoc sæculo migravit, cujus corpore in cæterorum sepulto barathro Sacerdotum, ut ejus punitio cunctis innotesceret ad exemplum, subsequenti nocte tantus in Ecclesia ejusdem cœmeterii fuit strepitus, quod rumore nimio in vicinia commorantes, excitati pavore ingenti, velut amentes ad Ecclesiam cucurrerunt. Stant itaque omnes circa Ecclesiam, strepitus vehementes, campanarumque sonitus audientes, sed minime quid videntes, divinam exorant clementiam quatenus, cur ista fiant, debeat revelare, sed nullum exauditionis sentiunt adjuvamen. Diluculo hoc cessante, cuncta, quæ fuerant in Ecclesia, reperiuntur revoluta, et quasi undique flammis ignium violata. Ad hoc ejusdem civitatis, scilicet Candiæ, Pontifex orationes indicens populo, quid sequenti nocte eveniat, præcepit exspectari. Ne nimis succumbam verbis, sequenti nocte duplex strepitus et pavoris tribulatio est secuta; qua de re repletus populus amaritudine et dolore, cernens nullum sibi a Domino adjutorium evenire, sicut vulnerati (qui in monumentis projecti dormiunt) existebat. Die autem elucescente, omnibus in Ecclesia pro orationibus congregatis gloriosus Hieronymus subito septies sole splendidior, in Ecclesiam veniens, ad altareque gradiens, cunctis videntibus et mirantibus, per horam forte sub silentio permanens, obstupenti populo, hæc propter Sacerdotis illius miserrimi cadaver, sacris indigne locis conditum ad terrorem peccantium contigisse intimavit, mandans, ut cadaver miserum Tartarei post resurrectionem omnium mansionibus deputandum, dissepultum flammis traderent protinus concreman

dum, alioquin incepta pestilentia non abiret et sic ab intuentium oculis est invisus. Quod ut ordinarat lætabundus populus protinus implevit, Deo et beato Hieronymo laudes præcipuas persolvendo, et sic pestis postea cessavit. *Specul. Exempl.* v. *v. Ebrietas*, Exempl. III.

Noe licet perfectus in generationibus suis per ebrietatem in tabernaculo nudatus est. GEN. IX.

Lot, quem Sodoma non vicit, vino inebriatus geminum commisit incestum. GEN. XIX.

Holoferni, quia plus, quam umquam alias biberat, caput a Judith resectum est. JUDITH. XI.

S. Augustinus pro concione dixit : Ecce præclarissimus civis noster, et fere omnibus dilectus Cyrillus filium habebat, ut scitis, quem corrigere nolebat, et luxuriose vivendo insumpsit partem bonorum suorum. Sed ecce hodie ebrietatem perpessus matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit, et duas sorores ad mortem vulneravit. S. AUG. XXXIII.

In Gallia cum aliquot combibones mero incalluissent, et unus irridens Sacerdotes animarum immortalitatem prædicantes, dixisset : Ego animam meam venderem pro pretio omnibus nobis hodie ad bibendum sufficiente. Subito adfuit Diabolus, et pretio soluto blasphemum corpore et anima in infernum abduxit, dicens, æquissimum esse, ut is, qui equum emit, etiam frenum accipiat. CANTIPR. l. II *Apum.* c. III.

Indus quidam vino deditus cum pœnitentiæ beneficio naturam tandem vicisset, et ad sobrietatem se revocasset, candidum dicitur adolescentem per quietem vidisse, qui eum prehensa manu ad compotatorum cœtum conviviumque deduceret; ibi animadvertisse eorum, qui accumbebant, vultus, primo quoque poculo hausto mutari, deformesque fieri; qui vero pergerent perpotare, et crebris poculis indulgerent, eos fœdissimo ore, simillimosque Dæmonum evadere, dixisseque adolescentem, tales effici eos, qui se vino et ebrietatibus dedissent. Ex quo viso Indus sobrius esse cœpit, et incredibilem quemdam temperantiæ amorem concepit. *Litter. ann. Soc. Jesu*, an. 1585, f. 199.

Milites duo nobiles inter se helluantes pacti erant, ut, qui prior eorum surgeret, in Diaboli esset potestate; quod pactum adeo displicuit Deo, ut utrumque mercatore, qui illac iter faciebat, inspectante, a Dæmone suffocari permiserit. *Pæd. Chr.* t. I, c. VII, n. 34.

Baccharaci, oppido non procul a Moguntia distante, anno 1595, decoctor quidam ad popinam propinans, cum uxorem frustra dehortantem male mulctasset, et cum suo diabolo (id est, fœtu, quem utero gerebat) in malam crucem ire jussisset, illa domum redeunte, et ante tempus fœtum pariente, qui umbilico tenus hominem, reliquo corpore serpentem cum cauda tribus ulnis longa referebat, ab eodem fœtu ita per caudam implicatus et cruciatus est, ut exanimis conciderit. Ibid. n. 3.

Anno 1650, Adamus Steckman, vinitor in quodam Alsatiæ oppido, cum pecuniam in caupona potando et ludendo consumpsisset, tristitia et desperatione eo adactus est, ut paulo post absente uxore, filiolum in primis panem petentem, filiamque cultrum afferentem, et post hos etiam infantem in cunis vagientem occiderit, uxoremque ex vinea redeuntem, et tam tristi spectaculo repente exanimatam amiserit, et ipse tandem a Judice comprehensus per ignitas forcipes et rotam misere perierit. Ibid. n. 6.

Benadad, Rex Syriæ, temulentus in tabernaculo suo, habebat maximam multitudinem bellatorum, et tamen victus fuit et fugatus per pueros principum provinciarum. III REG. XX.

Dives Epulo ob excessum in potu ne guttulam quidem aquæ post hanc vitam habere meruit. LUC. XVI.

Cum Michael III, Imperator, se vino ingurgitare consuevisset, quo tempore ebrius erat, absurda multa fieri imperabat; alii enim aures amputari, alii nares, alii caput, quæ fieri Basilius vetabat, non tam aliis quam sibi ipsi metuens; ut igitur sibi ipsum obstare Michael novit, contra ipsum tales molitur insidias : Cuidam præcepit, ut hastam jaceret verbo contra feram, sed re contra Basilium, idque plane factum est, jecit hic hastam sed aberravit, atque Basilius servatus est; servatus autem studuit aliquid committere quam ipse pati, et ita Michael occiditur ad palatia divi Mamantis, anno 1073, hora noctis tertia, cum ex somno, quo ob temulentiam oppressus fuerat, orto tumultu conspirantium experrectus fugere non poterat ebrietate impediente. BARON. c. X *Ann.* 867, n. 20.

Zeno, Imperator Orientis, gulæ et ebrietati deditus, errore mentis sic affici solebat, ut prolapsus a mortuo nihil differret. Cum vero ipsi etiam conjugi Ariadnæ invisus esset, sic inebriatus pro mortuo in monumentum imperatorium ab illa conjectus est, lapide maximo, qui pro operculo esset, imposito, factusque sobrius inter lamentationes et ejulatus misera et horrenda morte extinctus est, cum Ariadna prohiberet, nequis monumentum aperiret, aut illum curaret. Lonar. t. III *Ann.*

Anno Domini 912, Alexander Imperator, sexta die mensis Junii, moritur infami exitu; ipse enim hac die lotus et pransus vinoque ebrius post meridiem pila lusurus descendit, exortoque labore quodam in ipsius intestinis pro cibis, quibus se ingurgitaverat, atque ebrietate, reversus in palatium multo e naribus et pudendis effuso sanguine, postridie mortuus est. Baron. c. x, *Ann.* 912.

EXEMPLA PROFANA.

Alexander quem tot itinera, tot prœlia, tot hyemes, tot flumina ex alto cadentia, tot maria tutum dimiserunt, intemperantia bibendi et ille herculeus ac fatalis scyphus condidit, et ut, carissimum sibi ac fidelissimum amicum inter epula transfoderet, persuasit. Seneca, ep. 83.

Alphonsus, Rex Aragonum, ebrietatem et ebrios, cane pejus et angue oderat; rogatus vero tanti odii causam: Quia scio, inquit, furorem et libidinem ebrietatis esse filias. Drex. in *Joseph.* c. xiv, §. 3.

M. Antonium virum magnum et ingenii nobilis, quæ alia res perdidit, et in exteros mores ac vitia trajecit, quam ebrietas? inquit, Seneca. Hæc illum res hostem reipublicæ, hæc hostibus suis imparem reddidit, hæc crudelem fecit. S. Aug. s. 33 *ad Fratres. in Erem.*

Romani eos, qui se vino ingurgitabant, adeo exosos habuerunt, ut a Senatu et publicis muniis velut indignos removerent. Hinc usque ad annum trigesimum masculis vini usus non concedebatur, feminis vero omnino ignotus erat. Alex. ab. Alex. l. III, c. xi. Val. Max. l. III.

Hispani ne in testem quidem amplius admittunt illum, qui semel ebrius extiterit. Tympius, in *Spec. Princ.* Sig. 45.

Darius Rex adeo compotationibus deditus erat, ut illi pro elogio sepulchrali adscriptum sit: Potui et multum vinum potare, et hoc probe ferre. Joan. David, in *Verid.* c. lxv.

Stratonicus Citharœdus per diem totum in popinis versatus, etiam dormiturus poculum semper adferri jubebat; non quod sitiret, sed ne sitiret. Engelgr. *Dom* 2. *post Epiph.*

Georgius Buchananus cum medici consulti dixissent, eum, si a potu, ex quo hydropem contraxerat, abstineret, per sexennium vivere posse, sin vero, intra tres hebdomadas moriturum; respondit, malle se tribus hebdomadis strenue bibere et mori, quam per sexennium modice et misere vivere. Ibidem.

Agrigenti juvenes quidam adeo per vinum largius potum dementati fuerunt, ut in mari navigare se credentes, et gravi tempestate jactari, omnem supellectilem, quasi exoneraturi navem, foras projicerent. Athenæus, lib. II.

Græci sanxerunt, ut, qui potationibus patrimonium dilapidasset, non sepeliretur in majorum suorum monumentis, sed ingloriusin quisquillias abjiceretur. Alexand. ab Alex. lib. VI, *Gen. dier.* c. xiv.

SIMILITUDINES.

Qualitas.— Sicut difficiles faciunt oculos continui morbi etiam ad minimam radii solis offensionem; ita ebrietates continuæ efferunt animos, nam cum sæpe apud se non sint, consuetudine insaniæ durata vitia, vino concepta etiam sine illo valent. Seneca. ep. 81.

Sicut musto dolia ipsa rumpuntur, et omne, quod in imo jacet, in summam partem vi caloris ejectat; sic vino exæstuans, quidquid in imo jacet abditum, effertur, et prodit in medium. Onerati mero quemadmodum non continent cibum redundantem, ita ne secretum quidem; quod suum est, alienumque pariter effutiunt. Idem, ep. 83.

Sicut spinæ se invicem complectuntur; sic convivium eorum pariter potantium. Nahum. c. i, 10.

Sicut valles, donec torrentibus inundantur, plenæ esse videntur, unda vero desinente statim siccæ, vacuæque remanent; sic et vinolentorum ora vino ac potatione durantibus exsaturantur ac madescunt, paulo post continua siccitate laborant, ex quo ad frequenter bibendum invitantur, unde humor naturalis amittitur. S. Chrysos. hom. *de Ebrietate.*

Sicut herbæ, quæ in paludibus vel circa ripas nasci solent, nihil utilitatis habent, in tantum ut annis singulis incendio concrementur; ita quod de ebrietate nascitur, igni præparatur. Idem, ser. 231.

DAMNUM. — Sicut navis, quæ aquis impletur, si exhauriri nequit, in profundum mergitur; ita homo, cum crapulæ et ebrietati se exponit, in præceps vadit, rationemque omnem amittens demergetur in profundum inferni. Idem, hom. IX, *in Gen.*

Sicut in præcipiti stantem vel levis tactus impellit; ita vino vel infusum, vel aspersum parvus quoque dolor incitat in furorem. MACROB. VII, *Saturn.*

Sicut aqua extinguit ignem; ita vinum extinguit rationem; et ut aqua maris naves, sic vinum vitis homines submergit S. BASIL. hom. *in Ebriet.*

Sicut Sedecias Rex, effossis oculis, cæcus in Babylonicam captivitatem abductus est; sic ebrii rapiuntur in Infernum. IV *Reg.* ul.

Sicut viperæ, dispositis ad bibendum vasis, vino ebriæ capiuntur, et quidem facile, cum tunc inertes et inermes sint; ita ebrii pari facilitate a diabolo capiuntur. ARISTOT. l. VIII, *Anim.* c. IV.

Sicut, cum febris cessaverit, tamen debilitas contracta diu manet; sic ebrietate transacta, effectus tamen illius tam corpus, quam animam debilitat. S. CHRYST. hom. XXXVII, *in Matth.*

Sicut, quamvis ex tempestate tranquillitas sit facta, detrimentum tamen, quod inde secutum est, non restituitur, si semel jactura facta sit; sic omnium pene bonorum jacturam patiuntur ebrii. Idem.

Sicut pluvia nimis grandis et diuturna si fuerit, terra confunditur, et in lutum resolvitur, ut nulla in ea cultura fieri possit; sic et caro nostra quando abundanti potu fuerit inebriata, nec spiritualem culturam suscipere, nec fructus animæ necessarios poterit exhibere. Et ideo quomodo omnes homines sufficientem pluviam in agris suis accipere desiderant, ut et culturam valeant exercere, et de fructuum ubertate gaudere; ita et in agro corporis tantum deberent bibere, quantum oportet, ne per nimiam ebrietatem ipsa corporis terra velut in paludem conversa magis serpentes et vermes vitiorum generare, quam fructus bonorum operum possit afferre. S. AUG. *de Vitiis*, *Ebrietas.*

Sicut navis, cum gubernator dormit, et anchora amissa est, ducitur et circumfertur a quolibet flatu venti; sic mens ebrii, cujus ratio consopita est, et sine anchora timoris Dei, de facili ducitur ad omne peccatum levi flatu tentationis. BELLOVAC. *Spec.* l. III, p. VIII, dist. III.

Sicut sessor ducit equum quocumque voluerit, postquam ipsum infrenavit; sic gula ducit gulosum ad omne peccatum, ex quo homo vitio gulæ infrenari se permittit. Ideo in Psal. 31. dicitur: *In camo et freno maxillas eorum constringe:* S. BONAV. *in Diæt. Salut.* tit. I. c. VIII.

Sicut rusticus capit ursos, liniens ramos arboris melle, et cum gradatim ursus ascendit per ramos arboris, credens attingere ad examen et favum, quem credit invenire in arbore, subito cadens, capitur in fovea, quam rusticus subito paravit; sic gulosus delectationem dum quærit per diversa fercula, quibus repletur, incidit in foveam diaboli, id est, in infernum. BELL. l. c.

Sicut castri custode interempto, facile illud occupatur; sic et in animæ arce, cujus custodia, rationi est concredita, quæ si jacet sepulta, jam omnibus vitiis redditur pervia. MANSI, disc. IV, n. 6.

Sicut in pergameno pingui et humido non formatur, vel imprimitur bene littera, quia diffunditur, nec retinet debitam impressuram, sed in sicco et tenui bene imprimitur, et retinetur; sic homo imbutus deliciis, non bene retinet sapientiam, quæ, ut dicit Job. 28. non invenitur in terra suaviter viventium. BELL. l. c. dist. I.

MOTIVA.

Quia vitium hoc ebrietatis est nocentissimum; uti Seneca sapienter advertit, dum dixit: Cogita, quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc accerrimas Gentes bellicosissimasque tradidit; hæc multorum annorum pertinaci bello defensa mœnia patefecit; hæc contumacissimos et jugum recusantes in alienum egit arbitrium; hæc invictos acie mero dejecit. SENEC. ep. LXXXI.

Brevius vero S. Ambrosius: Diversa, inquit, singulis peccatoribus mala eveniunt, temulentis omnia. S. AMBR. l. I, *de Isaac*, c. V.

Sed et S. Chrysostomus id confirmans ait: Vini largior usus infinitorum malorum causa est; ut adeo ebrietas unius horæ hilarem insaniam longo temporis tædio pensét, teste Seneca. S. CHRYSOS. hom. X, *in Gen.*

Quia gravissimum quoque vitium est; nam, ut S. Augustinus dixit : Ebrietas flagitiorum omnium mater, omnis luxuriæ soror, naufragium castitatis est. S. Aug. ser. 231.

Quia periculosissimum omnium vitiorum est; quia ebrium sic finire est, æternum interire. Hinc Christus monuit : Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, aut ebrietate, et superveniat in vos repentina dies illa. Luc. xxi. 34.

Quia turpissimum est; nam in primis facit dæmoni similem, uti S. Bernardus testatus est dicens : Multi per ebrietatem a dæmonibus capti sunt, nec est aliud ebrietas, quam voluntarius et manifestissimus dæmon. S. Bern. l. *de Modo bene viv.* c. xv.

Deinde sicut Ulyssis socii in porcos mutati sunt per philtrum a Circe oblatum ; ita per ebrietatem in bestiam convertitur ebriosus. Quid autem fœdius, quam ut homo bruti animalis imago sit? inquit recte Musonius in l. *de Victu.*

Denique ipse modus, quo committitur ebrietas, turpitudinem illius satis demonstrat. Quam turpe enim est, inquit Seneca, plus sibi ingerere, quam capiat, et stomachi sui non esse mensuram ! Quam multa ebrii faciunt, de quibus sobrii erubescunt !

Quia curatu difficillimum est vitium ; nam, teste Plinio, hæc necessitas vitium comitatur, ut bibendi consuetudo augeat aviditatem. Quanto plus biberint, tanto plus sitiunt. Plin. l. XI, *Nat. Hist.* c. xxii.

Hinc S. Aug. « Ebrietas, inquit, est, quasi inferni puteus, quoscumque susceperit, fortiter sibi vindicat, ut eosdem ipso de inferni tenebroso puteo ad sobrietatis lucem redire non permittat. » S. August. ser. 231, *de Temp.* Et, teste S. Hier. « Facile caremus aliis vitiis, hic hostis nobis inclusus est, quocumque pergimus, nobiscum portamus inimicum. »

Quia morborum gravium causa est, uti S. Basilius indicavit dicens : Famulus profugit ab hero verberante, tu vero non recedis a vino, quod quotidie contundit caput tuum. Modus utendi vino optimus est, corporis necessitas. Cum fines prætergredieris, postridie venies capitis gravedine affectus, oscitans , vertigine laborans , putrefactum obolens vinum. S. Basil, hom. i, *de Laud jejun.*

Quia vitam abbreviat; nam *propter crapulam multi obierunt,* teste Siracide ; cum tamen a sæculi origine si repetamus, mundus hic, usque ad sexcentesimum tertium Noe annum, prorsus vinum ignorasse cognoscitur, cum per tot curricula temporum obiisse quidem, sed nullus hominum ægrotasse legatur. S. Petrus Damianus, l. VI, ep. xxiii.

Hinc merito S. Cyrillus sic hortatur : Audistis edictum Regis æterni, et lamentabilem finem ebrietatis, vel crapulæ, didicistis. Si quis vobis peritus et sapiens medicus his ipsis verbis præciperet : Attendite vobis, ne quis v. gr. de illius, vel illius herbæ succo avidius sumat, quod si fecerit, subitus ei veniet interitus, non dubito, quod unusquisque propriæ salutis intuitu, præmonentis medici præcepta servaret. Nunc verus animarum et corporum Medicus, simulque Dominus, jubet ebrietatis herbam et crapulæ vitandam, et nescio, si quis non his consumitur, ne dixerim, sauciatur. Sola est, quæ simul cum corpore et animam debilem reddat. In cæteris enim potest fieri, ut, secundum Apostolum, cum infirmatur corpus, tunc magis potens sit spiritus ; et ubi is, qui de foris est, homo corrumpitur, ille qui intus, renovetur ; in ebrietatis vero ægritudine, corpus simul et anima corrumpitur, spiritus pariter cum carne vitiatur. S. Cyril. Alex. l. VII, *in Levit.*

Quia libertatem eripit, præcipuum hominis bonum; nam teste S. Ambrosio : Manebat, antequam vinum inveniretur, omnibus inconcussa libertas, nemo sciebat a consorte naturæ suæ obsequia servitutis exigere. Non esset hodie servitus, si ebrietas non fuisset. S. Ambr. l. *de Elia et jejun.* c. v.

Quia finalem impœntentiam adducit; unde Christus monuit : Attendite vobis, ne graventur forte corda vestra in crapula et ebrietate ; et superveniat in vos repentina dies illa , tanquam laqueus enim superveniet. Luc. xxi, 34.

Quia fere insanabile est hoc vitium, utpote cui illud Deuteronomii applicatur. « Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile. » Deuteron. xxxii, 33.

Ubi vinum veneni nomine appellatur, quia corpori pariter et animæ mortem adfert, nec est mithridaticum vel theriacà, quæ contra illud prævalere possit , et ideo venenum est insanabile, id est, vitium sine remedio. S. Ambrosius quoque circa hunc locum observat dicens : Pulchre dicitur insanabile ; multi enim a reliquorum serpentium veneno curantur, nemo ab ebrietate ; atque hæc est causa, inquit idem S. Doctor, cur vinum non cuilibet veneno, sed draconum, quod est in-

sanabile, assimiletur. S. Ambr. *de Elia et jejun.* c. xiv.

MEDIA.

Abstinere a conviviis; ita Salomon monuit dicens : Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum. Prov. xxiii, v. 20.

Hinc SS. Ambrosius et Augustinus, neque in patria petiti ibant ad convivium, ne temperantiæ amitteretur modus.

Per orationem frequenter gratiam abstinendi a Deo petere; ita iterum S. Augustinus l. c. consulit dicens : Qui sunt ebriosi, cum adjutorio Dei de luto fæcis se excutiant, vel de cloaca ebrietatis, dum adhuc tempus est pœnitendi, festinent, quanta possunt celeritate, Deo auxiliante, consurgere, et totis animæ viribus cum Propheta supplicantes Domino dicant : Eripe me de luto, ut non inhæream. S. Aug. s. xxiii *de Temp.*

Paulatim sibi aliquid de potu subtrahere; uti idem Sanctus suasit dicens : Sed hic ante omnia scire debemus, quia non una die efficiuntur homines ebriosi, sed cum paulatim per singulos dies singulos sibi aut binos calices ad potum consuetudinarium addunt; sic qui se de hoc malo desiderat liberare, paulatim subtrahendo ad sobrietatis lucem redeat. Qui enim per partes aliquid subducere voluerit, et de ebrietate liberabitur, et intolerabilem inferni pœnam non patietur. Ibid.

Fellis Christo in cruce oblati meminisse; ita Climacus suasit dicens : Ubi poculum bibiturus sumpseris, aceti et fellis Domini Dei tui ne obliviscaris, et omnino vel moderate bibes, vel ingemisces, vel certe humilior inde et modestior evades. S. Clim. *grad.* xiv.

Ebriorum mores et facta inspicere; ita Pythagoras consultus a quopiam ebrioso, qua ratione ebrietatem vitare posset ? respondit : Si, quæ per ebrietatem facis, animo volvas. Hinc et Lacedæmonii, ut filiis suis ebrietatem interdicerent, aliud non faciebant, quam ut servos inebriarent. Pythag. apud *Stobæum*, s. xviii.

Medium aliquod naturale ebrietatem impediens adhibere; qualia sunt, vinum aqua diluere, brassicam vel rapam crudam, vel oleum, vel parum panis aqua superbibita tincti, vel amygdala amara, vel nucem muscatam, vel de aliis cibis plusculum sumere ante quam bibatur; sic enim vinum impeditur, quominus spiritus in caput emittere possit. Gobat. in *Acc. Canon.* c. li, §. 1.

ASCETICA.

Primum est, ut discat, respectum humanum deponere. Solent enim, teste S. Augustino, ebriosi ita se excusare, ut dicant : Persona potens me coegit, ut amplius bibam, et in convivio Regis non potui aliter facere. Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus, et quod implere nolumus, non potuisse nos dicimus. Etiamsi ad hoc veniretur, ut diceretur tibi : Aut bibas aut morieris ! melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur. Sed excusatio ista falso objicitur; ipsi enim reges, et quicumque alii potentes, si te viderent definisse, ut eis non acquiescas, pro timore Dei inebriari; si tibi sub hora videantur irasci, postea vero te in grandi admiratione suscipiunt dicentes : Quantis eum minis et terroribus fatigamus, et tamen nunquam eum a sobrietate separare potuimus. Addit vero postea : Ille, qui ebrietati resistit, si cum Dei adjutorio perseveraverit, et pro ipsa aliquas ille pertulerit tribulationes, omnia ei Deus ad Martyrii gloriam reputabit. S. Aug. ser. ccxxxii, *de Ebrietate.*

Alterum est, ut pariter bene condiscat moderari delectationem in potu subrepentem, eumque in finem meminerit sententiæ a S. Augustino prolatæ, dum ait : Hoc me docuisti, ut, quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu insidiatur mihi laqueus concupiscentiæ. Ipse enim transitus voluptas est, et non est alius, qua transeatur, quam quo transire necessitas cogit. Et cum salus sit causa edendi et bibendi, adjungit se tamquam pedissequa periculosa jucunditas, et plerumque præire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico, vel volo; nec idem modus utriusque est, nam quod saluti satis est, delectationi parum est. S. Aug. l. X, *Conf.* c. xxxi.

Tertium est, ut, quemadmodum ebrietatem corporalem totis viribus fugere ac dissuadere debet, ita pari studio spiritualem

ebrietatem procurare ac suadere conetur, de qua S. Bernardus illud Psalmi : Calix meus inebrians, quam præclarus est, explicans ait : Inebriat amor Dei ad contemptum mundi; calefacit, quia ferventes facit ; acuit, quia erudit ; audaces facit contra adversa , fortes a Carne, Mundo, et Dæmonibus invincibiles, obliviosos, eorum scilicet, quæ retro sunt, et in futura extentos , discretos erudiens ad Justitiam ; somnolentos ad temporalia et tædiosos; ad invisibilia præparanda pronos et promptos.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : « Vinum et ebrietas auferunt cor. » Osee, iv, 11.

Potest stultitia ebriosorum demonstrari ex sequentibus capitibus. 1. Quia bibunt præter naturæ appetitum. 2. Quia gloriantur, se posse magnos haustus facere, cum tamen etiam hoc mulus faciat, ut aliquando Aristippus cuipiam dixit. 3. Quia cum famulus recedat ab hero verberante, ipsi non profugiunt a vino quotidie caput obtundente. 4. Quia in aliorum sanitatem bibendo propriam lædunt. 5. Quia voluntariam insaniam arcerssunt, et se in bestias transformant. 6. Quia cogunt ad bibendum ultra appetitum , cum tamen obtrudere evacuandam magnam patinam cibo refertam stultissimum censerent. Videri possunt hæc fusius explicata apud Fabrum, conc. 2. in Dom. Quinquag. Item Henr. Engelgr. part. I *Cœl. Emp.* die 2 *Bach.* § 1.

Ex occasione thematis : « Ingreditur blande, sed in fine mordebit ut coluber. » Prov. xxiii, 31.

Possunt explicari proles ebrietatis, seu vitia, quæ ex ea nascuntur, quorum primum est *Luxuria*, juxta illud S. Pauli : Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Eph. v, 18. Secundum , *Impudentia*, juxta illud Threnorum : Inebriaberis atque nudaberis. Thren. ix, 21. Tertium, *Insania*, juxta illud Osee : Vinum et ebrietas auferunt cor. Os. iv, 11. Quartum, *Ira et Contentio*, juxta illud Salomonis : Cui iræ ? Cui rixæ ? Cui foveæ ? Cui sine causa vulnera ? Cui suffusio oculorum ? Nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? Prov. xxiii, 29. Quintum, *Contumacia et disciplinæ Contemptus*, juxta illud Isaiæ : Erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, id est, Deum contempserunt. Is. xxviii, 7. Sextum, *Hæresis et Perfidia*, juxta illud Ecclesiastici : Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes. Eccl. xix, 7.

Vide hæc fusius apud Fabrum, conc. 5 in Dom. 2 post Epiph.

Ex occasione thematis : « Vinum multum potatum, etc. ruinas multas facit. » Eccl. xxxi, 38.

Explicari possunt damna et ruinæ, quas causat ebrietas 1. Ruina *Corporis*, dum destruit sanitatem, imo et vitam ipsam aufert et abbreviat. 2. *Animæ ;* propter crapulam enim multi perierunt. 3. *Opum et divitiarum* ; quia, qui amat vinum et pinguia, non ditabitur. 4. *Famæ* ; quia vinum et mulieres arguent sensatos, teste Siradice. 5. *Reipublicæ* ; quia, sicut privatis domibus nihil nocentius est quam ebriosus paterfamilias, nec navibus quidquam periculosius, quam navarchus temulentus ; ita nec Reipublicæ majora creantur pericula ab aliis vitiis, quam a temulentia Magistratus. Vide hæc fusius apud Fab. 2, conc. 3 in Dom. 6, post Pent.

Ex occasione thematis : « Vinum et mulieres auferunt cor. » Osee, iv, 21.

Narrari potest, quod sociis Ulyssis a Circe evenisse scribunt Poetæ, dum iis potum obtulit, et in sues convertit ; Ovid. l. XIV *Metamorph.* dicique, idem evenire ebriis per vinum nimium potatum. 1. Quia *carent ratione*, ut sues. 2. Quia ut sues *volutantur in luto* luxuriæ et impudentiæ. 3. Quia ut sues *grunniunt*, et clamore suo incondito aliis molesti sunt. 4. Quia ut sues *graviter olent et fœtent* non tam corpore, quam animo per malam, quam apud homines acquirunt, æstimationem. 5. Quia ut sues maxime silvestres in obvios quoque *irruunt,* si vel parum irritentur, seque ultro telis objiciunt, et perimunt. 6. Quia ut sues pingues macello Diaboli *destinantur*, et gratum ei cibum efficiunt. Vide Fabrum, conc. 5 in Dom. 1 post Epiph. n. 3.

Ex occasione ejusdem thematis narrari potest, quod Josephus de Noe narrat, quod scilicet, cum invenisset vitem silvestrem, seu labruscam, acceperit sanguinem leonis, agni, galli, porci, et ursi, et ex illis terræ commixtis fimum faciens ad radicem labruscarum posuerit, sicque vinum dulcorarit. Hinc factum: 1. Ut ebrii sint audaces ut

leones, et omnia pericula corporis et animæ contemnant. 2. Ut velut *agni* ducantur ad victimam, et sacrificentur Diabolo. 3. Ut velut *galli* gallinacei sint superbi et pugnaces, aliosque omnes facile contemnant, et ad rixas provocent. 4. Ut velut *porci* se in omni luto vitiorum volutent. 5. Ut velut *ursi* sint rapaces, præcipue famæ alienæ, imo et vitæ spiritualis, dum alios ad ebrietatem incitant, vel cogunt. Quæ omnia facile fusius explicari possunt.

Ex occasione thematis : « Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste. » MATTH. XXVI, 39.

Demonstrari potest, quam amarum calicem ebriosi offerant Christo, id quod facile præstabitur, si gravitas peccati ebrietatis ostendatur. 1. Quia multorum aliorum vitiorum origo est, præcipue Hæresis, Odii, Luxuriæ, Iræ, Acediæ, Furti, Mendacii, Detractionis, Blasphemiæ, etc. 2. Quia multos secum in societatem trahit, omnes scilicet, quos vel exemplo, vel verbo, vel coactione ad ebrietatem impellit. 3. Quia rationi magis, quam alia, omnia contrarium est. Quid enim magis dissonum rationi, quam ut homo privetur ratione? Introducatur in fine Christus rogans, ut auferamus hunc calicem ab ipso, et ostendatur, quam durus debeat esse animus, qui illum exaudire non vult.

Ex occasione thematis : « Tradetur Gentibus, illudetur, et conspuetur, et postquam flagellaverint, occident eum. » LUC. XVIII, 33.

Potest narrari historia de Christo ante hospitium vulnerato jacente et dicente, se tam male tractatum fuisse ab iis, qui in hospitio compotationibus vacant; dicatur proinde, idem dicturum Christum in cruce pendentem, scilicet potissimam suæ Passionis causam ebriosos esse. 1. Quia ipsi calicem amarum Passionis præsentant et agoniam procurant. 2. Quia ipsi actionibus et verbis impudicis flagellant. 3. Quia scurrilitatibus et levitatibus suis, ac convitiis ipsum coronis spineis coronant. 4. Quia dum rixis, verberibus, lusu et perditione pecuniarum aliis vehementer molesti sunt, gravem illi crucem imponunt. 5. Quia blasphemando, aliaque similia graviora peccata committendo, omnino illum crucifigunt.

Ex occasione thematis : « Attendite vobis, ne forte corda vestra graventur in crapula et ebrietate. » LUC. XXI, 34.

Possunt proponi media triplicia, et funiculo triplici, qui difficulter rumpitur, per quem a casu in foveam ebrietatis et inferni cohibeantur, comparari. 1. *Naturalia*, qualia sunt sumere brassicam, oleum, amygdala amara, aut cibos alios impedientes, ne vini spiritus in caput ascendant. Item paulatim sibi de potu aliquid subtrahere. 2. *Moralia*, qualia sunt ebriosorum mores, damna ebrietatis perpendere, Christi calicem amarum considerare. 3. *Supernaturalia*, qualia sunt oratio fervens, frequentior Eucharistiæ sumptio, victoria sui aliquoties repetita, etc.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

DAMNUM. — Ingenioso admodum epitheto ebrium Divus Chrysologus afficit, dum ait : Ebrietas est dæmon blandus ; quot autem, quantique nihil ducunt, ab hoc possideri spiritu; imo eumdem omni studio et sollicitudine indagant? Sed ut veraciter S. Basilius docet : Lymphatus et malo dæmone captus, misericordia quidem dignus, ebrius vero, eamdem fere et ipse patiens, minime misericordia dignus, qui spontaneo servit dæmoni. S. BASIL, hom. XIV. *de Ebrietate.*

Franciscus Petrarcha, in quadam epistola sua, adversus ebrietatem acerrime invehens, singulos enumerat cyathos et crateres, qui in conviviis, ut plurimum præbebuntur : « Primus, inquit, crater pertinet ad sitim. Secundus ad lætitiam. Tertius ad voluptatem. Quartus ad ebrietatem. Quintus ad iram. Sextus ad litigium. Septimus ad furorem. Octavus ad somnum. Nonus ad morbum. » PETRARCHA, III, *ep.*. IX.

Plato, vir sapientissimus, inter alias leges ita statuit : Multo magis, quam Cretensium Lacedæmoniorumque usu, Carthaginensium legem probarant, ut nusquam in castris quisquam gustare vinum audeat, sed toto illo tempore aqua bibatur. Sed et Magistratibus eo toto anno, quo magistratu funguntur, mandatum, gubernatores suos, atque judices munus suum obituros a vino penitus prohiberent. PLATO, *de Legibus* l. II.

Quia, ut apud Oseam dicitur : *Vinum et ebrietas auferunt cor ;* quando enim corpus nimio vino repletur, ratio pariter, et discursus amittitur. Nam ubi est crapula, inquit Laurentius Justinianus, ratio cespitat, intellectus obtunditur, consilia deviant, judicia subvertuntur.

Plutarcus curiosam quamdam narrat

historiam præsenti proposito nostro valde opportunam. Cum enim apud Pyrrhum nonnulli juvenes accusati essent, quasi simul epulantes, variis detractionibus et injuriis ejus dilacerassent famam, ille eosdem die sequenti coram se apparere præcepit. Primumque ex his percunctatus est, an de se talia dixissent. Omnino, respondit unus, talia et his plura dixissemus, si plus vini nobis fuisset. Cui responso Pyrrhus acquievit, probe intelligens, quod Euchius non sit sibi compos. PLUTARC. *in Apoph.*

Idem Plato, in *Phædro*, asserit : Nequaquam est Philosophi circa delectationes gustus versari. Unde cum quidam interrogasset Platonem. Unde tibi sapientia tanta ? Respondit : Quia plus consumpsi de oleo in lampade, quam de vino in calice. PLATO, *in Phædro.*

Quæ causa est, quod Moyses pro populo Israelitico idololatrante intercesserit, non vero pro guloso ? Num forte idololatria minus peccatum est, quam si honor et cultus Deo debitus conculcetur, et bovi fictili, operi manuum hominum, attribuatur ; cur igitur Moyses populum idola adorare videns, regimine illius se exonerare voluit, non vero item, quando gulosus carnes a Deo sibi dari postulavit ? Clara est ad hoc responsio, quia idololatria facilius curari poterat ; dum enim videbant, quod vituli illius comminuti pulveres ab eis potati, fœtida excrementa ejicerentur, manifeste agnoscere poterant, illum verum Deum non esse, qui per secessum evacuaretur ; at vero gula et crapula, cum omnia vitia annexa habeant, sintque vitia natura sua inemendabilia et incorrigibilia, Moyses se ad illum populum deinceps gubernandum minime sufficere credebat ; quia, ut Cajetanus ibidem dicit, peccatum gulæ est quasi incorrigibile ; cognovit Moyses preces suas pro illis in hoc casu effundendas, minime exaudiendas fore, quia sciebat, Deum contra hoc peccatum omnino inexorabilem esse. MANSI, XVI, 4.

Maximilianus I, Imperator, ac cæteri Principes ac Electores, seorsim, et una in Comitiis, sæpius propinationes vetuerunt. *Præfat.* 1 et 2. Et quidem, anno 1512, a dicto Maximiliano I, Imperatore, et Electoribus, ac Statibus, in Comitiis Treviris cœptis, ac Coloniæ finitis, singulari articulo prohibitæ fuere hujusmodi propinationes. Ubi dicitur : Etsi in prioribus aliis Comitiis sæpius eæ prohibitæ fuerint, parum tamen id fuisse observatum. Hinc quia e propinationibus nascitur ebrietas, ex ebrietate omnis generis scelera, blasphemiæ, cædes, et alia plura mala ; ita ut tales combibones de honore, salute, rationis usu, vitæ et bonorum jactura periclitentur, præcipi omnibus ubique Dominis ac Magistratibus, ut in suis ditionibus eam consuetudinem perpotandi tollant in se et subditis suis, ac sub gravibus pœnis prohibeant. Quod si nobilitas vitare nollet, a Principis ac Cæsaris aulis arceantur, inferiores vero etiam in corpore severe puniantur. Quod si ullus Magistratuum in executione hujus mandati compertus fuerit remissius agere, is a Cæsareo Fiscali plectatur decenti mulcta, uti et ii, qui e subditis contra id deliquerint. Adhibeaturque opera, ut iis locis ubi viguit ebrietas, omni studio aboleatur. JOAN. SCHWARZENBERG. *in Præf.* II. 1. *contra Propinas.*

S. Basilius ait : Ebrietas est dæmon voluntarius ex voluptate animabus nostris inditus. S. Augustinus inquit : Dæmone, venenum dulce es, peccatum suave es. S. Gregorius ebrietatem vocat blandum dæmonem. Unde S. Clemens Alexandrinus, dixit : Iis, qui ad luxum mensarum propensi sunt, et suos sibi morbos enutriunt, præest dæmon helluo maximus, quem ego non verebor appellare ventris dæmonem, dæmonum omnium pessimum et perniciosissimum. Cui consentiens S. Chrysostomus : Ubi multum merum est, inquit, ubi mensa referta, et ad satietatem comessatio, ibi turpitudo, ibi omnis pompa satanica.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Quidam ubi in taberna poculum cerevisiæ, et aliud vini depictum vidit, subscripsit hoc lemma : Meliora sunt opera Dei, quam hominum. ENGELGR. *in Dom.* III. *post Epiph.*

Alius in balenam converti cupiebat, modo mare Creticum in merum Creticum converteretur. Ibid.

Quibusdam Philippum Regem laudantibus, quod facundus, formosus, vini capax esset, scite Demosthenes subjecit : Prima laus sophistarum est, secunda feminarum, tertia spongiæ. Ibid.

Asclepiadis pronuntiatum est, super mensam primum haustum esse necessitatis, se-

cundum voluptatis, tertium ebrietatis. Apuleius vero dicere solebat : Primum ad sitim, secundum ad hilaritatem, tertium ad voluptatem, quartum ad insaniam pertinere. Suidas tres haustus permittit sapienti, scilicet valetudinis, voluptatis, et sommi. Ib.§ 1.

Panthera hieroglyphice ebrietatem designat, quia vini admodum avida cum sit, a venatoribus, fontibus, ex quibus illa bibere consuevit, vino fortissimo repletis, capitur. Valer. l. XI p. 103.

Anonymus quidam Lacon, cum audisset quosdam cogi in cœna ad bibendum, num etiam ad edendum cogerentur, quæsivit, insinuans : Sicut absurdissimum est, cogi aliquem ad certam ciborum quantitatem ; ita non minus absurdum esse, aliquem ad certum poculorum numerum compelli. Plutarc. *in Lacon.*

Cum a Rege Ferdinando ludi celebrarentur, ab omnibus aliis insigniter laudati, Germanus quidam exclamans dixit : Valeant ludi in quibus nemo bibit. Pontan. *in Attic. bell.*

Fuit, qui Organi in morem fistulas vitreas ordine dispositas habebat, quæ singulæ singulos sonos percussæ reddebant, *ut*, utiliter, *re*, realiter, *mi*, mirabiliter, *fa*, faciliter, *sol*, solemniter, *la*, lacrymabiliter, ut præ dulcedine lacrymæ fundantur. Engelgr. l. c.

Alphonsus Magnus dicere solebat, amicitiam tribus servari, *pileo*, id est, perhumaniter salutando, *folio* chartæ, id est, litteras scribendo, *vitro*, haustum bonum propinando. Ibid. § 4.

Androcides ad Alexandrum M. scribens, intemperantia ejus cohibiturus : Vinum, inquit, potaturus , Rex , memento te sanguinem terræ bibere. Plin. l. XIV, xv, 5.

Leotychidas rogatus, cur Spartiatæ parum bibant? respondit : Ne pro nobis consultent alii, sed pro aliis nos. Plutarc. *in Lacon.*

Fuga. — Pythagoras, in ebrios olim incidens,jussit tibicinem convivio luxurioso præsidentem mutare harmoniam , ac doricon illis canere, atque hoc modo melodiæ illos ad sobrietatem reduxit, qui, ejectis de capite coronis, omnes erubuerunt. Engelgr. p. 2, *Cœli Emp. in fest. S. Cæc.*

Damnum. — Lysimachus ob sitim coactus se dedere Scythis, cum dein frigidam aquam bibisset : Dii boni, inquit, quam brevis voluptatis causa quantam deposui felicitatem! Erasmus Roterod. *in Simil.*

Cum olim milites aliquot Tarentini inter cœnandum multa liberius in Pyrrhum Regem dixissent, ideoque ad Regem acciti essent, unus illorum ad Regem dixit: Fatemur nos hæc dixisse, et acerbiora longe dicturi eramus, nisi lagena nobis defecisset ; quo dicto Regis iram in risum vertit. Idem, *Apoph.* l. VI.

Recte cecinit Ovidius :

Nox et amor,vinumque nihil moderabile suadent.
Ista pudore vacat, liber, amorque metu.

Ovid. l. I, *Amor eleg.*

Recte item Virgilius ebrietatis effectus descripsit sequentibus versibus :

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore,
Uno namque modo vina,Venusque nocent.
Ut Venus enervat vires, sic copia vini,
Et tentat gressus, debilitatque pedes.
Multos cæcus amor cogit secreta fateri,
Arcanum demens detegit ebrietas.
Bellum sæpe petit ferus exitiale cupido,
Sæpe manus itidem Bacchus ad arma vocat.
Denique cum mentes hominum furiarit uterque,
Et pudor, et probitas, et metus omnis abest.
Compedibus Venerem,vinclis adstringe Lyæum,
Ne te muneribus lædat uterque suis.
Vina sitim sedant, natis Venus alma creandis;
Sed fines horum transiliisse nocet.

Virgil. *de Vino et Venere.*

Sed et Propertius non male eumdem in finem cecinit :

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas,
Vino sæpe suum nescit amica virum.

Proper. l. II, *Eleg. ult.*

Ovidius quoque iterum :

Vina parant animos,faciuntque caloribus aptos,
Cura fugit multo, diluiturque mero.
Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit,
Tunc dolor et curæ , rugaque frontis abit,
Tunc aperit mentes ævo rarissima nostro
Simplicitas, artes excutiente Deo.

Ovid. l. III. *de Art. am.*

Diogenes quondam præteriens domum vinolenti prostitutam dixit : Sciebam, domum istam vino ebriam dominum evomituram ; en jam ructat. Bruson. l. III, c. xiii.

Si furibus in domum ingressis quispiam daret claves omnium cistarum, unde maxima illi damna inferrentur,quis non graviter illi indignaretur? Atqui hoc totum ebrietas facit, vitiis claves offerens, quibus hominem expolient. Fab. c. iii, *in Dom.* vi. *post Pent.*

De cerevisia ebrietatem procurante non illepide cecinit Poeta :

Unde suum ducat, quæris, cerevisia nomen?
Quod cerebrum visat sæpe, Sabelle, tuum,

Apud Engelgr. in Dom. ii. *post Epiph.*

De vini effectibus recte iterum cecinit Poeta :

Tu lene tormentum ingenio admoves,
Plerumque duro. Tu sapientium
Curas, et arcanum jocoso
Consilium detegis Lyæo.
HORAT. *Od.* XXI, l. III.

Plato dicere solebat, nullum tormenti genus minus sumptuosum, minusque noxium et periculosum esse, quam vinum ad explorandos hominum affectus et mores. PLATO l. II *de Legib.*

Scito symbolo veteres picam Baccho sacram fecerunt, quia sicut pica garrula, quidquid audierit, narrat; ita et ebriosi. NATAL. COMES *Mytholog.* l. XV.

S. Chrysostomus ebrietatem vocat morbum veniam non habentem, ruinam excusatione carentem, commune generis nostri opprobium. S. CHRYS. hom. *ad Pop. Antioch.*

ADAGIA.

Anima sicca sapientissima.
Qui multum bibit, parum sapit.
Quoties quis ebrius, toties puer est.

Si noceat vini potatio vespertina,
Hanc mane repetas iterum, et fiet medicina.
Multum temetum fit acerbum in corpore acetum.
Vinum dumque premit, mens cruciata gemit.
Florileg. p. 1. f. 778.

Non inepte quidam dixit : Plures poculis occumbere, quam spiculis; lancibus, quam lanceis, quibus cœna pœna, pulpa culpa, spicula pocula, vagina lagena, prælia prandia, stratagemata tragemata.

Bacchus et argentum mutant mores sapientum.

Post vinum verba, post imbrem nascitur herba.

Bis sex, credatis, species sunt ebrietatis :
Ebrius est primus sapiens, est alter opimus,
Ternus grande vorat, quartus sua crimina plorat,
Quintus luxuriat, sextusque per omnia jurat,
Septimus ascendit, bis quartus singula vendit,
Nonus nil celat, quod habet sub corde revelat,
Somnia denus amat, undenus turpia clamat,
Et cum sit plenus, vomitum faciet duodenus.
BUCHLERUS *V. Ebriet.*

Quo tibi potarum plus est in ventre salutum;
Hoc minus e potis hisce salutis habes.

AUCTORES.

Joannes Busæus, in Panario V. eodem.
Georgius Gobat, in Acusatione Canonic.
Josephus Langius, X. eodem.
Philippus d'Outremanin, Pæd. Christ. p. 1, c. VII, §. 6.
Ludovicus Granatensis, in Silva locorum comm. f. 554.
Joannes Dadræus, in Locis simil. V. eod.
Hieremias Drexelius, in Tobia, p. 2. c. IV et in Josepho, c. XIV.
Jacobus Marchantius, in Tuba, Sacerd. tr. V, lect. V et sequent.
Henricus Engelgr. in Cœl. Emp. p. 1. Festo Pentec. § 2 et seq. Item. p. 1, Luc. Evang. in Dom. 2. post. Epiph.
Mathias Faber, in Dom. 2. post Epiph. conc. 5 et 6. Item, conc. 3 et 4. in Dom. 6. post Pent. Item, in Auctario. them. 5. in Dom. 4. Quadrag.
Petrus Canisius, in tom. ult. de Vitiis capitalibus.
Georginus Scherer, conc. 4. in Domin. Quinquages.
Josepus Mansi, in Bibl. Moral. tract. 31.

EDUCATIO.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est sollicitudo de iis hominibus, qui curæ nostræ commissi sunt, sive alendis (quo nomine cura etiam valetudinis, vestitus, et habitationis intelliguntur) sive bonis moribus et disciplinis imbuendis; in his enim officiis tota Educationis ratio consistit.

DIVISIO. — Dividitur in *corporalem* et *spiritualem*; prior est, quæ ad corpus alendum et perficiendum ordinatur; posterior est, quæ circa animum instituendum occupatur.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Filii tibi sunt, erudi illos, et curva illos a juventute sua. ECCL. VII, 25.

Qui diligit filium, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo, et non palpet proximorum ostia. ECCL. XXX, 1.

Qui parcit virgæ, odit filium suum ; qui autem diligit illum, instanter erudit illum. Prov. XIII, 24.

Quis filius,quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri, et non filii estis. Heb. XII, 7.

Lacta filium, et paventem te faciet ; lude cum eo, et contristabit te. Non corrideas illi, ne doleas, et in novissimo obstupescent dentes tui, et ne despicias cogitatus illius. Eccl. XXX, 9.

Erudi filium, et refrigerabit te, et dabit lætitias animæ tuæ. Prov. XXIX, 17.

Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. Ad tim. V, 8.

Et vos patres,nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini. Eph. VI, 4.

Ne jucunderis in filiis impiis, si multiplicentur ; ne oblecteris super illos, si non est timor Dei in illis. Non credas vitæ illorum, et ne respexeris in labores illorum ; melior est enim unus timens Deum, quam mille filii impii ; et utile est mori sine filiis,quam relinquere filios impios. Ab uno sensato inhabitabitur patria, a tribus impiorum deseretur. Eccl. XVI, 1.

Ne obliviscaris verborum, quæ viderunt oculi tui, et ne excidant de corde tuo omnibus diebus vitæ tuæ. Docebis ea filios ac nepotes tuos. Deut. IV, 9.

Educate illos in disciplina et correptione Domini. S. Paulus *ad Eph.* c. VI, 4.

Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Ps. XXXIII, 12.

In filiis suis agnoscitur vir. Eccl. c. XI,30.

Nolite ad indignationem provocare filios vestros,ut non pusillo animo fiant. Ad Coloss. c. III, 21.

Necessitas. — Doce filium tuum, et operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas. Eccl. XXX, 13.

Confusio patris est de filio indisciplinato. Eccl. XXII, 3.

Puer, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam. Prov. XXIX, 15.

Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Prov. XXII, 9.

Equus indomitus evadit durus, et filius remissus evadit præceps. Eccl. XXX, 8.

Egestas et ignominia ei, qui deserit disciplinam, qui autem acquiescit, gloriabitur. Prov. XIII.

Sapientiam et disciplinam qui abjicit, infelix est, et vacua spes illorum, et labores sine fructu, et inutilia opera eorum. Sapient. I.

Utilitas. — Via vitæ custodienti disciplinam. Prov. X.

Qui docet filium suum, laudabitur in illo, et in medio domesticorum in illo gloriabitur. Eccl. XXX, 2.

Virga atque correptio tribuit sapientiam ; puer autem, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam. Prov. XXIX, 15.

Tene disciplinam, nec dimittas eam. Custodi illam, quia illa est vita tua. Prov. IV.

Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, nec deficias, cum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi in Filio complacet sibi. Prov. III.

Noli subtrahere a puero disciplinam ; si enim percusseris eum virga, non morietur ; tu percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis. Prov. XXIV, 13.

Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Thren. c. III, 27.

Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinæ fugabit eam. Prov. XXII,5.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas. — Magnum depositum habent parentes, filios, si ingenti illos servent cura, atque omnia faciamus, ne fur sit, qui nobis astutus id auferat.Nam ut fundus quidem sit optimus, cuncta molimur, eumque viro fideli magno cum studio tradimus ; cæterum quod nobis omnium carissimum est, omnino negligimus, neque curamus, quo pacto filium nostrum fideli cuipiam viro committamus, quo ipsius tueri ac servare pudicitiam possit. Et certe nullus fundus, nulla possessio æque nobis charus ac gratus esse debet, quippe hæc omnia filiis quæruntur. Igitur major nobis possessionum cura est, quam eorum,quorum illæ gratia comparantur, quod profecto absurdissimum est. Exerceamus igitur ad virtutem atque pietatem molles filiorum animos, cætera omnia secundo loco quæramus. Nam siquidem improbi illi fuerint, nihil eis pecuniæ proderunt ; sin autem probi, nihil ex paupertate lædentur. S. Chrys. hom. IX, *ad Hebr.*

Si magno fœnore argentum tibi esset collocatum in homine grato, nec impotenti, scio hujus te malle litteras liberis relinquere,

ut ingentes inde capiant fructus, quam pecuniam, ne cogerentur alios quærere, ubi tuto queant collocare. Da igitur filiis tuis has litteras, Deum sibi debitorem relinque; hoc chirographum, quod majores omnibus prædiis fructus reddere solet, relinquere filiis recusas; magna certe id est dementia, præsertim cum scias, quia, quamvis hoc filiis relictum sit chirographum, tamen et ipse abiens hinc tecum portas. Talia quippe sunt spiritualia, ut multis multiplicata satisfaciant. Idem, hom. LXXVII.

Unusquisque paterfamilias hoc non ignoret, paternum affectum suæ familiæ se debere pro Christo et vita æterna ; omnes moneat, doceat, corripiat ; impendat benevolentiam,exerceat disciplinam. Ita in domo sua Ecclesiasticum, et quodammodo temporale officium impleat ministrans Christo, ut sit æternum cum eo. S. AUG. hom. L, *sup. Joan.*

Disciplina in duo dividitur, in correctionem et instructionem, quorum primum timore, secundum amore perficitur, Idem. l. *de Moribus Ecclesiæ.*

Ab omnibus libenter disce, quod nescis, quia humilitas tibi commune facere potest, quod natura facit commune. S. AUG. *in epist.*

Adolescentia tamquam subacta et mollis cera est, quæ ipsa impressas in se formas quascumque facile recipit, et mollissime cedit ; confestim igitur ab ipso initio, omni rerum bonarum imbui exercitatione debent. S. BASIL. *in Reg. fus. interpr.* XV.

Cupitis pueros optimis ornari moribus ? Necesse est, ut cum severitate disciplinæ, paternæ pietatis et mansuetudinis levamen eis impendatis. S. ANSEL. *apud Surium, in Vita.*

Qui curam educationis negligunt, iis similes sunt, qui, cum male materiatam et ruinosam videant domum, ipsam quidem instaurare negligunt, amplos autem ei in circuitu hortos disponunt. Aut illis, qui, quamvis morbo conficiantur, cura tamen valetudinis neglecta, aureas sibi vestes contexunt. S. CHRYS. hom. LX. *in Matth.*

Per vinum medeantur vulnera, per oleum foveantur ; miscenda est lenitas cum severitate; sit rigor, sed non exasperans ; sit zelus, sed non immoderate sæviens ; sit pietas, sed non plus, quam expediat. S. GREG. p. 2. *Poss.* c. XI.

Debent filii parentes timere, quod ut efficere possint, pater diligentia sollicita observabit, ne dissoluta lætitia ex inordinato affectu conversetur cum illis , cum jam grandiusculi sunt, sed reverenda maturitate et timoroso amore, ac gravitate discreta et exemplari semper sit ante eos. Insolentes enim solent fieri filii ex nimia lætitia et lenitate parentum, perduntque erga eos reverentiam et timorem. S. BERN. *in ser.* IV. *post Dom.* III. *Quadrag. ar.* 2.

Exerceamus ad virtutem atque pietatem molles filiorum animos, cætera omnia secundo loco quæramus. S. CHRYSOST. hom. IX. tom. 2.

Filiis non rite institutis et educatis, præstat pauperes esse, quam divites, paupertas enim vel invitos coercet, atque intra virtutis limites continet; opes vero ne volentes quidem pudice temperanterque vivere sinunt, verum exorbitare faciunt, atque pervertunt, malisque innumeris subigunt. Idem, *ibidem.*

Nulla ratione fieri potest, ut qui ab ipsis initiis, magna cum diligentia summoque studio fuerit educatus, malus evadat ; neque enim naturalia sunt peccata , ut tantam curam tantamque diligentiam superare prævaleant. Idem, *in Epist. ad Tit.*

NECESSITAS.—Patres,qui filiorum moderationem et temperantiam negligunt, liberorum sunt interfectores, atque ideo illis crudeliores, quod ad interitum et mortem animæ hæc res tendat. S. CHRYS. t. VI *h.* XXVII.

Magnum habemus pretiosumque depositum, filios ; ingenti illos servemus cura, atque omnia faciamus, ne fur id nobis astutus auferat. At vero nunc contra penitus facimus ; nam ut fundus quidem sit optimus, cuncta molimur, eumque fideli viro, magno cum studio, tradimus. Cæterum quod nobis omnium charissimum est, omnino negligimus, neque curamus, quo pacto filium nostrum fideli cuipiam viro permittamus. Certe nulla nobis possessio, nullus fundus æque nobis gratus atque charus esse debet, quippe hæc omnia filiis quæruntur. Igitur major nobis possessionum cura est, quam eorum, quorum illæ gratia comparantur, quod profecto absurdissimum, atque stolidissimum est. Idem, hom. VI, *in* I *ad Tim.*

Dic, quæso, charissime, si filium fame confectum videres, an eum posses contemnere ? Ergone panis fame divexatum non despiceres, divinæ autem doctrinæ fame pereuntem potes contemnere? Quo pacto dignus fueris, ut pater voceris ? Siquidem multo gravior illa hæc est fames quanto funestiorem in

mortem desinit ; unde magis in hoc studium conferendum est. Idem t. V. § 63.

Sicut uberrimum ab optima educatione præmium paterfamilias capiet, quicumque liberos, familiamque suam ad Dei cultum, et ad pietatis, Christianarumque virtutum disciplinam erudierit ; ita, quicumque debitum hoc paternæ curæ officium neglexerit, vel prætermiserit, is expectet, ut in die Domini sibi durissimum judicium fiat. Acta Mediol. *S. Caroli Borr.* fol. 103.

Nulla alia ratione perversi ut sint filii, contingit, nisi quod eorum parentes circa vitæ præsentis commoda æquo amplius incumbunt, et fere dixerim, insaniunt. Cum enim ista solummodo inquirunt, nihilque illis præferendum censent, et suam pariter, et liberorum animam negligere coguntur. S. Chrys. III. *advers. Vitup. monast. vit.*

Difficulter eradicatur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in pristinum nitorem revocet ? Recens testa diu et saporem retinet, et odorem, quo imbuta est. Græca narrat historia, Alexandrum potentissimum Regem, orbisque domitorem, et in moribus, et in incessu, Leonidis pedagogi sui non potuisse carere vitiis, quibus adhuc parvulus fuit infectus. S. Hier. *in ep. ad Latam.*

Valde perniciose sentiet filius patris lenitatem, ut postea juste sentiat Dei severitatem. S. Aug. in Ps. 50.

Omnia, quæ deliquerint filii, de parentibus requiruntur, qui non erudierint, neque corripuerint eos ; hi enim filiorum animos inextinguibili igni in interitum tradunt, et semetipsos in furorem judicii demergunt. Origen l. II, *in Job.*

Hos ergo patres (correctionem negligentes) quod nemo tamen me commotius dicere, quam verius existimet, parricidis ipsis immaniores, sceleratioresque dixerim ; illi enim corpus ab anima disseparant, isti et animam et corpus ignibus æternis tradunt. Atque is, qui corpore occiditur, necessario naturali lege, etiamsi necatus non fuisset, moreretur ; hic vero sempiternam mortem vitare potuisset, nisi hanc illi conscivisset paterna negligentia. Præterea corporis mortem superveniens protinus resurrectionis gloria delere poterit facillime ; animæ vero interitum nihil salvare poterit, cum sibi jam nulla reliqua sit salutis spes, verum immortales cruciatus luere cogatur. Itaque non injuria parentes ejusmodi deteriores parricidis diximus. S. Chrys. l. III, *adv. Vitup. vit. monast.*

Utilitas.—O quam compositum reddit omnem corporis statum, nec non et mentis habitum disciplina cervicem submittit, ponit supercilia ; componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, frenat gulam, sedat iram, format incessum. S. Bern. ep. CXIII, 3.

Nulla est amplior hæreditas, nec præclarius patrimonium, quod parentes suis liberis reliquere ; neque majus pretium, honestioremque mercedem domini iis, qui sibi in servitute operam dant, pro fideli eorum famulatu tribuere ac persolvere possunt, quam si effecerint, ut boni Christiani evadant, quæ virtus omni terreno thesauro multo pretiosior est censenda. Acta Mediol. *S. Caroli Borr.* fol. 288.

Vis filium relinquere divitem ? Bonum illum ac benignum esse doce ; ita enim etiam rem familiarem auctiorem facere poterit. S. Chrys. *loc. cit.*

Præveniamus annos juventutis correctione congrua ; quia melius est dicere : « Deus, qui docuisti me a juventute mea, » quam defleamus dicentes : « Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris ; » hoc enim debilitatis est remedium, illud vero salutis robur ; medicina quæritur vulneri, gratia vero convenit sanitati. » S. Ambr. § 2, *in Ps.* 118.

Institue puerum juxta bivium viæ suæ ; perpende hujus præcepti maximam utilitatem. Pueris quidem, ubi rationis lux mentem ipsorum irradiare cœpit, duplex statim illis via sese offert, alia quidem lata per plana incedens ; alia vero angusta, per incompta et difficilia pergens ; illa vitii, hæc virtutis ; illa allicit, ista deterret. Ne ergo puer in ea ætatis ac morum facilitate latam illam, jucundamque vitii semitam natura suadente, quæ suopte nutu ad malum pendet, sequatur, magistro atque præceptore tunc maxime indiget. Rursum eo tempore, cum neutram expertus est, facile in eam inferri se sinit, quæ melior est ; nam si forte vitiorum viam semel arripuit, cum retro averti, et confectum spatium remetiri opus sit, difficile admodum adduci potest, ut reduces ad virtutem passus regat. Salazar. in c. XXII. *Prov.*

Matres, filiarum curam vobis assumite, est ea cura vobis perfacilis. Ante omnia pias esse religiosasque docete, aspernari pecunias exteriorisque ornatus contemp-

trices esse ; eas si ita instituerit non ipsas modo servabitis, sed etiam filios atque nepotes earum. Chrys. *in Epist. ad Tit.*

Dignitas. — Nec consideramus, nullam artem hoc artificio sublimiorem inveniri. Quid enim majus, quam animis moderari, quam adolescentulorum mores fingere, Omni certe pictore ac statuario, cæterisque ejusmodi excellentiorem eum dico, qui juvenum mores fingere non ignoret. S. Chrys. hom. lx, *in Matth.*

Æquitas.— Desiderant illos (parentes suos filios) valere in sæculo isto, et non curant, quid passuri sint in alio. Alii militias filiis suis provident ; alii honores, et nemo filiis suis providet Deum ; perditionem illorum cum magno pretio comparant, et salutem illorum nec dono accipere volunt. Si viderint illos pauperes, tristantur, et suspirant ; si autem viderint illos peccantes nemo tristatur, ut ostendant, quia corporis sunt parentes, et non animarum. S. Chrys. hom. xx. *Op. imperf.*

EXEMPLA CATHOLICA.

Qualitas. — S. Carolus Borromæus, summa cum sollicitudine, omnibus verbum Dei annuntiantibus tam Parochis, quam quibusvis aliis præcepit, ut parentibus rectam, et in bonis moribus bene ordinatam inculcent liberorum educationem ; de filiorum autem educatione, et totius familiæ cura, quam diligentissime aget, et crebo ; cum optima hæc institutio maxime intersit ad omnes totius Christianæ disciplinæ rationes. S. Carolus, *in* Acta Mediol. f. 448.

Job sanctissimum virum, cum ex virtutibus reliquis Scriptura collaudet, quod fuerit justus, quod verax, quod religiosus, quod pius, tum ex eo maxime, quod filiorum optime nutriendorum, habuerit summam diligentiam ; non enim ea cura utebatur, ut aurum illis copiosissimum acquireret, non ut humana gloria verendos et illustres cerneret, sed quid ille tandem requirebat ? Audi, quid Scriptura dicat : « Cum consummati essent dies convivii illorum, mittebat Job, et purificabat eos ; consurgensque diluculo offerebat pro eis sacrificia ad numerum ipsorum, vitulumque unum pro peccatis, et pro animabus eorum ; dicebat enim Job in corde suo, ne forte filii mei in mente sua mala cogitaverint. S. Chrys. h. xxvii, t. vi.

Mater Melithonis cum vidisset, quod carnifices ipsum fidem negaturum esse sperarent, ipsumque propterea etiamnum viventem, una cum aliis fratrum cadaveribus currui non injecissent, ipsa Melithonem humeris suis impositum ad currum veloci gressu portare conata fuit, quam proinde Deus hac gratia donavit, ut inter maternos amplexus Melithon exspirarit. In cujus amplexu Melithon spiritum Deo reddidit, ejusque corpus in eumdem illum cæterorum Martyrum rogum pia mater injecit. S. Basilius in concione quadam, quam in laudem quadraginta Martyrum habuit, ita loquitur : Revera Martyris mater, revera bonæ radicis germen. Ostendit generosa mater, quod magis ipsum pietatis dogmatibus enutriverat, quam lacte, hic quidem sic educatus, sic a pia matre deductus est. S. Basil. s. de 40. *Martyr.*

S. Ambrosius de matre Machabæorum ait : Ista maternum in hoc ponebat affectum, si filiis magis perpetuam vitam, quam temporalem suaderet. S. Ambr. lib. ii *de Jac.* c. xii.

S. Gregorius Nazianz. in oratione quadem in laudem S. Cæsarii fratris sui habita ostendit, quanto amplius genitores sui in hoc filio vitam amaverint spiritualem et æternam, quam temporalem et corporalem, ait enim : Atque omnes felicitatis numeros expleverunt, excepta hac postrema, ut quispiam existimare queat, sive probatione, sive dispensatione, hoc est meo quidem judicio, ut præmisso eo filio, cui propter ætatis lubricum magis timendum erat, ita jam ipsi securo animo vitam claudant, et cum universa domo ad superna transferantur. S. Greg. Naz. *in Orat.* x. *de S. Cæs.*

S. David, quam bene educaverit Salomonem, in fine vitæ ostendit, quando eidem ad se vocato has doctrinas dedit : Tu autem, Salomon fili mi, scito Deum patris tui, et servi ei corde perfecto et animo voluntario. Omnia enim scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit. Si quæsieris eum, invenies ; si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum. I Paral xxviii.

Tobia senior filium suum ab infantia timere Deum docuit, et abstinere ab omni peccato. Sed et circa finem vitæ quamplurima salutaria præcepta illi dedit, uti l. c. videre est. Tob. c. i et iv.

Susanna, filia Helciæ, erat timens Deum ; parentes enim illius cum essent justi, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi. Dan. c. xiii, 3.

S. Monica S. Augustinum filium Mediolanum usque secuta est, et enixe laboravit, ut facta cum S. Ambrosio consuetudine, ab eodem ad veram fidem reducetur. Surius, 4, *Maii.*

S. Blanca S. Ludovici Francorum Regis mater, peccati gravitatem ita filio depingebat, ut is mallet lepra infici, quam unico peccato. Sed et illa dicere ei solebat : Malo te videre vita privatum, quam unum lethale peccatum perpetrantem. *Vita S. Ludov.* c. xciv.

Utilitas.—Henricus Quartus, Galliæ Rex, a parentibus suis colono educandus traditus est, ibique pecora agere, sudare, algere, et dum per ætatem licuit, militiæ nomen dare jussus est, unde postea in tam præclarum Regem evasit. Engelgr. *Luc. Evang.* p. II *in Dom.* 6 *post. Pasc.*

Damnum neglectæ educationis.

S. Brigittæ olim visa est mulier e caliginoso loco prodiens, sine corde, trunca labiis, naso exeso, oculis in genas propendentibus, exedentibus horrificis pectus vermibus, de filia, tamquam si coram adesset, miserandum conquerens, quod pessima matris exempla et mores imitata, quoties peccat, novis auctibus pœnas illius adaugeat. S. Brigit. *Revel.* l. IX, c. lii.

Alius quidam vir sanctus, Angelo duce, vidit patrem et filium in mediis inferni ignibus mutuo se maledictis proscindentes. Maledicet fili, aiebat pater, quo me miseriarum adduxisti, justis, injustisque artibus utentem, ut te multarum opum haberem successorem? Cui ex adverso filius: Quin imo huc me tua indulgentia, huc tui nimius amor ab religiosæ vitæ desiderio abstractum præcipitavit, detestande parens! Dionys. Carth. de 4. *Noviss.* c. xlii.

Prætextata, jubente viro Hymetio, qui patruus Eustochiæ virginis fuit, habitum ejus, cultumque mutavit, et neglectum crinem mundano more pexuit, vincere cupiens et virginis propositum, et matris desiderium; et ecce, eadem nocte cernit in somnis venire ad se Angelum terribili voce minitantem pœnas, et hæc verba spargentem: Tune ausa es viri imperium præferre Christo? Tu caput virginis Dei tuis sacrilegis attrectare manibus, quæ jam nunc arescent, ut sentias excruciata, quid feceris, et finito mense quinto ad inferna duceris. Sin autem perseveraveris in scelere et marito simul orbaberis, et filiis. Omnia per ordinem expleta sunt, et seram miseræ pœnitentiam velox signavit interitus. S. Hier. ep. *ad Latam.*

In urbe Mantuana juvenis quidam uxorem ducere volens, de conditione autem patris sui, qui senex decrepitus et orbus fuerat, erubescens, ne ipsius causa in die nuptiarum aliquo perfunderetur pudore coram invitatis convivis, eumdem paulo ante nuptias foras extra civitatem perduxit, ut illum in Ecclesia quadam uno milliari a loco habitationis dissita recluderet. Pater autem se e civitate educi videns, quo versus tamen, et in quem finem id fieret, ignorans, omnino anxius et tristis affligebatur; jamque defatigatus eundo, super ingenti quodam lapide se prostravit, in quo decumbens, ex filio causam et terminum itineris perquisivit, de quibus cum a filio certior factus fuisset, mox pater exclamavit, dicens: O digna et vera Dei justitia! Memini, fili mi, quod similiter feci patri meo, quando duxi matrem tuam, et duxi eum per istam viam, et ad istam Ecclesiam, et pausavit super hoc lapide, sicut et ego; ideo bene facis, fili mi, satisfaciendo mihi eo pretio, quo ego satisfeci patri meo; sed unum tibi significo, quod posteris tuis relinquam, ut similiter tibi faciant, sicut tu mihi fecisti. Quod audiens filius, exterritus, magnam Dei justitiam contemplando, reduxit patrem ad proprios lares, et ipsum ad nuptias primatem in mensa locavit, ut decuit. Mansi, tr. 23. disc. 3 n. 7.

Terribilis est casus, qui filiis ab ursis dilaniatis accidisse in Scriptura refertur. Cum enim Elisæus Propheta in Bethel ascenderet, pueri quidam Prophetæ calvitiem in vertice notantes, vocibus ludibriosis post illum clamarunt: *Ascende calve, ascende calve*! quibus sanctus vir Dei, quantumvis alias mitis et clemens, ex parte Dei maledixit: *Qui cum respexisset, vidit eos, et maledixit eis in nomine Domini.* Et ne inanis videretur hæc super eos pronuntiata maledictio, sacer textus subjungit. *Egressi sunt duo ursi de saltu, et laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* Per quod supplicium Deus edocere voluit, quæ mala parentum exempla filiis creant. Pueri parvi edocti ad hoc et incitati a suis parentibus idolatris, ut subsanarent Prophetam Domini, et ideo maledixit eis, ut parentes eorum ipsis punirentur, et ut malitiam

parentum amplius non imitarentur. S. Aug. inquit : Rem parentibus instigantibus fecisse pueri contumeliosi credendi sunt ; neque enim illi clamarent, si parentibus displiceret. Ast, juxta Justini Martyris sententiam, Deus puerorum clade parentes flagellavit, ac simul posteros monuit, ut in vero Dei cultu, modestia, et probitate filios suos educent, ne similiter castigentur. Ibid. n. 9.

Dum Ismael ab Agar supra modum dilectus, sed male educatus, cum Isaac insolenter et inverecunde luderet, causam dedit, quod cum ipso simul et mater in exilium pulsa, indigneque habita fuerit. Ibid. disc. IX. n. 10.

Pœnæ filiorum parentes non reverentium.

S. Bernardinus refert, se a persona quadam fide digna memorabile quoddam audisse facinus, quod suo tempore contigerat, de filio quodam impio, qui parentem e domo sua exturbatum, et improperiis onustum, per capitis comam et barbam apprehendit, pugnisque et calcibus crudeliter contudit, ac demum per longum plateæ spatium per terram raptavit. Cumque ad certum quemdam illius plateæ locum pervenisset, pater ille sic misere tractatus, his filium suum verbis affari cœpit : Non plus, non plus, fili mi, quia hucusque traxi ipse patrem meum, et tu, fili mi, fecisti vindictam ejus ! Nimirum, quia recordabatur, quam indigne ipsemet, spectante filio suo, patrem suum filii avum tractaverat, facile intelligebat, Deum justo judicio suo permittere, ut idem quoque de manu filii sui pati cogeretur impietatis supplicium. Intelligens judicium Dei, filio cum lacrymosis gemitibus et ululatibus ait : Non plus ! etc. S. Bern. tom. II, *in Domin.* II. *Quadrag.* s. 27.

Refert quoque aliud simile, quod in territorio Foroliviensi in Spilimberg contigit. Cum enim dominus castelli illius quadam vice ingens in domo quadam audisset clamantis lamentum, eo ingressus, invenit filium diris modis patrem suum percutientem. Unde compassione erga patrem commotus, et furore peractus in impium filium, eumdem velut tigride sæviorem justis afficere pœnis statuit. Sed ecce, inquit S. Bernardinus, mox pater ille genuflectens coram domino, dixit : Ne percutias filium meum, quia etiam ego verberabam genitorem meum. Quod audiens ille, et considerans judicium Dei, statuit quod de cætero ad libitum ipsum impune verberaret. Ib. S. 12.

In villa rusticus aliquis labium faciebat, et puerulus suus ait : Pater, quid vis facere? Et rusticus ait : Volo in labio isto dare comedere avo tuo. Et puer a Deo inspiratus, dixit : Pater mi, fac ipsum bene magnum, quia cum eris senex, sicut est avus meus, ego similiter dabo tibi comedere intus. Ibidem.

P. Cæsar Franciotti, in libro de Sanctis Lucensibus, in prima de S. Angelo observatione funestum hunc narrat eventum, ab Archiepiscopo Ragusensi, Vincentio Dalportico, Nobili Lucensi, R. P. Joanni Leonardo, Fundatori Congregationis Matris Dei, narratum. In insula Ragusensi rusticus, cognomine Boscas, quemdam habebat tantæ impietatis et insolentiæ filium, ut matrem graviter percuteret, et enormes injurias adderet plagis. Exasperata mater filio in hæc verba maledixit : Utinam pereas, neque ossa tua terra, aer, aut mare conservet! Maledictio suum sortita est effectum post exile spatium, quando mortuum atque sepultum terra evomuit cadaver, in aerem sublimatus corruit in terram; in mare projectus ad littus repertus, atque prostitutus inventus est. Mater suæ memor maledictionis, filium mortuum in altum mare, dum maxime desæviret, fecit deferri, moxque ferum elementum corpus in scopulum impegit tribus acutum partibus, quarum quælibet frustum cadaveris a trunco divulsum sibi univit, subito transmutatum in saxum. Cæsar. Franciotti, *in lib. de SS. Lucensibus.*

Eodem in loco idem tradit auctor, quod in Diecimo, loco Episcopatui Lucensi subjecto, anno 1592, quidam Pater Dominicanus, Prior S. Mariæ Della Cerqua, prædicans de bona educatione, obedientia, et respectu erga parentes, tale de se, suisque fratribus publice perhibuerit testimonium. Quinque in sæculo degebamus fratres, quibus quadam in occasione indignatus pater maledixit, eo effectu, ut paulatim consummaremur omnes ; mortuisque quatuor aliis, solus ego superstes eram, qui, ut divinam vindictam subterfugerem, Statum Religiosum amplexus sum. Surius, 25. *Maii.*

Joannes, Archiepiscopus Aretinus, in vita S. Zenobii Episcopi Florentini, de divite quadam muliere, eaque vidua tradit, quod duos delicate admodum enutrierat filios, a quibus postmodum graviter percussa, hanc eis maledictionem imprecata est, ut ab om-

nibus agitarentur dæmonibus, moxque omnes ab infernalibus obsessi spiritibus, et furibundi se invicem tamquam canes rabidi dilacerare cœperunt, nec ullius iis, præterquam S. Zenobii, qui eos et matrem baptizavit, preces opitulatæ fuere.

Pater quidam multa cum industria et sudore paupertatem in magnas commutarat divitias, unicum, quem habebat, filium nobili feminæ desponsavit, quæ formæ suæ raritate ita mariti animum devicit, ut faceret quodlibet ad libitum suum ; soceri itaque pertæsa, maritum induxit, ut eum male tractans, vix vitæ necessaria subministraret. Die igitur quadam a fame stimulatus, abiit, ut necessariam peteret vitæ sustentationem ; mulier itaque marcidas aliquot ei offerens fabas, sicque abire jusso senecione, ad suum se convertit maritum, cum dicto : Modo possumus comedere in pace ; vade ad arcam, et accipe caponem coctum. Et cum aperuit, mutatus capo in bufonem, qui subito saliens ad faciem ejus, ponebat duos pedes ad mentum, et duos ad frontem, et operuit totam faciem ejus, et non fuit medicus, qui sciret eum amovere. Tandem venit quidam, qui fecit tenellas quasdam, et dixit, quod eum amoveret ; tunc bufo aspexit eum tam terribili vultu, quod ille cecidit in terram, et amplius non audebat aliquid facere ; et nullus fuit, qui sciret apponere consilium, sed mala morte mortuus est. Thomas Cantipratanus diversas aliquot addens circumstantias differentem a prædicto casum videtur insinuare in hæc verba : Et erat illud supremi stuporis miraculum, ut, si quando monstri illius pars aliqua tangebatur ac si percuteretur in corde, ita homo sensibiliter lædebatur. Conterritus itaque mirabiliter et contritus, adiit diœcesanum Episcopum, et cum omni dolore confessus, pro pœnitentia recepit ab illo, ut per omnes fines Normanniæ, et Galliæ civitates, revelata facie circuiret, et ubique narraret populis eventum rei ut per hoc exemplum sumerent filii, honorare parentes, et discerent, quam periculosum sit et nocivum, vicem non rependere laboribus, quos ipsi parentes filiis impenderunt. Hunc hominem cum bufonis monstro circumeuntem F. Joannes de Magno Ponte, Ordinis Prædicatorum, sicut per ipsum nobis relatum est, vidit in juventute Parisiis palam referentem omnibus, et monstrantem, quod pro inhonoratione parentum passus fuerat multis annis, et adhuc secundum Dei voluntatem pateretur. Subditque, se a fide dignis accepisse, dictum infelicem per aliquorum sanctorum Dei servorum preces, ab illo monstro liberatum fuisse. Thom. Cantipra. l. II, *Apum.* c. 7, n. 4.

Sanctus Bernardinus Senensis historiam quamdam refert, quæ in civitate Bergomi accidit, de quodam patre, lucris et usuris totaliter immerso, ut filiis suis locupletem hæreditatem relinqueret. Qui filios erga se irreverentes et inobedientes ut vidit, in semetipsum reversus, dixit : Ego animam meam propter ipsos contemno, qui in vita sua erga me sunt contumaces ; experiri statui, quomodo adjuturi sint animam meam in casu, quo morerer. Ac proinde conjugi suæ secretum cordis sui communicavit, quæ cum ei consilii maritalis altum promisisset silentium, pater ille se graviter infirmum esse finxit, et post quinque dies mulier domum egressa flens et ejulans, filiis, patrem mortuum esse, dixit : Qui subito ubinam claves ærarii depositæ essent, anxie quæsiverunt, quibus mater maritum suum, priusquam moreretur, serio sibi præcepisse, dixit, ne claves illas in ullius alterius hominis manus consignaret, eo quod pro conscientia sua exoneranda pecunias a se relictas pauperibus distribui vellet, eo quod per usuras comparatæ fuissent. Quo audito, unus filiorum cum imperio et arrogantia claves se habere velle respondit ; mater autem se illas in pectore gestare cum dixisset, ille violentas pectori manus intulit, cumque illa cum filio suo luctaretur, alter filius natu major cameram, in qua pater decumbebat, una cum aliis ingressus, nec tamen lectum, in quo pater jacebat, respiciens, ærarium, in quo pecunia deposita erat, ferro violenter rupit. Tunc pater levato capite dixit : Quis rumor, o filii ? Cur tanto impetu matrem perturbatis vestram ? Ecce vivo ! Et surgens ejecit filios de thalamo ; et conversus ad se, vidit periculum animæ suæ, et confessus male ablata restituit, et omnia pauperibus erogavit. S. Bern, t. IV.

In historiis Hispaniarum, de Alphonso VI legitur quod, cum Theresiam matrem suam in vincula conjectam compedibus innexuisset, ipsa prophetando ei dixit : Quia vinculis crura mea strinxisti, Deum precor, ut ab hostibus capiaris, et crura tua fracta conspicias. Quæ omnia magno ejus infortunio de ipso verificata fuerunt. Rod. Santius p. 1, *Hist. Hisp.* iv, 14.

S. Gregorius Turonensis, utpote testis oculatus, de Meroveo, filio Chilperici Regis Franciæ, refert, quod cum regnandi cupidus esset, atque a patre suo ob sæpius inde natas turbulentias, detonsa coma in monasterium quoddam reclusus fuisset, is ab eodem fugiens, Turonas ad templum Sancti Martini confugit, ubi ab historico, qui historiam hanc scripsit receptus fuit. Meroveus autem de patre atque noverca multa crimina loquebatur, quæ cum ex parte vera essent, credo acceptum non fuisse Deo, ut hæc per filium divulgarentur, sicut ex sequentibus cognovi. Quadam enim die ad convivium accitus, dum pariter sederemus, suppliciter petiit aliquid ad instructionem animæ legi; ego vero reserato Salomonis libro, versiculum, qui primus occurrit, arripui, qui hæc continebat : « Oculus qui respexerit adversus Patrem, effodiant eum corvi de convallibus. » Ille vero non intellexit, considerans hunc versiculum ab Episcopo præparatum. In eo namque adimpletum fuit hoc a Sapiente comminatum supplicium, quia a patre Chilperico excæcatus, et vita privatus fuit. Pater quoque, qui illum excæcaverat, a Fredegunde uxore sua morte violenta fuit sublatus. Mansi, *disc.* xv, 8.

S. Bernardinus Senen. refert, in Catalonio, in civitate, quæ Sui appellatur, et Valentiæ vicina existit, juvenem quemdam octodecim annorum patri suo inobedientem, facinorosum factum fuisse latronem, atque a Justitia apprehensum in furcam fuisse adactum; eo autem ex patibulo pendente mirum hoc successit prodigium. Adhuc in patibulo pendente, cum esset omnino imberbis, vidente ac mirante cuncto populo, paulatim emittit barbam, mutat faciem, capilli capitis pendent, gradatim senescens usque ad decrepitam senectutem, et quasi nonaginta annorum ætatem ostendens, cuncto populo admirabilis factus. Cucurrit ad miraculum Episcopus cum universo Clero, et cuncto quasi civitatis populo, stupent omnes, ignorant mysterium, expectant eis revelari secretum, surgit in loco eminenti Episcopus doctus, manuque silentium indicens turbæ ait : Viri fratres, et filii mei dilecti, nostis juvenem hunc, qua culpa, qua vita, qua etiam ætate interiit, conspicite eum nunc ætate senem decrepitum atque canum, ut intelligatis hoc patens judicium Dei, quod huic diu victuro, a Deo misericorditer, per sua crimina, et parentum inobedientiam, abbreviata est vita. S. Bern. t. II, s. 17, *in Dom.* II. *Quadr.* n. 3. c. I.

Mater quædam filiæ inobedienti, 8 annorum, assueverat maledicere, eique imprecari, ut a lupis devoraretur. Anno itaque 1592, in festo Corporis Domini, dum omnes domestici reliqui ad Missam audiendam se contulissent in Ecclesiam, solam in domo superstitem filiam invasit discerpsitque lupus, cujus partem suis vicinis detulit catulis, reperto postmodum puellæ capite in specu lupina. Mansi, *disc.* xviii, 4.

Filiorum bene educatorum observantia erga parentes.

Thomas Morus, Magnus Angliæ Cancellarius, qui pro fidei Catholicæ defensione Martyr occubuit, adeo erga genitores suos venerabundus extitit, ut etiam in sublimi illa dignitate constitutus, non dedignaretur, etiam conjugatus, et provecta ætate conspicuus, patris benedictionem quotidie postulare. Stapleton. *in Anglia.*

Eustochia ita matri semper adhæsit, et ejus obedivit imperiis, ut numquam absque ea cubaret, numquam procederet, numquam cibum caperet, ne unicum quidem nummum haberet potestatis suæ, sed et paternam et maternam substantiolam a matre distribui pauperibus lætaretur, et pietatem in parentes, hæreditatem maximam et divitias crederet. S. Hier. *in Ep. ad Paulam.*

Fulgosus refert de quodam aurificis Toletani filio, quod, cum pater ejus ob falsam suspicionem ad patibulum condemnatus fuisset, filius autem patris innocentiam justificare non potuisset, omnibus viribus possibilibus judicem eo inclinare studuerit, ut patris loco ignominiosam mortem subiret, quod et obtinuit, sicque honoris et reverentiæ paternæ victimam mortuus fuit. Fulgos. l. V, c. IV.

EXEMPLA PROFANA.

Qualitas. — Ælianus lacrymosam integræ cujusdam familiæ, quam in barathrum mortis et desperationem, malum cujusdam unius patris exemplum præcipitarat, hanc scribit tragœdiam. Macarius, Jovis impii sacerdos et ipse impiissimus, proditoriam mortem cuidam intulit homini, qui in certo templi an-

gulo dives quoddam occuluerat depositum ; mortuum itaque in eodem situ sublatis pecuniis sepelivit. Duo filii, qui iniqui sacrificii illius fuerant spectatores, in absentia patris eum imitaturi, ad altare accesserunt. Ardente itaque igne junior cervicem porrexit, majorque gladio forte fortuito invento juniori caput succidit, quo spectaculo atte ritis domesticis accurrit mater, quæ filii morti ingemiscens, titione ardenti ex altari sublato fratricidam peremit; quæ nuntia intelligens Macarius furibundus advolat, hastaque arrepta trucidat conjugem, qui, rumore divulgato, captus, crimenque confessus, et ipse ad mortem condemnatus fuit. Ælian. t. XIII. *Var. hist.* c. II.

Lycurgus, Lacedæmonum legislator, legibus Reipublicæ promulgandis animo intentus, Lacedæmonibus, quanti referat juventutem a primis annis virtuose educare , persuadere volens, duos enutrivit caniculæ catulos, ab eadem matre eodem tempore progenitos, quorum unum in domo sua laute cibavit,alterum vero venationi adaptare volens, campos semper oberrare fecit; tandem vero utrumque in conspectum populi et Magistratus adducens, ex una parte cibos apposuit lautos , ex alia vero vivum collocavit leporem ; moxque is, qui prædæ capiendæ assuefactus fuerat, leporem solutum videns, eumdem relictis cibis delicatis strenue est insecutus ; alter vero ad cibos præparatos advolavit; tuncque sapiens hic legislator populo dixit : Duo hæc animalia ab una eademque matre, uno eodemque partu sunt progenita, et tamen magnam in illis conspicitis differentiam, cujus causa est diversa utriusque educatio , quam sunt sortita. Moxque inde occasionem sumpsit firmiter eorum animis imprimendi , quanti referat bona filiorum educatio , qui tametsi sint unius ejusdemque arboris rami , attamen bonus vel malus eorum exitus et eventus, a bona vel mala educatione dependeat; siquidem totius reliquæ vitæ mores ab iis, qui in primis annis comparati fuerunt, semper derivantur. Mansi, *disc.* VI. 8.

Plutarcus apud Lacedæmones duos fratres fuisse scribit, qui, cum inter se litigarent, tandem causa in judicium deducta, ambo ab omni fuerunt reatu absoluti. E contra vero punitus pater, eo quod auctoritate, disciplina, bonoque exemplo, filiorum discordiam non prævenisset. Plutarc. *apud Lacedæmon.*

Cornelia, Gracchi mater, cum Campana mulier ornamenta sua pretiosissima illi ostenderet, traxit eam sermone, donec liberi e scholis redirent, et tum iis ostensis : Hæc, ait, ornamenta sunt mea. Significans , nihil præferendum filiorum educationi. Plutarc.

Alexander Magnus fatebatur , se plus Aristoteli præceptori, quam Philippo parenti, obligatum esse, quod ab hoc esse dumtaxat, ab illo bene vivere accepisset.

Cum Respublica Atheniensis gravissimis vitiis scateret, et ideo Senatus consilium iniret, qua ratione pristino vigori restitui posset; quidam putridum pomum in medium protulit, dixitque, illi Rempublicam similem esse ; sed tamen, sicuti ex granis hujus pomi terræ mandatis frugiferæ plantæ excrescere possunt ; ita non minorem fructum in Republica sperandum, si juventus velut semen e terra enatum singulari solertia excolatur. Engelgr. p. 2. *Luc. Evang. in Dom.* VI *post Pasch.*

Filiorum reverentia erga parentes.

Auctor quidam , qui Indiarum Historia conscripsit, inviolabilem populorum illius regionis consuetudinem esse dicit, quod patris, matrisque exequias integro triennio continuare soleant; cujus hanc assignat rationem, ut suis parentibus,qui primæ ætatis triennio eos ulnis gestaverant, tantoque labore educaverant, vicem rependant. Trigaut. *in Exped. Sin.* l. I, c. VII.

Idem auctor scribit, quod filii sæpe parentum suorum cadavera diuturno tempore domi conservent, eaque certo quodam translucido bitumine aspergere soleant, ne eadem cadavera malum de se spirent odorem, interea vero quotidie cibum et potum ipsis offerant, haud secus, ac si viverent. Ibid.

Admiratione dignissima est compassio filiæ illius erga matrem captivam ; cum enim illa a præfecto carceris cibum matri deferri prohiberetur, illa cibi loco, porrectis matri uberibus suis, lac ei suum propinavit. Deprehensa est uberibus alens eam, quo miraculo matris salus donata pietati est, ambæque perpetuis alimentis ; et locus ille eidem consecratus Deæ, templo Pietatis extructo in illius carceris sede, ubi nunc Marcelli Theatrum est. S. Ambr. l. V, *Hex.* c. XVII.

Exempla brutorum.

Cassiodorus, ad nostram confusionem, libro secundo Epistolarum suarum de ciconiis ita scribit : Cum parentes earum pennas senio cogente laxaverunt, nec ad proprios cibos idonei possint inveniri, plumis suis genitorum membra foventes, escis corpora lassa reficiunt, et pia vicissitudine juvenes reddunt, quod a parentibus parvuli susceperunt. Cassiod. l. II, *Epist.*

Plutarcus de leonibus scribit, quod juniores prædam suam dividant cum senioribus. Plinius similiter inquit : Glires genitores suos fessos senecta, insigni alunt pietate. Plutarc. *de Solert. animal.*

In historia quadam antiqua pariter legimus, quod conflagrante fere toto Delphio Batavorum oppido, ciconiæ proles suas adhuc implumes ab incendio protegentes alis contexerint, rostro detulerint, ac pedibus, ut eriperent; et ne officium intermitterent paternum, numquam deseruerint, quin potius mortem cum illis sustinuisse propalam visæ sint. Mansi, *disc.* xiii, 6.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut agri non omnes fructiferi sunt, qui coluntur; ita non omnes animi eumdem ex cultura fructum ferunt. Plutarc.

Sicut gypso madido celerrime utendum quod celerrime siccetur; ita statim fingenda litteris ac moribus ætas rudis, prius quam durior facta non admittat fingentis manum. Josephus Lang. *in Polyanth. V. eod.*

Sicut terræ non quæcumque semina injicimus, sed quæ utilem dumtaxat fructum promittunt; ita neque pueros disciplinis licet fallere, quæ tantum decorem afferunt, sed quæ conducunt, et vitam potius, quam linguam formant et erudiunt. Ibid. *V. Institut.*

Sicut rami et surculi natura parvi et tortuosi, numquam redigi ad rigorem possunt, quamvis manu tractentur, et emolliantur, sed ad naturalem statim parvitatem recurrunt; sic ii, qui parum honeste nati et educati sunt, continuo ad humum spectant, hoc est, vilissima ministeria adamant, nec in sublime animos attollunt, nec recti umquam, nec liberi sunt. Ibid. V. *Educat.*

Sicut arbor semper ejusdem qualitatis fructus producere continuat, cujus producendi virtutem a principio, priusquam alteri insita fuit, in se habuit, nec umquam ab illis degenerat; eodem quoque modo homo in iisdem moribus, indole et consuetudinibus, quibus a principio assuevit, in totius reliquæ vitæ decursu semper continuat. Hinc S. Aug. « Est nativitas quasi abor, quæ inseritur, quæ si bono surculo inseritur melior fiet, si malo, deterior; ita et nativitas, si bona accedat doctrina, bonos faciet fructus; si mala, malos. » S. Aug. l. IV, *ex qq. Vet. Test.*

Sicut artifex quatenus formam aptam ex lamina aptet, nunc eam suo instrumento lenit, premit et percutit, nunc discreto levamine lenius lævat et format; sic et vos, si pueros vestros cupitis ornatis moribus esse, necesse est, ut cum depressionibus verborum impendatis eis paternæ pietatis, et mansuetudinis levamen, atque subsidium. S. Anselmus, apud *Surium*, 22. *April.*

Necessitas. — Sicut aqua in areola digitum sequitur præcedentem; ita ætas mollis et tenera in utramque partem flexibilis est, et quocumque duxeris, trahitur. S. Hieron. *ad Gaud.*

Sicut in agrorum cultura bonam in primis terram esse oportet, tum serendi et colendi terram peritum agricolam, deinde optima semina; eodem modo loco terræ natura, locoque agricolæ præceptor, et loco seminum institutio bona esse oportet, ut probe pueri educentur. Plutarc. *Puer. de Educ.*

Sicut si cera nimis dura vel mollis fuerit, sigillo impresso, ejus figuram in se nequaquam ad plenum recipit, si vero, ex utrisque, duritia scilicet atque mollitie discrete habens sigillo imprimitur, tunc forma sigilli omnino perspicua et integra redditur; sic est in ætatibus hominum. Videas hominem in ætate hujus sæculi, ab infantia usque ad profundam senectutem conversatum, sola terrena sapientem, et in his penitus obduratum, cum hoc age de spiritualibus, hunc cœlestia secreta doce rimari, et perspicies eum, nec quid velis quidem posse videre; nec mirum, indurata cera est, in istis ætatem non trivit, aliena ab istis sequi didicit; e contrario consideres puerum ætate ac scientia tenerum, nec bonum, nec malum discernere valentem, nec te quidem intelligere de hujusmodi disserentem; nimirum mollis cera est, et quasi liquens, nec imaginem sigilli

quoquo modo recipiens. Medius horum adolescens et juvenis est, ex teneritudine atque duritia congrue temperatus ; si hunc instruxeris, ad quæ voles, informare valebis. Quod ipse animadvertens, juvenibus majori sollicitudine invigila, procurans in eis vitiorum germina exstirpare. S. Anselm. lib. c.

Sicut lac, quod a nutricis ubere sugimus, est illud, unde hæc nostra corpulentia componitur, dum scilicet ejus substantia, in ossa infantis, medullas, venas, arterias, omniaque alia membra distribuitur; ita idem de hominis pueritia asserere possumus; omnes enim hominis inclinationes, mores, virtutes, omniaque alia bona, quæ in totius vitæ decursu habemus , fructus sunt bonæ disciplinæ et educationis , qua homo in adolescentia sua coercetur. S. Clem. Alex. I *Pæd.* c. ix.

Sicut ferarum quævis suam semitam sibi propriam aperit , ac per eamdem semper in sua vivaria aut speluncas sine errore aliquo it reditque; ita per raro priori dimissa, aliam sibi aut ipsa referet, aut ab alia jam tritam carpet, ex quo demum fit, ut fere assidua ejusdem semitæ repetitione , sui notas et odorem in ipsa relinquat, per quas sagacitas canum easdem persequitur. et assequitur. Ergo hac in re non dissimile hominum ingenium , singuli ab initio propriam sibi semitam aut vivendi rationem usurpant; et ab ea deinceps nullis dehortationibus arceri, et in aliam induci possunt. Mansi, disc. vi, 6.

Sicut quod in tenera ætate in ossa ingreditur, et simul cum ossibus crescit, tandem induratur, et una eademque res cum illis efficitur; ita pariter vitia, et mali mores in juventute acquisiti adeo firmiter in nobis radicantur, ut ad ultimam usque ætatem inseparabiliter nos comitentur. Ibid. n. 5.

Sicut arbores et plantæ cum e terra nascuntur, per se silvestres sunt, nec fructus bonos producunt, quibus hortulanus surculos inserit fecundos, eos potat, et prout opus fuerit, amputando, hinc inde ramos præscindit; ita homo, qui arbori a Psalmista assimilatur, dum ait: « Lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, ut fructum faciat, » ignemque inferni inextinguibilem evadat, necesse est, ut, dum parvulus et tener est, amputetur, et inutiles rami præscindantur, surculi boni inserantur salutarium dogmatum et disciplinarum, idque quamdiu in eo durat ætas immaturior, tunc enim doctrinam sibi traditam facilius apprehendit, tenaciterque retinet per reliquum vitæ. Idem. disc. viii, 1.

Sicut nulla est arbor, quæ non sterilescat, ac tortuosa fiat, si cultura desit ; ita nullum tam felix est ingenium, quod non degeneret citra rectam educationem. Plutarc. in *Moral.*

Sicut nullus equus recte sessori paret, nisi arte domitus ; ita nullum ingenium non ferox, nisi præceptis cicuretur et educatione. Ibid.

Sicut molli materiæ facile sigillum imprimitur , duræ non item ; ita puerorum ingenia, dum mollia sunt , excoli debent; sin autem ætate indurescant, vix recipient disciplinam. Ibid.

Sicut ager, nisi colatur, non solum infrugifer manet, sed etiam silvestria germina producit; ita adolescentia rationis capax, nisi præceptis honestis exerceatur, non solum non evadet bona, sed etiam ad multa vitia deflectet. Ibid.

Sicut neque terra, quæ media æstate obduruit, neque quæ hyemis rigorem sensit, sed quæ ineunte vere aperitur, et adhuc mollescit, semen utiliter excipit; ita prima pueritia ad præceptiones imbibendas maxime idonea, atque ideo sedulo excolenda est. Thriwerius, in *Apopht.*

Sicut terra, licet semel culta sit, iterum tamen suapte natura exhorrescit, nisi iterum aratrum admoveatur, ac semen immittatur; ita licet pueri a teneris unguiculis probe instituti sint, vitia tamen mox repullulant, nisi crebra admonitio et excitatio ad virtutem accendat. Ibid.

Utilitas. — Sicut nulla tam fera est bellua, quæ non mansuescat cura; ita nullum tam agreste est ingenium, quod institutione non mitescat. Plutarc. in *Moral.*

Sicut ursus informes gignit catulos, et lambendo format ; ita rudem ingenii fœtum diutina cura expoliri convenit. Plinius, l. VIII, c. xxvi.

Sicut arbor per se infrugifera, tamen insitione discit ferre fructus ; ita pravum ingenium institutione ad bonam frugem reduci potest. Idem. l. XVII, c. xiv.

Sicut fœnum Græcum , quo pejus tractatur , hoc provenit melius ; ita liberi quidam, quanto habueris indulgentius, tanto minus proficiunt ; neglecti vero et vexati, in viros insignes evadunt. Idem, l. XVIII, c. xxvi.

Sicut si amicum præcipitem pede appre-

henderes eumque vulnerares; ita tamen ut a discrimine præsentissimo ipsum eriperes; quidquid foret de plaga, ingens certe illi beneficium præstitisses, scilicet vitæ; ita et in præsenti asserere licet, quod, licet pater virgam disciplinæ infligat filio, in vitiorum, et scandalorum barathrum ruenti, nihilominus insignia edat amoris et beneficii paterni indicia, dum filium hoc modo a præcipitio ereptum, in securo constituit corporalis et spiritualis salutis statu. Mansi, disc. VIII, 2.

Sicut qui in agro et vinea sua diligentem operam collocat, evadit pauperiem; ita si in filio tuo operam navaris strenuam, filium a turpitudine liberas. Paulus de Palat. *in c.* XXX *Eccl.*

Jucunditas. — Sicut agricola vehementer exultat, generosos fœtus ex arbore legens, quam suis quondam manibus conseverat, ac multa cura coluerat; ita præceptores ac parentes merito gaudebunt, si mores intueantur eorum, quos a prima pueritia bene, feliciterque formaverunt. Politian. l. VI *Ep.*

Damnum malæ educationis.

Sicut equus indomitus evadit durus, et in præcipitium vadit, et se et sessorem interficit; sic filius indisciplinatus in peccatum ruit, et se et animam suam duplici morte occidit. Hugo Card. *in* c, XXX. *Eccl.*

Sicut qui avide rem acidam edunt, tunc quidem gaudent, postea vero sentiunt dentium stuporem; ita si filio corrideas, tunc quidem ridebis, sed risum lues postea dolore. Paulus de Palat. l. c.

Sicut simiæ, dum catulis suis blandiuntur, eosque etiamnum teneros inter brachia sua fortiter stringunt, suffocant eosdem; ita multi homines per blanditias, et nimiam benevolentiam, filios educant petulantes, et Dei inimicos, atque a bona disciplina, probisque moribus aversos et alienos. Plutarc. l. c.

MOTIVA.

Necessitas; de qua sic loquitur S. Chrysostomus : Illud autem vestram charitatem rogaverimus, ut et vos virtutis curam geratis, et continentiam liberos vestros doceatis. Hinc enim, ut ita dicam, omnia mala nascuntur. Consuetudo enim malitiæ processu temporis invalescens, tantum facit malum, ut postea non possit aliqua vinci admonitione, et cum semel a malitia fuerunt occupati, quasi in captivitatem essent abducti, quocumque diabolus jusserit, eunt. Hinc et Plato dixit : Optima quæque sive naturæ sive fortunæ munera, si negligenter culta fuerint, in pessima tandem evadunt. D. Chrys hom. LIX *in Gen.*

Utilitas; quia pater bonus mortuus in filio vivit, quia filius patris mores gerit, et ingenium; et si caro patris mortua sit, spiritus ejus in filio vivere videtur. Paulus de Pal. *in* c. XXX. *Eccl.*

Cui simillimum in sensum, verbis licet diversis, Hugo Card. subscribit, inquiens : Quasi non est mortuus, quia vivit in filio doctrina ejus, et conversatio, similem enim sibi reliquit post se, qui eum factis repræsentat. Hugo Card. ib.

Quod etiam confirmans S. Ambrosius, in morte Theodosii Imperatoris sic locutus est: Ergo tantus Imperator recessit a nobis, sed non totus recessit; reliquit enim liberos suos, in quibus eum debemus agnoscere, et in quibus eum cernimus, tenemus.

Æquitas; quia quotidiana nos experientia docet, quod granum frumenti ad fructificandum longo tempore indigeat, alia vero semina non item; unde colligitur, quod ad suffocandum semen bonum, ne fructum reddat, tanta celeritas minime necessaria fuerit; cur igitur diabolus tam repente zizaniis superseminandis dat operam? Sed in promptu est responsio, quia omnia in figura contingebant : Diabolus enim semper, ut inquit D. Chrysologus, hunc stylum servat, quod primordia boni pulsat, sancta in ipso ortu festinat extinguere, sciens, quod ea subvertere fundata non possit. In ætate igitur tenerrima diabolus mala instillare dogmata nititur, et impedire, ne bonum semen, id est, bona educatio in primis vitæ annis radices agat, quia in his tam virtus, quam vitium, facilius addiscitur, et retinetur. Seneca ætatem maturam et teneram inter se comparans ait : Grandior ætas dura et intractabilis non potest reformari, tenera fingitur. D. Chrys. Serm, XV.

Jucunditas, quam D. Chrysostomus indicavit, dicens : Nam si jucundum est videre arborem, quæ habet novam plantam e radice sua exsurgentem; multo magis jucundum est videre hominem omni olea amœniorem a radice sua filium habere astantem, quasi novam plantam. S. Chrys. tom. I, hom. LXIX.

Damnum malæ educationis; nam, ut bene advertit S. Bernardinus, quando filius non timet Deum, neque cognoscit, neque amat, non expectet pater, quod sit gratus versus se, quia qui non curat de Deo, qui pater est omnium, multo minus curabit de patre terreno. S. Bernardinus Senensis, s. xii, *in Dom.* ii, *Quadr.*

MEDIA.

Gratiæ divinæ imploratio; ut enim, licet agricola aret, et seminet agrum, nihil tamen efficiet, nisi solis influxus accedat; ita, nisi Deus per gratiæ suæ radios cooperetur, omnis institutio inutilis erit. Triverus, *in Apoph.*

Recta instituendi dispositio, quæ juxta Boetium in tribus consistit, in attentione, benevolentia, et docilitate, ut scilicet sit docilis ingenio, attentus exercitio, benevolus animo. Hinc et illi, qui equos instruere volunt, ante omnia recte freno parere docent. Boet. *de Schol. discipl.*

Instituentis discreta directio; nam, ut sapienter advertit S. Gregorius, miscenda est lenitas cum severitate, et faciendum ex utraque quoddam temperamentum, ut nec multa asperitate exulcerentur subdidi, nec nimia lenitate solvantur. Hinc olim in arca cum tabulis legem comprehendentibus manna et virga simul posita fuerant. S. Greg. l. XX, *Moral.*

Vigilans custodia in removendis impedimentis; ut enim agricolæ vallos apponunt arbusculis, quo securius crescant; ita qui alios instituit, sua custodia et vigilantia eos vallare debet. Plutarc. *in Moral.*

Exemplum parentum, aut moderatorum; nam sicut omnis arbor bona bonum fructum facit; ita parentis vitium est filiorum exitium, sicut in arboribus vitium seminis totius arboris vitium est. Hinc et Plutarcus prudenter pronuntiavit : Ante omnia decet genitores numquam titubando, sed omnia rite agendo, illustre liberis semetipsos exemplum proponere, quo ipsorum vitam sicut speculum respicientes a turpibus factis et dictis deterreantur. Unde et, juxta notam fabulam, interrogatus cancer, quare sic retrorsum iret? respondit, quod sic a patre didicerit. D. Chrys. *log. ser.* xxi.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, *in quo consistat bona educatio;* quod inprimis indicat Salvianus super illa Psalm. lxxvii, verba : « Quanta mandavit patribus nostris; » sic discurens : Videtis, quas parari opes a parentibus filiis Deus jubeat, non pecuniarios thesauros, nec graves metallo aureo saccos, non superbas, ac præeminentes excelsis urbibus domos, non fundos interminabiles; non hæc Deus præcipit, pauca sunt, quæ mandat, sed salutaria; scripto brevia, sed beatitudine sempiterna, ut ponant in Deo spem suam, et mandata ejus exquirant; cum vero Deus vivorum sit, non mortuorum, recte illa parari filiis jussit, per quæ æternum non morerentur. Clarius vero S. Isidorus Pelusiota : Qui liberis suis, ait, adhuc in tenera ætate, primum quidem verum de Dei excellentia atque providentia sensum, deinde virtutem, moresque probos inserunt, hi cum non modo parentum sed et optimorum magistrorum munere fungantur, a Deo mercedem accipient. Cornelius a Lapide in illa verba : « Erudi illos, et curva, etc. » sic loquitur : Vox *erudi*, spectat proprie ad intellectum; vox *curva*, ad affectum; uterque enim dirigendus est, et conformandus in pueris et juvenibus, ne vel indociles maneant, vel inflexibiles. Pueris enim ingenita est in intellectu ignorantia, hæc tollenda eruditione; in affectu superbia et concupiscentia, hæc curvanda et castiganda sunt mortificatione. Alia versio, loco, *curva illos*, legit : *cervices eorum domes.* Cornel. a Lap. *in* c. vii, 25. *Eccl.*

Secundo nosse debet *modum educandi*, quem egregie. S. Thomas indicavit dicens : Notandum, quod alius est principatus patris ad filium, et domini ad servum; quia dominus utitur servo suo ad utilitatem propriam, sed pater utitur filio ad utilitatem filii, et ideo necesse est, quod patres instruant filios propter utilitatem ipsorum, non tamen nimis arcendo, aut subjiciendo; et ideo dicitur Coloss. 3. *Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros*, ut scilicet non pusillo animo fiant, quia talis provocatio non animat ad bonum. Est autem provocare ad iracundiam, quando cum eis non agunt ea, qua decet, moderatione, vel cum se eis duros, vel inexorabiles præstant; aut cum servo-

rum officia eis imperant, aut gravius, quam par sit, puniunt, et inde alienationem et iræ vindictam, et odium concipiunt contra parentes. S. Th. *in* c. iv. *Eph.*

S. Bernardinus textum illum adducens Proverbiorum: *Qui parcit virgæ, odit filium*, ait : Et ne credant, quod semper flagello utendum sit, aperte subjungit dicens : *Qui autem diligit illum, instanter erudit ;* nec ait : Instanter flagellat, et percutit, eo quod plus sint filii erudiendi, quam verberibus flagellandi. Quis umquam filiorum severius castigari promeruit, quam ille prodigus, contumax et rebellis, qui totum suum patrimonium cum meretricibus dilapidarat? Et tamen S. Chrysologus super illa verba : *Cecidit super collum ejus*, inquit : Sic pater judicat, sic emendat, sic peccanti filio dat oscula, non flagella, delicta non videt vis amoris, et ideo pater peccata filii redemit osculo, clausit amplexu ; non minando illum recepit, sed cum canticis et symphoniis ; si enim pater ipsum desperationi proximum vultu severo a se rejecisset, si rigore adversus illum usus fuisset, utique numquam illum lucratus fuisset. S. Bern., t. III, s. ix, ar. 3.

Tertio nosse debet, *quæ sit radix malæ educationis*, quam S. Chrysostomus sequentibus verbis indicat : Itaque nulla alia ex ratione, perversi ut fiant liberi, contingit, nisi quod eorum patres circa vitæ præsentis commoda æquo amplius incumbunt, et fere dixerim, insaniunt ; cum enim illa solummodo inquirunt, nihilque illis præferendum censent, et suam pariter et liberorum animam negligere coguntur. Hos ergo patres (quod nemo tamen me commodius dicere, quam verius existimet) parricidis ipsis immaniores, sceleratioresque dixerim, illi enim corpus ab anima separant, isti et animam et corpus æternis ignibus tradunt. S. Chrysost. t. IV, h. xxvii.

Quarto nosse debet, *cur parentes primum inter proximos locum obtineant*, id quod S. Thomas clare ostendit dicens : Inter proximos maxime obligamur parentibus, et ideo immediate post præcepta ordinantia nos in Deum ponitur præceptum nos ordinari ad parentes, qui sunt particulare principium nostri Esse, sicut Deus est universale principium, et sic est quædam affinitas hujus præcepti ad præcepta primæ tabulæ. S. Thom. II, qu. cxxii, a. 5.

Quale vero in specie sit debitum filiorum, explicat S. Bernardinus Senensis dicens : Quamvis filius accipiat Esse corporale a patre, efficitur tamen ex hoc in debito duplici, quia illud corporale, quod accipitur, est de corpore patris sumptum, et transfusum virtute animæ, et operatione ; ideo filius efficitur debitor honoris patris, tum ratione corporis paterni, tum ratione animæ, quia animam et corpus concurrunt in patre, ut sit principium filii ; hinc ratione corporis paterni est debitum sustentationis propriæ, ratione animæ debitum reverentiæ. S. Bern., t. II, *in ser.* iv, *post Dom.* iii, *Quad* n. 2.

Quod vero præmium sperare possint ex tali reverentia, indicavit S. Bernardinus, verba illa : *Ut bene sit tibi* explicans, dum ait : In quo promittitur prosperitas ad bene esse, septem namque concupiscunt homines ad eorum esse, et bene esse, quæ maxime in additione Deuteronomii comprehenduntur, quæ sunt septem præmia seu felicitates. Prima, longa vita. Secunda, substantia multa. Tertia, pulchra familia. Quarta, odorifera fama. Quinta, benedictio paterna. Sexta, divina gratia. Septima, æterna gloria. Idem. t. II, s. iv, *in Dom.* iii. *Quad.*

Sed et S. Bonaventura idem præmium explicans : Honoranti, inquit, patrem honore reverentiæ debetur vita gloriosa sive honorifica ; honoranti patrem honore obedientiæ, debetur vita jucunda ; honoranti patrem honore beneficientiæ, conceditur vita opulenta. S. Bonav. s. *de* 10 *Præc.*

Quinto nosse debet, *quousque parentibus sit obediendum ;* id quod breviter Glossa indicat, dicens : Debemus copulam terrenæ cognationis agnoscere, sed si cursum mentis præpedit ignorare, ut affectus mentis viscera repleat, sed a spirituali proposito non avertat. Glossa, *in* c. xxxiii. *Deut.*

Et S. Ambrosius : Quod occidi fecit a proximis proximos Moyses, filios a parentibus, præceptum evidens, quia præferenda est Religio necessitudini, pietas propinquitati ; ea est enim vera pietas, quæ præponit divina humanis. S. Ambr. *Gloss.*

Immo S. Hieronymus ulterius progressus : Si pater, inquit, in limine jaceat ; si mater ubera, quibus te lactavit, ostendat, per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, et ad vexillum Crucis evola : solum enim genus pietatis est in hoc, esse crudelem, et merito, quia retrahere a Religione nihil est aliud, quam Christum in pectore alterius occidere, Christo se opponere,

spargere et dissipare, quæ Christus collegit. S. Hier. *in epist.* I, *ad Heliod.*

Nosse debet, *a moribus institutionem incipiendam;* uti jam olim monuit Seneca, dicens: Mores primum, mox sapientiam disce, quæ sine moribus male discitur. Senec. *Ep.* LXXVI.

Nosse debet, *quæ maxime utilia sint futura illi, quem instituendum suscepit;* ut enim nec terræ semina quæcumque injicimus, sed quorum capacem novimus; ita ipsa quoque institutio capacitati et fini instituendi accommodanda est.

Nosse debet, *ex plurimis doctrinis optimas seligendas et inculcandas*; uti jam olim sapienter monuit Plutarcus, dicens : Ut plures urbes præternavigasse pulchrum est, sed expedit unam incolere optimam; ita quam plurima sunt cognoscenda, sequenda, retinendaque optima. Plutarc. *in Moral.*

Nosse debet, *non mox cessandum a cultura, si fructum non sequi advertat*, sed potius agricolarum exemplum ob oculos habeat, de quibus S. Jacobus dixit : Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum et serotinum. Jac. V, 7.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : « Via vitæ, custodienti disciplinam ; qui autem increpationes reliquit, errat » Prov. XIII, 17, potest ostendi, quomodo parentes liberos suos recte educare, triplicemque vitam dare debeant. 1. *Naturalem* ; ita ut eamdem etiam per convenientem necessariorum subministrationem conservent. 2. *Civilem* ; ut bonis artibus et moribus imbuant. 3. *Spiritualem* ; ut declinare a malo, et bonum facere, reliquaque boni Christiani officia recte præstare discant. Quæ omnia ex hactenus dictis facile fusius explicari possunt. Videri etiam potest Faber, conc. 8. *in Dom.* 20. *post Pent.* n. 4.

Ex occasione thematis : « Uni dedit quinque talenta, » Matth. XXV, 15, potest ostendere concionator, quomodo parentes Nicolai esse debeant, et quinque dona offerre, per quæ officia ad bonam educationem necessaria indicentur. Et 1. quidem *Imaginem*, quæ SS. Trinitatem et Sanctos repræsentet; ex qua meminerint, primam illorum curam esse debere, ut debitum Deo et Sanctis cultum præstare discant. 2. *Librum* ; id est, ut in variis artibus eorum ingenio competentibus eos instruant. 3. *Vestem novam* ; id est, ut decentem morum urbanitatem illis ingenerent. 4. *Poma, pyra, nuces* ; id est, ut etiam necessaria ad vitæ sustentationem, et honestam recreationem liberaliter suppeditent. 5. *Virgam in apice aureas rosas continentem* ; id est, ut suo tempore etiam moderatam correctionem non omittant, utpote aureas rosas, seu multiplicem fructum parituram. Quæ omnia fusius deducta apud Fabrum, conc. 4. *in Festo S. Nicolai* deduci possunt.

Ex occasione thematis : « Omnis arbor bona bonos fructus facit, » Matth. VII, 17, potest ostendi, quomodo quivis homo sit arbor, atque adeo parentes liberos suos velut teneras arbusculas considerare, et educare debeant. 1. Quidem curando, ut *bonam radicem sortiantur*, id est, timorem Domini, qui non tantum sapientiæ initium, sed omnium etiam aliarum actionum humanarum fundamentum esse debet. 2. *Stipiti alligando* ; id est, committendo eos bono et rectitudinis amanti Instructori, a quo et ipsi rectitudinem in moribus et disciplinis hauriant. 3. *Sepe circumdando;* id est, arcendo malos socios, qui velut bestiæ vivunt, et ejusmodi arbusculis valde insidiantur. 4. *Frequenter irrigando* ; id est, necessaria media ad vivendum et discendum suppeditando. 5. *Inutiles ramos præscindendo*, per correctionem discretam suo tempore adhibitam. 6. *Commendando illos Sanctis et Deo*, uti olim arbores in tutelam variorum deorum erant commendatæ ab Ethnicis.

Ex occasione thematis : « In qua urna aurea habens Manna, et virga Aaron, quæ fronduerat, tabulæ testamenti ; » *Hebr.* VII, 4. potest dici, quod liberi sint velut tabernaculum, in quo Deus multo libentius, quam in Veteris Testamenti tabernaculo, seu arca habitat, atque adeo hæc tria in illis ponenda. 1. *Tabulæ Testamenti*; id est, timor Dei, et legis Divinæ observatio. 2. *Manna in aurea urna inclusum* ; id est, liberalitas in rebus ad sustentationem et recreationem vitæ honestam necessariis offerendis, ex vera charitate profecta. 3. *Virga frondens* ; id est, correctio discreta et fructuosa. Quæ paulo fusius apud Engelgr. *in Dom.* 6. *post Pascha*, § 4, explicata videri possunt.

ALII CONCEPTUS.

Qualitas.— Peculiaris est camelorum instinctus naturalis, quod quando ex prolixo itinere sunt fatigati, immobiliter firmentur adeo ut neque per virgam, neque per baculos ad iter reassumendum moveri possunt; unde qui illos gubernant, cantu et symphonia uti solent, ut eos moveant. Ita quoque sæpe reperiuntur filiorum nonnulli, indolis adeo nobilis et generosæ, ut ad virtutem non per minas, sed per benignitatem inducantur, adeo ut rigor illos potius perversiores efficiat. Majolus, *Collat.* vii.

Sanctus Anselmus, Archiepiscopus Cantuariensis, parentes illos, qui in sola virga confidentes, filios gubernant, his verbis alloquitur : Solis eos percussionibus ad mores bonos vultis efformare? Vidistis, inquam, aurificem ex lamina aurei vel argenti solis percussionibus imaginem speciosam formasse? Non puto. *Vita S. Anselm.* 21, *April. apud Surium.*

Quis umquam crederet, struthionem parentes edocere, quomodo se filios amando gerere debeant? Ponit is ova sua in arenam, de cætero radiis solaribus illa committendo, ut ab illis animentur; num forte id ex impietate procedere existimatis? Minime gentium. Quando relinquit ova sua in terra, tu forsitan in pulvere calefacies ea? inquit Job Propheta. Obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat; duratur ad filios suos, quasi non sint sui. Job xxxix, 14. Quod si struthio ad instar aliarum avium incubaret, ea quidem corporis sui calore foveret, pondere autem, et immensa corporis sui mole eadem dirumperet; ad hæc cum stomachum habeat adeo calidum, ut ferrum digerat, nimio calore suo partus suos disperderet: atque hinc est, quod id, quod secundum apparentiam externam defectus pietatis et amoris censetur esse inopia, mera sit materna discretio et affectus. Eodem modo de nonnullis parentibus discurrere licet, qui prima facie nimis erga filios rigidi esse videntur, dum mortificationis virgam quoad illos semper manu versant, non permittendo illis cujusvis generis conversationes, vel adstringendo illos, ut continuo studiis sint applicati; non est hæc censenda nimia severitas, sed sinceri amoris puritas, et zelus paternus, qui filii examinat instinctum et malas inclinationes, novitque nocivam illi futuram esse nimiam patris erga illos benignitatem. Mansi, disc. ix, n. 7.

Æquitas. Si videres servum quemdam vilem, filium suum tenerum et innocentem magna cum barbarie et crudelitate cædentem et colaphizantem, quanta erga illum incendereris ira, indignatione et zelo, ut illatam filiolo injuriam vindicares? Irasceris, inquit, indignaris, et bellua ferocius in percutientis faciem insilis; Diabolum vero quotidie cernens filio colaphos infringentem, dæmones, inquam, in scelera ipsum inducentes, dormis tamen, nec doles, neque adversaris, neque truculentissimæ bestiæ eripis filium? Et qualem tu experieris humanitatem? S. Chrys. hom. 27.

Necessitas.— Quando prima omnium viventium mater primum partum suum in lucem edidit, non sine mysterio notabilia hæc verba protulit : Possedi hominem per Deum. Etenim scire percuperem, quænam inter filium quemdam et possessionem aliquam reperiatur proportio. Nam Deut. 32. v. 6. dicitur : « Iste est pater tuus, qui possedit te. » Responsionis loco dici potest, quod sicut possessiones familiis subveniunt, easdemque sustentant, dum ex illis, quidquid ad victum et domus sustentationem pertinet, desumitur: eodem modo filii ad instar possessionum genitorum necessitatibus subvenire, adeoque possessionibus æquivalere tenentur. Mansi, disc. ix, n. 9.

Virga Moysis, quandiu illam manu sua portabat, miracula operabatur, flagellis Ægyptum cædebat, Regem obstinatum ad promittendam populi liberationem, obedientiam Deo præstandam, totum vastissimum Regnum in jugi circumducebat timore; ast ubi in terram projecta fuit, in venenosum subito serpentem est transmutata. Hæc est virga directionis. Deus enim patribus directionem et auctoritatem impertiit exercendam in filios, hisque naturaliter genium indulsit obedientiæ et respectus erga patres, ita ut patres potestatem suam obtinuerint ad reprehendendos, corrigendos et percutiendos filios, quoties necessitas fuerit, ut cordibus eorum timorem imprimant divinum, infundant scientias, alienent a vitiis, timoratos educent et reverentes; ast ubi virgam disciplinæ, neglecta educatione, in terram projecerint, subito in venenum tam patribus, quam filiis convertitur, filiis accrescentibus

in contumacia, rebellione et petulantia. Mansi, disc. viii.

Mysterio quoque non caruit miraculum, quod Elias filium viduæ Sareptanæ in vitam revocando patravit. Nam ut sacer textus ait : « Dixit ad eam Elias : Da mihi filium tuum, tulitque eum de sinu ejus et portavit in cœnaculum, ubi ipse manebat, et posuit super lectulum suum, expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, et clamavit ad Dominum. » Etenim hæc omnia in figura contingebant illis ; puer enim hic mortuus peccatorem præfigurabat, peccati morte extinctum, qui a Christo resuscitandus erat ; nam ut Rupertus Abbas ait : Hic filius viduæ peccatorem significabat. At vero, inquies, si mortuus hic puer, et consequenter in statu innocentiæ positus erat, quomodo peccatorem præfigurare poterat ? Scitisne, quid ad hoc responderi debeat ? Nimirum sufficit scire, quod filius viduæ erat ; hi enim etiam in ætate tenera ut plurimum vitiosi existunt, quia desunt illis debitæ reprehensiones et severitas correctionis, cujus matres communiter sunt expertes. Elias vero qui vir austerus et rigidus erat, quique etiam capita coronata, id est, Reges acriter reprehendere non dubitabat, filium hunc e sinu matris suæ eripuit, et super durum lectulum suum repositum in vitam revocavit, quia, qui filios vult divinæ gratiæ vita gaudere, eosdem ferulæ et disciplinæ Religiosorum debet submittere. Atque hinc est, quod olim laudabilis illa consuetudo viguerit, qua filii in Monasteriis Religiosorum, et maxime Ordinis S. Benedicti educandi traderentur, vel, ut hodie fit, juventus pro debita educatione Seminariis et Collegiis sub directione Patrum Societatis Jesu committatur. S. Rupert. l. *de Trin.* c. viii.

Dubium non est, quin in magnam admirationem rapiat atrox illa pœna, quæ filiis male educatis, qui Elisæum Prophetam deriserunt, irrogata fuit ; siquidem divina justitia (de qua semper verum est : *Bene omnia fecit*) ita disposuit, ut omnes quadraginta duo pueri ab ursis dilacerarentur. Sed cur ab ursis potius, quam ab aliis feris crudelis hæc mors illis illata fuit ? Pro resolutione sciendum est, hanc esse ursæ proprietatem, quod catulos suos, velut informem quamdam carnis massam, in lucem edat, quam postea velut embryonem lingua sua lambendo ad perfectam formam, per omnium membrorum suorum distinctionem reducit ; qua de re S. Ambrosius ita scribit : Fertur informes utero partus edere, sed natos lingua fingere atque in speciem sui similitudinemque formare ; quam ursæ proprietatem idem S. Doctor adversus genitores hunc in modum applicat, dicens : Non miraris in fera tam pii oris officia, cujus naturam pietas exprimit ; ursa igitur partus suos ad sui effingit similitudinem, tu filios tuos instituere similes tui non potes ? Quod vero hac in re nobis observandum venit, hoc est, quod videlicet ad catuli efformationem lingua, non pedibus, nec unguibus utatur ; ad insinuandum parentibus, quod tametsi nonnumquam filios suos reprehendere debeant, id tamen faciendo numquam mansuetudo et affectus paternus ab illis deponendus sit ; utendum est lingua acriter illos increpando et reprehendendo, semper tamen cum suavitate aliqua illos lambendo. S. Ambr. l. 6 hexam. c. iv.

Pellicanus inter omnes alias aves pullos suos magnopere diligit, femella enim ovis incubans, mox ut exclusos pullos vivere conspicit, præ nimia amoris teneritudine illos amplexatur et stringit ; at vero inter amplexus mortem illis conciliat, siquidem inadvertenter rostro illis colludens latera perforat ; superveniens autem post triduum masculus, pullosque mortuos cernens, rostro sibi pectus vulnerat, suoque sanguine illos revivificat. Quot sunt, eheu ! parentes, qui filios suos affectu quidem tenero, non tamen constanti, nec virtuoso, nec rationabili diligendo (siquidem qui diligit filium, assiduat illi flagella) mortem illis non solum corporis, sed et animæ afferunt ! Dissimulant illorum insolentias, quæ tandem sanitatem lædunt, et salutem æternam impediunt. Mansi, disc. ix, n. 6.

In lib. Regum matrem quamdam suffocasse filium legitur. Scitisne, qua occasione id actum sit ? Nimirum illum sibi semper præsentem etiam in lecto volebat. Quot sunt, qui nimia erga prolem teneritudine seducti, vitam illi abbrevient ! L. III. Reg. c. iii.

S. Thomas dicit, quod vitam a parentibus ad eum modum recipiamus, quo nobiles feudo aliquo a Rege suo investiuntur ; feudum autem nemo meretur conservare, qui feudatario suo infidelis est ; ita quoque vita indignus est, qui vita, quam a genitoribus suis accepit, in ipsorum ignominiam et contemptum abutitur ; præterquam quod Deus, qui reverentiæ parentibus debitæ singula-

rem curam habet, eos quoque vita privet æterna. Consilium est Ecclesiastici : « In opere et sermone, et omni patientia honora Patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, et benedictio illius in novissimo maneat. » Eccl. III, 9.

Securissimum enim illi pignus habent, qui erga parentes obsequiosi sunt et reverentes, quod in hora mortis propitium habituri sint Judicem, quod intelligi potest, ut inquit Paulus de Palatio, vel quod divinus favor et adjutorium usque ad finem vitæ duret, aut quod germanius est, quod divinus favor atque benedictio maneat, et servetur in horam illam tanto periculo tremendam, scilicet ad horam mortis et strictissimi examinis, ubi æternitatis jacitur alea. O quale, o quantum beneficium tunc erit, benedici et audire : « *Venite, Benedicti Patris mei!* » Ergo, sicut tu in omni patientia sustinuisti difficultates senis patris tui ; ita Deus sustinebit in te omni patientia, si quæ fuerint errata infirmæ animæ tuæ, ut, qua mensura mensus es patri tuo, remetiatur tibi Pater misericors tuus. S. Thom. *opusc.* II.

Utilitas. — Oves quidem circa diluculum matutinum ovile libenter egrederentur, ut herbas depascerent rorulentas, utpote quæ instar mellis amabiles sunt et dulces, at vero prudens et providus pastor illas retinet et coercet, donec per solem ros exsiccetur, ne nimium pinguescant, probe sciens, pinguedinem illam eis fore damnosam. Idem quoque de filiis dicere possumus, quibus parentes multas recreationes, cæteroquin honestas, prohibent, illos freno semper coercent, quia cum illorum propensionem probe sibi perspectam habeant, damnum, quod in illa tenera ætate in eos redundare posset, sollicite prævident. Mansi, l. c. n. 8.

Athenienses dum olim oraculum suum interrogassent quidnam ad reddendum Reipublicæ statum felicem et prosperum utile ac necessarium esset, sequens ab eodem retulere responsum, scilicet, urbem fore beatam, si puerorum auribus, quod optimum et pretiosissimum est, appenderent. Quibus verbis monebantur, non tam ut gemmas vel inaures aureas puerorum auribus appenderent, sed potius ut eos salutaribus monitis parentum faciles et morigeras aures præbere juberent. Unde David dicebat : « Deus auribus nostris audivimus, et patres nostri annuntiaverunt nobis. » Idem, disc. V, n. 3.

In illo sæculo, in quo Deus diluvium super terram emisit, eo quod *omnis caro corruperat viam suam*, nullus in universo mundo a scelere purus fuit, præterquam solus Noe cum universa familia, quæ octo tantum personis constabat, quas Deus dumtaxat, veluti humani generis scintillas in vita reservare voluit, ne totaliter periret. Dicite, sodes, quænam Noe merita habuit, ut præ cunctis totius mundi hominibus privilegio adeo raro a Deo honoraretur? Audite sacrum textum id clare exponentem : « Noe, inquit, vir justus et perfectus in generationibus suis fuit, » id est, ut Cajetanus exponit, in filiis suis; quia enim magna sollicitudine filiorum suorum bonam educationem curavit, ideo singularissima hac prærogativa se dignum effecit : Fuit perfectus, inquit Cajetanus, non solum in se ipso, sed etiam in generationibus suis, servavit enim se, et filios suos sine defectu mortali ; nam profecto justus esse non potest, qui filios ad virtutem non instruit, qui eos justos fieri non studet. Idem, disc. XXVII, n. 3.

MISCELLANEA.

Qualitas. Socrates dicebat, ingenuis et optime natis evenire, quod equis ferocibus et generosæ indolis, qui, si a primis annis instituantur, egregii, et ad omnem usum accomodi evadunt ; sin minus, efferati, intractabiles, et ad nihilum utiles ; eoque fit, ut felicissima quæque ingenia corrumpantur inscitia instituentium, qui mox equos vertunt in asinos, quod erectis et liberis imperare nesciant. Socr. *ap. Erasm. in Apoph.*

Lycurgus, ut ostenderet Lacedæmoniis, quantum in educatione positum sit, duos catulos eodem patre ac matre genitos educavit, et alterum domi lautitiis vesci passus est, alterum venatione exercuit ; postea vero ambos in forum produxit, et spinis simul, escisque propositis leporem emisit, quem cum alter etiam per spinas invaderet, alter vero ad escas se converteret, subintulit Lycurgus, sic se rem cum educatione juventutis habere, atque adeo si bello aptam esse velint, non deliciis, sed laboribus exercendam esse. Plutarc. *in Lacon.*

Aristippus quæsitus, quæ potissimum adolescentibus discenda forent? quæ viris usui futura sunt, respondit. Laert. l. II. c. VIII.

Crates optabat in editam civitatis speculam ascendere posse, et contenta voce cla-

mare : Quo ferimini, mortales, qui ad possidendas opes magno studio incumbitis; filiorum vero, quibus illas relinquatis, exiguam curam geritis? ENGELGR. *in Dom.* VI, *post Pasch.* § I, ibid.

Joannis Gersonis mater, ut filium orationis assuefaceret, cum merendæ aut jentaculi tempus instabat, cum in genua procumbere, atque a Deo nuces, castaneas, poma, et quæ optabat, postulare ; quæ ipsa postea de superiori domus parte occulte dejiciebat, ut e cælo data crederet filius.

NECESSITAS. Solon lege caverat, ne parens a filio subsidii aliquid expectaret, quem in adolescentia nulla arte instituisset, aut institui curasset. PLUTARC. *in Solon.*

Plato pronuntiavit, nullum ex reliquis animantibus atrocius fieri homine, atque efferatius, nisi tempestivis disciplinæ auxiliis mitigetur. PLAT. l. VII, *de Log.*

UTILITAS. Educatio et disciplina virgæ Moysis similis est, de qua Cornelius a Lapide dixit : Virga est disciplina, correctio et castigatio, quæ initio pueris imperfectis horrida videtur, ut serpens ; sed in fine, cum ejus fructum experiuntur, agnoscunt esse virgam paternam ac pastoralem. CORN. *in* C. IV. *Ex.*

Nam, ut ait Apostolus, omnis disciplina in præsenti quidem videtur esse non gaudii, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. HEBR. XII, 11.

Recte pronuntiavit Seneca, debere homines viaticum senectutis litterarum eruditione parare, dicendo, ne defecerint insipienti animo : Litteras tamquam baculum infirmo corpori paratas esse, eumdem finem esse discendi et videndi. SENEC. *in Prov. Ph.*

Quare, inquit idem, liberalibus studiis filios erudimus? Non quia virtutem dare possunt, sed quia animum ad accipiendam virtutem disponunt. Idem, ep. L.

Educatio et disciplina mores facit, et illud sapit unusquisque, quod didicit. Hinc alibi dicebat idem Seneca, hanc educationem, maximam diligentiam, plurimumque profuturam requirere ; facile enim esse, teneros adhuc animos componere ; difficulter autem recidi, quæ nobiscum creverunt.

AUCTORES.

Josephus Langius, *in Polyanthea* V. eodem, et V. Disciplina, Institutio.

Henricus Engelgrave, p. 2. *Lucis Evangelicæ, in Dom.* 6. *post. Pascha.*

Mathias Faber conc. 4. *in Festo S. Nicolai.*

Philippus d'Outreman, *in Pedag. Christ.* p. 1, c. VI, § 1 et 2.

Laurentius Beyrlinck. *in Theatro Vitæ hum.* V. eodem.

EVAGATIO MENTIS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. Est mobilitas et inconstantia animi sub oratione ad aliena objecta conversi. Quam pictor quidam apte oculis subjecit, dum Christum in cruce pendentem, et ante hunc duos homines flectentes pinxit, ita tamen, ut ex primi ore unica, eaque recta linea ad Christum dirigeretur, ex ore secundi vero variæ lineæ in campos, domum, cellam vinariam, horreum, uxorem, liberos, et similia progrederentur. DREX. *in Rhet. cœl.* l. I, c. III, § 3.

DIVISIO. Dividitur plerumque in *Naturalem* et *Moralem*, seu *Inculpabilem* et *Culpabilem ;* quarum prior non voluntarie admittitur, sed ex naturali mobilitate mentis exoritur ; posterior vero cum deliberata voluntate committitur, ideoque merito culpabilis dicitur.

ACTUS. Primus est, nullam præparationem adhibere ad collectionem animi procurandam.

Secundus, ultro distractionum causas accersere, puta curioso aspectu, non necessario colloquio, actione aliqua impertinente, etc.

Tertius, distractiones exortas oscitanter reprimere ad morem illius famuli, qui jussus ægro domino assidere, et muscas abigere, nictare oculis incipit, et modo flagellum tollit, muscasque abigit, modo iterum manus decidere mittit.

Quartus, nullo prorsus modo distractiones tales reprimere, sed voluntarie tædii levandi gratia iisdem immorari.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. Populus hic labiis me honorat ; cor autem eorum longe est a me. MATTH. XV, 8.

Nolite locum dare diabolo. EPH. IV, 27.

Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo : Deus enim in cœlo, et tu super terram. ECCL. V, 5.

Estote autem prudentes, et vigilate in orationibus. I Pet. IV, 7.

Cor meum dereliquit me; multiplicatæ sunt super capillos capitis mei (distractiones). Ps. XXX, 13.

Damnum. Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter. Jer. XLVIII, 10.

Cœpit ejicere vendentes et ementes dicens illis : Quia domus mea domus orationis est; vos autem fecistis illam speluncam latronum. Luc. XIX, 45.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. Notandum, quod nequaquam dicitur in libro Job, preces, sed, desiderium meum omnipotens audiat. Vera quippe postulatio non in oris est vocibus, sed in cogitationibus cordis. Valentiores namque voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. S. Gregorius, c. II. *Mor.* 18.

Nihil est in me corde meo fugacius, quod, quoties me deserit, et per cogitationes pravas defluit, toties Deum offendit. Cor meum, cor vanum, vagum et instabile, dum suo ducitur arbitrio, et divino caret consilio, in seipso non potest consistere, sed omni mobili per innumera huc illuc discurrit.

Fuga. Noli tristari, si, dum oras, subtilissime inimicus irrepit, animique intentionem claram ut fur avertit; sed bono esto animo, dum semper lubricam revocas mentem; Angelis enim datum est, hujusmodi furibus non parere. S. Clim.

Quando stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare et incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis sæcularis et carnalis abscedat, nec quicquam tunc animus, quam id solum cogitet, quod precatur. Ideo et Sacerdos ante orationem, præfatione præmissa, parat fratrum mentes dicendo : *Sursum corda*, ut, dum respondet plebs *Habemus ad Dominum*, admoneatur, nihil se, quam Dominum, cogitare debere. S. Cypr. l. *de Orat. Dom.*

Claudatur contra adversarium pectus, et soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiatur; obrepit enim frequenter et penetrat, subtiliter fallens preces nostras a Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, aliud in voce, cum intentione sincera Dominum debeat non vocis sonus, sed animus et sensus orare. Ibid,

Invenire dixit (David) se cor suum quasi solerter ab eo fugere, et ille sequi quasi fugitivum, et non posse comprehendere, et clamare ad Dominum : Quoniam cor meum dereliquit me. Itaque, fratres mei, quod hic ait : Suavis es tu et mitis, etc. Videor mihi videre ad hoc mitem dixisse Deum, quia patitur ista nostra, et expectat tamen a nobis orationem, ut perficiat nos; et quando illi eam dederimus, accipit grate et exaudit, nec meminit tantas, quas incondite fundimus, et accipit unum, quam vix invenimus. S. Augus. *in Ps.* LV.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

O quid intus patior, dum mente cœlestia tracto, et mox carnalium turba occurrit cogitationum! Deus meus, ne elongeris a me, neque declines in ira a servo tuo. Lib. III, c. XLVIII. § 5.

Sic ego homo infelix mecum pugno, et factus sum mihimetipsi gravis, dum spiritus sursum, et caro quærit esse deorsum, Ibid.

Ignosce mihi, et misericorditer indulge, quoties præter te aliud in oratione revolvo. Confiteor, etenim vere, quia valde distracte me habere consuevi; nam ibi multoties non sum, ubi corporaliter sto aut sedeo. Ibi sum, ubi cogitatio mea est; ibi autem frequenter est cogitatio mea, ubi est, quod amo. Ibid. § 5.

Beatus ille homo, qui propter te, Domine, omnibus creaturis licentiam abeundi tribuit; qui naturæ vim facit, et concupiscentias carnis fervore spiritus crucifigit, ut serenata conscientia, puram tibi orationem offerat, dignusque sit Angelicis interesse choris, omnibus terrenis foris et intus exclusis. Ibid. § 6.

Scio, quod antiquus inimicus omnino nititur impedire desiderium tuum in bono, et ab omni devoto exercitio, evacuare. Multas malas cogitationes ingerit, ut tædium tibi faciat et horrorem, ut ab oratione revocet, et sacra lectione. Non credas ei, neque cures illum, licet sæpius tibi deceptionis tetenderit laqueos. Ibid. § 4.

Affectus ille bonus et dulcis, quem interdum sentis, effectus gratiæ præsentis est et quidam prægustus Patriæ cœlestis, super quo non nimium innitendum, quia vadit et

venit. Certare autem adversus incidentes malos motus animi, suggestionemque spernere diaboli, insigne est virtutis, et magni meriti. Ibid. § 2.

EXEMPLA CATHOLICA.

Qualitas. — In Brabantia dæmon virginem Nivellanam obsessam tenens, cum ab exorcizante orationem Dominicam recitare jussus fuisset, sic precabatur : Pater noster in cœlis, nomen tuum, fiat voluntas in terra, panem quotidianum hodie, debita nostra debitoribus nostris, nos a malo. Et una cachinnum tollens : Ecce, inquit, ita vos orationem vestram dicere soletis. Drex. *in Rhet. cæl.* l. I, c. III. § 3.

Quidam asino vectus, dum templum ingressus asinum foris alligasset, et orationem Dominicam recitare aggressus advertisset, perpetuam sibi de asino amittendo sollicitudinem suboriri, mox egressus asinum vendidit, ut distractionum causam removeret. Ibid. § 4.

Fuga. — Anna, Samuelis mater, tantum oquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur. L. I. Reg. c. I, 13.

S. David, ut distractiones fugeret, præsentiam Dei assiduo cogitabat, ut ipse fassus est dicens : Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear. Ps. XV, 18. Item : Ecce sicut oculi nostri ad Dominum Deum nostrum. Ps. CXXII, 2. Hinc alibi ait : Invenit servus tuus cor suum, ut oraret ad te oratione hac. II, Reg. VII, 27.

S. Leonardus, cum sub oratione serpens in sinum irrepsisset, nihil motus orare perrexit, finita vero oratione ad illum dixit : Quid tibi vis, hospes ? Si quid licentiæ in me a Domino accepisti, exere ; tuæ me potestati non subducam. Drex. l. c. § 5.

S. Dominicus, dum noctu ante aram orabat, dæmon eum interturbare volens, lapidem e tecto Ecclesiæ dejecit, eoque impetu, ut tota Ecclesia illo casu circumsonaret. Usque adeo autem capiti ejus propinquus fuit lapis, ut caputium illius contingeret, sed viro Dei nihil se movente, diabolus horrendum ejulans discessit. Surius, *in Vita*, 4. *Augusti*.

S. Franciscus, cum oraturus Ecclesiam ingrediebatur dicere solebat : Manete hic cogitationes meæ, donec egrediar ; et ubi opus Dei complevero, si indigere me vobis contingat, iterum vos assumam. March. *in Hort. Past.* tr. II, *lect.* VIII.

S. Ludgardis, cum aliquando in oratione suaviter cum Christo loqueretur, et ad negotium vocaretur, magna cum simplicitate et confidentia ei dicebat : Expecta me, Domine Jesu, celeriter expediam me, et ad te revertar expedita. Ibid.

Damnum. — Cum S. Hilarion aliquando sub oratione aliud volveret, dorso ejus festinus gladiator insiliens, latera calcibus, et cervicem flagello verberabat, dicens : Eia, cur dormitas ? Cachinnansque desuper cum defecisset, an hordeum vellet accipere, sciscitabatur. S. Hier. *in Vit.*

EXEMPLA DOMESTICA.

Fuga. — S. Ignatius ante omnem orationem præparabat animum, et quasi in cubiculum cordis intrabat ; unde tam attente et ferventer orabat, ut ex intensione animi morbum sæpe contraheret. Ribad. l. V. *Vit.* cap. I.

S. Franciscus Xaverius pro attentione comparanda ante singulas officii horas hymnum *Veni S. Spiritus* recitabat tanto fervore, ut ei cor e pectore exilire, animusque deficere, videretur. *Vita* l. VI, c. V.

Franciscus Suarez, licet occupatissimus esset, quando tamen Breviarium in manus sumebat, omnes cogitationes alienas mox deponebat, quam collectionem temporis distributioni (quam ille matrem spiritus appellare solebat) attribuit. *Vita* t. *de Angel. præfix.*

P. Petrus Faber hæc ad distractiones cavendas media adhibebat. 1. Tempus orationis sæpe in memoriam revocabat. 2. Paulo ante omnia negotia disposuit. 3. In ipsa oratione post singulos Psalmos dicebat : Pater cœlestis, da mihi spiritum bonum. 4. Imaginabatur sibi se videre utrumque Angelum, bonum quidem omnia verba pie pronuntiata, malum vero evagatione animi prolata, scribentem. 5. Imperabat animo, ut vel in uno Psalmo sine evagatione animi esset, id si acquisivit, ad alium progressus est. *Hist. Soc.* l. III, n. 35.

P. Sebastianus Barrada tanta cum attentione orabat, ut strepitus introeuntium in

cubiculum aut sacellum non audiret. *Vita* Joannes Berckmannus ad orandum se componebat oculis leniter clausis, manibus ante pectus adductis, genibus flexis, corpore ad stuporem immoto, ut attentionem animi tanto facilius retineret. *Vita.*

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut is, qui arcum manu tenet, sagittam tamen contra adversarium dirigere nequit, si illam in vanum nulla certa intentione et fructu emittet; ita et ille, qui orationem sine debita intentione attentioneque peragit, modicam ex ea utilitatem percipiet. S. Ephr. *in Doc. de Panoplia Spir.*

Sicut globus in summo monte incipiens ruere, præcipitem cursum non sistit, donec ad radicem montis perveniat, at vero globus terræ immissus nihil fugæ molitur; sic cor humanum volubili globo simillimum, nisi Deo altius se immergat, cadendi ac præcipitandi finem non inveniet. Drex. *in Rhet. cæl.* l. I, c. III, § 2.

Sicut luscinia inter complures corvos non potest placere cantu; sic nec lingua oratione inter plurimas evagationes peracta placere potest. Ibid. § 4.

Sicut nobile unguentum odorem perdit, si pyxidi operculum desit; ita spiritus precum evanescit, ubi os sine lege garrit. Ibid. c. IV, § 4.

Sicut Abraham, dum in montem sacrificaturus ascendit, asinum ad pedem montis reliquit, famulosque et alia ad sacrificium importuna; ita qui ad montem thuris et myrrhæ, hoc est orationis locum, ascendunt, omnia ejusdem impedimenta foris relinquere debent. March. *in Hort. Past. tr.* II. *lect.* 8.

Sicut molendinum continuo volvitur, et farinam producit juxta appositum granum; sic mens humana humanas cogitationes semper quidem in animo fovet, sed tales, quales illi a proprio appetitu aut voluntate præscribuntur. Ibid.

Damnum. — Sicut turpissimum est, si quis se scribam profiteatur et versus flexuosos et curvos pingat, lituras faciat plurimas, chartam atramento spargat, et multa eradat; ita non minus turpe erit alienas sub oratione cogitationes sponte admittere. Drex. l. c. § 5.

Sicut tu, si quis pedes tuos manibus sordidis attingeret, supplicationem ejus non audires, sed calcibus repelleres; ita nec Deus illum exaudit, qui corde immundo preces persolvit. Ibid. § 4.

MOTIVA.

Impudentia ejusdem vitii, quam Card. Bellarminus ostendens ait: Ecce loquimur cum Deo; et statim ab imaginatione ad alia cogitanda tracti tergum Deo vertimus. Quis nostratium dominorum ferret famulos suos secum loquentes, continuo se neglecto ad fabulandum cum conservis averti? Bellarm. *in Ascen. ment. Gr.* XIV, c. II.

Stultitia hujus evagationis. Quis enim non stultum putaret eum hominem, qui ad Regem accedens variasque gratias impetrare volens, eam orationem et verba usurparet, quibus cum ad indignationem magis incitari, quam flecti, sciret? Atqui hoc facit, qui cum voluntariis distractionibus orat.

Irreverentia ejusdem, ob Angelorum preces annotantium, colligentium, Deoque offerentium præsentiam. S. Basil. *in Regul. Brev.* q. 306.

Lætitia dæmonum ob ejusmodi distractiones concepta; nam, teste S. Ephrem, si dum oras, mens tua distrahitur, sive per oculos, sive per aures, sive per cogitationes, scito hoc ipsius inimici esse opus. S. Ephr. *de Panoplia Spirituali.*

MEDIA.

Accurata præparatio; nam tantum Deus apponit ad adjutorium, quantum nos ad diligentiam apposuerimus. Eccl. XVIII.

Puræ conscientiæ studium; nam, ut S. Job recte dixit, si iniquitatem, quæ est in manu tua abstuleris, levare poteris faciem tuam absque macula. Super quæ verba S. Gregorius ait: Faciem levare est in Deo animum per studium orationis attollere. Sed elevatam faciem macula inquinat, si intendentem mentem reatus sui conscientia accusat. Diffidit namque accipere se posse, quod appetit, quæ profecto reminiscitur, nolle se adhuc facere, quod divinitus audivit. S. Greg. l. X, *Mor.* c. XVI.

Imaginatio præsentiæ Dei. Quanta enim cum reverentia, inquit S. Bernardus, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet a palude sua prorepens renuncula vilis!

Quam supplex, quam denique humilis et sollicitus, et toto intentus animo Majestati gloriæ in præsentia Angelorum, in concilio justorum et congregatione assistere poterit miser homuncio! S. Bern. s. iv, *de Modis orand.*

Constantia in iis repellendis; sic enim S. Basilius monuit dicens : Quod si flagitiosarum cogitationum vis vehementior insurgat, ne sic quidem dejiciendus est animus, neque suscepta certamina ex dimidia parte confecta relinquenda, sed eo usque obfirmate perdurandum, quoad Deus perspecta nostra constantia Spiritus Sancti gratia effulgeat. S. Basil. *Constit. Mon.* c. xiii.

Sensuum custodia; juxta monitum Christi: Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito. Matth. vi. 6.

Spiritus Sancti invocatio; nam sicut carbones non vivunt, et thus sibi superinjectum accendunt, nisi igne animentur; ita oratio frigida est, nisi per Spiritus Sancti ignem animetur. Drex. *in Rhet. cœl.* l. I, c. iii.

ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ Asceta circa hanc evagationem bene addiscere, aliosque docere debet. Primum est, utpote cognoscat originem et radices illius, quarum quatuor assignat S. Bernardus, scilicet *culpam mordentem, curam pungentem, affectum vigentem, erigentem, tribulationem cruciantem.* Jacobus Marchantius tres, sed magis remotas assignat radices, nempe vulnus primævum et corruptionem naturæ, pravam consuetudinem, et malitiam dæmonum, de qua B. Ægidius, cum interrogaretur, cur dæmones plus adversarentur oranti, quam aliud pium opus exercenti? respondit : Si quis litem alicui intendat coram Judice, is, cui vis infertur, omni studio laborat, ne contra ipsum sententia feratur; ita et dæmon facit, nam quando pius homo Deum orat pro sua aliorumque salute, litem intendit dæmoni tamquam animarum prædoni.

Alterum est, ut bene cognoscat *modum vitandi distractiones*; quem quidem pulchre S. Gregorius docuit, dum dixit : Semper ante orationis tempora debet sollicite conspici, quidquid potest in oratione reprobari. Sæpe namque immunda vel illicita quædam animo versamus, quoties a precibus vacamus. Sed cum mens se ad studium orationis erexerit, earum rerum imagines reverberata patitur, quibus libenter prius otiosa premebatur. S. Basilius vero rogatus, quomodo quis assequi possit, ne inter orandum distrahatur? respondit : Si certo Deum se ante oculos habere credat. Si enim principem aliquis aut præsidem intuens, et cum eo loquens oculos ab eo dimovere non solet, qui non tandem credibilius est intentam mentem habiturum illum, qui Deo preces adhibet, qui scrutatur corda et renes, et illud facturum, quod scriptum est : Levantes puras manus sine ira et disceptatione?

Tertium est, ut etiam cognoscat, quomodo se gerere debeat in distractionibus; qua in re iterum facem præferens S. Basilius ait : Cave diligenter, ne cogitationi illi animi tui assentiare, quæ ab orationis Canone nondum peracto avellere te studeat. Habent enim hunc morem dæmones, ut faciendæ orationis temporibus, per speciosam aliquam laudabilis causæ simulationem nobis auctores sint, ut ab ea nos subducamus, ut quam salutem afferre nobis intelligunt, ab ea nos probabiliter abducant. Id quod etiam B. Virgo S. Brigittam docuit, dum eidem per distractiones fatigatæ dixit : Diabolus explorator invidus quærit impedire bonos, dum orant, tu vero, filia, quacumque tentatione pulseris, persiste in desiderio, vel bona voluntate et conatu sancto, prout potes quia desiderium et conatus plus reputabitur pro defectu orationis. Marchantius vero id apta etiam similitudine confirmat, dum ait : Sicut qui adverso flumine navigant, licet quandoque repellantur, et retrocedant, non desperant, sed vires ingeminant, et cum conatu remigant; ita idem adversus fluctus distractionum in oratione faciendum est.

Certe B. Ægidius dicere solebat : Si non potes nisi di-tractas orationes et meditationes offerre, tamen offer; quia Deus etiam pilos caprarum in tabernaculo acceptabat.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*, possunt explicari conditiones ad orationem attentam requisitæ, quod videlicet sicut I. Thymiama constabat quinque rebus, thure, galbano, onyche, stacte, mastyche; ita oratio quinque virtutes, Fidem, Spem, Charitatem, Humilita-

tem, Constantiam requirat. 2. Sicut thymiama templo inferri debebat; ita oratio in corde velut templo Dei sancto peragi debet, ne audiatur: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. 3. Sicut thymiama offerri debebat per Pontificem summum; ita oratio per Christum Dominum nostrum. 4. Sicut thymiama carbonibus accensis imponi debebat; ita oratio ferventi animo peragi. 5. Sicut thymiama recta sursum ascendebat; ita et oratio non ut fumus a vento distractionum dispergi, sed recta linea ad Deum dirigi debet.

Ex occasione thematis : *Tu autem cum oraveris, intra cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito*; potest ostendi, quo potissimum medio distractiones caveri queant. 1. Ergo dicatur, quod, juxta S. Augustinum, cubile nostrum sit cor nostrum. 2. Quod cubile hoc habeat ostium duabus valvis constans, scilicet cupiditate et timore alicujus rei terrenæ. 3. Quod ostium hoc Christo aperiendum, diabolo claudendum sit. Per cupiditatem sæculi diabolus intrat; per desiderium vitæ æternæ Christus intrat; per timorem pœnarum temporalium diabolus intrat; per timorem inferni Christus intrat. Ne ergo detis locum diabolo; quia tentator non cessat pulsare, ut irrumpat; si clausum invenerit, transit. S. Aug. in Ps. xxxv.

Ex occasione thematis : *Sagitta Jonathæ numquam rediit retrorsum*; potest oratio sagittæ comparari, et ostendi, quomodo dirigi debeat, ut non redeat retrorsum, id est, irrita non sit. Si scilicet 1. *Per arcum intensum*, id est, internam cordis attentionem, protrudatur. 2. *Si genua flectantur* (ut sagittarii solent interdum) per externam corporis humiliationem. 3. *Collimando ad certum scopum*; id est, certum finem aut rem impetrandam sibi proponendo, ut ad ferventius orandum animemur. 4. *Sinistrum oculum*, id est, *corporalem claudendo*, et solum dextrum, id est, internum mentis apertum servando.

Ex occasione thematis : *Unde habet zizania*? potest oratio tritico comparari ob necessitatem, utilitatem, dignitatem super alias actiones; distractiones vero zizaniis, quia facile crescunt, triticum impediunt a crescendo, et ad nihil utiles sunt, nisi ad comburendum. Deinde ostendi possunt radices quatuor, parag. priori indicatæ, videlicet culpa mordens, cura pungens, affectus vigens, tribulatio crucians; simulque modus demonstrari, quo evelli debeant.

Ex occasione thematis : *Ecce ignis et ligna. Ubi est victima holocausti?* potest iterum exemplo Abrahami ostendi, quomodo oratio seu cor devotum in holocaustum offerri Deo debeat. Nempe 1. *Eundo in terram visionis*, per præsentiam Dei cogitatam, aut templi visitationem. 2. *Dicendo negotiis et desideriis alienis*: Expectate hic cum asino; ego autem et puer (id est cor meum) illuc usque properantes, post quam adoraverimus, revertemur ad vos. 3. *Ligna et ignem secum accipiendo*, id est, materiam orationis, et fervorem, quo eliciantur affectus. 4. *Alligando Isaac*, id est, cor suum, ne per distractiones aufugiat; et *super ligna ponendo*, id est, orationi totum applicando. 5. *Extendendo manum*, id est, exteriorem etiam corporis et membrorum reverentiam adhibendo. Quod si facient, audient cum Abraham : Quia fecisti rem hanc, benedicens benedicam tibi, et multiplicabo semen (id est merita) tuum, sicut stellas cœli. Gen. xx, 7.

Ex occasione thematis : *Cupio dissolvi et esse tecum*; potest narrari historia de S. Athanasio, puerum cum avicula vinculis alligata videnti, et, ubi illum aviculam in altum evolantem iterum retrahere vidit, cum gemitu dicente : En sic diabolus ludit nobiscum. Ex qua historia narrata inferatur, hunc diabolus ludum maxime in oratione exerceri; nam 1. Anima per alas variorum piorum affectuum se ad cœlum erigit, dum attente orat. Verum 2. mox iterum filo volubilitatis ad antiquas terræ ineptias retrahitur. Hinc clamandum ad Deum, ut vincula hæc disrumpat sua gratia, ut dicere possit anima cum Davide : Dirupisti vincula mea; tibi sacrificabo hostiam laudis.

Ex occasione thematis : *Opprimantur operibus, et expleant ea, ut non acquiescant verbis mendacibus*; dicatur diabolum plerumque Pharaonem imitari, et quando volunt per orationem sacrificare Deo suo, eos laboribus et negotiis curisque opprimere. Ostendatur itaque, 1. Quibus laboribus opprimat, scilicet paleis bonorum terrestrium colligendis, et lateribus vilissimarum voluptatum conficiendis. 2. Ostendatur, quomodo se liberare debeant ab hoc jugo, scilicet recurrendo ad Moysen ac Aaronem, iisque suam necessitatem et afflictionem exponendo; hoc est, Christi, B. Virginis aliorumque Cœlitum opem implorando, ac

deinde omnino violenter a Pharaone aufugiendo ; sic enim ille insequens eos in mari rubro sanctissimi Sanguinis Christi submergetur. Exod. v, 9.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Philosophi quidem hominem definiunt rationale animal ; at rectius alii aiunt, esse ipsam inconstantiam, ut qui, Job teste, numquam in eodem statu permanet. Drex. *in Rhet. cœl.* l. I, c. III, § 1.

Prisci Patres in Ægypto dicere solebant : Homo orationis amans cœcus, mutus, et surdus esse debet, neque oculos alio vertat, nec sermones importunos misceat, nec strepitus molestos, garrientiumve susurros, audiat. Ibid § 2.

Plutarcus censet a Numa Rege profectum illud : *Adoraturi sedeant.* Ut monerentur tumultus cogitationum ejicere, et uni Deo attendere. Ita David Rex sedit coram Domino. Drex. l. c. VI, § 1.

Quod S. Paulus de charitate, hoc non incommode de attentione et fervore orationis dicitur, nempe quod et si omnes libellos precationis recitando absolvam, fervorem autem et attentionem non habeam, nihil sum, et factus velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Unde S. Aug. Quam multi, ait, deprecantur Deum nec sentiunt Deum, nec bene cogitant de Deo. Sonum deprecationis habere possunt, vocem habere non possunt, quia ibi vita non est. S. Aug. in Ps. 139.

S. David suadet, ut effundamus cor nostrum in conspectu Domini sicut aquam, non sicut oleum ; quia aqua non tam facile adhæret vasi, sicut oleum ; ut per hoc intelligeremus, cor nostrum penitus ad Deum migrare debere in oratione. Drex. l. c, c. III, § 1.

AUCTORES.

Joannes Busæus, V. eod *in Panario.*

Jeremias Drexelius, *in Rhetorica cœlesti*, lib. I, cap. III et seqq.

Jacobus Marchantius, *in Horto Pastorum*, tract. II, lect. 8.

Antonius Dauroltius, *in Catechismo histor.* cap. II. tit. 14.

EUCHARISTIA.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est Corpus et Sanguis Christi, sub speciebus panis et vini, cum anima et divinitate realiter et substantialiter existentis. Canisius, c. IV. *de Euch.* § 1.

Vocatur autem Eucharistia, id est, bona gratia, seu gratiarum actio, quia præcipuum et maximum Dei donum, ipsumque omnis gratiæ fontem et auctorem continet, summorumque nos bonorum admonet, pro quibus acceptis gratiarum actionem, laudem, et gloriam summam Deo summo debemus.

Tria præcipue continet, species visibiles, Corporis et Sanguinis Dominici veritatem, et spiritualis gratiæ virtutem. Canis. § 2.

Quinque capita de ea potissimum sunt scienda. 1. Veritas illius. 2. Transsubstantiatio, seu panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi conversio. 3. Adoratio eidem debita. 4. Ejusdem oblatio et sacrificium. 5. Sumptio illius sub altera vel utraque specie. Canis. § 3.

Finis illius triplex est, ab ipsa Ecclesia sequentibus verbis indicatus : O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur. Quem finem clarius explicavit Concilium Tridentinum his verbis : Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum etc. Sess. XIII.

Sumi autem voluit Sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit : Qui manducat me, et ipse vivet propter me ; et tanquam adjutorium, quo liberemur a culpis quotidianis, et a culpis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, et perpetuæ felicitatis ; adeoque symbolum vivum illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos tanquam membra arctissima fidei, spei, et charitatis connexione adstrictos esse voluit.

EX S. SCRIPTURA.

Necessitas. — Omnes sitientes venite ad aquas ; et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite ; venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione, vinum et lac. Isaiæ lv, 1.

Amen, amen, dico vobis : Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Joan. vi, 54.

Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Psalm. ci, 5.

Utilitas. — Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in illo. Joan. vi, 56.

Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. I. Cor. xi, 26.

Hic est panis de cœlo descendens. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum ; et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Joan. vi, 50 et 52.

Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Joan. vi, 55.

Jucunditas. — Vincenti dabo manna absconditum. Apoc. ii, 37.

Comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo; comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi. Cant. v, 1.

Pro quibus Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de cœlo præstitisti sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. Sap. xvi, 20.

Quid enim bonum, et quid pulchritudo ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines? Zach. ix, 17.

Dignitas. — Calix meus inebrians quam præclarus est! Ps. xxi, 5.

Hic est panis Angelorum de cœlo descendens. Joan. vi, 50.

Præparatio. — Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis. Lev. vii, 20.

Leprosus, aut patiens fluxum seminis non vescetur de his, quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur. Lev. xxii, 4.

Nolite sanctum dare canibus; neque mittatis margaritas ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos. Matth. vii, 6.

Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nupitialem? Matth. xxiii, 12.

Epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis. I. Cor. v, 8.

Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. I. Cor. x, 21.

Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini. I. Cor. xi, 39.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Substantia et qualitas. — Hoc Sacramentum non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris ; nec bonorum dispensatorum meritis ampliatur, nec malorum attenuatur. S. Aug. *de Eccl. Dogm.*

Si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo deposceret, non valebit sermo Christi, ut species elementorum mutetur? De totius mundi operibus legisti : Quia ipse dixit, et facta sunt ; ipse mandavit, et creata sunt. Sermo igitur Christi, qui ex nihilo potuit facere, quod non erat, non potest ea, quæ sunt, mutare in illud, quod non sunt? Non enim minus est, novas rebus dare formas, quam mutare naturas. S. Ambr. l. iii *de Sacram.*

Liquet, quia præter naturæ ordinem Virgo generavit, et hoc, quod conficimus Corpus, ex Virgine est. Quid quæris naturæ ordinem in Christi Corpore, cum præter naturam sit ipse partus ex Virgine? Ibid.

Sicut ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, pari potentia in spiritualibus Sacramentis verbi præcipit virtus, et servit effectus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quando quidem qui est auctor muneris, ipse etiam est testis veritatis. Euseb. Emyssen. hom. v *de Pasch.*

O ineffabilis dignitas conditoris! O stupor indicibilis charitatis! Quis non contremiscat? Quis non cum exultatione miretur? Sane numquam fuisset homo ausus talia petere, sed neque cogitare ; quoniam hoc miseri-

cordiæ opus omnem mortalium supereminet dignitatem. S. Laur. Just. *de Euch.*

Seipsum invenit homo propter infirmitatem, jacentem in stabulo. Stabulum enim quid est? Mundus est. Et propter pecorinam similitudinem indigens erat fœno, ea propter cibus cœlestis mutavit se in pabulum pecoris, homine mutato in pecus. Panis Angelorum factus est fœnum, unicus Patris Filius hominis, Verbum quippe caro factum est, et, juxta Prophetam, omnis caro fœnum. S. Bernardus, *apud Mansi*, tr. xxvi, disc. xxxv, n. 5.

In Canone Missæ leguntur sequentia verba: Quam oblationem, Tu, Deus, in omnibus quæsumus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris. Quæ verba S. Paschasius considerans ait: « Benedictam, per quam nos benedicamur; adscriptam, per quam nos omnes in cœlo conscribamur; ratam, per quam in visceribus Christi censeamur; rationalem, per quam a bestiali sensu exuamur; acceptabilemque facere dignetur, quatenus et nos per hoc, quia in nobis displicuimus, acceptabiles cum ejus unico Filio simus. S. Paschasius. *ser. de Corp et Sang. Dom.*

Pulchre se vocat granum frumenti, quia granum frumenti candidum est interius, et rubrum exterius, et Christus candidus dicitur respectu Divinitatis, et rubicundus in carne propter Passionem. Unde Sponsa in Canticis dicit, quod sit candidus et rubicundus. Hugo de S. Vict. *Erud. Theol.* T. 3, *Spec. Eccl.* c. vii.

Eucharistia charitatis est symbolum. Hier. *ad Theod.*

Necessitas. — Tolle hoc Sacramentum de Ecclesia, et quid erit in mundo, nisi error et infidelitas? Et populus Christianus erit quasi grex porcorum dispersus, et idololatriæ deditus, sicut expresse patet in cæteris infidelibus. S. Bonav. *apud Mansi*, disc. i, n. 8.

Qui vulnus habet, medicinam requirat; vulnus est, quia sub peccato sumus; medicina est cœleste et venerabile Sacramentum. S. Ambr. l. iii, *de Sacram.*

Fiant fideles Corpus Christi, si volunt vivere de Spiritu Christi. De Spiritu Christi non vivit, nisi Corpus Christi. Vis et tu vivere de Spiritu Christi? in Corpore esto Christi. S. Aug. tr. ii, *in Joan.*

Idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia Corpore Christi et Sanguine non armatur ad prælium, et mens deficit, quam non accepta Eucharistia erigit, et accendit. S. Cyprianus, *in ep. ad Cornelium Papam.*

Utilitas.—Biberunt ex eo omnes; ebrietas felix, satietas singularis, quæ quanto copiosius sumitur, tanto sobrietatem sumentibus donare dignatur! Et Judas bibit, sed non saturatur, nec sitim extinguit ignis æterni; quia indigne sitivit mysteria Christi. S. Hieron. *Super Lucam.*

Panis hic azymus cibus verus et sincerus per speciem et Sacramentum nos tactu sanctificat, fide illuminat, veritate Christo conformat. Et sicut panis commnnis, quem quotidie edimus, vita est corporis; ita panis iste supersubstantialis vita est animæ et sanitas mentis. S. Cypr. ser. *de Cœn. Dom.*

Duo præcipue in nobis hoc Sacramentum operatur, ut et sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat Corpori et Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo. S. Chrys. hom. xlv, *in Joan.*

Tanquam leones ignem spirantes, ab illa mensa recedimus, terribiles diabolo effecti. S. Chrys. l. *de Sacerd.*

Qui de hac vita migraturi sunt, si mysteriorum hujusmodi cum pura conscientia fuerint participes, spiritum efflaturi, ab Angelis illorum corpora satellitum more stipantibus, propter assumptum illud Sacramentum, hinc recta ad cœlum abducuntur. S. Aug. s. cci *de Temp.*

Qui digne comedit hunc panem, qui est Corpus Christi, necesse est, ut moriatur præteritis, et vivat futuris. S. Leo, s. iv *de Pass. Dom.*

Non aliud agit participatio Corporis et Sanguinis Christi, quam ut in id, quod sumimus, transeamus. S. Cyrill. *Catech.* iv.

Sic Christiferi erimus, id est, Christum ferentes, cum ejus Corpus et Sanguinem in membra nostra receperimus, atque ita, ut B. Petrus dicit, divinæ naturæ consortes efficimur. S. Aug. s. iii *de Ver. Apost.*

Illum calicem bibere quid est, nisi vivere? Manduca vitam, bibe vitam, habebis vitam, et integra est vita. S. Augustinus, ser. *de Verb. Apost.*

Nec solum pro salute æterna datur, sed etiam pro temporali incolumitate, id est,

corporali sanitate ; incolumitas enim dicitur sanitas et integritas, utraque enim sanitas ab illo est, animæ et corporis. Rem. Altisiod. *de Celebrat. Miss.*

Est fons omnis gratiæ et virtutis. Unde Sacramentum hoc Eucharistia, id est bona gratia, nominatur; ideo Eccl. 24, ipsa Eucharistia de se ait « In me omnis gratia viæ et veritatis ; in me omnis spes vitæ et virtutis. » S. Bern. tr. II, ser. LV, art. 1 et c. II.

Quotiescumque ad hoc Sacramentum accedo, decoquor, cum immutor ; digeror, cum transformor; unior, cum conformor. S. Bern. ser. LXI *in Cant.*

Inde effecti aquilæ ad cœlum evolamur, ubi enim cadaver, illic et aquilæ ; cadaver corpus suum vocitans propter mortem ; aquilas vocat ostendens, quod oportet eum, qui ad hoc corpus accedit, esse sublimem et cum terra nihil habere commune, neque deorsum trahi et serpere, sed assidue sursum volare. S. Chrys. hom. XXIV, in I *ad Cor.*

Tria inter alia bona multiplicantur per hoc Sacramentum. Primum est decor castitatis : Secundum charitatis ; Tertium sapor suavitatis. S. Bern. t. II, ser. LIII, ar. 2, c. II.

Audiant Christiani, qui quotidie Corpus Christi attingunt, quamnam de ipso Corpore possunt sumere medicinam, quando mulier totam rapuit de sola Christi fimbria sanitatem ; sed quod nobis flendum est, mulier de vulnere Christi medicinam tollit, nobis medicina ipsa retorquetur in vulnus. S. Chrysologus ser. XXXIV.

Ne veluti quidam horror esset cruoris, sed maneret gratia redemptionis, ideo in similitudine quidem accepti Sacramenti, sed veræ naturæ gratiam virtutemque consequentis. S. Ambr. *de Sac. Cant.*

Dignitas.—Panis iste per excellentiam Eucharistia dicitur, id est, bona gratia, in hoc enim Sacramento non solum quælibet gratia, sed ille a quo est omnis gratia, sumitur. S. Bern. s. *in Cœn. Dom.*

Maxima dignitas apparet in hoc Sacramento, quia cum Christus constet ex tribus substantiis, scilicet Deitate, anima, et corpore, ipsa quidem Deitas excellit omnia ; item anima ejus præcellit omnes animas, cum sit plena gratiæ et veritatis ; item corpus ejus excellit omnia corpora, quod de sanctificato corpore B. Virginis fuit sumptum, et Divinitati unitum. S. Bonav. l. VI, c. XIII, *Comp. Th. verit.*

Audeo dicere, quod Deus, cum sit Omnipotens, plus dare non potuit; cum sit sapientissimus, plus dare nescivit; cum sit ditissimus, plus dare non habuit. S. August. tr. 48 *in Joan.*

Est communio Dei vivi, mensa divina, esca in fide perfecta, tota cœlestis. S. Martialis, *in epist. ad Burdigal.*

Quis fidelium dubium habere possit, in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio Angelorum choros adesse , summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unum quid ex visibilibus atque invisibilibus fieri ? S. Greg. l. IV, *Dial.* c. LVIII.

Jucunditas. — Quid suavius pane Angelorum? Quomodo ergo non est suavis Dominus , quando panem Angelorum manducavit homo? S. Aug. *super* Ps. XXXVIII.

Quot nunc dicunt : Vellem ipsius formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta ? Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum manducas. Igitur nemo accedat cum nausea nemo resolutus ; omnes accensi , omnes ferventes et excitati. S. Chrys. hom. LX, *ad pop. Antioch.*

Quemadmodum vino isto communi mens solvitur, et anima relaxatur, et omnis tristitia seponitur ; ita epoto Sanguine Domini, et poculo salutari, exuitur memoria veteris hominis, et fit oblivio conversationis sæcularis,et mœstum pectus ac triste, quod prius peccatis angentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia resolvitur. S. Cypr. II, *epist.* III, *ad Cœcilium.*

In hoc Sacramento totalis gratiæ pinguedo continetur. Quid enim frumenti nomine, nisi Corpus Christi intelligitur? Istud frumentum habet corticem, et adipem ; ut cortex sit ipsa humanitas, adeps vero sit intus latens Divinitas, quia in hoc Sacramento satiamur, eo quod in ipso nostra finalis beatitudo consistat. Mich. de Bononia, *in Ps.* LXII.

Eucharistia sapit amplius, quam Manna, implet et sapit edentium appetitus, et omnia carnalium saporum irritamenta , omnium exsuperat dulcedinum voluptates. S. Cyprian. *de Cœn. Dom.*

Saporem gratiosum valde habet ex Deitate, hoc sapore omnibus præfertur delectabilibus, nec aliquid est, quod comparari possit delectationi hujus Sacramenti ; quod illa Psalmistæ auctoritate (*delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui*) confirmans ait : Si enim delectatio est, ut ait

Aspasius, diffusio naturæ super maxime conveniens, inæstimabilem convenit esse delectationem super gustum Deitatis, omni gratia, et omni bono refertum. S. Albert. M. *de Euch. dis.* III, tr. 1, c. II, num. 5.

Suavitatem hujus Sacramenti nullus digne exprimere sufficit, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur. S. Th. *Opusc.*

Quantæ putas dulcedinis est Sanguis hujus Sacramenti, qui de tam dulci fonte manavit, et a tam dulci fonte hauriente in tam dulce vas est transfusus? Fons enim hujus Sanguinis est sanguis in visceribus gloriosæ Virginis contentus; hauriens hunc fontem Spiritus Sanctus est; vas, in quod transfunditur, Corpus Dominicum est, ex quo etiam manat in Sacramentum, et ex Sacramento in corda fidelium. S. Albert. M. l. c. n. 2.

Veritas. — Recedat omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem, qui Auctor est muneris, ipse etiam testis est veritatis. S. Pasch. l. *de Corp. et Sang. Domini.*

Quid obsecro magnum est, si Christo Domino creditur? Christus ait : « Hoc est Corpus meum, » et super hoc quispiam audeat hæsitare? Nam etsi quæ dicuntur, ardua et difficilia sunt ad credendum, fidei tamen minuitur difficultas, ubi dicentis consideratur auctoritas; noli considerare, quod dicitur, sed quis dicat, attende. S. Thom. Villanov. *in fest. Corp. Christi.*

Ne errares in fide, et a veritatis semitis devians, male de Christo in hoc Sacramento sentires, se dedit in cibum, dum adhuc esset passibilis, cum videretur, cum tangeretur, cum agnosceretur, cum præsens loqueretur. S. Laur. Justin. *de Euchar.*

Quid enim dubitationis in hoc Sacramento remanet, quod a Christo tam expresse traditum, ab Apostolis prædicatum, a SS. Patribus orthodoxis tot centenariis annorum præfiguratum, tantisque cæremoniis, tot miraculis et prodigiis, et observantiis, quasi testimoniis palpabilibus vides confirmatum? Tolle hoc Sacramentum de Ecclesia, et quid erit in mundo, nisi error et infidelitas? S. Bonav. tom. VII *de Præpar. ad Miss.* c. I.

Quomodo fiet istud, ut tantus Christus sub tam parva hostia delitescat, aut qua ratione mundi Conditor in vile pectoris nostri tuguriolum subintrare velit? Prudentia tunc dictat, ad Spiritum Sanctum et virtutem Altissimi, cui nihil est impossibile, et qui nos ardentissimo amore prosequitur, spectandum esse ; si enim non ederes, nisi ea, quæ intellectu tantum cognoscuntur, et quomodo sint condita, et qua ratione nos alere possent, comprehendere valeres, pauca sane, et prorsus nihil ederes. Salmeron. tr. 40, c. IX.

Si modum requiris, quonam pacto fiat, sat tibi sit audire, quoniam per Spiritum Sanctum, quemadmodum ex S. Deipara, se ipsum, et in se ipso Dominus carnem sustentavit, et nihil aliud cognoscimus, quam quod verbum Dei verum est, et efficax, et omnipotens, modus autem inscrutabilis. S. Joan. Damasc. l. IV, c. XIV. *Orth. Fid.*

Mirum, sed verum! Nec tamen mirum est respectu facientis. Quid enim mirum, si Omnipotens mirabilis miranda operatur? Hug. Vict. tom. II, *Spec. Eccl.*

Quando mirari cœperis, et dixerit tibi cogitatio tua, quomodo hoc esse potest? Cogita facientem, et respice omnipotentem. Albertus Magnus auctoritatem adducit S. Gregorii dicentis : Sicut Divinitas verbi Dei una est, quæ totum implet multis locis mundum; ita licet multis et innumerabilibus diebus illud consecretur Corpus, non sunt tamen multa Corpora Christi, sed unum Corpus cum illo, quod assumpsit de Virgine, et quod dedit Apostolis; Divinitas enim verbi, quæ ubique est, replet illud. Idem.

Sicut avis fovens ova, dicit Glossa; ergo si ponis sub ave unum, vel plura ova, vertit ea per naturam interius in carnem, testa manente exterius. Quanto magis, si ponas in Altari unam hostiam panis, vel duas, sive centum, sive mille, sive plures, manente panis exterius specie, Spiritus Sanctus repente interius in Corpus Christi sua virtute convertit! Eugen. *apud Mansi, discurs.* I, n. 7.

Natura mutat unam substantiam in alteram, sicut in vite aqua mutatur in vinum, et opere apum succus florum in favum mellis; similiter in nobismetipsis panis, quem manducamus quotidie, per naturam mutatur in carnem, et gramina comesta a brutis convertuntur in carnem et sanguinem; ergo multo magis virtus verbi Christi mutare potest panem in substantiam sui Corporis. S. Albert. Mag. ser. XI, *de Cor. et Sang. Dom.*

Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei : « Accelera, tria sata similæ commisce, et fac subcinericios panes.» Hæc est sapientia summi Patris, quæ tria sata Deitatis, et animæ, et corporis commiscuit, hæc sociavit. Accelerat autem, quia in

momento operata est, et non per momenta temporum, ut infirma facit natura, et fecit nobis panes æternæ refectionis sub cineribus hujus nostræ mortalitatis decoctos.

Sicut ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, pari potentia in spiritualibus Sacramentis verbi præcipit virtus, et servit effectus; dicere enim verbi operari est; dixit enim et facta sunt. Unde eodem momento, quo Christus in persona Sacerdotis profert hæc verba : « Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, » creatura locum Creatori suo cedit; nam, ut S. Paschasius ait, verba Christi sicut divina sunt, ita efficacia, ut nihil aliud proveniat, quam quod jubent, quia æterna sunt : « Cœlum, inquit, et terra transibunt, verba autem mea non transibunt, » sed facient omnia, ad quæ missa sunt, quia Patris non nisi unum, et substantivum, et consubstantiale, et sempiternum est verbum. Euseb. Emiss. hom. v, *de Pasch.*

Justum et consentaneum est, quod adveniente pane vero, cedat materialis; neque est ejus injuria, immo jus Creatoris est, ut ei advenienti honorem deferat creatura, relinquens ei penitus locum suum, et cætera, quæ ab eodem Creatore acceperat, utpote albedinem, saporem et quantitatem. Guill. Paris. *de Euchar.*

Tempus sumendi. — Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere; qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. S. Aug. *in Matth.*

Quotidie Eucharistiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo; omnibus tamen Dominicis diebus suadeo et hortor, si tamen mens sine voluntate peccandi sit. S. August. *in lib. de Eccl. Dogm.*

Si quotiescumque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur; qui semper pecco, semper debeo habere medicinam. S. Ambr. *de Sacram.*

Multo justius est, ut cum hac cordis humilitate, qua credimus, et fatemur illa sacrosancta mysteria numquam pro merito nos posse contingere, singulis ea Dominicis ob remedium nostrarum ægritudinum præsumamus, quam ut vana persuasione cordis elati, vel post annum dignos eorum participatione nos esse credamus. Cassian.

Sciant baptizati homines, si longo temporis spatio propter simulatam religionem mystice Christo communicare recusent, ab æterna vita se procul depellere. Quippe recusatio hujusmodi quamvis ex religione proficisci videatur, et scandalum facit, et laqueos instruit. Quare oportet omnibus viribus a peccato mundari, et recte vivendi jactis fundamentis, magna cum fiducia ad sumendam vitam concurrere. S. Cyrill. *in Joan.*

Immunda es? Accede mundanda ad fontem puritatis. Esuris? Accede pascenda ad panem vivificum. Ægrotas? Erit hoc efficacissimum tuæ valetudinis medicamentum. Fluxum pateris, nec sanari potes a medicis? Tange plena fide cum hæmorrhoissa fimbriam, scilicet sacram Hostiam, ut purgeris. *Quidam S. Pater, apud Beirlink.* th. II, *in fest. Corp Christi.*

Modus sumendi. — Quanta cordis contritione, et lacrymarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate atque animi puritate illud divinum et cœleste mysterium est celebrandum, Domine Deus, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi summis ima, humanis divina junguntur, ubi adest Sanctorum præsentia Angelorum, ubi tu es Sacerdos et Sacrificium mirabiliter et ineffabiliter! Quis digne hoc mysterium celebrare potest, nisi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum? S. Ambr. *in Or. ante Miss*

Sacramentum Dei altissimum sumendum est, non discutiendum; venerandum, non dijudicandum; fide sortitum, non innatum; traditione sancitum, non ratione adinventum. S. Ber. *in epist.*

Rogo vos, fratres, numquid est aliquis, qui in arca sordibus plena velit mittere vestem suam? Et si arca sordibus plena vestis non mittitur pretiosa, qua fronte in anima, quæ peccatorum sordibus inquinatur, Christi Eucharistia suscipitur? S. Aug. de s. cclii.

Si quis sua conjuge non cupidine voluntatis, sed solum procreandorum liberorum gratia utitur, ille profecto sive de ingressu Ecclesiæ, sive de sumendo Dominici corporis sanguinisque mysterio, suo est relinquendus judicio; quia a nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. S. Greg. *in Registr.*

Communionis tempus non est festum, atque celebritas, sed conscientia pura, vitaque a peccatis repurgata. S. Chrys. *in orat de S. Philogonio.*

Non alium Apostolus judicem hic tibi attribuit, quam teipsum. Judica igitur, et explora conscientiam tuam et sic accede. THEOPHILACT. *in epist.* V, *S. Pauli.*

Nonne videtis, quanta infantes animi alacritate mamillas arripiunt? Qua pressione papillis infigunt labia? Non minore cupiditate nos quoque ad hanc mensam, et ad hujus calicis spiritualem accedamus papillam! Immo vero majore desiderio quasi lactantes pueri gratiam Spiritus sugamus; unus sit nobis dolor, una mœstitia, si hoc alimento spirituali privamur. S. CHRYS. hom. LX, *ad Popul.*

Quantum possumus, cum Dei adjutorio laboremus, ut cum sincera et pura conscientia, et mundo corde, et casto corpore ad Altare Domini possimus accedere, et Corpus et Sanguinem ejus non ad judicium, sed ad remedium animæ nostræ mereamur accipere. In Christi enim corpore vita nostra consistit. Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam. Nam si non mutet vitam, ad judicium accipiet vitam, et magis ex ipsa corrumpitur, quam sanatur; magis occiditur, quam vivificatur. S. AUG. *ser.* I. *de Temp.*

Væ tradentibus Christum ad crucifigendum; sed væ cum maligna conscientia sub Sacramento sumentibus illum! Nam si qui regiam purpuram coinquinant, haud secus, quam qui scindunt, puniuntur; quid mirum, si, qui immunda conscientia Christi Corpus accipiunt, idem supplicium subeant, quod qui eum clavis affixerunt? S. REMIG. *sup. Matth.*

Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igni. In Eucharistia crudum agnum edunt, qui Dei præsentiam non satis expendunt. S. CHRYS. *in cap.* VI, *Joan.*

Quicumque sis, manum tuam expurga, et castiga linguam et labia, quæ ingressuri Christi fuere vestibula. S. GREG. hom. XXI, *in Evangel.*

Heu! quam temerarium, quamque nefarium est, cruentatis manibus tractare Virginis Filium! Quis auditus sustineret aurium? Quis oculus non confunderetur ad intuitum? Quæ mens non raperetur in excessum, ubi mundi pretium mittitur in sterquilinium? Non est minus detestabile, in os pollutum, quam in lutum, mittere Virginis Filium. S. CHRYS. hom. XXVII, in I, *Cor.*

Eucharistiam indigne sumentes sanari non possunt. S. BERN. *apud Promard.* l. L. c. VI.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

NECESSITAS. — Duo mihi permaxime necessaria sentio in hac vita, sine quibus mihi importabilis foret ista miserabilis vita. In carcere corporis hujus detentus, duobus me egere fateor, cibo scilicet et lumine. Dedisti itaque mihi infirmo sacrum Corpus tuum ad refectionem mentis et corporis, et posuisti lucernam pedibus meis Verbum tuum. Sine his duobus bene vivere non possem, nam verbum Dei lux animæ, et Sacramentum tuum panis vitæ. Lib. IV, c. XI, § 4.

Necessarium mihi est, qui tam sæpe laboro et pecco, tam cito torpesco et deficio, ut vel per frequentes orationes et confessiones, et per factam Corporis tui perceptionem me renovem, mundem, et accendam, ne forte diutius abstinendo a sancto proposito defluam. Lib. IV, c. II, § 3,

UTILITAS. — Est hoc altissimum et dignissimum Sacramentum salus animæ et corporis, medicina spiritualis languoris, in quo vitia mea curantur, passiones frenantur, tentationes vincuntur, aut minuuntur, gratia major infunditur, virtus incœpta augetur, firmatur fides, spes roboratur, et charitas augescit et dilatatur. Lib. IV, c. IV, § 2.

Multa bona largitus es, et adhuc sæpius largiris in Sacramento dilectis tuis devote communicantibus, Deus meus, susceptor animæ meæ, reparator infirmitatis humanæ, et totius dator consolationis æternæ. Nam multam ipsis consolationem adversus variam tribulationem infundis, et de imo dejectionis propriæ ad spem tuæ protectionis erigis, atque nova quadam gratia eos intus recreas et illustras, ut, qui anxii primum, et sine affectione se ante communionem senserant, postea refecti cibo potuque cœlesti, in melius se mutatos inveniant. Ibid. § 3.

Quoties hoc mysterium recolis, toties tuæ redemptionis opus agis, et particeps omnium meritorum Christi efficeris. Lib. IV, c. II, § 6.

JUCUNDITAS. — Hæc est una principalis fidelis animæ consolatio, quamdiu peregrinatur a te in mortali corpore, ut sæpius memor Dei sui, dilectum suum devota suscipiat mente. Lib. IV, c. III, § 3.

O dulcissime Domine Jesu, quanta est dulcedo devotæ animæ tecum epulantis in convivio tuo, ubi ei non alius cibus manducandus proponitur, nisi tu unicus dilectus

ejus, super omnia desideria cordis ejus desiderabilis! Lib. IV, c. XI, § 1.

O quam suavis est, Domine, Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo, de cœlo descendente, illos reficere dignaris! Verum non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut tu Deus noster ades universis fidelibus tuis, quibus ad quotidianum solatium, et cor erigendum in cœlum, te tribuis ad edendum et fruendum. Lib. IV, c. XI, § 2.

DIGNITAS. — Non est oblatio dignior, satisfactio major pro peccatis diluendis, quam seipsum pure et integre cum oblatione Corporis Christi in Missa et Communione Deo offerre. Lib. IV, c. VII, § 4.

Mira res ac fide digna, et humanum vincens intellectum, quod tu, Domine Deus meus, verus Deus et homo, sub modica specie panis et vini integer contineris, et sine consumptione a sumente manducaris. Lib. IV, c. II, § 5.

FREQUENTIAS SUMPTIONIS. — Frequenter recurrendum est ad fontem gratiæ et divinæ misericordiæ, ad fontem bonitatis et totius pietatis ; quatenus a passionibus tuis et vitiis curari valeas, et contra universas tentationes et fallacias diaboli fortior atque vigilantior effici merearis. Lib. IV, c. X, § 1.

Propter aliquam parvam tribulationem vel gravitatem sacram ne dimittas Communionem, sed vade citius confiteri, et omnes offensiones aliis libenter indulge. Ib., § 2.

Quid prodest diu tardare Confessionem, aut sacram Communionem? Expurga te cum primis, expue velociter venenum, festina accipere remedium, et senties melius, quam si distuleris. Si hodie propter istud dimittis, cras forsitan aliud majus eveniet, et sic diu posses a Communione impediri, et magis ineptus fieri. Lib. IV, c. X, § 4.

Heu! quam modicam charitatem, et debilem devotionem habent, qui sacram Communionem tam facile postponunt. Id., § 5.

Qui aliter se non præparat, nisi instante festo, vel consuetudine compellente, et sæpius imparatus erit. Ibid., § 7.

Super omnia cum summa humilitate cordis et supplici reverentia, cum plena fide et pia intentione honoris Dei ad hoc Sacramentum celebrandum, tractandum et sumendum oportet Dei accedere Sacerdotem. Lib. IV, c. VII, § 1.

Omnis amans suo dilecto amatori optimum et pulcherrimum præparat locum, quia in hoc cognoscitur affectus suscipientis dilectum. Lib. IV, c. XII, § 1.

Oportet autem, ut non solum te præpares ad devotionem ante Communionem, sed ut etiam te sollicite conserves in ea post Sacramenti perceptionem. Nec minor custodia post exigitur, quam devota præparatio prius. Nam bona postmodum custodia, optima iterum est præparatio ad majorem gratiam consequendam. Ibid. § 4.

EXEMPLA EXTERNA.

CULTUS. — Franciscus primus, Franciæ Rex propter continuos et implacabiles Regni sui motus bellicos, in subditos suos hæreseon, errorumque pestem, cum ingenti fidei præjudicio transfusam advertens, sequens adhibuit remedium et antidotum. Excitata pietate celeberrimam Parisiis supplicationem instituit, Divinamque Hostiam circumferre jubet, adest ipse, facemque manu præferens, aperto triumphali capite, prosequitur. Mox coactis in templo Proceribus de augustissimi omnium mysterii veneratione, cultuque regia disserit eloquentia, obortisque extrema concione lacrymis, se Henricum suum, unicam Regni spem, si errores concepisset, illico Divinæ veritati immolaturum vociferatur. JOAN. RH. l. III, c. X, n. 27.

Ferdinandus III, dum avia in sylva venaretur, quod Principi intimum erat solatii, nolam audire sibi visus, cujus sonus vix præ locorum intervallo ad aures accedebat. Interrogati qui feris indagandis excitandisque discurrebant, quid rei esset, docent, via militari ad ædes rustici morituri divinissimam Hostiam a Sacerdote deferri. Non ultra moratus Ferdinandus per obstantia et dumos, sylvamque adigens equum, eluctatusque moras, Sacerdotem libero assequitur campo, et equo desiliens comitari pergit, ut Austriacum esse scires. Venitur ad decumbentis mapale, omnia rite peraguntur. Tum Sacerdos, ut ægro animos adderet : Macte, inquit, meliori spe, duos hodie Reges domi excepisti, Regum omnium Regem Christum Dominum, et hunc Ferdinandum Bohemiæ Regem (nondum enim erat Cæsar) qui, ut integra esset Austriaca Religio, hoc est, Regia, aurum rustico liberaliter largitus est. Idem, n. 2.

Eleonora Austriaca jungenda Ferdinando soror, et ultima Archiducis Caroli proles, constantiæ tamen ac pietatis facile prima. Gravissima oculorum valetudine laborans sacrificio de more intererat, et salutarem Hostiam a Sacerdote sublatam summa cum voluptate jam adoraverat, oculisque latentis Dei hauserat arcanos amores, cum subito auferri sibi diem sentit, humorumque noxiorum suffusione lucem omnem perpetuo mergi; quo casu improviso animus quamvis fortis percelli poterat, si non Austriacus fuisset; hoc usa Eleonora : Bonum factum, inquit, diem non opto, meque abunde felicem reputo, cui ultima lucis usura supremum Divinæ dignationis argumentum repræsentavit Eucharistiam; quid enim pulchrius, atque augustius in hac mortalitate videre possim, profecto est nihil. Videntis hoc animi dictum est, cui ab externis his tenebris lux major accedat. Idem, n. 3.

Sebastianus, Lusitaniæ Rex, cum occureret Sacerdotibus Eucharistiam ad ægros deferentibus, semper solebat equo desilire, magnaque reverentia ad usque decumbentis ædes comitari, ac ne præsentiæ Majestate animos domesticorum percelleret, dum omnia intus rite peragerentur foris ad januam, et quidem de genu præstolari, ac Sacerdotem sacras ad ædes eadem pompa reducere. Idem, n. 6.

Joannis Riberæ, Patriarchæ Antiocheni, Religio non una significatione contenta, in omni vita, quæ illi longissima contingit, se se pulcherrimas per actiones exercuit. Ergo quotiescumque tanti mysterii nomen audisset, caput aperire, quod deinde in mores promanavit; de illo ad concionem frequentissime novo semper lectissimarum sententiarum delectu dicere : Augustissimam cellam, et Sacerdotum Collegium, ejusdem honori sumptibus immanibus dicare, parum fuerit; illud profecto, vel ad elegantiam pietatis, vel ad populorum utilitatem longe eximium fuit, nobilissimæ gentis Riberæ abjectis insignibus, ea deinde gemma signavit, in qua Calix cum sacra patina et Hostia, Christiano more esset exculptus, duabus hinc inde arulis cum igne, addita epigraphe : *Tibi post hæc quid faciam, fili mi ?* Demum ut latius ea pertineret Religio, novam invenit salutationem pietatis plenissimam : *Laudetur Sanctissimum Sacramentum.* An non hoc sit in Eucharistiæ veluti transire patrocinium, atque palam testari, ejus se Spiritu vivere? Idem. n. 6.

Cajetanus Thianeus, Theatinorum fundator, a primis tenebris ad usque matutinum Sacrificii tempus, silens, totusque sibi intentus perstabat, horasque plerumque octonas Divinæ commentationi impendebat; tum severe excussum animum arcana confessione purgabat, atque hoc potissimum modo comparatus ad sacrum Altare, nescio quæ Divini amoris spirans incendia, succedebat. Hæc cum tanto ambitu peragerentur, quæ tamen Divini epuli fames erat, quotidie perlitabat. Idem, n. 15.

Anglus quidam 400 aureis ob Missam auditam damnatus, mulctam, quam in lucro ponebat, ut persolveret, aureos Lusitanicæ notæ longe pulcherrimos, unde conquisitos, hæretico quæstori enumerabat; pecuniæ fulgorem admiratus homo impius, mirum sibi videri dixit, tanta diligentia mulctæ persolvendæ id auri fuisse coactum; tum Catholicus : Scito, inquit, cum nihil usquam Divino Sacrificio pulchrius sit, ejus in pretium me pulcherrimum studio aurum comparasse, et quoniam ea te momordit cura, ut animum tibi penitus aperiam, data etiam opera, Crucis nota percussum aurum, pro Eucharistiæ adoratione redimenda ultro a me quæsitum scias, quod mira quædam et arcana sit Crucis atque Eucharistiæ cognatio, eaque hominibus admodum salutaris. O dicta Lusitanico ipso auro spendidiora, et religiosissimæ mentis consignata fastigio. Id. n. 19.

Angerus, primus in Japonia Christianus, affirmabat, cum omnia sibi in Christiana Republica vehementer probari, tum nihil melius, aut quo magis animus caperetur, ipso Christi corpore sibi videri, et post illud arcana scelerum expiatione. Itaque mirari se admodum, si qui forte reperirentur, qui tantis paratis bonis non avide atque jucunde fruerentur. Plus sapuit Barbarus iste, quam plerique hodie apud nos, qui stolida quadam abstinentia disipiunt. Id. n. 21.

Dominicus Ansalonius nonum vix attingens annum, et summa Religione sacræ accumbere mensæ, et Eucharistiam quæsitissime colere jam didicerat. Nam si forte ad ægros deferenda esset, ac nolæ pulsu admoneretur vicinia, exiliebat illico, fuitque sæpius, cum media hyeme nondum albente cœlo, ea significatione excitatus, vix circumjectis vestibus, quas publicus pudor abesse non patitur, lectulo, ac domo prosiliens,

magna cum veneratione accensum funale manu gestans, Divino ferculo præluxit, ac domum reversus familiam omnem somno mersam offendens, pigritiam, morasque modestissime increpavit. Adeo non genus, non ætas a virtute nos excusat. Id. n. 22.

In civitate Potosina præclarus atque a pietate mos ille obtinuit, ut Magistratus, ac Nobilitas omnis, si quando circumlatæ divinæ Eucharistiæ obviam fiunt, illico rejectis togis, palliisve, arreptisque facibus, veluti pueri honorarii, Regem Regum comitentur, illustriori nobilitatis ac potestatis commendatione, quam si per ineptam gravitatem Magistratus insignia deponere indignarentur. Id. n. 26.

Impegerat Leoni Pereriæ nobilissimo præfervidi ac plene militaris animi adolescenti, colaphum gregarius miles, fugamque arripuerat. Sed non tam leves hujus pedibus timor, quam ira et furor Pereriæ alas addit. Assequitur in templo, injectaque altera manu, elatum altera pugionem, ira furens, ac frendens jugulo adprimebat: Tum miser ille visa, quam forte Sacerdos vicinam ad aram sustulerat de more, hostia Divina: Per hanc te, inquit, obsecro, parce! Simul precantis vox, simul nolæ pulsus, furentis juvenis animum advertit, qui fracto repente impetu, exclamavit: Hæc te juvat! Simulque mucronem vagina recondidit. Quod violata sacri loci reverentia peccaverat, domito ad Eucharistiæ præsentiam furore diluit. Hujus profecto iracundiæ Sol Divinus nequaquam occidit, qui ejus lumen, iræ inter atque furoris tenebras præclare vidit, ac veneratus est. Id. n. 35.

In Annalibus Ecclesiasticis de quodam hæretico Severi sectatore legimus, quod servum quemdam habuerit Catholicum, Deo pariter et ipsi valde fidelem, qui juxta illius temporis consuetudinem S. Eucharistiam in domum suam summa cum reverentia reportatam, et in armario quodam repositam habebat, ut eadem in necessitatibus occurrentibus uti, seque cibare posset. Accidit autem, quod cum servus ille procul a domo profectus fuisset, hæreticus dominus ejus, qui sæpius ex curiositate Sacrosanctas illas species videre concupiverat, prævidens servum tardius domum reversurum, a dæmone instigatus, easdem in ignem projicere decreverit; cumque hoc ipsum executurus ad prædictum armarium accederet, invenit (res profecto mira atque stupenda) omnes illas species in spicas et aristas triticeas germinasse. Unde timore correptus elata voce: *Kyrie eleison!* acclamavit, atque cum omnibus familiaribus et domesticis suis ad Ecclesiam Seleuciæ Episcopi se recepit, miraculum manifestavit, ac una cum multis aliis de hujus Divini frumenti veritate convictus, errorem suum est detestatus. S. Gregorius in quadam homilia ita scribit: Quia per Prophetam dicitur: *Omnis caro fœnum* factus homo fœnum nostrum vertit in frumentum, qui de semet-ipso ait: « Nisi granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet. » Unde et natus in præsepio reclinatur, ut fideles omnes, videlicet sancta animalia, carnis suæ frumento reficeret. Baron. ann. 713, n. 24.

S. Philippus Nerius, cum quotidie faceret, adeo liquidas sacri Sanguinis haustu hauriebat voluptates, ut, cum eo mysterii ventum erat, miris modis gestiret, atque exundantem magno cordis æstu lætitiam vix caperet. Itaque avide sugebat, ut sacro calici aurum, quo argentum superinduci solet, sæpius lingendo detergeret, notabili tantæ pietatis vestigio. Tantis animi motibus cum jam imperare non posset, primo ministrum propius accedere vetuit, ne conspiceretur; verum quia curta ea erat providentia, petita Pontificis venia secreto in cubiculo faciens, plenoque auro utens, ubi Divina protulerat verba, facessere omnino jubebat; dein duas tresve solidas horas, vel stans, vel extrema jam senecta sella sedens, in eo tripudio eximebat. Neque divinis modo epulis pietas incalescebat, verum ipsius calicis attractu adeo exhilarabatur, ut ea gratia sæpissime contrectaret. Joan. Rho. l. III, c. 1, n. 11.

De Ruperto Abbate S. Thomas de Villanova tradit, quod, dum humilitatis instinctu characterem admittere Sacerdotalem detrectaret, tandem agnitæ voluntati Divinæ acquieturus, se consecrari permiserit. Ipsa autem nocte, qua primum celebravit Missæ Sacrificium, tali eum apparitione dignatus est Dominus. Nocte illi in somnis Christus apparuit (verba sunt Sancti Archipræsulis) corpore quidem publicus, sed occultata facie, ut ab eo vultus ejus videri non posset, qui ei membratim sic impressus est, ut neque sigillum ceræ tam intime imprimi posse videretur, tantaque fuit ex hac impressione in eo orta delectatio, ut excitatus agnosceret, quia, nisi cito voluptas illa pertransiisset, animam illius suo impetu secum a corpore rapuisset; unde ex illa tunc experientia se

didicisse asserit, quam verum est, quod scripum legerat: « Non videbit me homo, et vivet; » impossibile enim videbatur, torrentem illam voluptatis, viventem in carne spiritum diutius sustinere posse. S. Thom. Vil. conc. II, *in fest. Corp. Christi.*

Pater quidam Capuccinus, Laurentius Brundusinus nomine, ut P. Rho refert, octo continuis horis post Communionem inter suavissimas deliciari consueverat extases, quique licet gravi premeretur malo podagræ, facientibus tamen ad Altare ministrare summas delicias computabat, vere utique devotus hic Dei servus illas degustare visus est panis Sacramentalis illecebras, quas B. Laurentius Justinianus de mystico hoc Manna agens paucis sequentibus expressit verbis: Exhibuit se, inquit, ut tecum habitet, ut de te lætetur; suis tecum lætitiis perfruatur, quemadmodum in Sapientiæ volumine testatur, dicens: « Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum; » non quidem ut suas a filiis hominum captet delicias, sed ut cum filiis hominum communicet proprias. De eodem quoque Dei servo idem tradit auctor, quod, dum in sacra Æde Lauretana Missæ Sacrificio inserviret, perpetuis fluebat lacrymis, quas illi admirabilis quædam eliquabat animi dulcedo. Rho, l. III, c. I, n. 11.

De Seraphica virgine Maria Magdalena de Pazzis Carmelitana idem auctor tradit, quod in juvenili ætate a matre communicante avelli nequaquam potuerit; qua de re interrogata, intimum latentis Dei vicinitate sensum voluptatis haurire, atque incredibili, quem sentiret, odore Divinitatis recreari se mire, simpliciter respondit. Ib. n. 13.

P. Bollandus de excessivis, quas B. Angela de Fulginio in Mensa Sacramentali experiebatur, consolationibus prolixe discurrit; inter alia vero ipsammet Sanctam de se dicentem introducit: Quando communico, Hostia extenditur in ore, et non habet saporem panis, nec carnis istius, quam comedimus, sed alium saporem carnis, sed saporis sapidissimi, quem nescio assimilare alicui de hoc mundo. Mansi, disc. XI, n. 6.

Rudolphus, Comes Habspurgicus, in Impetratorem electus est, quod Eucharistiam ad moribundum comitatus, equum suum Sacerdoti concessisset. Faber, *in festo SS. Trin. con.* IX, n. 2.

Cum quidam miles consuesset, quoties Eucharistiam transferri viderat, genuflectere, et quondam novis vestibus indutus consuetudinis retinendæ gratia in lutosam licet terram descendens se prostrasset, magno miraculo vestes ab omni macula servatas deprehendit. *Spec. Ex.* VI. ex 72.

Ferdinandus II, quotannis Christo triumphanti, nudo capite, sola florea redimitus corolla, facem dextra præferens, famulatus est. Quando intranti aut exeunti ex aula occurebat Sacerdos Eucharistiam deferens, illico curru desiliebat, et fixis in lutulenta etiam humo genibus Deum adorabat, et Sacerdotem ad ægrum comitabatur. Turbatis rebus, Eucharistiam publice jubebat exponi. *Vita*, c. 4.

Cum quidam Sacerdos in Italia per campum, in quo asini pascebantur, cum Eucharistia transiret, illi ex utroque viæ latere repente discreti procumbentes in genua illum exceperunt; deinde secuti exspectarunt, donec ab ægro recederet, et benedictione impertita eos dimitteret. *Hist. Soc.* p. I, l. II, n, 27.

Salsetani in India miro honore SS. Christi Corpus prosequuntur, cum ad ægros defertur; non enim solum cum facibus occurrunt, sed etiam vias purgant, domum ægri, aliasque vicinas ramalibus exornant. Cum SS. Eucharistia in Ecclesia asservari cœpta est, Christiani aliqui in armis jejuni vigilarunt *Annal.* 1589, f. 836.

Ovis a S. Francisco nutrita, cum Fratribus Ecclesiam ingrediens, cum elevaretur S. Eucharistia in Missa flexis genibus Creatorem suum reverebatur. Idem agnellus Coletæ; idem boves, cum non procul Ingolstadio Pastor Eucharistiæ particulam in baculo suo asservatam, in terram conjecto post boves baculo, projecisset, fecerunt. Daurolt. c. III, tit. VI, n. 2, 3, 4.

Cum Sacerdos quidam pyxidem, in qua Eucharistiam portabat, amisisset, apes convolantes Sacrariolum ex cera miro artificio illi composuerunt. Alias Eucharistiæ a muliere in alveari positæ capellulam elegantem exstruxerunt. Item alia vice eidem Eucharistiæ a furibus sub alveare projectæ sexies de die suavissimo cantu reverentiam exhibuerunt.

Carolus V, in Comitiis Augustanis, et Philippus II, aperto capite, faces manibus gerentes Vener. Sacramentum comitati sunt. Cumque Philippus moneretur, ut ob solis æstum cavendum caput tegeret, respondit: Hodie sol non urit. Ib. tit. 6, 7, 8.

Petrus Savedra S. Didaco devotus, singu-

lis diebus in sacello ipsi dicato Sacrum audiens, quoties divina Hostia attollebatur, audiebat sacrum cadaver intra loculum commoveri, tamquam ad præsentem Dominum adorandum assurgeret, simulque suavissimum odorem afflari sentiebat, qui aliquanto tempore permaneret. Faber *in fest. SS. Trin. con.* vii, n. 2.

Cum Nicolaus, Jariensis Episcopus, S. Mauritio Ord. Præd. 1336, justa persolveret, omnibus cernentibus sacrum cadaver oculos tum ad Hostiæ, tum ad Calicis elevationem, aperuit, et mox mirifica odoris suavitate omnium nares recreavit. Sacchin, *in Borgia*, l. V, num. 254.

In civitate Potosina mos invaluit, ut Magistratus ac Nobilitas omnis, si quando circumlatæ divinæ Hostiæ obviam fiunt illico ereptis facibus, veluti pueri honorarii Regem Regum comitentur. Joan. Nadasi, *in Anno hebd. cel.* f. 465.

Theodosius II, Brigantius Dux, si quando noctu ad ægros deferenda erat Eucharistia, mox aderat cum lampade, illudque comitabatur, neque suorum quemquam cessare patiebatur, monens tunc maxime id Principem officium pietatis facere par esse, quando reliqui per indulgentiam somni deficerent. Rho, *Virt.* lib. III, c. I, § 6.

Anno 1561, cum S. Eucharistia ad ægram ferretur, quidam ovum paschale in manus tenens dicebat : Ego citius ovum hoc deglutiam, quam ægra deastrum suum. Quo dicto mox hæsit ovum in faucibus, et, cum sebalem candelam pro detrudendo illo applicaret, non nisi lychnum extraxit. Jacuit ergo supinus, nigerrimus carbo mutus, desperatus. Itaque a Parocho redeunte repertus vivere et blasphemare desiit. Ib. §. 32. *Bellarm. de Euch.* l. III.

Christum in Eucharistia sumptum cum pastor quidam rogaret, ut oviculam a lupo raptam restitueret, subito lupus ipsam incolumem dimisit. *Spec. Ex.* dist. x, *Ex.* 6.

Cum quidam miles jamjam in extremo vitæ periculo constitutus, concubinam se dimittere non posse diceret, ideoque Parochus Communionem ei negaret, S. Bernardus voluntate ejus explorata porrigi Hostiam jussit, itaque illius animum convertit, ut summe exosus concubinam, nihil de illa audire amplius voluerit. Ib. dist. vi, *Ex.* 13.

Petrus Cochles, Monachus Claræ vallis, gravissimo capitis dolore vexatus cum ad Communionem accederet, ingens quasi plumbi massa de capite ejus decidit, postea vero sumpto SS. Christi Corpore ab omni prorsus dolore liberatus est. Ib. dist. iii, *Ex.* 27.

In Thuringia cum Sacerdos Eucharistiam ad ægrum portaret, accedens meretrix et genua flectens dixit ad Christum : Si tu es ille, qui pro nostra redemptione natus et mortuus es, rogo te per ineffabilem misericordiam tuam, ignosce mihi peccata mea. Et cum Christus respondisset : Et ego tibi ignosco peccata tua ; illaque iterum diceret : Domine, loquere germanice. Denuo ille dixit : Et ego te recipio in gratiam meam. Cui illa : Et tum, Domine, suscipis, quæ per carnem toties te offendi ? Ah gratias tibi, bone Domine Jesu ! Et ex hoc momento sancte vivere incepit. *Diseipul. Prompt. lit. E.*

Civis quidam Ferrariensis de se narrare solebat, se adhuc adolescentem gravibus carnis tentationibus agitatum, suasu Confessarii uxorem duxisse ; verum ea mortua iterum in antiquas tentationes incidisse, nec prius ab iis liberatum fuisse, quam suasu alterius Confessarii sæpius ad S. Communionem accesserit. *Pœd. Dauroltii.*

S. Methildis Christum post Communionem peractam sibi dicentem audivit : Tu in me, et ego in te, et in æternum non derelinquam te. Daur. *in Cat.* c. v, tit. 16.

S. Bernardus dæmonem ejicere volens, Eucharistiam assumpsit, et dixit ad illum : Adest, inique spiritus, Judex tuus, adest summa potestas ; jam resiste, si potes. Fab. *in festo SS. Tr.* conc. vi, n. 4.

Ad S. Catharinam Senensem hæc quondam dixit verba Christus : Ut plenius intelligas, quam ardenti desiderio cupiam vobiscum esse, utque magis accendaris ad subigendam mihi copulandamque meæ voluntatem tuam, vide, et alta mente considera, voluisse me, ut Unigenitus meus incarnaretur, parasse insuper mensam maximi parumque agniti Sacramenti Corporis ipsius, et Sanguinis, ut in cibum sumentes transformemini, mutemini que in me. Et hoc est, quod Augustino servo meo his verbis dixi : Cibus sum grandium, cresce, et manducabis me ; nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me. Daur. l. c. t. X, *Ex.* 10.

Jurisconsultus quidam a fratris filio luculentam in facie plagam acceperat, ad quam injuriam remittendam, vel deprecandam cum neuter persuaderi posset, tandem Pater quidam e Soc. Jesu hortatus eos est, ut secum coram Eucharistia parum orarent, quo

facto ita mutati sunt, ut ultro veniam offensæ peterent, remitterentque. *Annuæ Soc. Jes.* 1593, *in Proverb. Med. Colleg. Genuens.*

In vita S. Joannis Eleemosynarii, Patriarchæ Alexandrini, legitur, quod, cum duo viri illustres, animorum discordia inter se divisi essent, S. Patriarcha operam, et industriam suam ad illos reconciliandos sæpius interposuerit, sed irrito prorsus effectu. Die quadam vero unum exhis, qui vel maxime injuriæ remittendæ reluctabatur, ad se accersiri fecit; cumque in Oratorium quoddam privatum ductus fuisset, in quo præter Patriarcham, Clericum, et hunc Principem nemo alius præsens aderat, S. Patriarcha Missam exorsus est, cumque post Consecrationem ad *Pater noster* pervenisset, cunctique tres illud simul recitare incepissent, quando ad illa verba : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, » pervenerunt, Clericus Patriarchæ annuit, ut taceret, cum quo et ipse tacuit. Principe vero orationem prosequente, et dicente : « Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Sanctus magna cum mansuetudine eidem dixit : Vide, in quali terribili hora quid dicas Deo, quoniam sicut ego dimitto, ita et tu dimitte mihi. Tamquam ab igne statim cruciatum sentiens Princeps, cecidit in faciem, ad pedes Sancti, dicens : Quodcumque jusseris, faciet servus tuus. Et reconciliatus est inimico suo ex tunc cum omni veritate. Bolland. con. II, c. XII, n. 37.

Inda quædam, quæ Sacramenta frequentare consueverat, ab Indo ad flagitium provocata, ubi ei in mentem venit, se Communionis schedulam penes se gestare, incredibili ei constantia restitit; adeo ut, cum aliter non posset evadere, casti etiam Josephi virtutem superarit; nam toga rupta, et in impudici manibus relicta, nuda omnino ab eo profugit. Ex. ann. 1626.

Eximius quidam sæculi nostri Orator in oratione quadam de S. Theresia, postquam difficultates, quas Seraphica hæc virgo, ut reformationem Religionis suæ ad perfectionem perduceret, sustinuit, sicut et omnia, quæ passa et operata fuit, examinasset, subjunxit : Verumtamen nequaquam mirandum est, illam tam ardua negotia aggredi, et perficere potuisse, siquidem cum die quadam pro more suo Angelorum pane cibaretur, os suum divino sanguine adeo repleri sensit, ut sanguis, quem ore continere non poterat, per aciem et vestimenta dimanaret; unde ipsa ex pretioso hoc sanguine spiritu et vigore adeo repleta fuit, ut ardua aggredi et perficere, molestiasque atrocissimas tolerare prævaluerit. Mansi, disc. XVII, n. 6.

S. Franciscus de Sales, in epistola quadam, ita scribit : Per experientiam 23 annorum, quos in servitium animarum collocavi, manibus quasi palpare potui, quam potens sit virtus hujus Divini Sacramenti ad confirmandas animas in bono, et liberandas a malo, easque spiritualiter consolandas, et, ut uno verbo dicam, in hoc mundo deificandas, dummodo viva fide, convenientique puritate et devotione frequentetur. S. Franc. Sales, l, II, epist. XLI.

Cantipratensis prodigiosam quamdam refert historiam, quæ 1231, cuidam Fatri Dominicano evenit, qui, cum ab Hæretico persuasus, ut ejus sectaretur errores, fortiter restitisset, Hæreticus his eum verbis affatus est : Tu alia non habes fidei tuæ argumenta præterquam ea, quæ ex Scriptura Sacra petuntur. Ego vero, si fidem mihi adhibueris. Christum ejusque Matrem et omnes Sanctos videre te faciam. Religiosus porro tametsi dictis ejus fidem nullam haberet, dolum suspicatur; attamen ut promissi experiretur veritatem, illum acceptavit. Priusquam vero Hæreticum sequeretur, acceptam pyxidem, in qua Sanctissimum erat Sacramentum, sub clamyde religiosa occultavit. Perductus igitur in vasti cujusdam montis speluncam, splendidum in ea invenit palatium, in eoque thronos quosdam magnificos aureos conspexit, in iisdemque sedentem Regem quemdam in uno, in altero Reginam, in eorumque circuitu multos alios assistentes, velut Patriarchas et Apostolos et innumerabilem exercitum Angelorum. Cumque Hæreticus coram illis se prosterneret eos adoraturus, Religiosus attonitus stetit, et immobilis. Cui cum Hæreticus, cur Filium Dei non adoraret, improperasset, Religiosus propinquius non nihil accedens, extractam foris pyxidem, Reginæ obtulit dicens : Si tu, Regina, es Mater Christi, ecce Filius tuus, quem si susceperis, te velut Matrem Dei agnoscam. Et cum hac protinus voce totum illud phantasma evanuit. Cantipr. l. II *Apum.* c. LV, n. 23.

Fuit Parochus in Thuringia, qui e collo gestavit in pyxide et ad ægrum SS. Eucharistiam tulit. Tum meretrix quædam stans non longe a via, in suo lupanari expendit secum, quam graviter eum offendisset, quem

Sacerdos portaret, tanta pro se passum ; et dolens de suis peccatis, accurrit per lutum profundum veloci cursu ad Sacerdotem, inquinata luto usque ad medium cruris, dicens : Sta te, domine Sacerdos ! Et sic stetit Sacerdos, et ipsa prostrata in luto ante Corpus Christi, ait : Domine Jesu Christe, tu es ille, qui pro nostra Redemptione natus fuisti e Virgine, passus et sepultus, ascendens ad cœlos, sedens ad dextram Patris judicaturus vivos, et mortuos. Et sic te talem iste Sacerdos portat in pyxide. Rogo te per tuam ineffabilem misericordiam, ignosce mihi peccata mea. Et respondit Jesus de pyxide lingua latina : Et ego ignosco tibi peccata tua. At illa audiens vocem de pyxide in latino, ait : Domine, non intelligo latinum. Rogo te, loquere germanice.Et statim Dominus locutus est de pyxide theutonice : Et ego te recipio in gratiam meam. Hoc audiens meretrix : Et tu, Domine, ait, me suscepisti in gratiam tuam, quæ peccavi in carne mea tam luxuriose? Gratias tibi ago, bone Jesu! Et sic conversa emendavit vitam. *Discip. Prompt. lit. E. ex.* 39.

Indi tanti æstimant Eucharistiam,ut proverbium inter eos sit, eum qui semel SS. Eucharistiam acceperit, nullum amplius debere crimen committere. Acosta l. viii, c. ix.

Paraquarienses Christiani Venerabile Sacramentum variis solent nominibus appellare : Alii, *criminum deletorem* ; alii, *cordis mundatorem* ; alii, *intelligentiæ datorem* ; alii, *animorum consolatorem* ; alii aliter appellant. Unde in Reductione B. Virginis cum impetrassent, ut liceret eis Venerabile in templo asservare, tanta pietate id coluere, ut non tantum prætereundo templi valvas, in genua procumbant, sed etiam cum procul e fenestrarum templi, aut portæ regione transeunt, feminæ ex agellis suis reversæ, ac onustæ consistunt ad primum templi aspectum, et humi genua ponunt, ac parvulos valentes adhuc pedibus idem facere jubent. *Ex ann. Paraquariæ,* 1626.

B. Catharina de Raconis, tertii Ordinis S. Dominici, cum primum communicare cœpit, quotidie pulchritudine corporis fiebat præstantior, ut ejus familiares admiratæ formæ decus, quærerent ex illa, qua arte formam excoleret; quibus illa subridens respondit se uti pane masticato, intelligens Vener. Sacramentum. *Ex Histor. Ord.* 1580.

Augustinus Steuchus Eugubinus vili loco, et deformi corpore natus, inter ultimæ plebeculæ homines pauperie et oris fœditate deridiculo habebatur. Factus Canonicus Regularis, adeo a Collegis exagitatus est, ut cum litteris operam dare vellet, risu excipierent hominem, ac ne lumen in cubiculum ad lucubrandum inferret, impedirent. Ipse tamen nihil de discendi ardore remisit, et stragula obvolutus in templum descendens, septem totos annos ad lampadem ante aram pensilem pervigilans, nullam facultatem, linguam nobiliorem, ac scientiam nullam reliquam fecit, quam non disceret. Joan. Rho, l. VII, c. xii, n. 1.

Isabella,Serenissimi FrancorumRegis filia, cum Mantuæ per plateas et viam publicam veheretur, vidit ex carpento ipso Sanctissimam Eucharistiam, quam Sacerdos ad hominem quemdam ægrotantem religiosa pompa et celebri piorum comitatu deferebat. Tum Christianissima Regina, aut impium aut rusticanum esse considerans, omnium Dominum a se præteriri,ex vehiculo se deponi jubet ; deinde pectore anhelanti et veloci cursu ad viam properat, qua vitalis esca transitura esset; atque ex eo loco, ubi mundi liberator occurrit, gemebunda comitatur. Ubi ad ædes ægroti ventum est, præ foribus rediturum Dominum flexis expectavit genibus, egredientemque illum ad templum, unde exierat, pie ac officiose reduxit. P. Joan. Bonif. *de Inst. pueror.* l. III.

Henricus VIII, Anglorum Rex, licet ab obedientia Sedis Apostolicæ descivisset, summo tamen honore Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum est prosecutus. Eam non diu ante mortem sub unica specie (quod semper observavit) suscepturus, cum e cathedra, in qua sedebat, assurgeret, genibus in terram defixis Christi Corpus adoravit. Et cum Zuvingliani, qui astabant, posse Regem illa invaletudine sedentem Eucharistiam percipere dicerent : Si me, inquiebat, non modo usque ad terram dejicerem, ne sic quidem satis honoris Sanctissimo huic Sacramento viderer delaturus. Nicol. Sander. l. *de Angl.*

Joannes Hunniades, Hungarorum Rex, cum ægrotaret, fertur noluisse ad se Corpus Domini deferri, dicens, indignum esse servi domum intrare Regem, jussisse se quamvis deficientibus viribus in templum vehi ; ibique de more confessum divinam Eucharistiam suscepisse, atque inter Sacerdotum manus Deo animam reddidisse. *Ex Æneæ Sylvio, in Hist. Eur.*

David, Scotorum Rex, morbo correptus cum vitæ suæ terminum adesse sentiret quoad aliquid virium supererat, totum se pietati dedit. Nam indignum se reputans ad quem Corpus Christi deferretur, dum ipse ad templum accedere adhuc posset, inter duos Sacerdotes medius debilitatem ejus sustinentes, sublevantesque ad templum cum ingenti cordis humilitate processit ; cumque jam in templum pervenisset, peracta re divina, sermonem ad suos ac circumsistentes habuit de pietate in Deum, quam beneficus et salutaris ipsum colentibus, illi conviventibus esset, ut non modo in præsenti vita suis cultoribus præmia largiatur magnifica, sed etiam post hanc vitam certe sperare faciat, illa quæ omnem humanum captum excederent longissime. Quo peracto, in genua procidens, et ardentibus aliquandiu precibus Christum Dominum invocans, venerabile ejus Corpus integra fide, sinceraque devotione suscepit ; inde in cubiculum reductus, convocatis primoribus, nepotes suos illis jam extremo commendavit, datoque singulis osculo, ut publicam semper utilitatem tuerentur precatus est ; deinde commendata Deo anima sua, mox obticuit, feliciterque migravit. Hector. Boet. l. XII *Hist. Scot.*

Jucunditas. — Boarus Eques post conversionem suam communicare incipiens, diu in singulis Communionibus miram dulcedinem expertus est. Daurolt. c. IX, cit. 9, ex. 33.

Religiosus quidam quoties communicabat, miram ex sumptione Hostiæ dulcedinem perceperat, sed cum quondam asperius fratrem quemdam corripuisset, penitus eam amisit, Hostiamque felle quovis amariorem sensit. *Spec. Ex.* dist. III, ex. 35.

Alius quidam Religiosus quoties communicabat, osculum a Jesu in Hostia latente accepit ; sed et ipse hanc gratiam amisit, dum ad Communionem accessit, fratre nec dum reconciliato. Ib. ex 55.

Cum S. Gertrudis Domino diceret : Quid in me omnium creaturarum peripsemate poteris invenire, in quo taliter delecteris, et hoc amplexibus et osculis sponsalis blanditatis æquiparare digneris ? Respondit Dominus : Hoc quod toties me tibi communico in Sacramento Altaris. Et in hoc ego in infinitum plus delector, quam omnes simul, qui umquam in humanis amplexibus et osculis sunt delectati, potuerunt experiri ; nam delectatio amplexuum et osculorum humanorum vilis est, et cum tempore transit, suavitas vero unionis illius, qua ego me tibi communico per hoc Sacramento Altaris, nobilissima est, nec umquam deficit, aut tepescit ; sed quanto sæpius renovatur, tanto efficacius viget in æternum. Lib. V, *Insinuat.* c. XXX.

Veritas. — Concionator quidam Hæretico promittens, se fidem ejus suscepturum, si Christum, B. Virginem et Apostolos ostenderet, cum hæc omnia Hæreticus ope dæmonum phantastice repræsentasset, Christum in Eucharistia, quem secum attulerat, extrahens, et Matri Dei porrigens, ut, si vera esset Dei Mater, Filium agnosceret et revereretur, totum cœtum disturbavit, et Hæreticum convertit. *Spec. Ex*, dist. V, ex. 129.

Vide similem hist. in Fab. *in festo S. Barthom.* con. V, n. 6.

S. Ludovicus, Rex Franciæ, dum fatali lecto decumbens a Parocho, qui sacrum illi Viaticum deferebat, rogaretur, num crederet, Dei Filium vere in hoc Sacramento contineri ? respondit : Minus hac de re dubito, quam si hisce oculis Christum ea forma intuerer, qua cœlum ascendit. Unde alio tempore invitatus, ut puerulum in Hostia visibiliter apparentem conspiceret, noluit videre, satis sibi esse dicens, quod fidei oculo illum intueri possit, et hac ratione ejusdem fidei meritum conservare. Fab. in t. I, *in festo. S. Thomæ* con. VI, n. 3.

Matrona quædam Corpus Christi in Hostia esse non credens, eo quod ipsamet illam pinsuisset, orante S. Gregorio et populo, in carnem primum, et mox iterum in antiquam speciem conversam vidit. Bredenb. *Collat.* I, c. XVII.

Eucharistia ministrata. — Cum S. Dionysius Missam in carcere celebraret, hora, qua panis ille Angelicus frangebatur, Christus cum magno splendore apparens Hostiam illi dedit, dixitque : Accipe hoc, chare fili, quod mox complebo tibi una cum Patre meo, quoniam mecum est maxima merces tua, et his, qui audierint te, salus in Regno meo. Nunc facias fortiter, et memoria tua erit in laude ; dilectionem autem et benignitatem, quas habes semper pro omnibus, pro quibus petieris, impetrabis. Daur. c. V, tit. XXI, ex. 21.

Cum S. Honoratus, Episcopus Ambianensis, celebrans, sacram Hostiam manibus contingere vereretur, Christi imago ibi depicta

manu Hostiam arripuit, eique porrexit; a quo tempore is ab omni inquinamento carnis illæsus permansit. Ib. ex. 2.

S. Onophrio Angelus per 30 annos singulis diebus Dominicis sacram Eucharistiam attulit, cujus virtute omnes diaboli insidias, quas plurimas pertulerat, fortiter superavit. Ib. ex. 4.

Joannes Patriarcha Indorum, anno 1120, narravit Callisto Romano Pontifici, S. Thomam Apostolum omni anno communicare populum sua manu, sed dignis tantum S. Hostiam porrigere, non autem indignis. Ib. ex. 9; et Ribad. 21 *Decembris*.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius tanto in S. Eucharistiam amore et reverentia ferebatur, ut inter sacrificandum quasi diffluere videretur. Aiebat, ex frequentiCommunione illum esse fructum eximium, quod digne communicans ita virtute S. Sacramenti confirmetur, ut vel in peccatum grave non labatur, vel brevi certe refugiat. Ribad. *in Vita*, l. V, c. I. et X.

S. Franciscus Xaverius tanto ferebatur in S. Eucharistiam affectu, ut, ubi poterat, quæreret cubiculum templo propinquum. Observatum est Malacæ, eum fere in sacrario, quasi alterum Samuelem, pernoctare, humique cubare solitum, indeque in templum digressum, ante S. Eucharistiam majorem noctis partem flexis genibus inter preces transegisse. Proprium illi erat, quando commodo id fieri poterat, Eucharistiam submissis genibus ministrare populo. *Vita*, l. VI, c. I.

De S. Francisco Borgia sic loquitur Sachinus : Ultra omnem vim eloquentiæ est, erga præsentem in sacrosancta Eucharistia Dominum quanta pietate ferretur, quamque sanctis et dulcibus afficeretur motibus. Ubicumque degereret, secretam sibi curabat cellam ad aræ maximæ latus. In eum velut portum, quam licebat creberrime, a negotiorum æstu recipiebat sese ; ibi ante Deum effundebat cor suum ; ibi divinitatis commercio et dulcedine fruebatur, beatæ vitæ prægustans suavitatem. Septies minimum die quovis solebat invisere. In singulis salutationibus, sub Sancti cujuspiam ductu quasi admissionali Patrono adibat, et dona quædam propria pro temporum varietate varie deposcebat. *Hist. Soc.* p. 3, l. VIII, n. 149. Quoties pedem in templum inferebat, sagacissime statim sentiebat, quo loco SS. Sacramentum asservabatur ; nec umquam fallebatur, etiamsi lampades ac cætera argumenta fallerent. Lectulo affixus, rem divinam quotidie audiebat, paneque cœlesti fruebatur. *Vita*, l. III, c. XVI. Tanto autem hujus cibi desiderio capiebatur, ut nemo umquam gulæ deditus, magis ejus cupedias desiderare videretur. Hinc ipso etiam Parasceves et Sabbati S. die officium canebat, ne illo bono careret. Eboræ graviter ægrotans, et lethargo captus, evigilare per vim, medicorum jussu, cogebatur; at allata Eucharistia mox experrectus, agilis alacerque apparuit. Lib. IV, c, IV.

P. Thomas Sanchez SS. Eucharistiam quinquies quotidie visitabat ; feria quinta (quam singulariter hanc ob causam venerabatur) octies, quo die etiam disciplinam fecit, cilicium gestavit, totoque pene die de illa cogitabat. Si tentabatur, solum hæc verba dicebat : *Jesus crucifixus, SS. Sacramentum, Beatissima Virgo;* statim omni tentatione liberatus est. Et accidit aliquando, ut jumento insidens cum mulo perterrito in præcipitium toto impetu ferretur, sed prolatis his verbis mulus repente in medio cursu substitit. *Annuæ* 1610.

P. Antonius Cordubensis sive domi, sive in templo verba faceret, ante Sacramentum perseverabat abjectus in genua, ex eoque accipiebat oracula, ad eam incendebat fornacem, quæ ad concionem ferret. Unde fiebat, ut potius tela, quam verba, mitteret, quæ in auditorum corda intime se penetrantia tenaciter adhærescerent, suumque illic exequerentur opus. Aiunt instar cœlestium Seraphim visum. *Hist. Soc.* p. 5. l. III, n. 178.

P. Petrus Faber sic incitabatur admiratione pietatis, ut cuperet, ubicumque terrarum hoc divinissimum Sacramentum asservaretur, posse præsens adesse venerabundus, nec inde recedere. In peragrandis terris cum in conspectum urbs aut oppidum veniret, in primis Dominum venerabatur, qui in templis eorum manebat. Cupiebat perfectum aliquod templum cogitatione sibi effingere, in quo suus animus dies ac noctes habitaret, quo numquam exiret, ubi crux esset, et B. Virginis et Sanctorum imagines, sancta aqua et reliquiæ sacræ, sed ante omnia divinissimum Christi Corpus, quæ cuncta assidue ipse spectaret, et circumferret secum,

debitaque gratiarum actione et cultu, prout cuique rei conveniret, prosequeretur. Patronum ad præparationem pro Eucharistia suscipienda existimabat idoneum S. Joannem Baptistam, ut cujus officium sit, viam Domino præparare. *Vita*, l. II, c. III.

P. Leonardus Lessius, etsi gravissimis calculis aliisque doloribus cruciatus, non omittebat tamen frequentius Eucharistiam non sine grandi molestia visitare, dicens, non admodum se habere, quod de doloribus quereretur, quamdiu cœleste illud epulum sibi relinqueretur. *Vita*, c. XI, n. 57 et 58.

Jacobi Fernandez unica voluptas erat, festis diebus a mane usque ad meridiem Sacris ministrare. Et notabant gustum quemdam et animi sensum in hoc obsequio etiam externi homines, templum frequentare soliti, ut vel hoc solo nomine hominem uti sanctum quemdam venerarentur. *Annuæ*, 1608. *Coll. Mon.* f. 881.

Silvester Landinus S. J. ubicumque locorum vidisset S. Eucharistiam, ibi repente, flexo utroque poplite, humique abjectus, adorabat. Itaque cum lutosa in via obviam divino ferculo factus esset, profundo nihilominus in cœno genua posuit; verum ubi perfunctus adorationis officio surrexit, ut caram Deo eam fuisse religionem sciret, vestes nulla luti contagione fœdatas circumspexit; adeo intaminata est pietas, ut vel in medio luto non polluatur. Joan. Rho, l. III. c. I, *in Nostris* n. 6.

Exturbabantur Antuerpiæ Socii Jesu ab insaniente Hæreticorum factione propriis ædibus, et ne quid secum efferrent, odiosissime excutiebantur; jam domum, jam templum habebat armatus et plurimus hostis, Sociique limine pedem extulerant, cum Joannem Bocacium ea subit recordatio in illo tumultu ac trepidatione honori divinissimæ Eucharistiæ haud satis consultum, quæ Sacrilegorum furori in Altari relinqueretur, nec multa cunctatus, per densos latronum globos ad Altare provolat, adoratamque de genu Eucharistiam, argenteo in vase, præter ipsa Hæreticorum ora intrepidus aufert, atque ad suos revertitur, magnum secum exilii comitem ferens, ac solatium. Defixit, opinor, improvisa virtus crudeles et cædis avidos animos, et tacita quædam vis divinitatis latentis, ut nihil ultra fremitum ferocemque admirationem auderent. Hujus ego hominis laudem illius, qui secum penates extulit per tela, per hostes, celebritati multis nominibus anteferendam puto. Quod Trojano communis quædam cum hostibus esset superstitio, Antuerpiensi ex dissidio Religionis periculum omne crearetur. Ibid. n. 8.

Sumptam, fluctuante stomacho, Eucharistiam, haud ita multo post eodem redundante integram adhuc, minimeque dissolutam, rejecerat æger. Dum, quid facto opus sit, consulitur, atque igne parant sacras species abolere, Julius Mancinellus occasionem ultro invadens, quod vix cogitare audemus, facit, infectamque sordibus absorbet. Miror non tam stomachi, quam animi robur, et charitatis; præsentem adfuisse mercedem, minime miror; ferunt, exinde divina libanti Sacramenta abditæ dulcedinis sensum nunquam defuisse, ut non tam animo, quam corpore ipso, laute sibi ac delicate epulari videretur. Ibid. n. 17.

Belmontii in Hispaniis ingens civium ac peregrinorum multitudo nostrum confluxerat in templum, ut regios adolescentes Japonicos Legatos (quos ad Gregorium XIII ultima illa terrarum regio misit) per occasionem audiendi Sacri, posset contemplari, et gaudium, quod illorum adventus pollicebatur, coram haurire. Monenti adolescentes, ut in templum descenderent, negarunt se in illo die adire velle, malle domestico in Sacello procul arbitris, quod vererentur, ne admirantis, ac fausta omnia precantis multitudinis tumultu, ac salutantium procerum interpellationibus ab ea, qua divinis interesse par sit, animi attentione pellerentur. Ubi quiete Sacris operam dedissent, tunc se Principibus viris ac multitudini affatim copiam sui facturos. Agnosco florentis Religionis faciem, ac tenerum os, nulla adhuc duratum irreverentia, gratulorque tantam virtutem Societati, cui omnes nomen dederunt, demum accessisse, ut quam magistram habuerant, matrem etiam colerent. Rho, l. C. n. 19.

Noctes sæpe integras coram SS. Eucharistia insomnes traducere, Ludovico Pontano S. J. tam solemne fuit, quam ad eamdem summa quadam animi attentione adorandam interdiu, ac per tenebras visitare adeo frequenter, quæcumque demum esset anni tempestas, ut sine illa esse non posse videretur, mirarenturque domestici, hominem nullius valetudinis, atque imbecillimis usque viribus, tantæ contentioni non succumbere,

languoribus illum maximis ita perpetuo frangi, ut vix ægrum spiritum duceret; ad sacrum tamen, continuamque Eucharistiæ adorationem, quantum opus esset, valere. Sed nulla profecto admiratio fuit, a vitæ vicinia convalescere. Ibid. n. 21.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut ad potandum vinum veniri non potest, nisi botrus calcetur ante, et prematur; sic nec nos sanguinem Christi possemus bibere, nisi prius Christus calcatus fuisset et pressus, et calicem prior biberet, quem credentibus propinaret. S. Cypr. *Catech. myst.* iv.

Sicut sol non diversus in se diversa operatur in rebus contrariis, utens materiis, sicut eas invenit; sic Christi gratia, quantum in ipso est, uno modo infundit se in omnes, sed diversos inveniens animos diversa in eis operatur; hunc in amorem suum misericorditer emolliens, illum juste non juvando indurans. Mansi, *dis.* xxvi n. 6.

Sicut uva in prælo duobus lignis expressa in vinum liquatur; ita, cum Christus duobus lignis crucis, pressus fuit, Sanguis ejus in potum fidelibus funditur. S. Aug. l. *de Antiq. Rit. Miss.* c. xxxiii.

Utilitas. — Sicut alimentum corporale habet vitam corporis servare; sic hoc Sacramentum, cum sit animæ cibus, habet ipsam in gratia solidare, quæ ipsius animæ vita est. S. Bern. s. liii, a. 2 c. i.

Sicut corpora nostra convalescunt, ac firmantur sub alterna sumptione congruentium alimentorum; ita quiddam est, quod consentanee animam pascit, eique suggerit vegetas vires ad bonitatem consectandam. Quid illud tandem est? Nimirum quod dixit Dominus : « Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. » S. Basilius in c. iii, *Isaia.*

Sicut cibus appetitur, ut vivatur; sic ad eam vitam, qua vivitur, solummodo per hunc cibum pervenitur. Cibus hic ad vitam, æternam animæ conferendam collatus est, non ad ruinas sustentandas hujus miseræ vitæ, quæ vapor est ad modicum parens. S. Ans. c. v. *de Sacr. Alt.*

Sicut aqua refrigerare solet calorem; sic Eucharistia mitigat et refrigerat fomitem et concupiscentiæ æstum. In hujus mysterium Exodi 16. scribitur, quod *descendente Manna de cœlo, descendebat pariter et ros*; insignum, quod cum Manna Sacramenti in animam descendente, pariter descendat in carnem et ros gratiæ refrigerantis. S. Bern. l. c. a. 2, c. iii.

Sicut in abundantia roris, vel imbris temporanei et serotini, germen arridet horti bene culti, vernantibus rosis et candentibus liliis; ita per orbem universum spectantur, et electus sexus virilis, et virgines sexus feminei. Quid aliud beatam Trinitatem magis, quam hoc spectaculum in hoc mundo delectet? Dicat ergo, quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines? Rupert. Abbas, l. 4 *in Zach.*

Sicut nutrimenta plurimun faciunt ad decorem corporis; sic etiam deliciæ spiritualis cibi ad pulchritudinem castitatis, incentiva sedantur ex manducatione Sacramentali. S. Bern. *ser.* liii, a. 2, c. ii.

Sicut ex uno verbo, quod dixi : *Ego sum*, corruerunt hostes mei corporaliter in terram; sic dicto verbo meo, videlicet : *Hoc est corpus meum*, fugiunt dæmones a tentando animas offerentium, nec auderent redire ad eos cum tanta audacia, si affectus peccandi non consequeretur. Christus, *in Revel.* S. *Brig.* l. 4, c. lviii.

Sicut in opulentis Principum conviviis cibus quandoque apponitur secundum apparentiam quantitatis exilis, sed in se valoris inæstimabilis; siquidem gemmis, succinis, unionibus, aliisque pretiosis molitus est condimentis, ideoque et sapore, et pretio totum residuum superat apparatum; ita quoque Eucharistia exile quidem existit frumenti granum ante consecrationem, nihilominus in eo sunt omnes thesauri absconditi, ideoque merito appellatur panis uberrimus et pinguis. Quantum equidem augmentum capit seminatum frumenti granum? A fructu frumenti et vini multiplicati sunt. Mansi, *dis.* iv, n. 7.

Sicut sanguis Agni Paschalis fronti ædium præfixus, eas ab Angelo exterminatore præservabat; ita Dæmones, cum sanguinem Dominicum in nobis vident, in fugam vertuntur. S. Chrys. hom. 45 *in Joan.*

Sicut gustato melle caligo ab oculis Jonathæ evanuit; ita gustato corpore Christi cæcitas mentis ab animo tollitur. Beirl. *in Prompt.* fol. 11.

Sicut, si quis ceræ liquefactæ aliam infuderit, alteram cum altera permisceat ne-

cesse est; sic qui carnem et sanguinem Domini recipit, cum ipso ita conjungitur, ut Christus in ipso, et ipse in Christo, inveniatur. S. Cyrillus, *ap. Beirl.* l. c.

Sicut ignis sensibilis ea, quibus insederit, in suum traducit officium, omnibusque quomodolibet sibi propinquantibus in sui consortium tradit; ita Dominus noster et Deus, qui est ignis consumens, nos per cibum hunc Sacratissimum in sui traducit effigiem, et Deiformes efficit. S. Dionys. *de Cœl. Hier.*

Veritas. — Sicut idem sol est modo, qui fuit a principio, et una vox in auribus plurium auditur; ita mirum non est, quod idem Christus nobis detur, qui primis Christianis datus est, et quod in pluribus hostiis et locis reperiatur. Bromiar. *in Summa, V. Euch.* n. 3.

Sicut fracto speculo in plures partes non frangitur faciei similitudo, quæ in eo relucet, sed in qualibet particula integra perseverat; ita fracta Hostia Dei Filius, qui est imago Patris, non frangitur, sed integer manet sub quavis particula. Ib. n. 6.

Necessitas. — Sicut sine cibo corpus diu vivere non potest, quia, cum humidum radicale, vitæ nostræ fons, sensim ab insito calore consumatur, per alimentum restaurari debet; ita nisi divinæ gratiæ, quæ sola animæ vita est, humor nutrimento cælestis panis foveatur, necesse est, ut concupiscentiæ ardoribus quam citissime pereat. *Pædag. Christ.* p. 2, c. xvi, §. 1.

Sicut palmes non potest ferre fructum, nisi in vite maneat; ita anima, nisi Christo in Eucharistia uniatur, sterilis et arida permanebit. Joan. xv.

Jucunditas. — Sicut Hebræi, qui Manna gustaverunt, omne gustus delectamentum in eo reperierunt; ita anima cœlesti hoc Manna refecta, quidquid ad delectationem suam requirere potest, copiose invenit, uti Ecclesia indicat, dum ei accommodat verba illa: Panem de cælo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem. Eccl. *in off. Corp. Christi.*

Sicut S. Franciscus Seraphicus, B. Stanislaus Kostka, et alii, ingentem animi consolationem perceperunt, dum Christum infantulum in ulnas suas a sanctissima Dei Matre acceperunt; ita non poterit non cœlestibus gaudiis et deliciis affluere, qui eumdem Dei Filium a Patre cœlesti non tantum, ut in ulnas acciperet, sed etiam intime uniret, datum credit, et meminit. *Vita.*

Dispositio ad Eucharistiam sumendam.

Sicut si pauperi diceretur, aperto regio thesauro, dari ei facultatem tantum pecuniarum inde auferendi, quantum saccus ab eo allatus caperet, haud dubie saccum capacissimum afferre studeret; ita, cum Christus in Eucharistia tantum gratiæ promittat, quantum dispositionis attulerimus, æquissimum sane est, ut maximam et gratiæ Dei capacissimam dispositionem afferamus. Nieremb. *in lib. de Ador. in Spiritu et Veritate.*

Sicut si plures candelam accendant, omnes quidem lucem, calorem, et colorem accipiunt, sed plus ille, qui majorem habuit cereum; ita in Eucharistiæ perceptione omnes quidem accipiunt gratiam, sed plus, qui magis est dispositus et capax. S. Cathar. Senens. c. xxx. *Dial.*

Sicut corporalis cibus, cum ventrem invenerit malignis humoribus occupatum, amplius lædit, et nullum præstat auxilium; ita et iste spiritualis cibus, si aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdet, quam proderit, non natura sua, sed accipientis vitio; hinc Ecclesia canit: Mors est malis, vita bonis; vide paris sumptionis quam sit dispar exitus! S. Chrys. hom. v, *sup. Matth.*

Sicut ignis fortius ac citius ligno sicco, quam viridi, exardescit; sic Christus in Eucharistia citius et copiosius amore suo incendit eum, qui a terrenis cupiditatibus exsiccatus est, quam quem iisdem adhuc repletum invenit. *Pædag. Christ.* p. 2, c. xvi, § 3.

Sicut Arca Testamenti per terras Philisthiim transiens, magnam illis cladem attulit, Israelitas autem ab interitu vindicavit; ita Arca divina Eucharistiæ peccatoribus fatalis est, si per eos transeat, justis autem salutem affert. Beyrl. *in fest. Corp. Christi.* them. ii, f. 24.

Sicut sol atque ignis lutum indurat, ceram liquefacit; ita Eucharistia a peccatoribus accepta amplius eos indurat, justos vero amore divino liquescere facit. *Vita P. Balth. Alvarez*, c. vi, § 1.

Sicut sol super fimetum lucens efficit ut amplius fœteat, sole ipso nec fœtente, nec aliud damnum patiente; ita Christus peccatorem ipsum sumentem magis fœtere facit,

nec tamen propterea ipse inquinatur. Bromiardus V. *Euchar.* n. 8.

MOTIVA.

Utilitas ad Ecclesiam stabiliendam. Sic enim Isaac ex instinctu divino loquens, cum diceret : « Frumento et vino stabilivi eum, » ex mente S. Paschasii, in sensu mystico prophetizans, asserere voluit : Populum Christianum Corporis et Sanguinis mei dono stabilivi ; hoc est aperte dicere : Firmavi eum pane Corporis Christi, et vino Sanguinis. Quem sensum longe clarius nobis expressit Albertus Magnus, dum eumdem textum in Tractatu de Eucharistiæ Sacramento explicat in hæc verba : Stabilivi eum, quia tota domus Jacob, id est Ecclesia, fundata est super hoc Sacramento frumenti et vini, quia materia in eo est frumenti et vini. Hinc Deus olim Agnum Paschalem manducari voluit baculis in manus assumptis ; quia sicut baculus est id super quod aliquis se potest firmare, ita Eucharistia est firmamentum nostrum. Unde merito Rupertus Abbas dixit : Aufer a cælo Ecclesiæ quotidianas Salvatoris nostri hujusmodi exequias, et vide, quam merito dicat ipse Salvator : « Quæ utilitas in sanguine meo ? » Refrigescente enim ea, quæ hoc modo nunc ubique calet, memoria ejus, refrigescet universa charitas, muta erit fides, claudicabit spes, conticescet magnus ille clamor sanguinis justi Abel. S. Pasch. *de Corp. et Sang.* c. xii.

Utilitas ad virtutes acquirendas; uti Salmeron sequentibus verbis insinuat : Virtutes Theologicas, quæ ad salutem nostram faciunt, eorumque incrementa, nulla ratione magis nobis polliceri possumus, quam per hoc ipsum fidei et charitatis Sacramentum ; quippe ejus frequentatione illæ nobis inseruntur, illæ nobis insertæ augentur, atque auctæ perficiuntur, non secus ac cibo corporeo singulæ corporis partes et membra accrescunt, aut saltem conservantur. Salmer. t. IX, tr. xxvi.

Utilitas ad unitatem et concordiam procurandam. Sicut enim adeps frumenti est unitivus, quia ex multis granis unus panis conficitur ; sic istud Sacramentum est unitivum quia omnes digne sumentes unit et pacificat, dum eos unum corpus facit in in Christo. Michael de bonon. *sup. Ps.*

Utilitas ad unionem cum Deo obtinendam ; uti recte advertit Sanctus Bernardinus dicens : In aliis cibis conversio fit cibi in manducantem, eo quod manducans sit nobilior et validior, quam ipse cibus ; sed in hoc contrarium contingit, propter sublimitatem atque virtutem cibi, qui Christus est, ideo hunc cibum digne manducans transformatur in Christum, et non Christus in ipsum. Quo fine quemdam adducit S. Augustini textum e *Confessionibus* ejus desumptum, ubi Christus S. Præsulem ita allocutus fuit : Cibus sum grandium ; cresce, et manducabis me, et non mutabis me in te, sed tu mutaberis in me. S. Bernar. Sen. x, 2, s. liv, n. 4, c. i.

Quod egregie Petrus Pennequin his verbis confirmat : Quinta et potissima est unitas assimilationis, qua una res alteri conjuncta, majorisque virtutis atque potentiæ, alteram in sui similitudinem rapit ; ita ignis lignum et ferrum sibi assimilat, et calor stomachi cibum in hominis substantiam convertit. Ad eumdem modum Christus in hoc Sacramento tum congestis in communicantis mentem luminibus, tum excitatis in voluntate novis ardoribus, hominem ad quamdam sui in amando, agendoque similitudinem efformat ; ita ut alterum tibi Christum in moribus, propensionibus et sermonibus intueri videaris. Quod ut assequamur, imitari nos oportet eos, qui silvestri arbori nobiles surculos inserunt. 1. Truncum aperiunt et diffindunt, in fissura surculum immittunt. 2. Argilla fissuram, surculi insitionem obvolvunt, ut firmius trunco inseratur, et ab injuriis cœli defensa pedetentim arboris succo alatur, donec tandem flores et fructus efferat. Ita fides viva, verbo Dei omni ferro penetrabiliori subnixa, cor Christi, tamquam nobilem surculum communicantis cordi inserit, et amore reciproco connectit ; tum argilla, hoc est, sui cognitione, et profunda demissione a superbiæ malignitate defendit, donec Divini Corporis succo vegetati paulatim in actiones Christo simillimas simillimi efflorescamus, feramusque fructus sanctissimæ Trinitati, beatisque spiritibus longe gratissimos. Penneq. *Isag.* p. III, t. XVII, n. 9.

Utilitas ad roborandam animam ; hinc Baronius recenset, quod fideles propter fidem incarcerati, habebant desiderium Eucharistiam sumendi. Id quod in aliis eorumdem Annalium locis fusius prosequitur probans, fortissimam atque impenetra-

bilem Christianorum armaturam inter persecutiones unicam extitisse Communionem, quam etiam ob causam in sæculis istis admodum periculosis Ecclesia permittebat, ut fideles panem hunc consecratum domum secum deportarent, ut occasione data, atque persecutoris tyrannide imminente hoc se pabulo cibare, atque munire possent; cujus et Apostolus ab Alberto Magno citatus, meminit in hæc verba : Rogo vos, accipite cibum pro salute vestra, quia nullius vestrum capillus de capite peribit; cibus enim salutis saluberrimus omnibus, et confortat in gratia, et salvat a periculo. Bar. *Ann.* 255, *n.* 5. Hoc sane calice inebrietati erant Martyres, inquit S. Augustinus, quando ad passionem euntes, suos non agnoscebant. Quid tam ebrium, quam non agnoscere uxorem flentem, non filios, non parentes? Nolite mirari, ebrii erant; acceperunt calicem, unde inebriarentur. S. Aug. *in Ps.* xxv.

Utilitas ad vitam æternam promerendam; uti Sanctus Th. de Villanova indicavit dicens : Quod si panem quemdam invenires, qui vitam tuam per centum annos servaret incolumem, numquid illum quovis thesauro gratiorem haberes, et custodires? Numquid non sicut oculi pupillam, panem illum servares? Nonne illum omnibus mundi deliciis anteponeres? Talis autem est panis Eucharisticus, hic panis vitam edenti præstat, non centenariam, sed æternam vitam, jucundam vitam, beatam vitam, omnium bonorum plenitudine felicissimam. S. Th. de Villanov. *Conc.* i, *in fest. Corp. Christi.*

Utilitas ad temporalia bona acquirenda; ut iterum Salmeron indicavit, dicens : Temporalia bona nobis minime defutura, satis comprobat hæc tam larga et incomprehensa Domini liberalitas. Nam qui nos suo Corpore et Sanguine pascit, quomodo modica hæc et contemptibilia hujus mundi bona ad ducendam vitam denegabit? Salmer. t. IX, tr. xxv.

Utilitas ad delicias animæ obtinendas. Cujus enim vel ferreum pectus, inquit Sanctus Laurentius Justinianus, aut adamantina mens non liquescat præ devotione, cum Deum sibi, et se Deo senserit corporaliter unitam? Non capit cor, lingua deficit, humanus sopitur sensus ad investigandum tanti arcana Mysterii. O quantæ ibi deliciæ, quantus ardor, qualia verba, quam vehemens amor, quam casti amplexus gustantur! S. Laur. Justin. *de Discipl. Monast.* c. xix. Quod confirmans S. Cyprianus : Panis iste Angelorum, inquit, omne delectamentum habens, virtute mirifica omnibus, qui digne et devote sumunt, secundum suum desiderium sapit. S. Cypria. *de Cœna Domin.*

Utilitas ad perseverantiam tenendam, teste Sancto Bernardino dicente : Roborat mentem, et quodammodo carnem; mentem, ut persistat in bono; carnem, ne ruat in malum. Roborat mentem, ut persitat et crescat in bono, nam per hoc, quod mens per gratiam conjungitur in sacra Communione Christo, spiritualis ejus vita roboratur et confirmatur, sicut corpus roboratur per cibum. S. Bern. t. I, ser. lvi, n. 1, c. iv. Idem quoque, in Art. 3, cap. 3, ejusdem sermonis subnectit, dicens : Facit hoc Sacramentum perseverare in via Dei usque ad finem vitæ. Omnes virtutes sine perseverantia contra vitia pugnare possunt, sine perseverantia autem vincere nequaquam possunt. Cum igitur hoc Sacramentum in itinere Dei roboret et confirmet, ex consequenti sequitur, quod per illud anima perseveret. Ib. art. 3, c. iii.

Utilitas ad dæmones superandos; nam tamquam leones ignem spirantes, teste S. Chrysostomo, recedimus ab ista mensa, facti diabolo terribiles. S. Chrys. hom. vi *ad Pop.* Quia ibi infirmitatem nostram, ait Francus Abbas, novit, qui nos condidit, fortique et armato, nisi fortiore nos protegente, fragiles et inermes non posse resistere contra implacabile hostis antiqui odium, panis quotidiani inexpugnabile nobis contulit præsidium. Francus Abbas, s. X, *de Grat. Dei.*

Hinc Sanctus Augustinus ad inimicum infernum discursum suum dirigens, in quodam sermone his verbis ei improperat : Ille sanguis, quem effudisti, te vicit, me redemit. Illum bibo, et veneni tui perniciem salvatus ultra non timeo; prævaluisti in Paradiso, sed victus es in patibulo, vel etiam addere possumus, in cœnaculo; quia per institutionem Eucharistiæ, in ultima cœna factam omnes ejus vires prostravit. Ibi confregit potentias arcuum, scutum, et gladium, et bellum; ubi de Cœnaculo Sion loquitur. S. Aug. s. cxxii, *de Temp.*

Utilitas ad liberalitatem nostram provocandam. Hoc enim solum datum est, ait Sanctus Anselmus, quod omne datum est; quia in hoc dato nihil privatum sibi Christus retinuit, Humanitatis simul et Deitatis nobis omnia dona conferens. S. Albert. dist. ii,

tr. II, c. VI. Et iterum : Magna dona Christi in hoc convivio, Corpus dedit in cibum, Sanguinem in potum, Animam in pretium, Deitatem in condimentum exhibendo. Idem, c. I.

ALIA MOTIVA.

« Frequenter et digne suscipienda Eucharistia, » propter Christi *mandatum* (hoc facite in meam commemorationem) *desiderium* (desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum) et *gaudium* (nam deliciæ ejus sunt esse cum filiis hominum).

« Quia ut verus panis vitam spiritualem conservat; » si enim quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et hic effectus attribui potest Corpori Christi.

« Quia crescere et pinguescere facit in Spiritu, » juxta testimonium S. Augustini, cui dictum a Christo : Cibus sum grandium; cresce et manducabis me; et non mutabis me in te, sed tu mutaberis in me. Et hic effectus animæ Christi, cujus officium est nutrire, convenit.

« Quia robur tribuit contra hostes, » juxta illud Davidis : Parasti mensam in conspectu meo adversus eos, qui tribulant me.

« Quia singularem animæ delectationem affert, » juxta testimonium Ecclesiæ in officio Corporis Christi canentis : O quam suavis est, Domine, Spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito, esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes. Et hic effectus divinati recte tribuitur, quæ est fons omnis suavitatis et dulcedinis.

« Quia mire conducit ad mentem illustrandam, et sapientiam cœlestem acquirendam; » uti expertus est S. Edmundus, post acceptam Eucharistiam altissime de SS. Trinitate disputans. Et hic effectus Sanguini Christi (ex quo spiritus animales tantopere ad intelligendum necessarii hauriuntur) adscribi potest.

« Quia optimum et efficacissimum est medium ad progressum in perfectionis studio faciendum; » ut olim Elias in fortitudine panis ab Angelo dati, quadraginta diebus celerrime cucurrit usque ad montem Dei. Et hic effectus toti Sacramento attribuendus est.

« Quia mirum in agone ultimo solatium affert, » utpote pignus gloriæ, de quo Ecclesia canit : O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur ! Et hic effectus Eucharistiæ ut viatico, convenit.

« Quia ipsi Patri æterno summe placet, filios huic mensæ spirituali assistentes videre, » juxta illud Davidis Ps. 127. Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.

MEDIA.

Ad amorem et cultum Eucharistiæ excitandum.

Magna æstimatio, quæ obtinebitur, si bene ponderentur tres admirandæ qualitates, quæ nobis illam amabilem et summe æstimabilem efficiunt. Nimirum 1. Quod sit ex amore tota composita, et, ut S. Thomas vocat, Sacramentum amoris, vel, juxta S. Bernardum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum; vel, ut alii, mamilla Dei Patris. 2. Quod sit tota admirabilis, tum propter plurima miracula, quæ in ea conficienda interveniunt, tum ob deificationem carnis nostræ, tum ob epitomen et anacephalæosim omnium beneficiorum a Deo in nos collatorum, omniumque admirandorum, juxta illud Davidis : Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus. 3. Quod sit Paradisus terrestris; si enim esse cum Jesu per amorem est dulcis Paradisus, teste Thoma Kempensi, quanto magis hæc gratia illi concedetur, qui per realem quodammodo unionem Christo unitur, uti fit in hoc Sacramento ?

Frequens visitatio et conversatio per orationem coram Venerab. Sacramento institutam; per talem enim conversationem cognoscitur magis ejus amabilitas et amor infinitus, animaque vicissim ad amorem mutuum incitatur. Hinc Sancta Catharina Senensis intuens S. Hostiam, videbatur sibi intueri fornacem ardentem ad inflammandos omnes, qui propius accessissent, idoneam. Expertus id est F. Cherubinus, Ordinis S. Francisci, qui in concionibus non nisi ignem spirare videbatur, eo quod coram SS. Sacramento suos affectus concepisset. Hinc sexaginta sex millia animarum ab eo conversarum in morte illi adfuerunt, et ad cœlum duxerunt.

Crebra et digna realis sumptio ; ut enim

per amplexum et conjunctionem carnalem amor carnalis maxime demonstratur et augetur; ita per unionem, quæ fit inter animam et Christum in hoc SS. Sacramento, tanto magis crescit amor spiritualis et Eucharisticus, quanto firmior et intimior et sapidior est dicta unio, quam carnalis.

Sæpius iterata spiritualis communio; cum enim, teste Concilio Tridentino, illi, qui voto cœlestem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus et utilitatem sentiant, merito tanto efficacius hæc communio medium ad augendum amorem erga Sac. Eucharistiam censendum est, quanto frequentius ea per diem iterari potest. Sess. XIII, t. VIII. Hinc S. Gertrudis tali modo communicans, lateri Jesu admota audivit : Bibe nunc de corde meo spiritualiter suavissimæ Divinitatis meæ efficacem influxum. Lib. IV, *Insinuat.* c. XIII. Certe B Agatha a Cruce, hujusfructus conscia et cupida, quotidie ducenties hanc communionem spiritualem iterabat. *Hagioph.* intent. XXIV.

Frequens de hoc SS. Sacramento sermocinatio; sic Brasilii docuerunt, qui die sumptionem Eucharistiæ præcedente nonnisi de illo miscuere colloquia, uti in vita P. Anchietæ legitur. Hic sane vel maxime impletur illud Ecclesiastici : Lingua eucharis in homine bono abundat. Et : Ex abundantia cordis os loquitur. Eccl. c. VI.

Festorum aut dierum ab Ecclesia huic cultui destinatorum peculiaris observatio; si enim, qui amant, natalem amati diem singulari festivitate lætitiaque celebrant; quanto magis natalem Eucharistiæ diem, uti Ludolphus vocat feriam quintam, peculiari devotione celebrari convenit ab iis, qui crescere in illius amore cupiunt?

Reverentia singularis Sacerdotibus exhibita; hæc enim quanto major fuerit, tanto magis cresceret æstimatio, et per consequens etiam amor Sacramenti. Certe Sanctus Franciscus dicere ausus est, se, si Sanctus aliquis de cœlo et pauperculus Sacerdos simul obviarent, ad manus Sacerdotis exosculandas prius accursurum, eo quod Verbum vitæ illæ contrectent, et ultra humanum ali quid possideant. *Martyr. Franc. 4 Oct.* Imo Juniperus ejus discipulus numquam sacerdotes, nisi flexis genibus, allocutus est, sciens nimirum, quod S. Ignatius Mar. dixit, sacerdotium esse omnium bonorum, quæ in hominibus sunt, apicem. Ib. 7 *Dec.*

Ad eamdem digne sumendam.

Ardens desiderium; ita enim Christus ipse indicavit, dum dixit Apostolis : Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum. Et hoc nimirum videtur præfiguratum per cœnaculum amplum, quod parari jussit ad SS. Sacramentum instituendum. Nam, ut recte S. Augustinus dixit, desiderando capax efficeris, ut implearis.

Evacuatio sui; ita iterum Christus S. Gertrudem docuit, dum illi dicenti : Quali dignitate obviabo tibi, cum tam largifluus dignaris venire ad me? respondit : Nil aliud requiro a te, quam quod evacuata venias ad recipiendum; quia omne, quod mihi placuerit in te, hoc per donum meum totum accipies. Lib. IV, *Insinuat.* c. VI.

Generosa victoria; juxta illud S. Joannis : Vincenti dabo manna absconditum. Apoc. II, 17. Debet autem triplex esse hæc victoria, juxta Ludovicum de Ponte. 1. Contra peccata tam venialia, quam mortalia, ut ea deleantur per pœnitentiam. 2. Contra inordinatas passiones ad voluptates et delicias quinque sensuum propendentes; nec enim prius Israelitæ manna gustabant quam farina, quam ex Ægypto secum exportaverant, defecit. 3. Contra cordis distractiones et vagationes, quæ adumbratæ olim sunt per Ægyptios, qui sequebantur Israelitas, eosque a cultu divino impedire volebant. Tom. I, *de Perf.* tr. IV, c. VII.

Immaculatæ vitæ studium; quam quidem Christus dispositionem per pedum lotionem indicavit; Deus vero per Arcæ pro Manna deputatæ interiorem constructionem, dum totam auream esse voluit, indicavit. Et sane qui hoc medium adhidet, gratissimam Deo dispositionem attulisse censeri, dicereque cum Davide potest : Totis viribus præparavi impensas domus Domini, non enim homini præparatur habitatio, sed Deo. Rodriq. p. II, tr. VII, c. XII.

Imploratio Sanctorum ad supplendam per merita sua indignitatem suscipientis; ita Christus S. Mechtildem docuit dicens : Quando sacram Communionem perceptura es, desidera et opta ad laudem nominis mei habere omne desiderium, omnemque amorem, quo umquam cor aliquod erga me flagravit, et ita ad me accede; nam ego amorem illum in te attendam atque suscipiam, non sicut

in te est, sed sicut velles eum in te esse. Blosius, *in Monil. Spir.* c. vi.

Effusionis post Communionem vitandæ studium; ita Thomas Kemp. indicavit, dum dixit : Oportet, ut non solum te præpares ad devotionem ante Communionem, sed ut etiam te sollicite conserves in ea post Sacramenti perceptionem. Nam bona postmodum custodia iterum est præparatio ad majorem gratiam consequendam. Lib. IV, c.

Hinc virginem non vulgari sanctitate præditam dicere solitam accepimus : Quo die communico, omni custodia servo cor meum, Christum quasi ibi quiescentem cogitans, omnes exterioris modestiæ, qua in verbis, qua in visu, qua in incessu numeros obeo, ut, qui digito ori silentium innuit, ne unde dormiens quispiam obturbetur.

Mortificatio et castigatio carnis; id quod Salvator forte indicare voluit, dum asino (per quem multi Sancti corpus suum intellexerunt), insidens, in Jerosolymitanam civitatem (per quam anima Deum videndi et fruendi cupida intelligi potest) introductus est. Pulchre etiam id ipsum docuit Hugo de S. Victore, dum tria esse Sacrificiorum genera dicit : unum Dominici corporis, alterum contriti cordis, tertium mortificatæ carnis ; atque adeo oportere præcedere sacrificium humilitatis in mente, afflictionis in carne, ut habeatur, devotio in Dominici corporis consecratione.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, *quis sit primarius finis Eucharistiæ institutæ*, quem quidem breviter indicavit Sanctus Bernardinus, dum dixit : Ad hoc Sacramentum istud conficitur, ut ex frequentatione ipsius intuentes quotidie Christi sanguinem effusum, sic de Christo passo nostra memoria repleatur, quod nostro semper fixus sit in corde, qui semel pro nobis fixus fuit in cruce. Hinc quoties hujus Hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ Redemptionis exercetur. S. Bern. tom. II, s. liv, a. 1, c. ii.

Et confirmans id ipsum Francus Abbas : Quem suavis gustus, inquit, vini hujus demulcet pressuram torcularis non recuset, ideo et aqua mysterio nostro miscetur, et sic Sacrificium acceptabile Deo offertur, quia tunc gratam Deo passionis Christi Hostiam immolamus, quando et ipsi passionibus ejus simul patiendo communicamus. Francus Abbas, ser. x, *de Gratia Dei.*

Nosse debet, *cur Eucharistia sub specie panis et vini sit instituta;* cujus rationem in primis assignat S. Th. sic loquens : Panem, tamquam inter alios cibos materiam aptissimam elegit, tam ex parte illius, qui illum administrat, quam ex parte recipientis ; est enim in primis panis aptior ex parte illum administrantis, quia majori cum facilitate in quovis loco et tempore reperirur, non vero item aliæ res comestibiles. Præterea panis hanc in se dispositionem habet, quod longo tempore conservari possit, est enim materia ejus purior et mundior, faciliusque dividi, et ex uno loco in alterum transferri potest. Quantum vero ex parte recipientis, ad hoc Sacramentum panis quoque aptior magisque idonea materia est præ cunctis aliis cibis, quia hæc accidentia Sacramentalia nullum adsciscere possunt sanitati nocumentum, prout alii cibi nonnumquam faciunt. Quod vero panem hunc triticeum esse voluerit, hujus assignat rationes ; primo propter grani hujus præ cæteris naturalem nobilitatem ; inter omnia enim grana triticum nobilissimum est, ac proinde justum erat, ut panis ille inde conficeretur, pro quo habendo æternum Patrem quotidie rogamus : Panem nostrum supersubstantialem da nobis. S. Th. *apud Mansi*, disc. iv *in* iv.

Aliam adhuc rationem assignat Hugo Victorinus, dum ait : Voluit Sapientia Dei, quæ se per visibilia manifestat, ostendere, quod ipsa animarum refectio sit, et cibus ; et propterea carnem assumptam in edulium proposuit, ut per cibum carnis ad gustum invitaret divinitatis. Hugo Victor. p. VIII, lib. II, *de Erudit. Theo. sacr. fidei* c. viii.

Didacus Stella tertiam affert rationem dicens : Non solum ejus altitudo Sapientiæ ostensa est per hoc, quod cum homine mansit, sed etiam per modum, quo id facere excogitavit ; nam eo modo, quo mors in mundum intravit, voluit, ut eodem intraret vita ; per esum ligni vetiti intravit mors, per esum etiam intravit vita. Didacus Stella, *in* c. xxii *Luc.*

Quartam addit S. Bonaventura, dum ait : Quoniam nihil magis idoneum est ad refectionem, quam cibus panis, et potus vini ; nihil est etiam magis idoneum ad significationem unitatis Corporis Christi, veri et mystici, quam panis factus de mundissimis granis, et vinum expressum de purissimis acinis

in vinum collectis ; ideo sub his speciebus magis quam sub aliis debuit hoc Sacramentum exhiberi. S. Bonav. t. V, par. VI, *in Breviloq.* c. IX.

Quintam denique S. Basilius assignat, dicens : Christus in panis et vini speciebus sumi se voluit, ut horrorem adimeret, qui esset futurus, si præcepisset nobis, ut sumeremus carnem ejus et sanguinem in propria specie ; ad hæc externæ nationes nos reprehendissent, veluti carnivoros, quod ferarum instar sanguinem biberemus, et crudam carnem voraremus. S. Basil, *in Encom. SS. Martyr.*

Nosse debet *differentiam inter comestionem cibi naturalis et Eucharistici*, quam S. Bonaventura his verbis assignavit ; Hæc est differentia inter comestionem corporalem, et spiritualem, quia ibi cibus comestus transit in substantiam et nutrimentum comedentis ; hic vero comedens incorporatur Christo, et transit in amorem et unitatem Corporis Christi. S. Bonav. tom. VII *de Præpar. ad Miss.* c. VII.

Nosse debet, *quod, quando S. Thomas dixit, in hymno Lauda, Sion, etc. Sumit unus, sumunt mille, quantum isti, tantum ille ; hoc tantum intelligendum sit de substantia Corporis Christi, non autem de gratiæ collatione.* Nam sicut Manna quoad quantitatem omnibus quidem æquale, quantum ad sapores (siquidem probabilis est opinio, quod sapores hos illi specialiter participarint, qui in gratia et amicitia Dei constituti erant. Unde de Manna dicitur ; « Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes »), ostendebat, eodem modo, tametsi omnes Eucharistiam accipientes, idem Christi Corpus sumant, attamen fructus, qui exinde percipitur, major vel minor erit, juxta minores vel majores recipientium dispositiones. Mansi, disc. VI, n. 2.

Nosse debet *finem, ob quem institutum est*, qui quidem triplex est, potissimum ab Ecclesia his verbis indicatus : O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur. Primus ergo finis est, ut esset memoriale passionis, et infiniti amoris per passionem ostensi ; quam ob causam per modum Sacrificii instituit, et ipsi Ecclesiæ inspiravit, ut in eo offerendo tales potissimum cæremonias eligeret, quæ ad cruentum sacrificium in Cruce oblatum vel maxime essent accommodatæ. Hinc sicut olim Thales Mandryto Prienensi, quem nova quædam de cœlo et sideribus docuerat, pecuniam, quantam vellet, offerenti respondit, se non aliud petere præmium, quam ut Thalesem non celet auctorem, cum horum inciderit mentio ; ita Christus pro hoc beneficio non aliam magis exigit gratiarum actionem, quam ut, quotiescumque hoc fecerimus, faciamus in ejus commemorationem. Drex. *in Rosis.* p. II, c. VII. Secundus est, ut esset fons gratiæ et consolationis, ad quem in omnibus nostris necessitatibus recurremus ; hinc per modum convivii instituit, cujus principale officium est nutrire, augere et delectare. Tertius est, ut sit pignus futuræ gloriæ ; hinc Deitatem suam etiam et subsistentiam Corpori suo unitam dare voluit, ut, quo præstantius foret pignus, tanto firmiorem spem conciperemus promissæ gloriæ offerendæ.

Nosse debet, *in quo consistit verus et solidus cultus Eucharistiæ*, quem Christus a nobis in grati animi signum requirit, nimirum in sequentibus tribus officiis. 1. *In crebra visitatione* ; ut scilicet, sicut ipse per viscera misericordiæ suæ visitavit nos oriens ex alto, fassusque est delicias suas esse cum filiis hominum ; ita nos quoque vicissim ipsum frequenter in hoc SS. Sacramento latentem visitaremus, nostrasque cum ipso delicias esse ostenderemus. 2. *In digna sumptione* ; hanc quippe potissimum intendit, dum SS. Corpus et Sanguinem obtulit nobis, ut non moreremur, sed viveremus in æternum, cœlesti hoc epulo recreati, 3. *In sedula invitatione et distributione hujus Sacramenti* ; ut scilicet buccellam nostram non comederemus soli, sed potius clamaremus ad proximos nostros : Venite, et emite absque argento, et absque ulla commutatione, vinum et lac. Comedite bonum, et delectatibur in crassitudine anima vestra.

Nosse debet, *quæ ad dignam sumptionem hujus SS. Sacramenti pertineant*, scilicet probatio sui (juxta illud Sancti Pauli : Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat.) I. Cor. XI.

Hæc autem probatio in quatuor potissimum capitibus consistit, teste Canisio. 1. *In fide viva*, qua firmiter et simpliciter credatur, quidquid Deus de hoc mysterio augustissimo per Ecclesiam revelavit. 2. *In seria pœnitentia*, per peccatorum confessionem coram Sacerdote factam ; nam, ut recte S. Augustinus advertit, in Christi corpore

vita nostra consistit; mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam. 3. *In mentis attentione*; ut scilicet animus præsens accedat, et per meditationes et precationes pias ad hoc tantum Sacramentum serio se convertat; nam, ut S. Chrysost. monet, adstat mensa regia, adstant Angeli mensæ hujus ministri, et tu oscitabundus adstas? 4. *In decenti habitu et compositione*, ut scilicet, nemo nisi castus, jejunus, modestus, supplex, minimeque sordidus accedat. Si enim Pericles interrogatus, cur longe cultior, quam alias soleret, ad nuptias accederet? respondit : In gratiam sponsi, ut pulcher ad pulchrum veniam; quanto magis in gratiam tanti Hospitis similis præparatio adhibenda est ab eo, qui ad ejus convivium accedit? Cap. IV, *de Eucharist.* § 10.

Nosse debet, *quæ ad communionem spiritualem digne et fructuose peragendam requirantur*, nimirum 1. Ut sciatur, quid sit; nempe incensum quoddam desiderium sacramentaliter communicandi; hoc modo enim impletur, quod Deus per Davidem dixit : Dilata os tuum, et implebo illud. Ps. XVIII.

2. Ut sciatur, quod, qui panem hunc fide viva per dilectionem operante comedunt, fructum ejus et utilitatem consequantur, uti Concilium Tridentinum dixit : Certe non defuerunt, qui expertos se fassi sunt, non minorem fructum ex hac, quam reali Communione, se percepisse. SESS. 3, c. VIII.

3. Ut privilegia hujus communionis bene intelligantur, quod scilicet oculos aliorum fugiat, atque adeo vanæ gloriæ non sit exposita; quodque singulis diebus, imo sæpius eodem die iterari queat.

Nosse debet *causas, ob quas ex frequentiori Communione minus proficitur*, ut prudenter occurrere possit. Sunt autem quatuor potissimum ejusmodi causæ. 1. *Defectus intentionis;* quia scilicet tantum ex consuetudine peragitur hæc Communio, aut certe ex timore. 2. *Defectus legitimæ dispositionis*; quia scilicet vel conscientia non est sufficienter purgata a peccatis, vel certe terrenis cupiditatibus est infecta. 3. *Defectus devotionis in ipsa sumptione*; eo quod ad hanc mensam non aliter fere, quam ad corporalem cœnam, accedatur. Qui cibum non præmansum deglutit, parum aut nihil gustus percipit; pari modo neque Eucharistiæ fructum dulcedinemque percipiet, qui non attenta consideratione summi doni ac beneficii se ad devotionem excitare studet. 4. Est *defectus collectionis* post communionem. Quid enim prodest, potionem medicam sumpsisse, si causa morborum non tollatur? Quid prodest hypocaustum vel balneum calefieri, si mox apertis undique januis calor inde exulet? Quid juvat unguentum pretiosum infundere in vas fractum, unde statim iterum profluat? FABER, in ser. II. *Pasch.* X, 2.

Talibus ergo sequentes veritates ponderandas Cornelius a Lapide offert. 1. Infirmus, Domine, qui tecum non exhilaratur, valde prope est, ut cadat. 2. Anima, quæ tecum non exultat, unde poterit exultare? 3. Qui tecum, Domine, non est contentus, quomodo non crepat? 4. Qui, dum te Hospitem habet, properat ut domo exeas, facile ostendit, se cor habere alibi obstrictum. 5. Cui tecum manere tædium est, nescit, quod tu sis Deus, et totum bonum ejus. 6. Qui tecum non manet libenter, ostendit, se phrenesi laborare, cum hujus rei causa natus sit. *In Zach.* c. IX.

Nosse debet *tentationes et dubia circa Communionem occurrere solita*, quæ ad tres species revocari possunt. 1. *Est circa fidei difficultatem*, ob quam pluribus contigit, quod Aristoteli, qui, quia Euripi fluxum comprehendere voluit, nec valuit, seipsum in illum præcipitavit. Contra hanc tentationem optimum remedium, piam et diligentem ipsius mysterii frequentationem Sanctus Franciscus Xaverius censuit *Vita.* l. IV, c. XXIII. Id quod etiam Thomas Kempens. indicavit, dum dixit : Fides a te exigitur, et sincera vita, non altitudo intellectus, neque profunditas mysteriorum Dei. Perge ergo cum simplici et indubitata fide, ac reverentia ad Sacramentum accedere, et quidquid intelligere non vales, Deo omnipotenti secure committe. 2. *Est circa frequentiam Communionis*, quam aliqui frequenter peragere horrent ob indignitatem; alii nimis raro concedi queruntur ob desiderium. Qua quidem in re optimum erit consilium, quod Sanctus Ignatius Sancto Francisco Borgiæ de hac re eum consulenti dedit, nimirum non esse una amussi omnia ingenia metienda; aliis rarius, aliis frequentius ad divinam mensam accedere, utile videri. Suadere itaque et hortari, prudentem aliquem, piumque virum e multis eligeret, cujus potissimum consilio in studio pietatis uteretur. 3. *Est circa dispositionem debitam afferendam*, maxime a conjugatis; qua in re bene notandum est consilium Sancti Francisci Salesii his verbis de

claratum : Si satis prudens sis, tibi nec mater, nec uxor, nec maritus, nec pater impedimento erunt, quo minus sæpe sacram Communionem obeas; cum enim ipsa Communionis die, officii tui partes pro statu tuo convenienter expleas; et erga illos tum benignior, tum affabilior sis, nullumque genus obsequii illis deneges, verisimile certe non est, illos hoc in exercitio ullatenus te impedire velle, dum nullum ipsis ex hoc secuturum sit incommodum, nisi forsan admodum impertinentes, morosi, et rationi dissentanei forent. Hoc in casu si Director tuus ita faciendum suaserit, illorum voluntati forsan condescendendum erit. Pro conjugatis hic aliquid addam oportet. In veteri lege vetuerat Deus, ne creditores diebus festis debitum a debitoribus suis exposcerent; at non damnabat, si debitores iis diebus ea, quæ debebant, exigentibus solverent. Indecens est, quamquam non magnum peccatum, matrimoniale debitum ea die exigere qua sacram quis adiit Communionem; at indecens non est, immo meritorium, ipsum reddere. Non ergo ob debiti ipsius redditionem Communione quis privandus est, si alioquin devotio ad ipsam adeundam feratur. Certe in primitiva Ecclesia Christiani quotidie communicabant, esto essent conjugati, et prolibus operam darent. *Introd.* p. 2, c. XX.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

De Eucharistia secundum se.

Exponi possunt tres causæ principales, ob quas Christus instituit hoc Sacramentum. Videlicet. 1. Ad gloriam majorem Patris cœlestis, cui gratius est hoc sacrificium, quam infinita alia, unde etiam magis honoratur per unicum sacrificium, quam per omnes possibiles actus creaturarum. 2. Ad majorem gloriam suam, quæ mire augetur per tot templa ei ædificata, per tot processiones institutas, et per tot Communiones cum summa religione et fervore a plurimis peractas. 3. Ad majorem gloriam nostram, quæ obtinetur tum per unionem Christi cum anima nostra, tum per copiosissimam gratiam, quæ in hoc Sacramento non tantum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, confertur, et est semen gloriæ olim secuturæ; tum ex honore, qui ex hoc inæstimabili beneficio nobis solis exhibito oritur, utpote ratione cujus merito nobis applicatur illud Deuteronomii : Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi. Excitandi proinde auditores, ut hoc triplici funiculo obstricti satisfacere studeant obligationi suæ, et ad prædictum finem triplicem frequenter debita cum dispositione hoc SS. Sacramentum sumere suadeant. Quod si magis placet, possunt aliæ tres causæ institutionis afferri, nempe illæ, quas Ecclesia indicat, dum in festo Corporis Christi canit : O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur. Aut afferri possunt tres rationes a S. Thoma datæ, scilicet ut esset memoria passionis, sacrificium novi testamenti, et cibus hominum. Quas causas videre est fusius explicatas a P. Mathia Fabro, in Fer. v. Cœnæ Domin. conc. 2.

Explicari potest, cur Christus hoc Sacramentum sub duplici specie, cur sub speciebus panis et vini, et cur tandem sub speciebus visibilibus instituerit, quæ causæ iterum fusius explicatæ videri possunt apud Fabrum, l. c. conc. 2.

Ostendi potest, quomodo memoriam fecerit mirabilium suorum in hoc Sacramento; dum scilicet in eo exhibuit compendium omnium suorum potiorum attributorum, nempe potentiæ, sapientiæ, bonitatis etc. de quibus videri potest Faber, l. c. conc. 5.

Comparari potest Eucharistia cum Manna Israelitis olim data ob quatuor causas. 1. Ob convenientiam in substantia. 2. Ob similes effectus. 3. Ob similitudinem suscipientium. 4. Ob ministrorum convenientiam; de quibus Faber, in Dom. 4. Quadr. conc. 6, et Beyrlinck in festo Corporis Christi, tom. III, ubi fuse differentias Mannæ et Eucharistiæ explicat.

Comparari potest Eucharistia Arbori vitæ ob tres causas. 1. Ob loci paritatem, quia sicut illa in medio Paradisi, ita hæc in medio Ecclesiæ, quæ rectius Paradisus, seu habitatio justorum, vocari potest, posita est. 2. Ob similitudinem qualitatum, quia utrumque erat pulchrum visu, et ad vescendum suave. 3. Ob finis æqualitatem; quia utraque ordinata fuit ad humidum radicale restaurandum, vitamque conservandam. Excitandi proinde auditores, ut sæpe ad hanc arborem accedant, et de fructibus ejus gustent; e con-

trario vero a fructibus vetitis peccati studiose abstineant, ut in Paradiso hoc permanere, et de fructibus hujus suavissimæ arboris diutius frui possint.

Comparari potest Eucharistia carboni ignito, quem Seraphim forcipe ad Isaiam attulit. Circa quem tria spectari possunt Eucharistiæ perbene convenientia. 1. Ipse carbo ignitus, qui sicut ex duabus rebus, carbone scilicet et igne compositus erat; ita recte Christum ex divina et humana natura compositum significat. 2. Seraphim, qui apportabat, per quem recte amor divinus, qui Christum impulit, ad hoc Sacramentum instituendum, intelligitur. 3. Forceps, quocum apprehendit, per quem significari potest reverentia et dispositio, qua Christum in Eucharistia latentem suscipere convenit. Addi forte etiam posset: 4. Effectus, qui ex carbone illo ori imposito secutus est, quemque Seraphim his verbis indicavit: Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur. Videri hæc possunt fusius a P. Drexelio, in Rosis, p. II, c. VII, § 3 et 4, explicata.

De Eucharistiæ Fructibus.

Comparari potest Eucharistia cœnæ magnæ, de qua Christus apud S. Lucam parabolam proposuit, probarique, quod magna sit. 1. Propter Regis instituentis excellentiam et dignitatem. 2. Propter invitatorum hospitum multitudinem, comparatione a convivio Regis Assueri desumpta. 3. Propter epularum præstantiam. 4. Propter effectuum præstantiam. Excitandi proinde auditores, ut ipsi quoque magno cum desiderio, præparatione, devotione et gratiarum actione accedant; de quibus fusius Faber, in Dominica 2 post Pentecosten, conc. 1.

Comparari potest Eucharistia cum celebri illo convivio a quodam viro primario quondam Norimbergæ constituto, quod tribus mensis sibi mutuo impositis constabat. Prima non nisi cibis oculos pascentibus repleta erat; ubi miracula in Eucharistia contenta explicari possunt. Secunda cibis solidis referta fuerat; ubi ostendi potest, quomodo Eucharistia per modum cibi satiet, nutriat, pinguefaciat, et roboret animam. Tertia non nisi bellariis exquisitissimis constabat; ubi dulcedo et suavitas Eucharistiæ explicari potest. Excitandi proinde auditores, ut triplici huic mensæ triplicem dispositionem correspondentem afferant, et pro prima quidem magnam fidem et præparationem ante sumptionem; pro secunda magnam devotionem in ipsa sumptione; pro tertia magnam gratiarum actionem, et gaudium spirituale post sumptionem. Quem in finem servire potest concio seu thema I apud Beyrl, in festo Corp. Christi. Item conc. 5. in festo S. Thom. apud Fab. in Auctario, p. II, f. 15.

Explicari possunt fructus Eucharistiæ per comparationem Eucharistiæ cum cithara (nam Eucharistia per anagramma *Cithara Jesu* dici potest), ostendendo, in prima parte, quod Eucharistia perinde ut cithara constet duabus partibus, *quantitate* loco ligneæ cavitatis, et tum virtutum præstantissimarum (puta humilitatis, obedientiæ, charitatis, patientiæ, religionis) quæ inferiorum chordarum vicem subeunt; tum attributorum divinorum (puta sapientiæ, potentiæ, bonitatis, immensitatis, providentiæ) quæ superiores chordas repræsentant, elucentium *qualitate*. In secunda, explicari possunt effectus citharæ hujus, quod scilicet multo efficacius et verius, quam cithara Orphei, aut Amphionis, aut Davidis pellat tristitiam, attrahat feras (peccatores), fuget spiritus malos, (dæmones), adducat saxa, (homines justos) polita ad ædificium terrestris et cœlestis Jerusalem (Ecclesiæ) perficiendum, maxime in agone; reducat animas Purgatorii ab inferis, et ante omnia ad Deum in sono citharæ laudandum conducat. In tertia parte, ostendi potest, quomodo pulsanda sit, scilicet quinque digitis seu affectibus, innocentiæ, seu charitatis per confessionem procuratæ, fidei, spei, humilitatis, gratitudinis. Servire ad hunc finem potest concio Fabri, priori numero indicata.

Potest Eucharistia comparari Arcæ Testamenti. 1. Propter similitudinem qualitatis; sicut enim illa foris vilis, et pellibus tantum tecta, intus autem plena auro erat; ita Eucharistia quoad ea, quæ videntur, non nisi viles species panis repræsentat, intus vero tota aurea est, quia ex summa charitate a Christo instituta. 2. Propter res contentas, nam sicut Arca continebat tabulas Moysis, Manna, et virgam Aaron, quæ erant figura tantum; ita Eucharistia continet ipsum Legislatorem, et eum, qui per Manna et virgam Aaronicam præfiguratus erat. 3. Propter

effectus similes, sicut enim Arca specialiter conduxit ad omnia a Deo impetranda, quia Deus se ibi maxime propitium fore promisit, in dubiis rebus consilium dedit, et occulta manifestavit, hostes fugavit, domui Obededom copiosam benedictionem attulit,et irreverenter eam tangentibus, aut indigne possidentibus exitio fuit; ita hæc omnia S. Eucharistia modo longe perfectiori præstat, uti ex affectibus supra recensitis patet. Excitandi proinde erunt auditores, ut ad exemplum Davidis cum magna reverentia, lætitia, et jubilo eam in domum corporis sui introducant; neque dicteria et irrisiones Micholis, id est, hominum obloquentium, curent.

Ex occasione thematis : « Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes ; » (Luc. c. VI, 19.) potest Christus in SS. Eucharistia existens Medico comparari, et ostendi, quam perfecte contineat omnes dotes in Medico requisitas. 1. *Peritiam* ; quia novit omnia genera morborum, et remedia ; hinc solus genus humanum curare potuit. 2. *Felicitatem* ; nam sanabat omnes, cæcos (id est, errantes in fide) claudos (id est, acediosos) hydropicos (id est, ambitiosos, et a superbia inflatos) paralyticos (id est, desperantes) leprosos (id est, luxuriosos) phreneticos (id est, iracundos) ictericos (id est, invidiosos etc.) 3. *Charitatem*, qua vult curare, et prompte operam suam offert : *Veniam et curabo eum.* 4. *Liberalitatem*, qua sine pretio curat infirmos, quinimo ipsemet illis varia dona et gratias offert. Excitandi proinde auditores, ut et illi Medicum hunc ad se vocent, reverenter excipiant, confidenter morbos suos et miserias aperiant, et consilia ipsius diligenter arripiant, et exequantur.Servire potest ad hunc finem Faber, in festo S. Barth. conc. 5.

Potest ostendi utilitas, quam morientes percipiunt a S. Eucharistia in articulo mortis sumpta, et ea probari ex rebus viatori necessariis. 1. Testimonium vitæ honestæ. 2. Viæ dux et judex. 3. Gladius ad defensionem, vel certe tutela. 4. Viaticum ad vires reparandas. Probetur, hæc omnia Christum in Eucharistia abunde præstare, atque adeo Communionem in eo articulo a nemine negligendam esse. Videri possunt hæc quatuor puncta, fusius explicata, apud Fabrum, in Dom. 20 post Pent. conc. 3.

De Dispositione ad Eucharistiam recipiendam.

Potest dici optimum esse modum fructuose communicandi, si observentur in morali sensu illa capita, quæ populus a Christo in deserto pastus docuit. Et 1. quidem si magnam famem, id est desiderium panis hujus Angelici sentiamus. 2. Si per triduum sequamur Christum ; potest autem per hoc triduum intelligi vel triplex via, per quam tenditur ad perfectionem,scilicet purgativa, illuminativa, unitiva; vel tres partes Pœnitentiæ, attritio, confessio, et satisfactio ; vel tres virtutes Theologicæ, fides, spes, charitas. 3. Si discumbamus, id est omnes curas et cogitationes impertinentes deponamus, et nos per nostri ipsorum seriam vilipensionem humiliemus. 4. Si gratias ferventer agamus tanto Benefactori. 5. Si fragmenta et reliquias colligamus,ne pereant,id est proposita, illustrationes et affectus pios, quæ sub Communione accepimus aut concepimus, sæpius per diem revolvamus, et exequi deinceps studeamus ; sic enim implebitur id, quod David dixit : Reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi.

Eadem præparatio explicari potest per actiones a turba, quæ die Palmarum Christum in urbem Jerosolymitanam introduxit, observatas. Et 1. quidem vestes (id est, peccata, inordinatas passiones, cogitationes sæculares etc.) exuamus. 2. Obviam eamus per ardens desiderium, excitatum per considerationem nostræ necessitatis ex una, ex altera vero parte potentiæ, quam habet Christus ad dictam necessitatem sublevandam. 3. Cædamus ramos de arboribus, et sternamus viam, id est, reverentiam tam externam modeste compositi corporis, quam internam mentis in piis precibus et affectibus occupatæ, exhibeamus. 4. Accinamus Christo laudes per debitam gratiarum actionem pro tanto beneficio persolutam ; invitemus omnes vires, ut debitum ei servitium præstent. Excitandi proin auditores ad hæc officia ita exhibenda, ut tamen simul caveant,ne, quemadmodum Israelitæ fecerunt, statim illum iterum dimittamus,aut omnino iterum crucifigamus et occidamus. Videatur Faber, in Dom. Palm. conc. 4.

Potest hæc dispositio explicari per quinque digitos a S. Th. lateri Christi impositos ;

nimirum. 1. Per intensam fidem. 2. Per affectum pudoris ac timoris ob præterita delicta. 3. Per profundam reverentiam et humilitatem. 4. Per gaudium spirituale. 5. Per affectum amoris intensi. De quibus fusius discurrit Faber, in Auctario et Festo S. Thomæ them. 5.

Occasione illorum verborum : « Exi cito in plateas civitatis,et voca pauperes etc. » Luc. XIV, 21. Ostendi potest, quomodo constituti esse debeant, qui digne ad SS.Eucharistiam accedere volunt, nimirum. 1. *Pauperes*, (id est, ab omni affectu erga res creatas liberi) et *famelici*, id est, magno desiderio hujus cibi accensi. 2. *Debiles*, id est, nobis esse diffidentes, confidentes vero in Christi bonitate et charitate. 3. *Cæci*, tum per captivitatem intellectus in obsequium fidei ; tum per custodiam sensuum, ne inordinatum quid, aut indignum tali hospite admittant. 4. *Claudi* per reverentiam et humilitatem ; uti fusius explicat Faber, in Auctario Dom. 2. post Pent. Them. 2.

De Frequentia Communionis.

Potest ostendi diversitas, quæ in Ecclesia floruit, quoad frequentiam Communionis, per statuam olim a Nabuchodonosore visam. Nam 1. in primitiva Ecclesia erat caput aureum, dum Christiani quotidie communicabant. 2. Argentea erat tempore S. Basilii, S. Hieronymi, et S. Augustini, ubi non quotidie quidem, sed frequentissime tamen Communionem sumebant. 3. Ærea tempore S. Chrysostomi, ubi rarius communicabatur. 4. Ferrea posterioribus sæculis, ubi vix quisquam sumebat Eucharistiam, aut certe non nisi post longum tempus. 5. Partim ferrea, partim lutea nostro ævo, dum scilicet aliqui semel in anno tantum, aliqui aliquoties in anno communicant. Subinde proponi possunt aliquot prudentes et salubres regulæ, juxta quas se quivis Christianus quoad hanc materiam dirigere queat ; quæque videri possunt, partim apud Fabr. in festo S.Thomæ conc. 5, n.4, partim et valde bene apud Ludovic. de Ponte, tom. I, de Perfectione, tract. IV, c. VI, § 4.

Occasione illius thematis : « Et cœperunt se omnes excusare. » Luc. XIV, 18; possunt tria potissima impedimenta, aquibusnon pauci a frequentiori Communione absterrentur, proponi, et removeri ; quorum primum indicatur per verba illa : « Villam emi, » et significat varia negotia et occupationes, quas aliqui pro excusatione prætendunt. Secundum per verba : « Quinque juga boum emi, » indicatur, et grave jugum inimicitiarum, contentionum, consuetudinum malarum, restitutionum debitarum significat, quo aliqui oppressos se, et a Communione impeditos fatentur. Tertium per verba : « Uxorem duxi, » indicatur, et conjugalem amorem ac debitum, quod non pauci pro excusatione afferunt, significat. Ostendatur proinde, quam inanes et frivolæ sint hæ excusationes, et probetur, potius inde occasionem et causam sumendam frequentis Communionis ; quem in finem conc. 5. n. 3 in Dom. 2, post Pent, in opere tripart. Fabri servire poterit.

Ex occasione Evangelii, in quo mulier, quæ fimbriam Christi tetigit, sanata fuisse commemoratur, explicentur causæ potiores, ob quas ex frequentiori licet Communione optatum fructum non referimus. 1. Videlicet, quia *non credunt a Christo sanari se posse*, adeoque desiderium ardens illum tangendi et sumendi non concipiunt. Excitentur ergo hi ad majorem fidem et desiderium, demonstrata virtute Eucharistiæ ad gravissimos etiam peccatores convertendos, idque probetur, tum ex potentia et charitate Christi, tum ex ipsa experientia aliquot exemplis comprobata. 2. Quia *non reverenter tangunt*, ut mulier illa, quæ fimbriam tantum attigit, non ausa ipsum Dominicum corpus palpare. Excitentur proinde et hi ad similem deinceps reverentiam exhibendam, tum dignitate illius, qui tangitur et sumitur, demonstrata, tum variis eum in finem exemplis tam brutorum, quam hominum, allatis. 3. Quia *non tangunt*, id est, non cooperentur Christo, vitando occasiones, adhibendo media ad peccata vitanda, habitusque malos extirpandos. Excitentur proinde ad hanc cooperationem, tum ipsa rei æquitate ostensa, tum exemplis ægrorum corporalis infirmitatis laborantium allatis. Servire ad hanc concionem non parum poterit concio 2. Fabri, in Fer. 2. Paschæ. Item Lud. de Ponte, in t. I, de Perf. tract. IV, c. VIII, § 1. Rodriq. p. II, tr. VIII, cap. XIII.

Eadem materia per parabolam seminis varium fructum afferentis explicari potest, dicique, 1. Quod semen hoc, id est Christus, interdum conjiciatur secus viam, apud illos scilicet, qui omnino indigne communicant,

utpote in mortali peccato constituti. 2. Interdum cadat in petrosam terram, apud eos scilicet, qui per malos habitus, et politica ac sæcularia mundi principia sunt indurati. 3. Quandoque cadat in spinas, apud eos, qui bonæ quidem voluntatis, sed variis curis et negotiis sæcularibus, puta rei familiaris, officiorum, liberorum educandorum etc. sunt implicati. 4. Tandem in terram bonam cadit, apud eos scilicet, qui debitam dispositionem afferunt, et, prout major vel minor est hæc dispositio, trigesimum, sexagesimum, aut centesimum fructum referunt. Ostendatur ergo, quam male agant, quantumque damnum patiantur priores, dum tam nobile semen sine fructu quasi perire sinunt, et excitentur omnes ad terram optimam, id est, mentem optime dispositam deinceps offerendam.

Videri potest Bromiardus in Summa, V. Eucharistia c. VI, n. 20.

De Cultu publico seu Processione ad honorem SS. Eucharistiæ instituta.

Explicari possunt causæ, cur similes processiones institutæ sint, nimirum. 1. Ad publicam fidei contestationem. 2. Ad debitum honorem Christo exhibendum. 3. Ad gratum animum pro tam ineffabili et plane divino dono demonstrandum. 4. Ad compensandas injurias a Judæis olim, et hodie a malis Christianis, toleratas. 5. Ad oppida et urbes muniendas, uti S. Clara feliciter suo exemplo docuit, dum SS. Sacramento in manus accepto hostibus urbem obsidentibus ad portam se ferri curavit, et in fugam eos conjecit. Quæ omnia fusius explicata videri possunt apud Fabrum, conc. 7 in festo SS. Trinitatis, et in Auctario Dom. 2. post Pent. them. 3, et apud Rupertum Lomesse, in conc. de festo Corp. Christi.

Eadem materia percommode explicari potest per solemnem illam processionem, qua David Arcam fœderis in civitatem suam introduxit. Et 1. quidem institui potest comparatio inter Eucharistiam et Arcam fœderis, et inde ostendi, quanto major reverentia illi, quam huic debeatur; pro quo fine servire possunt ea, quæ supra n. 10. dicta sunt. 2. Exemplo David ostendi potest, quomodo deductio ista fieri debeat, nimirum cum *gaudio*; cum *quinque choris*, id est, orationibus ferventibus; *congregatione populi universi*, id est, omnibus viribus tam interioribus, quam exterioribus; *immolationibus victimarum*, id est, sui ipsius oblatione (id quod pulchre Thomas Kemp. l. IV, c. VIII, de Imit. ostendit); *saltatione coram Arca in Ephod lineo*, id est, desiderio proficiendi in via virtutis et servitio Dei; *contemptu respectaum humanorum, et irrisionis a tepidis Christianis factæ*. Ad quæ omnia melius explicanda videantur, quæ Rodriqu. p. 2, tr. 8, cap. 3, 4, 5, discurrit.

Ostendi potest, qui potissimum processioni huic interesse debeant, videlicet, 1. *Cæci*, id est, non catholici. 2. *Claudi*, id est, tepidi Christiani, Christum ore confitentes, opere vero negantes. 3. *Debiles*, id est, debitam reverentiam et devotionem non ostendentes. 4. *Pauperes*, id est, omnes Christiani variis miseriis et oneribus quoad animam pressi. Quæ omnia fuse et pulchre probata videri possunt apud Fabrum, in Auctario, Domin. 2, post Pent. them. 4.

Explicari potest tota processio a Christianis institui solita, et ostendi, quomodo omnes illæ cæremoniæ spiritualiter in communione, per quam Christus in templum animæ introducitur, observare debeant. Et 1. quidem *Crux præferri*, id est, confessio institui. 2. *Perticæ floribus ornatæ, et lumine accenso instructæ portari*, id est, modestia et decentia exterior corporis præseferri. 3. *Musici congregari*, id est, laudes Christi per varias orationes decantari. 4. *Pueri, Angelorum in morem vestiti, comitari*, id est, variæ virtutes, fidei, spei, charitatis, humilitatis, etc. exerceri. 5. *Hostia in argentea et deaurata theca portari*, id est, Christus pura per innocentiam et per charitatem deaurata mente recipi. 6. *Sequi proceres et plebs*, id est, cœli cives ad communionem invitari. 7. *Ignes festivi per tormenta majora, minora, et minima seu sclopeta excitari*, id est, charitas erga Deum, proximum, et seipsum ostendi. 8. *Hymnus Ambrosianus decantari*, id est, debitæ pro tanto beneficio grates persolvi; ad quem finem iterum Rodriq. I, c. cap. 7 et 8, videri potest.

ALII CONCEPTUS.

Qualitas. — Rupertus Abbas quærens, cur Christus de cibo Eucharistico loquens, dixerit Joan. 6. *Hunc enim Pater signavit Deus*, sic respondet : Idcirco non nisi operantibus dabit hunc cibum Filius hominis, quia Pater

hunc signavit, hunc a communibus signis certo et proprio signo suo distinxit, ut, cum alios cibos omnes bonis et malis, operantibus et otiosis, communes fecerit, eadem largitate, qua solem istum visibilem facit oriri super bonos et malos, pluit super justos et injustos, solum hunc panem, hunc cibum, de quo nunc loquor vobis, numquam dare velit, nisi dignis, id est, operantibus opus Dei. Ita signavit, ita clausis omnibus cœlorum portis apud se continuit, ut non cum cibis communibus patiatur a canibus, vel a porcis inveniri. Rupert. Abbas, l. VI, *in Joan.* c. v.

Celebre est illud nulli non notissimum Assueri convivium, quod juxta unanimem sacrorum interpretum consensum, proprium Epuli Eucharistici est symbolum. Quod vero in eo ad nostrum præcipue propositum servit, loci est circumstantia. Etenim Susan civitas, in qua prædictum apparatum fuit convivium, omnium in Persia et Babylonia urbium nobilissima erat, versus flumen Coaspe, in situ delicioso et amœno collocata, denominationem suam trahens a liliis, quibus abundabat. In lingua namque Persica et Hebræa Susan, *Lilium* sonat. Ac proinde ecce urbis accomodatissimam analogiam : Candidus namque et immaculatus Agnus Sacramenti pascitur inter lilia, et pascit illa, id est, unicum ejus delicium consistit in alendo et nutriendo animas puras et continentes, inque iis sua reperit pascua. Mansi, disc. xiv, n. 12.

Alios inter ritus Ecclesiasticos olim ille non exstitit infimus, qui circa Agni Paschalis, primariæ hujus Sacramenti figuræ, esum, his verbis a Deo præscriptus fuit : « Caput cum pedibus ejus et intestinis vorabitis. » At vero quorsum Sapientia increata exiles admodum cæremonias scribendas censuit? Utique per relationem, et propter allegoriam ad Agnum immaculatum et Eucharisticum. Unde S. Bernardinus ait: Præceptum erat, quod caput Agni cum intestinis et pedibus vorari deberet. In quo mystice designatur, quod in hoc Sacramento totus Christus cum Divinitate et Anima et Corpore ibi continetur, et sumitur. Caput Divinitas, intestina Anima, pedes vero sunt Corpus Christi. S. Bern. serm. lvii, a. 3, c. i.

Utilitas. — Aperuit Joseph horrea tempore famis, et ministrabat populis ; hoc et de nostro dictum est : *Oculi Domini super justos*, et sequitur ; *ut eruat animas eorum a morte, et alat eos in fame ;* nimirum illa, quam Deus per Amos comminatur dicens : « Mittam famem in terram, non famem panis, sed audiendi verbi Dei, » in hac fame positus noster Joseph, Christus Dominus, ex horreis suis nobis Divinam sui Corporis annonam ministrat.

E Paradiso terrestri quatuor universam terram irrigaturi olim directi fuere fluvii ; hoc autem copiosissimum non aquarum, sed gratiarum, donorum, bonorumque inæstimabilium, non terrestris, sed cœlestis Paradisi flumen, sancta, inquam, Eucharistia, innumeris nos replet et irrigat cœlestium Charismatum torrentibus ; quem conceptum his nobis verbis repræsentat S. Chrys. : Ex Paradiso fons scaturiit, a quo sensibiles fluvii emanarent ; a mensa hac prodiit fons, qui spiritales diffundit fluvios ; juxta hunc fontem non steriles salices germinant, sed arbores cœlum ipsum attingentes, quæ fructus solidos semper producunt, Sacramenta reliqua, tanquam tubi et canales, divinam ad nos transfundunt gratiam. Eucharistia autem ipsemet *fons* est *aquæ salientis in vitam æternam ;* Paradisi vivam in se recludens scaturiginem, quæ hæc gratiarum aqua reliqua omnia Sacramenta fecundat. S. Chrys. hom. xlv, *in Joan.*

Cujus super omnia alia Sacramenta eminentiam obstupescens S. Bernardus, cœlestem hanc mensam sequentibus honorat epithetis : Potesne æstimare, quale vel quantum est hoc Sanctum Sanctorum et Sacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum ? Hic bibuntur in loco uberi torrentes lactis, flumina mellis, liquores balsami cœlestis. S. Bernardus, *in Cœna Dom.*

Exodi 12. Deus præcepit Israelitis, ut baculum in manibus tenentes Agno se Paschali reficerent : « Sic autem comedetis illum, tenentes baculos in manibus. » Potius illis in procinctu ad proficiscendum in terram promissionis constitutis, atque ab Ægyptiis hostiliter agitatis, præcipiendum fuisse videtur, ut manus ense, pedes vero calcaribus armarent. Nazianzenus mysterium hoc explicans, inquit : Hic lex fulcientem baculum tibi præscribit, ne animo titubes, cum sanguinem Dei et passionem audis, et impie corruas. Verumtamen clarius dicere possumus, quod, sicut baculus debilitatem nostram sustentat, ne corruamus, eodem modo quamdiu viatores sumus, Deus, qui cognovit figmentum nostrum, de hoc nobis viatico

providit, ut eo confortati in pedibus sustentemur, quia panis cor hominis confirmat. Unde Nazianzenus hominem sacra Communione refectum his verbis alloquitur : Innixus sta firmus et stabilis, atque ita comparatus, ut nulla in re quatiaris ab adversariis. Nazianz. *Orat.* c. xliii.

Anno 528, cum civitas Antiochena horrendis terræ motibus quateretur, multæque inde domus corruerent, Deus cujusdam viri religiosi animo inspiravit, ut civibus suaderet, ut hæc verba portis civitatis inscriberent : *Christus nobiscum stat.* Quibus verbis foribus civitatis inscriptis, mox omnis terræ motus cessavit. Unde sequens indissolubile formare possumus argumentum : Si hæc verba ad sustentandum domuum muros, ne ex terræ motu caderent, tantæ efficaciæ fuerunt, quanto magis quilibet Christianus, sumpto hoc Sacramento, ab omni ruina securus esse poterit, quippe qui ejusdem Dei in Sacramento existentis corporalem in corde suo habet præsentiam? Inter alias vero concussiones, validioresque ventos, quibus lutea nostra hæc domus conquassatur, impetuosissimi sunt inordinati nostri appetitus, tentationes sensuales, motus et stimuli carnis, aliæque iræ, odii, avaritiæ, et similes passiones, quibus Eucharistia efficaciter resistit. Unde Ecclesia providit, ut in gratiarum actione post Communionem (quando vere dicere possumus, *Christum nobiscum stare*) inter alia hæc quoque devota verba dicantur : « Sit motuum meorum tam carnalium, quam spiritualium perfecta quietatio, in te uno ac vero Deo firma adhæsio. » Et merito quidem id ipsum ab hoc Sacramento expectatur; nam, ut S. Bernardinus Senensis ait : Hoc Sacramentum roborat habitum gratiæ, ex quo tamquam ex armatura animæ, mens a pravis cogitationibus defensatur.

S. Bonaventura illam e libro Tobiæ adducit historiam, ubi Tobias junior ad flumen Tigris pedes loturus, a pisce invasus, modumque eum capiendi per Archangelum edoctus fuisse legitur : Quam rei gestæ seriem ita nostro accomodat proposito : Piscis iste est diabolus, hic quia humanum genus devoraverat, Deus Pater hamum contra ipsum misit, Filium suum; « an extrahere poteris Leviathan hamo? » (Job. xl, 20); invadens ergo diabolus escam humanitatis, captus est hamo Deitatis. S. Bonav. *in Cœna Dom.*

Numa Pompilius de inimicorum contra se adventantium furiis monitus, intrepide respondit : « Et ego sacrificabo. » Potius urbes munitionibus, et necessariis militibus, aliisque provisionibus instruere debuisse videtur; sed accuratior veritatis ponderator spem totam in Sacrificiis collocandam censuit; in sacrificiis, inquam, ovium, aliorumque pecorum, quæ falsis numinibus et dæmoniis offerebantur. Quanto igitur majorem confidentiam populus Christianus in similibus angustiis et pressuris concipere debet, et dicere : « Ego sacrificabo. » Atque id ipsum in verbis Isaiæ nobis insinuatur, quibus asseritur : « In bellis præcipuis expugnabit eos, (scilicet Assyrios,) ad elevationem in sacrificiis. » Isaiæ, c. xxx, 32. Interprete Cornel. a Lapide in hunc locum. Mansi, *disc.* xxii, n. 4.

In Lib. III. Regum, c. iv, 25, dicitur : « Habitabat Juda et Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua, cunctis diebus Salomonis. » Ast quale eos habuisse putatis tantæ pacis et ab hostili incursu immunitatis pignus? Utique non aliud, quam quia sub gubernio Regis pacifici degebant. Verumtamen *ecce plusquam Salomon hic*, qui sub Sacramenti hujus umbra vivit, nullum pertimescit inimicum insultum. Unde Origenes inquit : Tibi dabitur, ut requiescas sub vite tua, quæ est Christus Jesus; quod ut stabiliat, plenius ad illa alludit Sacramentum hoc instituentis Christi verba : « Non bibam amodo de hoc genimine vitis, » quia nimirum sub vitis illius umbra, quæ vinum producit germinans virgines impavidi requiescimus. Orig. hom. xv *in Jos.*

Quando Cantic. 4 dicitur : « Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium; » per sponsam hanc Ecclesia designatur; ast quare, obsecro, collum potius, quam quæcumque alia pars corporis, turri, armamentario, et inexpugnabili comparatur propugnaculo? Causamne nostis? De hoc agebatur Sacramento, quia nimirum collum vehiculum est cibi, nutrimenti et potus, quibus totus sustentatur corroboraturque corpus; non itaque ulla pars corporis alia aptius significare potuisset effectus hujus panis et Eucharistici vini, quorum utrumque est turris inexpugnabilis. Atque hanc forte ob causam, Felix, Episcopus Bituricensis, vas fabricari jussit aureum in formam turris, ad custodiendam

Eucharistiam, quam et Ecclesia Sancta in vasis, tabernaculorum (quales militares sunt casæ et tentoria) figuram exprimentibus, custodire consuevit. Mansi, *disc.* xxii, n. 8.

Cum David, inter tria sibi proposita flagella, pestem elegisset, eo tempore, quo populus hac strage flagellabatur, obtulit holocausta pacifica et propitiatus est Dominus; nimirum Altare quoddam erexit, et super illo obtulit holocaustum, incruenti Sacrificii symbolum; sed ubi, quomodo, et quo tempore illud obtulit? Observandum, quod Spiritus Sanctus non sine mysterio post oblatum holocaustum multas consequentes referat circumstantias; dicit enim : « Misertus Dominus super afflictione, ait Angelo percutienti populum : Sufficit nunc, contine manum tuam. » Sed ubinam tunc Angelus erat? Sacer Textus ait : « Erat autem Angelus Domini juxta aream Areunæ Jebusæi;» circa quæ verba notandum, quod Angelus nondum areæ huic pedem intulerat, sed tantum illi propinquius erat, quia juxta aream; in area autem, ut omnibus notum est, colligitur et excutitur frumentum ad faciendum panem; ecce tibi igitur, quando Angelus juxta hujus panis et frumenti electorum figuram (quantumvis remotam) stabat, Deus illi, ut Divinæ justitiæ ensem in vaginam reconderet, præcepit. Sed ubinam David Altare erexit, et in quo loco holocaustum hoc obtulit? « Emam a te aream, inquit, ut ædificem Altare Domino, et cesset interfectio, quæ grassatur in populo; » et ait Areuna ad David : « Accipiat et offerat Dominus meus Rex, sicut placet ei. » Ubi, ut vides, in medio areæ frumenti Altare ad propitiandum et placandum Deum erigitur; quæ omnia in figura hujus Sacramenti contigerunt, per quod Deus nobis propitius efficitur. Id. *disc.* xxiii. n. 9.

Otho Imperator duos aliquando nactus, ambiguo jure decertantes de agri cujusdam dominio, cum nesciret, cui justitia plausibilis faveret, ut utrique satisfaceret, terram illam emit, uni prætendentium pretium, alteri agrum ipsum consignans. Ita pariter imaginari nobis possumus cœlum concertasse et terram, circa inæstimabilis Corporis Christi thesauri contentionem; ut itaque utrique satisfaceret Imperator cœlestis, modum reperit, ut Christus et in cælum rediret, simulque eodem tempore per præsentiam corporalem degeret, subsisteretque in Ecclesia. Unde Drogo Ostiensis ait : Ecce sublatus es, amplius te tuus non videbit Elisæus, remansit tamen ei pallium tuum in memoriam tui, ut præsentia absentiæ tuæ dolorem ejus semper et augendo leniat, et leniendo augeat. Pallium tuum est caro tua. Drog, l. I. *de Sacram. Dom. Pasc.*

Ideoque et S. Bonaventura de Eucharistia tractans, citata pariter applicat Salvatoris verba, dicens : Unde inquit Christus : « Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. »

MISCELLANEA.

QUALITAS.

De Eucharistia secundum se.

S. Catharinæ Senensi Deus dixit : Uniuscujusque creaturæ rationalis cor ex amore solvi deberet, quo Deus nos afficit, dando nobis suum SS. Corpus et Sanguinem in Eucharistia. *Dial.* cxi. Et merito : nam ut S. Laurentius Justinianus recte dixit, hoc beneficium nec humanus valet explicare sensus, nec Angelicus intellectus, sed solus ille novit, qui solus voluit et potuit facere in eo tanta ac talia, ubique omnipotens, ubique gloriosus. S. Laur. Just. lib. 1. *de Casto Con.* c. xxiv.

Artaxerxes, Persarum Rex, cum ad eum Themistocles a suis expulsus venisset, tanto gaudio repletus est, ut ter noctu a somno evigilans exclamarit : *Themistoclem habeo* ! Quid faciet, qui Christum hospitem habere meretur? Plutarc. *in Themist.*

Jonathas amorem suum erga David ostensurus expoliavit se tunica sua et reliquis vestibus usque ad carnem, teste Tostato. Quantus amor Christi, qui ipsa etiam carne sua se expoliavit, et illam nobis dedit! Tostatus. q. 10. in l. I. *Reg.* c. xvi.

Arthemisia, Cariæ Regina, tanto maritum suum amore dilexit, ut non tantum Mausolæum miraculis mundi annumeratum erexerit, sed etiam ossa et cineres illius odoribus permixtos imbiberit, ut sic vivum mariti sepulchrum fieret. Sed major Christi amor, qui etiam quoad carnem nobis uniri voluit. Agellius. 10. *noct. Attic.*

Veteres Christiani peracta S. Communione *Christophori* vocitabantur, quasi Christum ferentes. S. Cyrill. *Catech.* 4.

Theodosius Imperator sacris interdictus

iu hæc verba erupit : Ego gemo calamitatem meam, quia servis et mendicabulis patent templa Dei, et Dominum suum exorantes ingrediuntur; mihi vero ad eum ingressus non patet; insuper et cœli mihi clausi. Ita ille, quid ad hoc illi, qui sponte sua se hoc supplicio puniunt, et Communione privant? Niceph. l. XIII.

Incredibilis erat amor David in Jonatham, cujus filio Miphiboseth claudo dixit : Restituam tibi omnes agros Saul, et tu comedes panem in mensa mea semper. Quantus amor Christi, qui etiam se ipsum nobis in cibum apponit! II. Reg. IX, 7.

Persæ Regis sellam tam eximio cultu venerantur, ut in ea quemquam alium sedere capitale sit. Hinc Alexander militem frigore pene enectum in sua sede collocans dixit : Ecquid intelligis, quanto meliore sorte, quam Persæ, sub Rege vivatis? Nam illis in sella Regis sedere, capitale foret, tibi saluti fuit. Curtius. l. VIII. c. VII. Sed quanto melior conditio Christianorum, qui etiam in sinum a Christo recipiuntur!

Cum S. Ludovicus, qui fuit tertii Ordinis S. Francisci, anno 1249, captus Sultano fuit, ob ejus liberationem petierunt Barbari sibi tradi in pignus Sacrosanctam Eucharistiam, quia perspecta erat eis Regis pietas, quæ non sineret pignus illud in manibus hostium detineri; aut, si eam negligeret redimere, æternum Christianis dedecus maneret, eos in manus hostium Deum suum tradidisse. Oppignorata est itaque Eucharistia, et S. Ludovicus liber fuit dimissus ; qui fideli pecunia missa SS. Eucharistiam redemit. In ejus rei memoriam Saraceni aurum signarunt, Hostia Calici superincumbente; eadem in picturis et tapetibus Ægyptiorum visuntur. Immo et Cayri in introitu portarum visuntur etiamnum ipsamet insignia, Calix scilicet cum Hostia et duobus Angelis utrinque thus adolentibus. Denique ipsa Saladini Sultani effigies gerit in manu sceptrum aureum, cujus summitas Calice cum superimposita Hostia, seu ciborio Eucharistico adornatur, cum hac inscriptione : « *Victoriæ testis.* » *Bibl. Paup.* l. I. *de jur.*

Mystici quidam doctores de Dei Matre tradunt, eam ab accepto rursus in viscera, quasi pro viatico, SS. Filii Corpore, incorruptis etiamnum speciebus, vi amoris in præsentem Filium animam exhalasse, atque adeo SS. Eucharistiam cum corpore B. Virginis translatam in cœlum, hodieque manere in Virgineo pectore perspicuo, ut in crystallo perlucida, ut a Beatis summa cum voluptate, velut fons resurrectionis, tota æternitate adoretur. Engelgr. *de Assum. B. V.* §. 2.

Catharina, vidua Paraquariensis, etiam post mortem virtutis et pudicitiæ studiosa, ut huic alimenta apte subministraret, castæ mentis vigorem Angelorum pane alebat, cujus in primis erat appetens. Forte postridie, quam vires eo cœli commeatu refecerat, rus comite filiolo petebat, cum eam insidiator impurus invasit, et primum blandus ad flagitium sollicitavit, dein minas ac vim adhibuit; at Catharina vires ab animo mutuata, invasorem fortiter repulit, gravique vultu ac oratione : « Tigris, inquit, prius ac mille pestes hoc corpus invadent, quam ut illud sceleri prostituam. Si vim paras, eam ut homicida vitæ inferes, numquam pudori; nec unquam efficies, ut heri ad Dei convivium admissa, hospitium ipsius hodie tanto sacrilegio profanem.» Nefarius muliebri victoriæ indignatus, e proxima silva raptim ramum corripit, quem in laquei modum sæpius contortum nihil vel in sententia, vel nutu mutantis collo injicit, ac tandem illam ad extremum usque spiritum constantem sparto tunc suffocat, deinde puellum a morientis sinu avulsum terræ illidit, ac maternæ constantiæ reum immanis carnifex necat, et utrumque corpus terra obruit. Non potuit diu nec scelus, nec virtus latere. Eruta cadavera solemnissima pompa (utpote Martyrum) templo illata fuere, ac funebri oratione heroinæ virtus laudata. Sicarius ipse tanti facinoris postea pœnitens, ad Catharinæ laudes hoc præcipuum caput adjecit, eam non magis alia de causa tunc a flagitio abhorruisse, quam quod reverentiam Deo hospiti, quem heri recepisset, deberi causata, nullum diceret se supplicium, ita ut violati divini hospitii, immo templi, dedecus, formidare. *Messis Paraquar.* f. 228.

Abominabile, et omnibus diris execrandum est facinus, quod ante paucos annos in Gallia contigit. Noctu Parisiis fuit Sacerdos e domo sua jussus ab ignotis in currum paratum conscendere ; et is per platearum ambages vectus, ad ædes magnificas venit. Adducitur illuc in aulam amplam, ubi nobilitas multa virorum ac mulierum fuit, sed personata, ne posset agnosci. Ibi in erecta ara jubetur Sacrum facere; excusanti se jejunum non esse, mortem intentant. Sacri-

ficium igitur inchoat. Ubi venit ad consecrationem, iterum tactus religione Sacerdos cunctatur, sed iterum jubetur pergere, aut mori. Ubi vero ad sumptionem venit, jubetur abstinere. Ac mox duo ephebi in vase aut patina aurata bufonem adferunt, ei jubent sacram Hostiam dari, ea data, magna cum pietatis imitatione et modestia omnes cæteri adstabant. Sacerdos dein iterum ad currum ductus, per easdem ambages ad suas ædes fuit eadem rheda avectus. *Ex Principis de Longueville Relat.*

Effectus. — Inter mirabilia mundi hoc nonnulli graves auctores referunt, esse fontem quemdam, ad quem si placidis oculis et in eum semper defixis accesseris, aquam puram invenies ; sin ab eo oculos alio deflectas, aut cum alio loquaris, turbidam. Sic Eucharistia, de qua recte S. Thomas : Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali vitæ vel interitus. Granat. *in Silva* v. *Euch.* f. 696.

Duo insignia xenodochia in ægrotantium subsidium Toleti destinata sunt, alterum ad ægrotos decumbentes, alterum ad reconvalescentes reficiendos, ne iterum in morbum relabantur. Sic Christus duo Sacramenta instituit, Pœnitentiæ pro peccatoribus lapsis, Eucharistiæ pro justis, ne amplius labantur. Ib. f. 699.

Rahab meretrix salutem consecuta est cum tota domo sua, quia ducis a Deo missi exploratores semel excepit ; quid non sperabit, qui Filium Dei a Patre cœlesti missum, sæpius devote receperit ? S. Aug. *in serm.* xviii. *Soc. Luc.*

B. Magdalena de Pazzis aiebat, animam, suscepta Eucharistia, posse vere dicere cum Christo : Consummatum est ! quia in hoc cœlesti cibo omnia bona continentur, utpote per quem Christus producit omnes virtutes, et bona, et gratias, adeo ut nihil amplius desiderare possit, cum in eo sint omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei. Alias dicebat, unam Communionem bene factam sufficere ad animam faciendam perfectam. *Vita*, p. IV, c. iv. Hinc dicebat suis Novitiis : Si desideratis brevi venire ad perfectionem magnam, accipite pro Magistro vestro Christum Crucifixum, attentas illi præbete aures, quia perpetuo loquitur in corde, sed præcipue in illa hora, quando recepistis SS. Sacramentum. *Vita*, I p. c. lxv. Alio tempore vidit ordines Religiosos significatos per multas semitas ornatas arboribus et vitibus, et in eis vidit aliquos pasci uvis, eos videlicet, qui cum magno fervore Eucharistiam suscipiebant ; alios evellere vites, et earum loco spinas serere, nempe eos, qui cum exiguo fervore et gustu Communionem peragunt. *Vita*, p. IV, c. xiii. Quondam ex divino lumine cognoscebat, Eucharistiam esse mammillas Christi, per quas divinæ dulcedinis suavitatem sugimus. Ib. c. xv.

Hippocratis jusjurandum erat : In quamcumque domum ingressus fuero, ad ægrotantium salutem ingrediar. Sed rectius hoc Christo attribuitur. Nadasi, *in Anno Eucharistico, heb.* x.

Achilles cervorum medullis sub Chirone educatus, adeo valebat cursu, ut Pindarus dicat, eum cervos sine canibus assecutum. Quam agilis fiet ad perfectionem assequendam, qui carne Filii Dei pascitur ? Ibid. hebd. 44.

Quamprimum sacerdotes arcam fœderis portantes aquam Jordanis ingressi sunt, steterunt illæ, et montis instar intumescebant; posteriores vero omnino in mare mortuum descendebant. Quanto magis sperandum, si Christus corpus nostrum subeat, peccata præterita omnino delenda, ea vero cohibenda, quæ de novo nos aggrediuntur? Jos. iii, 35.

Cum miles quidam in castris Gedeonis vidisset in somno subcinericium panem ex hordeo in castra Madian devolvi, eaque percutere et subvertere, Gedeon hoc audiens adoravit, et reversus ad castra Israel dixit : Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian. Quidni magis Christus, per panem hunc figuratus, similem effectum in anima producet? Jud. vii, 25.

Si Elisæus cum pallio ab Elia relicto accepit duplicem Spiritum ejusdem, ita ut alter Elias crederetur, quanto magis Corpus Christi nobis unitum, etiam Spiritum illius nobis communicabit? IV Reg. ii, 15.

Macrobius ait : In moribus inolescendis magnam fere partem nutricis ingenium et natura lactis tenet. Hinc Remus et Romulus lacte lupæ lactati, ad latrocinia propensi. Uxor Marci Catonis etiam ancillæ filios lactabat, ut iisdem moribus, quibus proprii filii præditi fuerant, imbuerentur, eosque uti germanos amarent. Imo Nicesias hortabatur Alexandrum, ne muscas abigeret, sic enim ejus sanguine pastas excellentiores longe fore, quam cæteras. Qualis fiet, qui a

Christo velut mamilla Dei pascitur, et lactatur? Lanciz. opusc. XIII, l. IV, c. IV.

Si Jacob dixit ad Laban : Modicum habuisti antequam venirem ad te, et nunc dives effectus es, benedixitque tibi Deus ad introitum meum ; quid non sperabimus ad Christi ingressum ? Gen. XXX, 30.

Mithridates, Ponti Rex, cum Mithridaticum medicamentum invenisset, ita suum corpus per hoc corroboravit, ut, cum postea ad Romanam captivitatem evitandam veneno vitam abrumpere vellet, non potuerit. Quanto magis, qui cœlestem hanc medicinam frequenter et pie sumet, efficiet, ut mori æternum non possit? S. Franc. Sales. *in Introd.* p. 2, c. XX.

Si fructus molliores, et corruptioni præ aliis obnoxii (puta cerasa, poma annenia, et fraga) facili negotio per totum annum conservantur, si saccharo aut melle condiantur; quanto magis sperandum erit, corda nostra, tametsi fragilia et imbecilla, a peccati corruptione præservatum iri, si ab incorruptibili Carne et Sanguine Filii Dei condita fuerint ? Ibid.

Quemadmodum homines, in Paradiso terrestri agentes, secundum corpus mori non poterant, idque vi et efficacia ligni illius vitæ, quod in medio ejus Dominus plantarat ; sic spiritualiter iidem mori non poterunt, si de fructu hujus SS. Sacramenti, quod est vere arbor vitæ æternæ, gustaverint. Ibidem.

Eucharistia, dulce verbum, vox melliflua ac suavitate plenissima ! Etenim interpositis hujus verbi litteris, quid invenis, nisi hoc anagramma : Cithara Jesus?

Interrogatus quidam pius poeta quid esset *Sacramentum Eucharistiæ* ? ingeniose respondit : Chara Ceres mutata in Jesum, quasi dixisset per hoc anagramma : Frumentum cui, apud Ethnicos, præerat Ceres, convertitur, apud Christianos, in carnem Jesu, prolatis SS. Mysterii verbis.

AUCTORES.

Alphonsius Rodr. p. II, *de Exercitio perfectionis*, tr. VII.

Hieremias Drex. *in Rosis lectis*, part. II, cap. VIII. Item, *in Zodiaco*. Symb. III.

Nicolaus Lancizius, opuscul. spiritual. 14, *de Efficacia Eucharistiæ*.

Philippus D'Outreman, *in Pœdagogo Christiano*, part. II, cap. XVI.

Joannes Nadasi, *in Anno Eucharistico*.

EXAMEN CONSCIENTIÆ.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est seria super actiones suas quotidianas reflexio ; ad quam jam olim S. David hortatus est dicens : Irascimini, et nolite peccare ; quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Divisio. — Dividitur in *universale* et *particulare ;* illud circa omnes diei actiones; hoc circa unam dumtaxat ac particularem materiam, occupatur. Rodriq. p. 1, tr. 7.

Actus Generalis Examinis.— Primus est, *Deo pro acceptis beneficiis gratias agere ;* quæ quidem actio, ut S. Bernardus monet, debet esse devotione plenissima et deliciis affluens, ne contingat nobis, ut tanto gravius de ingratitudine judicemur, quanto magis accumulatis beneficiis ingrati probaremur extitisse. S. Bern. s. *de 4. mod. orandi.* Clarius vero, quomodo hæc gratiarum actio fieri debeat, explicat alibi, dum ait : Disce in referendo gratiam non esse tardus aut segnis, disce ad singula dona gratias agere. Diligenter considera, quæ tibi apponuntur, ut nulla videlicet Dei dona debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla. Denique jubemur colligere fragmenta, ne pereant, id est, nec minima beneficia oblivscii. Serm. LI, *in Cant.* Sic enim, ut inquit S. Chrysost. continuam gratiarum actionem Domino poterit exhibere. Hoc maximum est sacrificium. Hæc oblatio perfecta. Hoc fiduciæ nobis fiet occasio. S. Chrys. hom. LXXII, *ad Pop.*

Secundus est, *lumen a Deo petere ad peccata sua cognoscenda et deflenda.* Quod tanto ardentius faciendum est, quanto clarius nobis constat, nos in vitiis alienis lynces, in propriis perspiciendis talpas esse.

Tertius est, *rationem a se cogitationum, verborum, ac operum exigere.* Quis enim, inquit Hierocles Ethnicus, ita alium alius, atque se commonefacere valeat ? Quod enim sui juris est, si naturæ libertate utatur, aliorum consilia facere respuit, cum illis parere non

statuit, at non potest non audire se necessario, quæ intus est ratiocinandi vis. Istam Deus esse voluit, quæ nostri curam gereret, istam ducem atque magistram ; istam etiam tunc judicem diurnorum operum ratio efficit, et factum ab ea judicium complectitur, ut suum ipsa calculum adjiciat, quidnam in se vel laude, vel reprehensione dignum judicet. *Apud Stobæum*, s. III.

Hinc S. Laurentius Justinianus ait : Quisquis virtutum amator est, sui diligens inquisitor sit. Quo impulsa, quove affectu ipsius moveatur mens, considerare non negligat. Multi varii sunt interioris animi motus, et ad cognoscendum difficiles. Quid vero potissimum examinandum sit, jam olim Pythagoras discipulos docuit, dum eosdem monuit, ut mane et vespere se de tribus examinarent : quid fecissent? quo pacto fecissent? et quid tandem eorum, quæ facere oportebat, omisissent?

Quartus est, *dolore de peccatis commissis ;* quod quotiescumque facit homo, toties Dei Filius inæstimabili novæ exultationis suavitate affectus, eadem verba (scilicet : Vidi civitatem sanctam Jerusalem) concinit Deo Patri, uti S. Gertrudis divinitus intellexit. Hinc, teste S. Bernardo, diligit Deus animam, quæ in conspectu ejus et sine intermissione considerat, et sine simulatione dijudicat semetipsam. S. Bern, serm. III, *de Adventu.*

Quintus est, *propositum emendationis concipere ;* cum hoc enim, ut eadem S. Gertrudis intellexit, veraciter efficitur homo tabernaculum Dei, in quo tanquam in domo propria habitare dignatur Dominus majestatis, Sponsus animæ amantis.

Actus Examinis Particularis. — Primus est, *mane propositum serium concipere, vitandi aliquem certum defectum, aut virtutem exercendi ;* cui proposito non immerito illud Ascetæ applicari potest : Secundum propositum nostrum cursus profectus nostri. Lib. I, c. XIX, § 2, *de Imit. Christi.*

Secundus est, *dolere de lapsu, manu pectori admota, quoties ceciderit;* electi enim, teste S. Gregorio , culpis suis numquam sciunt parcere, ut possint culparum Judicem placatum invenire. S. Greg. l. I, *Mor.* c. XVII.

Tertius est, *sub noctem numerum lapsuum examinare* ; et sic quodammodo cum S. Job dicere: Quantas habeo iniquitates et peccata? Scelera et delicta mea ostende mihi. Job. XIII, 23.

Quartus, *diem cum die, hebdomadem cum hebdomade conferre*, uti S. Chrysost. monuit , dicens : Ne ita simpliciter jejuniorum hebdomadæ prætereant, scrutemur suam quisque conscientiam, et rationem examinemus, et consideremus, quidnam in hac hebdomade probe actum sit, quid in alia, et quale augmentum fecerimus ad sequentem ; quas in nobis affectiones correxerimus ? S. Chrys. hom. XI, *in Gen.* Cujus collectionis fructum alibi ostendit, dum ait : Discamus igitur et vitia nostra recensentes, ea tempore corrigamus, et hoc mense unum, alio aliud, et ita subsequenter meliores efficiamur. Sic enim tanquam per gradus ascendentes per scalam Jacob ad cœlum perveniemus. Etenim scalæ illæ mihi per illam visionem paulatim per virtutes ascensum significare videntur, per quam a terra ad cœlum ascendere nobis licet, non gradibus sensibilibus, sed morum incremento et correctione. Idem, hom. LXXXVIII, *in Joan.*

Quintus est, *pœnitentiam sibi pro numero lapsuum injungere*, juxta S. Petri consilium dicentis olim Simoni : Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia, et roga Deum, si forte tibi remittatur hæc cogitatio cordis tui. Act. VIII, 22. Quod quidem ille de interna potissimum pœnitentia intellexit, merito tamen etiam in hac materia de externa intelligi potest; nam judicis officium est, non tantum accusationes audire , et absolvere , sed etiam damnare, et mulctam dicere.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Irascimini, et nolite peccare ; quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. Ps. IV, 5.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. Ps. L, 4.

Meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum. Ps. LXXVI, 7.

Ecce constitui te hodie super gentes et regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes. Jer. I, 10.

Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti. Revertere, virgo Israel, revertere ad civitates tuas istas. Usquequo deli-

ciis dissolveris, filia vaga. Jer. xxxi, 21.

Nunc autem oculus meus videt te (et me); idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere. Job. xlii, 5.

Super speculam Domini ego sum stans jugiter per diem, et super custodiam meam, stans totis noctibus. Is. xxi, 8.

Confitebor adversum me injustiam meam, et Dominus remittet impietatem peccati mei. Ps. xxxi, 5.

Necessitas. — Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti. Job. ix, 28.

Per agrum pigri hominis transivi, per vineam viri stulti (seipsum cognoscere et scrutari negligentis) et ecce totum repleverant urticæ, et operuerunt superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat. Prov. xxiv, 30.

Utilitas. — Verumtamen vias meas in conspectu ejus arguam, et ipse erit Salvator meus. Job. xiii, 15.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas. — Disce in eo secundum communis instituti leges tu tibi præesse, et vitam ordinare, et mores componere, et temetipsum judicare ; teipsum apud teipsum judicare, sæpe etiam condemnare, nec impunitum dimittere. Sedeat judicans justitia, stet rea, et seipsam accusans conscientia. Nemo te plus diligit, nemo fidelius judicabit. Mane præteritæ noctis fac a temetipso exactionem, et venturæ diei tu tibi indicito cautionem. Vespere præteritæ diei rationem exige, et supervenientis noctis fac indictionem. S. Bern. s. *de Inter. Dom.* c. xxxi.

Ecce habes codicem, ubi scribas quotidianum expensum. Habeto codicem conscientiam tuam, et scribe quotidiana peccata. Quando accubueris super stratum tuum, profer in medium codicem conscientiam tuam, et reminiscere peccata tua. Dicito in corde tuo : Expendimus diem, o anima, quid boni fecimus, aut quid mali operati sumus ? Et si quid boni fecisti, gratias age Deo ; si quid mali, de cætero ne facias. S. Chrys. in Ps. 50.

Reproborum esse proprium solet, semper prava agere, et numquam, quæ egerint, retractare ; omne enim, quod faciunt, cæca mente pertranseunt, factumque suum, nisi cum puniti fuerint, non agnoscunt. At contra electorum est, actus suos quotidie ab ipso cogitationis fonte discutere, et omne, quod turbidum profluit, ab intimis exsiccare. S. Greg. § 5. *Mor.*

Optimus ille trapezita est, qui quotidie vesperi lucrum ac detrimentum omnino computat. Quod scire manifestius non potest, nisi horis singulis in tabulis omnia denotet ; nam cum calculi singulis horis ponuntur, totius diei ratio clarius postmodum cognoscitur. S. Clim. gr. 5.

Efficiamur secundum præceptum Domini, probabiles trapezitæ, quorum summa peritia est ac disciplina, probare, quodnam sit aurum purissimum, et ut vulgo dicitur, obryzum, quodve sit minus purgatione ignis excoctum, æreo quoque vilique denario, si pretiosum numisma sub colore auri fulgentis imitetur, prudentissima discretione non falli ; et non solum numismata tyrannorum vultum exprimentia sapienter agnoscere, sed etiam illa, quæ sunt veri Regis quidem imagine insignita, sed non legitime figurata, peritia sagaciore discernere ; deinde ne quid illis a legitimo pondere diminutum sit, censura trutinæ diligenter inquirere. Quæ omnia nos quoque debere spiritualiter observare. Evangelicus sermo sub hujus nominis demonstrat exemplo. Cass. *Coll.* 1. c. xx.

Scrutemur, juxta Prophetam, vias nostras, et studia nostra, et in eo se quisque judicet profecisse, non cum invenerit, quod reprehendat, sed cum, quod invenerit, reprehendet. Tunc te non frustra scrutatus es, si rursum opus esse scrutinio advertisti. Et toties te non fefellit inquisitio tua, quoties iterandam putaveris. Si autem semper hoc, cum opus est, facis, semper facis. S. Bern. s. lviii. *in Cant.*

Necessitas. — Quis ita ad unguem omnia a se resecavit superflua, ut nihil habere se putet putatione dignum ? Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras, si vitia putas emortua, et non magis suppressa. Medium denique vitiorum virtus tenet, ac proinde sedula eget non solum putatione, sed et circumcisione. Alioquin verendum, ne circumquaque a lambentibus vel potius a rodentibus vitiis, illa, dum nescis, paulatim elangueat, aut si supervenerint, suffocetur. Unum in tanto discrimine

consilium est, observare diligenter, et mox, ut renascentium capita apparebunt, prompta severitate succidere. Non potest virtus cum vitiis crescere. Ergo ut illa vigeat, ista crescere non sinantur. Tolle superflua, et salubria surgunt; utilitati accedit, quidquid cupiditati demis. Nobis, fratres, putationis semper est tempus, sicut semper est opus. B. Bern. ser. lviii *in Cant.*

Nihil est, quod sic quisque debeat cogitare, nisi ut in seipsum oculos conjiciat, se discat, se discutiat, se inspiciat, se quærat et se inveniat, et quod displicet, necet; et quod placet, optet et plantet. S. Chrys. hom. i, in Ps. 50.

Sicut non sentimus, quomodo crescunt membra, proficit corpus, mutatur species, nigredo capillorum albescit in canis (hæc enim omnia nobis nescientibus aguntur) ita mens nostra per momenta vivendi ipso curarum usu a semetipsa permutatur, et non agnoscimus, nisi vigilanti custodia ad interiora nostra residentes profectus nostros quotidie, defectusque pensemus. S. Greg. l. xxv, *Mor.* c. vii.

Cum indiscussa mens relinquitur, in quodam senio torporis sopitur; quia sui negligens, et propositum robur insensibiliter perdens, a forma prioris fortitudinis, dum nescit, senescit. Ibid.

Utilitas. — Itaque lectum atque quietem petiturus hoc judicium ineas; idoneum ad hanc rem hoc tempus est, ut consentaneus locus, camera et lectulus, quod Propheta quoque denotavit dicens: Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. Neque res parvas contemne, sed magnas etiam earum rationes repete. Hoc modo magna facilius evitabis delicta. Id si quotidie diligenter facies, terribili futuri Judicis tribunali lætus assistes. S. Chrys. hom. 43, *in Marc.*

Hæc fiant singulis diebus, nec prius dormieris, o homo, quam mente versaveris, quæ a te interdiu perperam acta sunt, et die sequenti eris omnino tardior ad ea ipsa rursus aggredienda. Idem, c. i, in Ps. 4.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Mane propone, vespere discute mores tuos; qualis hodie fuisti in verbo, opere et cogitatione; quia in his sæpius forte Deum offendisti et proximum. Lib. I, c. xix, § 4.

Si non continue te vales colligere, saltem interdum, et ad minus semel in die, mane videlicet aut vespere. Ibid.

In silentio et quiete proficit anima devota. Ibi invenit fluenta lacrymarum, quibus singulis noctibus se lavet et mundet, ut Conditori suo tanto familiarior fiat, quanto longius ab omni sæculari tumultu degit. Lib. i, c. xx, § 6.

Vigila super teipsum, excita teipsum, admone teipsum; et quidquid de aliis sit, non negligas teipsum. Lib. I, c. xxv, § 11.

Diligenter examina conscientiam tuam, et pro posse tuo vera et humili contritione ac confessione eam munda et clarifica, ita ut nihil grave habeas, quod te remordeat. Lib. iv, c. vii, § 1.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

S. Birgittæ quondam Angelus de B. Virgine revelavit, quod ex ejus honestissimis actionibus discebant virgines honeste se gerere, et virginalem pudicitiam suam usque ad mortem firmiter conservare, multiloquium et omnes vanitates fugere, ac omnia opera sua diligenter præmeditatione discutere, et spirituali libramine, æqua lance justissime examinare. Lanciz, *opusc.* 3, V. iii, 74.

S. David de seipso fatetur: Meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum. Psal. 74, 6.

Ezechias quoque dixit ad Deum: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Isaia, xxxviii, 15.

S. Climacus testatur, olim antiquos Monachos libellum cingulo appensum habuisse, in quo omnes suas cogitationes annotabant, ut eas noctu facilius cognoscerent, et suo Pastori referrent. S. Clim. *grad.* iv.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius horis singulis animum colligere consueverat, ac sepositis curis, examine conscientiam urgere. Tum, si vis afferretur, quæ horam ei consuetudini negasset, proxima confestim resarcire. Cum initio conversionis suæ hominum aspectu ad risum

commoveretur, verberibus ipsum depulit, quibus se toties ad numerum afficiebat, quoties vel leviter risisset. Sed et tam constanter postea huic exercitio incubuit, ut illo ipso adhuc die, quo mortuus est, omissiones actuum annotarit, uti libellus sub cervicali repertus indicavit. Imo per hoc, et Electionis regulas, ad eam, quam in eo miramur, perfectionem pervenit, Orlandino teste. Rib. l. V, *vita,* c. I.

S. Franciscus Xaverius eodem prorsus studio fervens, de die sæpius accurata perscrutatione intimos animi recessus inspiciebat, et cæteros ad idem faciendum magnopere hortabatur, ratus in eo perfectæ vitæ cardinem verti. Tursel. l. VI, *vita*, c. VI.

S. Franciscus Borgias non tantum bis de die, sed ad exemplum S. Patris singulis horis diurnis in dicta, cogitata ac facta inquirebat. *Vita*, l. IV, c. IV.

Joannes Berchman aiebat, nullum examine particulari præstantius esse remedium, aut vitiis exscindendis, aut virtutibus acquirendis ; unde ipse servabat adamussim regulas a S. P. Ignatio ad hunc finem traditas.

Joannes Ortunus usque ad diem, quæ mortem præcedebat, idipsum faciebat. *Vita Balth. Alv.* c. XXX.

Joannes de Cannas reliquit libellum, in quo a triginta annis accuratissime annotata erat materia pro examine particulari. *Annuæ* 1596.

EXEMPLA PROFANA.

Sextius consummato die, cum ad nocturnam quietem se recipiebat, semper animum suum quærebat : Quod hodie malum tuum sanasti ? Cui vitio obstitisti ? Qua parte meliores ? Seneca. l. III, *de Ira.*

Seneca quoque de seipso scribit : Utor hac potestate, et quotidie apud me causam dico. Cum sublatum e conspectu lumen est, et conticuit uxor, moris jam mei conscia, totam diem mecum scrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi abscondo. Nihil transeo. Quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cum possim mihi ipsi dicere : Vide, ne istud amplius facias ; nunc tibi ignosco. Ibid.

Cicero etiam eamdem consuetudinem habuit, ut ipse de se scribit his verbis : Pythagoræorum more exercendæ memoriæ gratia, quid quoque die dixerim, audiverim, egerim, commemoro vesperi. Cicer. *de Senectute.*

Plutarcus pariter de se scribit : Instruebam animum meum, ut qui non minus amet pietatem, quam Philosophiam, ut primum paucos dies sacros sine ira transigerem, velut absque temulentia vinoque, non aliter, quam celebrassem Nephalia aut Melisponda, in quibus vinum attingere, aut luxui vacare nefas est ; deinde idem faciebam mensem unum aut duos, paulatim mei ipsius periculum faciens. Sic tempore proficiebam ad ulteriorem malorum tolerantiam, diligenter attendens et conservans meipsum. Plut. lib. *de Cohibenda Ira.*

Apud Indos sapientes adolescentes antequam ad mensam admittantur, a magistris interrogantur, quid boni a primo ortu diei usque ad occasum fecerint ? Ubi varii varia facta bona recensent ; qui autem nihil ejusmodi dicere potest, impransus ad opus extruditur. Drex. l. I, *Trismeg.* c. II.

Phocylides, Stobæo teste, primus omnium videtur docuisse, quomodo quotidie seipsum quisque ad conscientiæ tribunal citare debeat. Ibid.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut ii, qui coram Regibus cum bestiis congrediuntur, quascumque fortiores robore, vel feritatis rabie conspexerint diriores, adversus eas primæ congressionis certamen arripiunt, quibus devictis, reliquas utpote minus terribiles exitu faciliore prosternunt ; ita et vitiis semper robustioribus superatis, atque infirmioribus succedentibus, parabitur nobis absque ullo discrimine perfecta victoria. Cassian. *Coll.* V, c. XIV.

Sicut in pecunia non sinis, ut duo dies prætereant, quin cum famulo rationem ineas, ne confusionem inducat oblivio ; ita hoc etiam fac in actionibus, singulis diebus vesperi ab anima rationem exige, et cogitationem, quæ peccavit, condemna, eam velut in ligno suspende, et torque, et jube, ne amplius ea aggrediatur. S. Chrys. in Ps. IV.

Sicut ii, qui cubiculum purgare volunt, prius sordes per scopas congerunt in unum cumulum et postea ejiciunt ; ita per examen prius peccata colliguntur, ut postea per contritionem vel confessionem ex animo ejiciantur. Jac. Alv. *de Adept. Vir.* l. III, p. VI, *sect.* II, c. IX.

Sicut medicus humores malignos, quos ejicere ex corpore cupit, prius per medici-

nam commovet, et tum primum per potionem expellit ; ita examen peccata movet, et quasi a sede sua prius extrahit, quam per contritionem aut confessionem foras ejiciat. Ibid.

Necessitas. — Sicut si infecundæ arboris superiora circumcideris, eadem novos edente ramusculos, nihil videbis, vel radicibus alte tendentibus effecisse ; ita nisi radices vitiorum scrutatus per examen fueris, sustulerisque, frustra in evellendis vitiis laborabis. S. Chrys. *hom. de Malis Avert.*

Sicut vulpes interdum singit se mortuam, ut aves advolantes capere queat ; ita vitia nostra se mortua simulant, ut facilius iterum ad ipsa redeamus. Lanciz. *Opusc.* v, c. 44.

Utilitas. — Sicut artifices, dum ea, quæ fecerunt, accurate examinant, latentes defectus deprehendunt, totumque opus expoliunt; sic per examen occulti animæ defectus cognoscuntur, ac corriguntur. Idem, n. 73.

Sicut homines, dum unam maculam evidentiorem considerant, manus totas abluunt, itaque etiam ab aliis sordibus mundantur, quas alioqui non abluissent ; sic anima, dum per examen graviora delicta deprehendit, de iis et omnibus aliis dolendo, ab omnibus simul mundatur. S. Gertr. *Insin.* l. III, c. 19.

Sicut in domibus, ubi frequens scoparum usus est, nullæ apparent araneæ ; ita, ubi frequenter examen conscientiæ adhibetur, Diabolus laqueos suos extendere veretur. Busæus, *in Virid. tit. eod.* c. 4.

Sicut pavimentum, quo sæpius everritur, eo purius redditur; ita quo sæpius conscientia per examen purgatur, tanto purior, teneriorque efficitur. Ibid.

Sicut in Academiis, in quibus sunt frequentiora et severiora examina, plus etiam in studio litterarum proficitur ; ita ubi frequens examinis est usus, major quoque in studio virtutis profectus reportatur. Ibidem.

Sicut mercatores quotidie rationes lucri et damni exigentes, præ reliquis augent opes ; ita et lucra virtutum ii potissimum augent, qui eorum vel incrementum, vel decrementum quotidie examinant. S. Clim. *de Vita Relig.*

Sicut artifices illi præ reliquis opera perfecta efficiunt, et propterea copiosius etiam laudantur, et præmiantur, qui eadem opera diligenter ad regulam examinant ; ita ii quoque homines perfectiores plerumque existunt, qui per hoc examen accuratius discutiunt, quam opera sua divinæ voluntati ac propriæ rationis dictamini sint conformia. Jac. Alv, l. III, p. V, s. II, c. VIII, *de Adept. Virt.*

MOTIVA.

Exemplum Dei ; qui, teste Moyse, ipsemet post creatum mundum, vidit et examinavit cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona. Gen. I.

Exemplum Ethnicorum ; qui, solo rationis ductu hoc medium velut præcipuum ad virtutem instrumentum, adhibuerunt.

Necessitas ; sicut enim nec discipuli in scholis debitam diligentiam, nec famuli requisitam fidelitatem, nec artifices necessariam curam adhibent, nisi diligenter ab iis ratio suo tempore exigatur ; ita nisi hoc examen in omnibus actionibus crebro et accurate adhibeatur, nullus in profectu virtutis ac perfectionis fructus sperandus erit ; unde merito Seneca : Desinet, inquit, ira et moderatior existet, quæ sciet sibi quotidie ad Judicem esse veniendum.

Utilitas ; tum *ad vitiorum extirpationem ;* nam licet satius esset, ut ait S. Chrysostomus, omnino a peccato abstinere, non parvum tamen ad salutem momentum est, agnitum peccatum damnare, et castigare diligenter conscientiam, utpote cum hoc justificationis pars sit, et imposterum a peccato arceat. S. Chrys. *S. Quales duc. ux.* Imo, ut Abbas Pimenius olim dixit, hæc sola hominis justitia est, ut semper semetipsum reprehendat, et tunc justificabitur, cum sua peccata condemnat. Rosvveid. p. 519. Tum *ad virtutes acquirendas*, pro quibus cudendis, examen officina vocatur, ab aliis vero cornu copia commodorum, charismatumque spiritualium, quæ in animam infert. Tum *ad notitiam sui*, quæ omnium scientiarum altissima est, et utilissima, *comparandam.*

Æquitas. Quis enim reus, oblata optione, ut pro Judice vel amicum sui amantissimum, vel alium valde severum et rigorosum eligat, non ab illo potius, quam ab hoc judicari præeligeret? Cum ergo Deus idipsum nobis indicet, an non præstat, ut in hac vita nos ipsos prius dijudicemus, quam ab ipso in altera tam rigorose judicemur et corripiamur?

Jucunditas ; nam ut sapienter S. Dorotheus advertit, illud potissimum ut tur-

bemur, in causa est, quod sedulo nosmetipsos non accusamus, nec ea qua debemus diligentia, quærimus nos ipsos privatim arguere. Hinc omnis nostra molestia et afflictio promanat. Hinc est, quod quietem numquam, et nullibi alibi pacem nanciscimur. Nec id quidem mirum, quandoquidem ore Sanctorum omnium celebratum ac contestatum habemus, nullam præter hanc ad Deum patere viam, nec umquam aliquem vidimus, aut audivimus, qui alia, quam hac ad Deum accesserit via, aut ad quietem pervenire valuerit. S. Doroth. *Serm.* vii. Eamdem jucunditatem paulo aliter explicat Seneca, dum ait : Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? Quam tranquillus, altus ac liber, cum aut laudatus est animus, aut admonitus, et speculator sui censorque secretus cognoscit de moribus suis! Sen. l. III. *de Ira c.* 36.

MEDIA.

Ad examen hoc diligenter faciendum.

Æstimatio puritatis seu pulchritudinis internæ. Sicut enim virgines hujus mundi pro conservanda et augenda sua pulchritudine corporali assiduo speculis utuntur ; ita non minus diligenter hoc examen adhibebit, quisquis vehemens pulchritudinis suæ internæ amator extiterit.

Amor Dei ; nam, ut S. Bernardus dixit : Homini Deum amanti vel amare volenti suus semper consulendus est animus. Examinanda conscientia, quid sit, quod in totum vult, et propter quod vult, quidquid aliud vult spiritus vel odit, quidquid contra illud caro concupiscit. S. Bern. *de Vit. Sol. Col.* 6.

Desiderium perfectionis ; sic enim non modice incitabitur ad hoc exercitium accurate usurpandum, utpote quod a Patribus Spiritualibus merito inter difficillima media numeratur perfectionem brevi tempore consequendi.

Timor judicii divini ; sic enim efficiet, ut hic omnia opera nostra ipsi severe prius discutiamus et judicemus, ne in altera vita in manus severi Judicis Dei incidamus, cum notum sit, quod S. Paulus dixit, si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur. I Cor. ii, 31.

Odium Satanæ ; sic enim non modice incitabimur ad fraudes illius per examen indagandas, ut contra easdem nos convenienter armare, et feliciter evitare veleamus.

ASCETICA.

Tria sunt, quæ præcipue de Examine conscientiæ observanda sunt Ascetæ. Primum est, ut magnam æstimationem concipiat de illo ; quod obtinebit, si perpenderit, hoc medio multos sanctos viros, et præcipue S. Ignatium, præ reliquis usos fuisse ad magnam sanctitatem comparandam ; et præterea bene considerarit, quod S. Bernardus de conscientiæ nostræ dirigendæ necessitate sequentibus verbis insinuavit : Unicuique liber est sua conscientia, et ad hunc librum discutiendum et emendandum omnes alii libri inventi sunt. Anima vero cum de corpore egreditur, nullum alium librum, præter librum conscientiæ, secum poterit portare, atque in illo cognoscet, quo debeat ire, vel quid debeat recipere. S. Bern. l. *de Consil.*

Alterum est, ut bene percipiat finem et fructum præcipuum, qui per hoc exercitium quærendus est, et non est alius, quam puritas conscientiæ, vitæque emendatio, et in tribus præcipue consistit, nempe ut, si hactenus fuerunt multi in nobis defectus, posthac sint pauci ; deinde, ut, si fuerunt majores, deinceps sint minores ; et tandem ut non sint semper iidem ; eamdem enim culpam iterum, iterumque ac sæpius repetere, magnæ socordiæ et negligentiæ est argumentum. Rodr. q. i, tr. vii.

Tertium est, ut solidum sciat modum, utrumque hoc examen fructuose peragendi ; qui quidem in eo potissimum consistit, ut. 1. Regulas et industrias a S. Ignatio et aliis eum in finem præscriptas accurate observet. 2. Ut in actuali disquisitione plus dolori, et emendationis proposito, quam discussioni et inquisitioni defectuum insistat, cum totus fructus examinis utriusque in morum emendatione consistat, ad quem sine dubio dolor serius et efficax propositum, plus, quam omnes aliæ industriæ conducunt. Addit B. Maria Magdalena de Pazzis Deum plus sibi complacere in anima viatrice, quæ se conformat per dolorem, quam quæ se conformat per amorem (quamvis dolor, quem sentit anima ex offensis Dei, non possit nasci nisi ex amore, quem habet erga Deum, qui est absolute perfectior dolore) quia per viam doloris plus exercetur anima in amore pro-

ximi, dum alienos defectus deplorat ; præterea hic dolor est species Martyrii, quo animæ fiunt similes in cruce pendenti, et dolore suo possunt compati ejus magnis pœnis, et flere amoris lacrymis ejus passionem. Et cum dolor sit afflictivus, purgat animam a peccatis. Amor est delectabilior, sed cum simus in hoc mundo ut purgemur est magis tempus dolendi et patiendi pro amore Dei nostri, ideoque Deus sibi magis complacet de dolore, quam amore. *Vita*, p. IV, c. XXIX.

Ut in hoc exercitio magna cum constantia progrediatur, nec animum abjiciat, etiamsi frequentius in eosdem defectus labatur, sed potius in memoriam revocet id, quod S. Gertrudi petenti, ut certum aliquem defectum a se Deus tolleret, idem Dominus respondit, dum dixit : Quare velles, ut ego privarer honore illo, et tu infinite fraudareris præmio, quod lucraris, quotiescumque illum defectum vel similem recognoscens de cætero cavendum proponis ? Nam quandocumque aliquis studet pro amore meo defectus suos vincere, tantum mihi exhibet amoris ac fidelitatis, quantum miles aliquis domino suo exhiberet, si strenue in bello contra inimicos se opponens, omnes manu forti viriliter expugnaret ac prosterneret. Lib. III, *Insinuat.* c. XXXVIII.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : « Elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, et misit eos in peram ; » I Reg. XXVII, 40.

Potest peccatum Goliatho, examen autem quinque punctis constans quinque lapidibus de torrente (id est, fonte lacrymarum) collectis comparari, et ostendi, quod, licet peccatum, perinde ut Goliath, aspectu terribile et quodammodo insuperabile appareat, possit tamen non difficulter per hos quinque lapides superari, uti de facto jam a pluribus superatum est.

Ex occasione thematis : « Ecce constitui te hodie super Gentes et Regna (id est, teipsum et passiones tuas) ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes ; » Jer. I, 10.

Potest finis examinis copiosius explicari, et, 1. Quidem ostendi, quod debeat destruere aliqua peccata, ut non tam multa sint ; dein disperdere illa, quæ remanent, ut non tam gravia sint ; et tandem dissipare illa, ut non eadem semper recurrant. 2. Quod debeat evellere, id est, radices etiam exscindere, uti sapienter monuit S. Dorotheus his verbis : Certamen primum sit adversus malos mores et vitia, causasque eorum, quæ radices sunt. Quas sane radices nisi quisque exsciderit, tandem excrescunt. S. Doroth. S. XII. 3. Quod ædificare et plantare virtutes vitiorum loco debeat, id quod examinis particularis adminiculo præcipue obtinetur.

Ex occasione thematis : « Consideravit semitas domus ; » Prov. XXXI, 27.

Potest narrari historia de divite, qui, quia nullam curam domus habuit, ad summam prope egestatem redactus est. Unde vicinus ejus hoc advertens, promisit illi, se medium oblaturum, quo brevi antiquas opes recuperare possit, si diligenter eo uti velit. Annuenti itaque pyxidem obtulit, eo pacto, ut in omnes quotidie domus partes circumferret, non tamen prius aperiret, quam ipse facultatem dedisset. Cum ergo secutus fuisset consilium, et quia in omni loco pessime rem familiarem administrari advertens, in meliorem omnia ordinem reduxisset, brevi etiam divitias iterum augeri sensit. Quare putans eam virtutem a pyxide provenire, aperuit, et hæc verba in scheda descripta invenit :

Fortunæ studio et diligentia
Conservantur et augentur bona.

Hæc historia applicetur illis, qui examinis quotidiani usum negligunt, suadeaturque, ut simili modo pyxidem hanc in omnes diei actiones circumferant, nec dubitent, quin majorem etiam in perfectione Christiana progressum sint sortituri.

Ex occasione thematis : « Ne pugnetis contra minimum, aut contra maximum, nisi contra solum Regem Israel ; » 2. Par. XVIII, 30.

Potest ostendi modus, vitia sua per examen particulare oppugnandi, ut, scilicet 1. Contra unum duntaxat pugnetur, exemplo Horatii, qui contra tres Curiatios pugnans fugam simulavit, et dum hac ratione effecit, ut ob inæquales vires inæqualiter quoque ipsum cursu sequerentur, subito se convertens, et contra singulos pugnans facile victoriam obtinuit. 2. Ut contra Regem pugnetur, id est, illud vitium, quod est caput cæterorum ; sic enim devicto Rege etiam reliqua facilius vincentur, nam, ut Abbas Serapion ait, impossibile est, eum, qui pro sui

cordis mundatione sollicitus, erga impugnationem vitii cujuslibet intentionem suam mentis armaverit, adversus cætera quoque vitia generalem quemdam horrorem, et custodiam similem non habere. CASSIAN. *Col.* 5, c. XIV.

MISCELLANEA.

QUALITAS.— Non male Seneca : Videamus, ait, quid sit, quod nos maxime concitet. Alium verborum, alium rerum contumeliæ movent. Hic vult nobilitati suæ, hic famæ parci, etc. Non omnes ab eadem parte feriuntur. Scire itaque oportet, quid in te imbecillum sit, ut id maxime protegas. SEN. l. X. *de Ira*, c. III.

Et alibi : Initium salutis est notitia peccati. Egregie mihi hoc dixisse videtur Epicurus : Nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes. Ideo, quantum potes, teipsum coargue, inquire in te, accusatoris primum partibus fungere, deinde judicis, novissime deprecatoris, aliquando te offende. Idem, ep. XXVIII, *ad Luc.*

Et iterum : Quid autem tecum loquaris ? Quod homines de aliis libentissime faciunt, de te apud te male existima. Assuesce et dicere verum, et audire, præsertim a te ipso. Id autem maxime tracta, quod esse infirmissimum senties. Idem, ep. LXVIII.

Apud Ægyptios Thebas Memnonis statua videbatur e nigro lapide ad ortum solis conversa, quæ imberbem adolescentem referebat, ambabus manibus sic sedi innitentem, ut surgere velle videretur ; sed et os sic conformatum habentem, ut jamjam locuturus crederetur ; huic statuæ similes sunt, qui conscientiam examinant, sed absque serio dolore et fructu. DREX. *in Trism.* l. I. c. VIII, §. 12.

Ruth Moabitis collegit in agro usque ad vesperam, et quæ collegerat, virga cædens et excutiens, invenit hordei tres modios. RUTH. c. II, 17. Idem a nobis per examen faciendum. Quid enim est frumentum virga cædere, inquit S. Gregorius, nisi rectitudine judicii a vitiorum paleis virtutum grana separare ?

NECESSITAS. — Hoc nos pessimos facit, inquit Seneca, quod nemo vitam suam respicit. Quid facturi simus, cogitamus, et id raro ; quid fecerimus, non cogitamus. Atqui consilium futuri ex præterito venit. SEN. ep. LXXXV.

Ephratæi a Galaaditis interrogati, qui essent, et vocem Schibboleth, hoc est, spica granis plena, proferre jussi, quia Sibboleth, id est, culmus grano vacuus, pro Schibboleth dixerunt, pro hostibus agniti et jugulati sunt. Idem multis in judicio extremo eveniet. JUD. XII, 6.

AUCTORES.

Joannes Busæus, *in Viridario*, Verb. Conscientiæ Examen.

Alphonsus Rodriquez, p. 1. tr. 7.

Jeremias Drexelius, *in Trimegistro*, l. I.

Jacobus Alvarez, *de Adept. Virt.* l. III, p. 5, sect. II, c. VIII et seq.

Matthias Faber, con. 6. *in Dom.* IV, *post. Pent.*

Antonius Dauroltius, *in Catech. histor.* c. V, tit. 49.

Philippus D'Outreman, *in Pædag. Christiano*, p. 2, c. XIII.

EXEMPLUM.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est factum aliquod ad imitationem aliis propositum ; si enim in occulto et absque arbitro aliquid fiat, aut admiratione potius, quam imitatione sit dignum, exemplum dici non potest.

DIVISIO. — Dividitur in *Bonum* et *Malum;* illud ad bonas actiones imitandas allicit ; hoc ad peccata perpetranda incitat, et plerumque scandalum a doctoribus vocatur.

ACTUS. — Primus est, *solo facto ad imitationem allicere ;* quo modo seniores coram junioribus peccantes, exemplum malum dare dicuntur.

Secundus, *etiam verbis ad imitationem allicere ;* quo modo Abimelech suis exemplum dedit, dicens : Quod me vidistis facere, cito facite. JUD. IX, 84.

Tertius, *etiam minis vel præmiis ad imitationem allicere ;* quo modo Tyranni olim Christianos ad fidem deserendam impulerunt.

EX. S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Sint lumbi vestri accincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. LUC. XII, 35.

Nemo accendit lucernam, et ponit eam in abscondito, neque sub modio, sed super candelabrum, ut, qui ingrediuntur, lumen videant. Ib. c. XI, 33.

Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. ROM. XV, 2.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. MATTH. V, 16.

In omnibus præbe teipsum exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile. TIT. 2, 7.

Exemplum esto fidelium in verbo et conversatione, in charitate, in fide, in castitate, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. I TIM. IV, 12.

Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. JAC. III, 13.

NECESSITAS. — Conversationem vestram inter Gentes habentes bonam, ut in eo, quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum. I PETR. II, 12.

Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. II COR. VI, 3

UTILITAS. — Quod, cum vidissem, posui in corde meo, et exemplo didici disciplinam. PROV. XXIV, 32.

Scio enim promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones; quoniam et Achaia parata est ab anno præterito, et vestra æmulatio provocavit plurimos. II COR. IX, 2.

Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. HEBR. XIII, 7.

Exemplum accipite, fratres, laboris et patientiæ, Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est et miserator. JACOB. V, 10.

EXEMPLUM MALUM. — Væ homini illi, per quem scandalum venit. Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. MATTH. XVIII, 6 et 7.

Peccantes in fratres, et percutientes conscientiam ipsorum infirmam, in Christum peccatis. I COR. VIII, 112.

Noli cibo tuo perdere illum, pro dio Christus mortuus est. Noli destruere opus Dei. ROM. XIV, 15 et 20.

Ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. Ib. 13.

EX. SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Domus Episcopi et conversatio quasi in speculo posita, Magistra est publicæ disciplinæ. Quidquid fecerit, id sibi omnes faciendum putant. S. HIER. *in epist. ad Heliod.*

Qui in occulto bene vivit, sed alieno profectu minime proficit, carbo est ; qui vero in imitatione sanctitatis positus, lumen rectitudinis ex se multis demonstrat, lampas est, quia sibi ardet, et aliis lucet. S. GREG. hom. V, *sup. Ezech.*

Sic sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut et de bono opere proximis præbeamus exemplum; et tamen per intentionem, qua soli Deo placere quærimus, semper optemus secretum. Idem, hom. XI.

Nullum ego consilium melius arbitror quam si exemplo tuo fratrem docere studeas, quæ oporteat fieri, provocans eum ad meliora, et consulens ei neque verbo, neque lingua, sed opere et veritate. Idem, l. X, *Mor.*

Noveris hujus trinitatis sacramentum in nullo frustratum a te, si pascas verbo, pascas exemplo, pascas orationum suffragio. S. BERN. *in Epist.*

Pulcherrimus ordo est et saluberrimus, ut onus, quod portandum imponis, tu portes, et ex te discas, qualiter oporteat aliis moderari. Idem, *in ep.* LXXII.

Propterea Sanctorum vitas et conversationem in divinis Scripturis præscriptam Spiritus Sancti gratia reliquit, ut discentes, quod, licet ejusdem fuerint naturæ, virtutibus tamen studuerint, ne simus nos ignavi, et desides in iisdem exercitiis. S. CHRYS. s. 11. *sup. Gen.*

Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Accusare avaritiam et latro potest. Sacerdotis os, mens manusque concordent. S. HIER. *epist. ad Nepot.*

Debemus pensare, quod a Domino Sanctis Apostolis dicitur, et per Apostolos nobis : Vos estis sal terræ, si igitur sal sumus, condire mentes fidelium debemus, ut, quisquoquis Sacrtjungitur, quasi e salis tactu

æternæ vitæ sapore condiatur. S. Greg. hom. xvii *in Luc.*

Externæ dignitates merito ex signis extrinsecus circumpositis manifestæ sunt, nostras autem ab anima notas esse decet. Fidelem enim non ex solo munere videri oportet, sed ex vitæ novitate. S. Chrys. hom. xxiii, *ad Pop.*

Qui profitentur se Christi esse, non modo ex iis, quæ dicunt, sed et ex iis, quæ faciunt, cognoscantur ; ex fructu enim arbor dignoscitur. Præstat enim esse et tacere, quam loqui, et non esse ; non in sermone Regnum Dei, sed in virtute. S. Ign. *in ep. 14 ad Eph.*

Hoc autem, quod discipulo Paulus ait : « Præcipe hæc, et doce cum omni imperio,» non dominationem potentiæ, sed auctoritatem suadet vitæ, cum imperio quippe docetur, quod prius agitur, quam dicatur ; nam doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. S. Greg. l. XXI, *Mor.* c. vii.

Doctor dicto factoque, magister verus, quod verbo adstruit, demonstrat exemplo ; magisterium stat de scientia, sed magisterii auctoritas constat ex vita, docenda faciens, obedientem perficit auditorem; docere factis, sola est norma doctrinæ, doctrina in dictis scientia est, in factis virtus; scientia ergo illa vera est, quæ fuerit mixta virtuti,illa Divina est, non humana, Evangelista probante cum dicit : « Quia cæpit Jesus facere, et docere. » S. Petrus Chrys. ser. 107.

Vos estis lux mundi ; sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona etc. *Lux estis*, et sermone igitur et opere lucere debetis ; magis autem operando, quam loquendo proficitis, quia major est splendor operis, quam sermonis , unde non ait : Ut audientes bonum vestrum sermonem glorificent Patrem. Sed quid ait ? *Ut videntes opera vestra bona , glorificent Patrem vestrum.* Euseb. Gallic. *Hom.in* c. v. *Matth.*

Sermo actione destitutus, non ultra aurem grassatur ; qui autem ab actione animatus est, ut qui acris et efficax sit, alte penetrat, animumque attingit. S. Isid. Pelus. iii, ep. 202.

Vita nostra jubeat, lingua persuadeat, quia plus auctoritatis gestat exemplum, et ingerit appetentiam sui. S. Athan. *exhort. ad Mon.*

Cum fueris fratrum institutor et rector, eos potissimum cura cordis severitate, et visceribus misericordiæ instrue, eos verbo et exemplo, quæ agenda sunt, edocens, atque exemplo magis et opere, cum magis operentur exempla, et fortius moveant. S. Dorotheæus, *Doctrin.* 17.

Optime per hanc domesticam avem (gallum) Prædicatores significantur, simul et docentur, quomodo docere et recte debeant, et efficaciter queant, nimirum si prius alas excutiant, quam cantent, et ante se in sanctis operibus exerceant, quam sanctitatem verbis commendent. S. Greg. l. III, *Mor.* c. 4 et 5.

Sic sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut de bono opere proximis præbeamus exemplum, et tamen per intentionem, qua soli Deo placere quærimus , semper optemus secretum. Idem, hom. xi.

Exemplo bonorum, non malorum debemus duci. S. Greg. hom. i.

Necessitas. — Debet prius dominari sibi, qui causæ constitutus est judex alienæ. Ridiculum est, aspicere foris in cathedra residentem, et intus in passionum fœtoribus sepultum. S. Laur. Just. *de Christi Agon.* c. 12, § v.

Nescio, qua fronte, vel qua conscientia cum omnibus Sanctis partem in æterna beatitudine habere desideramus, quorum exempla sequi in rebus minimis non aquiescimus. S. Aug. s. 61, *de Temp.*

Habere non possunt firmitatem quæ doceas nisi ea prior feceris ; quia hominum natura proclivis in vitia, videri vult non modo cum venia, sed etiam cum ratione peccare. Lactant. *de Vera Patient.* l. IV.

Homines malunt exempla quam verba ; quia loqui facile est, præstare difficile. Idem.

Si manum non contineas, neque impudicam coerceas linguam, qua ratione admirabitur is, qui gentilis est, nostræ fidei dogmata ; neque enim ex verbis dogmata,verum ex ipsis rebus atque vita, gentiles judicare consueverunt. S. Chrys. hom. iv, *ad Tit.*

Nulla alia Sacerdotis doctrina debet esse, quam vita ; satisque auditores possunt proficere, si a Doctoribus, quod vident spiritualiter fieri, hoc sibi etiam simpliciter audiant prædicari. S. Prosp. hom. 1. *de Vita Contemplat.* c. xxiii.

Nil frigidius Doctore, qui verbis dumtaxat philosophatur : neque enim hoc Doctoris est, sed histrionis, et hypocritæ, eosque Apos-

toli prius vitæ exemplis docebant, deinde verbis ; quin potius neque verbis quidem erat opus, cum clamarent opera. S. Chrys. hom. 13, *in Acta.*

Illius Doctoris libenter audio vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planctum moveat. Vere turturem exhibes, si gemere doceas ; et si persuadere vis, gemendo id magis, quam declamando studeas, oportebit. Exemplum sane tum in aliis multis, tum vel maxime hoc in negotio, verbo efficacius est. Dabis voci tuæ vocem virtutis, si quod suades, prius illud tibi cognosceris persuasisse. Validior operis, quam oris vox. (S. Bern. s. lix, *in Cant.*) Fac ut loqueris, et non solum me facilius emendas, sed te quoque non levi liberas probro. Non jam pertinebit ad te, si quis dicat : « Alligant onera gravia et importabilia, et imponunt ea in humeris hominum, digito autem suo nolunt ea movere » (Matth. 23. 4.); sed neque illud verearis, oportet : « Tu qui alios doces te ipsum non doces? » Rom. 2. 21.

Claras suas maculas reddunt, si illi, ad quos multi respiciunt, aliqua reprehensione sordescunt ; alioqui expedit non videri, quam cunctorum irrisione signari. Omnis ergo, qui gratiarum celsa petimus, vitiorum humilia deseramus ; sit in nobis frons libera, ut aliorum possimus emendare peccata ; æquat crimen omne, quod inquinat, et ideo dissimilis ab accusato debet esse, qui judicat. Cassiod, l. V, *epist.*

Nemo se circumveniat, fratres charissimi, nullus homo sibi solummodo vivat, et sicut frequenter suggessi, quantoscumque aliquis exemplo sanctæ vitæ ædificaverit, cum tantis et pro tantis mercedem retributionis beatæ vitæ accipiet ; et quantiscumque exemplum malæ conversationis, etiamsi illi eum non sequantur, præbuit, pro tantis se malis rationem noverit redditurum. S. Aug. s. clxiii.

Omnis doctrina generatio quædam est, ut, quemadmodum homines non generantur nisi in perfectione ætatis et virium ; ita nec filios spirituales, nisi a perfectione virtutum progigni contingat. S. Clem. Alex. l. V, strom.

Exempla bonæ vitæ a Christo et ab ejus actibus assumere debemus. S. Bern. *super Cant.* s. xxiv.

Utilitas. — Multo fidelior et certior est doctrina operum, quam sermonum. Nam qui talis est, etiam silens, et cum non videtur, docere potest ; et alios quidem, qui illum vident, alios vero, qui de illo audiunt ; et multa fruetur Dei gratia non tantum propter se, sed et propter alios, qui illum vident, et incitentur, ut glorificent Dominum ; talis per mille linguas, et multo plures, gratias refert et laudes Deo. S. Chrys. hom. xxii, *ad Pop.*

Cito sedet animis, quod docetur exemplis. S. Valer. *Ep.* hom. xvii.

Est insitum bonis, ut castum pudicus, sapientem prudens, misericors liberalem affectu pio diligat, et virtutes suas in aliis amet. In plerisque justi aspectus, admonitio correctionis est, perfectioribus lætitia est. S. Ambr. *sup. Beati immaculati.*

Volantia animalia se viscissim feriunt alis suis, quia Sanctorum mentes in eo, quod superna appetunt, consideratis invicem alternis virtutibus excitantur ; ala enim sua me percussit, qui exemplo sanctitatis me ad melius accendit ; et ala mea vicinum animal ferio, si aliquando alteri opus bonum, quod imitetur, ostendo. S. Greg. xxiv, *Moral.*

Sunt nonnulli, quos ad amorem cœlestis Patriæ plus exempla, quam prædicamenta succendunt. Idem, l. I, *Dial.*

Fit plerumque in audientis animo duplex adjutorium in exemplis Patrum, quia amore venturæ vitæ ex præcedentium comparatione accenditur, et, si se aliquid esse existimat, dum meliora de aliis cognoverit, humiliatur. S. Laur. Just. l. *de Conflict. inter.*

Dabis voci tuæ vocem virtutis, si, quod suades, illud tibi prius cognosceris persuasisse; validior operis, quam oris vox est. Fac, ut loqueris. S. Bernard. ser. lix *in Cantic.* Illa vox libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat, quia quod loquendo imperat, ostendendo adjuvat, ut fiat. S. Greg. p. 2, *Pastor.* l. III.

Non difficile æstimatur, quod jam factum conspicitur.

Tonitru erat ejus oratio, quia vita erat fulgur ; unius namque splendor alterius incendium est. S. Nazian. *de S. Basilio.*

Apud nos etiam sepulchrum S. Eustachii, Antiocheni Episcopi, est, et non in Thracia tantum, ubi mortuus est et sepultus. Monumenta enim Sanctorum non loculi solum sunt et thecæ, et columnæ ac litteræ ; sed res præclare gestæ, ac fidei zelus, et sana apud Deum conscientia ; siquidem omni columna splendidior hæc Ecclesia Martyri est erecta, quæ litteras habet non mutas, sed

quæ rebus ipsis buccina clarius memoriam ejus prædicant, ac celebritatem, eorumque, qui adsunt, unusquisque Sancti illius est sepulchrum, sepulchrum animatum atque spirituale. Nam si cujusquam vestrum, qui adestis, conscientiam explicuero, Sanctum istum intus in mente vestra reperiam diversantem. S. Chrys. tr. iv, *in S. Eustach.*

Ibi (in Religione) alterius fervore excitatur, alterius humilitate docetur, istius obedientia movetur; ibi invenit, quos timet; ibi habet, quos diligit, et sic ex omnibus proficit; ibi alterius correptio ejus fit admonitio; ibi alienum periculum proprium est speculum; ibi homo portat, et portatur. Th. Kem. ser. ii, *ad Novit.*

Quemadmodum justus lætificat cor innocentium; cum videtur; ita et improbi justorum cognitione torquentur, quia vel tacitis Sanctorum moribus arguuntur. Torquet castitas incontinentiam, avaritiam liberalitas, impietatem fides. S. Ambr. in Ps. cxviii, s. 10.

Non enim cœli voces emittentes, inquit S. Chrysostomus, Deum glorificant, sed alios per aspectum ad hoc inducentes, et tamen ipsi dicuntur cœli gloriam enarrare; sic et vitam præferentes admirabilem, licet taceant, Deum glorificant, cum alii propter eos ipsum glorificent. Non enim tam ex cœlo redditur admirabilis, quam ex vita pura. Nam et cœlo longe melior homo, et potest ejus ornatu splendidiorem animam possidere. S. Chrys. hom. xxv, *ad Pop.*

Quia incredibile videbatur hominibus, quod promittebat Deus, ex hac mortalitate, corruptione, abjectione, infirmitate, pulvere et cinere, futuros homines æquales Angelis Dei, non solum Scripturam cum hominibus fecit, ut crederent, sed etiam fidei suæ posuit mediatorem unicum Filium suum, ut qua nos via perducturus esset ad illum finem, quem promisit, per eum ipsum Filium suum, et ostenderet et præberet. Parum enim erat Deo, ut Filium suum faceret demonstratorem viæ, eum ipsum viam fecit, ut per illum ires, regentem te, ambulantem per se. S. Aug. *in* Ps. 109.

Vere exemplum, quam verbum, homines magis movet; et propterea Spiritus Sanctus, hujus artis traditor et inventor, sciens quantum ad bene vivendum proficiat imitatio, fere per totam Scripturam varia Sanctorum exempla passim sparsit, et fidelibus imitanda proposuit. S. Thom. Villan, conc. ii, *Dom.* ii, *Quadr.*

Scriptura Sacra narrat gesta Sanctorum, et ad imitationem provocat corda infirmorum, et dum eorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia debilia nostra corda confirmat, fitque, ut minus mens inter certamina trepidet, quo ante se positos tot virorum fortium triumphos vidit. S. Greg. l. II, *Mor.* c. i.

Sermo vivus et efficax exemplum est, operis facile faciens suadibile quod dicitur, dum monstratur factibile, quod suadetur. S. Bern. *in s. de S. Bened.*

Quamvis disertus Orator facundia sua me doceat, id tamen, quod utile est, melius disco exemplo Sanctorum quam assertione verborum. Citius mihi persuadent oculi, quod cernunt, quam auris potest insinuare, quod præterit. Auditui enim cito irrepit oblivo, oculorum autem historia semper inspicitur. S. Ambr. *ser.* xxiii, *de SS.*

Æquitas. — Licet omnem Ecclesiam, quæ in toto est orbe terrarum, cunctis oporteat florere virtutibus, vos tamen præcipue inter cæteros populos decet meritis pietatis excellere, quos in ipsa Apostolicæ petræ arce fundatos, Dominus noster Jesus cum omnibus redemit, et B. Apostolus Petrus præ omnibus erudivit. S. Leo, *ser.* ii, *in fest. Assump.*

Exemplum malum. — Qui in conspectu populi male vivit, quantum in illo est, eum, a quo attenditur, occidit. S. Aug. *de Past.*

Nemo amplius in Ecclesia nocet, quam qui perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, et in exemplis culpa vehementius extenditur, quando pro reverentia ordinis honoratur. S. Greg. *in Pastor.*

Non tibi videtur graviorem ab eo Christus sustinere persecutionem, qui suggestione maligna, exemplo pernicioso, scandali occasione pervertit animas, quas redemit, quam a Judæo, qui sanguinem suum fudit? S. Bern. *in serm.*

Si non habueris opera, tantum loquens non profuisti sed et potius læsisti. Melius est tacere. Quare? Opus mihi reddis impossibile. Cogito namque, quod, si, tu tanta disserens non efficis, multo magis ego venia dignus sum. S. Chrys. hom. xviii, *ad Pop.*

Simia in tecto, Rex fatuus in solio sedens. Monstruosa res! Gradus summus, et animus imus; sedes prima, et vita infima; lingua

magniloqua, et manus otiosa ; sermo multus, et fructus nullus ; vultus gravis et actus levis. S. Bern. lib. II, *de Consid.*

Cum majores voluptati deserviunt, minoribus lasciviæ frena laxant. S. Greg. *in Pastor.*

Exemplum vitiosum est, si aut falsum est, ut reprehendatur, aut si improbum, ut non sit imitandum, aut majus aut minus, quam res postulat. Id. *ex Cicer.* 2 *de Rhetor.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Intuere SS. Patrum vivida exempla, in quibus vera perfectio refulsit et religio, et videbis, quam modicum sit, et pene nihil, quod nos agimus. Lib. I, c. xviii, § 1.

Ubique profectum tuum capias, ut, si bona exempla videas vel audias, ad imitandum accendaris ; si quid reprehensibile consideraveris, cave, ne idem facias. L. I, c. xxv, § 5.

Dati sunt (Patres) in exemplum omnibus Religiosis, et plus provocare nos debent ad bene proficiendum, quam tepidorum numerus ad relaxandum. L. I, c. xviii, § 4.

Si rectum cor tuum esset, tunc omnis creatura speculum vitæ, et liber sanctæ doctrinæ esset. L. II, c. iv § 1.

Etsi onerosa sit præsens vita, facta est tamen jam per gratiam tuam valde meritoria, atque exemplo tuo et Sanctorum tuorum vestigiis, infirmis tolerabilior et clarior. L. III, c. xviii, § 2.

Vita tua via nostra. Nisi tu nos præcessisses et docuisses, quis sequi curaret? Heu, quot longe retroque manerent, nisi tua præclara exempla inspicerent ! Ib. § 3.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Qualitas. — Christus, teste S. Basilio, ideo naturam humanam suscepit, ut in se velut tabula quadam veram nobis pietatem depingeret, eamque omnibus ante oculos statutam pro viribus imitandam ceu archetypum proponeret. Nec enim alia de causa corpus nostrum gessit, nisi ut, quoad fieri possit, ad imitanda vitæ ipsius studia nos conformemus. S. Basil. c. ii, *in Const. Monast.*

De B. Virgine sic loquitur S. Ambrosius : Sit vobis tamquam in imagine descripta vita B. Mariæ, in qua velut in speculo refulget species castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis exempla vivendi, ubi tamquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid fugere debeatis, ostendunt. S. Ambr. lib. ii *de Virg.*

S. Augustinus de seipso scribit : Exempla servorum tuorum, quos de nigris lucidos et de mortuis vivos feceras, congesta in sinum cogitationis nostræ urebant, et absumebant gravem torporem, ne in ima vergeremus, et accendebant nos valde. S. Aug. l. I, *Conf.* c. ii.

S. Franciscus cum Fratre suo, exiens ut concionaretur, cum totam civitatem circuisset, denique domum rediit, dicens se exemplo concionatum esse. *Vita.*

S. Dominicus, sciens homines magis exemplis, quam verbis moveri, incredulorum familiares, dominasque nobiles adivit, ibique in summa vitæ austeritate et sanctitate cum socio vixit; ut exemplo, et sancta quadam, ut ipse aiebat, hypocrisi eos ad veram fidem alliceret. Surius, *in vita*, 4, *Aug.*

S. Macarius, cum alicubi miræ sanctitatis Monachos vidisset, domum reversus dixit : Vidi Monachos, sed non sum ego Monachus.

S. Th. Aquinas acta Sanctorum Patrum assiduo in manibus et pectore ferebat, ut ex eorum recordatione ad imitationem accenderetur. Rodr. p. I.

S. Cyprianus dicere solitus est : Nos Philosophi non verbis, sed factis, sumus ; non loquimur magna, sed vivimus quasi servi et cultores Dei. S. Cypr. *de Bono Pat.* s. 3.

S. Franciscus suis hoc documentum dedit : Consideremus, Fratres, vocationem nostram, qua vocavit nos misericors Deus, non tantum pro nostra, sed etiam pro multorum salute, ut eamus per mundum exhortando omnes, plus exemplo, quam verbo. Hinc Lyranus ipsum verba illa Cantici S. Annæ ita declarare solitum fuisse scribit : « Sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios, infirmata est ; » sterilem dicebat fratrem simplicem, officium prædicandi non habentem, per quem generantur filii, id est, Ecclesia Dei. I. Cor. 4. « In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui ; » talis frater simplex exemplari vita plus proficit sibi et aliis, quam prædicator verbosus; et idem dicendum de aliis simplicibus personis, quæ sunt vitæ exemplaris. S. Franc. *in opusc. Coll.* 2.

Tertullianus olim Gentilibus, Christianos, quod parum loquerentur, accusantibus, his verbis respondit : Etsi eloquium quiescat,

ipse habitus clamat. Tertull. *de Pall.* c. vi.

S. Bernardus de S. Malachia Episcopo dicit : Ipse regula erat fratrum, legebant in ejus vita, quomodo conversarentur. S. Bern. *de Vita S. Malach.*

Cum populus Israeliticus Jordanis alveum transire deberet, ut terram promissionis ingrederetur, omnium primi transierunt sacerdotes, quos reliquus populus secutus est ; ita ex Dei voluntate, præcipiente Josue, merito sacerdotes terrorem populo excutere debuerunt, ne undis irruentibus suffocarentur. Jos. c. iv.

Utilitas. — Quando in Africa cum tanto integritatis veræ fidei dispendio Donatistarum persecutio effervescebat, jamque Donatus Episcopus innumeros pervertisset, eorumque animos suis imbuisset erroribus, Constans Imperator duos viros sanctissimæ vitæ, summaque pietate præditos, Paulum videlicet et Macarium, velut Legatos suos illuc misit, simulque cum illis copiosissimas illuc eleemosynas ablegavit, sub prætextu eorum paupertatem sublevandi, revera tamen ut populum hoc modo liberalitate sua beneficiis affectum ad unionem cum Ecclesia Catholica ineundam alliceret et provocaret ; accidit autem, quod, dum Legati Imperatoris jussa exequerentur, Donatus se illis inverecunde opposuerit, Principis illius famæ graviter detrahendo, et velut alter Judas contra ejusdem liberalitatem fremendo, et murmurando ; inter cætera vero suis præcepit, ne quisquam pecuniam ab Imperatore Catholico transmissam recipere præsumeret. At vero quid tandem evenit ? Omnino videlicet oppositum illius, quod Donatus machinabatur irritum erat ; populus namque oculos, magis autem cor suum, aperiens ad videndam et considerandam Constantis pietatem : Impossibile esse dicebat, quin fides, quam Imperator profitebatur, verissima et indubitata esset, utpote quæ cum tanta compassione et charitate conjuncta erat ; e contra vero Donatistarum sectam falsam, atque hæreticam esse dixerunt, utpote qui ex operibus misericordiæ, quæ a sanctis viris illis profusis manibus fiebant, scandalizabantur et pervertebantur. Baron. *Ann.* 348, n. 20.

S. Bernardus, cum Monachi sui illi dicerent, se silentium servando nullum aliis sodalibus suis voce et ore præstare posse emolumentum, respondit : Non deerit certe, quod facias, tantummodo charitas fraterna non desit ; nullum ergo consilium melius arbitror, quam si exemplo tuo fratrem docere studeas, quæ oporteat fieri ; provocans eum ad meliora, et consulens ei, non verbo, neque lingua, sed opere et virtute. S. Bern. s. 2 *de Adventu.*

Laurentius Surius de S. Luciano Martyre refert, quod multos infideles per suam vitæ modestiam, exterioremque morum compositionem ad fidei nostræ veritatem agnoscendam induxerit ; unde Maximianus Imperator pro tribunali sedens, ut illum ad martyrium condemnaret, timensque, ne id ipsum sibi eveniret ipsum procul ab oculis et conspectu suo collocari præcepit. Surius, 7 *Januarii.*

In vita S. Abrahami Eremitæ legitur, ipsum quidem omnibus viribus in id connisum fuisse, ut paganos nonnullos obstinatos ad veri Dei notitiam perduceret, verumtamen multo tempore in vanum laborasse ; postquam vero multas ab iis recepisset injurias, verbera, et contumelias innumeras, cum aspera omnia pateretur, magis ac magis amor ejus et charitas augebatur. Unde factum est, quod die quadam simul congregati, hos inter se sermones miscuerint : Cernitis tam magnam patientiam viri, et ineffabilem circa nos charitatem, quomodo in tantis tribulationibus, quas ei intulimus, nequaquam ex hoc loco discesserit, neque aversus est a nobis, sed cum gaudio magno sustinuerit universa ? Unde nisi esset (ut asserit) Deus verus, quem prædicat, et Regnum, et Paradisus, ultio quoque malorum, non hanc tribulationem pateretur inaniter. Venite itaque, credamus in Deum, quem prædicat ! Pariterque omnes in Ecclesiam pergunt, clamantes atque dicentes : Gloria Deo cœlesti, qui misit famulum suum, ut nos ab errore salvaret. *Vita*, I, p. l. I, c. vi.

In annalibus Capuccinorum scribitur, quod cum Angelus de Joyeuse (qui Dux, Par et Marescallus Franciæ fuit) Provincialis Parisiensis esset, et nonnullos Flandriæ conventus visitaret, atque circa vesperam in castellum quoddam, cujus dominus hæreticus erat, pervenisset, ab eodem domino charitativum propter Deum hospitium, petierit ; qui illum in stabulum quoddam duci jussit, quod tecti expers, et semidirutum erat, in quo nocte illa magna cum lætitia commoratus fuit ; diluculo vero sequenti, cum, ab inde recedens, in itinere quemdam dicti Baronis amicum obvium haberet, ab illo interrogatus, quomodo a dicto Barone tractatus

fuisset, respondit : Optime, et quidem valde te obtestor, ut magnas illi nomine meo pro concesso hospitio gratias agas. Quod cum ille apud præfatum dominum exequeretur, isque, quinam hi Capuccini fuerint, ab illo requisivisset, mox ut unum illorum Patrem de Joyeuse fuisse intellexit, concenso equo, celerrimo cursu ipsum est insecutus, cumque ad illum venisset, ad ejus pedes prostratus veniam ab eo petiit; cumque sanctus ille vir Baronem hunc ad hæresim, quam profitebatur, ejurandam hortaretur, tantum in illo visum a se dicti servi Dei humilitatis, mortificationis et patientiæ exemplum prævaluit, ut paucis ab inde diebus ad Orthodoxam fuerit fidem conversus. Quodque in hoc hæretico prædicationes et doctrinæ Catholicorum ad errores suos detestandos facere non potuerunt, id tandem obtinuit virtus tanta cum ædificatione, et per actum adeo heroicum ab hoc perfecto Religioso exercitata. *Annal. Capuccin*, ann. 1518, n. 88.

S. Philippus Nerius, cum adhuc sæcularis existens, post absoluta studia sua vitæ spirituali totaliter deditus esset, coram Confraternitate SS. Trinitatis (quæ ipsum suum Fundatorem habere gloriatur) ante Santiss. Sacramentum sermonem faciens, in unico tantum sermone triginta juvenes licentiosos et dissolutos convertit; notatque historia, conversiones istas non facundiæ, doctrinæ, et talenti sui, sed potius magnæ æstimationis, in qua ipsum ob sanctam ejus vitam habebant, efficacia effectas fuisse; multi, qui eo ad ipsum audiendum accesserant, ut eum deriderent, videntes hominem laicum de materiis sacris et spiritualibus sermocinantem, sermonis ejus efficacia capti, conversi fuerunt. *Vita*, l. I, c. VIII, n. 3.

Convallo, Rege piissimo, in Scotia regnante, religio Christiana mirandum in modum floruit, adeo ut S. Columbanus de industria ex Hibernia, eo se contulerit, ut de incolarum sanctitate gaudere posset; cumque inde reversus interrogaretur, quænam ibi vidisset miracula? respondit : Vidi unum instar omnium, Regem videlicet Convallum, qui in mediis deliciis et peccatorum incitamentis cum Monachis et Episcopis de sanctimonia contendit; qua de causa suis ita est reverendus, ut ipsi nec aliis injurii, nec de Rege hiscere sinistri quidpiam audeant. HECTOR BOET. *Hist. Scot.* l. IX.

Celebre est illud Ebbe Abbatissæ facinus, quæ ne periclitantem per inimicorum incursiones castitatem contaminaret, labia sibi præscidit; cujus generosi facinoris exemplum cæteræ moniales consectantes, palmam sibi acquisivere Martyrii, simulque illibatum virginitatis lilium custodiere. MANSI, dis. VI, n. 6.

De Alphonso Rodriquez, Coadjutore e Soc. Jesu, scribitur, quod solo aspectu ejus, qui eum intuebantur, componebantur et movebantur ad devotionem, et desiderium ejus imitationis, eo quod fervor interior illius, per omnia ejus membra et sensus, tamquam vapor quidam effunderetur, et fumus ex igne incluso. Porro, ut alibi in ejus vita additur, cum tanta modestia Missæ ministrabat, ut circumstantes, eo viso, componerentur, et ipsi Sacerdotes, tantum sciendo illum assistere, accenderentur fervore et extraordinaria devotione. Ideo multi sæculares utriusque sexus procurabant adesse Missæ, cui ministrabat Alphonsus, quia experiebantur in se, ejus aspectu solo, singulari valde in corde fervore excitari. *Vita*, l. I, c. XI.

Duo aulici Theodosii, ex lecta S. Antonii vita usque adeo immutati sunt, ut sponsas, quas ducere decreverant, reliquerint, et Religionem fuerint ingressi. JUL. FAT. *de Mort.* c. XXVII.

S. Afra, cum apud eam adhuc ethnicam S. Narcissus divertisset, usque adeo exemplis ab eo datis ædificata est, ut et baptizari petierit, et paulo post fidem glorio o martyrio propugnarit. SURIUS, 7 *Aug.*

Quidam Prælatus sæcularis, eo quod suis subditis exemplo vitæ per viginti annos summa diligentia præluxisset, in morte tanta luminis coruscatione circumdatus est, ut per unam leucam et amplius ut clarissima dies videretur. *Spec. Ex.* dist. V, ex. 12.

Reynerius Marchio, homo impudicus, dicere solebat : Nec Imperator, nec alius homo tantum mihi potest metum incutere, quantum me Romualdi terret aspectus. Ante ejus quippe vultum neque, quid dicam, scio, neque, quibus me defendere valeam, invenio. SURIUS, *in Vita S. Romualdi.*

Quidam Franciscanus interrogatus, cur ipsius conciones, licet facundissimæ, non eamdem efficaciam haberent, ac S. Bernardini conciones? respondit, se comparari posse carboni calido, sed non ignito; S. Bernardinum vero ignito carboni similem esse ob vitæ sanctitatem; unde mirum videri non debere, si non perinde suæ, ac S. Bernardini, conciones accenderent. Id. *in Vita S. Bernardini.*

Dum Ludovicus Granatensis noctu acriter in se flagellis animadvertit, duo lascivi adolescentes, qui casu prope ipsius cubiculum præterierant, adeo immutati sunt, ut et a meditato scelere abstinuerint, et sequenti die ad confessionem ei faciendam accurrerint. P. Joan. Rho. l. VII, c. v, § 22.

Quidam latro a S. Abbate ad Monasterium ductus, cum ei a Fratre quodam omnia necessaria liberaliter suppeditarentur, ipse vero postea coram eo panem in terra et aquam sumeret, adeo tanto exemplo permotus est, ut ad pedes Abbatis se prostraverit, et in pœnitentiis postea susceptus alios omnes superaverit. *Spec. Ex. dist.* ix, *ex.* 46.

Joannis Mendozæ servus, e Mahometana superstitione cum nullis promissis ad fidem Catholicam perduci potuisset, solo exemplo domini sui Soc. Jesu ineuntis permotus, convertit sese. *Hist. Soc.* p. II, l. I, n. 42.

Anno 1552, in Jolio præcipua civitate Morotiæ, quæ est insularum una, quæ Moro nomine comprehenduntur, magnam stragem fides passa est. Illi enim cives a S. Francisco Xaverio conversi, qui sua manu eorum viginti quinque millia baptizavit, et a P. Joanne Beira sollicite exculti, subornantibus Saracenis eversi sunt. Cum enim in ea urbe Magistratuum unus palam fidem abnegasset, eodem die omnes incolæ sunt ejus exemplum secuti, ita ut, ubi mane erant triginta millia Christianorum, vesperi ne unus quidem superesset. Eas vires exemplum in majoribus habet. Bartoli. *Asiæ* t. I, l. VI.

Ad prædicationem Jonæ Prophetæ primus pœnitentiam egit Rex Ninivæ, qui suo exemplo universum populum ad pœnitentiam faciendam induxit, et ab ira Dei liberavit. Jonæ, c. III.

Regulus Christi miraculo ac beneficio ad credendum inductus, non solum credidit ipse, sed et domus ejus tota, ejus auctoritate et exemplo commota. Joan. c. IV.

Pacomius cum gentilis adhuc in Constantini Magni exercitu militaret, annum vigesimum agens, et deficiente victu, fame omnes enecti essent, cum suis appulit in quoddam Thebarum oppidum. Vesperi autem cum cives vidissent eos in satis tuta esse custodia et de eis audissent viri Christiani et misericordes, attulerunt eis omnia, quæ erant ad usum necessaria, et valde magnum eis præbuere solatium, cum essent in maxima afflictione. Cum Pacomius vidisset quod ab eis factum fuerat, et hoc valde esset miratus, didicit ab eis qui una cum eo erant, Christianos erga omnes quidem, præcipue autem erga hospites esse benignos et misericordes. Rogante autem eo, quidnam esset appellatio Christianorum, dicebant : Sunt homines pii et Deum colentes, credentes in nomine Unigeniti Filii Dei Jesu Christi, et omnibus benefacientes, sperant ab eo mercedem remunerationis. Ipsis autem hæc ei dicentibus, mente illuminatus, fidem Christianorum admiratus, et metu Dei corde inflammatus et spiritu exultans, cum parum secessisset et apud se fuisset, manus suas in cœlum extendit, et dixit : Domine Deus, qui fecisti cœlum et terram, si respiciens respexeris humilitatem meam, et mihi tuæ divinitatis dederis cognitionem, et me liberaveris ex hac afflictione, tibi serviam omnes dies vitæ meæ, et convenienter tuis præceptis vitam instituam. Cum ergo esset precatus et sic Deo pollicitus, uno die postea egressus e custodia cum iis, qui cum ipso erant et navim ingressus, navigavit ex illo oppido. Interea autem dum in aliena regione versaretur, si quando eum carnis voluptates, aut rerum aliquarum mundanarum vexarent cupiditates, valde aversabatur, precum memor, per quas mente illuminatus Christum fuit professus. Baronius, t. III, *Annalium.*

Cum puer quidam Judæus, qui postea baptizatus Constantini nomen tulit, matrem suam, nescio quo euntem sequeretur, vidit hominem Christianum, qui dum in terræ scrobem quamdam prolaberetur, signum crucis ori imprimebat, cujus puer secutus exemplum et ipse deinceps crucem subinde efformabat, sacraque tandem Christiana amplexus, ardenti fide prosecutus est. Cum puella illum Hebræa (pudoris extorquendi causa) invaderet, illam signo crucis repente exanimavit, rursumque postea in vitam revocavit. Hic cum præfecto Monasterii statum vitæ suæ exponeret, jubet ille proferri crucem, et ab eo salutari ; cujus cum beatus iste pedem osculo libaret, tota fronte et brachiis veneranda crux sese in sancti pueri verticem submittens characterem crucis capiti indelebilem impressit, quem per omnem postea vitam servavit. Dignus ergo baptismatis gratia judicatus, Sacris Christianis est initiatus, et Constantinus dictus. Jacob. *Gest de Cruce*, l. V, *Græcorum* c. XLIII ; *ex Menato Græcorum*, 26 *Decemb.*

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius ex lectione vitæ Christi ac Sanctorum, atque adeo præclaris eorum exemplis commotus, atque ad meliorem vitam conversus est. Ipse vero usque adeo mores suos ad perfectam regulam morum composuit, ut P. Ludovicus Consalvus fassus sit, se nullo tempore lectionis vel orationis tantopere ad amorem Dei incitari, quam eo tempore, quo S. Ignatium aspexisset. PLATUS, l. II, c. XXVI.

S. Franciscus Xaverius in convertendis Ethnicis potissimum vitæ sanctitate et exemplo utebatur; hinc et ad idem opus socios lectissimos et primarios proferebat, auctoritatem sequens Apostolorum, qui, cum audissent, recepisse Samariam verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem, Apostolorum Principes. Quocirca censebat ad Apostolorum munus deligendos viros egregia diuque spectata fide, virtute, constantia et sanctitate. Et Dominicæ vineæ operariis prudentiam magis ac sanctitatem, quam scientiam doctrinamque expetebat. Dicebat etiam, quod boni virtus non pariat, humanas artes haudquaquam parituras sine virtute. TURSELIN. *Vita*, l. VI, c. *ult.*

S. Franciscus Borgias jussus est a Rege etiam imparatus cathedram ascendere, dicente, sufficere, si nec verbum dicat, sed solo suo exemplo concionetur. RODRIQ. p. III, tr. I, *Vita*, l. II, c. XVII.

P. Petrus Faber verba dividebat in verba verborum, verba cogitationum, et verba factorum, ac per hæc exempla intelligebat, quæ cæteris multo essent efficaciora ad persuadendum. LANCIZ. *opusc.* I, n. 384.

Cum anno 1551, Joannes Ferdinandius Amanguzii ad populum diceret, et præteriens Japonus sputum in os illius projiceret, ipseque sine omni motu, verboque addito, linteum extraheret, faciemque abstergens concionari pergeret, adeo quidam Ethnicus, id spectans, hoc exemplo mutatus est, ut post concionem ad Fernandium accurrerit, et in fide instructus omnium primus Amanguzi sit baptizatus. MAFF. l. XIV, *Hist. Ind.*

Panormi, Mahometanus nobilis Collegio donatus, post triennii adhortationes et preces, tandem nulla re magis, quam assiduis Sociorum exemplis ad Catholicam fidem amplectendam adductus est. *Hist. Soc*, l. XIII, c. XXI.

In Brasilia, quidam e nostris a Superiore ad peccatorem quemdam convertendum missus, domi illius aliquando hominem redeuntem operitur; sed dum orditur recta monere : Melius, respondet alter, vas istud sordidum purgares, et aquam cujus nihil est domi afferres. Quod cum utrumque is statim magna cum alacritate fecisset, a fonte cum aqua rediens hominem adeo immutatum invenit, ut in lacrymas solutus, omnem dein vitam suam puerorum Brasilorum ministerio dedicarit. Ib. *t.* XI, n. 78.

Conimbricæ, cum nostri in nullo pretio essent, vererenturque Academici ad Patres nostros accedere, jussit P. Simon Rodericius Emanuelem Godinum, nuper in Societatem receptum, cultu, ornatuque discipuli extra Societatem ad tempus esse, suo ut exemplo reliquam juventutem ad confessionem alliceret, eoque cultu annum fere transegit, Simonis haud irrito voto. Ib. l. III, n. 83.

Compluti, cum anno 1547, P. Villanova et socii morbo affecti ex misericordia in D. Ortizii ædibus decumberent, et iis famuli jussu domini inservirent, hi adeo exemplo vitæ et colloquiis eorum spiritualibus accensi sunt, ut duo Societatem ingressi sint, alii duo quoscumque redditus suos Societati tradiderint. Ib. l. VII, n. 84.

Venetiis, anno 1551, Joannes Baptista Elianus, adolescens Hebræus, ductus ad P. Andream Frusium, tum hujus, tum aliorum sociorum, et unius maxime pedes aliorum lavantis exemplo et pietate permotus, Baptismum suscepit, et in Societatem suscipi petiit. Ib. l. XI, n. 33.

Romæ, cum Hæreticus adolescens in carcerem inclusus a nullis Theologis ad frugem reduci posset, tandem S. Ignatio traditus, et ab hoc in domum receptus est, ubi blande aliquamdiu tractatus, paulo post ultro hæresim abjuravit, catholicam fidem professus est. Rogatus dein, cur, qui ante nulli terrori cessisset, Patris sermone flecti se passus sit? respondit, se ita secum ratiocinatum fuisse, fieri haudquaquam posse, ut a tam integra, innocentique vita, commodisque moribus, tantaque animorum conjunctione et pace, vera ac germana fides abesset. Qualia autem fuerint exempla, quæ viderat, explicat auctor his verbis : Erant tum domi præter sex Professos, duodecim fere alii, qui se nuper cum Societate conjunxerant, et suum quisque munus curabat alacriter. Flagrabant apud eos studia priscæ pietatis, paupertatis, et

Crucis Christi. Summa erat in obtemperando voluntas, ingens alacritas in obsequiis, mirus in convictu candor animi, simplices mores, compositi ad modestiam vultus, probitatis indices et cultus interioris, spectaculum superis hominibusque jucundum. Nulla nisi virtutis æmulatio, nulla vox querelarum. Mutuis officiis certabant omnes, honore invicem prævenientes. Sola erat de humilitate contentio, pacis genitrix et concordiæ. Qui, cum essent ex tanta morum, nationum, ætatum varietate permixti, inter se tamen velut unum corpus et unus spiritus concordissime vivebant, ut non tam hominum in terris degentium, quam Angelorum cœtus in humanis cordibus viderentur. Nulla virtutis disciplina præstantior illorum vel consuetudine, vel exemplo, aptis etiam ad permutandos perditos et profligatos mores. Ib. l. III, n. 13.

EXEMPLA PROFANA.

Aurelius Imperator philosophica studia reducere volens, postquam primus ipse palæstram ingressus est, mox omnes ad sui sequelam pellexit. Liræus *in Apopht. S. Ign.* lib. I, *apopht.* 4.

Ludovicus XII, Franciæ Rex, quia filium ob valetudinem afflictam nolebat litteris imbui, effecit, ut passim omnes Nobiles, litteras contemnerent, quas tamen cum summa aviditate resumpserunt, ubi Franciscum Primum tantopere litteras amare, litteratosque fovere conspexerunt. Ibid.

Cum magnus Alexander collo nonnihil obtorto esset, usque adeo aulici imitari eum studuerunt, ut amicus Regis non crederetur, qui collum non obtorqueret. Ibid.

Æthiopes, teste Isidoro Siculo, tantis Reges suos amoribus prosecuti sunt, ut ad eorum imitationem vivere, vestiri, comedere, bibere, loqui, incedere, acquiescere, immo et oculum unum effodere, si Rex monoculus esset, solerent. Ibid.

Alexander Macedo interiorem Persidem penetraturus, cum ad viam nivibus obsitam, geluque constrictam pervenisset, ab eaque ineunda fatigatum militem abhorrere videret, ex equo descendit, primusque dolabra sibi viam fecit, sicque effecit, ut et milites prompte sequerentur. Curtius l. V, 6, 14.

Theodosius Imperator cum in mensa frugalitati præcipue studeret, effecit, ut in omnes nobilium Romanorum mensas eadem frugalitas penetraret, uti de eo Pacatus his verbis testatur : Tuæ, Imperator, epulæ locorum ac temporum fructibus instruuntur; hinc certatim in omnes luxuriæ pudor inolevit, et quiescentibus legum minis, subiit quandoque privatim sua pœnitentia. Sic est enim, sic est, exasperat homines imperii correctio, blandissime jubetur exemplo. Pacatus, *in fine orat.*

Zeno Stoicus dicere solebat, malle se unum Indum videre, qui se sponte flammis absumat, quam omnes de patientia audire et discere probationes. Clemens Alex. l. II, *Strom.*

Carolus Quintus Imperator, cum ad Albim fluvium cum suo exercitu venisset, primus inauratis armis conspicuus, generoso equo trajecit; quo exemplo permoti milites, mox et ipsi peditibus a tergo equorum insidentibus fluvium ingressi, eoque superato insignem victoriam retulerunt. Surius, *in Comm.*

Alphonsus, Rex Aragonum, cum moneretur, ut habitu plebeio, quo utebatur, rejecto, regali uteretur : Malo, respondit, moribus et auctoritate meos excellere, quam diademate et purpura. Æneas Silvius, *de Dictis Alphonsi.*

Duo Reguli, extra Sinarum fines positi, cum de regni sui limitibus jam diu contenderent, statuerunt in Sinas ire, et Changi æquissimi apud Sinas Reguli judicio stare. At ubi Sinas ingressi, vident, unum alteri agrum conserendum ultro cedere, in via honoris causa cedere, certare officiis, amissa a nemine humo tolli, in palatio præfectos se amice complecti, erubescentes, nec ultra progressi, aiebant, se hoc exemplo doceri quid fieri expediret, et jam ipsi inter se cedere certabant. P. Mart. l. III.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut Phrygio pretiosam auri telam concidit, ut opus inde pulcherrimum efficiat; ita Deus suos Sanctos, dissecari velut pretiosissimas telas permisit, ut inde nobis pulcherrimum exemplorum opus relinqueret. Julius Fatius, c. xxi.

Sicut in foro plurimi opifices conveniunt, quorum unus panes, alter olera, tertius vestes vendit; ita in orbe nemo omnes virtutes habet, ut, quod ipsi deest, ab aliorum exemplis mutuetur. Platus l. I, c. xxvi.

Sicut pictores, cum imaginem depingunt ab alia imagine, identidem ad exemplaria respiciunt; ita, qui se in omnibus virtutibus perfectum efficere cupit, elaborare debet, ut quasi ad simulacra motu et actione prædita, ad vitas Sanctorum, assiduo oculos convertat. S. Basil. *in ep. ad Gregor.*

Sicut, qui se comunt, continuo specula aspiciunt; ita qui negotium feliciter et præclare gerere cupit, laudatorum virorum exempla sibi proponat. Plutarc. *in Moral.*

Sicut Zeuxis picturus Junonem, quinque virgines pulcherrimas accepit, ex quibus quod pulcherrimum erat, in suam imaginem transtulit; ita e plurimis optimi ad exemplum vitæ proponendi, et ex iis, quod optimum est ad imitationem assumendum est. Langius *in Polyanth.*

Sicut columbæ, una visa avolante, sequuntur omnes; pullus in armento equorum exiliens, secum omne armentum rapit; arietem grex omnis sequitur; sic inter homines fieri solet, utpote animal sociale, et ad morum communicationem proclive. Staplet. tom. VIII, *in Dom.* xx, *post Pent.*

Sicut medicus, ut infirmo medicinam præscriptam minus insipidam, ingratamque esse demonstret, ipse prius eam degustat, ut ad simile exemplum æger prompte medicinam absorbeat; ita Salvator, quando medicinam jejunii præscripsit, ipse sibi primus, ut bonus humani generis Medicus poculum, quod ægro daturus erat, gustat, ut peritiam artis suæ ante in se ipso demonstraret, et experimentum æger accipiens securus sit de poculo, securior de salute. S. Ambr. s. 59.

Necessitas. — Sicut ii, qui Mathematicam addiscunt, si nonnumquam Theoricam non satis intelligunt, illis in practica præfigurantur anguli, circuli, vel aliæ figuræ, ut tanto magis ipsis imprimantur, et intelligibiliores reddantur; eodem modo, inquit S. Thomas Villan. Deus noster in Evangelio Theoricam nos docet perfectionis, quam ut melius assequi, nobisque comparare valeamus, eamdem quoque nobis demonstrat, prout practice exercita e t a Sanctis; ut, qui virtutum formam non intelligit, videndo sciat, quantum in se nobis, et in cæteris Christianis congregationibus, vita unius viri sancti inspecta, aliis proficiat, experientia demonstrat. S. Th. Vil. *Conc.* II, *Dominic.* 2. *Quadr.*

Sicut in corporibus, sic in imperio gravissimus est morbus, qui a capite descendit, nec aliunde fere tanta pernicies venire membris politicis, quanta ab ægris capitibus, et moderatoribus flagitiosis, solet. Felices ergo Respublicæ, quarum sana sunt capita; at væ illis, quæ gubernatores habent secundum animam infirmos! Plinius Junior. l. II, ep. lxii.

Sicut viæ ingressus affert laborem, magis autem, quando fuerit solus viator, et nullum habet viæ comitem; ita etiam hic. Non parva enim res est fratrum societas et adhortatio; et ideo dicit etiam Paulus. « Considerantes vosmetipsos ad provocationem charitatis et bonorum operum. » Ad Hebr. x, 24.

Sicut, si quis oleo aliquem suis manibus uncturus, oleum non habeat, quomodo impertiverit aliis, quod ipse non habet? Ad eumdem modum de iis, qui docent alios, sentiendum. S. Athanas c.cxx.

Utilitas. — Sicut medulla, quamdiu in arbore fuerit sana, semper floret, cum autem comesta fuerit, tota paulatim marcescendo siccatur; sic et quamdiu sunt fideles, stat iste mundus, et cum sancti de isto mundo deficient, casurus est mundus. Auctor *Operis Imperf.* hom. I.

Sicut infirmæ arbores, quæ se in altum erigere nequeunt, ut vitis, hedera et similes, alias arbores apprehendunt, earumque nexibus in sublime se extollunt; ita homines imperfecti exemplis perfectorum ad perfectionem excitantur. Staplet. tom. VIII, *in Dom.* xx, *post Pent.*

Sicut si plures simul currant, tum maxime suam quisque tarditatem deprehendit; ita et Religiosus quisque numquam magis cognoscet, quam parum profecerit, quam si ad alios ante se currentes attendat. Platus. l. I, c. xxvi.

Sicut pauperes, cum thesauros regios aspiciunt, suam paupertatem amplius cognoscunt; ita et magnificas Patrum virtutes unusquisque relegens, mentem suam amplius humiliat. S. Clim. gr. 26.

Sicut equus etiam pigerrimus ab aliorum celeri cursu ad sequendum excitatur; ita et homo acediosus ad currendum in via Domini, aliorum exemplo incitatur. S. Clim. l. VI.

Sicut columbarii, ut aliorum columbas capiant, unam vel alteram balsamo inungunt; ita Christus animas Apostolorum inunxit virtutum balsamo, ut alii fideles hoc

odore attracti cum iisdem in cœlum perducerentur.

Sicut cœli, licet taceant, solo suo aspectu homines ad laudem Dei invitant, maxime cum noctu stellis illustres apparent; ita et homines perfecti et virtute conspicui, Deum etiam silentes laudari faciunt. S. Chrys. hom. III, *in Gen.*

Sicut heliotropium ad motum solis; ita populares ad mores Principis efformantur et vertuntur. Alphons. Arag. Rex.

Sicut ex sanitate capitis sanitas derivatur in membra, ex luce solis toti orbi communicatur lumen; ita ex Principe bonitas in populum descendit. Beirlink. them II, *in Fest. Nat.*

Exemplum malum. — Sicut solis defectus magnam mortalium perniciem trahit; ita Regentis error magnam gignit in subditis perturbationem. Lang. *in Polyanth.*

Sicut typo librario uno apud typographos vitiato, omnes postea reliqui libri inde impressi vitiati prodeunt; ita unius Principis offendiculum, totius populi fit vitium. Granat. *in Loc. Com.* s. CCCLXXVII.

MOTIVA.

Quia exempla conducunt ad glorificandum Deum, uti Christus indicavit, dum dixit: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Matth. V, 16.

Quia efficacissimum instrumentum sunt ad lucrandum proximum; nam, ut Seneca recte dixit: Longum iter per præcepta, breve et efficax per exempla.

Quia conducunt ad humiliandos nos; sic S. Antonius a S. Paulo revertens dixit: Heu me miserum peccatorem, qui non nisi umbra sum Monachi, falso Religiosi nomine glorior! Vidi Eliam, vidi Joannem Baptistam in deserto, cum vidi Paulum in Paradiso. S. Hier. *in Vita S. Pauli Erem.*

Quia ad imitationem præclarorum factorum provocant; hinc S. Paulus Hebræos hortatur: Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. Hebr. XXIII, 7. Et confirmans id ipsum S. Gregorius in illud: Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis (Ps. LXXV, 5), ait: Ex æternis montibus Deus nos illuminat, quia per admirandam vitam Patrum præcedentium radio nos suæ claritatis illustrat.

Quia roborant in adversis; cum idem quodammodo dicant, quod olim Continentia S. Augustino dixit: Potuerunt isti et istæ, et tu non poteris? Vere enim non difficile æstimatur, quod jam factum conspicitur. S. Greg. l. XXVII, *Mor.* c. V.

Quia consolantur in tribulationibus; cum enim solamen sit miseris socios habere, non potest non magnum haurire solatium tribulatus, si Christi et aliorum Sanctorum exempla ob oculos ponat.

Quia sunt occasio Sanctos summe honorandi; summa namque religio est imitari quod colimus, teste S. Augustino, *de Imitatione Christi*. Et, juxta S. Ildephonsum, non tantum illis prodest nostra laudatio, quantum nobis eorum imitatio.

Quia Christus suo exemplo commendavit; hæc enim potissima Incarnationis Verbi causa fuit, ait S. Laurentius Justinianus, quatenus per assumptum hominem documenta saluberrima (quod Magistri et Doctoris munus est) tribueret Deus, quibus peccator homo amissa recuperaret dona, deformatam reformaret imaginem, et cœlestem, a qua elongaverat multum, remearet ad patriam. S. Laur. Just. *in Fest. Exal. S. Crucis.*

Quia conducunt ad convincendos infideles; plerumque enim contingit, ut pagani, qui vituperabant Fidem Christianorum, postea considerantes bonam eorum conversationem, Christum laudare incipiant. Hinc S. Petrus ait: « Ut in eo, quod detrectant de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis. » Glossa, in I *Petr.* c. II. Immo, ut S. Chrysostomus ait, *convincunt magis opera virtutis, quam miracula;* cujus mox rationem reddit, dicens: Hæc namque ficte fieri possunt, vel si vere, etiam ab improbis per gratiam gratis datam. S. Chrys. *de S. Babyla.* Et consentiens S. Prosper: Plus, inquit, fideles Catholicos bonis exemplis, quam luculentis verbis solere proficere, eamque esse summam perfectamque doctrinam, quam conversatio spiritualis ostenderit, nunquam inanis sermo jactaverit. S. Prosper. I. I, XVII, *de Vita contemplativa.*

MEDIA.

Amor Dei; sic enim incitabimur, ut per bona exempla nos veros esse filios Dei ostendere studeamus, sicque glorificemus Patrem nostrum, qui in cœlis est.

Amor communitatis, cui adscripti sumus; sic enim non modicos stimulos ad vitam exemplarem sentiemus, utpote scientes, toti communitati adscribi, quidquid ab uno menmembro patratur.

Amor, seu zelus proximi; hic enim vehementer impellet ad bona exempla, velut primarium conversionis alienæ instrumentum, arripienda.

Amor ordinatus nostri ipsorum; sic enim studiose observare conabimur, quod S. Paulus monet : In omnibus præbe teipsum exemplum bonorum operum, in doctrina, verbum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens dicere de nobis. II, ad Tit. 7.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, *cur Superiores præcipue bono exemplo prælucere debeant;* nimirum quia ipsi sunt cœli respectu subditorum, quia sicut motus cœli est regula omnium motuum inferiorum, ita opera Prælatorum debent esse regula subditorum. Sed dicitur (Jer. IV) : *Aspexit cælos, et non erat lux in eis.* Unde fit, teste S. Fulgentio, ut qui sunt in sæculi culmine constituti, aut secum plurimos perdant, aut secum multos in via salutis acquirant. S. Fulg. epist. VI. Quare S. Gregorius ait : Sit Rector operatione præcipuus, ut vitæ viam subditis vivendo denuntiet, et grex, qui pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius, quam per verba gradiatur. Ex virtuosa quippe vita, ac informatione Superiorum in tantum dependet profectus et salus inferiorum, ut per Jeremiam Dominus protestetur : « Quoniam stulte egerunt pastores, propterea omnis grex eorum dissipatus est. S. Greg. p. II, *Past.* c. III. Et confirmans id ipsum S. Hieronymus : In te, inquit, omnium oculi diriguntur, domus tua et conversatio quasi in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ; quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant. S. Hieron. *ad Heliod.*

Nosse debet, *ad quem finem exempla dirigantur,* id quod S. Laurentius Justinianus indicavit : Virtutes Sanctorum in litteris annotatæ, sunt tanquam luminaria in opaca noctis caligine viatoribus exposita, quo sine offensione pergere, et ad quem suæ peregrinationis finem, intentionem suam sistere debeant. S. Laur. Just. c. XIII, *de Justit. Prælat.* Hinc Thomas Kemp : Non vales tu, inquit, omnes posteros ditare, nec cuncta damna præcavere, stude potius post te relinquere exemplum virtutis, quam sufficientiam terreni census. Th. Kemp. *Conc.* XVIII.

Nosse debet *virtutem exemplorum,* quam recte indicavit, qui dixit : Exasperat homines imperata correctio, blandissime docetur exemplo. Pacatus *in Panegyr. Theodosii.*

Nosse debet, *etiam prava exempla in nostram utilitatem esse convertenda.* Hinc Maria, Moysis soror, supplicio afficitur, ut Aaron confusione mutetur, inquit Salvianus ; hæc enim est semper incredulitas humanæ duritiæ, ut non solum audiendo, sed etiam videndo non credat, alios interiisse, nisi et se ipsam viderit interire. Salvian. l. I, *de Prov.*

Nosse debet, quod prudenter Cassiodorus monuit, dicens : *Non aliena exempla perquiras. Memor esto, quæ feceris, et non indiges admoneri.* Cassiod. l. IX, *Var. Epist.* VIII.

Nosse debet et observare doctrinam Cassiani dicentis : *Exempla tibi sunt imitationis ac vitæ perfectæ in congregatione commorantis, a paucis, immo ab uno vel duobus, non a pluribus expetenda.* Cui consentit S. Bernardus, dum ait : Eligè tu ipse tibi hominem consilio meo, cujus vitæ exemplar sic cordi tuo insederit, reverentia inhæserit, ut, quoties ejus recordatus fueris, ad reverentiam cogitati assurgas, et teipsum ordines ac componas, ac si præsens sit, in affectum mutuæ charitatis emendet in te omnia emendanda, et tamen nullum patiatur damnum secreti sui solitudo tua. Hic præsens tibi adsit, quandocumque volueris; occurrat sæpe et cum nolueris. Increpationes ejus describe tibi. S. Ber. *ad FF. de Mont. Dei.* Sic Petrus Blesensis de seipso testatur : Diu a retroactis temporibus aliquem tui Ordinis (Cisterciensis) virum semper mecum habui, meæ conversationis testem, mei que corporis et animæ Angelum et Custodem. Unum tamen elegi, et præelegi mihi dilec-

tum Deo et hominibus, quem judicio meo longe differentius multis quædam præeminentia probatissimæ illustrat religionis etc. Ipse procul dubio Dei est, Canonicæ institutionis serenissimus æmulator, suæ carnis crudelissimus adversarius etc. Memoriam ejus posui tanquam signaculum super cor meum, cujus humilitatem, maturitatem, prudentiam, constantiam, et, ut includam multa paucis, incomparabilem honestatem, in interioribus meis jugi recordatione circumfero, quantumcumque permittit conversatio sæcularis, ad exemplar illius, quasi ad sigilli spiritualis imaginem me consigno. Petrus Blesens. *in Invectiva adversus obtrect.*

Nosse debet, quod, *licet unum velut Ducem et Magistrum spiritualis viæ sequi debeat, non tamen omittat a pluribus interdum ex occasione fructum spiritualem capere;* nam, ut bene Cassianus monet, vetus est beati Antonii admirabilisque sententia, Monachum spiritualia mella condere cupientem, velut apem prudentissimam, debere unamquamque virtutem ab his, qui eam familiarius possident, deflorare, et in sui pectoris vase recondere. Cunctas namque si ab uno volumus mutuari, aut difficile, aut certe nunquam idonea ad imitandum nobis exempla poterunt reperiri. Cass. l. IV, c. IV.

Hinc et Thomas Kempensis monet : Ubique profectum tuum capias, ut, si bona videas, vel audias, ad imitandum accendaris. Si quid autem reprehensibile consideraveris. cave, ne idem facias ; aut si aliquando fecisti, citius emendare studeas. L. II, c. II, § 5.

Nosse debet, et inculcare aliis, *in Sanctis quæpiam frequenter admiranda esse potius, quam imitanda,* adeoque doctrinæ S. Basilii meminerit dicentis : In qua re quisque nostrum senserit se deficere, in illo assidue incumbens, tanquam ab officina quadam medicinæ appositum suæ infirmitati medicamentum invenire poterit. S. Basil. *apud Beirl.* t. XI, *in festo Omnium Sanctorum.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : « Trahe me post te ; in odorem curremus unguentorum tuorum; *Cant.* I, 4; potest ostendi. 1. Quam merito exempla possint odori comparari, juxta illud S. Bernardi : Habent enim mores colores suos, habent et odores ; odorem in fama, colorem in conscientia. Colorem operi dat ejus bonitas, et cordis intentio, odorem modestia et virtutis exemplum. S. Bernardus, serm. LXXI. 2. Quam efficax sit hic odor ad trahendas animas; id quod auctoritate SS. Patrum et exemplis supra allatis probari potest.

Ex occasione thematis : « Vos estis lux mundi ; » Matth. l. VI, n. 15, potest ostendi, quomodo quilibet Superior respectu subditorum suorum debeat esse lux, et tria officia seu effectus lucis producere. Nempe 1. *Purgare*, exsiccando lutum et fœces peccatorum, ita tamen ut ipse, dum purgat, non maculetur. 2. *Illuminare,* docendo ea, quæ ad vitam honeste et pie traducendam sunt necessaria. 3. *Calefacere*, bonis exemplis ad amorem Dei et proximi accendendo; id quod particularibus casibus amplius explicandum erit.

Ex occasione thematis: « Præcedam vos in Galilæam; » potest 1. ostendi necessitas boni exempli in iis, qui præsunt, eumque in finem afferri S. Laurentii Justiniani sententia dicentis : Debet prius dominari sibi, qui causæ constituendus est judex alienæ. Ridiculum est aspicere foris in cathedra residentem et intus in passionum fœtoribus sepultum. S. Laur. Justin. *de Christi Agone*, c. XII. 2. Quomodo debeat practice præcedere, tum in vitiorum fuga, tum in virtutum Christiano competentium exercitio; hoc enim est in Galilæam, id est, transmigrationem, præcedere.

Ex occasione thematis : « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi ; » (Phil. III, 17.) potest ostendi, 1. Quomodo debeamus depingere et imitari Sanctos, scilicet animam nostram pro tabula usurpando, pro coloribus virtutes, pro penicillo actuale exercitium, et oculos semper ad prototypum convertendo. 2. Cur omnem diligentiam in tali imitatione adhibere debeamus, nempe quia, ut S. Ildephonsus dixit, non tantum illis prodest nostra laudatio, quam nobis istorum imitatio ; nam prodest ad humiliationem, instructionem, roborationem, consolationem, remunerationem ; quæ omnia facile ex dictis ostendi possunt.

ALII CONCEPTUS.

Qualitas. — Recte Christus Apostolis dixit : « Vos estis sal terræ ; vos estis lux mundi;» siquidem sal, priusquam cibos condiat, sapidosque reddat, liquesit et consumitur; item candela, ut alios in caligine noctis illuminet, prius colliquescit, et destruitur ; tales itaque omnes eos esse voluit Christus, qui per Evangelii prædicationem impios ad salutis viam reducere debent, salem scilicet et lumen, ut prius jejuniis, vigiliis, peregrinationibus, et eleemosynis sese emacerent ; omnibusque aliis corporalis et spiritualis misericordiæ operibus vacent, quia hoc auditores dociles reddit, et faciles, ut inclinentur, et convertantur. Mansi, disc. II, n. 8.

Acute observavit Episcopus Abulensis, Alphonsus Tostatus, quod Dominus, postquam verbis significasset Moysi quomodo Sanctuarium fabricari, et partes ejus singulas construere deberet, non satis putavit, sermone id illi exposuisse, sed etiam quoddam velut exemplar et prototypum ob oculos posuit, ut coram videret simulacrum, cujus speciem formamque in Sanctuario exprimeret. Quando instruxit Moysen de fabricatione Sanctuarii, non solum dixit ei de singulis rebus, quomodo fieri deberent, sed etiam ostendit ei unam similitudinem omnium, ut videret sibi Moyses totum Sanctuarium erectum. Sed notandum, quod Moysi, cum Sanctuarii construendi negotium perficere jussus esset, simul dictum fuit : « Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. » Exod. 25. 40. Premit hæc Abulensis, inquiens : Non dixit, quod attenderet ad verba, quæ ab eo audierat, sed ad exemplar. Abulens. *in c.* x.

Mellifluus Doctor sapienter annotavit, quod crebro tribuatur Joanni Baptistæ gloriosa appellatio Præcursoris Verbi æterni. Ipse ideo pater illius Zacharias exultans gaudio pro tanto beneficio, cum illum forte brachiis constrictum gestaret, aiebat: « Præibis ante faciem Domini parare vias ejus, » Lucæ I, v. 76, et officium Metatoris hospitiorum supremi, apud Principem æternitatis administrabis. Cum autem hoc officium in eo positum esset, ut lucem ministraret, erudiret, doceret, videamus, inquit Bernardus, quemadmodum lucem hæc fax præbebat, ut inde intelligamus, quomodo tantumdem facere debeant, qui ex vero et legitimo zelo illuminare debent. *Ille erat lucerna ardens, et lucens*, inquit de illo Joan. v, v. 75. Christus ipse, cui præibat Joannes viam, ut exciperetur in mundo. Magnum testimonium, fratres mei ; magnus enim est, cui perhibetur, inquit Serm. de Sancto Joanne. Ingens elogium, gloriosa prædicatio, insignitissima commendatio divini Præcursoris. Et quantus ille, qui tantum meruit encomium ! Et quomodo illum vocat cœlestis Magister? *Erat lucerna ardens, et lucens*, inquit. Primum arsisse memorat, deinde luxisse. Non ait, lucens, et ardens, inquit Bernardus, sed quod ante ardebat, dein lucebat. Nam lucere, ut ardeas, vana diligentia est, verum ardere, ut luceas, Præcursorum Christi verum iter est. Expono sensum meum, ait Bernardus : Lucere, videtur olere hypocrisin et vanitatem ; nam lucere solum, est studere opinioni, et existimationi apud homines conciliandæ ; verum ardere, est solidæ et veræ virtutis nota et indicium. Sed quare dicitur de Joanne, quod venit in mundum, et natus est in Spiritu Eliæ? *Præcedet in Spiritu et virtute Eliæ*. Luc. I, v. 17. Ideo, quod erat lucerna ardens et lucens. Ardebat primum, mox lucebat ; nam qui primum ardet, qui flagrat, qui vivis divini amoris flammis incenditur, ille aptus est, ut luceat, ille virtute et Spiritu ardentis et zelosi Eliæ armabitur. Nam qui solum ardet, et studet inani probitatis existimationi, Patrisque Spiritualis titulum affectat, sola vana Spiritus umbra contentus, nunquam is talis erit, ut doceat cum Spiritu et veritate, quam professio Evangelica postulat. Ardeat Prædicator, ferveat Confessarius, conflagret Dei amore Magister Spiritualis, et non studeat soli cuticulæ suæ curandæ, et carni commode habendæ ; scio enim, quod tunc ex animo, et Apostolico zelo tractabit summum salutis animarum negotium. At quem carnis cura occupatum, impeditumque habet, fieri non potest, ut is serio, atque, ut decet, animæ et Spiritus negotia procuret. S. Bern. *apud Nyss. in Phan.* l. IV, c. I.

Necessitas. — Exempli necessitatem recte Verbum Incarnatum ostendit, utpote quod licet a primis vitæ annis conversionem animarum, prædicationem Evangelii, novæque legis gratiæ promulgationem exordiri potuisset, nihilominus, teste S. Matthæo : « Exinde cœpit Jesus prædicare, et dicere : Pœnitentiam agite : » quonam vero tempore illud *Exinde* inchoatum fuisse existimatis ?

Post triginta annorum spatium, in operibus, exemplisque sanctis, nec non heroicis virtutibus consumptorum; tunc siquidem suum Christus os aperuit, ut annuntiaret. Ex tunc cœpit Jesus prædicare, inquit Auctor *Imperfecti Operis*, ex quo tentatus est, famem vicit in deserto, avaritiam sprevit in monte, vanam gloriam repercussit super templum; ut nobis ostendat, quod, qui ventri suo contradicere potest, qui sæculi hujus bona contemnit, qui vanam gloriam non desiderat, ille debet Christi vicarius factus, justitiam prædicare. AUCTOR. OPER. IMPERF. *in* t. VI, *in Matth.*

Regius Psaltes ait : « Dabit voci suæ vocem virtutis. » Ps. LXV, 34. At vero quænam est hæc vox virtutis, de qua Propheta hic loquitur? Num forte est sonoritas vocis, aut vero energia in dicendo, vel denique linguæ ad persuadendum efficacis facundia? Nequaquam. Sed audite id exponentem S. Bernardum, dum ait : Memento voci tuæ dare vocem virtutis. Quid illud, inquis ? Ut opera tua verbis concinant, immo verba operibus, ut cures videlicet prius facere, quam docere. Quibus verbis Abbatem quemdam instruit, cujus munus erat alios gubernare ; et mox subdit : Pulcherrimus ordo est, et saluberrimus, ut onus, quod portandum imponis, tu portes prior ; et ex te discas, qualiter oporteat alios moderari. Alioquin subsannabit te sapiens, utpote pigrum illum, cui sit labor manum porrigere ad os. S. BERN. ep. CCI, *ad Balduinum Abbatem.*

Propheta Evangelicus eos, qui alios in timore Dei erudire debent, his verbis adhortatur : « Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam. » At vero dicere quis posset, quid opus est, hoc officium bene adimplere volenti, ut vocem suam exaltet, vel excelsum quemdam locum conscendat ? S. Gregorius respondet : Ideo id præcipi, ut, qui cœlesti prædicatione utitur, ima jam terrenorum deserens, in rerum culmine stare videatur, tantoque facilius subditos ad majora pertrahit, quanto per vitæ meritum de supernis clamat. S. GREG. hom. II, *Past.* c. III.

Deus olim in Levitico volatilia sacrificanda retorto ad collum capite offeri jubebat ; et quidem certum est, quod increata Sapientia ad hanc præcipiendum ritum et cæremoniam, quæ parvi momenti prima facie esse videtur, se demissura minime fuisset, nisi peculiare in eadem cæremonia mysterium lateret, quod idem S. Gregorius, super Ezechielem scribens, his verbis declarat : Caput ad pinulas retorquere præcipitur, ut ea, quæ dicis, facias, et os ad opera conjungas. S. GREG. *hom.* VII, *in Ezech.*

Ipse quoque Seneca, moralis Philosophus, hanc nobis veritatem detegit, dum ad Lucilium suum ita scribit : Longum iter est per præcepta, breve et efficax per exempla; quia homines plus oculis credunt, quam auribus ; dicere enim facile est, operari autem difficile ac proinde, plus operibus, quam verbis creditur. S. Cyprianus majori, quam Seneca, cum auctoritate loquitur, dum inquit : Plus proficitur, cum in rem præsentem venitur, nec de virtute dubitatur, quando, quod præcipitur, etiam exemplis firmatur. S. CYPR. *de Discipl. et Bono pub.* Et ideo Plinius ait : Erat antiquitus institutum, ut a majoribus natu, non auribus modo, verum etiam oculis disceremus, quæ facienda sunt.

In Deuteronomio, ubi de victimis in honorem Dei offerendis agitur, sequens a supremo Legislatore decretum conditum fuit : « Hic est Judicium Sacerdotum, a populo et ab his, qui offerunt victimas : sive bovem, sive ovem immolaverint, dabunt Sacerdoti armum. » DEUT. XIII, 2. At vero quidnam in eo latet mysterii, quod Sacerdoti potius hanc victimæ partem, et non aliam assignarit? Cur non potius caput vel pectus iis cedere debuit? Omnia in figura contingebant illis. Unde S. Gregorius ait : Divina lege armum Sacerdos dextrum in Sacrificium accipit, et separatum, ut non solum sit ejus operatio utilis, sed etiam singularis, nec inter malos tantummodo, quæ recta sunt, faciat, sed bene quoque operantes subditos, sicut honore ordinis superat, ita etiam morum virtute transcendat. S. GREG. l. c.

In parabola Regis ad nuptias invitantis notandum, quod in priori invitatione nil de tauris et alitibus dicitur, in secunda autem jam tauri et altilia mactata esse memorantur; quia omnipotens Deus, cum verba ejus audire nolumus, adjungit exempla, ut omne, quod impossibile credimus, tanto nobis ad sperandum fiat facilius, quanto per hoc transisse jam et alios audimus. Ibid. hom. XXXIII.

Orator Christianus, cum sit perfectus Christi imitator, non absque singulari

mysterio appellatur verbi divini, et doctrinæ cœlestis sator, qui ut fructuose dicat, hoc debet agere inter homines, quod ruri satores. Et quid agunt? Manu seminant, non ore, inquit Joannes Cluniacensis. Sic prædicator, qui sibi meritum, aliis emolumentum vult parare concionando, debet illos non verbis tantum, verum et manibus operibusque erudire. Opera enim quamvis absque lingua sint, majorem tamen habent eloquentiam et efficacitatem persuadendi, quam sola verba. Hanc ob causam S. Prosper ait : Eos, quibus ex officio incumbit, alios docere, et populum per viam veritatis dirigere, nec posse, nec debere exhortationis munus intermittere, tametsi forte parcior natura facundiam illi exercitationi parem, et verborum affluentiam, quantam res ista postulat, non dederit. Verba illius, ex l. I, *de Vita Contempl.* c. 23, hæc sunt : Nec vero se per imperitiam Pontifex excusabit, quasi propterea dicere non valeat, quod ei sufficiens, et luculentus sermo non suppetat, quando nulla alia Sacerdotis doctrina debet esse, quam vita, satisque auditores possint proficere, si a Doctoribus suis, quod vident spiritualiter fieri, hoc sibi etiam simpliciter audiant prædicari, dicente Apostolo : *Etsi imperitus sermone, sed non scientia.* 2. Cor. XI, 7. Notate in his illa in primis : Nulla alia Sacerdotis doctrina debet esse, quam vita. Nullius enim tanta est in exhortando vis, quam sanctæ vitæ et operationum bonarum, ea propter et B. Paulus, quod verbis non valebat, exemplis faciebat, et cui linguæ disertitudo deerat, illi vitæ sanctæ consuetudo sat erat, ut homines ad virtutis studium et Dei amorem excitaret, atque inflammaret. S. Prosp. l. I, *de Vita Cont.* c. XXIII.

Cum Sponsæ suæ admirabiles perfectiones, et gratiarum varia ornamenta Sponsus delinearet, postquam oculorum elegantiam, oris venustatem, genarum decentissimam formam, capillorum pulchritudinem commendasset, demum uberum speciem tali similitudine explicat : « Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis. » Cant. 45. Constans interpretum sacrorum expositio habet, per ubera Sponsæ intelligi Doctores et Prædicatores Ecclesiæ ; sicut enim ab uberibus suam hauriunt alimoniam infantes, ita pabulo doctrinæ nutriuntur ad æternam vitam Christianorum animæ. Sed observandum hic aliquid cum Hugone Cardinali, quod apud illum sic habet : Cum uberum sit pascere, et non pasci, quare dicitur hic, qui pascuntur in liliis ; et non potius, qui pascunt in liliis ? Si Doctores sunt ubera, ubera vero ad hoc data, ut nutrimenta ministrent, cur pasci feruntur, qui ex officio pascere debent ? Quomodo hunc dissolvemus nodum ? Hugoni facilis occurrit solutio, cujus sunt ista : Dicimus, quod veri Prædicatores prius pascuntur doctrina sua, et reficiuntur, quam alios reficere incipiant, et ideo melius dicitur, pascuntur, quam pascunt. In hac sane curandarum animarum Philosophia nullus æque pascere alios potest, ac is, qui se ipsum primo pascit cibo virtutum et usu bonorum operum, quorum exercitationi dum studet, eadem opera alios ad similia, etiam tacens, excitat et instigat. Hugo Card. *in c.* IV, *Cant.*

Mirum est, quanto verborum ambitu Propheta Regius ab omnibus mundi hominibus petierit aures attentas ad ea, quæ ad communem omnium instructionem dicturus erat, cum hæc aiebat : « Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, quique terrigenæ, et filii hominum, simul in unum dives et pauper. Os meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam. Inclinabo in parabolam aurem meam ; aperiam in psalterio propositionem meam. » Ps. 48, 2, 3, 4, 5. In his extrema verba ex Hebræo sic etiam verti posse : « Aperiam in psalterio problema meum, ænigma meum, » aiunt Joannes Campensis, Arias Montanus, Genebrardus, et alii plurimi. Problema vero est sententia obscurior, quæ egeat explicatione, vel studio, quasi ænigma tegens verborum involucris res spirituales et subtiles, quoniam multa habet involuta et obscura. Hæc fere Genebrardus : Quis hic non animadvertit, quod divinus Propheta ab omnibus, etiam rudibus, et admodum imperitis et audiri, et percipi cupit, et mox ænigmata abstrusa et obscura se dicturum promittit, quæ nec eruditissimi statim intelligere queant ? Siccine ad auscultanda talia totum terrarum orbem, et omnes gentes, hoc est, imperitorum ignarissimos et indoctissimos convocat ? Quo fructu illi audient, qui sensum assequi non possunt ? Bene habet istud. Sed non vides, quemadmodum se propositionem suam et orationis thema propositurum dicit ? *Aperiam in psalterio propositionem meam*, inquit. Quid habet psalterium, ex quo fieri possit, ut etiam, qui tardissimo et abstru-

sissimo sunt ingenio, involutissima et reconditissima mysteria intelligere queant? S. Augustinus et Doctor Angelicus, Nicolaus Lyranus, et alii aiunt : Psalterium est instrumentum, quod manu pulsatur. Sunt instrumenta nonnulla, quorum totus ab ore venit sonus, sic ut manuum officium parum huc faciat. Psalterium vero sic manus requirit, ut nisi ab illis tangatur, prorsus sit mutum. Dicit nunc Rex Sanctus : Audiant me omnes, quantumvis stupidi sint, et bardi, quia facile me intelligent, si in psalterio propositionem meam aperiam, si ad linguæ verba opera manuum adhibebo ; vel, si mera ænigmata, et reconditissima mysteria loquar, ea etiam hebetissimo nihil obscura erunt, si modo ipse fecero, quæ facienda prædico ; nihil enim tam involutum esse potest, quod vita Prædicatoris sancta non apertissimum, et explicatissimum, et luculentissimum faciat. Nyss. § 3, *in Dom. Sexag.*

Utilitas. — Valde considerabilia sunt illa verba in sacris Canticis, quibus Sponsa, quæ Ecclesiam præfigurabat, cœlestem amatorem suum affatur dicens : « Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. » Circa quæ verba observandum, quod Sponsa primitus in numero singulari loquatur, dicens : *Trahe me*, postea vero in plurali, dum ait : *Curremus*. Quonam vero spectat hæc a Sponsa observata sermonis differentia? Fortene, inquit Sanctus Bernardus, Sponsa indiget trahi, et adolescentulæ non indigent? Edissere nobis hujus distinctionis rationem : *Trahe me*, ais ; quare *me*, et non *nos*? Paulo post vero examinatis prolixe quibusdam rationibus, ita concludit : Voluntarie et cum omni alacritate curremus ; non curram ego sola, si solam me trahi petierim, current et adolescentulæ mecum, curremus pariter, curremus simul, ego odore unguentorum tuorum, illæ meo excitatæ exemplo. S. Ber. *in c.* I, *Cant.*

Deus olim, duce Gedeone, populo suo victoriam destinans contra implacabiles Israelitarum inimicos Madianitas, milites manibus gestare voluit pocula testacea, inclusis intra ipsa lampadibus aliquot, quarum lumen ruptis vasis inter mutuas collisiones compareret ; cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, et hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, et dextris sonantes tubas, et clamaverunt : « Gladius Domini et Gedeonis ! » Ita quoque Dei Filius, cujus typum ille magnus Dux gessit, Filius, inquam, Dei, qui *non venit pacem mittere, sed gladium*, gentiles idololatras, nominisque Christiani inimicos domiturus, quo, putatis, usus fuerit remedio? Jussit, ut multi fidelium in suppliciorum carnificina corporum suorum rumperent argillam, id est, in confessione fidei constantes perseverarent, et prædicationis Evangelicæ tubas insonarent, maxime autem, ut accensarum lampadum, id est, bonorum exemplorum splendore, alios illustrarent. Vide, inquit Origenes, quia electi milites Dei cum lampadibus pugnant, sic enim Christus eos armaverat dicens : « Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. » Et iterum : « Sic fulgeat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona ; » talibus ergo lampadibus pugnare decet milites Christi, luce operum refulgentes, et splendore gestorum. Orig. hom. IX, *in Jud.*

Cathedra Synagogæ Hebræorum, ex qua populus in lege divina erudiebatur, suum a Moyse nomen sortita erat : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi.* Sed cur non potius sedes illa *cathedra* appellabatur *Aaronis*, qui Summus Sacerdos fuit, et ad quem specialiter pertinebat, populum erudire in rebus religionem et profectum spiritualem spectantibus; præterquam quod Moyses frater ejus balbutiens et elinguis erat? Respondeo, hoc quidem verum esse, verumtamen, quamvis Moyses in loquendo sterilis esset, valde tamen in operando fecundus erat, magisque facundus manu, quam lingua, utpote qui manu prodigiosam circumferebat virgam ; tales autem admirabili cum fructu suam diffundunt instructionem et doctrinam, illi, inquam, qui plus manu, quam lingua loquuntur. S. Gregorius Nyssenus homini manus a Deo datas esse arbitratur, ut majori cum efficacia loqueretur ; dicit namque : Dedit homini manus, ut melius loqueretur. Mansi, dis. II, n. 5.

Volens Deus ex silice producere aquam, Moysi jussit, ut manu virgam applicaret : « Tolle virgam ». Quorsum, vos interrogo, requirebatur virga, quandoquidem miraculum per linguam patrandum erat? *Loquimini ad petram coram eis, et illa dabit aquas.* Sensu igitur litterali relicto, ad mysterium me confero, et dico, voluisse per hoc designare Dominum, quod aquam compunctionis ex induratis impiorum cordibus educturi,

primitus prodigiosam operationum exemplarium et admirabilium virgam manu accipere debeant, et deinde ad petram loqui, id est, persuadere, et *habituatos* convertere peccatores. Ibid. n. 2.

Regulus ille Capharnaita post miraculosam per Salvatorem filio restitutam sanitatem, non solum ipse legis Evangelicæ jugo, sed et tota illius familia se subjecit, dicente S. Joanne : « Credidit ipse, et domus ejus tota ». Verisimile autem est, eam familiam habuisse admodum numerosam, siquidem persona opulenta erat, inque honoribus constituta. Porro si tantæ conversionis rationem quæritis, S. Thomam audite dicentem : Quia secundum conditionem dominorum, sive bonam, sive malam, servi disponuntur. S. Thom. *in Joan.* Notandum autem Spiritum Sanctum, qui fallere nequit, notanter dicere : Domus ejus tota ; ita ut omnes et singuli ad exemplum domini sui sese converterint. Ideoque S. Hieronym, inquit : Vide, quanti referat majorum fides cum bonis conjuncta moribus ; inferiores enim eos facile sequuntur.

Sacer textus ait : « Cum ambulabant animalia, ambulabant pariter, et rotæ juxta ea, et, cum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul et rotæ. » Ubi Galfridus per similitudines dictorum animalium currum sustinentium, illos dicit denotari, qui regimini præsunt, et ministerio destinati sunt Evangelico ; per rotas vero subditos intelligit. Observandum vero est, quod rotæ illæ volvebantur juxta velocitatem et tarditatem motus animalium, quia secundum quod bona vel mala sunt superiorum exempla, subditi vel gressum sistunt, vel cœptum a se cursum prosequuntur. Nunc autem quod miserandum est et dolendum, pluribus in locis cum retrocedentibus animalibus, revertuntur simul et rotæ, et cum cadentibus cadunt, et cum incurvatis ad terram pariter incurvantur. Galfrid. *apud Mansi*, dis. II, n. 5.

Jacob Patriarcha ut gregis sui fœtus multiplicaret, tollens virgas populeas virides, et amygdalinas, et ex platanis, et ex parte decorticavit eas, et cætera, quæ ibi fusius narrat historia; quod dicti Patriarchæ factum S. Thomas de Villanova adducit ad demonstrandum quantum fideles animati, et numero aucti sint, Martyrum, omniumque aliorum Sanctorum exemplo. Tunc enim in domo Laban, id est, in Gentilitate, multiplicatus est grex Christi, et numerus Christianorum et electorum Dei, quando unus ad imitationem alterius ad martyrium properabat, et ex idololatriæ præruptis, horridisque desertis, ad cœlestis Pastoris reducebantur ovile. S. Thom. Vill. *conc. in Dom.* II, *Quadr.*

Cardinalis Cajetanus in illa Domini verba : « Hodie salus domui huic facta est » sic ait: Significatur facta salus non soli Zachæo, sed familiæ ejus similiter. Sed quomodo id significatur, cum solus Zachæus sua peccata fuisse confessus, solus suas culpas deplorasse feratur? Imo huic illud legitima consecutione conficitur? Nonne Zachæus erat pater, et caput familiæ ? Erat. Nonne dolore et lacrymis sua damnabat scelera? Damnabat. Ergo certum erat, domesticos illius omnes tantumdem facturos, ut merito diceret Christus : « Hodie salus domui huic facta est ». Membra enim caput suum sequuntur, et quando paterfamilias est vir probus, domesticos illius omnes numerare in probis potes, ut e contra in impiis recensere famulos, quorum sunt scelerati domini. Nyss. *in vita Abrah.* l. VI, c. IX.

Primum legis mandatum, et maximum omnium, hoc est : *Diliges Dominum Deum tuum, etc. Hoc est maximum et primum mandatum*, aiebat Dominus. Matth. 22, 37, 38. Quis fuit primus promulgator hujus mandati? Doctor populi Hebræi Moyses, cui hoc præceptum cum reliquis in tabulis descriptum Deus dedit, ut plebi suæ denuntiaret. Quamdiu vero Moyses cum Deo conversatus fuit, priusquam Decalogum populo exponeret ? Sacrum Oraculum id his verbis declarat : « Ascendit Moyses in montem et fuit ibi quadraginta diebus, et quadraginta noctibus. » Exodi 24. 18. Quid causæ, quod Moyses tamdiu existere in monte, et in consortio Dei vivere, continuosque miscere sermones cum suprema majestate debuit? S. Petrus Chrysol. id exponit dicens : Ascendit in montem, et fuit ibi quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, ut tantum esset Dei amore succensus, ut ipse ardenter diligeret, et alios, ut diligerent, sic moneret : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Promulgaturus erat Sacer Dux primum mandatum, quod jubet amare Deum, tum et cætera, quæ tabulis expressa erant. Et quoniam hoc mandatum, utpote amoris viva flamma, et ardens ignis erat, congruum quoque, ac necessarium erat, Moyses in medio, meroque amoris igne, qui Deus est, hæreret, ut totus

charitate primum inardesceret, tantumque non deflagraret, dein alios supremi Domini amore inflammaret; ut esset tanto Dei amore succensus, ut ipse ardenter diligeret, et alios, ut diligerent, sic moneret. Nam ut frigidus et gelidus legislator subditis multum ignem, aut flammas subjiciat, id communis virium creatarum conditio non fert, et moraliter fieri nequit. Tametsi enim aliud sit lex, aliud legislator, et possit esse lex bona, quamvis legislator sit malus, nihilominus experientia teste scimus, numquam continentius, et religiosius, magisque pie, ac sobrie vivere subditos, quam cum Principes et quicumque alii Superiores legis vigorem, suæ exemplo vitæ fovent, acuunt, confirmant. S. Chrysol. s. 24.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Abbas Pœmen dixit, hominem, qui alios docet, et non facit ea, quæ docet, similem esse fonti alto, qui omnium res lavat, et omnes satiat potu, seipsum autem lavare non potest, sed habet immunditias et sordes. *Vit. PP.* n. 183.

Paphnutius dicere solebat, orationes spirituales, quæ non a vita honesta comitantur, esse spicas, quæ a vento intereunt, quæ habent quidem figuram spicæ, sed alimento carent. Ibid. l. viii, 25.

Deus olim vetuit : Ne accipias a fratre tuo usuras, nec amplius, quam dederis. Super quæ verba Flavianus: Qui sunt, ait, qui usuras accipiunt, nisi qui ad ea cogunt alios, quæ ipsi non faciunt, quorumque exemplum illis non præbuerunt? Hi sunt enim, qui alligant onera gravia et importabilia, et imponunt ea super humeros hominum, digito autem suo nolunt movere. Granat. *Loc. Com.* 378.

Sed et alibi dixit Deus : Non seras agrum diverso semine. Ibid. Lev. xix, 19. Quod idem auctor ad exemplum applicans : Ager, inquit, est Ecclesia, de qua Paulus ait : *Dei agricultura estis.* Diversum autem semen seminat in hoc agro, qui dicit, et non facit, quæ loquitur, sed contraria operatur, verbo triticum spargens, exemplo autem semen stipularum in corde proximi jaciens.

Cancer marinus, cum prolem suam in littore tam distortos gressus adverteret facere, ideoque increparet, et recta incedere juberet, audiit ab illa, præcederet modo ille, mox se secuturam. Engelgr. *Embl.* xviii, *Luc. Evang.*

Veteres sacerdotem depingentes eidem in una manu solem, in altera horologium tribuebant, innuere volentes, eum non tantum illuminare, sed etiam vitæ exemplo dirigere alios, vitamque suam dictis, velut horologium soli conformare debere. Ibid.

Carolus Quintus dicere solebat, se, ubi civitatem ingrederetur, tria P. P. P. inquirere, ac observare. An bonus in ea sit *Pastor*, *Prætor*, *Præceptor*? Quibus salvis, se non dubitare de bono statu reipublicæ. Ibid.

Solon populares homines Principum umbras vocabat; ut enim umbræ figuras corporis, ita hi Principum mores adumbrant, et a corpore curvo frustra recta umbra exspectatur. Ibid.

Alius, vulgus speculum Principum appellabat ; ut enim hoc ridenti arridet, flentem deflet, gestientis gestus refert ; ita vulgus Principum nutus ac mores in se exprimit.

S. Scriptura patientiam Job descriptura præmittit : Vir, seu, ut Chaldæi vertunt, homo quidam erat in terra Hus, nomine Job, quod, teste S. Chrysostomo, ideo factum, ne quis certaminum ac patientiæ spectatæ magnitudine incredibili, peregrina eum, et non humana natura præditum arbitraretur ; ideo naturam a proximo ponit aspectu. S. Chrys. *in cit. loc.*

Quando instruxit Deus Moysen de fabricatione Sanctuarii, non solum dixit ei, quomodo singula facere deberet, sed etiam ei exemplar obtulit, illudque inspicere jussit, bene videlicet sciens, exempla magis instruere, quam verba. Num. 10. Sed et ante legis promulgationem, secum quadraginta diebus et noctibus in monte habitare voluit, ut tantum esset Dei amore accensus, ut ipse ardenter diligeret, et alios, ut diligerent sic, moneret, quemadmodum S. Chrysologus notat. Exod. xxiv, 18.

Dum de pastoribus S. Lucas dicit, quod reversi glorificaverint Deum, *sicut dictum est ad illos*, quærit Nyssenus, quomodo hæc verba addere Evangelista potuerit, cum Angeli solum dixerint : Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator? et respondet, cum Hugone cardinale : Referunt laudes et gloriam Deo, non quod Angeli imperassent laudare, sed quia ipsi landando offerebant formam devotionis suæ, dum dicunt : Gloria in altissimis Deo! Luc. ii, 20.

Herodias a matre caput S. Joannis petiit, id quod dæmon suggessit, ut S. Chrysologus notavit dicens : De matris pectore dat rugitum nova bellua, contempta corporis præda, caput ipsius truncatura pervadit, sciens in capite omnem perniciem aut felicitatem rerum publicarum esse positam. S. Chrys. s. 127.

Nyssenus quærit, cur ad nuptias Rex Evangelicus miserit servos dumtaxat, ad operarios vero conducendos ipse iverit? et respondet, ad nuptias utpote rem gratam nullo motivo fortiore opus fuisse, secus vero in invitatione ad labores; hinc ipsum Dominum exemplo suo invitare voluisse.

Utilitas. — Joannes II, Rex Lusitaniæ, cum amicus quidam ægrotaret, et potionem acerbam a medico porrectam bibere nollet, calicem arripuit et prægustavit, ut suo exemplo ad bibendum incitaret. Engelg. p. 2, *Cœl. in Fest. S. Jac.* § 1.

S. Bernardus super illa verba : Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum etc., pulchre sic discurrit : O pulchra, o felix, o beata, edissere nobis hujus distinctionis rationem. *Trahe me*, ais; quare *me*, et non *nos*? An hoc bonum invides nobis? Absit. Neque enim protinus dixisses, adolescentulas tecum esse cursuras, si sola post Sponsum ire voluisses. Cur ergo pluraliter mox subjunctura *curremus*, trahi te singulariter postulasti? Non curram ego sola, etsi solam me trahi petierim; current et adolescentulæ mecum. Curremus pariter, curremus simul, ego odore unguentorum tuorum, illæ meo excitatæ exemplo et hortatu. S. Bern. s. xxi, *in Cant.*

Recte Seneca :

> Rex velit honesta, nemo non eadem volet.
> Senec. *in Trag.*

Magnorum virorum non minus memoria, quam præsentia est utilis, sapienter quidam dicebat. Apud Beirl. tr. II, *in Fest. Nat.*

Bonum exemplum virgis Jacobi in canali ovium positis simile est; quales enim colores ipsum habebit, tales habebunt et ii, qui conspicient illud. Ibid.

AXIOMATA.

Qualis Rex, talis grex.

Qualis est Rector civitatis, tales et habitantes in ea. Eccl. x, 2.

Princeps amans mendacia, habet omnes ministros impios. Prov. xix, 15.

Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Per sancta et pia exempla,
Deo parantur gratissima templa.

Longum iter per præcepta, breve et efficax per exempla.

Optimus orator, qui factis suadet.

AUCTORES.

Joannes Busæus, *in Panario*, V. Exemplum malum.

Gregorius Stengelius, in toto libro inscripto : *Vis et virtus Exemplorum.*

Ludovivus Granatensis, *in Locis Communibus*, f. 337.

Nicolaus Lancizius, opusc. 13, c. iv.

Josephus Langius, *in Polyant.* V, eodem.

Thomas Stapletonus, text. 2. Dom. 15, et t. 8. *Dom.* 20, *post Pent.* Item, t. *Dom.* 6, *post Epiph.*

Laurentius Beirlinck, text. 3, *in Festo Epiph.* et t. 2, *in Festo Nativit. Dom.*

FAMA

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est inveterata in hominum mentibus de quopiam opinio. Unde aliqui a fando dictam putant. Differt autem a rumore, quod hic de facto adhuc recenti exoriatur, non item fama.

Divisio. — Dividi in *bonam* et *malam*. Illa est, quæ ex laudabilibus factis oritur; hæc, quæ ex malis facinoribus generatur, qualis erat filiorum Heli, de qua ipse dicebat : Nolite, filii mei; non enim est bona fama, quam audio.

EX S. SCRIPTURA.

Necessitas. — Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et laqueum diaboli. I Tim. iii, 7.

Charissimi, obsecro vos, tamquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus ani-

mam, conversationem vestram inter Gentes habentes bonam, ut in eo, quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis. I Petr. II, 12.

Dominum Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe, sed cum modestia et timore conscientiam habentes bonam, ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem. Ibid. c. III, 16.

Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Rom. XII, 17.

Utilitas. — Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni. Eccl, XLI, 15.

Bonæ vitæ numerus dierum; nomen autem bonum permanebit in æternum. Ib. 16.

Lux oculorum lætificat animam; fama bona impinguat ossa. Prov. XV, 30.

Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ; super aurum et argentum gratia bona. Prov. XXII, 1.

Oleum effusum nomen tuum (id est, fama tua, ut habet Chaldaica paraphrasis sic loquens : A voce miraculorum tuorum et potentiæ commoti sunt omnes populi, qui audierunt famam potentiæ tuæ; et Nomen sanctum tuum auditum est in universa terra, quod electum est magis, quam oleum, quo unguntur capita Regum et Sacerdotum. Cant. I, 2.

EX SS. PATRIBUS.

Necessitas. — Quisquis a criminibus flagitiorum vitam suam custodit, sibi bene facit; quisquis autem etiam famam, et in aliis est misericors; nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra. S. Aug. *de Bono Viduit.*

Sic Doctor bonam eligat vitam, ut etiam bonam non negligat famam. Idem, *de Doctrin. Christiana.*

Opera salutis sine fama boni odoris non satis relucent auditoribus; nec fama sine opere proficit, sine quibus forma veri Sacerdotis non commendatur. S. Hier. *in* c. IV, *Matth.*

Hi, quorum vita in exemplo posita est imitationis, debent, si possunt, detrahentium verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, et ita in pravis moribus remanentes, bene vivere contemnant. S. Greg. hom. IX, *sup. Ezech.*

Qui confidens conscientiæ negligit famam, crudelis est, quia aliorum animas occidit. S. Aug. *in serm.*

Apostolici præcepti et exempli est, ut habeamus rationem non tantum conscientiæ, sed etiam famæ. S. Hier. ep. XIV, *ad Celant.*

Duo sunt tibi necessaria, scilicet conscientia et fama; conscientia propter te, et fama propter proximum. S. Chrys. hom. *de Comm. serm.*

Fama bona coram hominibus est necessaria. S. Anselm. *sup. Epist. ad Cor.*

Minus tutum est rumores subnascentes negligere, quam eis non credere. S. Hier. *in quadam Epist.*

Cave omnes suspiciones, et quidquid probabiliter fingi potest seu dici, ne fingatur, ante de vita. S. Aug. *in l. Confess.*

Utilitas. — Hoc naturæ thesauris reponimus, quod famæ commodis applicamus. Cassiodor. l. II, *epist.*

Inclyti animi signum est famæ diligere commodum, et lucra causarum negligere; nam qui affectat famæ suæ commodum, pecuniæ negligit augmentum. S. Hier. *in quad. Ep.*

Ubique cognoscitur, quisquis fama teste laudatur. Cassiod. l. VIII, ep. XXIII.

Bona fama nihil est præstantius, ac melius, nec Crœsi thesauros quisquam cum ea comparaverit. Tales enim esse censemur, qualis fama cujusque est; huic aures intenduntur, et oculi. Melius omnibus, quam singulis, creditur, singuli enim decipere, et decipi possunt, nemo omnes, neminem universi fefellerunt. Idem, l. I, ep. III.

Dum e copia plurimum solet habere fastidium, bonum nomen repetitum semper efficitur gloriosum. Idem, l. I, ep. V.

Honesta fama multa commoda, quamvis non affectes, secum trahit. Isid. Pel. l. III, ep. CXLII.

EXEMPLA.

Christus ipse famam suam defendit, cum dixit : Ego Dominum non habeo. Et iterum: Si bene locutus sum, cur me cædis? Si male, testimonium perhibe de malo. Joan. XVIII, 32.

S. Paulus de seipso dicit : Deo autem gratias, qui odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, qui Christi bonus odor sumus. II. Cor. II, 14.

S. Antonius pro Ariano proclamatus, ut hanc infamiam a se repelleret, relicta eremi solitudine, Alexandriam usque descendit, et publice Arianam hæresim detestatus, Catholicamque fidem professus est. S. Athan. *in Vita.*

S. Basilius ambitionis et hæresis notam a Neocæsariensibus sibi inustam, per epistolas et publicam orationem habitam abolere conatus est. Idem S. Augustinus de Pelagiana hæresi accusatus fuit. Imo S. Laurentius Justinianus dicere ausus est : Quis Sanctorum ad profectum cæterorum, famam suam neglexisse cognoscitur ? Lanciz, opusc. IX, c. VII.

Judith in omnibus erat famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum. Judith. VIII, 8.

Eleazar ab Antiocho ad carnes porcinas comedendas instigatus, cogitare cœpit ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam, et ingenitæ nobilitatis canitiem, atque a puero optimæ conversationis actus, et secundum sanctæ et a Deo conditæ legis constituta, respondit cito dicens, præmitti se velle in infernum, non enim ætati nostræ dignum est fingere. II Mach. VI, 23.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut ignis semel accensus facile servatur, extinctus haud facile reaccenditur ; ita famam tueri facile est, extinctam reparare, difficillimum. Plutarc. *in Mor.*

Sicut umbra aliquando antecedit, aliquando sequitur corpus ; ita quibusdam statim contingit fama, quibusdam post mortem ; denique ea, quo longius sequitur, hoc major esse solet. Seneca, *apud Lang. V. eodem.*

Sicut aromata tum vehementius fragrant, cum teruntur, aut franguntur ; ita virtutis fama latius spargitur, cum exercetur negotiis et rebus adversis.

Sicut ingentes obelisci magno quidem labore statuuntur, sed semel collocati infinitis durant sæculis; ita arduum est virtutis aut sapientiæ parare famam, sed parata numquam intermoritur. Idem.

Necessitas. — Sicut fœtor extinctæ candelæ de sevo offendit nares; sic fama perdita tetrum gignit odorem hominibus, bonos offendit et scandalizat, et malos in malo firmiores facit. Fab. *con.* VI, *in Festo SS. Petri et Pauli n.* 1.

Utilitas. — Sicut columbæ balsamo delibutæ alias alliciunt, et secum in columbarium deducunt ; ita qui bonæ famæ odorem habent, alios ad virtutem amandam alliciunt, juxta illud Apostoli : Christi bonus odor sumus Deo in iis, qui salvi fiunt. Ibid.

Sicut cortex, licet vilior sit arbore vel nucleo, conservat tamen illas, quo minus corrumpantur ; ita bona fama, licet minus bonum sit, quam virtus, virtuosam tamen et honestam vitam conservat. Ibid.

Sicut qui vestem novam gerit, non in quovis loco considet, sed tali dumtaxat, qui vestem maculare non credatur ; ita qui bonum nomen habet, cavet ne ejusmodi actiones committat, per quas macula suæ famæ inuratur.

MOTIVA.

Ad Famam conservandam.

Quia Deum glorificat ; hinc Christus Apostolis dixit : Sic luceat lux vestra (id est, vita bona) coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Matth. V, 16.

Quia proximum ædificat ; hinc S. Aug. dixit : Duæ res sunt, conscientia et fama ; conscientia tibi, fama proximo necessaria est. S. Aug. s. 2 *de Vita comm. Cler.*

Quia nos ipsos a malo retrahit, et ad bonum continuandum et agendum excitat ; sicut Principes vel Reges memores suæ dignitatis, dedignantur scurris se miscere, sed potius gravitatem, moresque statu suo dignos assumere nituntur.

MEDIA.

Ad eamdem.

Rara cum hominibus conversatio ; nam, ut recte advertit Thomas Kempensis, quandoque accidit, ut persona ignota ex bona fama lucescat, cujus tamen præsentia oculos intuentium offuscat. L. I, *de Imit.* c. VIII, § 2.

Cauta et moderata locutio ; hinc Epictetus

rogatus, quo pacto quis bonam famam assequi queat? respondit : Si vis bene audire, discito bene loqui ; et cum bene loqui didiceris, recte facere conator, et hoc modo bonam famam assequeris. In eumdem sensum Agesilaus respondit : Si loquatur, quæ sunt optima, et faciat quæ sunt honestissima. Stob. s. III.

Studium bonæ vitæ ; ita Socrates docuit dum quæsitus, quo pacto quis honestam famam assequi possit? respondit : Si talis esse studeas, qualis haberi velis. Plutarc. *in Lacon.*

ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ Asceta de hac materia bene observare debet, *Primum* est, ut non persuadeat sibi, posse facile quempiam apud omnes hominés bonam famam obtinere ; nam, ut sapienter S. Chrysostomus advertit, fieri non potest, ut, qui virtutibus dediti sunt, ab omnibus audiant semper bene ; et illud præterea, ne virtutis curam agentibus viris multi ubique detractores insurgant. Bona enim apud omnes fama, signum certe vel maximum est, haud multam sane virtutis habere rationem. Quomodo enim a cunctis laudetur, si quis affectos injuria homines ab improbis eripere studeat? Rursus vero si peccatores castigare, justos laudare velit, ut par est, laudabit hos quidem, vituperabit illos ; ita qui virtutis exquisitus imitator esse voluerit, nec ullius præterea, nisi laudem Dei quærere, is ab omnibus laudari, et bene semper audire nullo modo poterit ; quippe in virtutem multa ubique vitii convalescit insania. S. Chrys. *hom. de Virt. et Vit.*

Secundum est, ut sciat, quando fama sit defendenda, nimirum in duobus præcipue casibus. 1. Quando quis a Superiore jubetur, rei alicujus gestæ seriem, prout se habet, narrare. Sic S. Dorotheus docuit his verbis : Si audieris dici, te fecisse aliquid, quod non feceris et interrogatus fueris, verumne sit, quod fecisse diceris, rem omnem ordine suo cum veritate manifesta. 2. Si infamatio rectæ administrationi mumeris, aut ordini, aut domicilio, vel communitati, aut etiam privato cuipiam noceret. Sic enim S. Bonaventura monuit, dicens : Si vero criminationes objectæ, et non purgatæ, possent alios scandalizare, tum humiliter indicandum paucis verbis et modestis, quod non sis tibi conscius eorum, de quibus accusaris. S. Bonav. *de Inform. Novit.* p. 1, c. VI.

Tertium est, ut sciat, quomodo famam suam defendere debeat, videlicet, ut, cum amor nostri inordinatus offuscet rationem, suggeratque damnum ex nostri infamatione aliis oriturum esse, præmissa prius oratione, se prius in æquilibrio, immo potius ad silentium, quam ad defensionem constituat, et tum a Superiore vel Confessario consilium petat, et quod hi suaserint, exequatur.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Quantas vires habeat famæ desiderium, ostendit, qui Dianæ Ephesiæ templum incendit, ut nomen ejus in orbe viveret. Beirlinck, *in Apoph.*

Pausanias, cum Hermoclem percontatus, quomodo clarus evadere subito posset, et audivisset, id obtenturum, si virum illustrem occideret, continuo Philippum interemit. Idem, *tex.* I. *in Fest. SS. Petri et Pauli.*

Hieronymus Olgiatus occiso Galeatio Sfortia, Mediolanensium Duce, rogatus, quomodo tantum scelus perpetrare potuisset? Solo desiderio famæ, respondit. Imo cum jam tormenta adhiberentur, paululum se recolligens : Age, inquiebat, Hieronyme! Stabit vetus memoria tui facti ; mors acerba, fama perpetua. Ibib.

Utilitas. — Plato rogatus, ecquod futurum esset ipsius monumentum. Primum, respondit, nomen parandum ; ita monumenta futura sunt multa.

Antisthenes iis, qui solam immortalitatem appeterent, viam ad hanc dixit esse bonum nomen, quam Bias matrem annorum dixit. Ibid.

Seneca dixit, honestum rumorem, alterum esse patrimonium.

Non imperite cecinit Plautus :

> Ut fama est homini, exinde solet pecuniam invenire ;
> Ego si bonam famam mihi servassem, sat ero dives.

Demetrius Phalereus, Atheniensium Præfectus, cum in exilium fugere compulsus, audivisset trecentas illas statuas, quas ei Athenienses ob præclara facta exstruxerant, ex invidia dejectas et in matulas per ignominiam conflatas esse, subridens dixit : Statuas quidem evertere invidi potuerunt,

virtutes autem, et præclara gesta, quibus præmia imagines illæ extiterunt, numquam abolere poterunt. PLUTARC.

NECESSITAS. — Hanc satis indicavit, qui dixit : Omnia si perdas, famam servare memento.

Nec male Cicero dixit : Negligere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis, sed etiam omnino dissoluti esse. CICERO, l. I, *de Offic.*

AUCTORES.

Nicolaus Lancizius, opusc. 9. c. VII.

Mathias Faber, conc. 6, *in Festo SS. Petri et Pauli.*

Laurentius Beirlinck, text. I *in Festo SS. Petri et Pauli.*

Josephus Langius, *in Polyanth.* V. eod.

Petrus Bessæus, *in Dom. 9 post Pentec.*

FELICITAS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est virtutis operatio, et usus perfectus, secundum Aristotelem. Vel est id, quod vitam sufficientem, optabilem, ac nullius indigam præstat. ARIST. l. VII, *Polit.*

S. Ambrosius dixit, beatam vitam consistere in altitudine sapientiæ, suavitate conscientiæ, virtutis sublimitate. S. AMB. *de Offic.*

DIVISIO. — Ludovicus Granatensis triplicem distinguit felicitatem : *Mundanorum*, qui student omnibus bonis sæculi affluere; *Philosophorum*, qui in contemptu terrenorum bonorum felicitatem ponunt; unde Seneca dixit, eum, qui desiderium suum clausit, cum ipso Jove de felicitate contendere; *Christianorum*, qui in perfecta Dei per amorem fruitione felicitatem suam quærunt, juxta illud Davidis : Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt; beatus populus, cujus Dominus Deus ejus. Ps. CXLIII, 15. Sed priores duæ sunt minus propriæ felicitates, ut ex definitione patet. GRANAT. *in Loc. Com.* f. 565.

EX S. SCRIPTURA.

Beatus vir, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum? ECCLES. XXXI, 8.

Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus! Ps. XXXII, 12.

Populo meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant. Is. III, 12.

Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt; beatus populus, cujus Dominus Deus ejus. Ps. CXLIII, 15.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS.—Amant homines res diversas, et quando quisque quod amat, habere videtur, felix vocatur. Vere autem felix est, non si id habet, quod amat; sed si id amet, quod amandum est. Multi enim miseri sunt magis habendo, quod amant, quam carendo; amando enim res noxias miseri, habendo sunt miseriores. Et propitius Deus, cum male amamus, negat, quod amamus; iratus autem dat amanti, quod male amat. S. AUG. *super.* Ps. XXVI.

Hoc sciō, Domine Deus meus, quia ubicumque sine te, male mihi est præter te, non solum extra me, sed etiam in me ipso; quia omnis copia, quæ Deus non est, egestas est mihi. Idem, *in Medit.*

Væ animæ audaci, quæ speravit, si a te recessisset, se aliquid melius habituram. Versa, et reversa in tergum, et in latera, et in ventrem, et dura sunt omnia, et tu solus requies; et ecce ades. Ib. *Confess.* l. VI.

Ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari potest, repleri omnino non potest; capacem enim quidquid Deo minus est, non implebit. BERN. *s. de Dedic.*

Nulla re fruitur anima cum libertate, nisi qua fruitur cum securitate; nemo autem securus est in his bonis, quæ potest invitus amittere. S. AUG. *de Lib. Arbit.*

Ideo Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, ut illa quæratur felicitas, cujus dulcedo non est fallax. ID. s. XXIX, *sup. Mat.*

Beatum esse tam magnum est bonum ut hoc et boni velint et mali. Nec mirum est quod boni propterea sunt boni; sed illud est mirum, quod etiam mali propterea sunt mali, ut sint boni. ID. in Ps. CXVIII.

Vides impuros improbosque homines fortunatos agere, justos autem infortunatos esse multisque afflictari incommodis, nec

tibi tamen facti hujus ratio constat. Dic, ut jumentum factus sum ; verumtamen ego semper tecum ; quod si et causam quæris, cogitato Deum diem constituisse, in quo universum orbem judicaturus est, ita fiet ut ab animo omnem excutias dubitationem, tum enim pro meritis quisque suis mercedem recipiet ad Lazari et divitis exemplum. S. Chryst. hom. 9, *ad Rom.*

S. Paulus agit gratias ob bona aliena; quid iis fiet, qui non solum gratias non agunt, sed etiam tabescunt invidia? Id. *Hom.* II, *ad Thess.* 2.

Videtur ut plurimum humana natura in adversis quidem rebus modestiam colere, in secundis autem petulantem se præbere. Isid. Pelusiota. l. III, *Epist.* ccxiii.

Infelix qui omnia novit, et Christum nescit, qui autem Christum et illa novit, non propter illa beatus, sed propter Christum solum. S. Aug. *super Joan.* c. xvii.

Beati immaculati in via, tanquam diceret : Scio quid velis, quæris beatitudinem. Si ergo vis esse beatus, esto immaculatus. Id. *super* Ps. cxviii.

EXEMPLA.

S. David, in quo poneret felicitatem suam, ipse indicavit, dum dixit : Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, et delectatus sum. Ps. lxxvi, 4. Et iterum : Delectare in Domino et dabit tibi petitiones cordis tui. Ps. xxxvi, 4.

Salomon, postquam nihil negasset oculis, nec prohibuisset cor suum, quin omni voluptate frueretur, et oblectaret se in his, quæ præparaverat, vidit tamen in omnibus vanitatem, et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole. Eccles. II, 10.

S. Ambrosius, cum apud divitem quemdam hospitem divertisset, et ille se nihil in vita adversi passum esse jactaret, e vestigio cum suis recessit, dixitque se discedere, ne cum homine perpetuis prosperitatibus uso statim periret. Vixque recesserat, et ecce totum hospitium cum omnibus incolis vident hiatu terræ absorptum. Marulus, l. V, c. III.

Constantinum Magnum non supplicantem dæmonibus, sed ipsum verum Deum colentem, Deus tantis terrenis implevit muneribus, quanta optare nullus auderet. S. Aug. l. V, *de Civit. Dei* c. xxviii.

Contigit Theodorico, Regi Gothorum, non vulgaris felicitas ; fuit hic Christiani nominis, sed Ariana labe infectus. Is Italiæ imperio potitus, vix tam feliciter est terram adeptus, quam pacate postea annos LX, et amplius possedit. Sabellic. lib. VII.

Nicolaus Pontifex Maximus, Serzanæ in Hetruscis ortus, unius anni spatio per tres supremos dignitatis gradus, magnæ fortunæ, sed verius providentiæ suffragio, ad pontificatus maximi fastigium evectus est. Ibid.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut nihil juvat ægrum lectus, quem pedes aurei fulciunt; sic neque stultum felicitas externa. Arist. *apud Stob.* s. 101.

Sicut nec ignis, nec terra, nec aliud, quod ex elementis mundum constituit, sed omnia simul ; ita felicitas quoque nec in corporis, nec in animæ solius bonis consistit, sed in congerie utrorumque. Philo Jud. *in l. Quod deter. pejori insidietur.*

Sicut histrio non est felicior, quod in scenis adornatus, Rex aut Deus videatur ; sic nec homo fortunæ muneribus felix cœnseri potest, cum omnia non propria, sed aliena sint. Senec. *in Moral.*

Sicut tota vita corporis anima est ; sic beata vita animæ Deus est. S. Aug. *de Lib. Arbitrio.*

Sicut materia prima, quia potentia est, semper appetit, quod habere nata est ; ita cor hominis, quia omnium bonorum capax est, semper ad ea, quibus caret, inhiat, semperque odio præsentium, et cupiditate futurorum laborat. Granat. *Loc. Com.* f. 858.

Sicut unus sol magis, quam omnia cœli luminaria, mundum illuminat ; ita unius Dei possessio magis satiat, quam si omnes res creatas quis possideret. Ibid.

Sicut pueruli, cum a parentibus aliquo mittuntur, spectaculis rerum occurrentium occupati, omittunt id facere, propter quod missi sunt ; ita multi homines rerum humanarum pulchritudine capti, finis, ob quem in hunc mundum missi sunt, obliviscuntur. Ib. f. 859.

Sicut vas triangulare a globo penitus repleri non potest ; ita cor humanum triangulare per totum globum mundi satiari non potest, sed per solam SS. Trinitatem, ad quam capiendam factum est, repleri potest.

Sicut ossa humana, si in loco sibi a Deo præfixo manent, dolorem non incutiunt, secus vero, si extra hunc locum violenter moveantur; ita cor hominis in Deo velut centro suo quiescit, extra illum vero irrequietis motibus agitatur.

ASCETICA.

Tria de felicitate præcipue bene nosse debet Asceta. Primum est, ut certo sibi persuadeat, felicitatem in summi boni possessione consistere, atque adeo in nulla re creata felicitatem objectivam hominis constitui posse, cum omnis talis res finita sit, ac proin capacitatem appetitus humani explere non queat. Solus ergo Deus felicitas objectiva dici potest, ac debet. Lessius l. II, *de Summo Bono* t. I.

Alterum est, ut pariter sibi persuadeat, hujus boni possessionem non aliter, quam per unionem moralem, seu amorem, fieri posse; per hunc enim amorem conjungit se homo cum summo bono, atque adeo ipso, quo modo fieri potest ordinaria via, fruitur.

Tertium est, ut sciat, hunc amorem duplicem esse, affectivum scilicet, et effectivum, per quorum priorem gratulatur homo Deo suum esse, gaudetque ipsum esse summum bonum, quod ab omnibus jure merito appetatur; per posteriorem vero omnia, quæ vel intra se, vel extra se agit, ad hujus summi boni seu Dei majorem gloriam, et beneplacitum ordinat.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Thales interrogatus, quis esset felix? respondit : Qui corpore sanus et animo eruditus seu castigatus est ; cupiditates enim animi morbi sunt. Laert. l. I, c. I.

Diogenes veram felicitatem dicebat, quæ faceret, ut mens et anima in perpetua tranquillitate hilaritateque collocaretur. Stob. *ser.* CI.

Socrates quærenti, quid esset felicitas? Voluptas, respondit, quam nulla pœnitudo sequitur. Ibid.

Antisthenes rogatus, quid esset mortalibus beatissimum ? Felicem mori, respondit. Laert. l. VI, c. I.

Jamblicus felicem esse dicebat, qui Deo, quatenus fieri potest, similis fuerit, perfectus, simplex, purus, et separatus ab humana vita. Stob. *ser.* CI.

Nil beata vita desiderat, nihil requirit, nullo eget, sed seipsa contenta est. Aristot. l. X.

Omnis est deorum beata vita, hominum autem, quatenus in ea elucet quoddam actionis ejus exemplar. Ib. c. VIII.

Scito, eum non bonum esse, quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit, sed illum, cui bonum omne in animo est, erectum et mirabilia calcantem, qui neminem videt, cum quo se commutatum velit, qui hominem ea solum parte æstimat, qua homo est, qui natura magistra utitur, ad illius leges componitur, sic vivit, quomodo illa præscripsit, cui bona sua nulla vis excutit, qui mala in bonum vertit. Senec. *ep.* XLIII.

Nisi stabili et fixo, et permanente bono, beatus esse nemo potest ; nihil enim inveterascere, nihil extingui, nihil cadere debet eorum, quæ in vita beata consistunt ; nam qui timebit, ne quid ex his deperdat, beatus esse non poterit. Cicer. V, *Tuscul.*

Solon dicere solebat, neminem ante mortem beatum dici posse ; solam enim hanc ostendere, qualis unusquisque fuerit, dum vixit. Plutarc. *in Græc. Apopht.*

AUCTORES.

Leonardus Lessius, *de Summo Bono.*

Ludovicus Granatensis, *in Locis Communibus*, f. 855.

Josephus Langius, *in Polyanthea.* V. eodem et V. *Beatitudo.*

Laurentius Beirlinck. V. eod.

FERVOR.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est ardens et efficax desiderium vocationi suæ perfecte satisfaciendi. Huc enim respexit Siracides, dum dixit : In omnibus operibus tuis præcellens esto ; ne dederis maculam (per socordiam et teporem) in gloria tua. Eccle. XXIII, 23.

Divisio. — Duplex est fervor, juxta Ludovicum de Ponte : Alter, inquit, est juvenum Tyronum qui ollarum instar ad magnum ignem appositarum vehementer fervent, et, quod intus habent, strepitu quodam exterius effundunt. Alter est fervor gravis hominum perfectiorum, substantialis plane et pacatus, instar alicujus ollæ ad moderatum ignem ferventis, meliusque coquentis, quod continet, qui fervor etiam est diuturnior. *Vita P. Balthas. Alv.* c. xxxii.

Actus. — Sunt iidem fere, qui in olla aquis plena et fervente reperiuntur. Primus est *caloris intensio*, per quem significatur ardens charitas, solum Dei beneplacitum per purissimam intentionem quærens.

Majoris spatii occupatio; per quam intelligitur applicatio prompta animi ad ardua quævis objecta, quæ ad majorem Dei gloriam, proximique salutem promovendam magis idonea videntur, de qua Thomas Kemp. dicit : Amor Jesu nobilis (id est, fervens) ad magna operanda impellit, et ad desideranda semper perfectiora excitat. Modum sæpe nescit, sed super omnem modum fervescit. Valet ad omnia, et multa implet, et effectui mancipat, ubi non amans deficit, et jacet. Thom. Kemp. l. XXX, c. v.

Elevatio aquæ in altum contra naturam ; per quam significatur violentia, quam sibi ipsi fervens Religiosus infert in difficultatibus, inter operandum occurrentibus ; nam, ut idem auctor ait, oportet amantem (ferventer) omnia dura et amara propter dilectum libenter amplecti, nec ob contraria accidentia ab eo deflecti.

EX S. SCRIPTURA.

Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem. Prov. iv, 8.

In omnibus operibus tuis præcellens esto; nec des maculam in gloria tua. Eccl. xxxiii, 23.

Æmulamini charismata meliora; et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. i. Cor. xii, 31.

Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes. Rom. xii, 11.

Surge (per pœnitentiam) propera (per fervorem) amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Cant. ii, 10.

Et animalia ibant, et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis (propter promptitudinem et fervorem in mandatis Dei perficiendis). Ezech. i, 14.

Et factus est (fervor seu zelus) in corde meo sicut ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, et defeci ferre non sustinens. Jer. xx, 9.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. — Affectus tuus nomen imponit operi tuo ; quomodo a te proficiscitur, sic æstimatur. Vides, quam moralem Judicem te habeas, te consulit, quomodo opus tuum suscipiat, mentem tuam prius interrogat. S. Ambr. l. II, *de Offic.*

Non omnes uniformiter gradiuntur ad Deum. Quidam passu, sicuti ii, qui terrenorum curis impliciti, vix aliquando respirant, ut Domini recordentur. Quidam modesto incessu, sicut hi, qui Domini servitio mancipati, Deo quidem serviunt, et tamen erga seipsos indulgentiores existunt. Alii veloci, id est, rapido cursu, sicut ii, qui super carne sua intuentes, et se, et transitoria contemnentes, celeriter proficiscuntur ad Deum. S. Bern. *in l. Sent.*

Necessitas. — Magnum quoddam est, charissimi, generosus et ingens animus, et propterea promptitudine nobis opus est, ardore multo, animo ad mortem exposito, alioqui non licet, nisi cruci confixum, regnum assequi, ne nosmetipsos fallamus. S. Chrys. hom. iii, *ad Pop.*

Utilitas. — Quæ amat ardentius, currit velocius, et citius pervenit, perveniens non dico repulsionem, sed nec cunctationem patitur ; sine mora aperitur ei tanquam domesticæ, tanquam charissimæ, tanquam specialiter dilectæ, et singulariter gratæ. S. Bern. s. xiii, *in Cant.*

Fovete semper in sinu vestri cordis vividum quemdam, sanctumque fervorem ad quosvis pro virtute exantlandos labores, quia rarum aliquod et eximium facinus antecellit sexcentis vulgaribus, minutisque. Ad quem enim virtutis gradum piger non potest adrepere, exigua temporis intercapedine diligens mirabiliter volat. S. Ign. *in ep. ad Lusitanos.*

Ubi viderit Deus devotionem animi, ardentiorem insinuabit affectum, et, quantum nos addiderimus ad studium, tantum ille apponet ad adjutorium ; quantum nos appo-

suerimus ad diligentiam, tantum ille addet ad gloriam. Cæsar. hom. III, *ad Mon.*

Secundum proportionem (et fervorem) progressus animæ, donum Dei bonitatem suam menti patefacit. S. Diadochus, LXXVII.

Non est satis recte facere, nisi etiam maturare adjicias quod facis ; uberiores fructus habet celerata devotio. S. Ambr. lib. I, *de Cain. c.* V.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Fervor et profectus noster quotidie deberet crescere ; sed nunc pro magno videtur, si quis primi fervoris partem possit retinere. L. I, c. XI, § 6.

O si adverteres, quantam tibi pacem, et aliis lætitiam faceres, teipsum bene habendo, puto, quod sollicitior esses ad profectum spiritualem. Ib. § 6.

Magis Deus pensat, ex quanto quis agit, quam opus, quod facit. L. I, c. XV.

O quantus fervor omnium Religiosorum in principio suæ institutionis fuit ! L. I, c. XVIII, § 5.

Circa principalia festa renovanda sunt bona exercitia, et Sanctorum suffragia ferventius imploranda. L. I, c. XIX, § 6.

Religiosus fervidus omnia bene portat, et capit, quæ illi jubentur. L. I, c. XXV, § 7.

Si te dederis ad fervorem, invenies magnam pacem, et senties leviorem laborem propter Dei gratiam et virtutis amorem. Ib. § 11.

EXEMPLA.

S. David, quanto fervore cultum Dei promovere studuerit, ipse testatus est, dicens : Ego autem totis viribus meis præparavi impensas Domus Dei mei. I. Paral. XXIX, 2.

S. Ignatius Loyola adeo ferventer orabat, ut, quoties orare inciperet, mox toto quasi vultu ignesceret. Imo ob nimium sæpe fervorem post Missam in morbum incideret. Maff. l. III, c. XII.

B. Stanislaus Kostka judicio medicorum ex solo amoris fervore mortuus est, cum febricula tertiana vix bis aut ter ipsum aggressa, naturaliter mortem ei afferre non potuerit. *Vita.*

Vide plura titulo Charitas.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut iter agentes locum insidiis et periculis famosum citatis equis prætervolant ; ita ferventes, quia viam virtutis arduam, et ab inimicis obsessam norunt, magno fervore decurrunt. Beirlinck, *text.* I, *in fest. Visit.*

Sicut in equis militaribus ea facilitas, qua freno parent, potissimum laudatur ; ita in servis Dei præ reliquis Deo placet velocitas et promptitudo mandatis illius obsequendi. Ibid.

Necessitas. — Sicut si arcus vel balista remissa est, dioptram uno palmo altius ad scopum dirigere oportet ; ita cum et mens nostra remissa sit, necesse est, ut altius conatus nostros intendamus, quo vel sic scopum assequamur. Rodr. p. I, c. 8, tr. 1.

Utilitas. — Sicut ad accensam ollam muscæ non appropinquant, si vero tepida furit, insident in eam et faciunt vermes ; ita et monachum succensum igne divini Spiritus, dæmones fugiunt, tepidum vero illudunt, et insequuntur. *Vita PP.* l. III, c. XXXIX. n. 3.

Sicut is, qui visibilem cursum magna contentione peragit, nullum occurrentium videt, etiamsi sæpius in illum incidat, sed animo ad cursum intento facile omnia transit, festinans ad destinatum scopum ; eodem modo qui, ut virtutis cursum currat, festinat, et a terra ad cœlum redire concupiscit, omnia, quæ videntur, deorsum derelinquit, donec veniat in verticem. S. Chrys. hom. 28, *in Genes.*

Sicut ea, quæ a magnete tacta sunt, non quiescunt, donec septentrionali sideri opponantur ; sic quorum corda Christus velut magnes spiritualis tetigit, non quiescunt, donec ipsi per amorem et fervorem adhæreant. Beirl. l. VI.

Sicut ignis, quo plus accipit nutrimenti, eo majorem accipit remunerationem, ea enim accessione materiæ augetur, non obtunditur ; ita Dei dilectio accenditur divinarum rerum comtemplatione, et operationem hinc suscipit majorem et vehementiorem, et quo magis in rebus Domini versatus quis fuerit, eo magis accendit flammam dilectionis. Theodoretus. *Orat de Charitat.*

MOTIVA.

Charitatis Dei erga nos magnitudo ; de qua recte et breviter dixit S. Bernardus : Amat charitas, amat immensitas, et nos vicem rependimus cum mensura. S. Bern.

Ejusdem Dei erga fideles servos liberalitas ; de qua S. P. Ignatius in Constitutionibus recte dixit : Et universim, quo liberaliores nos erga Deum ostenderimus, eo ipsum quoque erga nos liberaliorem experiemur. S. Ignat. *in Const.*

Vitæ brevitas ; quis enim pauper, si unico die thesaurus ipsi regius aperiretur, cum facultate, quantum vellet, exportandi, non summum in exportandis et colligendis pecuniis conatum et fervorem adhiberet ? Merito ergo Salomon monet : Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. Eccles. ix, 10.

Jucunditas, quam experiuntur ferventer Deo servientes ; nam vincentibus (socordiam et teporem) datur manna absconditum cœlestium consolationum, ut omnia etiam difficilia cum magna facilitate et lætitia exequantur.

MEDIA.

Meditatio motivorum ad fervorem excitantium ; in hac enim meditatione exardescet ignis fervoris.

Mortis incertæ cogitatio ; de qua recte pius Auctor dixit : Si frequentius de morte tua, quam de longitudine vitæ cogitares, non dubium, quin ferventius te emendares. L. I, c. I, § 5.

Sæcularium terrenas et perituras divitias et honores quærentium fervor ; de quo S. Ignatius Lusitanis Fratribus sic scripsit : Nolite pati, ut hujus sæculi homines plus laborum et molestiarum suscipiant in conquirendis studiose voluptatibus ac rebus caducis, quam vos in cœlestibus ac divinis comparandis ; pudeat, illos majori opera eniti ad aucupandam gratiam Principis mortalis, quam vos laboretis ad amicitiam cum æterno Rege conjungendam. S. Ignat. *in ep. ad Lusit.*

Præmii cœlestis magnitudo considerata ; uti suasit libellus de Imitatione his verbis : Age, quod agis ; fideliter labora in vinea mea, ego ero merces tua. Scribe, lege, canta, geme, tace, ora, sustine viriliter contraria, digna est his omnibus et majoribus præliis vita æterna. L. III, c. xlvii, § 2.

ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ Asceta de hac materia bene observare debet. Primum est, ut bene cognoscat et æstimet fervoris hujus pretium, nempe quod sit proprium indicium fidelis et Deum sincere, amantis servi, ut recte advertit S. Climacus, dum, quærens, quis est fidelis et prudens Monachus ? respondet : Qui fervorem suum servat inextinguibilem, et in dies usque ad finem vitæ suæ ignem igni adjicere, fervorem fervori, desiderium desiderio, et studium studio numquam desiit. S. Clim. *grad.*

Alterum est, ut sciat, in quibus rebus potissimum suum fervorem ostendere debeat, videlicet in actionibus suis quotidianis recte obeundis, in victoria sui, in rebus adversis generose supportandis, et minimis rebus eligendis et cupide amplectendis, uti sapienter advertit S. Maria Magdalena de Pazzis, ut quæ suas Moniales assiduo hortabatur, ne curarent res magnas facere in apparentia (uti sunt disciplinæ, jejunia, vigiliæ, humi cubationes) quia in his dicebat occultari superbiam periculosam animæ, sed potius facerent res minimas, quæ tamen magnæ fiant et sublimes per ordinationem earum ad altum finem, recta intentione, quia talibus valde delectatur Deus, et sunt absconditæ adversario. *Vita*, p. 4, c. iii.

Tertium est, ut sciat hunc fervorem per religiosam et prudentem discretionem moderari, ne per excessum illius corpori effectus, animo affectus, proximo exemplum, Deo honor subtrahatur, ut recte alicubi S. Bernardus notavit : Quare illud S. Spiritus monitum semper ob oculos habendum : Mel invenisti ? Comede, quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud, uti contigit illis, qui, ut Thomas Kemp. loquitur, incauti propter devotionis gratiam seipsos destruxerunt, quia plus agere voluerunt, quam potuerunt, non pensantes suæ parvitatis mensuram, sed magis cordis affectum sequentes, quam rationis judicium. Et quia majora præsumpserunt, quam Deo placitum fuit, idcirco gratiam devotionis cito perdiderunt. Facti sunt inopes, et viles relicti,

qui in cœlum posuerunt nidum sibi, ut humiliati, et depauperati discant non in alis suis volare, sed sub pennis meis sperare.

MISCELLANEA.

Qualitas.—S. Ignatius Loyola devotionem et fervorem, qui sine alteratione corporis concipitur, devotionem Angelicam vocabat, eo quod ejusmodi personæ sicut Angeli sine corporis inflammatione Deum laudent et ament. Deus Pater autem S. Catharinæ Senensi dixit, hoc esse sextum genus ignitarum lacrymarum. Lanciz. *opusc.* VI, c. VII, n. 76.

S. Ambrosius recte proprietatem fervoris explicavit, dum dixit : Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia.

Non male fervori etiam applicari potest illud Horatii :

> Virtus recludens immeritis mori
> Cœlum, negata tentat iter via,
> Cœtusque vulgares, et udam
> Spernit humum fugiente penna.
>
> Horat. l, III, *Od*, 2.

De Fabio Cunctatore olim dicebatur, quod cunctando restituit rem; de cunctatoribus autem et in servitio Dei minus ferventibus rectius dicitur; quod cunctando destituant rem, id est, profectum in meritis et virtutibus. Beirl. *in festo Visit. text.* I.

> Impiger extremos currit mercator ad Indos,
> Pauperiem fugiens.
>
> Horat. *in Epist.*

Quidni potiori jure similem alacritatem ostendat servus Dei in cœlestibus divitiis comparandis?

AUCTORES.

Nicolaus Lancizius, opusc. VI, cap. VII et opusc. V, c. IX, n. 152.

Ludovicus Cranatens. *in Locis Com.* t. 348.

Laurentius Beirlinck, *in festo Visitationis B. Virginis*, text. I.

Thomas Stapletonus, *in Dom. Palm.* t. IV et *Dom. Posch.* t. III.

Alphonsus Rodriquez, *de Perf.* p. 1, tr. I, cap. II, III et IV. Item c. XII et XIII.

Josephus Langius, *in Polyant.* V. eod.

Thomas Kempensis, *de Imitat Christi*, l. I, cap. XXV et XIX.

S. Ignatius Loyola, *in Epist. ad Lusit.* de perfect. Relig.

Claudius Acquaviva, *de Renovatione Spiritus.*

Philippus d'Outreman *de Pædag. Christiano*, part. II, cap. XXIV, § 8.

FIDES.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est donum Dei ac lumen, quo illustratus homo firmiter assentitur omnibus, quæ Deus revelavit, et nobis per Ecclesiam credenda proposuit, sive scripta illa sint, sive non sint. Juxta D. Paulum, est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Hebr. XI, 11.

Super quæ verba sic loquitur S. Bernardus : Audis substantiam? non licet tibi in fide putare, vel disputare pro libitu, non hac illacve vagari per inania opinionum, per devia errorum. Substantiæ nomine aliquid certum tibi fixumque præfigitur. Non est enim fides æstimatio, sed certitudo. S. Bern. ep. CXIX, *ad Innocent.*

Divisio. — Dividitur communiter in *vivam* et *mortuam;* nam sicut vita animalis, ita fidei vita ex motu et operatione cognoscitur. Et hæc videlicet fides viva est, quam Sponsa in Canticis voluit poni super cor Fidelium, ut credant, quæ a veritate prima revelantur, et sicut signaculum super brachium, ut id, quod credunt, opere confirment, Cant. VIII, 8, seu, ut loquitur Apostolus, corde credant ad justitiam, ore autem confessionem faciant ad salutem. Rom. X, 10.

Unde in Apocalypsi fideles appellantur *Signati*, eo quod signum veræ fidei habeant, dum crucem Christi confitentur, atque adeo in fronte illud habere merentur. Apoc. VII, 4.

Hanc divisionem S. Aug, ex ipso nomine fidei deducit, dum ait : Fides appellata est ab eo, quod fit. Duæ syllabæ sonant, cum dicitur *fides;* prima syllaba est a *facto*, secunda a *Deo*. Interroga te ergo, utrum credas? Dicis : Credo. Fac, quod dicis, et fides est. Nam, ut S. Gregorius testatur, vera fides, quæ hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit. S. Aug. ser. XXII.

Actus. — Corde credere.

Ore confiteri.

Opere confirmare.

Sanguinem proprium fundere pro fide.

Pro viribus spargere fidem, ac dilatare.

Contra Hæreticos, aliosque hostes fortiter eam propugnare.

Effectus. — Quatuor ab Ascetis nume-

rantur : Meditatio, Contemplatio, Contemptus sæculi, Puritas cordis ; nam qui credit, intelligentiam creditorum cupit, et hoc desiderium ad inquisitionem movet, in qua est *meditatio ;* inquisitio pia veritatem invenit, in eaque cum exultatione quiescit, et hæc est *contemplatio;* veritas inventa docet, quam vilis sit mundus, ex quo generatur *contemptus sæculi ;* hic autem ad inhæsionem, qua quis Deo inhærere studet, excitat, et in hac *puritas cordis* consistit.

Alios effectus enumerat Joannes Busæus in *Viridario* suo, videlicet 1. *Justificationem*, juxta illud Apostoli : Arbitramur hominem justificari per fidem. Rom. III, 28. Nam, ut S. Clemens Alex. recte advertit, præcedit fides, timor ædificat, et dilectio perficit. S. Clem. l. II, *apud Strom.*

2. *Virtutem et bonorum operum exercitium ;* uti recte S. Aug. indicavit his verbis : Magnum opus, sed ex fide ; laudo superædificationem operis, sed video fundamentum fidei ; laudo fructum boni operis, sed in fide agnosco radicem. S. August. *in Ps.* XXXI.

3. *Rectam intelligentiam ;* uti S. Cyrillus Jerosolymitanus indicavit, dum dixit : Oculus omnem illuminans conscientiam est fides, et intelligentiam tribuens. S. Cyrill. *Catech.* IV. Dicit enim Propheta : Nisi credideritis, non intelligetis. Isaias, c. VII, 9.

4. *Constantiam in adversis*, juxta illud Apostoli : Certus sum, quia neque mors neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Rom. VIII, 28. Unde autem certus erat, nisi ex fidei firmitate ? inquit S. Hieronymus. *In* c. I, *ep. ad Galat.*

5. *Immunitatem a curiositatis vitio.* Nam ut recte Tertulliamus ait, nobis curiositate non est opus post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium. Cum credimus, nihil desideramus ultra credere ; hoc enim prius credimus, non esse, quod ultra credere debeamus. Tertull. *de Præscript.*

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Hebr. XI, 1.

Gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut vere est, verbum Dei. I. Thess. II, 13.

Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Eph. IV, 6.

Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Rom. X, 10.

Qui credit Deo, attendit mandatis ejus ; et qui confidit illi, non minorabitur. Eccl. XXXII, 28.

Sed dicet, quis : Tu fidem habes, et ego opera habeo ; ostende mihi fidem tuam sine operibus, et ostendam tibi ex operibus fidem meam. Jac. II, 28.

Quid prodest, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat ? Numquid poterit fides salvare eum ? Jac. II, 14.

Æquitas. — Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Ps. XII, 5.

Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, et bene habebunt. Marc. XVI, 17.

Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre. Joan. X, 38.

Necessitas, — In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur. Gal. V, 6.

Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et quia inquirentibus se remunerator sit. Hebr. I, 6.

Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. Qui credit in Filium, habet vitam æternam ; qui autem incredulus est, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Joan. VIII, 24.

Qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso ; justus autem meus ex fide vivit. Abac. II, 4.

Utilitas. — Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei ; propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Phil. III, 7.

Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. Rom. IV, 3.

Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. Marc. xvi, 16.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Joan. iii, 20.

Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Joan. vi, 42.

Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Marc. ix, 23.

Dignitas. — Beati sumus, Israel, quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis. Baruch. iv, 4.

Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis. Ps. xlvii, 10.

Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum, in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in Regnum Filii dilectionis suæ. I. Coloss. 12.

Jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives Sanctorum, et domestici Dei. Eph. ii, 19.

Constantia. — State, et nolite iterum jugo servitutis contineri. Gal. v, 1.

O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus proscriptus est, in vobis crucifixus? Gal. iii, 1.

Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire. Gal. v, 7.

Optimum est, gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Prov. xiii, 9.

Sicut qui multum mel comedit non est ei bonum; sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria. Prov. xxv, 27.

Habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt. I. Tit. i, 9.

Fide stas? Noli altum sapere, sed time; si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Rom. xi, 20.

Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui. Prov. xxii, 28.

State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis requiem animabus vestris. Jer. vi, 16.

Jam non simus parvuli fluctuantes, et circumveniamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Hebr. xiii, 6.

Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Hebr. xiii, 9.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas. — Tunc veraciter fideles sumus, quando quod verbis promittimus, operibus complemus. S. Greg. *hom.* xxvi.

Fides aliquando recipit, quod ratio non præsumit; qualis sit cujusque fides, tribulatio probat. S. Bern. *de* 29 *grad. Humil.*

Dicamus fidem vitem, virtutes palmites, botrum opus, devotionem vinum. Idem, *super Cant.*

Divina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis; nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. S. Aug. *in hom.* xxvi, *super Ev.*

Cito fides inexercitata languescit, et crebris otiosa tentatur incommodis. Remissas excubias callidus insidiator irrumpit; assuetum autem bello virum hesterna fraus instruit, et gloriosæ provehit palma victoriæ. S. Ambr. *super.* Ps. *Beati immaculati.*

Putasne Filium Dei reputat Jesum, quisquis ille homo est, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit? Nonne is, si fateatur se nosse Deum, factis eum negat? Porro fides sine operibus mortua est. S. Bern. *sup. Cant.*

Cum dilectione fides Christiani, sine dilectione fides dæmonis. S. Aug. x, *de Civit.*

Quid est fides, nisi credere, quod non vides? Ideo bene creditur (SS. Trinitas) quia cito non capitur; nam si cito caperetur, non esset opus, ut crederetur, quia videretur. S. Aug. *sup. Joan.*

Non pertinet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi; alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. S. Cypr. *in tract. de Unitat. Eccles.*

Fides est sicut columna illa, quæ præcedebat populum Israel in exitu de Ægypto, nam et illa ex parte Israel erat lucida, et ex parte Ægyptiorum tenebrosa; sic fides credentibus lucet, et infidelibus est obscura, quia ipsi sunt rebelles lumini. S. Bonav. *Dial. Sal.* tit. 5, c. iii.

Fides Dei non est otiosa, neque solitaria, individua comes ei jungitur bonæ operationis instantia; nam cum per fidem quis cognita incipit amare, consequenter exercet operando, quod amat: S. Hier. *ad Paulam.*

Proprie nomen fidei inde est dictum, si

omnino fiat, id quod dictum est, aut promissum ; et inde fides vocata est ab eo, quod sit illud, quod inter utrosque placitum est, quasi inter Deum et hominem ; sed et Cicero ait : Fides, dictorum conventorumque constantia ; sic dicta, quod fiat. S. Isid. l. VIII. Orig. c. II. Cicero, l. V, *Offic.*

Fides est simplicitas mentis, et devotio animæ ad Dominum. S. Hieron. *advers. Lucifer.*

Fidelis totum mundum habet, cum Deum habeat. S. Aug. *Conf.* c. IV.

Fides inexercitata cito languescit. S. Ambr. *in Ps.* CXVIII.

Fides nisi præcedat, bona vita sequi non potest. S. Ambr. *de Fide et Opere.*

Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. S. Greg. *in Ev.* hom. XVI.

Æquitas. — Deus credi se voluit, non examinari ; periculosa est disputatio de Trinitate. Lutum et vas figuli de Creatore disputant, quod nec Angeli in cœlo scire possunt. Quid enim agunt ? *Quis est iste Rex gloriæ ?* Et apud Isaiam : *Quis est iste, qui ascendit de Edom?* Vis scire naturam Dei, hoc scito, quod nescias. Plus cæteris scies ? Gentilis homo videt lapidem, et Deum putat ; Philosophi vident cœlum, et Deum putant. In eo quod se scire dicunt, nesciunt. In die Judicii non damnor, quia dico : Nescivi naturam Creatoris mei. S. Aug. s. *de SS. Trin.*

Quisque credit vicinis suis et matri, licet nesciat, quando fuit genitus ab illo patre, et natus ab illa matre ; tamen requisitus statim incunctanter respondet, illum esse suum patrem, et illam suam matrem, licet nesciat nisi ex auditu suorum, nec alienis crederet de contrario. Sic per peccatum Adæ in hoc carcere nati et nutriti, debemus credere matri Ecclesiæ et vicinis, sanctis filiis ejus de his, quæ pertinent ad fidem, licet ea non viderimus. Fell. *Spec. Mor.* l. I, *dist.* XIV, p. 3.

Credite illi, qui omnino non fallit. Credite illi, qui hæc futura omnia prædixit. Credite illi, qui credentibus præmia æternæ vitæ dabit. Credite illi, qui incredulis æterna supplicia gehennæ ardoribus irrogabit. Quæ tunc erit fidei gloria, quæ pœna perfidiæ, cum Judicii dies venerit ? S. Cyprianus.

Quæ evidenter, quæ diu sunt expectata, suscepimus, fiducialiter necesse est, quæ sunt expectanda, credamus. Si fortis fuit fides, quæ experimenta præcessit, fortior debet esse, quæ jam manifesta subsequitur. Idem, hom. X, *de Pasch.*

Ecce quid a te requirat immensa illa pietas, quod facile possit implere nuda paupertas, despecta mediocritas, indocta simplicitas ; non per multas distraharis ambages, ne duris difficultatibus occupandus involvaris. Quod a te et prope reposcitur, intra te est, id est, oris famulatus et cordis affectus, secundum illud : Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. In anima ergo tua posuit omnia animæ tuæ præsidia Deus tuus ; ut, unde peccatum egreditur, inde et peccati medicina peteretur. S. Chrys. *sup. Matth.* XXV.

Tenet me in Ecclesia consensus populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. S. Aug. l. *de Util. Cred.* c. IV.

Quisquis adhuc prodigia quærit, ut credat, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit. Idem, c. VIII.

Domine, si error est, a te decepti sumus ; nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt, et talibus, quæ non nisi per te fieri possunt. Rich. Vic. *Sent.* I, *de SS. Trin.* c. II.

Quid non invenit fides ? Attingit inaccessa, comprehendit immania, apprehendit novissima ; ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circumdedit. S. Ber. *super Cant.*

Ille apud Deum plus habet loci, qui plus attulit, non argenti, sed fidei. S. Aug. *in* l. *de Ovibus.*

Noli intelligere, ut credas, sed crede, ut intelligas, intellectus merces fidei est. Idem, *sup. Joan.*

Totum in se habet homo, qui se habet ; ipse autem se habet, qui Deum habet ; Deum vero habet, qui eum credit, et confitetur Auctorem. Cassiod. *sup. illud Ps. Quia factus sum uter.*

Credenti præmium dabitur, si quod creditur, et geratur. S. Cyprianus.

Necessitas. — Qui non credit, et tamen quædam fortasse bona opera facit, similis est illi, qui aquam haurit, et in dolium pertusum infundit. S. Clim. *in Scala Parad.*

In petra Moyses ponitur, ut Dei speciem contempletur, quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, divinam præsentiam non agnoscet. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit ; frange ra-

mum ab arbore, fructus germinare non potest ; a fonte præcide rivum, præcisus arescet. S. Aug. s. *de Symb.*

Fide carens justus esse non potest. S. Greg. *super Ps.* vii.

Deus non glorificatur absque fide in Christum. S. Basil. *in Apolog.*

Utilitas. — Fides prava desideria frenat, effrenes appetitus cohibet, feroces cordis motus sedat, vitia pellit, virtutes inserit, mollia calcat, aspera tolerat, in prosperis non erigitur, in adversis non dejicitur, nihil est tam arduum et tam durum, quod non aggrediatur propter Deum, qui viva fide credit in Deum. S. Thom. Vil. *in Oct. Pasch.*

O gratiosa et amabilis fidei virtus ! Quis igitur te non amabit, quæ fundamentum es omnis gratiæ et virtutis ? Purgas peccata, vivificas animas, illuminas cœcos, distinguis electos, connectis membra capiti nostri Christo, animas fideles Deo facis sponsas, protegis et defendis, probas justas, miracula operaris, in omnibus triumphas, atque æterna felicitate perseverantes in te, coronas. S. Ber. t. I. s. iv, a. s. c. i.

Hanc nobis fidem velut lampadem Christus adveniens errantibus exhibuit, viam monstraturus, per quam possit Deus ignotus requiri, quæsitus credi, creditus inveniri. Quemadmodum Ecclesia navi, ita fides anchoræ assimilatur, dicente Hugone Victorino : Quicumque ab initio mare præsentis sæculi salubriter transfretarunt, quicumque ad portum salutis pervenerunt, omnes in navi fidei navigaverunt, et transierunt. Anchora navim assecurat ; ita quoque, teste D. Chrysostomo, fides in Deum, quasi secura quædam anchora ; quam eamdem doctrinam in Psalm. 115, commentario, ubi de fide tractans, idem repetit S. Doctor in hæc verba: Ejusmodi res est fides quædam sacra anchora, quæ undique sustentat mentem, quæ ei adhæret. Et in Th. 5, sermone quodam eamdem idem Doctor prosequitur allusionem, verbis sequentibus : Quemadmodum navim ventorum impetu jactatam et fluctuum assultu demissa anchora omnino stabilit, et vel in medio pelago radicat ; ita etiam mentem nostram extraneis cogitationibus jactatam adventu suo fides ex imminenti naufragio liberat, tanquam in tranquillum portum, in conscientiæ certitudinem, deducens. In quorum confirmationem prædictus Sanctus illum Apostoli ad Hæbreos textum adducit, dicentis : Quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam. Euseb. Emis. hom. ii, *de Sym.*

Nihil efficacius ad superandas diaboli, carnis et mundi tentationes, quam si quis fidem suam diligenter exerceat, ac frequenter ante mentis oculos ponat bona nobis in futuro promissa. Estius, *in* c. vi, *Eph.*

Fides in Deo est secura anchora. S. Chrys. *super Gen.* vi, hom. v.

Fideli homini totus mundus plenus divitiarum est. Idem, ibid.

Dignitas. — Fides Religionis Catholicæ est lumen animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ. S. Bern. *super Cant.* xii.

Fides prima et initialis est inter omnes virtutes, et quasi capitalis honorificentia summi Dei. Ipsa nempe caput humanæ mentis, id est, intellectum, ad adorandam et venerandam altissimam Dei Majestatem primum incurvat, atque inclinat, quemadmodum Apostolus ait : Per fidem in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium fidei. S. Bern. t. I, § 2, *in Princ.*

Fides virgo est integerrima, talisque nobis a Christo tradita, quam, ut stuprare conantur hæretici, sic Catholicis eam omnino incorruptam caste tueri, necesse est. Tertull. l. *de Præscript.*

Confer doctrinam fidei dogmatibus Philosophorum, et libris eorum, et splendori eloquentiæ, et compositioni sermonum, et videbis, quanto minor sit cæteris seminibus sementis Evangelii. Sed illa cum creverint, nihil mordax, nihil vividum, nihil vitale demonstrant, sed totum flavidum marcidumque et mollitum ebullit in olera et in herbas, quæ cito arescunt et corruunt ; hæc autem prædicatio, cum in anima credentis sata fuerit, crescit in arborem. S. Hier. *apud Stapt. Dom.* ii, *post Epiph. them.* ii.

Magnarum hic vigor est mentium, et valde fidelium hoc lumen est animorum, incunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitu. S. Leo, s. i, *de Ascen. Dom.*

Firmitas. — Cum ab ortu solis usque ad occasum lex divina suscepta sit, et omnis sexus, omnis ætas, et gens, et regio unitis ac paribus animis Deo serviant, eadem sit ubique patientia, idem contemptus mortis, intelligere debuerant aliquid in ea esse rationis, quod non sine causa usque ad mortem defendebatur; aliquid fundamenti ac soliditatis, quod eam religionem non tantum injuriis ac vexationibus non solvat, sed

augeat semper, ac faciat firmiorem. Lactant. l. V, cap. xiii.

Nullo crudelitatis genere destrui potest, sacramento crucis fundata, religio; non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, et semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. S. Leo. s. I, *in Natali Apost.*

Talis est natura fidei, quanto magis vetatur, tanto magis accenditur. Virtus fidei in periculis secura est, in securitate periclitatur. Quid enim aliud sic laxat vigorem fidei, sicut longa tranquillitas? S. Chrys. *super* xx, *Matth.*

Nullæ sunt majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major substantia, quam est fides Catholica. S. Aug. s. I, *de Verb. Apost.* c. iv.

Tertia firmitas fidei ex testificantium concordia plena, quæ est in tribus, in eloquio Scripturarum, in decretis Conciliorum, in documentis Sanctorum. De medio petrarum dabunt voces, hoc est, de medio duorum Cherubim, de quibus loquebatur Dominus, sive de quorum medio, scilicet duorum Testamentorum. S. Bonav. s. ix, *in Hexam.*

Nonne si fluctuat fides, inanis est spes nostra? Stulti ergo Martyres nostri, sustinentes tam acerba propter incerta, nec dubitantes sed dubio remunerationis præmio, durum per exitum diuturnum inire exilium, sed absit, ut putemus in fide vel spe nostra aliquid, ut is putat, dubia æstimatione pendulum, et non magis totum, quod in ea est, certa, ac solida veritate subnixum, oraculis et miraculis divinitus persuasum, stabilitum, et consecratum partu Virginis, sanguine Redemptoris, gloria resurgentis. Testimonia ista credibilia facta sunt nimis. S. Ber. *Ep.* cxc, *ad Innocent. Pap. lit.* F. *sive* tom. I, *tract. de Error. Abelardi*, c. iv, f. 114.

Fides, juxta Apostolum, est substantia rerum sperandarum, non inanium phantasia conjecturarum. Audis substantiam? Non licet tibi in fide putare, vel disputare pro libitu, non hac illacque vagari per inania opinionum, per devia errorum; substantiæ nomine, aliquid tibi certum fixumque præfigitur, non est enim fides æstimatio, sed certitudo. S. Ber. *ep.* cxc, *ad Innocentium Papam, paulo supra cit.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Beata simplicitas, quæ difficiles quæstionum relinquit vias, et plana ac firma pergit semita mandatorum Dei. L. IV, c. xviii.

Fides a te exigitur, et sincera vita, non altitudo intellectus, neque profunditas mysteriorum Dei. Si non intelligis, nec capis, quæ infra te sunt, quomodo comprehendes, quæ supra te sunt? Ibid. § 2.

Subdere Deo, et humilia sensum tuum fidei, et dabitur tibi scientiæ lumen, prout tibi fuerit utile ac necessarium. Ibid.

Noli curare, noli disputare cum cogitationibus tuis, nec ad immissas a diabolo dubitationes responde, sed crede verbo Dei, crede Sanctis ejus et Prophetis, et fugiet a te nequam inimicus. Ibid. § 3.

Quidquid intelligere non vales, Deo omnipotenti secure committe. Non fallit te Deus; fallitur, qui sibi ipsi nimium credit. Plus valet Deus operari, quam homo intelligere potest. Ibid.

Graditur Deus cum simplicibus, revelat se humilibus, dat intellectum parvulis, aperit sensum puris mentibus, et abscondit gratiam curiosis et superbis. Ibid.

Omnis ratio et naturalis investigatio fidem sequi debet, non præcedere, nec infringere. Si talia essent opera Dei, ut facile ab humana ratione capi possent, non essent mirabilia, nec ineffabilia dicenda. Ibid. § 5.

Fili, caveas disputare de altis materiis et de occultis Dei judiciis. Ista omnem humanam facultatem excedunt, nec ad investigandum judicium divinum ulla ratio prævalet, vel disputatio. L. III, c. lviii.

Curiositas nostra sæpe nos impedit in lectione Scripturarum, cum volumus intelligere et discutere, ubi simpliciter esset transeundum. L. I, c. v.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Dignitas. — Quidam Martyr, teste Eusebio, a Tyranno rogatus, quod ipsi nomen esset? qua domo natus esset? liberne an servus? ad singulas quæstiones nihil aliud respondit, quam : *Christianus sum*, ratus hoc uno titulo omnes honoris titulos satis comprehendi. L. IV, *Hist. Eccl.* c. I.

Blandina virgo, dum clamat : *Christiana sum !* immanes cruciatus non superavit modo, sed risit etiam, et tanquam inter delicias exultavit. Ibid.

Cum Quintilianus, Siciliæ Prætor, S. Agathæ diceret : Nonne pudet te, nobili genere natam, humilem et servilem Christianorum vitam agere? Respondit illa : Multo præstantior est Christiana humilitas et servitus, Regum opibus et superbia. Surius, 5. *Feb.*

Ludovicus, Rex Galliæ, nullibi jucundius, quam Passiaci, agebat, quod ea in urbe baptismo ablutus in Christianorum Album transcriptus esset. Atque id crebris sermonibus usurpare solebat, nulla parte regni sui, quam illa ipsa in urbe, tantum se honoris et gloriæ umquam percepisse. *Vita, et Pæd. Christian.* p. I, c. 1, § 1, n. 6.

Ingo, Dux Carantanorum, (qui ad fontes Savi et Dravi habitant, hodie Carinthi dicti) multos ex suis Satrapis hac ratione fecit Christianos. Anno salutis septingentesimo nonagesimo primo convivium laute instruxit, et vilem plebeculam simul cum Satrapis suis invitavit, sed præ foribus recumbere jussit, pane tantum cibario et caruncula rancida pavit, vinumque fictilibus propinavit austerum ; contra pauperculos suæ mensæ adhibitos, vino nobili aureis argenteisque poculis propinato, lauta insuper cœna refecit. Quod cum nobiles indigne ferrent, ac in sui contumeliam fieri stomacharentur, ita respondit : Pauperculos ideo honore hoc affeci, quia sacro lavacro abluti sunt, vos vero reliqui foris, quia sordibus squalentes, hircumque impietatis olentes, mihi nauseam facitis. Hac ergo ratione castigati nobiles intra breve tempus, sub Amone Juvaviensi Episcopo, Christi fidem avide susceperunt. Brunner. *Annal. Boicorum* p. II. l. VI. n. 6.

Utilitas. — Tempore sancti Sylvestri, quando Constantinus Magnus recenter ad fidem accesserat, perque eum aliorum populorum conversio sperari poterat, magnus ille Sacerdos, ut Bellovacensis refert, sequens patravit miraculum. Cum enim Helena sacris Christianæ fidei mysteriis nondum initiata esset, ad illa tamen plurimum propenderet, Judæi vero e contra eamdem, ne Ecclesiæ crederet, pervertere niterentur, multi ex paganis sapientissimi, ex altera vero parte cum Sancto Sylvestro et multis Episcopis simul congregati fuerunt, cumque duo pagani controversiæ judices constituti fuissent, Sanctus Pontifex autem eosdem multis confutasset argumentis, Judæus quidam eidem opposuit, Christianos adorare Crucifixum, se vero certum quoddam nomen Dei nosse, cujus virtutem ne ipsa quidem saxa sustinere valeant, ac proinde ferocissimum quemdam taurum coram se produci fecit, ut ostenderet, quod nec hic virtutem hujus nominis sustinere valeret ; cui cum in aures nescio quod nomen insusurrasset, taurus statim mortuus concidit, cunctis vero factum hoc admirantibus. Silvester nil magnum esse ait, taurum occidere, cum hoc et araneæ possint, imo et modicum venenum animal interimere queat ; neque insusurratum hoc nomen Dei nomen esse dixit, sed dæmonis, cum Deo proprium sit vivificare, dæmonis vero occidere. Potius igitur Dei virtutem exinde colligendam esse ait, si insusurrato eodem nomine occisum hunc taurum vitæ restituat. Tunc igitur deputati judices Judæum adigerunt, ut taurum resuscitaret ; quibus ille, se id minime facere posse, ingenue fassus est. Sylvester igitur invocato Crucifixi nomine, Christianis seorsim orantibus, tauro in Crucifixi nomine præcepit, ut surgeret, qui statim redivivus surrexit. Quo viso Judæi præsentes una cum Helena ad fidem conversi sunt, et baptizati una die plusquam tria millia hominum. Bell. *Spec. Mor.* l. II, *epist.* xix.

Cum Wandali universam Franciam et Hispaniam cum non modico utriusque regni dispendio pervagarentur, multosque Episcopos Catholicos ingentia prodigia patrantes secum in servitutem abducerent, Episcopus quidam Arianus, Cirola nomine, (Catholicorum Episcoporum rationibus et argumentis, specialiter vero miraculorum fama, quam sibi per cæci cujusdam illuminationem compararant, convictus et confusus) ut se quoque miraculorum dono pollere ostenderet, ad fraudes et technas confugit, ut hac ratione hæreseos suæ asseclas in secta confirmaret. Cuidam enim suæ sectæ quinquaginta aureos eo pacto donavit, ut cæcum se, et ab eo illuminatum esse, fingeret. Cum autem transiret Cirola cum exercitu Wandalorum et Episcopis captivis Catholicis, exclamavit dictus homo : Audi me, beatissime Cirola, respice cæcitatem meam, et experiar virtutem tuam, qui reddis cæcis visum, surdis auditum, leprosos mundas, mortuos suscitas ! Tunc Cirola eum trahens ad partem, ait, tangens ejus oculos : Secundum fidem nostram, qua recte credimus in

Deum, aperiantur oculi tui, et videant! Quo dicto inceperunt oculi miseri hominis inflari, et tantus dolor eum arripuit, ut vix posset digitis oculos comprimere, quin creparentur, et præ dolore ejulans omnibus dolum detexit, et clamabat projiciens aureos : Ecce aurum tuum, redde mihi visum meum. Tunc bono usus consilio, clamans et ejulans, projecit se ad pedes Episcoporum Catholicorum, abnegans Arianas perfidias et profitens fidem Catholicam. Tunc, beato Eugenio Episcopo crucem ejus oculis imprimente, sanitatem et visum recepit. Videns Hunnericus, Rex Wandalorum, sectam suam confundi, et fidem exaltari, sanctos diversis suppliciis laceravit, quo facto sol obscuratus est, et dictus Hunnericus a diabolis arreptus, propriis dentibus se laceravit. Idem *Hist. Franc.*

Hæretico cuidam Eunomiano multa adversus fidem Catholicam argute, et ex arte dialectica disputanti, respondit quondam S. Macarius : Non est, inquit, in sermone Regnum Dei, sed in virtute. Eamus ad sepulchra, et nomen Domini super mortuum, qui primus occurret, invocemus, sicut scriptum est, ostendamus ex operibus fidem nostram. Quo audito hæreticus assensum simulans, in crastinum rem differri petiit, sed a S. Macario expectatus, causæ diffidens non comparuit. Pergit nihilominus vir sanctus cum plebe, quam ista prava sua doctrina infecerat, ad condicta sepulchra, ibique vetutissimum cadaver allocutus : O homo! ait, si venisset huc mecum hæreticus ille filius perditionis, et astante illo nomen Christi Dei mei super te invocassem, surrecturusne eras, coram his, quos iste per fraudem pene subverterat? Ad hæc surgens mortuus cum interroganti annuisset, et se sub antiquissimis Regibus, ante Christum, vixisset narrasset jussus est a Macario in pace ad ordinem suum redire, in fine temporum exsuscitandus. *Pædag. Christ.* p. II, c. XXII, §1.

Philippo, Francorum Regi, perniciem struxerat Magus quidam cereæ imaginis incantatione, ita nimirum, ut in imagine igne absumpta, Rex quoque secreto morbo absumptus moreretur. Hanc perniciem a se non aliter, quam fide, depulit. Cum enim allatam ad se imaginem in ignem abjecisset : Videbimus, inquit, si potentior erit dæmon ad me perdendum, quam Deus meus ad me conservandum. Ita Gerson. tract. *de Erroribus circa artem magicam* p. I.

Zacomus tribunus carebat liberis, ætate jam senescens. Et cum Monachum quemdam magna gloria virum adisset, cum alia pleraque ei per colloquium exposuit, tum ærumnam quoque eam et casum deploravit; supra modum enim apud Saracenos magni penditur liberorum procreatio, nec apud eos modo, sed etiam, ut arbitror, apud Barbaros omnes. Ille bono animo eum esse, precatione facta, et reverti domum jussit, fore pollicitus, ut brevi pater fieret, si modo in Christum sibi credendum esse statueret. Postquam autem dictum id eventus comprobavit, et filius progenitus promissionem illam veram esse confirmavit, et ipse Zacomus Religione nostra est initiatus, et tribum eam omnem, cui præfuit, ad eamdem gratiam adduxit. Ab eo tempore tribum istam admodum floruisse, magnaque et numero et amplitudine incrementa cœpisse, atque Saracenis et Persis formidabilem fuisse, dicunt. NICEPH. l. XI, c. IV.

Constantinus, qui primus publice ex Imperatoribus Ecclesiam defendit, eo fere modo Maxentium vicit, quo Moyses Pharaonem. EUSEBIUS *Cæs.* l. IX, c. IX.

S. Augustinus ait : Constantinum Imperatorem non supplicantem dæmonibus, sed ipsum verum Deum colentem, tantis terrenis implevit muneribus, quanta optare nullus auderet; universum orbem Romanum unus Augustus tenuit et defendit, in administrandis et gerendis bellis victoriosissimus fuit; in Tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est; grandævus ægritudine et senectute defunctus est. Filios imperantes reliquit. S. AUG. l. V, *de Civ. Dei* c. XXV.

Theodosius senior, quia vere pius et Catholicus erat, adeo omnia prospere ei cesserunt, ut in præliis hostium tela in auctores, Deo dirigente, retorquerentur. S. AUGUST. ibid. c. XX.

Honorius ob similem causam plura quam centum millia Gothorum uno prælio vicit, ne uno quidem ex Romanis vulnerato aut extincto. Ibid. c. XXIII.

Justinianus senior, quamdiu Catholicus fuit, feliciter imperavit, multasque Provincias Romano imperio restituit; at ubi hæreticus factus, edictum de sua hæresi recipienda proponere voluit, repentina morte sublatus est. EVAG. l. IV, c. XVI.

Dani, quia prædicationi Evangelii resistebant, tanta cæde mactati sunt, ut vulgus omne caderet, de stirpe autem regia nemo

remaneret præter puerum, Hericum nomine, qui et ipse quidem ab initio resistebat, sed postea ab Ansgario Confessore conversus, etiam suos publico edicto ad Catholicam fidem recipiendam compulit. Baronius, *ann.* 858, § 1.

Cum Valens Imperator, Catholico Duci contra Gothos misso, et victo, suam ignaviam objecisset, Dux libere respondit : Non ego, o Imperator, victus sum, sed tu ipse victoriam perdidisti, qui contra Deum aciem instruere non desinis, et ita ejus auxilium Barbaris concilias. Theodor. l. IV, c. xxiii.

Theodoricus Rex famulum, qui in ipsius gratiam fidem Catholicam deseruerat, ense transfodit, dicens, fieri non posse, ut homini fidem servaret, qui Deo fuisset infidelis. Euseb. l. IX, c. xxx.

Cum Christiani Moluccenses a fide Catholica suscepta se iterum a Rege suo abstrahi permisissent, tanta eorum agros alioqui fertilissimos sterilitas invasit, ut toto defectionis tempore, licet sæpius repetita satione, nullum fructum proferrent, sicque multi fame perirent, reliqui peste, aut bello a paucissimis victi interirent. Daurolt. c. I, tit. xviii, n. 30. *ex ep. Molucan.* 1565.

Custos carceris, in quo detinebantur S. Paulus et Silas, videns terræ motum fieri, et carcerem aperiri, tremefactus procidit ad pedes eorum dicens : Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam ? At illi dixerunt : Crede in Dominum Jesum Christum, et salvus eris. *Act.* I, VI.

Veritas. — Cum Rex quidam Babyloniæ Christianis imperaret, ut fidem, quam prædicabant, aut montis, quem designabat, translatione probarent, aut eamdem, nisi tamquam impostores capite damnari vellent, repudiarent; perplexis ad hoc imperium Christianis, adfuit de cœlo Angelus, qui pro suis orantem Episcopum monuit, ut monoculum quemdam Anianum olim S. Marci discipulum deligeret, qui indicto prius jejunio triduano monti mandavit, ut inde se moveret; quod tanta celeritate fecit, quanta navis in mari, quæ vento impellitur. Quo prodigio motus Rex cum omni populo Christianis accensitus est, et templum præcipuum Dei Matris honori ædificavit. Petrus de Natalib. l. IX, c. xix.

S. Dominico cum Albigensibus hæreticis disputante, ita inter eos convenit, ut ejus partis fides, quæ compendio in charta descripta, et in ignem missa illæsa servaretur, haberetur legitima ; igitur hæreticorum liber illico ab igne consumptus est ; S. Dominici vero charta non tantum illæsa mansit, sed etiam tertio igni injecta, tertio inde resiliit. D. Anton. 3 p. *Sum.* t. xix, c. I, § 4.

Cum in Concilio Nicæno duo Episcopi ante finem illius mortui essent, reliquique Patres ad eorum sepulchra accedentes dicerent : Dilecti fratres, quia socii nostri fuistis in condendis decretis, etiam in confirmandis socii estote. Ita perdurantes in oratione, et decreta in sepulchro relinquentes, mane a duobus Episcopis subscripta repererunt. Idem, ibidem.

Cum Concilium Chalcedonense hæreticum Dioscorum et errores illius damnaret, et illi, qui ei adhærebant, acquiescere nollent, Patres reliqui Concilii decreta ac errores Dioscori per sepulchrum S. Euphemiæ posuerunt. Quo facto, sequenti mane, Patrum quidem decreta in manibus S. Euphemiæ, Dioscori vero errores ad pedes jacentes sunt reperti. Ibidem.

S. Helenus cum hæretico disputans pactum fecerat, ut fidei probandæ gratia uterque ignem accensum ingrederetur; quod ipse quidem illæsus præstitit, sed hæreticus intrare recusans cum violenter in eum conjectus esset, opem S. Heleni implorans ab eo non sine grandi confusione ereptus est. Ibidem.

Ad Judæorum suggestionem odio prosequentium Anianum, Divi Marci Evangelistæ Alexandriæ successorem ac discipulum, Rex Babyloniæ mandavit, ut quia in Evangelio Christianorum continetur, quod habentes fidem sicut granum sinapis, montes transferre possunt, quatenus Christiani montem magnum de loco suo transferrent alioquin, aut fidem abnegarent tanquam falsam, aut capitalem sententiam omnes subirent. Episcopo igitur cum omnibus Christianis ex hoc admodum afflicto, et Deum pro fide sua suppliciter exoranti per Angelum revelatur, neminem adhuc ex fide sua idoneum nisi monoculum Anianum. Vocatus igitur ab Episcopo, omnique populo indicto jejunio triduano, ipse confisus in Domino monti mandavit ; mons continuo moveri cæpit, de suo loco recedens, tantaque celeritate versus Babylonem veniens, quanta navis per æquora vento pellitur, eousque divinitus delatus, donec ad preces Regis monti mandavit, ut figeretur, ne in civitatem irrueret, et eamdem opprimeret, sicque ibidem fixus

usque hodie manet, propter quod miraculum Rex cum omni populo, Ecclesiam principalem in Babylonia in honorem Dei genitricis ædificavit. Pet. Nat. *in Catal. Sanctor.* l. IX, c. XIX.

Beatus Leontius, Antiochiæ in Syria Pontifex, vir et fide et religione in Christum laudatissimus acerrimusque veritatis propugnator, xenodochia studiosissime curabat, quibus viros pios, qui peregrinorum curam gererent, præfecit. Fuere inter hos, tres præ cæteris ardentes pietatis cultores, qui negotiorum causa in vicum ad decimum septimum milliarum Antiochia distantem (Thracunta nominant) una profecti, comitem in itinere Judæum habuere. Viæ dux inter pios tres erat Eugenius religiosissimus. Ergo dum una iter faciunt Eugenius sermonem orsus aggreditur Judæum, et de fide in Deum, Dei unicum Filium disputat, Judæo vero argumenta omnia per ludibrium eludente, serpentem in ipsa via, mortuum offendunt, et mox Judæus ad comites : Si, inquit, hunc anguem devoraveritis, nihilque inde detrimenti ceperitis, Christianum me profitebor. Extemplo igitur arreptum Eugenius colubrum in tres divellit partes, unamque ipse, duas reliqui, spectante Judæo, absumunt, salvique persistunt. In quibus Evangelicum illud et salutare oraculum expletum est : Et serpentes in manibus suis tollent, et si mortiferum quid biberint, non illis nocebit. Judæus cum illis ad xenodochium reversus in eo mansit Christique fidem suscepit. Matth. Rader. *in Viridario Sanctorum.*

Anno Christi Domini nongentesimo quadragesimo nono contigit contentionem fieri super cultum Deorum in quodam convivio, Rege præsente, Danis affirmantibus, Christum quidem Deum esse, sed alios majores eo fore Deos, quippe qui potiora mortalibus signa et prodigia per se ostenderent. Contra hæc Clericus quidam, nunc vero religiosam vitam ducens, Episcopus, nomine Poppa, unum verum Deum Patrem cum Filio unigenito, Domino nostro Jesu Christo, et Spiritu Sancto, simulacra vero Dæmonia esse testatus est. Garaldus autem Rex, qui velox traditur fuisse ad audiendum, tardus ad loquendum, interrogat, si hanc fidem per semetipsum declarare velit. Ille incunctanter velle respondit. Rex custodiri Clerieum in crastinum jubet. Mane autem facto, ingentis ponderis ferrum igne succendi jubet, Clericumque ob fidem Catholicam candens ferrum portare jussit. Confessor Christi indubitanter ferrum rapit, tamdiuque deportat, quo ipse Rex decernit. Manum incolumem cunctis ostendit, fidem Catholicam omnibus probabilem reddit. Ad hæc Rex conversus Christum Deum solum colendum decernit, idola respuenda subjectis gentibus imperat, Dei Sacerdotibus et ministris honorem debitum deinde præstitit. Saxo. lib. X, *Hist. Dan.*

Anno Domini quadringentesimo septuagesimo primo evenit, ut duo Philosophi, quorum alter Arii rabie infectus, dicendi ac disputandi arte instructissimus, alter virtute, religione et recta fide orthodoxa ornatissimus erat, de doctrina contenderent. Porro orthodoxo et recte sentienti visum est, verborum contentione relicta, ad rem ipsam descendere ac veritatem explorare ; videlicet, ut rogo ingenti accenso sese in ignem conjicerent. Quod ubi Arianus detrectavit, Orthodoxus igni se contulit, atque inde cum impio sermonem conferens, disputavit, salvusque etiam vestibus intactis permansit. Niceph. Caltist. l. XV, c. XXIII.

Firmitas. — In civitate Negra puer quidam, cum mater pro Christo ad rogum fuisset damnata, Tyranni, qui eum retinere volebat, femur momordit, sicque liberatus ad matrem cucurrit, et cum ea crematus est. Niceph. l. XI, *Hist. Eccl.* c. VI .

D. Antonius moriens inter alia hoc dixit : Custodienda est pia fides in Christum, et Patrum religiosa traditio, quam ex Scripturarum lectione, et crebro meæ parvitatis didicistis admonitu. Schismaticorum quoque et hæreticorum venena vitate, meumque circa eos odium consectamini, quia Christi sunt inimici. Scitis ipsi, quod nullus mihi ne pacificus quidem sermo cum eis aliquando fuerit, propter eorum pravam voluntatem, et pertinax contra Christum bellum. Baron. an. 318.

S. Diaconus, de genere, patria, fide, nomine quæsitus in mediis tormentis, nihil aliud respondit quam : *Christianus sum*, hoc mihi nomen, genus, patria, doctrina, aliud nihil sum. Euseb. l. V, c. I.

S. Gordius Martyr suadentibus quibusdam, ut lingua tantum negaret fidem, respondit : Negem ego Deum meum , in cujus cultu sum educatus? Nonne cœlum, sol et luna lumen mihi clauderent suum? Credo profecto humum, quam pedibus tero, mihi rui-

turam. Lingua, quam Dei beneficio retineo, adduci non potest, ut Auctorem suum neget. Baron. an. 304.

Benjamin Diaconus ab Isdegerde, Persarum Rege, ad Christum negandum pellectus, dixit : Quo tu supplicio dignum arbitrareris eum, qui a castris tuis fugitivus, hostibus tuis se jungeret? Cumque ille responderet : Morte crudelissima. Subjecit Diaconus : Quam ergo crudeli morte dignus erit, qui Deum suum, ac universorum Dominum audeat negare, tantum ut ne vili creaturæ displiceat? Theodor. t. V, c. xxxviii.

S. Polycarpus Herodi Proconsuli rogum minitanti, nisi Christo malediceret, respondit : Octoginta et sex annis servivi Christo, et nihil me læsit umquam, quomodo ei maledicam? Euseb. l. IV, c. xv.

Bellovacensis de illustri quopiam viro, qui Marchio de Monteferrato vocabatur, refert, quod, cum per multos annos cum ingenti sumptuum impendio omnes sibi comparasset sectarum fidei Catholicæ contrariarum libros, eosque diligenter legisset, et examinasset, existimatum ab omnibus fuerit, fore, ut appropinquante mortis hora tamquam alienus a fide et Ecclesia Catholica moriturus esset, maxime, quia dominia ipsius proxime ad Albigenses limites conterminarentur. Hic autem in agone de fide interrogatus, hoc edidit responsum : Verum est, curiosus fui per quadraginta annos cum multis sumptibus libros sectarum omnium colligere et legere, et studere in eis, et quia videbam, quod, quanto plus ibi aspicerem, tanto magis in fide Catholica roborabar, et plus hæreses abominabar, videns fallaciam traditionis eorum, in signum hujus vilipensionis, quam habebam ad alias sectas, feci fieri scrinium ligneum, quod feci poni sub pedibus meis, quando sedebam in sede cameræ privatæ, quasi non possem ipsas sectas magis vilipendere, nisi pedibus meis subessent, quando sedeo vile naturæ officium expleturus. Evangelia autem Domini mei multo honore servavi. Ratio igitur, cur vir hic illustris tot sibi hæreticorum libros procuraverat et evolverat, non fuit, quia in fide Catholica vacillabat, sed quia Albigenses dominio suo vicinos habens, scire volebat eorum, et aliarum sectarum errores et deceptiones, ut in quavis obvia occasione hæreticam sacrilegorum illorum pertinaciam confutare et convincere posset ; imo omnes illos libros impios et hæreticos coram se abduci, et in sua præsentia comburi jussit. Bellov. t. III, l. I, *dist.* xiv.

S. Augustinus, qui usque ad trigesimum tertium ætatis suæ annum Manichæorum sectam pertinaciter secutus fuerat, cognita per divinam gratiam veritate Catholica, calamo suo eamdem ad mortem usque defendit ; hancque notabilem protestationem, qua causas, quæ illum in Ecclesia continebant, declarat, sequentibus verbis edidit : Tenet consensio populorum atque gentium ; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata ; tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum succesio sacerdotum ; tenet postremum ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista sola Ecclesia obtinuit, ut, cum omnes Hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniat, nullus Hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. S. Aug. *contra Epist. Manich.*

S. Petrus Martyr, Prædicatorum decus, Italiæ speculum, fidei pugil ac propugnator egregius, in Gallia Cisalpina, quam Longobardiam vocant, civitate Veronensi a parentibus hæresi depravatis traxit originem ; nihilominus ita mundum se ab eorum erroribus servavit, ut neque blandis parentum dolis, neque multa verborum frequentia, ad hæreticorum sive colloquia, sive consortia, vel induci potuerit, vel compelli. Quod enim a natura videmus homini, cæterisque animantibus attributum, ut homo serpentis, agnus lupi conspectum horreat, et inditam hosti sævitiam sentiat, hoc puerum bonæ indolis unctio cœlestis edocuit, ut venenatorum serpentum consortia fugeret, et lupos rapaces, pellibus ovinis tectos, inimicos intelligeret, eorumque commercia vitaret. Nam parvus puer annos natus plus minus septem, cum die quodam a scholis rediret, quibus erat traditus litteris imbuendus, et in patruum hæreticum, et magnum Diaboli laqueum, incidisset, et lectionis suæ pensum ei reddere cogeretur, Christianæ fidei symbolum illico recitavit, dicens : « Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli et terræ, » et reliqua. At patruus, qui strenuus perfidiæ Manichæorum patronus erat, cum ab ejus fidei professione puerum, tamquam rudem quemdam tyrunculum aver-

tere niteretur, ac depromptis, ex sacris litteris, ad errorem confirmandum, argumentis, persuadere vellet, non Deum, sed Diabolum potius esse visibilium conditorem, puer nullo modo cedere voluit, constanter ac præcise Deum universorum esse conditorem asserens. Quod ille Satanæ venator ac minister, cum accurate mente perpenderet, omnibus modis patri pueri persuadere conatus est, ut Petrum a scholis removeret, veritus, præsagio minime dubio, id quod res erat, ne puer adultus, sua eruditione ac pietate ingentem perfidiæ Manichæorum stragem inferret. Sed pater, divino plane nutu, ab ea mente abhorrens, patrui monita rejecit, sperans filium, postquam prima rudimenta devorasset, per hæresiarcham aliquem ad suam sectam nullo negotio pertrahendum. Is Martyrium subiit, anno Domini 1252, sequenti vero anno relatus est in numerum Sanctorum ab Innocentio Papa quarto. Symbolum Apostolorum, quod puer in scholis invito patruo hæretico a Catholicis didicerat, tanti semper fecit, ut, cum illud adversus hæreticos in vita sæpe usurpasset, idem etiam inter trucidantium eum hæreticorum gladios recitarit, immo cum jam loqui non posset, sanguine suo in terra scripserit hoc verbum : *Credo*. Lipellaus. 27 *April.*

In Edessa Mesopotamiæ civitate, Martyrium est Sancti Thomæ Apostoli splendidum et illustre ; in quo frequentes conveniunt propter loci sanctitatem. Cum hoc Valens Imperator cernere vellet, cognovissetque universam convenientium multitudinem hæresim suam detestari, ferturPræfectum manu percussisse, quod non curasset, eos inde expelli. Præfectus autem, cum contumelia hac accepta paratus esset vel invitus Imperatoris iræ morem gerere, occulte (non enim tot virorum cædem perpetrare volebat) significat, ne quisquam in Martyrio deprehenderetur. Verum nemo acquiescebat illius nec consilio, nec minis. Omnes enim sequenti die ad oratorium confluunt. Cum autem Præfectus multorum militum manu stipatus, ut Imperatoris iram exequeretur, ad Martyrium illud properaret, mulier quædam paupercula filiolum suum manu trahens ad Martyrium currebat, et ordinem satellitum Præfecti interrumpebat. Indignatus autem Præfectus, mulierculam ad se duci jubet, illamque alloquitur, dicens : Quo tam incondite curris, infelix mulier? Cui illa : Quo alii, inquit, currunt. Ille vicissim : Non audisti, inquit, Præfectum cunctos interempturum, quos ibi repererit ? Mulier : Audivi, ait, et ob eam causam festino, ut et ipsa ibi inveniar. Audito hoc, Præfectus admiratur convenientium dementiam, Imperatoremque accedit, ac instruit, cunctos esse pro fide sua mori paratos; nec consonum esse rationi, ut tantus hominum numerus brevi tempore occidatur; Atque ita Imperatori, ut iram poneret, persuasit. Socrat. l. I, *hist. Ec.* c. xviii.

Ante annos complures navim quamdam Turcæ deprædati sunt, in qua permultos Lusitanos in captivitatem abduxerunt, cum triginta adolescentibus Indis ; quorum qui minimus erat, novem annos habebat ; maximus natu decimum sextum nondum excesserat ; quos importune, ut Turcicam legem susciperent, nunc blanditiis, nunc minis, flagellisque adhibitis sollicitarunt. Neque tamen cum exquisitis suppliciis, crudelitateque summa, licet in eorum vibices laridum accensum guttatim instillassent (quod usitatum est apud eos genus tormenti) quemquam a fide Jesu Christi potuerunt dimovere. Quare indignati tyranni, vi eorum unum circumciderunt, cui cum pueruli acclamarent, eum tandem Mahometanum esse, quod circumcisus esset, illis iste respondit, cum vi circumcisus sit, non voluntate, Christianum se vere adhuc esse. Daurolt. *Flor. Exemp.* c. I, tit. XXI, *ex.* xiv.

Philippus II, Hispaniarum Rex, Religionis Catholicæ suo tempore studiosissimus, multa ætate confectus, anno Domini 1600, cum esset e terris in cœlum abiturus, post susceptum Unctionis Extremæ Sacramentum filio suo Philippo astanti has præceptiones dedit : Deus tibi magnam gratiam fecerit, si te ad eum gloriæ apicem, in quo me vidi, evexerit ; et te, sicut me prosperarit. Te ex animo obtestor, ut, cum id assecutus fueris, hujus lecti, in quo me vides, et ubi omnis hujus mundi gloria sistit, memineris. Tibi commendo sedi Apostolicæ obedientiam, fidei Catholicæ protectionem, et Religionis Christianæ zelum, Reipublicæ pacem, et in subditos justitiam. Si Deus hæc consilia mea firmaverit, suum Regem non amiserit hoc regnum, sed solum cum fructu commutaverit. *Ex Vita ejus.*

Theodosius Imperator, qui multis laboribus et periculis non mediocrem effecit tranquillitatis statum, tam in Ecclesia ab hæreticorum turbulentis actionibus, quam ab hostium insidiosis ac perfidis incursionibus,

cupiens eam felicitatem ad posteritatem transmitti, filios suos Arcadium, et Honorium accersitos, jam moriturus, ardentiore affectu, et oratione magis seria cohortatur, per salutem ipsorum et reipublicæ obtestans, ut sua vestigia insequentes hoc sibi unice curæ esse vellent, quo fidei et pietatis doctrina pura et incorrupta conservaretur, et ad posteros propagaretur ; in eo conando nullis laboribus ac sumptibus parcerent; nam in hoc uno et solo omnis felicitatis summam vere esse positam ; hacque ratione unica, nec ulla alia, recte firmari pacem, confici bella, erigi trophæa, et parari victorias. Niceph. l. XIII, c. I.

Præclarum de fidei excellentia testimonium fuit S. Sophiæ, matris SS. Virginum et Martyrum Fidei, Spei et Charitatis, tempore Adriani Imperatoris, quando ab urbis Præfecto rogatæ, quæ et unde esset, quibus parentibus, et qua conditione ? libere respondit se quidem iis ortam parentibus, qui prima gessissent Reipublicæ munia, sed tanti a se istud non fieri, quanti quod Christiana esset, atque, se hujus fidei profitendæ causa Romam fuisse profectam. Surius, I *August.*

Cum jussu Hunerici, Vandalorum et Alanorum Regis, Liberatus vir venerabilis et medicus, in exilium mitti juberetur cum uxore et liberis, cogitavit impietas Ariana a parentibus filios parvulos separare, quo posset per pietatis affectum etiam virtutem genitorum prosternere. Disjunguntur igitur tenera pignora filiorum a patre, qui, cum vellet lacrymas emittere, auctoritate uxoris increpatur, et in ipso meatu exitus sui illico lacrymæ siccaverunt. Ait enim ei conjux : En propter filios, Liberate, perditurus es animam tuam ? Computa eos non fuisse natos; nam et ipsos omnino vindicaturus est Christus. Nonne vides eos clamantes, et dicentes : Christiani sumus ! Sed hæc mulier quid in conspectu Judicum egerit, tacendum non est. Nam cum ipsa et maritus seorsim, carceris tamen custodia tenerentur, ita ut se penitus non viderent, mandatur mulieri, diciturque illi : Solve jam duritiam tuam ; ecce jam vir tuus paruit imperio Regis, et noster factus est Christianus. Aitque illa : Videam illum, et faciam ego, quod voluerit Christus. Educta igitur de carcere invenit virum suum stantem cum ingenti multitudine pro tribunali connexum ; et verum æstimans, quod fecerant inimici, injecta manu apprehendens oram vestimentorum ejus gutturi proximam, videntibus omnibus suffocabat eum, dicens : Perdite et reprobe, gratiæ Dei et misericordiæ ejus indigne, quare voluisti ad modicum gloriari, et in æternum perire ? Quid tibi proderit aurum? Numquid liberabit te de camino gehennæ? dixit et alia multa. Cui maritus respondit: Quid pateris, mulier? Quid tibi videtur, aut quid forte de me audire potuisti ? Ego in nomine Christi Catholicus permaneo, nec amittere aliquando potero, quod teneo. Tunc hæretici mendacii sui conscii et detecti, fallaciam suam colorare minime potuerunt. Daurolt. c. I, tit. XXI, *ex* X.

Ibidem in civitate Culusitana, quædam matrona, auctrix nominis sui Victoria, dum in conspectu vulgi continuato suspendio cremaretur, a marito jam perdito, filiis præsentibus, ita rogabatur : Quid pateris, conjux ? Si me despicis, vel horum, quos genuisti, miserere impia parvulorum. Quare obliviscéris uteri tui, et pro nihilo ducis, quos cum gemitu peperisti? Ubi sunt fœdera conjugalis amoris? Ubi societatis vincula, quæ inter nos dudum honestatis jure tabulæ conscriptæ fecerunt ? Respice, quæso, filios ac maritum, et regiæ jussionis implere festina præceptum, ut et imminentia adhuc tormenta lucreris, simul et mihi doneris et liberis nostris. Sed illa nec filiorum fletus, nec serpentis audiens blandimenta, affectum multo altius elevans a terra, mundum cum suis desideriis contemnebat. Quam cum jam continuatione suspendii vulsis humeris, etiam qui cruciabant, conspicerent mortuam, deposuerunt omni parte exanimem. Quæ postea retulit, quamdam sibi virginem astitisse, atque tetigisse membra singula, et illico fuisse sanatam. Idem, ibid.

Saturus, domus Hunerici procurator, accusatore quodam Diacono Marinado vocatur, utque Arianus fiat postulatur ; cum autem confessionem veritatis pluris faceret, quam omnia sua commoda aut damna, uxor adductis communibus liberis ad genua mariti advolvitur, perque omnia sacra rogat, obsecrat, et obtestatur, misereatur sui, et pendentis a lacte matris filiolæ et reliquorum conjugii pignorum ; neu committat, ut, quos generis nobilitas reddiderit claros, servili conditioni subjiciantur; non patiatur, ut se vivo, indigno et turpi matrimonio camelarii servi copuletur: Deum haud dubie respecturum, quod invitus et valde gravatim faciat ipse, quod plerique fecissent voluntarii. Sed

ipse ex Job ei respondet : « Tamquam una ex insipientibus mulieribus loqueris. » Formidarem, mulier, si tantum hujus vitæ dulcedo esset futura amara, in amissione earum rerum. Imo si tu vere diligeres maritum, numquam tu eum tuis insidiosis blanditiis in secundæ mortis exitium præcipitare conareris. Age, distrahant liberos, auferant uxorem ; diripiant facultates, ego de Domini promissione plane securus, hæc verba in mente fixa tenebo : « Si quis non dimiserit uxorem, filios, agros, aut domum, meus non poterit esse discipulus.» Uxor discedit, Saturus spoliatus omnibus, et plurimis suppliciis debilitatus, mendicus demum relinquitur. Idem, l. III.

Fides simulata.

Cum Maxentius Tyrannus Gentilium nefarios ritus et cæremonias coleret, metueretque, ne sibi ad imperium tendenti ab innumera Christianorum multitudine aditus præcluderetur, simulandi artem secutus, principio benignum ac faventem se illis exhibuit ; deinde vero cum vires suas auctas, confirmatasque cerneret, miram adversus eosdem crudelitatem exercuit. Postquam vero sic Romæ tyrannidem exercuisset, tandem fugiens a Constantino Imperatore bello victus, suo ipsius, quod dicitur, laqueo est captus ; ponte enim divina virtute rupto, navibusque, quibus flumen constratum fuerat, solutis, transitus ipse pessum iit, et scaphæ subito cum hominibus omnibus in undis subsedere, ipseque miser primus cum propugnatoribus suis in flumine mersus suffocatus est, sicut olim cum universo exercitu Pharao ; ut fluvius ille, ad eum, qui Milvius dicitur, pontem, equis et ascensoribus refertus visus sit. Tum vero ea, quæ olim cantata fuerant, ad oculum repræsentata videre licuit. Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare : electi ascensores satellitesque submersi in mari rubro descenderunt in profundum, quasi plumbum cum aquis vehementibus. Eusebius, l. VIII, c. xvi.

Eubolius sophista, Julianum Apostatam discipulum habuit, a quo plurimi fiebat, et quo benigno ac favente utebatur. Is, utpote vafer simulationis artifex, Christianum, Arianumque finxit sub Imperatore Constantio, ut religionis similitudine Cæsari gratiosus ac charus esset ; post cujus obitum ad Gentium simulacra rediit, ut Juliani, quem Christianæ fidei desertorem noverat, benevolentiam ac favorem hac arte captaret. Juliano miserabili morte extincto, vix dum Jovinianus Catholicus ac religiosus princeps, imperii infulam acceptarat, cum chamæleon noster Imperatoris recens creati Religionem ceu novum colorem expressit, seque (ut ex Socratis historia liquet) pro foribus Ecclesiæ ad Christianorum pedes abjecit, meliorum spe veniam ab illis impetrare contendens, vociferatus est : Me quasi salem infatuatum pedibus conculcate. Socrates, l. II, *Hist. Eccl.* § 41.

Fidei desertæ pœnæ.

Heraclius, ut ex Joanne Zonara, aliisque historicis cognosci potest, dum Catholicus esset, præclarissimam victoriam de Persis reportavit, et Crucem Domini recepit, quando res Romanæ desperatæ omnino esse videbantur ; at cum in hæresim incidit Monothelitarum, omnia illi infeliciter successerunt, et ipse novo atque inaudito morbi genere extinctus est. Joan. Zonar. III, *Annal. Byzant.*

D. Cyprianus lapsorum miserabilem stragem ac tristia deplorat funera ; qua etiam narratione de admirandis prodigiis, quæ in nonnullos, qui prævaricati a pietate fuerant, persecutionis illius tempore contigerunt, memorandam in hæc verba attexit historiam : Si incredulis quibusdam minor fides est futurorum, vel præsentibus terreantur. Ecce eorum, qui negaverunt, quæ supplicia conspicimus, quos eorum tristes exitus flemus. Nec hi esse sine pœna possunt, quamvis necdum dies venerit pœnæ, plectuntur interim quidam, quo cæteri corrigantur ; exempla sunt omnium, tormenta paucorum. Unus ex his, qui sponte Capitolium negaturus ascendit, postquam Christum negavit, obmutuit. Pœna inde cœpit, unde cœpit et crimen ; ut nec rogare, jam posset, qui verba ad precandam misericordiam non haberet. S. Cyp. *l. de Laps.*

Regnerus, Rex Daniæ, abrogata Christianorum religione, idololatriæ in Regno denuo instituendæ auctor fuit ; quam ejus impietatem divina insecuta est vindicta. Nam Helles, quem Regno ille ejecerat, adjunctis sibi Gallorum auxiliis, eum prælio victum et captum carceri tetro, serpentibusque infesto inclusit, qui sanie eum perfusum, ve-

nenatisque morsibus confectum, horrenda morte affecerunt. Damian. an. 826.

Adjiciam rem aliam sub Zephyrino gestam ad hunc modum, quæ si in Sodomis evenisset, vel illos ad pœnitentiam movisset. Erat quidam Natalius, non adeo diu antea, sed nostris temporibus confessor factus. Hic aliquando seductus fuit ab Asclepiodoto, et alio quodam Theodoto mensario, qui ambo discipuli fuerant Theodoti Coriarii, qui, quoniam sententiæ falsæ, immo potius dementiæ auctor erat, a Victore tunc Romano Episcopo a Communione separatus fuit. Persuasus autem fuerat ab illis Natalius, ut accepto salario, hæresis hujus vocaretur Episcopus, ita ut denarios centum quinquaginta menstruo tempore acciperet. Illis itaque conjunctus, per visiones commonefiebat a Domino. Misericors enim Deus, ac Dominus noster Jesus Christus nolebat passionum suarum Martyrem extra Ecclesiam constitutum perire. Quoniam vero negligentius visionibus attendebat, inescatus videlicet primatus apud eos honore, et turpi quæstu, quo plurimi pereunt, tandem ab Angelis flagellatus est, ac tota nocte haud modice verberatus, ita ut, cum mane surrexisset, indutus sacco, ac cinere insperso, multo studio ac lacrymis ante Zephyrinum Episcopum procideret, et pedibus advolveretur non Clericorum modo, sed et plebis, et ipsam Ecclesiam ad commiserandum proclivem, lacrymis defluentibus per misericordiam Christi obtestaretur, ac multis precibus usus, ostensis etiam plagarum, quas passus fuerat, cicatricibus vix tandem ad Communionem reciperetur. Eus. Cæs. l. V, c. xxviii.

Constantius Chlorus, Magni Constantini pater, singulari prudentia et fortitudine Princeps, cum Christianorum quorumdam in palatio suo ætatem degentium fidem constantiamque explorare cuperet, conditionem proposuit, ut, qui vellent in palatio manere, et inter amicos haberi, deos secum colerent, simulacrisque immolarent; qui vero recusarent, absconderent, gratiasque agerent, quod id facere sibi impune liceret. Ex illis nonnulli Principis gratiam venantes, sacrificium diis obtulerunt; alii saniori Religione tantam superstitionem aversati, cultum pernegarunt; quos in amicorum et consiliariorum numero habere voluit, spretis et expulsis ignavis et infidis immolatoribus; quod diceret, fidos et veros amicos fore, qui Religionem Principi prætulissent; contra vero numquam fidem inviolatam Principi servaturos, qui tam prompte et sacrilege Deum suum ejurando prodidissent. Idem, *de Vita Cons.* l. I, c. xi.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatio in secessu Manresano, mysteria fidei, tamquam subducto velo oculis quodammodo intueretur, revelata sunt. Imo tam clare, ut diceret, si Sacra Scriptura interci deret, se tamen et recte ea intelligere, et aliis tradere, et pro eorum defensione mortem oppetere velle. *Hist. Soc.* p. 1, lib. I, n. 27. Valde autem cavebat, ne nostris quid irreperet, quod candorem fidei quoquo modo inquinaret, et peregrinis opinionibus inficeret; unde metuens nostris a necessaria linguæ Hebraicæ cognitione statuit, ut vulgatam editionem mordicus tuerentur, quod et in Concilio Tridentino postea decretum fuit. Ribad. l. V, c. x.

S. Franciscus Xaverius Catechumenos hanc formulam contestandæ fidei docuit: Deus, vere confiteor, ut bonum Christianum decet, SS. Trinitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, tres Personas et unum Deum. Credo firmiter nihil hæsitans, quidquid tenet, et credit Romana Mater Ecclesia, atque ita promitto, me victurum morituramque in fide sancta Catholica Domini mei Jesu Christi, Dei et Hominis pro nobis mortui, et nunc pro eo tempore, quo moriturus sum, si tum loqui non potero, confiteor Dominum meum Jesum Christum ex toto corde meo. *Hist. Soc.* p. 1, l. I, n. 141.

P. Petrus Faber ita aversabatur hæreticos, ut nollet eos, etiamsi recta docerent audiri, aut ad eorum voluntatem aliquid in Ecclesia ad meliorem formam revocari. Sicut enim aiebat, Dæmones vera interdum, sed non ex veritatis Spiritu confitentur; ita hæreticos multa interdum bona præcipere, ea tamen, quoniam non bono præcipiantur Spiritu, minime grata esse Deo. Porro de eorum conversione procuranda, pulchram Lainio petenti Epistolam scripsit, in qua summatim hæc præcepta suggerebat: 1. Ut ii, qui prodesse velint ejusmodi hæreticis, magna adversus eos charitate præstent, eosque vere diligant, pulsis ex animo cogitationibus illis, quæ quoquo modo illorum apud nos existimationem imminuant. 2. Ut eorum animo sibi adjungant, voluntatesque captent, sic ut ii vicissim ipsum ament, et de eo optime

sentiant, id autem facile consecuturos, si eos comiter alloquantur, et in familiari sermone de iis tantum loquantur, de quibus inter utrosque convenit, omni altercatione sublata, ubi pars videlicet altera alteram videatur abjicere vel deprimere. 3. Ut, quoniam prius in eis recte agendi pietas, quam recta fides extinguitur, fiat gradus ab iis, quæ pertinent ad recte sentiendum secundum affectum, ad ea, quæ faciunt ad recte credendum, ideoque omni insinuatione utantur, ut eos avocent a vitiis, priusquam verbum ullum de pravis eorum opinionibus faciant. 4. Ut, quoniam in cæteris Lutheranorum erroribus is est fere communis, ut humanas actiones et facta suis meritis spolient, contemptisque recte factis, omnia in fide reponant, ii perpetuo sermones inferantur, quibus ad recte factorum amorem ac studium excitentur. 5. Ut, quoniam in eo potissimum se fundant, quod Ecclesiæ præcepta et leges supra vires, minimeque ferenda videantur, plena Spiritu cohortatione excitentur, ut in spem redeant, et confidere incipiant, fore ut et ipsi queant non modo quidquid imperatur, verum etiam longe majora, Deo adjuvante, præstare. 6. Ut potius colloquiis de instituenda recte vita, de virtutum pulchritudine, de orationis studio, de supremo vitæ die, de æternitate gehennæ, et similibus rebus, quam auctoritatum vi, et rationum copia, eos a suis erroribus abducere conentur. *Vita*, l. II, c. XXI.

P. Joannes Nunnius Barretus, Tituanis Jesum prædicans, iisque Deum esse negantibus, inusitato ardore succensus, palam vociferari cœpit, pro ea se veritate paratum mille mortes oppetere. *Hist. Soc.* l. VIII, n. 34.

P. Joannes Baptista Elianus, Hæbreus a nostris conversus, in ipso baptismo cœlestibus redundans lætitiis, et divina perfusus luce sentiebat quodammodo omnes vitæ suæ maculas elui. Ubi deinde S. Bibliam in manus sumebat, quos locos nuper reputabat ambiguos, ita manifeste sanctam fidem contestari judicabat, ut nullo modo intelligi secus possent; acerrimis incitabatur stimulis, ut subito ad Hæbreos redarguendos prosiliret. Multa dein in Societate pro fide fecit, et passus est. *Ibid.* p. I, l. XII, n. 34.

P. Joannes Ogilbeus, ab hostibus fidei oppressus, tantam animi lætitiam, celeritatem ingenii, et efficaciam, tam in verbis, quam exemplis ostendit, ut palam constiterit, Dei virtutem in ipso habitare, et antiquorum Christianorum constantiam ac alacritatem etiamnum nostro sæculo reperiri. *Menologium. Soc.* 10 *Mart.*

P. Joannes Baptista Baeza moriturus hoc unum dolebat, quod pro Christo, et fide Catholica non moreretur, ideoque Christianos rogabat, ut ipsum Tyranno offerent. Ibid. 7 *Maii.*

P. Petrus Writti, cum in ipso supplicii loco vitæ condonatio offerretur, si fidem mutaret, respondit, se mille prius mortes oppetiturum, quam fidem negaturum. Ibid. 26 *Maii.*

Dominicus Colinus, Hibernus, prius strenuus militiæ Dux, postea Coadjutor in Societate factus, cum post Novitiatum in patriam remitteretur, a piratis hæreticis captus, et ad defectionem a fide amplissimis præmiis illectus, maluit vitam laqueo finire, quam impio postulato assentiri. Ibid. 31 *Octob.*

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Sicut in radice arboris nulla prorsus apparet pulchritudo, et tamen quidquid est in arbore pulchritudinis et virtutis, ex illa procedit; sic quidquid meriti, quidquid beatitudinis anima susceptura est, ex fidei fundamento procedit. S. AUGUST. *super Joan.*

Sicut equus, si diu torpeat in stabulo, ipsa deambulandi insuetudine inutilis efficitur; sic fides, quæ ad bene operandum data est, si otiosa diu maneat, frequenter interire solet, dum homo vitiis assuetus, facile in hæresim labitur. Unde Dominus ait: Qui habet, dabitur ei, et abundabit; ab eo autem, qui non habet, et quod videtur habere, auferetur. GRAN. *in Silva*, fol. 285.

Sicut semper discere, signum est, numquam posse perficere; ita testimonium simper quærere, signum est, aliquem numquam velle credere. S. CHRYS. *super* c. XII, *Matth.*

Sicut matrimonium dici nequit, quando mulier viros multos habet; sic et Religio multorum deorum (aut doctrinarum) impudica est et incerta, quia fide caret. LACTAN. l. IV, *de Ver. Sap.*

Sicut si manus alicujus esset arida, verum quidem esset membrum, sed sine sanguine, ideoque mortuum; sic et fides cum sit vera, tamen sine operibus mortua est. S. AUGUST. *contra Donatist.*

Sicut unicuique homini volenti pervenire ad destinatum locum duo sunt necessaria,

oculus et pes ; sic volenti introire in Regnum cœlorum, oculus fidei et pes operis. Unde S. Gregorius ait : Populus Gentilis quasi oculos non habuit, quia non recepta lege non vidit, quo ire debuisset ; at contra Judaicus habens oculos, claudus fuit, quia legem quidem tenuit, sed in ea gressum operis recti non tetentit. Lib. XIX, *Mor.* c. XXI.

Sicut navis sibi relicta, velis contractis ventorum non recipit impulsum, sed in mediis fluctibus pendet exitio proxima ; sic et fides operum velis remigioque destituta, portum æternæ salutis numquam continget. BEIRLINCK, *in festo Purific. them.* V.

Sicut terra inculta nihil nisi spinas et tribulos profert, aer detentus corrumpitur, domus non habitatæ corruunt, viæ non tritæ silvescunt, instrumenta musica, si non pulsantur, destruuntur, ferrum sine exercitio rubiginem contrahit, aqua stagnans non nisi bufones et serpentes alit, equus generosus in stabulo marcessit, homines nihil agendo, male agere discunt ; ita fides, si non operetur, inutilis fiet, et tandem omnino destruetur. STAPLET. *in Dom. Sept. them.* 2.

Sicut corpus sine spiritu mortuum est ; ita et fides sine operibus mortua est. JAC. II, *c. ult.*

Sicut vitam corporis ex motu dignoscimus ; ita ex operibus bonis vitam fidei comprobamus. PET. BLESENS. c. II, *de Char.*

Sicut Beati omnia vident in Verbo ; sic nos debemus in fide omnia intueri, ita ut vita nostra nihil aliud sit, quam viva imago fidei, ejusque veritatis expressio. CARD BONA, *in Principiis Chr. Fid.* p. I, § 19.

NECESSITAS. — Sicut fundamentum ratione suæ fortitudinis sustentat fabricam materialem ; sic in fidei substantia et soliditate collocatur et sustentatur ædificium spirituale. S. BONAV. s. 3, *in Dom.* XXIII, *post Pent.*

Sicut si radix arboris alicujus emarcuit, frondes quoque, flores et fructus perditi erunt, patienturque pariter medulla, truncus et rami ; eodem quoque modo, si anima aliqua a virtute charitatis defecerit, fides pariter infructuosa et sterilis erit, nec ullos ex se bonos fructus producet. Unde S. Bernardus, in serm. quodam super Cantica, ait : Vides, quod non faciat hominem rectum fides etiam recta, quæ non operatur ex dilectione, sed nec opera, quamvis recta, rectum cor efficere sufficiunt sine fide. Quis enim rectum dicat hominem non placentem Deo? *Sine fide autem impossibile est placere Deo.* Qui non placet Deo, non potest illi placère Deus. S. BERN. s. XXIV, *in Cant.*

Sicut se habet esca ad corpus, ita recta vita ad fidem ; et sicut carnis nostræ natura sine alimento durare non potest, ita neque fides sine bonis operibus : « Fides enim sine operibus mortua fides est. »

Sicut hortulani omnem operam suam in excolenda arborum radice ponunt, eo quod beneficium illius in omnes arboris ramos redundet ; ita seduli cultores virtutum studium omne in fide excolenda, fovenda, et augenda ponunt, eo quod ab hac tanquam radice, ipsarum conservatio pendeat. STAPL. *in Dom.* VI, *post Epiph.*

Sicut sol nisi luxerit super faciem terræ, nullus fructus crescit, aut maturescit ; ita nisi per fidem veritas fulserit in animabus hominum, hi nulla opera bona producent. ORIGENES, *in* c. II *Job.*

Sicut in mari, nisi anchora figatur, navis ventorum ludibrio exposita hinc inde jactatur ; ita nisi intellectus noster per fidem firmetur, ab opinionum variarum fluctibus semper circumferetur instabilis. S. CHRYS. *hom.* XI, *in Ep. ad Hebræos.*

UTILITAS. — Sicut inter duos lapides molares teritur triticum, et fit similago munda ; sic fideles inter argumenta fidei et dogmata falsa positi, conteruntur, et carnalibus desideriis exuti, spirituales efficiuntur. Id. hom. L, *in Matth.*

Sicut ii, qui in turri consistunt, duo bona consequuntur, scilicet ut et ipsi irruptionem non facile patiantur, et hostes suos audacius expugnent ; ita qui in fidei turri sunt positi, non alios timent, sed timentur potius. Id. hom. XL.

Sicut quædam medicamenta omnibus morbis prosunt ; ita fides Catholica contra omnes morbos animi medelam affert. S. HILAR. l. II, *de Tr.*

Sicut granum sinapis, etsi parvum et insipidum, ubi teri cœpit, statim virtutem suam exerit ; ita fides, etsi modica, mox tamen, ubi exerceri cœperit, virtutem suam ostendit, et hominem totum interno charitatis divinæ calore replet. S. AMBR.

Sicut equi ferocitate exultantes, nisi duritia frenorum cohibeantur, equitem in periculum conjiciunt ; ita effrenatæ libidines, nisi fides metu divinæ justitiæ eas coerceat, animam manifesti exitii periculo exponunt. GRANAT. *in Silva.* f. 287.

Sicut qui amisit oculum dextrum, inutilis

est ad bellum, quia scutum operit sinistrum, et sic nullum habet oculum, quo possit ferire aut cavere adversarium ; sic qui non habet fidem, inutilis est ad pugnam spiritualem. Unde Naas (qui idem significat, ac *serpens*) dixit : In hoc faciam vobiscum fœdus, ut eruam omnium oculos dextros. S. Bonav. *in Dicta. tit. Virt.* c. II.

Sicut lux primo creata primum opus fuit in majori mundo ; ita fides prima virtus est in minori mundo, id est, corde humano. Fructus autem lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate. S. Bonav. *tit.* V, c. III, *Dicta sal.*

Sicuti per tres filios Noe hominum genus multiplicavit universi Conditor ; ita quoque et in fide per undecim piscatores illitteratos et idiotas, qui neque os aperire audebant, omnem sibi orbem conciliavit. S. Chrysos. hom. XXVIII, *in Gen.*

Sicut plantæ rigatæ magis crescunt ; ita et fides nostra oppugnata magis floret ; neque horti aquis irrigati ita germinant, et fecundi sunt, ut Ecclesiæ, si Martyrum sanguine irrigentur. Nulli, ut existimo, ignotum est illud Tertulliani effatum dicentis : Plures efficimur, quoties metimur a vobis ; semen est sanguis Christianorum. Tertull. *in Apolog. c. ult.*

Firmitas. — Sicut canes prædam videntes, celerrime eam insequuntur, et nec spinis, nec lapidibus impediri se sinunt ab insecutione ; ita illi, qui per fidem cælestia bona cognoverunt, toto animi conatu, contemptis omnibus difficultatibus, iisdem consequendis inhiant. Bromiardus, *verb. Fides* c. IV.

Sicut lapis ab initio quidem difficulter politur aut sculpitur, ubi tamen ex eo statua exsculpta est, stabilis manet ; ita gentes a principio quidem cum difficultate credunt, ubi tamen semel vere in fide informati sunt, constantissimi manent. S. Chrysostomus, *super* ç. III, *Matth.*

Sicut serpens, cum urgetur periculo, caput abscondit, seque in orbem colligens, objecta reliqua corporis parte, illud solum tuetur, eo quod dicatur cætera membra salvo capitis vigore reparare ; sic verus Christianus ante omnia fidem custodit, hac enim salva, facile reliquas virtutes custodiet, aut reparabit. S. Ambr. *in Orig.* c. IV.

Sicut is, qui ad citharam vel organa canit, varie vocem ad instrumenti sonum flectit, ut hæc duo sibi mutuo consona modulatione respondeant ; ita fides viva hæc duo potissimum efficit, ut duæ primariæ potentiæ, intellectus et voluntas, sibi mutuo bene respondeant, ut per ea, quæ per fidem concipit intellectus, voluntas moveatur et afficiatur. Beirlinck. *in festo S. Th.* them. 73.

Sicut Samson, quamdiu capillos retinuit, omnibus robore prævalebat, tonsus vero succubuit ; ita quamdiu quis fidem vivam retinet, facile hostes superabit, secus, si eam amiserit. Jud. c. XVI.

MOTIVA.

Hæc omnia pulchre deduci possunt ex fidei cum sole facta comparatione, uti plerumque SS. Patres eam comparare sunt soliti, et merito, nam sicut Deus in mundo magno produxit duo luminaria, solem, ut præesset diei, lunam, ut præesset nocti ; ita in minori quoque mundo, id est, homine, duo spiritualia lumina creavit, fidem, quæ diei, id est, statui gratiæ præesset, et scientiam naturalem, quæ nocti et tenebris ignorantiæ congenitis serviret. Unde sicut mundus corporeus, quidquid habet bonitatis et decoris, merito soli materiali adscribit ; ita homo quoque, quidquid gratiæ et gloriæ habet, jure optimo fidei virtuti in acceptis refert, ut ex sequentibus magis patebit.

Itaque, sicut omnia, quæ in mundo sunt, habent lucem suam a sole ; ita omnes veritates supernaturales ab homine cognitæ a fidei virtute ortum habent, uti clare indicavit S. Augustinus dicens : Noli intelligere, ut credas ; sed crede, ut intelligas, intellectus merces fidei est. S. Aug. *in Joan.*

Sicut omnia, quæ in mundo sunt, vitam suam, quoad conservationem a sole accipiunt ; ita homo quoque tam initium, quam progressum vitæ suæ spiritualis fidei virtuti adscribit ; hinc S. Paulus dixit : In fide vivo Filii Dei. Gal. II, 10. Et Christus ipse : Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Joan. III, 16. Et S. Tobias : Vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam numquam mutant ab eo. Tob. II, 18.

Sicut omnia, quæ in mundo sunt, habent decorem et pulchritudinem a luce per solem hausta ; ita a fidei virtute omnia, quæ agit homo, decorem et gratiam apud Deum ha-

bent, uti testatur Granatensis, dum ait : Pulchritudo et veluti harmonia vitæ Christianæ in eo sita est, ut mores et vita cum fide consentiant. *In Silva*, f. 187.

Sicut omnia, quæ in mundo sunt, motum suum quodammodo a sole accipiunt, dum ad illius exortum movere sese incipiunt; ita id ipsum potiori jure de fidei virtute dicitur. Hinc illa Apostoli exhortatio : Hora est jam nos de somno surgere ; nunc enim propior est salus nostra, quam cum credidimus. Nox (incredulitatis) præcessit, dies autem (fidei et illustrationis divinæ) appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus. Rom. XIII, 11.

Sicut omnia, quæ in mundo sunt, calorem suum accipiunt a sole ; ita homo charitatis et fervoris calorem a fidei virtute accipit, uti testati sunt discipuli in Emmaus euntes, et dicentes : Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas seu mysteria fidei? Luc. XXIV, 32.

Sicut omnia, quæ in mundo sunt, incolumitatem suam et defensionem a nocturnis periculis et insidiis soli merito adscribunt, eo quod, illo adveniente, lemures et fures ac latrones nocturni aufugiant; ita fidei virtuti potiori jure homo incolumitatem suam et liberationem a peccatis, et spiritibus tenebrarum tribuit uti S. Theresia testata est dicens : Omnia mundi damna et peccata inde oriri, quod homines veritates S. Scripturæ non satis penetrent. Hinc tanta plerumque mutatio in exercitiis spiritualibus, in quibus potissimus labor est, dictas veritates recte ac firmiter apprehendere, alteque menti imprimere, sequi solet.

Sicut omnia, quæ in mundo sunt, suam delectationem soli debent (uam delectabile est oculis videre solem, et dulce lumen, teste Salomone) Ecc. XI, 7; ita vera lætitia cordis ex fidei virtute oritur. Unde hac destitutus merito dicit, cum Tobia : Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video? Tob. V, 12. Id ipsum confirmat S. Jacobus, dum ait : Omne gaudium existimate, fratres mei, cumin varias tentationes incideritis, scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur , patientia autem opus perfectum habet. Jac. I, 2.

Sicut omnia, quæ in mundo sunt, lucrum et opulentiam suam soli jure adscribunt, quia quamdiu is lucet, potissimum operari et lucrari solent homines ; ita vel maxime divitias suas spirituales virtutum et meritorum fidei virtuti debet homo, nam, teste Scriptura, Dominus retribuet unicuique secundum justitiam et fidem. I. Reg. XXVI, 23. Hinc S. Augustinus ait : Ille apud Deum plus habet loci, qui plus attulit non argenti, sed fidei.

MOTIVA CREDIBILITATIS.

Motivum primum merito censeri potest, *perseverantia fidei inter tot tamque graves persecutiones;* quod S. Albertus Magnus his verbis proponit : Non prævalebunt, ut evertant; venerunt flumina, flaverunt venti, descendit pluvia in domum illam, et non cecidit, fundata enim erat supra firmam petram. S. Albert. *in Matth.* Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, et semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur; unde duo illa præclara divini seminis germina, in quantam sobolem germinarint, beatorum millia Martyrum protestantur. S. Leo *in s. de Apostol.* I.

Secundum, *dilatatio miraculosa fidei,* ut S. Chrysostomus dixit : Maximum argumentum omnipotentiæ Christi est; viginti enim annis, aut ad summum triginta, ad omnes oras orbis Evangelium transcurrit. S. Chrys. hom. XXXVI, *in Matth.* Unde merito Didacus Stella : Solius, inquit, dextræ Excelsi hoc opus esse videtur, ut homines pauperes, humiles, abjecti, universum mundum suo subderent imperio, gentes debellarent, idola rejicerent, Sacramenta sublimarent, et Christi Crucem in altum extollerent. Hoc autem non quemadmodum hæretici nostri temporis, carni, ejusque cupidini indulgendo, jejunia tollentes, seque miscentes omni vitiorum et malorum generi ; siquidem Evangelium e contra non nisi crucem, mortificationem, et ærumnas suis sequacibus annuntiat, omnibusque carni et sensualitati adblandientibus nuntium remittit. Did. Stella, *in* c. XVI. *Luc.* Ac proinde S. Bernardinus auctoritatem adducit Sancti Augustini contra Epistolam Fundamenti dicentis : Quis tantam multitudinem ad peccata pronam ad legem contra-

riam carni, et sanguini servandam induceret, nisi Deus? Idem quoque S. Doctor alibi contra Faustum hæreticum ita scribit : Sed tot tantosque Gentilium populos, pene jam totos a nefaria superstitione simulacrorum, ad unius Dei cultum Christiano Imperio subjugavit, edomito orbe terrarum, non violentia bellici certaminis, sed invictæ potentia veritatis.

Tertium, *Martyrum invicta patientia;* quam Petrus Ribadeneira sic describit : Sæpius quidem Martyres affigebantur in cruce, non tamen semper uno eodemque modo ; aliquando enim illos capite sursum erecto, ad imitationem Christi, crucifigebant, frequenter alios, exemplo S. Petri, capite deorsum verso in cruce mori sinebant. Item illos nonnumquam ad humilem quemdam suspendebant truncum, ut eisdem tanto viciniores carnifices eos unguibus dilaniare, vel ustulare facibus ardentibus, vel forcipibus ignitis dilacerare commodius possent ; illos quoque nonnumquam ex uno dumtaxat pede, sæpe etiam ex ambobus suspendebant, subtus illis ex fœtente materia succenso igne, ut illius fumo et ardore suffocati lenta quadam morte contabescerent. Multoties illos ex unico tantum brachio suspendebant, vel ex digito grossiori, et ad laxandas membrorum compages gravissima pedibus pondera alligabant; sæpius etiam ad instar uvarum sub torculari ad mortem usque confringebantur eorum ossa ; vel manibus, pedibusque extensis agebantur in rotam, eosque ad rotas acutissimis clavis instructas alligatos, deorsum agebant in præcipitia, vel circumagebant, ut clavi tanto profundius eorum penetrare carnes possent. Ad hæc ordinarium Martyrum tormentum equuleus erat, tale nimirum instrumentum, quod ex ligno instar equi formatum, in capite rotulas habebat, quibus inserti funes Martyrum corporibus alligati, eosdem per brachia retrorsum vinctos sursum trahebant, ut singula humerorum ossa e suis dimota juncturis dolorosissime laxarentur. Catasta, tabulatum quoddam in edito loco positum erat, unde Martyr conspicue ab omnibus videri poterat, in quo sine ulla compassione flagellabatur vel nervis boum, vel nodosis fustibus, aut virgis spinosis, quæ scorpiones dicebantur; sæpius etiam illorum corpora virgis quatiebant ferreis vel plumbatis, quibuscum eorum corpora tanta cum truculentia dilaniabantur, ut sæpe lictores potius percutiendo fatigarentur, quam verbera excipiendo Martyres. Unde Lactantius Firmianus, Gentiles invincibilem militum Christi in catastis et equuleis videntes constantiam, stupefactos et attonitos stetisse dicit : Inter fatigatos carnifices invictam tenere patientiam, existimant id, quod res est, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatus tantos posse superare. Quibus accedit, quod ungulis et forcipibus hinc inde aculeatis ex chalybe dentibus armatis, carnes sanctorum Martyrum dilacerarint et frustatim decerpserint; pectibus quoque utebantur ferreis ad dilanianda eorum membra, corpusque hoc modo cruentatum et saucium cultris decoriabant, laminas item ignitas lateribus adhibebant; calci nonnumquam vivæ, aut ferventi oleo, vel plumbo liquefacto immergebant. Quique hisce tormentis nonnumquam evaserant superiores, bobus includebantur æneis, ex supposito et continuato igne candentibus; vel lebetibus pice, plumbo, vel alio metallo liquefacto plenis, verubus arcte alligata corpora lento igne assabant ; vel in caldariis frigebant, galeas ignitas claviculis acutissimis intus plenas, eorum imponebant vertici, calceisque ferreis, puncturis undique plenis, torquebant pedes; candentibus igne fornacibus, vel ferarum latibulis includebant ; præscindebant linguas, dentes evellebant, eruebant oculos, sudes acutas sub digitorum unguiculis infigebant ; excoriabant vivos, et minutissimas partes sensim conscindebant ; eorumdem viventium viscera paulatim a muribus et gliribus corrodi curabant ; melle delibutos ardentissimis exponebant solis radiis, ut a muscis et apibus lente et crudeliter conficerentur; fœtentibus cadaveribus arctissime viventium alligabant corpora, eaque sic etiamnum viventia sepeliebant. Uno verbo : « Circumdederunt eos mala, quorum non est numerus.» Nunc vero invictam eorum auscultate constantiam, qua innumerabilium, et crudelissimorum tormentorum istorum carnificina se superiores esse probabant : Latera effodiebant, inquit D. Chrysostomus, carnem deradebant, viscera ipsa et interiora pervadebant ; attamen cum cuncta pervestigarent, thesaurum fidei deprædari minime valuerunt. Petr. Ribad. *apud Mansi*, disc. xix, n. 3 et 4.

Quartum, *miraculorum confirmantium magnitudo et multitudo*, de quibus egregie Ri-

chardus dixit : Domine, si est error, a te decepti sumus ; nam tot et tantis signis confirmata sunt, quæ non nisi per te possunt fieri. Richard. a S. Vict. lib. I, *de Tr.* c. II. Quod si illa miracula non credunt, inquit S. Augustinus, unum grande miraculum sufficit, quia jam orbis terrarum sine miraculis credidit. An enim inane vel leve videtur, et nullum vel parvum miraculum divinum esse putetis, quod in nomine Christi unius Crucifixi universum genus credit humanum ? S. Aug. l. XXII, *de Civ.* c. V.

Quintum, *S. Scripturæ auctoritas :* Quid enim hic, inquit S. Hieronymus, non invenitur, quod faciat ad utilitatem, aut ad ædificationem humani generis, conditionis, sexus, ætatis? Habet enim hic infans, quod lactet, puer, quod laudet, adolescens, quod corrigat, juvenis, quod sequatur, senior, quod precetur. Hic discet femina pudicitiam, pupilli invenient pietatem, viduæ judicem, pauperes protectorem, advenæ custodem. Hic invenient Reges, quod audiant, Judices, quod timeant. Hæc tristem consolatur, lætum temperat, iratum mitigat, pauperum recreat, divitem, ut se agnoscat, increpat, nec peccatorem despicit, sed remedium ei per pœnitentiam ingerit. Demum vero, postquam in adeo inæstimabilis thesauri laudem varia congessisset encomia, tandem ad propositum nostrum subjungit : Post hæc Deus ostenditur, fides asseritur, perfidia repudiatur, justitia ingreditur, prohibetur iniquitas, misericordia laudatur, crudelitas abdicatur, veritas requiritur, mendacium damnatur, dolus accusatur, prædicatur pœnitentia, pax sequenda promittitur, spes certa nutritur, et, quod his omnibus est excellentius, Christi Sacramenta laudantur. Vere Sacra Scriptura thesaurus quidam, immo ærarium est, in quo infallibilis illa Altissimi providentia omnes reclusit divinæ sapientiæ et scientiæ thesauros : « In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei : » In cujus vero manu depositum et concreditum est hoc ærarium, præterquam in manu et sinu Catholicæ, et Apostolicæ, et Romanæ Ecclesiæ super Cathedra D. Petri et successorum suorum stabilitæ et fundatæ ? S. Hier. *Proœm. in Psal.*

Sextum testimonium et motivum perhibent *multi prius perversi et fidei persecutores*, qui conversi, facti sunt fidei defensores, ut dicit Sanctus Augustinus in libro *de Symbolo* : Et qui alios ad Martyrium trahebant, postea voluntarii Martyrium suscipiebant, sanguinem Christi fundere prius sitierunt, postea credentes illum biberunt, et suum pro Christo fuderunt. Quam eamdem observationem diu ante Rupertus Abbas instituit, inquiens : Ipsi terreni principes jugum Christi susceperunt, et ejus, quam prius impugnabant, Evangelicæ fidei vel Christianæ Religionis defensores esse cœperunt. Ad quod stabiliendum illa subservire poterit de Samsone historia, qui in Rhamnata se conferens, cum Dalila gentili Philistæa sponsalia contracturus, in ore a se prius dilacerati leonis favum mellis invenit. Omnia enim in figura contigisse, nemo dubitet. Erat namque ille Nazarenæ Religionis cultor, Christi, qui sibi gentilitatem desponsavit, typus. Quem vero mellis favum in leonis faucibus ab eo repertum fuisse existimatis ? Defensio erat, qua persecutores comprehendit, qui primitus leonum instar rugiebant, furebantque contra fidem Catholicam. Bellovacensis, *Specul. Moral.* cap. I, dist. XIV, fol. 23. Id quod Sanctus Augustinus contra Faustum Manichæum scribens, aperte attestatur his verbis : Quid sibi vult in ore leonis occisi favus extractus, nisi quia videmus leges ipsas Regni terreni, quæ ante adversus Christum fremuerant, nunc dulcedini prædicationis Evangelicæ munimenta præbere ? Unde merito S. Chrysostomus hortatur Christianos : « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. » Cum enim viderit infidelis, compositum, modestum, ornatum esse, miratur, et dicet : Vere magnus Christianorum Deus, quales constituit homines, quales e qualibus fecit. Angelos ex hominibus ipsos reddit. Si quis contumeliam fecerit, non convitiantur ; si quis percusserit, non ægre ferunt ; si quis injuriam intulerit, pro his, qui se læserint, orant ; inimicum non habent, iram servare non norunt, mentiri non didicerunt, pejerare non sustinent, quinimo nec jurare. S. Chrys. *apud Mansi*, *disc.* XXIX, n. 10.

Septimum, *vis Dæmonum per fidem fracta;* nam, ut Bellovacensis recte dixit, ipsi Dæmones testimonium perhibent pro fide nostra, qui per ejus articulos adjurati, de suis habitaculis expelluntur, secundum quod Dominus prædixerat multipliciter in fine : « In nomine meo Dæmonia ejicient, » quare et Tertullianus, qui idololatra prius, quam Christianus extitit, ex tribus potissimum

motivis se ad fidem nostram amplexandam inductum fuisse profitetur, scilicet ex Christianorum innocentia, ex Scripturarum excellentia, ex Deorum seu Dæmonum impotentia. Bellovac. *loc. cit.*

Octavum est *vita perversa infidelium, et vita exemplaris Catholicorum* : Discurratis, obsecro, inquit Mansi, per omnes tam Gentilium, quam Hæreticorum et Mahometanorum sectas, et invenietis, quod a tempore hactenus durarunt, vix ullum protulerint virum exemplarem, vitaque honesta et perfectione conspicuum, quales Ecclesia in omni ætate, in omni climate, in omni statu, conditione et professione plurimos habuit ; porro, teste Aristotele aliisque sapientibus, virtus bonum illud est, in quo beatitudo consistit, hocque bonum a nobis in hac vita comparari potest. Quis autem historias plenas esse nescit facinorum insignium et heroicorum innumerorum fidelium, qui in gradu sublimi virtutum egregie profecerunt ? Idque non alio auxilio, quam divino, quod solum adeo eminentem sanctitatem producere potuit, cum irrefragabilis sit veritas, quod omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. Mansi, *disc.* XXIII, n. 6.

Nonum sunt *pœnæ persecutoribus fidei illatæ*, quas fuse recenset Mansi in hæc verba : Herodes, qui primus Christi persecutor fuit, severe vapulavit ; nam oculi ejus ex capite prosilierunt, et occisis prius tribus filiis suis, semetipsum tandem desperatus cultro transfixit. Alter vero Herodes, qui S. Jacobum Majorem in Christianæ fidei odium occidi, et ob eamdem causam S. Petrum in carceres conjici jussit, ab Angelo percussus, et vivus a vermibus devoratus ex hac vita infelicissime migravit. Nero, qui sanctis Petro et Paulo necem intulit, se a perniciosis conjuratorum consiliis eximere non posse videns, sibimetipsi manus intulit violentas. Domitianus, qui S. Joannem in lebete ferventis olei adurere decreverat, a suis familiaribus occisus est. Valerianus implacabilis Ecclesiæ hostis a Persis in bello victus Persarum Regi equo insidere volenti, tamquam vilissimum mancipium, scabelli loco servire debuit, postquam ambo ejus oculi illi eruti fuissent. Aurelianus et Decius a suis fuere contrucidati, Diocletianus, qui se tamquam Deum adorari voluit, ad tantam redactus est miseriam, ut Regni Romani diadema deserere, et rusticanam vitam agere coactus fuerit. Ad similem quoque conditionem dejectus fuit Maximianus, siquidem Maxentius filius ejus, ut thronum patris sibi vendicare et conscendere posset, Roma illum turpiter ejecit, cumque ad Constantinum generum suum confugisset, ab eoque benigne acceptus fuisset, tandem perfidiæ in Constantinum reus factus infami et ignominiosa morte ab illo occisus fuit. Maxentius pariter filius ejus a Constantino victus, et de eodem ponte, quo æmulum deturbare decreverat, ipse misere in Tiberim præcipitatus interiit, adimpletumque fuit regium illud Davidis vaticinium : « Lacum aperuit, et effodit eum ; et incidit in foveam, quam fecit. » Maximinus quoque in bello profligatus, ut periculum evaderet, inter aquarios se immiscuit, ubi, posquam intestina ejus emarcuissent, a vermibus consumptus interiit, cui hæc patienti in faciem improperatum fuit, miseriam hanc apertam esse divinæ Justitiæ in ipsum sævientis vindictam, eo quod Dei persecutus fuisset Ecclesiam. Licinius, qui in Oriente regnabat, in prælio cæsus misere occubuit. Julianus Apostata paucis diebus imperium suum finivit, et a sagitta graviter sauciatus sanguinem e vulnere haustum in aera projecit, dicens : Vicisti, Galilæe ! Valens Arianus a Gothis stratus, in tugurium quoddam se recepit, in quo ab igne consumptus fuit. Unde S. Thomas de Villanova in concione quadam in hæc verba prorupit : Totus orbis a principio tibi contradixit, sed tu, potentissime, de omnibus triumphasti; hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra ! Id. *disc.* XVIII, n. 3.

Decimum est *Dei auctoritas et veracitas ;* nam, ut Sanctus Bernardus recte dixit : Christianæ fidei solus Deus veritatis, immo Deus veritas testis est, quapropter S. Thomas de Villanova fidem testimonio divino debitam accurate ponderans, ita unumquemque interrogat Christianorum : Quid multum facis, o homo, si Deo credis, quamvis ardua et difficilia dicenti ? Nonne attendis, quis est, qui dicit ? Erubescamus merito, siquidem quotidie personis auctoritate pollentibus in rebus etiam verisimilibus fidem præbemus, verbi gratia, dum secreta ab iis audimus naturalia, aut opere, arte, industria, studioque nobis incognito perpetrata ? O homo, Regi aut Imperatori sine testimonio credis, et non credis Deo ? Deo, inquam, totius Scripturæ Sacræ Auctori ; siquidem dum Penta-

teuchum, Sancti Pauli et Sancti Petri Epistolas, Sancti Matthæi Evangelium, Sancti Joannes Apocalypsim legimus,non scriptoribus, sed horum librorum dictatori, Sancto scilicet Spiritui credimus, fidemque præstamus ; ita ut merito omnibus librorum Canonicorum auctoribus dici possit : « Non estis vos, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. » Ideoque et dictus S. Præsul subtiliter observat, Prophetas in vaticiniorum exordio hanc plerumque præmittere protestationem : « Hæc dicit Dominus : Audite verbum Domini etc. » quasi dicerent : Non nobis fidem adhiberi postulamus, non nostra sunt verba, quæ loquimur, sed Dei. Ad quod comprobandum S. Pauli adducit exemplum, qui de Eucharistiæ institutione, cui ipse præsens non interfuerat, tractaturus præmittit : Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis. S. Bern. ser. I, *in Quinquag.*

MEDIA.

Oratio frequens et seria, dicendo frequenter cum Apostolis : Domine, adauge nobis fidem. Luc. xvii, 5. Cum enim omne datum optimum et donum perfectum (quale vel maxime est fides) desursum sit descendens a Patre luminum, (Jac. i, 17.) merito ab illo peti debet hoc donum, dicique cum S. Propheta : Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte. Ps. xii, 4. Hinc hortatur idem Propheta : Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur. Ps. xxxiii, 6.

Electio unius aut plurium patronorum, quorum fides magis in hac vita illustris et perspecta fuit, quales, juxta consilium P. Gaspari Tausch, esse possunt, Sanctus Thomas Apostolus, ex incredulo fidei magister effectus; Sanctus Barnabas, plenus fide et Spiritu Sancto; Sancta Thecla, de qua canit Ecclesia : *Ut ejus tantæ fidei proficiamus exemplo* ; Sanctus Gregorius Thaumaturgus , et præcipue Sanctus Petrus Apostolus, ut, sicut Christus pro ipso, ita ipse pro nobis roget Patrem æternum, et Christum, ne deficiat fides nostra ; et Sanctus Joannes Baptista, utpote qui missus est a Deo, ut testimonium perhiberet de Christo, diceretque : Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. *In Matre dolor.* l. II, c. i.

Vita bona et virtuosa, præcipue autem frequentiori misericordiæ exercitio insignis. Sic Sancti tres Magi post dona Christo allata, et fugam Herodis, illuminati sunt. Sic Cornelius Centurio audivit : Orationes tuæ et eleemosymæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et nunc accersi Simonem quemdam,qui cognominatur Petrus, hic dicet tibi, quid te oporteat facere. Act. Apost. x, 5. Pulchrum etiam hujus rei exemplum narrat Baronius de puella Alexandrina,quæ, quia hominem debitis gravatum, ideoque laqueo vitam abrumpere volentem patrimonio suo oblato liberavit, et ipsa a vitæ periculo liberata, et ad fidem mirabiliter perducta, statim post baptismum mortua est. Baron. anno 537, *et* Sophronius, *in Prato Spirituali,* c. ccvii.

Crebrum exercitium in actibus fidei tam internis, quam externis; hinc Sancti Patres monent, ut assiduo Symbolum Apostolorum recitetur; in Superioribus Deus agnoscatur, juxta illud Christi : Qui vos audit, me audit; (Luc. xxx, 16.) et in pauperibus Christus pascatur et recipiatur, juxta illud : Quamdiu fecistis uni ex minimis,mihi fecistis. Matth. xxv, 40.

Superbiæ et libidinis detestatio; hæc enim duo vitia sunt Scylla et Charybdis, in quas plerique hæretici et apostatæ impacti naufragium fecerunt; ut merito dixerit Ecclesiasticus : Vinum (aut potius superbi spiritus, ex vini immodica sumptione orti) et mulieres apostatare faciunt sapientes. Eccl. xxix, 2. Adstipulatur Cassiodorus, dum ait : Tantum crescit calor fidei,quantum subtractum fuerit de flamma corporali. *Super.* Ps. cxviii.

Fuga curiositatis et præsumptionis in rebus fidei scrutandis; nam scrutator majestatis opprimetur a gloria ; e contrario vero sicut Deus abscondit hæc mysteria a sapientibus suæ prudentiæ innixis,ita revelat ea parvulis, et intellectum suum in obsequium fidei captivantibus, juxta illud Davidis : Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. Prov. xxv, 27. Ps. cxviii, 130. Hinc recte nonnemo cecinit, in tali casu, una salus fugere est, fideique opponere scutum, uti ex sequenti historia patet, quam Bellarminus refert, scilicet duos fuisse Theologos, inter suos facile principes ; horum unus, qui prior e vivis excesserat, alteri superstiti apparuit, quod imprudens nimis et temerarius cum Dæmone de fidei dogmatibus

disputasset, a quo variis captiosarum quæstionum telis appetitus, victus tandem, prostratusque esset, et ut fidei exsors, ignibus æternis addictus. Alter alieno malo cautior, diversam, agendi cum Dæmone viam iniit, percontanti enim, quid de SS. Triadis, quid de Incarnati Verbi mysterio crederet, quo modo in tribus personis eadem numero posset esse essentia, quonam modo in unum jungi possent ea, inter quæ nulla affinitas? respondit compendiario, se *credere, quod credit Ecclesia*. Quærenti, *quid illud esset, quod crederet Ecclesia? Quod ego*, inquit. *Quid tu porro? Quod Ecclesia. Quid Ecclesia? Quod ego*. Imparatus ad hoc disputandi genere tentator, victus ad orcum rediit, victor et triumphator abiit ad cœlum. Bellarm. l. II, *de Ante Mor.* c. II.

Fuga hæreticorum, non tantum quoad personam propriam, sed etiam libros, conciones, colloquia, etc. ita S. Cyprianus, dum ait : Nulla cum talibus colloquia misceantur. Simus ab eis tam separati, quam illi sunt ab Ecclesia profugi. L. I, ep. III. Hoc idem S. Antonius suis præcepit in agone dicens : Zelum meum contra hæreticos et omnes veritatis hostes tenete; scitis, quia nunquam illis molliter et pacifice sum locutus. *Vita*. Rationem assignat Florimundus Remondus : Quemadmodum, inquiens, nautæ littus legentes, etiamsi nihil minus cogitent, quam in altum enavigare, nisi tamen navem in portu anchora firment, maris tempestate et vi fluctuum sæpe abripiuntur; sic curiosi, qui hæreticorum libros legendos suscipiunt, aut conciones vel colloquia audiunt, nisi firmissimam fidei anchoram in Romanæ portu Ecclesiæ jecerint, levitatis suæ ventis in errorum, vel etiam impietatis et *Atheismi* abyssum, cum sempiterno animæ exitio propelluntur. L. IV, *de Orig. hær.* c. II.

ASCETICA.

De hac nobilissima virtute sequentia bene capere, aliisque inculcare debet Asceta.

Bene apprehendat, quid, et quanti facienda sit fides, nempe quod sit lumen præcipuum et supernaturale Spiritus Sancti, in Christiani hominis intellectum infusum, quo fit propensus ad credendum, quidquid Ecclesia credi jubet, etiamsi rationes, quibus veritas credendorum innititur, minime perspiciat. Hoc porro lumen tanti esse faciendum in anima, quanti æstimatur lumen oculorum in corpore, ita ut merito dixerit S. Chrysostomus : Fides Religionis Catholicæ lumen est animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ. *Super Symb.*

Bene intelligat præcipua duo officia fidei supernaturalis, quorum prius est, hominem perfecte subjicere Deo, ut ipsius instructionem et inspirationem prompto et benevolo animo suscipiat, juxta illud Patris cœlestis mandatum : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui , ipsum audite. Matth. XVII, 5. Posterius est, ut mores et vitam nostram ordinet, ne per affectiones inordinatas, aut Dæmonis tentationes abrepti, a Dei lege deviemus. Unde recte Canisius infert, Christianum nosse debere, tum quæ ad Sapientiam (uti sunt tres virtutes Theologicæ, Fides, Spes, Charitas) tum quæ ad Justitiam Christianam (uti sunt, declinare a malo, et facere bonum) pertinent. S. Aug. *Ench.* c. II et III.

Bene addiscat, et inculcet, ad quæ objecta extendere se debeat fides divina, videlicet ad sequentia. 1. Ad ea, quæ Symbolo Apostolico continentur, et clarius in Nicæno, et Athanasiano explicantur. 2. Quæcumque Scriptura seu divina, seu canonica complectitur. 3. Quæ ex prædictis duobus fontibus necessario deducuntur. 4. Quæ Spiritus Sanctus per Ecclesiam, sive scripta, sive viva voce credenda proponit. Canisius c. I, § 20.

Bene cognoscat obligationem ad credendum, nimirum quod *necessitate quidem medii* teneaturquivis Christianus explicite credere, quod Deus existat, et quod inquirentibus se remunerator sit; immo juxta quorumdam sententiam etiam mysterium Trinitatis, Incarnationis, et Passionis Christi, animæque immortalitatem. *Necessitate præcepti* vero, Symbolum Apostolorum, præcepta Dei et Ecclesiæ, orationem Dominicam, et Sacramenta, ac misericordiæ opera, saltem ea, ad quæ suscipienda vel exercenda obligatur. *Pedag. Chr.* p. II, c. XXIII, § 2.

Bene apprehendat motiva credibilitatis, qualia a Sancto Augustino et aliis enumerantur sequentia. Consensus populorum ; miraculorum frequentia ; sucessio Pontificum continua ; Catholicæ nomen justissimo titulo possessum ; Martyrum constantia ; Prophetiæ donum ; sanctimonia et sapientia

Doctorum et aliorum Catholicorum; conformitas cum Scriptura Sacra, et in articulis fidei. *In epist. contra Manich.* c. IV. De quibus omnibus recte Ricardus sic discurrit: « Utinam attenderent Judæi, utinam attenderent Pagani, cum quanta conscientiæ securitate pro hac parte ad divinum judicium poterimus accedere. Nonne cum omni fiducia Deo dicere poterimus : Domine, si error est, a te ipso decepti sumus. Nam ista tantis signis et prodigiis confirmata sunt, et talibus, quæ non nisi a te fieri non possunt, certe a summæ sanctitatis viris sunt nobis tradita, cum summa attestatione probata, teipso cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. » Lib. I *de Trinit.*

Bene ponderet, memoriæque imprimat aliqua principia, quæ in hac materia ad evitandum omne periculum observanda sunt, qualia a Rosignolio sequentia censentur. Primum est Salomonis : « Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Eccl. III, 22. » Secundum : « Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.» S. Greg. hom. XXVI *in Evang.* Tertium : « In quocumque humanarum artium exercitio impossibile est, primarum propositionum inquirere demonstrationes. S. Basil. *in Ps.* CX. Quartum : « In rebus miris, summa credendi ratio est omnipotentia Creatoris.» Aut ut alibi proponit : « Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse.» S. Aug. l. XXI, *de Civit. Dei* c. VII.

Bene indaget et intelligat officium boni Christiani, quod nimirum in genere quidem tria sint, quæ ab eo requiruntur, *in corde charitas, in ore veritas, in corpore castitas.* In specie vero sequentia suadeantur a *Pedagogo Christiano.* 1. Fuge omne peccatum, præsertim autem mortale. 2. Sint in promptu remedia efficacia contra peccatum, v. g. memoria Dei præsentis, Christi patientis, mortis, judicii, inferni, et cœlestis gloriæ. 3. Jugi virtutum et bonorum operum exercitio vocationem tuam certam facito. Hinc nihil age, quin bonam intentionem præmittas, aut signum crucis facias. In Dei laudes et gratiarum actiones mane, vesperi, et alias ferventer insiste. Dei Matris, et Angeli Tutelaris, et aliorum Patronorum opem frequenter implora. Crebro te aqua lustrali asperge. E collo ceream Agni Dei effigiem suspende. Quotidie, si potes, SS. Missæ sacrificium audi reverenter. Examen conscientiæ ante somnum accurate facito. Statutos ab Ecclesia festos dies diligenter observato. Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ frequenter et pie obito. Fidei, spei, charitatis, aliarumque virtutum actus crebro elicito, ac in primis humilitati insistito. Indulgentias lucrari studeto, pro animabus purgantibus crebro orato. Imperata Ecclesiæ jejunia studiose observato. In orationem frequenter incumbito. Hilari vultu pauperibus eleemosynam præbeto. *Pædagog. Christ.* p. I, l. I, § 2.

Bene sibi persuadeat Ascetæ, *parum prodesse fidem, si opera non conjungantur* ; uti recte S. Jacobus indicavit dicens : « Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum. » S. Jac. II. Quod confirmat S. Augustinus, ingeniosam quamdam instituens observationem, dum eam, quæ inter credere Deo, et credere in Deum, versatur, considerat differentiam; dicit enim : Non continuo qui credit ei, credit in Deum ; nam et Dæmones credebant ei, et non credebant in eum ; de Apostolis ipsius possumus dicere : Credimus Paulo, sed non in Paulum. Quid est credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire. Ista ergo est fides, quam a nobis exigit Deus, et non invenit quod exigat, nisi donaverit, quod inveniat; si quidem in ejus dumtaxat gratiæ, auxiliorumque virtute, et non alio modo, nos in divino ejus servitio operari possumus, et mereri, dicente Apostolo : « Non quod simus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. » Et vero ex ipso etiam fidei nomine colligitur hæc veritas; nam ut idem Sanctus acute advertit, fides appellata est ab eo, quod fit, duæ syllabæ sonant, cum dicitur fides ; prima syllaba est a *facto*, secunda a *dicto* ; Interrogo igitur te, utrum credas ? Dicis : Credo. Fac, quod dicis, et fides est. Et ideo S. Petrus monet, ne verecundemur, nec erubescamus in occurrentibus necessitatibus nos profiteri veros Christi crucifixi sequaces : Si autem, inquit, ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine. S. Aug. tr. XXIX *in Joan.*

Deinceps firmiter credat, *cum fides*, juxta S. Bonaventuram, *sit altissimum donum, et omnium bonorum a Deo principium ;* « omne

autem donum bonum et perfectum, juxta S. Jacobum, desursum sit, illud oratione potissimum, et vitæ immaculatæ studio obtinendum esse,» uti sapienter S. Chrysostomus advertit dicens : Fides opus habet auxilio Spiritus, ac perseverantiæ, ut inconcussa permaneat, auxilium autem hoc vitæ puritate, moribus privatis retineri apud nos solet. Quare si cupimus fidem radicatam habere, vivendi ratione pura nobis opus est, quæ Spiritum retineat, a quo totam fidei vim dependere constat ; impossibile enim est, impossibile profecto, si vitam impuram habeas, in fide non vacillare. S. Chrys. ser. XXIII *de Verb. Ap.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

De substantia seu natura Fidei.

Ex occasione thematis : « Prudentes virgines aptate vestras lampades ; » potest quivis Christianus prudentibus hisce virginibus comparari, et in prima parte concionis ostendi, quod fides sit lux illa, quam in sua lampade habere debet, utpote sine qua impossibile est Deo placere, et ad cœlestes nuptias introire. In secunda parte ostendatur, fidem non sufficere, nisi oleum bonorum operum, præcipue misericordiæ, accedat. Possunt propterea Hæretici virginibus fatuis comparari, et Catholici ad constantiam incitari. Vide Fabrum, p. I, *in festo S. Thomæ* conc. I, n. 3.

Potest ficta Politicorum fides proponi et reprehendi, et ostendi, quomodo vox quidem sit vox Jacob, (id est, Christiana) manus autem Esau, id est, Hæreticis similis. Afferantur proinde illorum falsa et politica principia (quæ videri possunt *in Manuali Becani* in fine) et solide refutentur.

Potest fides comparari horologio. 1. Quia ex ejus bona constitutione, colligitur status bonus totius communitatis, uti olim Carolus Quintus statum civitatis colligere solebat. 2. Quia sicut in horologio omnes partes et rotæ concurrere debent ; ita in fide omnes articuli ab Ecclesia propositi credi debent. 3. Quia sicut per horologium indicantur horæ, et diriguntur actiones humanæ juxta cursum solis ; ita per fidem Christiani excitantur ad opera, juxta cursum solis justitiæ, id est, Christi voluntatem, perficienda. Excitentur proinde auditores ad magnam hujus horologii curam gerendam. Videatur Faber, *in festo S. Thomæ*, con. VII, n. 3.

Potest ostendi præstantia fidei, ex comparatione cum scientia, et 1, quidem probari quod fides longe sit præstantior, quam scientia, quia scilicet magis honorat Deum, est certior, utilior, securior, nobilior. 2. Deduci inde potest, cum eos, qui infusam a Deo scientiam acceperunt, tam felices, atque ad gratias Deo referendas obligatos judicemus, quantas gratias Deo pro infusa fide, utpote longe nobiliori debeamus, cumque gratiæ nullæ sint Deo acceptiores, quam si donis ab eo datis bene ad illius honorem et gloriam utamur, quantopere studere debeamus, ut fidei actus frequenter exerceamus, et per hoc debitum supremæ veritati obsequium exhibeamus. Videatur Faber, *in Auctario*, them. IV. *pro festo S. Thomæ.*

Ex occasione thematis : « Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te, » (Cant. IV ;) ostendi potest Ecclesiæ nostræ pulchritudo, per enumerationem partium, a S. Thoma et aliis ad pulchritudinem requisitarum. Et 1. quidem quomodo in ea reperitur : *Integritas omnium membrorum*, id est, articulorum et doctrinarum a Deo et Christo manifestatarum. 2. *Amœnitas colorum*, id est, bonorum operum et exemplorum, quæ ad fidem certificandam necessaria esse docet. 3. *Proportio partium*, id est, convenientia omnium doctrinarum, quas credi jubet, cum ultimo fine, scilicet cognitione et amore perfecto Dei. Excitandi auditores, ad gratulationem ob talem matrem, quæ ob dictam pulchritudinem æterno et supremo Regi desponsata, hæreditatem Regni cœlestis procurare et possit, et velit. Videatur Faber, *in festo Purificationis*, conc. 6.

Comparari potest fides nostra testamento a Christo relicto, in quo nos hæredes Regni cœlestis facit. Pro sigillis septem afferri possunt argumenta credibilitatis, maxime vero septem prædicata et prærogativæ speciales nostræ fidei, videlicet, quod sit una, sancta, Catholica, Apostolica, miraculosa, antiquissima, invictissima. Pro subscriptione potest Martyrum innumerorum, et ipsius Christi pretiosissimus sanguis copiose profusus applicari. Excitandi auditores ad gratias pro tali beneficio agendas et testamentum hoc illibatum servandum. Videatur Faber, *Domin.* 6. *post Pascha*, conc. 6. et *in festo SS. Philippi et Jacobi*, conc. 5.

Ex occasione thematis : « Videntes stellam gavisi sunt gaudio magno valde; » (MATTH. II, 10 ;) potest comparari fides cum stella, quæ Magos duxit ad præsepium, et 1. Quidem dici, quod, sicut ista stella fuit *unica*, ita etiam *unica* sit fides, juxta testimonium S. Pauli : Unus Dominus, una fides, unum baptisma. 2. Quod, sicut ista stella fuit valde *clara et fulgens*, ducens ad præsepe, ad Jesum, Mariam et sanctum Josephum, et excitans Magos ad eos adorandos et colendos ; ita et fides nostra sit ob lumen cœleste et sanctitatem suam, clarissima et fulgentissima, impellens omnes ad summam sanctitatem procurandam, debitumque Deo et Sanctis cultum exhibendum. 3. Quod, sicut stella illa tam quoad substantiam, quam quoad circumstantiam apparitionis et directionis, erat plane *miraculosa ;* ita et fides nostra sit innumeris miraculis comprobata. 4. Quod sicut stella illa erat *de cœlo missa ;* ita et fides nostra et prædicatores illius, vere de cœlo saltem mediate per legitimam electionem et successionem sint missi. Unde auditores excitandi ad gratias Deo agendas pro tanto favore ac beneficio, et ut stellam hanc intrepide sequantur, fugiant vero Herodem et asseclas illius, id est, hæreticos, ne stella hæc ipsis cum magna eorum tristitia subtrahatur. Serviet ad hanc materiam conc. 8. Fabri *in Fer.* 2. *Pent.* Item conc. 7. *Dom.* 20 *post. Pent.*

Potest excellentia et efficacia fidei nostræ ostendi ex occasione thematis : « Nisi signa et prodigia videritis, non credetis : » et comparari fides cum magnete, demonstrando, quomodo ferrum, id est, gentiles obstinatos, et potentissimos quosque principes ad se attraxerit, indeque auditores excitari, ut et ipsi trahi se facile permittant ab ea, maxime cum non nisi ad summam gratiam acquirendam in terris, et ad maximam gratiam comparandam in cœlis, trahat. Quem in finem copiossimam materiam suggerit Faber, in conc. 6 *pro Dom.* 20 *post Pent.*

De utilitate Fidei.

Potest utilitas fidei demonstrari ex comparatione fidei cum grano sinapis, et 1. Quidem ostendi, quod, sicut granum sinapis minimum est ex seminibus; ita et fides Christiana minima appareat ex doctrinis, utpote rationi absurda, contraria cupiditatibus, ideoque a plurimis neglecta et contempta. 2. Quod, sicut sinapis granum excrescit in arborem magnam, in qua volucres cœli habitant; ita et fides miris modis per orbem sit propagata, ita ut sapientissimi viri, et summi principes, imo toti populi, ad eam confugerint. 3. Quod sicut granum sinapis caliginem oculorum detergit ; sic fides tenebras intellectus depellat. 4. Quod sicut granum sinapis vim ignitam habet, et corpus calore accendit, si quidem comminutum aut contritum fuerit; ita et fides mentem hominum amore divino accendat, si ejus mysteria bene perpendantur. 5. Quod, sicut granum sinapis stomachum et pulmones contra vitiosos humores, caput vero contra malignas qualitates, defendit et purgat ; ita fides intellectum et cor hominis a peccatis et erroribus præservet, aut liberet. Uti fusius ostendit Faber, *Dom.* 6 *post Epiph.* conc. 6, et Staplet. them. 2 *in eadem Dom.* Ubi pulchre hæc omnia ex textu S. Augustini probat.

Potest comparari fides turri Davidicæ, ex qua mille clypei pendent, et omnis armatura fortium, et ostendi, quomodo fides defendat contra omnis generis tentationes, et diaboli insidias. Et 1. quidem contra tentationes circa articulos fidei, quod ostendi potest exemplo illius hominis, qui a Diabolo circa fidem tentatus, in agone nihil aliud respondit quam credere se, quod sancta credit Ecclesia, et hanc credere, quod ipse credit. 2. Contra tentationes carnis, demonstrando, quanta tormenta parata sint iis, qui ejusmodi vitii se commaculant. Sic confessarius feminam delicatam convertit, jubens sæpius meminisse sententiæ illius : Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. 3. Contra tentationem concupiscentiæ oculorum, seu divitiarum, revocando in memoriam illam Christi ad hortationem : Nolite thesaurizare thesauros in terra etc. Item : Facilius est camelum intrare per foramen acus, quam divitem introire in Regnum cœlorum. (MATTH. VI, 19.) 4. Contra tentationem superbiæ, partim exemplum Christi humiliantis se usque ad mortem crucis, ideoque nomen super omne nomen accipientis, Apostolorum nimis honorificatorum, et aliorum Sanctorum; partim sententiam ab eodem Christo prolatam: Qui se humiliat exaltabitur, et qui se exaltat, humiliabitur ; (MATTH. XIX, 24). nobis

pro scuto offerendo. Excitandi proinde auditores, ut in tentationibus ad hanc turrim confugiant.

Ex occasione sententiæ a S. Paulo prolatæ : « Galeam salutis assumite, et gladium Spiritus, quod est verbum Dei; » (Eph. VI, 17;) ostendi potest, quomodo militia sit vita hominis super terram, atque adeo is semper gladium in manibus habere debeat. Optimum autem esse verbum Dei, in symbolo Apostolorum contentum, uti S. Petrus Martyr usurpavit. 1. Itaque si quis tentatur pusillanimitate ob inopiam, dicat : Credo in Deum Patrem Omnipotentem etc. et occinat sibi illud Christi : Si vos, cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum (et panem quotidianum) petentibus se. (Luc. XI, 13.) Nonne dedit manna, coturnices, aquam ex silice Israelitis? 2. Si quis tentatur desperatione, dicat : Credo in Jesum Christum etc. Quis dominus servum suum magno pretio emptum perire tam facile sinit? An non dixit ille Deus : Nolo mortem impii, sed magis ut convertatur a via sua, et vivat? An non ipse, ut homo, dixit : Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos? Matth. XI, 23. Dicat ergo cum S. Bernardo : Quid est Jesus, nisi Salvator? Ergo, o Jesu, propter nomen sanctum tuum esto mihi Jesus, et salva me! 3. Si quis tentatur aliqua necessitate auxilii, vel doni impetrandi, dicat : Credo in eum, qui natus est ex Maria Virgine. Meminerit ergo, quod S. Bernardus dixit : Modicum illud, quod offerre desideras, gratiosissimis Mariæ manibus offerre memento, si non vis sustinere repulsam ; illa enim audit a Filio : Pete, mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam. 4. Si quis impatientia tentatur, dicat : Credo quod Christus pro me passus sit sub Pontio Pilato etc. Si ergo caput talia tulit, cur non et membrum ? Si Dominus, cur non et servus? Si Magister, cur non et discipulus ? Nolo vivere sine vulnere, quando video Christum vulneratum. Nec leve hinc solatium capiet, nam, teste S. Gregorio, nihil adeo grave est, quod non æquanimiter toleretur, si Christi Passio ad memoriam revocetur. 5. Si quis tentatur ob contemptum, dicat : Credo, quia ascendit in cœlos ; cum prius se humiliaverit usque ad mortem crucis. Qui se humiliat, exaltabitur. Itaque et ego elegi abjectus esse in domo Dei mei. Ludam et vilior fiam plus quam factus sum etc. 6. Si quis ad peccatum allicitur, dicat : Credo, quia venturus est judicare vivos et mortuos. Fugiunt fures, ubi præsens est Judex; hinc Sapiens : In omnibus operibus tuis memorare novissima, et in æternum non peccabis. 7. Si quis desolatus est, dicat : Credo in Spiritum Sanctum, meminerit, quia Paracletus, id est, *Consolator* dicitur, dicat proinde : Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium. 8. Si quis tentatur per diffidentiam salutis obtinendæ, dicat : Credo in sanctam Ecclesiam Catholicam , memineritque hanc esse Arcam Noeticam, per quam ab interitu liberantur, quotquot in ea usque ad mortem per fidem formatam perseveraverint. 9. Si quis tentatur ob gravitatem laborum, dicat : Credo in carnis resurrectionem ; quod enim est corruptibile carnis nostræ, induet olim immortalitatem ; nunc fatigatur, sordidatur, gravatur, sed paulo post summa agilitate, claritate, quiete donabitur. 10. Si quis tentatur alia adversitate quacumque, dicat : Credo in vitam æternam. Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Momentaneum, quod cruciat ; æternum, quod delectat. Verbo, verificabitur illud D. Petri : Credentes exultabitis lætitia inenarrabili et glorificata reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum. *Epist.* I, c. I, 6.

Ostendi potest, quomodo juxta dicta Christi : « Beati, qui non viderunt, et crediderunt; » (Joan. XX, 29.) illi, qui veram fidem corde, ore, et opere profitentur, sint vere beati. 1. In acceptatione fidei ; quia est liberatio a cæcitate spirituali, cujus damna ostendenda, quod scilicet præcipitet in scrobem peccati et inferni, privet gaudio temporali et æterno etc. Item ostendatur magnitudo hujus beneficii ex paucitate, qui eam arripiunt. 2. In usu et exercitio fidei, quia scilicet fides est *scutum* contra tentationes, *myrothecum* contra deliquia animi, et *perspicillum* seu tubus opticus ad cœlestia gaudia consideranda. 3. In remuneratione, quæ maxima est propter difficultatem, diuturnitatem, humilitatem.

De modo exercendi et conservandi Fidem.

Ostendi potest, quomodo sit credendum, dicique pro exordio Deum juxta aliquot

SS. Patres magis diligere adverbia, quam verba ; magis enim curare, an *bene* aliquid fiat, quam an bonum fiat; idque vel maxime in fide locum habere. Itaque 1. credendum *Simpliciter*, captivando intellectum in obsequium fidei. 2. *Prudenter*, discernendo credenda a non credendis. 3. *Firmiter*, id est, sine trepidatione aut hæsitatione, immo animo etiam ad mortem pro fide subeundam parato. 4. *Tempestive*, non cito nimis, nec nimis tarde. 5. *Explicite*, saltem ubi Ecclesia et Deus præcipit. 6. *Vere* et *complete*, confirmando opere, quod ore asseritur. Excitetur auditor ad has conditiones implendas, ut sicut ipse per eas se exhibuit liberalem erga Deum, ita ipsum quoque vicissim liberalem experiatur. Videatur Faber, *Dom* 1, *post Pascha*, conc. 4.

Ostendi potest, quibus mediis fides nostra sit propagata, et exinde deduci, quomodo quivis Christianus etiam in se fidem augere possit, et debeat, nimirum. 1. Agri bonitate et pinguedine. 2. Seminis efficacia. 3. Imbrium irrigatione, id est, miraculorum auxilio, et gratiæ divinæ. 4. Solis calore, id est, Dei cooperatione. 5. Contrariis ventis et tempestatibus, qui quasi per *antiperistatim*, calorem internum amoris et fervoris pellebant. Vide Fab. conc. 4. *in Dom.* VI *post Epiphaniam.*

Possunt proponi et refutari excusationes, propter quas aliqui horrent suscipere, aut saltem publice profiteri nostram fidem. Quarum. 1. est jactura honoris per *villam* indicata. 2. Dispendium bonorum temporalium per *juga boum* indicatum. 3. Odium propinquorum, quod incurrerent, per *uxorem* significatum ; quæ proinde omnia solide refutare oportet, uti facit Faber conc. 5, *in Dom.* 2. *post Pent.* n. 2.

ALII CONCEPTUS.

Qui ex stultitia contempserunt rectam habere fidem, quamvis honesta vita se ornent, comparantur quodammodo viris ingenua quidem faciei forma, oculis vero errantibus ac distortis. Quibus proinde competit, quod per Jeremiæ vocem ad Jerusalem, Judæorum matrem, dictum est : « Ecce non sunt oculi tui recti, neque cor tuum bonum.» S. CYRILL. ep. *in S. Synod.*

Miles quidam belli aleam tentaturus, primo Minervæ oraculum, ut de exitu futuro certificaretur, consulendum duxit, responsumque tulit : Hilari animo eas, victoriam consequeris. Hacque animatus promissione, in campum processit, armatus corpore toto a capite usque ad pedes, scutum sinistra, ensemque portans dextra ; in adversam igitur partem huic occurrens inimicus, unum illi, alterumve impegit ictum, neque se vel in minimo tutari conatus est, qui læsus fuerat ; quin potius vitæ suæ periculo ingemiscens, elevatis in cœlum oculis, ait : Ubi est deorum fides ? Nonne mihi victoriam Minerva promisit ? Moxque vocem inaudit, sibi replicantem : Tu quoque cum Minerva manum adhibe, dii enim facientes adjuvant. Ita pariter indubitatum hoc Christiano quidem favet oraculum : Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit. Verumtamen quamdiu in campo præsentis vitæ militamus, nequaquam otiosas manus nostras e cingulo suspensas habere debemus, quia Deus facientes adjuvat. MANSI, disc. IV, n. 8.

Matth. cap. XXI, Christus arbori ficus, in qua præter frondes aliud non repererat, maledixisse, eaque subito arefacta fuisse legitur : « Videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea, nisi folia tantum, et ait illi : Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum ! Et arefacta est continuo ficulnea. » Circa quam historiam merito quærendum venit, cur Christus hanc arborem tanto cum rigore, tantaque cum Apostolorum admiratione punierit ? Apud Sanctum Marcum insuper legitur, quod, cum iidem Apostoli una cum Magistro suo mane transirent, viderunt ficum aridam factam a radicibus, et recordatus Petrus dixit ei. *Rabbi, ecce ficus, cui maledixisti, aruit.* At vero quidnam incarnata Sapientia ad hæc verba respondit ? Sacer Textus inquit : « Respondens Jesus ait illi : Habete fidem Dei. » Quasi dicere vellet : Hi qui fidem Dei, id est, vivam et veram non habent, merito præparare se debent, ut velut ligna arida in igne infernali perpetuo ardeant. Cui celebris illa Venerab. Bedæ Glossa optime consonat, dicentis : Arefecit Dominus arborem maledictam, ut homines hæc videntes sive audientes, multo magis intelligerent sese divino condemnandos esse judicio, si absque operum fructu, de plausu tantum sibi religiosi sermonis, veluti de

sono et tegumento blandirentur viridantium foliorum. Ib. disc. VI, n. 12.

Postquam Deus S. Petrum miracula operandi dono condecorasset, quodnam primum fuisse existimatis opus, in quo eximiam hanc exercuit potestatem? Num forte in eo, quod amissam muto restituerit vocem et loquelam? Aut quod cæcum visu donarit? Vel mortuum revocarit ad vitam? Minime gentium; sed primum, quod operatus fuit, miraculum fuit sanatio claudi, idque non sine ingenti mysterio, siquidem omnia in figura contingebant. Per hoc namque insinuare nobis voluit, quod, dum Jesu Christi nomen et consequenter fidem nostram profitemur, curandum quoque nobis, ut gressus probe et expedite dirigantur, id est, ut fidei, quam professi sumus, operibus correspondeamus: « Apprehensa manu ejus, dixit: Surge, et ambula! » It namque, qui antea claudicaverat, id est, qui veri Dei notitiam non habuerat (de quibus dicitur: « Usque quo claudicatis in duas partes?) »; postquam a Deo ejusque ministris erectus est, id est, postquam ad Orthodoxæ pervenit fidei notitiam, eamdem quoque operibus comprobare debet, ambobus videlicet pedibus recte ambulando, id est, credendo, et bene operando. Audiamus hac de re loquentem S. Ambrosium, qui ait: Si Petrus petra est, super quam ædificatur Ecclesia, recte prius pedes sanat; ut, sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita et in homine membrorum fundamenta confirmet. Recte, inquam, primo in Christianos pedes curat, ut jam, non imbecillis, possit supra petram Ecclesiæ, sed robustus et fortis, incedere. Ib. disc. VII, n. 3.

S. Ambrosius, de clavibus Petri nescio quid pulchri ad propositum nostrum scribit, dicit enim: Clavem Petri fidem esse dixerim, per quam cœlos aperuit. Ista autem ipsa clavis, quam fidem dicimus, videamus quemadmodum constet, et solida sit. Arbitror illam duodecim artificum operatione conflatam; duodecim enim Apostolorum symbolo fides sancta concepta est, qui velut periti artifices in unum convenientes, clavem suo consilio conflaverunt. Revera enim fidei symbolum ex semetipso est veluti clavis quædam, qua cœlum aperitur. Quis autem est, qui clavem ad aperiendum id, quod clausum est, ineptam esse nesciat, nisi manibus tractetur, et seræ clausæ applicetur? Eodem modo ad aperiendam æternæ salutis viam nihil prodest fides, nisi bonis operibus associetur. S. AMBR. S. *de Jej. Eliæ.*

Observandum est, quod divinus amator sponsæ suæ effigiem delineare volens; ita eam describat: « Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est inter eas. » Septuaginta legunt: « Quæ omnes geminantes, et infecunda non est in eis. » Notandum vero est, quod Sponsus dicat: « Quæ ascendunt de lavacro, » quibus verbis ad Baptismum manifeste alludit, sive ad illos, qui recenter facti sunt Christiani; nam, ut Sanctus Bernardus ait, lavacrum Baptismus est, de quo ascendit, qui ad celsitudinem vitæ perfectioris intendit; descendit autem, qui se vitæ mancipat inhonestæ; *omnes gemellis fœtibus*, quia et verbo pariunt, et exemplo; *et sterilis non est in eis*, quia nullus est infecundus. MANSI, disc. VII, n. 11.

Fortis illa mulier, cujus apud Sapientem fit mentio, Ecclesiam, quæ unice dilecta Christi sponsa est, præfigurabat; de hac autem a Sapiente dicitur, « Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus. » Quem textum Rabanus in favorem nostrum his verbis declarat: Induti sunt veste duplici, una operis, alia mentis, fidei habentes factorumque velamina, et Sacramentis videlicet sui Redemptoris imbuti et informati exemplis. Ib. disc. VIII, n. 10.

Evangelii sequaces aliquandiu a Judæis Nazareni fuere appellati, quod nomen a Christo in Nazareth concepto suam trahebat originem, de quo scribitur: « *Nazaræus* vocabitur, » quod idem est ac *floridus*; ad denotandum, quod, sicut flores suam spirant boni odoris fragrantiam, ita quoque sequaces Christi exemplares esse, bonique nominis odorem et fragrantiam edere debent, ut veri Christiani esse agnoscantur. Unde Apostolus dicebat: « Odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, qui Christi bonus odor sumus in eis, qui salvi fiunt. » Ecclesia quoque domus Jacob appellatur. Unde Archangelus de Christo ait: « Regnabit in domo Jacob, » ac proinde hæreditario titulo illam possidet exemplaritatem, de qua Isaac senioculus ait: « Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus. » Ib. disc. IX, n. 4.

Apostolus ad Romanos ita scribit: « Dico, per gratiam, quæ data est mihi, omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere,

quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. » Quæ verba S. Anselmus ad intentum nostrum sequenti illustrat discursu, dicens : « Dico vobis, » id est, præcipio, ne inscrutabilia ejus arcana discutere præsumatis. Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, id est, per Apostolatum gratis mihi datum, omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere, id est, non plus investigare de mysteriis, quam oportet sapere. Non tamen propterea omnis inhibita est hujusmodi inquisitio, sed limitata dumtaxat, et in finem convenientem, licitumque indulta ; id quod idem S. Anselmus his verbis docet : Non plus sapere, id est, non plus inquirere de occultis Dei, quam oportet, id est, quam ad fidem et religiosos mores pertinet, sed sapere ad sobrietatem, ut mens eorum non inebrietur, ut sensum perdat nimietate sapientiæ, dum in his, quæ supra vires humanæ rationis sunt se immerserit, sed moderatio intelligentiæ poculo sobria sit. S. Ans. *in* c. XII *Rom.*

Eamdem doctrinam Salomon confirmans, mellis nimium sumpti adducit similitudinem, inquiens : Sicut, qui mel multum comedit, non est ei bonum; sic qui scrutator est Majestatis etc. quæ verba a S. Gregorio ita ad nostrum invenio explicata intentum : Dulcedo mellis, si plus quam necesse est sumitur, unde delectatur os, inde vita comedentis necatur; dulcis etiam est inquisitio Majestatis Dei, sed qui plus illam scrutari appetit, quam humana cognitio permittit, hunc ipsa ejus gloria opprimit, quia, velut immoderate mel sumptum, ita perscrutantis sensum, dum non capitur, rumpit. Debitam itaque hoc in exercitio et contemplatione a nobis observandam mensuram a S. Basilio discamus dicente : Quæ concernunt, diligenter discat, et sapiat, nihil amplius per curiositatem investigans, quasi diceret : In tantum secreta fidei nostræ mysteria investigare licitum esse, in quantum ex iis fructum in ordine ad bonos mores haurire possumus, non ut nostrum satiemus intellectum. Atque hanc ob causam homines minus scientifici et studiosi, sed præ reliquis devoti et spirituales, ad divinorum mysteriorum intelligentiam vel maxime sunt dispositi, siquidem cognovit bos possessorem suum ; simplices magis, quam ingenia alta et perspicacia, suum valent et solent submittere judicium. S. Greg. l. XIV *Mor.* c. XXIX.

Jehu, ad Regnum Israel assumptus, impiamque Achabi stirpem extirpare volens, Jonadab belli ducem ingenti comitatu stipatum, raraque experientia præditum virum, obvium habuit ; quia vero, quam is factionem sustineret, ignorabat, interrogavit eum, et dixit : « Numquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo ? » Qui cum affirmaret, seque partium Jehu sectatorem esse dixisset, subjunxit Rex, dicens : « Si ita est, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum suam, at ille levavit eum ad se in currum. » Noster quoque Salvator, qui inimicum infernalem debellaturus venerat, quoniam ipso præsente, princeps mundi hujus ejicietur foras, a nobis pariter, an sequaces ejus esse, legemque ipsius profiteri velimus, intelligere desiderat ; cui si nos affirmative responderimus, nostram illico postulat manum, id est, dignis nos operibus fidei correspondere jubet : « Da manum tuam. » Tuncque certo sperare poterimus, nos in currum ejus, ut cœlum conscendamus, elevandos. Mansi, disc. IV, n. 9.

Necessitas. — Naas Ammonita bellum indixit iis, qui Jabes Galaad inhabitabant, qui se in angustiis constitutos videntes, pacis tractatu dissensionem terminandam censuerunt, dicentes : « Habete nos fœderatos, et serviemus tibi. » Quibus superbus ille : « In hoc feriam vobiscum fœdus, respondit, ut eruam omnium vestrum oculos dextros. » Circa quam historiam vos ego interrogo, an non, amisso oculo solo dextro, pristinas vires, eumdem virorum numerum, priores provisiones sibi reservassent et munitiones ? Ita equidem ; ast oculi dextri carentia eos ad conflictum constituebat inidoneos, eo namque destituti, in obscuro, et velut cæci in tenebris, præliari debuissent, si quidem oculum sinistrum scutum cooperiebat. Quæ omnia in figura contingebant illis. Ideoque S. Bonaventura fidem oculo dextro assimilans, dictam historiam moraliter ita ad propositum nostrum adducit, dicens : Scutum operit sinistrum oculum, et sic, qui non habet fidem, inutilis est ad pugnam spiritualem. Naas interpretatur *serpens*, signatque serpentem antiquum, id est, Diabolum, qui nititur eruere oculum dextrum, id est, fidem, ut ad bellum spirituale hominem reddat inutilem. Ib. n. 3.

Æquitas. — Aristoteles, lib. I. *Rhetoricæ*, aliquem verum dicere, tribus potissimum rationibus credi posse, dicit : Nimirum si

talis sapiens, virtuosus et amicus fuerit, si enim sapiens fuerit, de illo confidenter supponimus, quod non erret per ignorantiam; si vero fuerit virtuosus, illum mendacium penitus abominari æstimamus; si denique amicus fuerit, de illo audacter confidimus, quod nos solita confidentia non sit defraudaturus. Jam vero legatis obsecro omnes illos, qui de fidei nostræ dogmatibus hactenus libros conscripserunt, certique estote, quod in illis summam vitæ sanctitatem, sapientiam admirabilem, sincerumque veræ amicitiæ amorem deprehendetis; quos proinde nos decepisse, ne suspicari quidem possumus. Quis enim de S. Gregorio, D. Chrysostomo, Sancto Gregorio Nazianzeno, S. Thoma de Aquino, Doctore Angelico, id suspicari audebit? Et sic de aliis discurrere licebit, quorum multi præter assidua litterarum studia, insuper dono prophetiæ, revelationibusque et apparitionibus cœlestibus, a Deo fuere illustrati. Ib. disc. XVI, n. 6.

UTILITAS. — Christus Petro divinitatem ejus profitenti : « Beatus es, inquit, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. » Ita enim beatus quicumque Christianus, si modo fidelis, si Simon, id est, obediens, atque in captivitatem redigens intellectum in obsequium Christi, si Bar-Jona, filius columbæ, Ecclesiæ; beatus ergo quicumque est ejusmodi, sicut *beati* omnes, *qui non viderunt, et crediderunt! Pædag. Christ.* p. II, c. XXII.

FIRMITAS. — Aptissime proposito nostro inservit observatio quædam, quam in Annalibus Ecclesiasticis facit Eminentissimus Cardinalis Baronius, quod scilicet incarnata Sapientia Petro dixerit : « Tu vocaberis *Cephas*, » ubi in lingua quidem Syriaca est Cephas, sed in latino legitur *Petrus*. Et licet neutra ex hisce dictionibus, qualis sit petra, sufficienter exprimat, non tamen quamlibet petram illum esse dixit, sed quæ sit omnium durissima, nempe cautem. Nimirum hic Apostolorum Princeps instar cautis, omnibus se exurgentibus procellis opponere debebat, quæ in progressu sæculorum Ecclesiæ naviculam adorituræ erant, ac proinde pro corpore emblematis assumptus fuit scopulus seu cautes marina, quæ procellosas maris undas robore suo frangit, cum tamen ipsa minime fracta stabiliter perseveret, cum hac emblemati subjuncta sententia : « *Frangit, non frangitur.* » Unde D. Chrysostomus ait : Supra Petram statutus est fidelis, propterea et undarum ictibus inexpugnabilis est. Idipsum diebus nostris sæpius accidisse novimus, et ad finem usque mundi infallibiliter eveniet. Ad hunc scopulum, ad hanc fidei Catholicæ Romanæ petram, omnes persecutionum a Paganis, Mahometanis, Hæreticis, Schismaticis, aliisque ejusdem farinæ fæcibus motarum, unde allidentes, confractæ semper fuerunt, et dissipatæ; nam, ut in lib. II Esdræ dicitur : « Super omnia vincit veritas. » Et S. Joannes ait : « Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. » MANSI, disc. XVIII, num. 2.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Servus Abrahæ inaures ad ornandam Rebeccæ, sponsæ domini sui, faciem suspendit, et armillas posuit in manibus ejus; ut per hoc significaretur, non solam fidem quæ per inaures significatur, sufficere ad animæ pulchritudinem, sed etiam armillas, id est, opera, velut manuum ornamenta, necessaria esse.

Plinius senior dum incendium montis Vesuvii in Campania indagare voluit, erumpente interim flamma, et igneum quasi fluvium evomente, ab eodem oppressus et suffocatus est. Sic scrutator Majestatis opprimetur a gloria.

NECESSITAS. — Meliora sunt ubera tua vino, dicit Sponsus ad Sponsam, quia fides, quæ per lac uberum significatur, eo quod (sicut lac oculis clausis sugitur, aut certo non videtur; ita et ipsa sine ulteriori examine assentiatur articulis fidei) præstantior, gratiorque est Deo quam scientia, per vinum, quod videtur, dum bibitur, significata.

Pharao clamanti populo dixit : Ite ad Joseph, et quidquid dixerit vobis, facite. GEN. XLI, 55. Non ergo satis est ad verum Joseph Christum per fidem ire, nisi etiam id, quod ille præceperit, executioni mandetur; neque enim solum credentibus, sed etiam obedientibus sibi, causa salutis æternæ factus est, teste Apostolo. HEB. V, 9.

Olim præcepit Deus primogenitum ovis cum vellere offerri intonso, (DEUT. XV, 9;) ut significaret, non sufficere fidem, quæ inter virtutes est primogenita, sed etiam opera fidei inhærentia esse jungenda.

Professio Fidei.

Germani eos, qui a castris discedebant, suspendio olim damnabant; Xerxes in crucem adigebat; Athenienses abscisso pollice, faciem candenti ferro dispungebant; a Scipione Africano bestiæ; a Ludovico Imperatore oculorum effossio; ab Henrico VII Imperatore membrorum per equos distractio decernebatur. Quid Christus faciet a sua fide, velut vexillo discedentibus?

Pythagoræis satis erat Magistri sui auctoritas, ita ut pro fortissimo assensus sui motivo non horrerent illa sola verba: « Ipse dixit, » allegare. Cur auctoritas supremæ et infallibilis veritatis tantum roboris apud Christianos non habeat?

Martyrum, qui sanguinis effusione fidem professi sunt, tanta est multitudo, ut S. Hieronymus dicit, non esse diem per annum (exceptis Calendis Januarii, in quibus Gentiles religione aliqua ducti, sanguinem non effundebant) in quo non posset numerus quinque millium (alii plura numerant) et ultra adscribi Martyrum. (*In quadam epist.*) Scribanius non horruit dicere in novo Testamento plures fuisse occisos Martyres, quam pecora in antiquo. (*In Christo patiente.*) Una Roma spectavit plura, quam trecenta millia Martyrum, quorum centum octoginta millium sacras exuvias servat Callisti Cœmeterium. Ex summis Pontificibus viginti septem continuata serie numerantur, qui pro fide mortem oppetierunt. Bozius *de signis Ec.* l. VII, Signum. XIX, c. V, n. 3 et 4. Sub Sapore Rege uno tempore sexdecim millia. Sub Diocletiano viginti millia in templo, tanquam ara una occisa sunt. Ægyptus sub Maximiniano centum quadraginta octo millia dedit. Sed et nostro hoc sæculo in Japonia, ab anno 1612 usque ad 1637, plures octingentis occisi sunt. *Pædag. Christ.* p. II, c. XXIII, § 4.

Tertullianus de Hæreticorum miraculis sic scribit: Agnosco maximam virtutem Hæreticorum, quia Apostolos perversum in modum æmulantur; illi enim de mortuis vivos suscitabant, isti de vivis mortuos faciunt. Lib. *de Præscript. Hær.* Sic Baronius scribit, Episcopum quemdam Arianum 40 aureos cuidam dedisse, ut se cæcum fingeret, opemque ab eo exposceret; sed dum hoc facit, revera excæcatum esse. *Annal.* tom. VII, an. 385. Simile quid S. Gregorius Turonensis de Cirola Episcopo Ariano narrat, qui tamen ob id Catholicus factus, cum ad Catholicorum opem confugisset, audivissetque: Si credis, omnia sunt possibilia credenti, facta super oculos cæci cruce, dicensque: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti veri Dei, quem trinum in uno æqualitate confitentur Catholici, aperi oculos; curavit eumdem, visumque restituit. *De gloria Conf.* c. XII et XIX.

M. Joannes Avila dicebat, plerosque homines altero duorum carcerum dignos esse, scilicet inquisitionis, si non crederent, aut stultorum, si crederent, et non juxta ea, quæ credunt, vivant. Gasp. Tausch. *in Matre doloros.* l. II, c. I.

Utilitas. — Ecclesiasticus Sapientiam cœlestem sic loquentem introducit: Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiæ. Eccl. II, 27. Quæ verba non male a Stapletono fidei virtuti accommodantur. Ut enim terebinthus, quæ in Syria et Palæstina crescit, excelsa admodum arbor est, pyramidis in modum fastigio desinens, frondosa valde et perpetuo viridis, ita ut pari latitudine et ambitu frondes excrescant, nec quidquam inæquale cernatur; ita fides solum, quæ sursum sunt, sapit et quærit, et frondes, id est, opera gratiæ divinæ multum meritoria, multumque etiam hominibus accepta producit, sub quibus animæ sanctæ suaviter requiescunt. *Dom.* 6, *post Epiph.* them. 2.

S. Augustinus dicit, fidem esse *Radicem* omnis bonæ actionis; *Oculum*, quo sanctæ actiones in Deum dirigantur; *Gubernaculum*, quo voluntatis nostræ navicula ad portum charitatis appellit. Apud Penneq. l. I, c. II, *Isagog.*

AUCTORES.

Pædagogus Christianus Philippi d'Outreman. p. II, c. XXIII.

Petrus Canisius, *in opere Catechetico majori*, c. I.

Ludovicus Granatensis, *in suo Catechismo in Symbolum fidei*, lib. 2 toto.

P. Bernardinus Rosignolius, *de Disciplina Christianæ perfect.* l. III, c. IV.

Ludovicus de Ponte, tom. I, *de Perfect.* tract. I, c. VII, VIII, IX.

Gasparus Tausch, *in Matre dolorosa*, l. II, c. I.

Joannes Busæus, *in Viridario*, V. Fides.

Nicolaus Causinus, *in Aula sancta*, lib. III, c. IV.

Jeremias Drexelius, *in Rosis selectis*, p. I, c. IV.

Petrus Sanchez, *in Regno Dei*, p. IV, c. III.

Petrus Pennequin, *in Isagog.* l. I, c. I et II.

Joseph. Mansi, *Bib. mor.* tr. XXIX.

FORMA.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est recta membrorum proportio, decenti colore superfusa. Velut Cicero vult, est apta figura membrorum coloris quadam suavitate. CIC. IV, *Tusc.*

Unde tria, juxta aliquos, requiruntur ad Formam. 1. Integritas membrorum. 2. Eorumdem inter se conveniens proportio. 3. Colorum, rubicundi præcipue et albi, grata et amœna permixtio.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Fallax gratia, et vana est pulchritudo. Mulier timens Deum ipsa laudabitur. PROV. XXXI, 30.

Non laudes virum in specie sua; neque spernas hominem in visu suo. ECCL. XI, 2.

Quorum si specie delectati, deos putaverunt, sciant, quanto his dominator eorum speciosior est, speciei enim generator hæc omnia constituit. SAP. XIII, 3.

UTILITAS. — Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. PS. XLI, 5.

DAMNUM. — Non concupiscat pulchritudinem ejus (mulieris) cor tuum, ne capiaris nutibus illius. PR. VI, 25.

Ne circumspicias speciem alienam; propter speciem mulieris multi perierunt, et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. EC. IX, 8.

Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt. Ibid. 17.

Species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum. DAN. XIII, 55.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Pulchritudo corporis, bonum Dei donum est; sed propterea id etiam largitur malis, ne malum bonum videatur bonis. S. AUG. l. XV *de Civit. Dei.*

Cur tu vultus pulchritudinem magis in conjuge, quam morum requiras? Placeat uxor honestate magis, quam pulchritudine; illa eligatur, quæ Saram referat. S. AMB. l. I *de Virg.*

Non possumus reprehendere divini Artificis opus, sed quem delectat corporis pulchritudo, multo magis delectet illa venustas, quæ ad imaginem Dei intus est. Ibid.

Pulchritudo corporis et senectus in uno habitare non possunt. S. AUGUST.

Pulchritudo bonum Dei donum, nostro abusu fit malum. Id. l. II *de Nupt.* c. III.

Decor animæ duplex, innocentia et humilitas. S. BERN. *super Cant.* serm. XXV.

Ornatum corporis Sancti contemunt, solum animæ decorem quærentes. Id. ibid. serm. XXVI.

DAMNUM. — Audivi multos dicentes, quod multi etiam apud lapides et statuas (formosas) aliquid passi sint. Quod si tantum valuit dura effigies, quantam operabitur insaniam in effigie pulchra tenerum corpus? S. CHRYS. s. *contra Concubin.*

Semel species formæ cordi per oculos colligata, vix magni luctaminis manu solvitur. S. HIERON. in cap. III.

Pulchritudo etiam robustos homines plerumque subigit. THREN.

Aspectus formosorum adeo est potens, ut ferrum, virtutemque molliat. S. ISIDOR. PEL. l. II, ep. CCXXXVI.

Plerumque in adolescentium corporibus nescio, quo modo ætati illi naturalis coloris decor quidam efflorescit, in quem qui inspexerint, ii libidinum plerumque stimulis solent permoveri. S. PROSP. l. II *de Promiss.* c. XII.

Si vir vel mulier se ornaverit, et vultus hominum ad se procuraverit, etsi nullum inde sequatur damnum, judicium tamen patietur æternum, quia venenum attulit, si fuisset qui biberet. S. BASIL. ap. Lanzic. opusc. II, c. II.

Delet picturam Dei mulier, quæ vultum suum materiali candore obliniat, quæ exquisito candore perfundit. S. HIER. *in Epist.* S. AMBR. *in Hep.*

EXEMPLA.

Christus tanta pulchritudine præditus fuisse dicitur, ut, qui eum in terris commorantem vel unico momento intuebatur, amore ejus totus incensus, omnibus spretis traheretur. Engelg. *in Festo Epiphan.*

B. Virginis tanta erat in vultu majestas et decor, ut S. Dionysius Areopagita confessus sit, se eam pro Dea habiturum fuisse, nisi per Catholicam fidem, unicum dumtaxat Deum esse, didicisset. *S. Dion. Vita.*

Rebecca tam excellenti erat specie prædita, ut Isaac sponsus illius, dolorem, quem ex morte matris maximum sane acceperat, per illius desponsationem temperaret. Gen. xxiv, 67.

De Absalone testatur sacra pagina: Porro sicut Absalon vir non erat pulcher in omni Israel, et decorus nimis; a vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula. Et quando tondebat capillum, ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico. II Reg. xiv, 25.

Judith tantum a Deo splendorem obtinuit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret. Judith x, 4.

Esther erat formosa valde, et incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur. Et adamavit eam Assuerus plus, quam omnes mulieres. Esther. ii, 15.

Joanna Lusitaniæ Princeps, filia Alphonsi Regis, tam formosa erat, ut miraculum pulchritudinis passim vocaretur, multique Principes suos pictores mitterent, qui eam depingerent, qui tamen ipsi licet artis suæ peritissimi, fatebantur, nulla artis industria Joannæ venustatem posse adæquari. Feruntque Ludovicum XI, Galliæ Regem, ubi effigiem ejus vidit, in genua provolutum, Deo grates egisse, quod tam formosam in terris divinæ pulchritudinis imaginem licuisset intueri. Engelg. in *Festo S. Dorot.* § 2.

Formæ defœdatio et contemptus.

Lucia virgo, S. Dominici alumna, cum a viro nobili ob oculos se tantopere amari audivisset, ambos eruit, et amasio mittens, effecit, ut oculos suos vanitati clauserit, et veritati aperuerit. Id. *in festo S. Joseph*, § 1.

S. Brigitta, inter Scotiæ puellas pulcherrima, cum a mille procis ad nuptias expeti se adverteret, Deum rogavit, ut aliquo corporis vitio formam fœdaret, effecitque, ut mox, unum oculum perdiderit fœdo ulcere percussum. Ibid.

Angela de Trinitate, Carmelitana, cum ob formam a variis expeteretur, faciem aqua imbutam soli exposuit, ut a sole nigredinem contraheret. Ibidem.

Francisca Guldel, Sanctimonialis, cum e supellectili sacra Phrygioni concinnandum quidpiam tradens advertisset, eum ad niveas manus suas intentum obstupescere, non destitit prius manus piceo liquore perfundere, quam pici reddidisset simillimas. Ibidem.

S. Liberata seu Wilgefortis Regis, Lusitaniæ filia, cum matre mortua, patrem sensit in suam formam ardere, barbam a Deo precibus impetravit, dirisque ideo tormentis excarnificata et in crucem affixa est. Ibid.

EXEMPLA PROFANA.

Qualitas. — Etsi Xerxes in suo exercitu habuerit quinquagies bis centum octoginta tria millia hominum, ex omnibus tamen ille et staturæ proceritate, et formæ venustate præstantissimus fuit. Herodot. *apud Beirlinck.* V. *Forma.*

Augustus Cæsar per omnes ætatis gradus tam amabili vultus venustate præditus erat, ut quidam e primoribus Galliæ, qui eum in transitu Alpium per simulationem colloquii præcipitare volebat, solo ejus aspectu a facinore se absterritum fateretur. Ibidem.

Maximinus junior tam amœna fuit facie, ut caput ejus etiam post mortem pulcherrimum videretur. Ibidem.

Sisigambis, uxor Darii, nulli ætatis suæ feminæ pulchritudine cessit, teste Curtio, quam tamen Alexander, victo Dario, non solum non violavit, sed et ne quis alius illi illuderet, summam curam adhibuit. Ibidem.

Suavilda, Regina Daniæ, tantæ fuit pulchritudinis, ut cum vincta loris exposita esset equinis calcibus conculcanda, ipsamet jumenta horrorem conceperint, atque ab ea calcanda abstinuerint. Ibidem.

Pythagoras Philosophus tam formosus fuit, ut illum discipuli opinarentur Apollinem esse, qui ex Hyperboreis venisset. Cum nudatus aliquando esset, femur ejus aureum apparuisse fama est. Laert.

Uxor Ageti Lacedæmonii, Alcidis filia, quam postea duxit Rex Ariston, speciosissima fuit, ex turpissima talis facta. Her. l. VI.

P. Scipio Africanus major formæ dignitate Barbaris in Hispania admirationi fuit. Plutarc.

Turnus a forma multum commendatur a Virgilio dicente.

Perit ante alios pulcherrimus omnes
Turnus avis atavisque potens.
Virgil. l. III *Amid.*

Phædrus Æliensis, Socrati Platonique familiaris et dialecticus, cujus liber inscribitur περὶ τοῦ κωδοῦ, puer forma præstanti a Lenone domino ad merendum coactus, et ab Alcibiade redemptus Philosophiæ traditus est. Gell. l. II, cap. viii.

Galeta, formosissimus adolescens, ob pulchritudinem, et animo insitas quasdam virtutes a Ptolomæo, Rege Ægyptiorum, amatus est. Ælian. *de Var. Hist.* lib. I.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut formosa pictura est, cujus nulla pars errat; sic et formosus homo est, in quo nulla macula, vel defectus reperitur. Senec. *in Prov.*

Sicut fimum nemo conscius amat, etsi candidissima nive coopertus sit ; ita nec corpus formosum magni faciendum, cum nihil aliud sit, quam fimi spectaculum candida cute coopertum.

Damnum. — Sicut ignis, ubi fœnum corripuit, nihil moratur, sed simul, ut attigit materiam, accendit flammam ; sic ignis concupiscentiæ simul atque per oculorum intuitum elegantem attigerit formam, protinus exurit animum. S. Chrys. hom. III *de Ver. Is.*

Sicut Tyranni insidias et potentiam omnes oderunt, et studiose declinant; ita et pulchritudinem, quam Socrates modici temporis tyrannidem appellabat, merito odisse et declinare oportet.

ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ Asceta de hac materia nosse oportet. Primum est, ut non magnifaciat corporalem pulchritudinem, juxta monitum illud Virgilii.

O formose puer, nimium ne crede colori,
Alba ligura cadunt, vaccinia nigra leguntur.
Virgil. in *Bucol.*

Sed et illud Ovidii observet.

Sint procul a nobis juvenes, ut femina compti ;
Fine coli modico forma virilis amat.
Ov. in ep. *Phæd.*

Qualis autem sit ille finis, pulchre alibi ostendit his versibus :

Forma viros neglecta decet : Minoida Theseus
Abstulit a nulla tempora comptus acu.
Hippolytum Phœdra, nec erat bene comptus, amavit.
Cura Deæ silvis aptus Adonis erat.
Mundities placeant, fuscentur corpora campo,
Sit bene conveniens, et sine labe toga.
Linguaque nec rigeat, careant rubigine dentes,
Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.
Nec male deformet rigidos tonsura capillos,
Sit coma, sit docta barba resecta manu.
Et nihil emineant et sint sine sordibus ungues,
Inque cava nullus stet tibi nare pilus.
Nec male odorati sit tristis anhelitus oris,
Nec lædat nares, virque, paterque gregis.
Cætera lascivæ faciant, concede, puellæ,
Et si quis male vir quærat habere virum.
Id. l. V *de Arte amandi.*

Alterum est, ut animæ pulchritudinem præcipue curet, utpote quæ suavior longe, certiorque sit, quam corporis, et quam nec dies longa deterrere, nec moribus extinguere, nec mors ipsa auferre queat. Hinc Diogenes formosum adolescentem formæ gratia amari conspicatus, dixit : Quin operam das, adolescens, ut corporis amatores ad animam transferas ! Sed et Socrates discipulis suis suasit, ut speculum inspicerent, et, si quidem pulchri sibi viderentur, caverent, ne dignitatem corporis malis moribus defœdarent ; sin autem se deformes aspicerent, turpitudinem suam virtutis laude tegere studerent. Apuleius, *lib.* I *de Magia.*

Tertium est, ut a formosarum facierum aspectu præcipue abstinendum credat, uti jam olim Christus S. Brigittæ indicavit, dum dixit, datum esse homini visum, tamquam bonum speculatorem, qui discernat inter hostes venientes, et amicos. Tunc autem veniunt hostes, quando oculi desiderant videre pulchras facies. Sed et B. Virgo eamdem docuit, inter res detestandas esse, si quis concupiscat videre pulchras facies. Certe S. Thomas Aquinas oculos ab aspectu formosorum vultuum tam sollicite avertebat, quam alii a scorpionibus et viperis fugere solent. Et S. Macarius volebat Monachos de cella

fugere, si in ea pueros formosos viderent. Lanciz. *opusc.* II, c. II, 283.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Recte de forma cecinit Ovidius :

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad [annos,
Fit minor, et spatio carpitur ipsa suo !
Ovid. l. II, *de Art. amandi.*

Et similiter Seneca :

Anceps forma bonum mortalibus,
Exigui donum breve temporis ;
Ut velox celeri pede laberis.
Ut fulgor teneris qui radiat genis,
Momento rapitur, nullaque non dies
Formosi spolium corporis abstulit.
Res est forma fugax.
Senec. *in Hippol.*

Cunctis ex qualitatibus, quæ mortali corpore fugiunt nulla velocior, quam forma, quæ mox, ut amœnum flosculum ostenderit, ipsos inter oculos mirantium atque laudantium evanescit, brevis hunc pruina percusserit, levis hunc aura decusserit, subito vel inimicæ manus ungue decerpitur, vel prætereuntis morbi calce deprimitur. Petrarch. *Dial.* c. XIII.

Domitianus amico scribens : Scias, inquit, nec gratius quidquam decore, nec brevius ; quamvis, etiamsi durabile, perpetuumque naturæ donum esset, non intelligo, quod tantopere expetendum habeat iste non solidus, nec in ipso homine, nisi superficie tenus fulgens decor, multaque fœda contegens, et horrenda, lævissimæque cutis obtentu sensibus blandiens et illudens. Ibidem.

Plato formam naturæ privilegium vocavit, eo quod paucis obtingat. Langius, *in Polyan.*

Carneades interrogatus, quid forma hominis esset ? regnum sine satellitio, respondit, quia formosi impetrant, quid volunt, nulla vi adhibita. *V. eodem.* Ibid.

Isocrates eos, qui pulchrum habent corpus, animam autem fœdam, dicebat, optimam habere navim, gubernatorem autem malum. Ibid.

Quid excolis formam ? inquit Seneca. Cum omnia feceris, a multis animalibus decore vinceris. Senec. ep. CXXV.

Diogenes, cum vidisset quemdam decora facie, et moribus inhonestum, ait : O quam bona domus, et malus hospes ! Laert. *de vit. Phil.*

Aristoteles quæsitus, cur, quæ pulchra sunt, amarentur ? cæci hanc interrogationem, dixit, esse. Stob. s. LXIII.

Cicero dixit cum forma idem fieri, quod cum floribus, qui tamdiu grati, quamdiu recentes sunt. Engelgr. *Domin.* 2, *Epiph.* § 2.

Hinc non male Juvenalis :

Si verum excutias, facies, non uxor amatur.
Tres rugæ subeant, et cutis arida laxet,
Fiant obscuri dentes, oculique minores,
Collige sarcinulas, dicet Libertus, et exi :
Jam gravis es nobis.

Si, ut ait Aristoteles, homines lynceis oculis uterentur, et obstantia visu penetrarent, nonne introspectis visceribus illud Alcibiadis pulcherrimum corpus turpissimum videbitur ; igitur te pulchrum videri, non tua natura, sed oculorum spectantium reddit infirmitas. Boet. l. III, *prof.* VIII *de Consol.*

S. Bernardinus scribit, puellam deformem, nanam, gibbosam fuisse, quæ cothurnis, aliisque ornamentis ita personam immutarat, ut in conjugem a viro nobili sit adlecta. Verum dum sub vesperam se exuit, maritus eam breviorem intuitus, et ingeniculare ratus, cum assurgere jussisset, nanam, gibbosam, luscam, edentulam reperit. S. Bernardinus, s. XXXVI.

Utilitas. — Zeno dicebat, vocem esse formæ florem ; nam loquentis orationem commendat forma, et rursus oratio composita gratiam addit formæ.

Aristoteles dicebat, pulchritudinem quavis epistola ad commendationem esse efficaciorem. Hinc et Regina quæpiam adolescenti formoso litteras commendatitias petenti dixit : Vade, et faciem tuam ostende, et litteris commendatitiis non indigebis. Idem l. V, cap. I.

Damnum. — Non male cecinit Ovidius

Fastus inest pulchris, sequitur que superbia formam.
Ovid. I. *Fast.*

Habes (per formam) velum oculis, laqueum pedibus, alis viscum, haud facile seu vera discernere, seu virtutem sequi poteris, seu in altum evolare animo ; multos ad honesta pergentes forma detinuit, detorsitque contrariam in partem. Habes hostem tuum domi (quodque pejus est) delectabilem ac blandum. Habes raptorem quietis et tempo-

ris, perpetuumque tortorem. Habes materiam laboris, uberrimam discriminum causam, fomenta libidinum, nec minorem quærendi odii, quam amoris aditum. PETRARCH. *Dial.* II.

Theophrastus dicebat, pulchritudinem nihil aliud esse, quam tacitam deceptionem, aut silentem fraudem, quod absque verbis persuadeat.

Quantum periculum subsit formæ, non male explicavit Juvenalis, dum dixit.

Filius autem
Corporis egregii, miseros trepidosque parentes
Semper habet, rara est adeo concordia formæ,
Atque pudicitiæ. JUVEN. *Sat.* X.

AXIOMATA.

Gratior est pulchro veniens in corpore virtus.

Pulchrorum etiam Autumnus pulcher est.

Simia est simia, etsi aurea portet insignia.

AUCTORES.

Nicolaus Lancizius, opusc. 2, c. 2, n. 279.

Henricus Engelgrave, *Dom.* 2 *post Epiphan.* § 3.

Laurentius Beirlinck, V. eodem, *in Theatro vitæ humanæ.*

Josephus Langius, *in Polyant.* V. eod.

Franciscus Petrarcha, Dialog. 2, *de Remediis fortunæ.*

FORTITUDO.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO.—Fortituto est virtus animi, qua labores, mortisque pericula et aliæ occurrentes difficultates constanter suscipiuntur, et perferuntur. Vel, ut breviter S. Augustinus definit, est considerata periculorum susceptio, et laborum perpessio. Lib. LXXXIII. Aristoteles dixit, esse mediocritatem circa metum et audaciam; (III *Eth.* c. VI), nam qui vere fortis est, nec temere audet, nec inconsulto timet, teste S. Augustino; hinc alibi viam regiam vocat, a qua declinat ad dexteram, qui temerarius est et pertinax; ad sinistram, qui formidolosus est ac timidus. *Super Psalm.* I.

Hinc etiam fortitudo plerumque viris magis, quam mulieribus convenire censetur, quia, ut bene Cassiodorus advertit, vir vocatur a viribus, qui nescit in adversis, tolerando deficere, aut in prosperis aliqua elatione se jactare, sed animo stabili defixus, et cœlestium rerum contemplatione firmatus, manet semper impavidus.

DIVISIO. — Fortitudo Justorum velut in partes potentiales (quidquid neget Theophilus Raynaudus, contendens, fortitudinem esse atomam speciem, non divisibilem in alias species) juxta S. Thomam et alios communiter, subdividitur in *Magnanimitatem,* qua magna opera et eximio honore dignissima propter finem virtutis aggredimur, ipsum vero honorem nobis denegatum non ambimus, et oblatum contemnimus; *Securitatem,* qua pacate et tranquille magna opera virtutis aggredimur, et timorem anxietatemque errandi, præpostere agendi, et finem non assequendi contemnimus; *Magnificentiam,* qua ob Dei honorem in magnis et utilissimis operibus magnos sumptus facimus, et ingentem vim pecuniæ profundimus; *Patientiam,* qua mala hujus sæculi æquo animo sustinemus, de qua plura infra suo loco dicentur; *Longanimitatem,* qua per longum tempus molestias corporis et animi ariditates sustinemus, et malorum remedium, ac felicitatis adventum, diu dilata æquo animo ac firma in Deum fiducia a Deo speramus; *Perseverantiam,* qua molestiam ex rei laboriosæ diuturnitate provenientem superamus, de qua itidem plura suo loco; *Constantiam,* qua impedimenta virtutis vel ex ipsa humani cordis mobilitate, vel ex causis extrinsecis provenientia vincimus.

ACTUS. — Actus præcipui hujus virtutis, juxta Jacobum Alvarez, sunt sequentes. 1. Pericula mortis et ipsam mortem intrepide sustinere; maxime in causa fidei, quo in casu hic actus *martyrium* vocatur. 2. Quælibet alia pericula propter defensionem virtutis fortiter tolerare. 3. Mentem in adversis et prosperis ita roborare, ut neque in illis vincatur, neque in his extollatur, et a virtutis semita abducatur. 4. Tentationes Dæmonis intrepide sustinere, et fortiter rejicere. 5. Ardua quæque cum magna in Deum fiducia aggredi. 6. Mentis tranquillitatem in adversis casibus retinere. 7. Pericula vi-

res nostras excedentia, sine anxietate vitare. 8. Seipsum generose vincere.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Fortitudo mea, et laus mea Dominus. Exod. xv, 2.

Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es. Ps. lviii, 10.

Expecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. Ps. xxvi, 14.

Fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu. II Timot. ii, 1.

Domus justi plurima fortitudo, et in fructibus impii conturbatio. Prov. xv, 6.

Utilitas. — Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Luc. i, 21.

Vos ergo confortamini, et non dissolvantur manus vestræ; erit enim merces operi vestro. II Par. xv, 7.

Omnia possum in eo, qui me confortat. Philip. iv, 13.

Fugit impius nemine persequente, justus autem, quasi leo confidens, absque terrore erit. Prov. xxvi, 1.

Media. — Oculi mei semper ad Dominum; quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Ps. xxiv, 16.

Viriliter agite, et confortetur cor vestrum omnes, qui speratis in Domino. Ps. xxx, 31.

In timore Domini, fiducia fortitudinis. Prov. xiv, 26.

Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem; assument pennas ut aquilæ; current, et non laborabunt; ambulabunt, et non deficient. Is. xl, 31.

In silentio et spe erit fortitudo vestra. Is. xxx, 15.

Vigilate, state in fide, viriliter agite, confortamini; omnia vestra in charitate fiant. II Cor. xvi, 13.

Si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. viii, 31.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. — Hæc est vera fortitudo, quæ naturæ usum, sexus infirmitatem, mentis devotionem transgreditur. S. Aug. *de Vid.*

Non mediocris animi est fortitudo, quæ sola defendit ornamenta virtutum omnium, et justitiam custodit; quæ inexpiabili prælio adversus omnia vitia decertat, invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversus voluptates, ut avaritiam fugiat, tamquam labem quamdam, quæ virtutem effeminat. S. Ambr. lib. I *de Offic.*

Stultus ut luna mutatur; sapiens enim non metu frangitur, non potestate mutatur, non attollitur prosperis, non tristibus mergitur. Ubi enim sapientia, ubi virtus est, ibi constantia, ibi fortitudo. S. Ambr. in ep. *ad Simpl.*

Justi et fortis viri est, nec adversis frangi, nec prosperis sublevari, sed in utroque esse moderatum, S. Hier. *super Joel.*

Tanto unusquisque ad fortitudinem profecisse verius demonstratur, quanto aliena mala robustius tolerat; nam minus in se convaluit, quem iniquitas aliena sternit. S. Greg. l. V *Mor.*

Bonus circuitus est, si justitia quærit, prudentia invenit, fortitudo vindicat, temperantia possidet, ut sit justitia in affectu, temperantia in usu. S. Bern. in lib. *de Consid.*

Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate. Idem, *in Epist.*

Fortitudo corporis est imbecillitas animi, et rursus imbecillitas corporis est fortitudo animi. S. August. in *Origin. super Ev.*

Fortitudo atque constantia, via regia est, a qua declinat ad dexteram qui temerarius est, et pertinax, ad sinistram, qui formidolosus est et pavidus. Idem, *in Orig. sup. Isaiam.*

Fortitudo, si, nulla necessitate cogente aut non pro causa honesta, certum periculum subierit, in temeritatem convertitur. Lactant. l. VI.

Fortitudo sine justitia, iniquitatis materia est. S. Ambr. I *Offic.*

Fortitudo, quæ per bella tuetur a Barbaris patriam, vel defendit infirmos, vel a latronibus socios, plena justitia est. Ibid.

Ille magnus, ille sublimis, ille potens, atque dignus fortitudinis appelatione censendus est, qui nihil sibi vitii rebellare, aut dominari permiserit. S. Prosp. lib. III *de Vita contemplat.* c. xx.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas. — Fili, non es adhuc fortis, et prudens amator. Quare Domine? Quia propter

modicam contrarietatem deficis à cœptis, et nimis avide consolationem quæris. Fortis amator stat in tentationibus, nec callidis credit persuasionibus inimici. Sicut ei in prosperis placeo ; ita nec in adversis displiceo. L. III, c. VI.

NECESSITAS. — Fili, numquam securus es in hac vita, sed quoad vixeris, arma semper spiritualia tibi sunt necessaria. Inter hostes versaris, et a dextris, et a sinistris impugnaris, Si ergo non uteris undique scuto patientiæ, non eris diu sine vulnere. Oportet te ergo viriliter omnia pertransire, et potenti manu uti adversus objecta ; nam vincenti datur manna, et torpenti relinquitur multa miseria. L. III, c. XXXV.

UTILITAS. — Expecta Dominum, viriliter age, et confortare, noli discedere, noli diffidere, sed corpus et animam expone constanter pro gloria Dei. Ego reddam plenissime ; ego tecum ero in omni tribulatione. Ibid. § 3.

Confortare et esto robustus, tam in agendo, quam patiendo naturæ contraria. Sed pensa horum fructum laborum, celerem finem, atque præmium nimis magnum; et non habebis inde gravamen, sed fortissimum patientiæ tuæ solamen. L. III, c. XLIX, § 4 et 6.

Fili, non te frangant labores, quos assumpsisti propter me, nec tribulationes te dejiciant usquequaque. Sed mea promissio in omni eventu te roboret, et consoletur. Expecta paulisper, et videbis celerem finem malorum. L. III, c. XLVII.

DIGNITAS. — Qui semetipsum subjectum tenet, ut sensualitas rationi, et ratio in cunctis obediat mihi, hic vere victor est sui, et dominus mundi. Ibid.

EXEMPLA CATHOLICA.

Moyses audacter et constanter stetit coram Pharaone arguens eum, quia non dimittebat populum Domini. EXOD. V.

David fortissime Philistæum vicit. Item unico cum milite tentorium Saulis introivit, tulitque hastam et scutum illius. I REG. XVII.

Judith fortitudine plus quam virili Holoferni caput abscidit, populumque suum liberavit. JUDITH. X, XII, XIII.

Eleazarus dixit tortoribus suis : Fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus apparebo ; adolescentibus autem forte exempum relinquam, si prompto animo ac fortiter pro sanctissimis legibus honesta morte perfungar. II MACH. VI.

Simile fortitudinis exemplum mater Machabæorum cum septem filiis edidit. II MACH. VII.

S. Stephanus plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo. ACT. VI, 8.

S. Chrysostomus dicebat : Quidquid terroris habet mundus, contemno ; quidquid delectabile habet, rideo ; divitias non cupio, paupertatem non horreo, mortem non timeo. Hinc tanta in eo constantia adversus Eudoxiæ persecutiones.

S. Blandina virgo tam debilis erat corpore, ut vix pedibus consistere posset ; quoties tamen dicebat : Ego Christiana sum, adeo confortabatur, ut a mane usque ad vesperam fortiter dimicaret, ipsique tyranni et carnifices (quorum non pauci se convertebant) victos se fateri cogerentur, dum post tormenta semper robustiorem fieri adverterunt. D. ANTON. II, p. tit. VIII, c. VI.

Daniel, Martyr Africanus, ad Tyrannum productus dicebat : Ure, tunde, lania, idola tua non adorabimus ; quo magis nos affligis, hoc digniores vita æterna efficis. Tua sævitia nostra est gloria. Ejecti e terra, in cœlum admittimur. DREX. *in Rosis*, p. I, c. XIII, § 1.

Marcus et Marcellianus fratres a duce Fabiano grandibus clavis ad stipitem affixi, et a judice, ut resipiscerent, admoniti, constanter responderunt : Hoc qualecumque supplicium nobis est lautissimum convivium; jucundius numquam epulati sumus. In gratiam Jesu Christi etiam graviora pati minime horremus. Nunc in amore Jesu Christi fixi esse cupimus. Utinam ad supremum usque halitum hæc perferamus! Diem unum noctemque in his tormentis perdurarunt, et veluti non in cruce, sed in horto essent, hilare cantarunt. Demum jaculis confixi ad cœlum evolarunt. Ib. § 2.

De S. Vincentio M. sic loquitur S. Augustinus. Tormenta defecerant, et adhuc membra durabant. Judex ferox, tortor cruentus, Martyr invictus. Tanta grassabatur crudelitas in Martyris corpore, et tanta tranquillitas proferebatur in voce ; tanta pœnarum asperitas sæviebat in membris, et tanta securitas sonabat in verbis, ut miro modo putaremus, Vincentio patiente, alium, non lo-

quentem torqueri. Et vere, fratres, ita erat; prorsus ita erat. Caro ergo patiebatur, et spiritus loquebatur; et loquente spiritu non solum convincebatur impietas, sed etiam confortabatur infirmitas. Nam rabidi hostis, atque in Christum sævientis insaniam interritus adiit, modestus sustinuit, securus irrisit, sciens paratus esse, ut resisteret, nesciens elatus esse, quo vinceret. Ser. XII, *de Sanct.*

Carolus V, stans in acie intra vallum, cum moneretur, ut se a crebra hostium jaculatione eriperet, respondit: Canes, qui latrant, non sunt extimescendi. Neque est, quod timeatis, cum præsidio Dei satis vallati simus. FABER, *fer.* 2 *Pent.* conc. IV, n. 5.

Ludovicus Bavarus ab Alberto Marchione Brandeburgico captus, et multa cum minis postulatus, heroice respondit: Quæ poteris ex me libero impetrare, eodem modo ex capto petito. Si amplius quid voles, corpus meum in tua potestate est, animum vero mihi, non tibi obnoxium invenies. Ibidem.

Valens Imperator cum in Thraciam venisset, Constantinopoli diutissime moratus belli gerendi rationes inibat. Interea Trajanum ducem cum exercitu adversus Barbaros mittit. Qui cum victus reversus esset, convicia illi Imperator facere et exprobare mollitiem ac timiditatem cœpit. Tum ille libere, ut virum fortem decebat: Non ego sum victus, inquit, sed tu victoriam corrumpis, Imperator, qui adversus Deum aciem instruis et fortunam belli concilias Barbaris. Quia enim tu bello persequeris eum, transit ad Barbaros, quem et victoria sequitur, consequunturque eam Deo duci parentes. An te fugit, quos ab Ecclesiis exegeris, et quibus illas commiseris? Hæc ita se habere affirmabant et alii duces, Arianthæus et Victor, petebantque ab Imperatore, ne succenseret reprehensionibus conjunctis cum veritate. THEODOR. *Hist. Eccl.* l. II, c. ult.

Isdigerdes, Persarum Rex, variis tormentis frustra tentavit pugilum Martyrum fortitudinem. Inter alios fuit illustris admodum Persa, nomine Hormisda, gente Achæmenides, cujus pater præcipuas gesserat prætoras. Hunc cum Rex cognovisset esse Christianum, accersitum abnegare jubet servatorem Deum. At ille, neque justum esse, neque utile imperium Regis dicere. Nam si quis didicerit omnium rerum Dominum Deum contemnere et illum abnegare, facile ipsum etiam Regem despecturum esse, qui certe homo sit mortalis conditionis. Quod si pœna dignus habetur, o Rex, adversarius aliquis regni tui, quanto est majore dignus, qui omnium rerum factorem abnegarit? At Rex, quem æquum fuerat admiratione persequi sapientissima dicta, spoliavit illum et opibus et honore, et ducere nudum camelos, qui in exercitu essent, renone solummodo incinctum imperat. Post multos vero dies despiciens de testudine vidit optimum illum virum ustulatum solis æstu et pulvere respersum, tum recordans paterni splendoris accersi ad se indutum linea tunica mandat, ratusque cum priore malo, tum illa sua benignitate mollitum esse animum ipsius: Nunc saltem, inquit, contentionem pone et abnega Fabri filium. Sed Hormisda divino repletus fervore tunicam dirupit et abjecit cum his verbis: Si ideo me sperasti pietatem deserturum, habe tibi donum tuum una cum impietate. Hac illius visa fortitudine Rex ejicit regia nudum. THEODOR. l. V *Hist. Eccl.* c. XXIX.

Cum Archesilaus, comes Tyrannus, Ruffinam et Secundam, sorores virgines, a virginitatis palma, quam Deo consecrarant, et ab amore et cultu Christi filii Dei separare contenderet, tum Donatus ejus præfectus Secundam jubet acciri, ut Ruffina soror ejus, ipsa præsente, flagellis cæderetur. Sperabant enim sacrilegi illi, Secundam terrore prostratam ipsorum persuasionibus assensuram. Ut vidit autem Secunda Ruffinam flagellari, clamavit ad judicem: Quid agis, scelestissime, hostis Regni cœlorum? Cur sororem meam gloria afficis, me vero ejus gloriæ non pateris esse participem? Præfectus ait: Ut video, sororem in tua insania superas. Secunda respondit: Nec soror mea insana est, nec ego insanio, sed ambæ Christianæ sumus, et justum est ut simul cædamur, quæ pariter Christum Dominum confitemur. Gloria enim nominis Christiani verberum ictibus augescit, et tot conciliat coronas sempiternas, quot temporariis flagellorum ictibus pulsatur. Præfectus dixit: Hortare potius sororem tuam, ut vos ab hac injuria vindicetis, et sponsis vestris cum gloria nobilitatis vestræ restituamini. Secunda respondit: Vanis terroribus niteris et frivolis promissionibus uteris. Nobis gloria adeo comperta est, ut magis optemus occidi, quam nos vinci patiamur. Præfectus ait: Si invitis vobis erepta fuerit virginitas, quid facturæ estis cum Christo? Secunda respondit: Virginitas in corde puro exhibetur Christo

Filio Dei. Non potest virgo perdere suam integritatem, si nolit a justitia deflectere. Vis autem illata perpessionem adfert, perpessio palmas præparat. Tu in consensum nostrum arma cœpisti, ut cogeres nos velle quod nolumus, et iis rebus delectari, quas execramur. Admove ignes, gladios, flagella, saxa, fustes et virgas. Quot tu pœnas inferes, tot ego martyrii nostri glorias numerabo. Quoties tu in nos violentia uteris, toties ego martyrii computabo palmas. Nostra enim gloria est pœna, quam Christi amore perpetimur; nec poterit corruptio dici, quæ pro mentis tuenda integritate non timet sui corporis facere jacturam. De consensu enim apud Deum judicabitur, si quis voluntate dilexerit. *Apud Surium, in vita Ruffinæ et Secundæ*, t. IV, *Jul.* 10.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius tam excelso ac forti erat animo, ut morbo sæpe oppressus, si quis modus existeret, ad quem virtute illius esset ac prudentia opus, statim quodammodo convalesceret, et animo corpus regente, sanus fortisque videretur. *Vit.* l. V, c. IX. Cum satellites ad domum expoliandam missi essent, nuntio tali nihil motus, dixit : Si lectos auferant, terra nobis cubile erit; pauperes enim sumus, et vitam pauperibus dignam agemus. Bartol. l. IV *Vit.* § 36. De nulla re sæpius, quam de sui victoria loquebatur; duo hæc verba : *Vince teipsum* ! illi perpetuo natabant in labiis, hæc inter sodales illi colloquendi materiam, coram auditoribus dicendi copiam, in domesticis exhortationibus amplissimum disputandi argumentum suppeditabant. Profectum suorum spiritualem non ex facilitate naturæ, aut vultu, sed ex contentione et sui victoria metiebatur. Hinc illis assiduo enitendum dicebat, ut se ipsos vincerent, timoresque ab se se omnes abjicerent, qui Dei fiduciam minuerent, impedirentque, quo minus spem omnem in uno Deo reponerent, ac locarent; cujus assequendæ spei gratia, vias omnes indagandas, ipsum tamen fiduciæ fundamentum, siquidem Dei munus est, collocandum utique in eo esse, cujus ad arbitrium ea plerumque fiducia iis, qui se vicerint, impertitur. Ribad. l. V, c. XX; *Hist. Soc.* n. 172.

S. Franciscus Xaverius nixus Deo, nihil arduum, nihil nimis amplum ducens, immensa quadam magnitudine animi, maxima quæque moliebatur. Ubicumque vero divinus honor ageretur, nulli cedebat difficultati periculove. Hinc in Japoniam securus periculorum, quæ amici denuntiabant, ibat, dicebat, se nihil metuere præter Deum, eo quod res cæteræ, quantumvis noxiæ, non nisi, quatenus ille sinit, nocere hominibus queant. Nusquam tamen magis fortitudinem suam ostendit, quam in Sinensi expeditione, de qua ipse scripsit : Omnino deliberatum est mihi, in Sinas, Deo favente, invitis ejus hostibus, penetrare. Nam si Deus pro nobis, quis contra nos? Magnum omnino adimus periculum, si nihil aliud, perpetuæ servitutis. Verumtamen hæc me cogitatio consolatur, satius esse Dei causa servitutem subire, quam Crucis fuga perfrui libertate. Cum sociis in India præesset, nihil magis et frequentius inculcare solebat, quam victoriam sui; rationem vero tam frequentis repetitionis rogatus respondit : Ita edoctus sum ab optimo P. Ignatio. Hinc P. Gaspari Barzæo in hunc modum præcepit : Quos ad Societatem aggregaveris, in impotentibus animi motibus, cupiditatibusque edomandis magis exerceas, censeo, quam in corporis afflictationibus, novisque ejus generis inventis. Lyræus, l. II *Apoph.* t. I.

P. Leonardus Lessius rerum magnarum aviditatem in se usque adeo deleverat, ut diceret, universum e corde suo ablatum esse mundi desiderium. Scientiarum vero, quo juvenis exarsit, sic extinxit desiderium, ut fastidiose omnem eam scientiam nausearet, quæ neque de Deo, neque de Christo esset, et eo quidem Cruci affixo. Negabat amplius sibi inesse rerum curiosarum appetentiam, quarum videndarum ne quidem, cum Romæ aut alibi in ipsarum loco esset, laborem subierit. Gloriæ appetitum prorsus ex animo ejecerat; portentum putabat, si quem audiebat propriis laudibus delectari. Mentis illam animositatem, quam commota bilis in iram sæpe excitabat, ita compressit, ut columbina eum modestia sine felle diceres. Affectiones malas tribus potissimum de causis in nobis relictas dicebat esse : 1. Ut propriæ miseriæ, inopiæque conscii, deposito fastu ipsi nos abjiciamus. 2. Ut esset insignium victoriarum locuples materia. 3. Ut auxiliares e cœlo opes et copias gerendo bello deposcamus, adeoque utili quadam necessitate, Deo frequenter supplices, magno

bono nostro, accedere compellamur. *Vit.* c. XII.

P. Josephus Anchieta usque adeo cupiditates omnes compresserat, ut, ubicumque esset aut ageret, semper ei idem vultus, eadem animi æquitas, eadem lenitas orationis esset, quæ signa esse solent animi bene constituti, et in seipsum dominatum tenentis. *Vit.* l. III, f. 189.

Joannis Berchmanni axioma erat : Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris. Adversus tria autem præcipue vitia Religioso dimicandum dicebat, nimirum contra acediam, superbiam, gulam ; acediam fervore, superbiam humilitate, gulam temperantia superari. *Vitæ* fol. 252.

Joannes Paulus Navarola ex jugi divinæ præsentiæ memoria eo devenerat, ut nemo in eo umquam animi commoti signum adverteret. *Annal. Rom.* 1597.

P. Franciscus Villanova ita curiositatem domuerat, ut diceret, si nuntiaretur sibi, Angelum e cœlo lapsum, in via ante ædes collegii concionari, se minime ad audiendum accessurum, nisi studio duci se pio sentiret *Hist. Soc.* p. II, num. 181.

P. Andreas Ovido tantæ erat magnanimitatis in rebus adversis, ut fateretur, se magis in illis vanam gloriam, quam pusillanimitatem timere. *Hist. Soc.* l. VIII, n. 64.

P. Gonsalvus Silveria tam imperterriti et excelsi erat animi, ut P. Antonius Quadrius diceret, si jam Antichristi tempora essent, neminem se scire aptiorem, qui illi opponeretur, quam Gonsalvum. *Vita.*

EXEMPLA PROFANA.

Apud Spartanos olim tres erant chori, juxta triplex ætatum discrimen ; quibus in festis simul constitutis senum chorus incipiebat canere :

Nos quondam eramus inclyti bello viri.

Tum juvenum chorus subjiciebat :

Nos ii sumus, fac si velis periculum.

Tandem puerorum chorus pariter canebat :

Nos fortitudine plurimum præstabimus.

Hinc et Orationes Spartanorum versabantur tantum vel in laudibus eorum, qui fortiter se gesserant ; vel vituperatione eorum, qui metum ostenderant ; vel in pollicitatione, per gloriæ studium, animos ad virtutem accendente. LANGIUS, *in Pol. v. eod.*

Lucius Sicinius Dentatus centum et viginti prœliis in hostem pugnavit, cicatricem aversam nullam, quinque et quadraginta adversas accepit, coronis aureis octo, obsidionali una, muralibus tribus, civicis quatuordecim, torquibus tribus et octoginta, armillis plus centum sexaginta, hastis duodeviginti donatus est, uti et phaleris vicies quinquies, triumphos vero novem cum Imperatoribus suis est meritus ; hinc ob tot generosa facta, Achillis Romani encomium accepit. GELLIUS l. II. *Noct. Attic.* c. XII

Cynægirus Atheniensis cum in Marathonia palantes Persas, Medosque ad navem compulisset, navem hostibus onustam dextra manu tenuit ; hac hostili ferro amputata, lævam navigio injecit, idque remoratus est. Quam cum pariter amisisset, ore navim corripuit. DREXEL, *in Rosis*, p. I, c. XIII.

Anaxarchus Abderites Philosophus in mortario a Nicrocreonte contundi jussus, dixit : Tunde Anaxarchi follem, Anaxarchum non tundis. Cumque Tyrannus etiam linguæ abscissionem minaretur, ni taceret, ipse sibi eam dentibus abscidit, et in Tyrannum evomuit. Ib. § 3.

Achilinus Belifarii miles, solus ad Portam Pintianam Gothorum repressit impetum. PROCOPIUS, *ap. Tert.* l. I, c. XXVIII, f. 264.

Porsena, Rex Etruscorum, dum Tarquinios in urbem restituere tentans, Janiculum cœpisset, Horatius Cocles pro ponte sublicio stetit, sustinuitque hostilem impetum, donec pons a tergo frangeretur, quocum in Tyberim decidit. Ibid.

Mutius Scævola, nobilis Romanus, accepta potestate a Senatu, solus in castra Porsenæ Regis, Romanos obsidentis, intravit, eo animo, ut Regem occideret ; sed cum eum non cognoscens, satellitem purpura indutum occidisset, ideoque comprehensus et conjuratos indicare jussus esset, ut ostenderet se nullo supplicio vinci posse, pœnamque de dextra sua, quod in cæde aberrasset, exigeret, ipsam igni impositam in conspectu Regis adussit ; quam fortitudinem Rex admiratus, liberum dimistt. T. LIVIUS, lib. I.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut magnus ignis multis lignis potius crescit, quam diminuitur ; ita viri fortis animus per adversitates magis roboratur, quam dejicitur. LANGIUS, *in Pol.*

Sicut peritus et magnanimus gubernator

navis etiam scisso velo non desperat, et post naufragium reliquias navis aptat ad cursum; ita in corpore parum felici ac deficiente, tamen fortis animus sibi similis est. SENECA.

Sicut timidus canis vehementius latrat, quam mordet, et altissima flumina minimo sono labi videmus; ita fortitudo non tam in verbis, quam factis consistit. CURTIUS, l. V.

Sicut palmæ ramus imposito onere non deprimitur, sed renititur, et ultro adversus sarcinæ pondus erigit sese; ita viri fortis animus, quo plus negotiis ei difficultatibus premitur, quoque magis sævit fortuna, tanto est erectior. PLINIUS, l. XVI, c. XLIII.

Sicut in arboribus robustiores sunt partes Aquiloni oppositæ, quam quæ ad Austrum et Zephyrum spectant; ita fortiores et firmiores sumus in his, in quibus nos duris casibus exercuit fortuna. ERASMUS, *in Similibus*.

UTILITAS. — Sicut civitas firmo vallo et muro triplici circumdata ridet potius, quam timet hostium insultus; ita vir fortis triplex æs circa pectus habens, id est, in Dei quoad Personas trini potentia et protectione confisus, neminem timet, sed audacter dicit cum S. Paulo: Si Deus pro nobis, quis contra nos? ROM. VIII, 3. Si consistant adversum me castra non timebit cor meum, quoniam tu mecum es. Ps. XXVI, 5.

MOTIVA.

Dei beneplacitum; si enim pater filium, et dux militem illum, qui generosa audet facinora, singulari amore prosequitur, mireque sibi in eo complacet et gloriatur; an non potius Deus de homine fortiter agente et patiente dicat, quod olim de Christo dixerat: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui?

Exemplum Christi; quis enim ex militibus horreat sequi, si ipsum ducem præeuntem, et gravissimis periculis se objicientem videat? An non quisque sibi illa pii Ascetæ verba applicet et usurpet: Eia, fratres, pergamus simul! Jesus erit nobiscum; erit adjutor noster, qui est dux noster, et præcessor. En Rex noster ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis! Sequamur viriliter; nemo metuat terrores; simus parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloriæ nostræ, ut fugiamus a cruce. Lib. III *de Imit.* c. LVI.

Præmii magnitudo; si enim militi exiguæ spes prædæ animos tantos addit, quid merces Regni cœlorum in animo generosi Christiani non efficiat? An non iterum sibi illa Thomæ Kemp. verba dicta putabit: Age, quod agis. Geme, tace, ora, sustine viriliter contraria; digna est his omnibus, et majoribus præmiis vita æterna. L. III, c. XLVII.

Gloriæ et famæ solidæ cupido; ad quæ enim audenda etiam falsæ gloriæ cupido sibi subjectos non adegit; et tantum gloria apud Deum, Cœlitesque et omnes homines justos in pectore Christiani non efficiat? An nescit, quod Deus in Apocalypsi promisit: Vincenti dabo manna absconditum, et nomen novum, quod nemo scit, nisi qui accipit? Cap. II, 17. An non ergo diviniore spiritu impulsus dicet cum Josepho et Azaria: Faciamus et ipsi nobis nomen, et eamus pugnare adversus gentes, quæ in circuitu nostro sunt, id est, cupiditates et affectiones nostras? MACH. V, 37.

Exempla Sanctorum; Potuerunt enim isti et istæ, et Christianus non possit? An non dicet cum Francisco Perez Godojo, Soc. Jesu Religioso: Non degeneremus ab excelsis cogitationibus (et factis) filiorum Dei!

Pacis internæ jucunditas; si enim pro pace politica, tanta agunt et patiuntur milites, aliique; quid pro pace, quæ exsuperat omnem sensum, obtinenda difficile videri poterit Christiano militi?

Zelum animarum. si enim Abraham, ubi fratrem suum Lot cum familia ab hostibus abductum audivit, mox numeravit vernaculos suos, hostemque persecutus, fratrem liberavit; (GEN. XIV, 14.) quid Christianus pro fratribus et sororibus a Dæmone captis, et in æternam servitutem abducendis, non audebit?

Diaboli confusio et debellatio; ad quem finem fortitudo aptissimum sane est instrumentum; nam de hoc hoste vere dicitur: Est leo, si cedas; si stas, ut musca recedit. Hinc Seneca: Fortitudo est humanæ infirmitatis munimentum inexpugnabile, quod, qui circumdedit sibi, securus in hac vitæ obsidione perdurat. Epist. CXIV.

MEDIA.

Ardens desiderium; nam, ut bene advertit S. Laur. Justin., magna vincendi pars est,

vincendi desiderium, hoc namque vires auget, cor attollit, debilitat adversarium, laborem temperat, exhilarat mentem, disponit ad gratiam, et Deo amabilem reddit. *De casto Connub.*, c. III.

Fervens oratio; nam, uti S. Prosper recte dixit, hæc animi fortitudo ab illo est nobis, cui cum Propheta cantamus : Fortitudo et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Lib. II, *de Vita contempl.* c. XX.

Vita bona ; nec enim aliter vincemus, inquit S. Chrysostomus, quam si per vitam optimam supernum nobis auxilium conciliemus. Hom. VI *in Gen.*

Grandis æstimatio de honestate Fortitudini propria; nam, teste Cicerone, ad ferendum dolorem placide et sedate, plurimum proficit, toto pectore, ut dicitur, cogitare, quam id honestum sit. Sumus enim natura studiossimi appetentissimique honestatis ; cujus si quasi lumen aliquod aspexerimus, nihil est, quod, ut eo potiamur, non parati simus et ferre, et perpeti.

Præparatio animi ad quasvis adversitates; nam, ut prævisa tela minus feriunt, ita prævisæ quoque adversitates minus affligunt ; id quod Seneca quoque sapienter docuit his verbis : Fortitudo contemptrix timendorum est. Cogitanda ergo sunt omnia, et animus ad ea, quæ possunt evenire , formandus exilia, tormenta, morbos, bella, naufragia meditare. *Epist.* LXXXIX.

Correctio opinionis, qua adversitates ut malæ apprehenduntur ; nam, ut bene Epictetus advertit, homines non perturbantur rebus, sed iis, quas de rebus habent, opinionibus. *Enchir.* c. X.

Amor Dei ; nam fortis est ut mors dilectio, (*Cant.* 8, 6.) et tam parum superabilis, quam mors, cui omnes succumbunt. Id quod fusius pius Asceta his verbis confirmat : Magna res est amor, magnum omnino bonum, quod solum leve facit omne onerosum, et fert æqualiter omne inæquale. Nam onus sine onere portat, et omne amarum dulce ac sapidum facit. Amor Jesu nobilis, ad magna operanda impellit, et ad desideranda semper perfectiora excitat. Amor onus non sentit, labores non reputat ; plus affectat, quam valet ; de impossibilitate non causatur, quia cuncta sibi posse et licere arbitratur. Valet igitur ad omnia, et multa implet, et effectui mancipat, ubi non amans deficit, et jacet. L. III, c. V.

ASCETICA.

Tria sunt, quæ circa hanc virtutem scire præcipue et docere debet Asceta.

Primum est, ut bene intelligat naturam fortitudinis, quam quidem S. Thomas breviter sic indicavit : « Fortitudo principaliter est circa timorem difficilium rerum, quæ retrahere possunt voluntatem a sequela rationis. Oportet autem hujusmodi rerum difficilium impulsum non solum firmiter tolerare, sed etiam moderate aggredi. » Unde fortitudinis duo sunt præcipua officia, quæ P. Hieremias Drexelius duo brachia vocat, quorum alterum osseum est, et *aggressio* vocatur ; alterum ferreum, et *tolerantia* appellatur. *In Rosis selectis*, p. I, c. XIII. Et hoc est, cæteris paribus , longe præstantius priore ; id quod S. Thomas probat triplici argumento. 1. Quia toleramus valentiorem nobis ; invadimus, quem saltem putamus fore debiliorem. 2. Quia ferendo incumbentia mala jam sentimus, invadendo adhuc futura prævidemus. 3. Quia in puncto temporis invadimus, non nisi aliquo temporis intervallo sustinemus. 2, 2, q. 223, 6.

Secundum est, ut bene intelligat gradus, per quos ad fortitudinis perfectionem pervenitur. Quorum primus est occurrentes adversitates forti et infracto animo suscipere, maxime si ex improviso accidant ; nam, ut ait Aristoteles : In repentinis periculis maxime apparet fortitudinis habitus, eo quod omnia subita majora videantur, utpote ad quæ prævidenda et consideranda spatium non datur. L. III, *Eth.* c. VIII. Alter est , occasiones agendi et patiendi fortia, vehementer desiderare, et studiose quærere ; uti Sanctus Franciscus et S. Antonius martyrium quæsiverunt, et S. Andreas Apostolus conspecta cruce exclamavit: « O bona Crux, jam diu desiderata, et concupiscenti animo præparata ; exultans et gaudens venio ad te ! » Tale quippe desiderium arguit radicatum valde habitum, aut certe æstimationem talis virtutis. Tertius tandem gradus est, cum magna alacritate et gaudio, sive quæsitas, sive ultro occurrentes ejusmodi occasiones excipere , e amplecti. Quomodo Christus de se dixit : « Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor, usque dum perficiatur. » Luc. XII, 50. Hinc et Apostoli , conspecto hoc Magistri

sui exemplo, ibant gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Act. v, 41.

Tertium caput est, ut solida sciat media, quibus difficultatem in exercitio hujus virtutis minuere queat, quorum quidem tria sunt præcipua. 1. Ut brevem sibi certaminis hujus terminum circumscribat, ne, si diuturnum nimis fore sibi persuadeat, ipsa hac diuturnitate constantia frangatur, animusque a tali exercitio velut impossibili absterreatur. Itaque in ejusmodi occasione certandi constitutus, illud, quod Deus olim Philadelphiæ Episcopo dici jussit, sibi quoque dictum putet : Ecce venio cito, tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. 2. Ut filios sæculi et tenebrarum menti objiciat, consideretque, quanta plurimi ex necessitate, ut pauperes, et infirmi, ac captivi ; alii spe vilissimi et incerti lucri, ut mercatores, milites, opifices ; alii vanissimæ gloriæ et favoris desiderio, ut aulici ; alii denique carnalis et impuri amoris œstro concitati, ut amasii et proci, agant et patiantur. Itaque has turmas sibi ostendi a Deo putet, simulque illa olim S. Augustino dicta verba repeti : Potuerunt isti et istæ, et tu non poteris? An necessitas, et spes vana plus poterit, quam gratia, spes, et charitas divina? 3. Ut Jesum, exemplo S. Stephani et S. Antonii, vel ipsum Deum et totam curiam cœlestem, se in pugna intuentem, et tum promissione præmii infiniti, tum suo exemplo animantem, sibi imaginetur. Si enim in hac vita conspectus ducis, vel astantium, tantos animos addit certantibus vel duellantibus, quod non efficiet tantorum spectatorum præsentia animo concepta ?

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

De natura Fortitudinis.

Ex occasione thematis : « Justus ut palma florebit ; » Ps. xci, 13, comparari potest homo justus cum palma, applicando illi qualitates et proprietates palmæ. Quod scilicet. 1. Sicut palma inferne angustum et scabrum stipitem habet, superne vero suam pulchritudinem explicat; ita justus, licet interdum apud homines sit vilis conditionis, et æstimationis, apud Deum tamen et Sanctos in magno sit pretio. 2. Sicut palma folia habet figuram gladii referentia; ita omnia justi proposita, ad bellum et vim sibi inferendam sint directa, quia scit, militiam esse vitam hominis super terram, et Regnum cœlorum vim pati. 3. Sicut palma nunquam, etiam in hyeme amittit folia et pulchritudinem ; ita justus etiam inter adversa semper propositum et justitiam suam retineat. 4. Sicut palma nullo onere deprimitur, sed potius per modum fornicis sursum se erigit ; ita justus nullis cedat difficultatibus, sed, quo magis premitur, tanto vehementius se opponat pressioni. 5. Sicut palma odit fimum et terræ pinguedinem, amat vero terram salebrosam et sabulosam; ita justus odio habeat delicias et voluptates carnis, amet autem asperitatem pœnitentiæ et mortificationis. 6. Sicut fructus et folia palmæ sunt æqualis ponderis; ita proposita et verba justi cum operibus consentiant. Excitentur ergo auditores, ut, quandoquidem palma sic appellatur propter similitudinem manus, et propterea ejus fructus *Dactyli* vocantur, ipsi eamdem in manus sumant, et ex ejus aspectu prædictas proprietates sibi in memoriam revocent, ac dicto modo exprimere conentur. Videatur Faber, *in Dom. Palm.* conc. 5.

Possunt auditores ad duellum cum hoste gravissimo et infensissimo suscipiendum excitari, et 1. quidem ostendi, quis sit hostis ille, nempe Diabolus ; quam fortis, utpote qui a tot præstantissimis athletis victoriam reportarit ; quam infensus nobis, utpote qui et hactenus tot malorum auctor extiterit, et deinceps etiam semper exitium corporis et animæ sit paraturus. 2. Ostendi poterit, quo gladio utendum sit, nempe verbo Dei, quo ipse Christus usus est, quando tertia vice cum Diabolo congressus est. Unde vero de hoc dici potest, quod olim David de gladio Goliathi dixerat, quod non sit similis ei. Probetur hoc S. Pauli testimonio dicentis : Vivus enim sermo Dei, et efficax omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus. Hebr. iv. Id quod variis exemplis probari potest. 3. Ostendi poterit, quomodo reipsa pugnare hoc gladio, et partim ferire hostem, partim declinare debeamus. Nimirum Christi exemplo in omnibus tentationibus opponendo verbum Dei, v. g. quando inani sollicitudine de rebus necessariis oppugnamur, dicendo :

Quærite primum Regnum Dei etc. MATTH. VI, 38. Si ad spem in hominibus ponendam incitamur : Mihi adhærere Deo bonum est etc. Ps. LXXII, 28. Si ad pusillanimitatem : Omnia possum in eo, qui me confortat. PHILIP. IV, 13. Si ad superbiam, vel tristitiam, ex contemptu : Elegi abjectus esse etc. Ps. LXXXIII, 21. Si ad timorem displicendi hominibus : Si hominibus placerem, Christi servus non essem etc. GALAT. I, 10. et sic de reliquis. 4. Ostendi poterit, quomodo, pro secundantibus seu testibus, elegi possint SS. Angeli Custodes et Patroni nostri, quamque illi parati sint hoc officium præstare. Excitentur proinde auditores, ut cum hoc duellum non tantum licitum sit, sed plane necessarium, et inevitabile, non tantum æquissimum, sed etiam honestissimum ob tot tantosque spectatores, et præterea in nostra potestate sit vincere, magno animo illud aggrediantur, sicque pugnent ut dicere olim cum S. Paulo possint : Bonum certamen certavi etc. 2 TIM. IV, 7.

Poterit ex occasione sententiæ a S. Job prolatæ : « Militia est vita hominis super terram ; » JOB. VII, 1. ostendi, quam periculosa et difficilis sit ista militia, ob tria capita. 1. Propter hostium potentiam tot excitatam conflictibus. 2. Propter nostram infirmitatem. 3. Propter diuturnitatem temporis; nec enim nisi cum morte finietur. Excitentur proinde auditores, ut, quoniam hic de felicitate agitur, sequantur consilium S. Pauli : Certa bonum certamen fidei ; apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus. I TIM. VI, 12. Aut, quod Ephesiis suasit : De cætero, fratres, confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam etc. EPHES. VI, 10. Videatur Faber, conc. 3 et 10. *in Dom.* 1. *Quadrag.* Item, conc. 1, *in Dom.* 3. *Quadrag.* ubi arma Diaboli explicat.

Potest dicere concionator, se esse constitutum a Christo ad milites conscribendos, atque adeo propositurum rationes, cur sub Christi vexillo libenter militare debeant, nimirum. 1. Propter Ducis auctoritatem, peritiam, felicitatem, quæ Cicero in oratione pro *Lege Manilia in Pompeio* tantopere commendavit, quæ oratio hic videri potest. 2. Propter victoriæ certitudinem, cum nemo vinci possit, nisi ultro velit. 3. Propter pacis et prædæ obtinendæ amplitudinem, et jucunditatem. 4. Propter commilitonum societatem ac copiam, omnium scilicet Sanctorum in cœlis, et justorum in terris. 5. Propter articulorum observandorum paucitatem et facilitatem ; nam jugum ipsius suave est, et onus leve. Excitentur proinde auditores, ut se resolvant, juramentum iterum per recitationem Symboli præstent, et auctoramentum liberale copiosæ gratiæ acceptent.

Potest iterum dicere concionator, se morem Ducum secuturum, et quoniam auditoribus pugna spiritualis suscipienda est, illis prius animos per brevem adhortationem additurum, ideoque motiva, cur fortiter pugnare debeant, allaturum, quæ quidem sumi possunt ex Fabri conc. 1. *in Dom.* 1. *Quadrag.* ubi hæc septem enumeret, et probat. 1. Dei præsentia et inspectio. 2. Ejusdem adjutorium. 3. Juramentum in baptismo præstitum. 4. Dæmonis fastus et odium. 5. Diaboli imbecillitas. 6. Corona proposita. 7. Exemplum Christi ; quorum fere quodlibet pro integra concione sufficeret.

Ostendi potest, quomodo mundus contra nos triplicem exercitum educat, juxta illud S. Joannis : Omne, quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. 1 JOAN. II, 16. Explicetur proinde fusius, quam exercitatus, potens, et ferus hic sit exercitus. 2. Ostendatur, quomodo triplicem ei exercitum opponere debeamus, scilicet *continentiæ*, *paupertatis spiritualis*, deponendo inordinatum affectum erga divitias, et *humilitatis*. Quem in finem servire potest sententia S. Pauli : Reliquum est, ut et, qui habent uxores, tanquam non habentes sint etc. 1 COR. VII, 9.

Idem scopus aliter obtineri potest ostendendo. 1. Quomodo contra nos semper in armis stet triplex exercitus, nempe Mundus, Caro, et Diabolus, quos si consideremus merito exclamare poterimus cum puero Elisæi : Heu ! Domine, quid faciemus ? Verum dici nobis a Christo id, quod Elisæus puero respondit : Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. 4 REG. V, 16. Ostendatur itaque, 2. Quomodo triplicem exercitum vicissim conducere debeamus, nempe *SS. Patronos Cœlites*, qui præstant numero, robore et peritia ; *B. Virginem*, quæ est terribilis ut castrorum acies ordi-

nata; *Deum,* de quo S. Paulus dixit : Si Deus pro nobis, quis contra nos? Si consistant adversum me castra etc. Excitentur proinde auditores ad officium debiti cultus et obsequii diligenter quotidie persolvendum, fiduciamque singularem in ipso ponendam.

Potest etiam ex occasione sententiæ a S. Augustino prolatæ : Duplicem aciem producit mundus contra militem Christi. Blanditur, ut decipiat; terret, ut frangat, (*Serm.* XII, *de Sanct.*), ostendi, quam potens sit hic exercitus, cum vere quisquis in militia Christiana vincitur, ab uno horum se victum fateri cogatur. Unde S. Jacobus ait : Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiscentiis, quæ militant in membris vestris? JAC. IV, 1. Doceatur subinde, quomodo huic gemino exercitui duplex alius exercitus opponi debeat, quorum primus vocatur *Abstine*, et pro tessera habet has voces : « Quis ut Deus? Deus meus, et omnia! » Alter *Sustine* appellatur, et pro tessera habet has voces : « Quis ut Christus, sic contemptus, gravatus, cruciatus, derelictus, desolatus? Nos quidem juste hæc patimur; ipse autem quid fecit? » Excitentur proinde auditores ad hunc geminum exercitum conscribendum, et gemina tessera paulo fusius explicetur.

Ex occasione thematis : « Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium; » (PROV. XVI, 32.) ostendi potest, quod victoria sui sit omnium victoriarum præstantissima. 1. Quia *rarissima;* multi enim alios vicerunt, pauci seipsos; si ergo quo rarius est aliquid, tanto carius venditur, et æstimatur, quanti victoria hæc æstimanda est, ut quæ adeo rara est, ut ex mille hominibus vix unum reperire sit, qui eam obtineat? 2. Quia *difficillima*; nam qui externos aggreditur hostes, ab ipso eorum odio juvatur et incitatur ad fortiter pugnandum; qui autem seipsum vincit, nullum ejusmodi auxilium, sed potius grande ab amore proprio impedimentum objectum habet. 3. Quia *longissima*; ut pote toto vitæ tempore durans; si ergo magni fit, nec immerito, qui hostis impetum per aliquot menses in civitate aliqua defendenda sustinuit; si satis prædicari non potest, qui quotidie fere hostem aggreditur, et victor regreditur; quanti coram Deo æstimabitur, qui tam multis annis hostem potentissimum seipsum sustinuit, et quotidie non unam de se victoriam reportavit?

Possunt explicari proprietates, vel potius officia militis Christiani; quorum primum est *juramentum præstare*, quod fit per firmum propositum certandi sub vexillo Christi. 2. *Articulos militares servare*; puta præcepta Dei, et Ecclesiæ, et Superiorum. 3. *Esse contentum stipendio suo,* illudque S. Pauli implere : « Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. » 1. Tim. VI, 8. 4. *Paratum esse ad omnem nutum Ducis*; cum obedientia militum sit potissimum fere instrumentum ad victoriam obtinendam. 5. Si occasio exigat, *fortiter aggredi hostem,* et *eidem strenue resistere*. 6. *Stationem suam immoto pede tenere*; neque enim in milite Christiano initia quæruntur, sed finis.

De præmio Fortitudinis.

Potest ex occasione quæstionis illius, qua David quærebat : « Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum? » (I REG. XVII, 26,) aut potius vicerit seipsum, probari, quod eadem præmia sint illi promissa a Deo, quæ Saul vincenti Goliathum promisit. Nimirum 1. *Ditabit eum Rex divitiis magnis;* nam nihil æque auget meritum, atque tales actus a victoria sui provenientes. Hinc Sponsus laudans sponsam, quod esset pulchra ut luna, electa ut sol, et perfecta, mox causam addit hujus perfectionis acquisitæ : Terribilis ut castrorum acies ordinata. Hinc vere de tali anima dici potest illud Proverbiorum : Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. PROV. XXXI, 29. 2. *Filiam suam dabit ei uxorem*; id est, ad summos honores evehet, ut scilicet sit gener Regis; quia qui seipsum subjectum tenet, ut sensualitas rationi, et ratio obediat Christo, hic vere victor est sui, et *dominus mundi*; huic occinetur illud Judith olim cantatum : Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri. (JUDITH, XV, 10. 3.) *Faciet domum patris ejus absque tributo*, nempe humanæ miseriæ et tristitiæ; quia vincenti dabitur manna absconditum, id est, vera lætitia cordis. Certe postquam Judith Holofernem vicit, erat populus jucundus secundum faciem Sanctorum, et per tres menses gaudium hujus victoriæ celebratum est cum Judith. Excitandi proinde auditores, ut cum Davide in nomine Domini

aggrediantur hunc hostem, et feliciter sternent; sic enim audient occini: Percussit Saul mille, et David decem millia. Judith xv,24. Vide Drex. in Davidem c. xix, § 1. pulchra ad hunc finem monita suggerentem.

Ex occasione sententiæ a S. Joanne citatæ: « Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei; » (Apoc. iii, 11.) ostendi potest, quanti Deus faciat illos, qui seipsos vincere student. Quod scilicet illos faciat columnas Ecclesiæ triumphantis et militantis; id quod exemplis SS. Apostolorum, Fundatorum Ordinum Religiosorum, et aliorum sanctitate illustrium, confirmari potest. Ostendatur item, quod tales faciat per modum columnæ rotundos, id est, perfectos, altos per donum contemplationis, profundos per virtutem humilitatis, latos per charitatem proximi.

Ostendatur, quomodo Regnum cœlorum vim patiatur, et violenti rapiant illud, (Matth. xi, 12.) atque adeo expugnare illud oporteat. 1. *Cuniculos agendo*, per profundam humilitatem. 2. *Scalas applicando*, per observationem præceptorum Decalogi et Ecclesiæ. 3. *Globis* orationum variarum, præcipue Rosarii. 4. *Ignem injiciendo*, implendo mandatum Dei: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua, et proximum tuum sicut teipsum. 5. *Applicando portis mortarium violentiæ sibi ipsi illatæ;* id quod ostendi potest, afferendo varias occasiones, in quibus quisque seipsum vincere potest. Excitentur tandem auditores ad civitatem hanc cœlestem totis viribus expugnandam, et, si tempus patiatur, demonstretur breviter præstantia et opulentia dictæ civitatis.

Ostendi poterit, quam verum sit, quod Seneca aliique multi sapientes dixerunt, quod scilicet imperare sibi maximum sit imperium, eum in finem assumatur pro medio termino aliud quodpiam celebre effatum, quod dixit: Rex est, qui metuit nihil; Rex est, quique cupit nihil. Hoc regnum sibi quisque dat. Ostendatur ergo ab initio, quam nullus ex terrenis Regibus hæc duo capita, inter medias etiam opes et delicias, possideat, ita ut Salomon ipse, quo nullus felicior unquam extitit, fateri coactus sit, se in omnibus, quæ possederat, nihil nisi vanitatem et afflictionem reperisse. Deinde pariter ostendatur, quam perfecte hæc duo capita possideat, qui seipsum vincere, et tam abstinere, quam sustinere, didicit; dicaturque, hunc solum esse, qui vere dignus sit, mulæ regiæ (id est, corpori suo) insidere, et tanquam Rex proclamari.

De Mediis.

Ex occasione thematis: « Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos » (Ps. v, 13,) dici potest, voluntatem divinam esse scutum simile scuto Myrtili militis, cujus præsidio in terra periculum prælii, in mari vero, dum illo inverso quasi nave usus est, periculum naufragii evasit. Unde distichon istud:

Effugi geminum clypeo discrimen in uno,
Dum premererque salo, dum premererque solo.

Ostendatur ergo, quomodo voluntas divina sit optimum scutum in prosperis rebus; deinde quam non minores vires etiam in adversis habeat, de quo passim videri possunt Ascetæ.

Ostendi poterit, quomodo triplici ære, seu lorica, pectus contra omnes hostium insultus munire possint, illa scilicet, qua Deus S. Catharinam Senensem armavit, dum eidem petenti modum cognoscendi, quo semper quiete vivere posset, suasit, ut sequentia tria benè observaret. 1. Certo sibi persuaderet, Deum esse *summe potentem*, atque adeo nihil sine ejus voluntate ac permissione eidem evenire posse, juxta illud Amos: « Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus? Amos. iii, 6. Certe, vel ipso Christo teste, capillus de capite non peribit. 2. Pariter sibi persuaderet, ipsum *summe sapientem* esse, qui sciat et possit omne malum in bonum convertere, uti exemplo Christi, Josephi Ægyptiaci, Davidis, et aliorum infinitorum, abunde patet. 3. Persuaderet etiam sibi, ipsum *summe bonum* esse, qui plus illam diligat, quam ipsa se diligere queat, atque adeo non passurus sit, ut malum a se permissum in damnum cedat, nisi ipsa sponte sua illud eo detorquere velit. Videatur hunc in finem cap. 25. l. 3. in libello de Imit.

Ostendi potest, in quo militis Christiani armatura consistat, dicique, eam fuisse jam pridem a S. Paulo assignatam, dum Ephesiis sic allocutus est. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli.* State ergo 1. *Succincti lumbos* in veritate, 2. et induti *loricam* justitiæ, 3. et *calceati*

pedes in præparationem Evangelii pacis; 4. in omnibus sumentes *scutum* fidei, 5. et *galeam* salutis, (id est, spei ac fiduciæ in divino auxilio) et *gladium* Spiritus, quod est verbum Dei. Excitentur proinde auditores ad dictam armaturam assumendam, eaque paulo fusius per partes explicetur.

Potest explicari, quis commeatus militi Christiano sit necessarius, nimirum ille cibus, quo Christus usus est, dum dixit: Cibus meus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. Joan. IV,34. Ostendatur ergo 1. Quam *bonus* sit commeatus iste, utpote quem Sancti in cœlis omnibus aliis deliciis præferunt. 2. Quam *paratus*, cum voluntas Dei semper adimpleri possit. 3. Quam *solidus*, cum nihil æque confortet ad omnia onera, et adversitates fortiter perferendas, quam voluntas Dei. Excitentur proinde auditores, ut hunc commeatum in pectoris sui sacculo recondant, et suo tempore se per eumdem reficere non omittant.

Potest Myrothecion offerri auditoribus, quo se in casu debilitatis aut pusillanimitatis roborent, in quo loco capsulæ musco plenæ sit exemplum Christi. In prima capsula primum motivum, scilicet *Dei præsentia*, qua S. Antonius ad pugnam animatus est. In 2. *Dei adjutorium;* quo S. David et S. Paulus usi sunt: « Si Deus pro nobis, quis contra nos? » In 3. *Juramenti* in Baptismo præstiti recordatio; quo S. Chrysostomus suos Christianos inunxit, dicens: Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce. Pactum, quod spopondisti; conditionem, qua accessisti; militiam, cui nomen dedisti. In 4. *Ponderatio imbecillitatis hostilis;* quo iterum S. Antonius usus est, hinc dixit ad suos: Dæmon sicut passer irretitus tenetur et constringitur a Christo. Christiani ergo Christo nixi, Dæmonem non timeant, sed rideant. In 5. *Præmii spes et magnitudo*; quo S. Paulus usus est: « Bonum certamen certavi » etc. de reliquo reposita est mihi corona justitiæ. II Tim. VII, 7. Imo ipse Christus, dum proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Heb. XII, 2. Vide Fabr. in conc. 1. pro *Dom.* 1. *Quadrag.*

MISCELLANEA.

De natura Fortitudinis.

Cleomenes, cum Sophistam quondam de natura fortitudinis disserentem audiret, et quia non adeo attentus erat, ab aliquo reprehenderetur, respondit, ineptum esse quemdam de fortitudine magnificis uti verbis, qui ipse nihil fortiter umquam gesserit. Plutarc. *in Lacon.*

Cum Antonius cum Cæsare classe confligere pararet, quidam Tribunus militum illi prætereunti corpus multis cicatricibus insignitum ostendens dixit: O Imperator, cur his vulneribus, aut huic gladio parum fidis, inque lignis fragilibus spem reponis? Sine Phœnices et Ægyptii classe pugnent, nobis Romanis terram da, in qua consuevimus, vel hostem vincere, vel mortem oppetere. Plut. in *vita Platon.*

Cum Epaminondas contra Lacædemones pugnare cogitaret, et milites, quia casu sella, cui Dux insederat, fracta erat, malum omen caperent, dixit: Bonum potius hoc omen esse, quo Dii innuerent, non sedendum, sed standum esse forti et generoso Duci et militi. Flor. p. III.

Alexander Magnus audiens Darium cum ingenti numero militum appropinquare, respondit, coquum et lanionem sibi ab ovibus non timere, cum unus lupus possit totam gregem fugare. Ibidem.

Turpe est cedere oneri, luctari cum officio, quod semel recepisti, Non est vir fortis et strenuus, qui laborem fugit Sen. ep. XXII, *ad. Lucil.*

Primum argumentum compositæ mentis puto, posse consistere, et secum morari. Id. ep. II.

Non quia difficilia sunt, multa non audemus; sed quia difficilia videntur, non audemus. Idem.

Qui se volet esse potentem,
Animos domet ille feroces;
Nec victa libidine colla
Fœdis submittat habenis.
Etenim licet Indica longe
Tellus tua jura tremiscat,
Et serviat ultima Thule;
Tamen atras pellere curas,
Miserasque fugare querelas,
Non posse, potentia non est.

Boetius, *de Consol. Phil.* l. III, metro v.

Recte olim veteres fortitudinem per rupem in mari consistentem depinxerunt, adjuncto epiphonemate : *Eadem semper*. Aut: *Nec flumine, nec flamine lœdor.*

De utilitate.—Nullum malum est, quod ferre fortis non queat. Hinc Democritus, quidnam fortitudo efficeret? interrogatus, optime respondit : Dispendia minuit. Drex. *in Ros.* p. I, c. XIII, § 8.

Dextera est Deus, telumque missile imperterritis. Ibidem.

Honesta mors forti viro vita altera est. Ibidem.

Quidam ex priscis Patribus ad æstum solis declinandum secedens, cum in vicinam specum secessisset, ibique leonem reperisset, rugienti dixit : Quid rugis, mi paterfamilias? Sat ambobus hic spatii est. Quod si tibi displiceam, exi, et abi, quo vis, ego te melior sum ; imago Dei sum; tu bellua es. *Vita PP.*

Habet hoc in se generosus animus, quod concitatur ad honesta. Neminem excelsi ingenii virum humilia delectant et sordida. Magnarum rerum species ad se vocat, et extollit. Quemadmodum flamma surgit in rectum, jacere ac deprimi non potest, non magis, quam quiescere ; ita noster animus in motu est, eo mobilior et actuosior, quo vehementior fuerit. Sed felix, qui ad meliora hunc impetum dedit. Ponet se extra jus ditionemque fortunæ; secunda temperabit, adversa comminuet, aliis admiranda despiciet. Magni animi est magna contemnere, ac mediocria malle quam nimia.

Quando Moyses marinos fluctus virga percussit, Deus interea hostes reliquos submersit, et Israelitas servavit ; sic, si homo facit quod in se est, et fluctus inquietos suarum passionum coercet, Deus non omittet ipsum contra reliquos hostes defendere.

De dignitate. — Tunc Dei servus maxime vincit, cum victus est ; atque adeo ut recte vincat, ante vinci oportet. L. I *de Civit. Dei*, c. XXIV.

> Nobile vincendi studium, patientia ; vincit,
> Qui patitur ; si vis vincere, disce pati.
>
> Gran. in *Silva*, fol. 499.

S. Joannes ait, byssinum esse justificationes Sanctorum; quia, sicut byssus fragilis quidem et vilis herba est, arte tamen et multo labore contusa atque concocta in pretiosam byssum evadit ; ita quantumcumque vilis et carnalis sit homo, per frequentem tamen sui contusionem et victoriam spiritualis et coram Deo pretiosus evadet.

Quam sint Diabolo viri fortes invisi, quam vero cari molles et voluptarii, Pharao, qui ejus typus est, indicavit, dum masculos filiorum Israel interfici, feminas autem reservari jussit ; sic enim , quemadmodum Origines ait, etiam Diabolus virilem hominis partem, id est, rationem, cupit extinguere, carnem vero et opera illius vivere. Ibid. f. 502.

Effigies hominis generosi est equus a Job descriptus : Terram ungula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis, contemnit pavorem, nec cedit gladio, super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta et clypeus. Fervens et fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem. Ubi audierit buccinam, dicit : *Vah*! Procul odoratur bellum, exhortationem Ducum, et ululatum exercitus. Job. XXXIX, 24.

Et, ut Poeta canit.

> Si qua sonum procul arma dederunt,
> Stare loco nescit, micat auribus, et tremit artus,
> Collectumque premens volvit sub naribus ignem.
> Primus et ire viam, et fluvios tentare minaces
> Audet, et ignoto sese committere ponto.
> Nec vanos horret strepitus.

Cum Samuel Saulem in Regem inungere volens, convivio eum excepit, circa finem mensæ armum, quem de industria pro ipso servari præceperat, apposuit, ut eo facto significaret, Regem præcipue in fortitudine eminere debere, et cordis magnitudine; unde Josephus armum, partem sive portionem regalem vocat. L. VI *Antiquit.* c. IV.

AXIOMATA.

Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris.

Imperare sibi maximum imperium.

Rex est, qui metuit nihil ; Rex est, quique cupit nihil ; hoc Regnum sibi quisque dat.

AUCTORES.

Ludovicus de Ponte, tom. III, tr. IV, c. XII.

Jeremias Drexelius, *in Rosis*, p. I, c. XIII.

Bernardus Rosignolius, l. IV, c. XXIX.

Nicolaus Lancizius, opusc. IV, c. XXIX.

Petrus Sanchez, *in Viridiaro*, V. eod.

Jacobus Alvarez, tom. II, l. III, p. 2, § 1.

GAUDIUM.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est affectio animi, alicujus præsentis boni opinione concepta. Vel, ut S. Thomas vult, est passio concupiscibilis, proveniens ex perfectionis appetitæ conjunctione, secundum interiorem apprehensionem sensus vel intellectus. S. Thom. IV, *Sent.* dist. XLIX, q. III, art. 1. Volunt autem aliqui, gaudium per hoc a lætitia distingui, quod lætitia sit hilaritas extrinsecus apparens; gaudium vero sit hilaritas intra animum conclusa.

Divisio. — Dividitur. 1. in *bonum* et *malum*; quorum illud de honesto et licito; hoc de inhonesto et illicito objecto, concipitur.

Dividitur 2. in gaudium *spirituale* et *sensibile*; ex quibus prius de rebus spiritualibus et cœlestibus oritur; posterius vero ex objectis sensu perceptibilibus hauritur.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Lætamini in Domino, et exultate justi; et gloriamini omnes recti corde. Ps. XXXI, 11.

Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete. Phil. IV, 4.

Secura mens quasi convivium. Prov. XV, 15.

Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo. Quia induit me vestimento salutis, et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis. Isa. LXI, 10.

Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Matth. V, 12.

Cognovi, quod non esset melius, nisi lætari, et facere bene in vita sua. Eccles. III, 22.

Vade ergo, et comede in lætitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum; quia placent Deo opera tua. Ibid. IX, 7.

Non est oblectamentum super cordis gaudium. Eccl. XXX, 16.

Servite Domino in lætitia; introite in conspectu ejus cum exultatione. Ps. XCIX, 2.

Utilitas. — Cor gaudens exhilarat faciem; in mœrore animi dejicitur spiritus. Ps. XV, 13.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. — Est gaudium, quod non datur impiis, sed eis, qui te gratis colunt. S. Aug. l. IX *Confess.*

Illud est verum ac summum gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur; quod, cum acceperis, nemo tollet a te, cui aliunde comparata omnis jucunditas mœror est, omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum est, omne pulchrum fœdum est, omne postremo, quod delectare potest, molestum est. S. Bern. in serm.

Dedisti lætitiam in corde meo. Non simpliciter dixit, dedisti gaudium sed, in corde meo, id est, non in externis rebus lætitia ista existit, qualis est istarum rerum sæcularium ac fluxarum; nam hæc lætitia non cordis, sed solorum oculorum est. Idem, in *cit. vers. Ps.* IV.

Bonum tuum quære, o anima; est enim bonum aliud alteri, et omnes creaturæ habent bonum quoddam suum. Quære tuum bonum, hoc est, summum bonum. Quid ergo deest, cui summum bonum, bonum est? Sunt et inferiora bona, quæ aliis et aliis bona sunt; pecori quid bonum est, nisi implere ventrem, carere indigentia, dormire, gestire, vivere, sanum esse, generare? Tale tu bonum quæris, cohæres Christi? Quid gaudes, quia socius es pecoris? Erige spem tuam ad Deum, bonum bonorum omnium. S. Aug. *in Ps.* CII.

Nullum majus signum inhabitantis Spiritus est, quam lætitia spiritualis. S. Bern. apud. Fab. conc. II, *in Fer.* III *Pent.*

Nihil ita proprie quemdam in terris repræsentat cœlestis habitationis statum, sicut alacritas benedicentium Deum. Idem.

Cujusmodi est gaudium, quod est in Domino? Et quid est, quod facientes gaudere debemus? In his, quæ secundum mandatum Domini fiunt, gaudere, est in Domino gaudere. S. Basil. interrog. CXCIII, *in Leg. Brev.*

Scimus, fratres, quod omnis homo gaudere desiderat; sed non omnes ibi quærunt gaudium, ubi oportet inquiri. S. Aug. s. XXX *de SS.*

Qui vult gaudere de se, tristis est; qui autem de Deo gaudere vult, semper gaudebit, quia Deus sempiternus est. Idem.

Verum gaudium non possidetur, nisi pax et justitia teneatur; prima enim est, quasi radix, justitia; secunda, pax; tertia, gaudium; ex justitia nascitur pax, de pace gaudium generatur. Cæsar. in *Admonit.*

Gaudendum est de iis quæ expectamus, et gaudendum est de iis quæ sustinemus. S, Bern. *de Verb. Apost.* s. II.

Præsentis temporis ita agenda lætitia est, ut nunquam amaritudo sequentis judicii recedat a memoria. S. Greg. hom. XXXII.

Lætitia nostra sit timore permixta. S. Aug. *sup. Ps.* LXXXV.

Gaudere prosperitate aliorum generosius est, quam deflere calamitatem. S. Chrysos. s. XXII, *super Ep. Rom.*

Gaudere in calamitatibus aliorum impudentium est. Id. *ad Pop. Antioch.* hom. XXIV.

Utilitas. — Secura mens quasi juge convivium; juge, id est, continuum et festivum convivium, quia mens, quæ sine cura est, semper est in gaudio, et æterni convivii jam præsentit odorem. Hugo Card. *in c.* XXV. *Prov.*

Necessitas. — Esse sine delectatione anima numquam potest; nam aut infimis delectatur, aut summis. S. Greg. l. XVIII *Mor.* c. VIII.

Gaudium malum. — Prospera hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam; certum dolorem, incertam voluptatem; durum laborem, timidam quietem; rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. S. Aug. *in Ps.* XXXVI.

Licet in modum stagni fusum æquor arrideat, intus inclusum est periculum, intus est hostis; tranquillitas ista, tempestas est. S. Hier. ep. I. *ad Heliod.*

Jure restat, ut, quot prius in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ipso postmodum cogamur sentire tormenta. S. Greg. in *Moral.*

Dignum est, ut in se semper homo mœrorem inveniat, qui, derelicto Creatore, gaudium in se quærebat. Idem.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Gaudebis semper vespere, si diem insumas fructuose. L. I, c. XXIV § 11.

Si est gaudium in mundo, hoc utique possidet puri cordis homo. L. II, c. IV, § 2.

Habe bonam conscientiam, et habebis semper lætitiam. C. II, c. VI, § 1.

Noli lætari, nisi cum benefeceris. Ibid.

Justorum lætitia de Deo, et in Deo est, et gaudium eorum de veritate. Ibid. § 2.

Excedunt spirituales consolationes omnes mundi delicias et carnis voluptates; nam omnes deliciæ mundanæ, aut vanæ sunt, aut turpes; spirituales vero deliciæ solæ jucundæ et honestæ, ex virtutibus progenitæ, et a Deo puris mentibus infusæ. L. II, c. X, § 1.

Invenient suavissimam Spiritus Sancti consolationem; qui pro amore tuo omnem carnalem abjecerint consolationem. L. III, c. X, § 5.

Vanum est et breve, omne humanum solatium; beatum et verum solatium, quod intus a veritate percipitur. L. III, c. XVI, § 2.

Si recte sapis, et in veritate aspicis, numquam debes propter adversa tam dejecte contristari, sed magis gaudere et gratias agere; imo hoc unum reputare gaudium, quod affligens te doloribus non parcam tibi. L. III, c. XXX, § 6.

Utinam sic tecum esset, et ad hoc pervenisses, ut tui ipsius amator non esses, sed ad nutum meum pure starès, et ejus, quem tibi præposui, Patris; tunc mihi valde placeres, et tota vita tua in gaudio et pace transiret. L. III, c. XXXII, § 2.

Ecce Deus meus et omnia. Quid volo amplius, et quid felicius desiderare possum? Te siquidem præsente jucunda sunt omnia, te autem absente, fastidiunt cuncta. Tu facis cor tranquillum, et pacem magnam, lætitiamque festivam. Lib. III, c. XXXIV, § 1.

O quando veniet hæc beata et desiderabilis hora, ut tua me saties præsentia, et sis mihi omnia in omnibus! Ibid. § 5.

EXEMPLA.

S. Paulus de seipso fassus est: Repletus sum gaudio, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. II Cor. V, 4.

S. Romualdus, licet exuberanti cordis gaudio vim lacrymarum fundens, vultu tamen adeo læto semper erat, ut intuentes exhilararet. Engelgr. ser. I, *Bacchan.* § 2.

S. Hieronymus in solitudine tantis gaudiis affluebat, ut ipse scriberet Eustochio: Ipse mihi testis est Dominus, post multas lacrymas, post cœlo inhærentes oculos, nonnumquam mihi videbar interesse agminibus Angelorum. S. Hier. ep. IX *ad Eustoch.*

S. Scholastica tantis affluebat gaudiis

ut diceret, si dulcedo, quam Deus abscondit servis, cognita esset, mundus non caperet eos, qui Deo servire vellent. ENGELGR. l. c.

B. Maria Magdalena de Ursinis, Novitiis præfecta, si suas subditas ridere cerneret, dicere solebat : Ridete, filiæ meæ, ridete quia justa gaudendi causa est, quod mundi fluctibus ereptæ in hoc portu securissimo vivatis ! Ibid.

S. Antonius semper erat lætus, ita ut reliquis Monachis ex vultus hilaritate cognosceretur. S. ATHAN. in *Vita*.

Apollonius ad suos verba faciens dicebat : Tristentur Gentiles, Judæi, et alii infideles ; justi vero, qui spe viva cœlestia bona expectant, lætentur, et exultent. LYRANUS, in *Apoph.*

Abbas Apollo, qui ad quingentos habebat discipulos, sic eos instituebat, ut semper essent alacres et læti, ita ut nullam similem lætitiam in terris videre esset. Idem.

S. Pacomius in corpore suppliciis et inediis exhausto miram præ se ferebat hilaritatem. Ibidem.

S. Bernardus tanta semper lætitia affluebat, ut ea non modicum ei scrupulum injiceret ; nam jucundius sibi vivere videbatur in eremo, quam in sæculo vixisset. Ibidem.

S. Franciscus Seraphicus suæ familiæ Religiosis assiduo hanc lætitiam commendabat, utpote per quam ipse se multum adversus spiritum acediæ juvari adverterat. Hinc si unum subtristem conspexit, vehementer eum objurgavit, dicens : Oportet eos, qui mundo, carni, dæmoni, non vero Deo, serviunt, esse tristes, non autem Fratrem Minorem. Ibidem.

Godefridus Peronensis S. Bernardi discipulus, cum ad initium suæ conversionis tanto mœrore obrueretur, ut diceret, se per totam amplius vitam lætum non futurum, S. Bernardo pro ipso orante, usque adeo erectus est, ut diceret, se ad mortem usque hilarem vitam traducturum. Ibid. I.

De S. Martino scribit Severus Sulpitius, eum nunquam mœstum visum fuisse, sed semper pacatum, quietum, et compositum. SULPIT. in *Vita Sancti Martini*.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius et ipse semper lætus erat, et suos ad similem lætitiam excitabat, dicere solitus, non minus miraculum censendum esse, mœstum deprehendere virum religiosum, qui aliud nil quærat, nisi Deum, quam mirandum, deprendere lætum aliquem, qui omnia alia quærit, præter Deum. LYRÆUS, *Apoph. S. Ign.*

Cum Franciscus Costerus adhuc tyro ad risum mire proclivis esset, S. Ignatius eidem dixit : Francisce, audio te semper ridere. Cumque ille dejectis oculis acrem reprehensionem expectaret, subjecit S. Pater : Et ego dico tibi, fili mi, ut rideas, et gaudeas in Domino, quia Religiosus nullas habet causas mœstitiæ, multas vero lætitiæ. Ibid.

Bellarminus Cardinalis de seipso fatebatur : Cum essem Religiosus, nesciebam, quid in vita esset tristitia ; factus Cardinalis, nescio, quid sit lætitia.

P. Petrus Faber tutius existimabat ad lætitiam nimiam quam tristitiam deflectere, quod in hac sexcenti lateant errores, et multum amaroris ; in illa tutoria sunt omnia. *Vita* l. II, c. X.

P. Balthasar Alvarez contemplabatur subditorum vultus, et si quem tristem, aut capite demisso incedere advertebat, corripiebat dicens, in domo Dei neminem tristem esse debere, ideoque excessum in lætitia potius, quam tristitia, tolerandum. *Vita* c. XXIII.

P. Antonius Madridius vix primo laceram tunicam induit, cum illico tanto gaudio imbutus est, ut affirmaret, in tota vita nihil sibi jucundius accidisse. *Hist. Soc.* p. II, l. VII.

Joannes Berkman eam semper oris hilaritatem, alacritatemque præ se ferebat, ut cum aliqui *S. Hilarium*, alii *S. Lætum* facete appellarent. Dicebat, nescire se, quid sit melancholia, aut melancholicum esse. In Sacro quotidie orabat pro lætitia spiritus impetranda. *Vita* p. 24 et 93.

SIMILITUDINES.

QUALITAS.—Sicut accidens est, quod adest et abest præter subjecti corruptionem ; ita præsens tribulatio et ærumna adest et abest præter justi contristationem et conturbationem. HUG. CARD. *in* c. XII *Prov.*

Sicut ignis et aqua simul esse non possunt; sic spirituales et carnales deliciæ in eodem se non compatiuntur. S. BERN. *epist.*

Sicut cœlum altius est nubibus ac pluviis, cum nubibus obducitur, pati putatur, sed non patitur; et sic nos, etiamsi putamur

pati, nihil patimur, id est, quasi nubibus obduci putamur, sed non tristamur. S. Chrys. hom. xvi, *in ep. ad Heb.*

Sicut non propterea malas segetes negamus, quia intermixtan sterilem avenam habent; sic nec beatæ messem conscientiæ negare convenit, licet acerbus dolor interpellet, cum lolii amaritudo frumenti suavitate obducatur. S. Amb. l. III *de Offic.* c. v.

Sicut fonti non deest humor semper ex eo scatens; sic probo viro semper adest gaudium; etiamsi res externæ mutentur. Plutarc. *in Moral.*

Utilitas. — Sicut primus orbis cœlestis secundum movet, et secundus tertium, atque alios; ita hoc in loco vis intelligendi movet voluntatem, voluntas appetitum, appetitus vero carnem propter magnam inter se virium harum conjunctionem. Ludovic. Granat. loc. com. 494.

Sicut mel non modo in se dulce est, sed rebus etiam insipidis dulcedinem suam impertit; sic internum (conscientiæ præsertim) gaudium non modo sibi suave et dulce est, sed etiam amara quæque possessori dulcorat. Rodriq. p. II, tr. vi, c. vi.

Gaudium malum. — Sicut damnatis ad mortem nec cibus, nec potus, nec somnus, aut aliud quidpiam delectabile sincerum gaudium creare potest, quia mortis imminentis terror ob oculos semper versatur; ita multo minus sincerum gaudium illorum inesse potest mentibus, qui sententiam mortis internæ ob peccata gravia commissa, in animo circumferunt. Engelgr. ser. iii *Bacchan.*

Sicut stultus foret, qui immensum emetiretur oceanum, ut inveniret, quod domi habet; ita insipiens est, qui gaudium extra se quærit, quod intra se habere potest. Ibid.

Sicut fidicines in luctuosa domo canere incipientes increpantur, et facessere jubentur; ita qui in hoc mundo inepte vult gaudere, merito a sapientibus et virtuosis hominibus carpitur, et contemnitur. Fab. conc. vii, *in Dom.* 3 *post Pascha.*

Sicut pisci, dum extra aquam, et brachio, dum extra locum suum luxatum est, bene esse non potest; ita nec spiritui nostro, dum extra patriam est. Ib. n. 4.

Sicut, si quis mensæ regiæ cum Damocle assidens, nudum gladium e seta equina pendentem, capitique imminentem videret, omnis ei epularum dulcedo in fel verteretur; ita multo magis impiis gladius divinæ justitiæ capiti eorum imminens omne gaudium in mœrorem convertet. Ib. n. 5.

MOTIVA.

Quia gaudium non parum ad gloriam Dei promovendam conducit; sicut ad gloriam et majestatem Principis pertinet, ut famulos habeat cum magna alacritate eidem servientes. Lyræus. *Apopht.* l. I.

Quia etiam ad proximum lucrandum non parum juvat; sicut venatores, ut facilius admittantur a feris, viridium vestium amœnum ferisque gratum colorem assumunt.

Quia operationes nostras perficit, Deoque gratiores facit; hilarem enim datorem diligit Deus. Rodriq. p. ii, tr. vi, c. ii.

Quia ad perseverantiom plurimum conducit; ut enim nullum violentum perpetuum est; ita iis, quæ cum gaudio suscipiuntur, libenter etiam insistitur. Ibid.

MEDIA.

Vita bona; sic enim jam olim S. Bernardus suasit, dicens: Vis numquam esse tristis? Bene vive; nam timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam et gaudium, et longitudinem dierum. Eccl. i, 12.

Humiltas; sic enim Christus promisit, dicens: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Matth. xi, 29. Idem etiam Francisco Costero S. Ignatius suasit, dum indubitate hilarem futurum dixit, si humilis et obediens fuerit.

Terrenorum contemptus; hinc S. Paulus ad gaudium excitans, *in Domino* gaudere jussit: Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete. I Thess. v, 16.

Lacrymæ; quia, qui lugent, consolabuntur, juxta Christi promissum. Hinc et Ennodius dixit: Apud Deum hilaritas lacrymis obtinetur, et mœror transit in lætitiam. Ennod. l. III, ep. xv.

ASCETICA.

Quatuor sunt, quæ Asceta præcipue de hac materia advertere debet, aliisque inculcare. Primum est, ut bene apprehendat fundamentum, super quod gaudium nostrum

ut ita dicam, inædificari et inniti debet, quod quidem fundamentum Cæsarius breviter his verbis indicavit : Verum gaudium non possidetur, nisi pax et justitia teneatur ; prima enim est et quasi radix, justitia; secunda, pax ; tertia, gaudium ; de justitia nascitur pax, de pace gaudium generatur. CÆSARIUS *Admon.* II.

Alterum est, ut bene consideret, firmissimeque credat, quod S. Hieronymus pronuntiavit sequentibus verbis : Difficile, imo impossibile est, ut præsentibus quis et futuris fruatur bonis ; ut et hic ventrem, et ibi mentem repleat ; ut de deliciis transeat ad delicias, et in utroque sæculo primus sit. S. HIERON. *epist. ad Julian.* XXXIV. In quem sensum etiam S. Bernardus : Errat, ait, omnino, si quis cœlestem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic veneno, charismata illa Spiritus Sancti misceri posse hujusmodi illecebris, arbitretur. Quomodo enim ignis et aqua simul esse non possunt ; sic spirituales et carnales deliciæ in eodem se non compatiuntur. S. BERN. S. VI, *de Asc. Dom.*

Tertium est, ut, quo facilius electionem inter spirituales et carnales seu sensibiles delicias facere possit, discrimen earum bene apprehendere studeat, quod quidem more suo egregie S. Gregorius sequentibus verbis describit : Hoc distat inter delicias cordis et corporis, quod corporales deliciæ, cum non habentur, grave in se desiderium accendunt; cum vero avide eduntur, comedentem protinus in sui fastidium per sui satietatem vertunt. At contra spirituales deliciæ, cum non habentur, in fastidio sunt; cum vero habentur, in desiderio, tantoque a comedente amplius esuriuntur, quanto et ab esuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet; in istis appetitus vilis est, et experientia magis placet; in illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat; in istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit; augent enim spirituales deliciæ desiderium in mente, dum satiant, quia quanto magis eorum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur, quod avidius ametur, et idcirco non habitæ amari non possunt, quia earum sapor ignoratur. S. GREGOR. hom. XXX *in Evang.* Ita ille. Quibus addi potest, quod ad vernm gaudium requiratur, ut semper haberi queat, hominemque plene satiet, et invito seu contra voluntatem auferri non possit ; hæ autem conditiones, ut consideranti facile patebit, in solis spiritualibus deliciis, utpote ex Deo immenso, summe bono, et omnipotente reperiantur.

Quartum est, ut generoso animo se resolvat ad delicias spirituales, spretis terrenis, gustandas ; nam gustato spiritu desipit omnis caro. Id, quod S. Augustinus expertum se fatetur, exclamans : O quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum, et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas a me, vera tu et summa suavitas, ejiciebas eas, et intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni et sanguini ; omni luce clarior, sed homini secreto interiori ; omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. S. AUG. l. IX *Conf.* cap. I. Unde recte hortatur S. Gregorius Nazianz. Adsit modo voluntas, animique propositum, propinqua est consolatio in ore tuo et corde tuo : Memor fui Dei, et delectatus sum. Quid memoria paratius? Memor ergo esto tu quoque Dei, et delectaberis. O facilem et parabilem medicinam ! O celerem curandi rationem ! O egregiam beneficii magnitudinem, non modo animi dejectionem mœstitiamque sedat Dei recordatio, sed et delectationem affert. S. GREG. NAZ. orat. *ad cives suos.* Imo et adversa omnia dulcia facit, teste S. Chrysostomo; sicut enim in mare decidens immensum brevis scintilla facile deletur ; sic quantacumque Deum timenti allidantur, velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia extinguuntur atque perduntur. S. CHRYS. hom. XVIII, *ad Pop.*

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Recte modum comparandi verum gaudium assignavit Jacobus Billius sequentibus distycis :

Nil sibi consciscat, qui læta vivere mente,
Atque metu vacuos gestit habere dies.
Quis probus est, nullo qui pallet crimine, cuique
Intima commissum non ferit ossa scelus.
Ille nec horrendi pavidus tremet ora Tyranni,
Mille nec armatas in sua fata manus.
Quin etiam terræ si fractus concidat orbis
Obruet impavidum vasta ruina caput.

JAC. BILL. *Anth. Sac.*

Sapienter Seneca suo Lucilio suadens : Hoc ante omnia fac, mi Lucili, inquit, disce

gaudere. Ad summa pervenit, qui scit, quo gaudeat. Nolo tibi umquam deesse lætitiam, volo illam tibi domi nasci ; nascitur, si modo intra teipsum sit. Cæteræ hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt, leves sunt, nisi forte tu judicas illum gaudere, qui ridet. SENECA, epist. XIII.

Dulciores sunt lacrymæ pœnitentium, quam gaudia theatrorum, ait recte S. Augustinus, *in Is.* CXXVII.

Navibus atque quadrigis petimus bene vivere, inquis, cum tamen, teste Horatio, quod petis hic sit :

Intus habes, animus si te non deficit æquus.
HORAT. l. V, epist.

S. Laurentius Justinianus ait, consulto a Deo factum esse, ut Religionis jucunditatem absconderet ; quoniam si hanc homines cognoscerent, futurum esset, ut mundus plane totus exhauriretur. S. LAUR. JUSTIN. *apud Plat.* l. III, c. I.

GAUDIUM MALUM. — Hoc breviter expressit Horatius, dum cecinit ad Damoclem alludens :

Districtus ensis, cui super impia
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non avium, cytharæque cantus
Somnum reducent. HORAT. l. III, ad. I.

Voluptas et Dolor apud Jovem convitiis se lacessebant ; quos cum ipse conciliare nequiret, utrosque tandem catena adamantina adeo colligavit, ut alter ab altero discedere nequiret. PLATO, *in Phœdro.*

AUCTORES.

Henricus Engelgrave, *in Cœlo empyreo*, fer. III. *Bachan.*

Mathias Faber, conc. IV et VI. *in Domin. post Pascha.*

Nicolaus Lyræus, *in Apopht. S. Ignatii* apopht. 6.

Ludovicus Granatensis, *Loc. Commun.* f. 489.

Alphonsus Rodriquez, p. II. tr. VI, c. II et III.

Josephus Langius, *in Polyant.* V. eodem.

Laurentius Beirlinck, *in Theatro Vitæ humanæ* V. eodem.

GRATIA.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est qualitas quædam supernaturalis, qua anima ad consequendam beatitudinem supernaturalem promovetur, uti recte S. Thomas eamdem generice sumptam definivit. S. THOM. l. II, q. CX, ar. 2.

DIVISIO. — Dividitur 1. in *habitualem*, et *actualem*. Prior est habitus supernaturalis reddens verum amicum, et filium adoptivum Dei, realiterque justificans. Posterior est pia illuminatio, seu alia quæcumque actio, qua Deus hominem ad propriam salutem consequendam admonet, et quantum est de se, promovet. Et hæc iterum subdividitur in gratiam *prævenientem*, qua Deus hominem impellit ad operandum, et *subsequentem*, qua juvat, et cooperatur in actionibus hominis perficiendis.

Dividitur 2. in gratiam *gratum facientem*, et gratiam *gratis datam*, quæ primario in utilitatem aliorum ordinatur, cujus novem species a S. Thoma referentur ; aliæ enim ad perfectionem cognitionis spectant, ut fides, sapientia, sermo scientiæ ; aliæ ad doctrinæ confirmationem, ut gratia sanitatis, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum ; aliæ ad pronuntiandi facultatem, ut genera linguarum, et sermonum interpretatio.

Dividitur 3. in gratiam *sufficientem*, cum qua quis potest operari, sed numquam operabitur ; et *efficacem*, cum qua operatio infallibiliter connectitur.

EFFECTUS GRATIÆ. — Primus est *peccati remissio* ; juxta illud Salvatoris : Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. LUCÆ VII, 47.

Secundus est, *facere filium adoptivum et amicum Dei* ; uti S. Joannes testatus est, dicens : Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, et simus. JOAN III, 1.

Tertius est, *tribuere jus ad vitam æternam* ; juxta testimonium S. Pauli dicentis : Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus Filii Dei. Si autem Filii, et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. ROM. VIII, 17.

Quartus est, *opera nostra reddere meritoria vitæ æternæ*, ut iterum testatus est S. Paulus dicens : Id enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. II COR. IV, 27. Sed et Christus idem confirmans : Quicumque, inquit, potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, non perdet mercedem suam. MATTH. X, 42.

Quintus effectus est, *pulchritudinem conferre animæ;* nam, ut S. Gregorius ait: Electorum animæ omne humanum genus, quod in terra secundum hominem conversatur, suæ pulchritudinis decore transcendunt. S. Greg. l. XV *Mor.* c. XXXII.

Sextus est, *vitam animæ conferre*, juxta illud Christi: Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant. Joan. X, 10. Hinc et de filio prodigo dicitur: Mortuus erat, et revixit. Luc. XV, 32.

EX S. SCRIPTURA.

Gratia Habitualis. — Qui bonus est, hauriet gratiam a Domino. Prov. XII, 2.

Ubi autem abundavit peccatum, superabundavit et gratia, ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum. Rom. V, 20.

Stipendia peccati mors; gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro. Rom. VI, 13.

Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Eph. IV, 7.

Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. I Petr. IV.

Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Apoc. XXI, 6.

Gratia Actualis. — Non potest homo se quidquam, nisi fuerit ei datum accipere a de cœlo. Joan. III, 27.

Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. II Cor. XII, 9.

Gratia autem Dei sum id, quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum. I Cor. XV, 10.

Gratia enim salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Eph. II, 8.

Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. II Cor. VI, 1.

Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyteri. I Tim. IV, 14.

EX SS. PATRIBUS.

Gratia Habitualis.

Qualitas. — Sola gratia discernit redemposta perditis, quos in unum coacervat massa perditionis, ab origine ducta creationis. S. Aug. *in Enchir.*

Christi gratia, sine qua nec infantes, nec ætate grandes, salvi fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod gratia nominatur. Idem, *de Nat. et Grat.*

Gratia Dei cibus animæ est. S. Bern. *super Cant.* serm. LV.

Gratiæ divinæ adscribitur omne, quod prospere a nobis geritur. S. Greg. *super* V *Reg.*

Gratia non solum adjuvat justum, sed etiam justificat impium. S. Aug. l. *de Pat.* c. XX.

Gratia facit, ut peccatum nobis non dominetur. Id. lib. *de Consc.* c. IV.

Quantum quis crescit in gratia, tantum in fiduciam dilatatur. S. Bern. s. III *in Cant.*

Postquam undæ genitalis auxilio, superioris ævi labe detersa, in expiatum pectus ac purum, desuper se lumen infudit; postquam cœlitus hausto Spiritu in novum me hominem nativitas secunda reparavit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, dari, quod prius difficile videbatur geri posse, quod impossibile putabatur ut esset. S. Cypr. l. II. ep. II.

Gratia Dei invictus efficit. S. Chrys. *super Genes* hom. IV.

Gratia Dei salvat et laborum retributiones dat. Idem, *super Gen.* VII, hom. XXIV.

Gratia quæ per Christum datur, non solum peccatorum remissionem facit, sed etiam ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur; Spiritus etiam gratiæ dat fidem, quæ etiam non petita a Deo conceditur, ut homini petenti et alia concedantur; nam fides non est liberi arbitrii tantum, sed donum Dei. S. Aug. lib. *de libero Arbitrio.*

Dignitas. — Majus est opus justificatio impii, quæ terminatur ad bonum æternum divinæ participationis, quam creatio cœli et terræ, quæ terminatur ad bonum naturæ mutabilis. S. Th. l. II, q. CXIII, 9.

Bonum gratiæ unius majus est, quam bonum naturæ totius universi. Ibid.

Dei gratia non solum omnia sidera et omnes cœlos, verum etiam omnes Angelos, supergreditur. S. Aug. lib. II *ad Bonif.* c. VI.

Donum gratiæ justificantis impium, est majus, quam donum gloriæ beatificantis justum; quia plus excedit donum gratiæ indignitatem impii, qui dignus erat pœna, quam donum gloriæ dignitatem justi, qui

ex hoc ipso, quod justificatus, est dignus gloria. S. Thom. *loc. supra cit.*

Quidquid aliud petitur, nihil petitur ; non quia nulla omnino res est, sed quia tantæ rei comparatione, quidquid aliud concupiscitur, nihil est. S. Aug. *in Joan.* tr. cii.

Gratia Actualis

Necessitas. — Pauper et creditor obviaverunt sibi, utriusque illuminator est Dominus. Pauper est humilis auditor ; creditor et prædicator, qui sibi obviant, cum in unam pietatis gratiam conveniunt, utriusque illuminator est Dominus, quia nec iste prædicat, nec ille credit sine Dei munere. Unde dicit : Sine me nihil potestis facere. Beda, in *Gloss. Prov.* ix.

Nihil boni operis agere potest (homo) absque eo, qui ita concessit liberum arbitrium ut suam per singula opera gratiam non negaret. S. Hieron. *ap. Lanciz.* opus. iv, n. 99.

Quotidiana præstat ille præsidia, quibus nisi freti confisique nitamur, nequaquam humanos vincere poterimus errores. Innoc. *ep. ad Conc.*

Ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis, ut nemo possit ædificare sine Domino ; nemo custodire sine Domino ; nemo quidquam incipere sine Domino. S. Ambr. l. II *in c.* xii *Luc.*

Conatus nostri et cassi sunt, si non adjuventur, et nulli, si non excitentur. S. Bern. l. *de Grat. et lib. Arbitr.*

Utilitas. — Juste instat præcepto, qui præcurrit auxilio. S. Leo s. xvi. *de Pass.*

Vasa namque, quæ creatrix gratia creavit, ut sint, adjutrix gratia replet, ne vacua sint. S. Thom. opusc. lxi c. lxxi.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Si scires totam Bibliam exterius, et omnium Philosophorum dicta, quid totum prodesset, sine charitate et Dei gratia? L. I, c. i, iii.

Si dederis te ad fervorem, invenies magnam pacem, et senties leviorem laborem, propter Dei gratiam, et virtutis amorem. L. I, c. xxv, § 11.

Habebunt gratiam magnam, qui sponte se subjecerint tuæ sanctissimæ servituti. L. III, c. x, § 5.

Fili, pretiosa est gratia mea, non patitur se misceri extraneis rebus, nec consolationibus terrenis. Abjicere ergo oportet omnia impedimenta gratiæ, si optas ejus infusionem suscipere. L. III, c. liii, § 1.

Fili, diligenter adverte motus naturæ et gratiæ, quia valde contrarie et subtiliter moventur, et vix, nisi a spirituali et intime illuminato homine dignoscuntur. L. III, c. liv, § 1.

Hæc gratia, supernaturale lumen, et quoddam Dei speciale donum est, et proprie Electorum signaculum, et pignus salutis æternæ, quæ hominem de terrenis ad cœlestia amanda sustollit, et de carnali spiritualem efficit. Ibid. § 8.

Opus est gratia tua, et magna gratia, ut vincatur natura, ad malum semper prona ab adolescentia sua. L. III, c. lv, § 2.

O quam maxime mihi necessaria est gratia tua, ad inchoandum bonum, ad proficiendum, et ad perficiendum; nam sine ea nihil possum facere; omnia autem possum in te, confortante me gratia tua! Ibid. § 4.

O vere cœlestis gratia, sine qua nulla sunt propria merita, nulla quoque naturæ dona reputanda! Nihil artes, nihil divitiæ, nihil pulchritudo, vel fortitudo, nihil vel ingenium vel eloquentia valent apud te, Domine, sine gratia ; nam dona naturæ bonis et malis communia sunt; electorum autem proprium donum est gratia sive dilectio; qua insigniti, digni habentur vita æterna. Ibid.

Tantum eminet hæc gratia, ut nec donum prophetiæ, nec signorum operatio, nec quantalibet alia speculatio æstimetur sine ea ; sed nec fides, neque spes, neque aliæ virtutes tibi acceptæ sunt sine charitate et gratia. Ibid.

O beatissima gratia, quæ pauperem spiritu, virtutibus divitem facis, et divitem multis bonis humilem corde reddis! Ibid.

Obsecro, Domine, ut inveniam gratiam in oculis tuis ; sufficit enim mihi gratia tua, cæteris non obtentis, quæ desiderat natura. Ibid.

Ipsa fortitudo mea, ipsa consilium confert et auxilium. Cunctis hostibus potentior est, et sapientior universis sapientibus. Ibid.

Magistra est veritatis, doctrix disciplinæ, lumen cordis, solamen pressuræ, fugatrix tristitiæ, ablatrix timoris, nutrix devotionis, productrix lacrymarum. Quid sum sine ea,

nisi aridum lignum, et stirps inutilis ad ejiciendum? Ibid. § 6.

EXEMPLA.

S. Abbas Pacomius ea nocte, quæ illi a suscepto Baptismo prima fuit, mellitum rorem sibi de cœlo descendere, et in dexteram manum decidere, atque hanc vocem audire visus est: Aperi mentis tuæ oculos, Pacomi, et agnosce in rore isto acceptæ a Deo gratiæ argumentum et pignus. *Vita PP.* l. I, c. v.

S. Maria OEgniacensis, cum infans quidam Exorcismis ad Baptismum pararetur, vidit Dæmonem ab eodem fugientem; ac deinde, cum primum sacris Unctis tinctus esset, Spiritum Sanctum visibili specie in ejus animam, cum innumera beatarum mentium corona ingredientem. *Vita*, l. II, c. iv.

Christus, cum aliquando Sanctæ Catharinæ Senensi animam Palmarinæ (pro qua lucranda plurimum ipsa laboraverat) jam beatam ostendisset, hæc verba adjecit: Quis non omnem merito laborem perferat, ut possit lucrari tantæ pulchritudinis creaturam? Plateus, lib. I *de Stat. Rel.* c. xxv.

S. Catharina Senensis, conspecta quondam anima a peccatis pura, et gratia divina exornata, tantam ei pulchritudinem inesse dicebat, ut nullus, qui eam videret, non libentissime pro ea in tali statu conservanda vitam daret. Hinc, ipsa eorum, qui lucrandis animabus se impendebant, transeuntium vestigia deosculari solebat. Surius, *in Vita*, 30 April.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut essentia proprietatum; ita gratia habituum supernaturalium, id est, virtutum infusarum radix est.

Sicut hortus regius, pulchris arboribus, et fructibus optimis plenus, tum sapore et odore suo, tum jucunditate et pulchritudine sua mirificam cunctis sensibus delectationem et recreationem affert; ita gratia tum sua excellentia ac pulchritudine, tum præstantissimis, quas generat, virtutum arboribus, et fructibus, summam Deo et Sanctis aspicientibus complacentiam et delectationem parit. Lampart. *de Præst. Grat.* c. xiv.

Necessitas. — Sicut oculus corporis, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi luce divinæ gratiæ juvetur, non potest recte vivere. S. Aug. l. *de Nat. et Grat.* c. xviii.

Sicut parvulus, cui amplum a parentibus patrimonium relictum est, Tutore eget, non propter indigentiam opum, sed propter bonum usum earumdem; sic homo justus eget assistentia Spiritus Sancti non propter indigentiam gratiæ, sed ut ea bene uti queat. Lud. Granat. *Loc. Com.* fol. 742

Sicut apodes aves, ubi semel terram attigerint, quia quasi sine pedibus sunt (unde et apodes vocantur) non possunt se amplius elevare, nisi vento flante, easque elevante; ita postquam homo in peccatum cecidit, seipsum erigere non potest, nisi Spiritus Sancti flamine, gratiaque adjutus. March. *Hor. Past.* tr. v. lect. ii.

Utilitas. — Sicut turpitudo nuditatis vestimento tegitur; ita naturalia mala carnis nostræ præceptis et gratia divina teguntur. S. Chrys. *in Math.* c. xxvii.

Sicut sol tenebras fugat; ita gratia peccatum ex anima pellit. Hinc S. David dicit: Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras. Ps. ciii, 12.

Sicut agricolæ surculos, quos transplantare volunt colligatos in aqua aut rore conservant; sic Deus custodit animas justorum, quos in cœlo vult arbori vitæ æternæ inserere. Lampart. *de Præst. Grat.* c. xi.

Sicut si quis seniculum quemdam fœda scabie opertum, peste quoque ac morbo incurabili laborantem, in summa inopia curandum assumens, extemplo sanum, et in flore ætatis constituat, ita ut ore splendorem, oculis jubar quoddam ejaculetur, et omnes anteeat formæ præstantia, purpurea insuper chlamide, diademate, et omni regio cultu exornet; sic animam Dei gratia e peccatis eductam, elegantem, et mire amabilem efficit. S. Chrys. hom. i *in epist. ad Eph.*

Sicut per trochleam ingentia pondera, saxa, trunci, magna vasa etc. subito in aerea attolluntur, et velut in sublimiorem naturam mutantur; ita homines gravi corde, et peccatorum pondere pressi, per gratiam eriguntur, et in alios quodammodo homines mutantur. Lud. de Ponte, *in Cant.*

Sicut omnis natio, quæ sub cœlo est, illustratur a sole; ita Deus usquequaque gratiæ suæ radios diffundit, et per eam corda illuminat. Engelgr. *Domin.* 2 *Pasch.* § 1.

Sicut pater amat filium, quia ejus caro et sanguis est, ejusque nomen, formam, et mores repræsentat; ita Deus amat hominem

justum, uti filium, quia ejus gratiam in se habet, ejusque moribus se accommodat. Faber conc. III, *in Dom. Pentec.*

Dignitas. — Sicut si quem Rex aliquis ita diligere posset, ut non regia solum ornamenta offerret, sed mores etiam et sensa regii pectoris transfunderet; insuper suo illum spiritu afflans, daret non alia, quam suamet Regis anima vivere, talis merito felicissimus, omnique honore dignissimus affirmaretur ; ita, cum per gratiam in Deo vivamus, moveamur, et simus, et merito summa nobis dignitas accessisse credenda est. Lampart. *de Præst. Grat.* c. XVII.

Sicut primus homo conditus est ad imaginem et similitudinem Dei ; ita, in secunda regeneratione, quicumque Spiritum S. fuerit consecutus, obsignatur ab eo, et figuram Conditoris accipit. S. Hieron. *ap. Lampart.* c. XXIX *de Præst. Grat.*

Sicut semen est aliquid fructus, quod in sua virtute totum fructum et arborem continet ; ita gratia aliquid Dei est, ac suo modo continet omnia, quæ in Deo sunt. Id. c. XXX.

MOTIVA.

Ad Gratiam æstimandam, et conservandam.

Necessitas ; nam sicut navis , fracto gubernaculo, illuc ducitur, ubi tempestas voluerit; sic et homo, divinæ gratiæ auxilio perdito per peccatum, agit quod non vult, sed quo Diabolus ipsum rapit. Et iterum sicut terra non germinat, nisi pluvias susceperit, nec pluvia fructificat sine terra ; ita nec gratia sine voluntate aliquid operatur, nec voluntas sine gratia aliquid potest, ut recte S. Chrysostomus discurrit, *in Matth.* XXI, hom. XXXV.

Utilitas ; si enim divitiæ temporales tantopere amantur ob utilitatem, quam habent, ad vitam temporalem commode et jucunde transigendam; quanto magis gratia amanda et augenda est, per quam velut per spiritualem pecuniam et gloriatur, et vita æterna omni felicitate abundans comparatur ?

Dignitas ; nam major est dignitas per gratiam obtenta, quam ipsa dignitas Matris Dei ; nihil enim, teste S. Augustino, materna propinquitas Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde, quam carne gestasset. S. Aug. lib. V *de Virg.*

Jucunditas ; si enim tam jucundus accidit labor agricolis, semen materiale in terram jacientibus ; quantam lætitiam affert semen gratiæ, quod in gloriam, et quidem tantam crescet, in animam hominis conjectum ?

MEDIA.

Ad eumdem finem.

Humilitas ; nam ut Deus superbis resistit, ita humilibus dat gratiam. II Petr. V, 5.

Timor sanctus ; ita S. Bernardus suasit, dicens : In veritate didici, nihil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, et recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris, non altum sapere, sed timere , sicut scriptum est : Beatus homo, qui semper est pavidus. Time ergo, cum arriserit gratia; time cum abierit; time cum denuo revertetur, et hoc est semper pavidum esse. S. Bern. s. LXXVII.

Mundities cordis ; nam gratia, teste S. Bernardo, balsamum purissimum est, et ideo purum, solidum, et profundum vas requirit. Id. s. LIV *in Cant.*

Pœnitentia ; nam, ut S. Gertrudis divinitus edocta est, omnes cogitationes, quibus homo cum mœrore suum retractat defectum, post digne peractam pœnitentiam, nihil aliud sunt, quam quædam dispositio et præparatio ad gratiam recipiendam. Blosius, c. IV *Monil. Spirit.* Imo , ut S. Mechildis vidit, et quoties anima in paupertate spiritus ad Deum suspirat, vel ingemiscit , desiderans ejus gratiam , statim omnes Sancti gratiam illi animæ impetrant, ac veniam obtinent. Ibid.

Cooperatio ; sicut enim ignis indiget lignis ; ita et gratia alacritate nostra, et cooperatione opus habet, ut fervere perpetuo possit. S. Chrys. in II *ad Tim.* hom. X.

Gratitudo ; sic enim pius Asceta suasit, dicens : Qui gratiam retinere desiderat, sit gratus pro gratia data, patiens pro sublata; oret, ut redeat ; cautus sit et humilis, ne amittat. L. II, c. XX, § 5.

Generosa sui victoria ; nam tantum proficies (in gratia et gloria) quantum tibi vim intuleris. L. I, c. XXV, § ul.

ASCETICA.

Quatuor sunt, quæ Asceta de Gratia specialiter nosse et observare debet. Primum

est, ut Deo circa distributionem gratiæ plene acquiescat, recolens illud S. Augustini : Dei gratia cur ad istum veniat, ad illum non veniat, occulta causa esse potest, injusta esse non potest. S. Aug. *l. de Bapt. parvul.*

Alterum est, ut eamdem gratiam digne æstimare discat, quod facile assequetur, si firmiter sibi doctrinam S. Thomæ persuadeat, asserentis, bonum gratiæ unius majus esse bono totius naturæ universi. S. Th. 1,2, q. cxiii, a. 9 ad 1 2. Quod quia difficulter aliqui capiunt, ideo monet Nierembergius, ut quemadmodum oculum videntem parvas stellas ratio corrigit, et docet singulas majores esse toto terræ globo ; sic opinionem, qua gratiam ut rem exiguam apprehendimus, corrigamus, et minimam ejus partem, toto universi imperio majorem esse credamus. Nieremb. *de Ador.* l. III, c. viii.

Tertium est, ut se legitime disponere sciat ad gratiam, qua de re sic loquitur S. Thomas : Bonum est diffusivum sui ; sed sicut ol lucet semper, non semper illuminat, ignis calet semper, sed non semper calefacit, nisi dispositum ; sic Deus effluit, sed non influit, nisi recipienti et disposito (quæ dispositio est conversio animæ ad Deum per potentias). Verum Deus sine mensura effluit, sed cum mensura recipit. S. Thom. opusc. lxi, c. xvii. Hinc et S. Aug. dixit : Desiderando, o homo, capax efficeris, ut implearis. S. Aug. tr. iii *in ep.* i.

Quartum est, ut cooperari gratiæ sedulo studeat ; nam, ut advertit Gerson, plerumque fit justo Dei judicio, ut, qui gratiam vel neglexerit, vel repulerit, abutens donis Dei, et talentis summi Patrisfamilias in primo ætatis vigore, dum fas erat, postmodum ad eam veniendi nequaquam recursus illi sit. Gers. tr. *de Parv. adducend. ad Christum.*

MISCELLANEA.

Qualitas. — De Gratia recte dicitur illud Jobi : Nescit homo pretium ejus ; non adæquabitur ei aurum vel vitrum. Excelsa et eminentia non memorabuntur in comparatione ejus. Job. xxviii, 23 et 27.

Omnia reliqua vix uno alterove verbo steterunt, (dixit enim, et facta sunt) Ps. cxlviii, 3. Deo sola gratia stetit ingenti labore, gravissimis doloribus et contemptibus, sanguineo sudore, diris plagis et vulneribus, morte ignominiosissima Sancti Sanctorum

Utilitas. — Cum Elisabeth, Angliæ Regina, Cancellarii sui ædes subintrans, ejus angustias satis mirari non posset, Cancellarius sic eam salutavit : Ædes hæ, o Regina, non sunt nimis angustæ, sed tua Majestas me fecit nimis magnum pro his ædibus. Cui Regina : Si te magnum fecerim, amplificabo ædes, ut illæ tali viro, quem extuli, congruæ sint. Quidni multo magis Deus, qui nos per gratiam amicos suos fecit, domum animæ suis muneribus amplificabit ? Engelgr. *Domin.* iv *Quadrag.* § 2.

Varro putavit utile esse civitatibus, ut se viri fortes credant ex Diis genitos, ut eo modo animus, velut divinæ stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediatur, et fortiter perficiat. Lampart. *Conf.* xv, *de Grat.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : « Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus Filii Dei, (Rom. viii, 16) possunt explicari dignitas et fructus gratiæ, per filii similitudinem, et 1. ostendi, cujus filium gratia efficiat, nimirum Dei Regis Regum, et Domini Dominantium. 2. Quo fructu et effectu faciat filium ; ut scilicet sit hæres Dei, et cohæres Christi. Ubi hæreditatis hujus præstantia et magnitudo explicari potest, quod scilicet nec oculus viderit, nec auris audiverit, nec in cor hominis ascenderit, quæ præparavit Deus diligentibus se. (I Cor. ii, 9.) 3. Quantopere deceat, ut vitam tanto titulo dignam vivamus ; et illis cujuspiam Religiosi verbis nos mutuo adhortemur : Non degeneremus ab excelsis cogitationibus filiorum Dei.

Ex occasione thematis : « Infinitus est thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei ; » (Sap. vii, 14) potest explicari gratiæ præstantia per amicitiæ comparationem, et 1. ostendi cujus faciat amicum ; quam sublimis, quam potens, quam amabilis, quam fidelis sit, ut vere exclamare possimus cum S. Gregor. O mira divinæ bonitatis dignatio ! Servi digni non sumus nominari, et amici vocamur. (S. Greg. *in* c. xv *Sap.*) 2. Quo fructu amicum efficiat, ut scilicet omnia communia faciat, et illud homo justus audire mereatur : Omnia mea tua sunt,

et tua mea. Sicque impleatur illud Siracidis : Qui invenit amicum fidelem, invenit thesaurum ; amico enim fideli nulla est comparatio, et non est comparatio auri et argenti cum bonitate illius. (Eccl. VI, 14.) 3. Quam æquum sit, ut agglutinetur anima nostra per amorem tali amico, et diligamus eum sicut animam nostram, maxime cum ipse non tantum vili tunica se expoliaverit, sed exinaniverit semetipsum, formam servi pro nobis accipiens.

Ex occasione thematis : « Ut societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo ; » (I Joan. I, 3) potest ejusdem gratiæ dignitas et fructus per societatis comparationem explicari, et 1. ostendi, quinam veri sint socii ; quem in finem serviet descriptio a Dionysio Carthusiano in hæc verba data : Socii appellantur, qui libenter sunt simul, et familiariter colloquuntur, separationis quoque impatientes, atque ad specialem unionem aspirant ; qui et secreta sua sibi invicem pandunt ; fidelitatem simul conservant ; de mutua jucundantur præsentia ; in actibus suis communicant, quoniam eadem libenter efficiunt. Imo, sibi invicem cooperantur, et mutuo opem impendunt, et unus prosperitatem cupit alterius. Dionys. Carthus. *in cit. loc. Joan.* 2. Ostendatur, quam perfecte hæc omnia Deus erga justos impleat. 3. Pariter demonstretur quomodo nos vicissim hæc observare debeamus, et quantum ex tali societate fructum et solatium simus reportaturi, ut merito citatus auctor exclamet : O quanta est illa rationalis creaturæ nobilitas, habere cum Divina natura consortium, atque cum proprio Creatore societatem sortiri ! Imo et illud Esaü suo modo audire : Gradiamur simul, eroque socius itineris tui. Gen. XXXV, 12.

Ex occasione thematis : « Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius ; » (Sap. VII, 21) possunt innumeri fructus gratiæ explicari, et 1. Quomodo bonum *utile* obveniat ; quoniam omne aurum in comparatione ipsius arena est exigua, et tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius, cum per illam solam velut condignum pretium, felicitas et bona æterna comparari ac emi queant. 2. Quomodo bonum *honestum* obveniat ; cum faciat filium et amicum Dei, imo quodammodo unum cum Deo, afferatque secum virtutes, quæ sunt mater gloriæ, teste S. Bernardo ; ut adeo vere exclamaverit S. David : Nimis honorificati sunt amici tui Deus. 3. Quomodo etiam bonum *delectabile* obveniat ; vere enim dicere justus potest cum Salomone : Et lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia (et gratia) et ignorabam, quoniam horum omnium mater est. Quæ enim major jucunditas et delectatio obtingere homini potest, quam si fini suo, summo bono conjungi, et in eo velut centro quiescere possit ?

Ex occasione thematis : « Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipsa vita procedit ; » (Prov. IV, 23) potest gratia vitæ comparari, et 1. narrari fabula de Prometheo, statuam luteam fingente, et de cœlo particulam divinæ auræ, qua statuam animavit, afferente. Ostendatur subinde, id rectius de homine dici, qui velut statua immobilis foret, nisi per gratiam velut vitam animaretur. 2. Ostendatur, quam vere gratia faciat vivere, id est, ab intrinseco moveri, item nutriri seu crescere in virtutibus ac meritis ; sentire, id est, cœlestia videre ; audire inspirationes Dei, odorari exempla Christi et Sanctorum ; gustare quam suavis sit Dominus ; et tangere mandata Dei etc., denique etiam ratiocinari, id est, meditari vitam et doctrinam Christi, et appetere finem suum ultimum, ad quem Christus viam suis virtutibus ostendit. 3. Ostendatur, quam æquum proinde sit, ut vitam istam, quam nemo invitis nobis auferre potest, omni custodia, id est, conatu conservemus, sumentes cibum animæ, et declinantes pericula latronum vitam istam eripere satagentium.

AUCTORES.

Henricus Lamparter, *de Præstantia Gratiæ Dei.*

Ludovicus Granatensis, *in Locis communibus.*

Jacobus Marchantius, *in Horto Pastorum.*

Matthias Faber, *in Festo Pentecost.* con. III.

Henricus Engelgrave, *in* p. II. *Lucis Ev.* conc. XVIII.

Philippus D'Outreman, in *Pædagogo Christiano* p. II, c. I.

Thomas Kempensis l. III, *de Imitatione Christi* c. 54 et 55.

Joseph Langius, *in Polyanthæa* V. *Gratia.*

GRATITUDO.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est virtus, qua beneficia ab alio accepta cognoscimus, laudamus et pro viribus recompensare conamur.

Divisio. — Dividitur ab aliquibus gratitudo in eam, quæ *erga Deum* ostenditur, et definitur a B. Alberto Magno, extollentia donorum Dei in anima, cum annihilatione sui, et debita cordis reverentia; (*Paräd.anim.* c. xxv.) et ineam, quæ *erga homines* præstatur; et hæc definitur a Cicerone virtus, in qua amicitiarum et officiorum alterius memoria, et alterius remunerandi voluntas continetur. Lib. II *de Invent.*

Actus.—Actus potiores gratitudinis sunt, 1. Beneficium non negare, sed in recenti memoria retinere, et magnifacere. 2. Beneficium et benefactorem, ubi occasio datur, laudare et publicare. 3. Benefactorem venerari et amare. 4. Beneficium pro viribus mutua beneficentia recompensare. 5. Beneficium, etiam intuitu benefactoris honorandi et extollendi ac recreandi, bene impendere.

Hos breviter indicavit gradus S. Bonaventura, dum dixit : Gratitudinis altus gradus est, digne ponderare naturalia dona corporis; altior, digne ponderare naturalia dona animæ; altissimus, digne ponderare gratuita dona animæ, scilicet dona Spiritus Sancti et virtutes. *De Gradibus virtutum*, c. xx, t. VII.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas et Æquitas. — Cum comederis et saturatus fueris, benedicas Domino Deo tuo, pro terra optima, quam dedit tibi. Deut. vii, 10.

Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. Coloss. iii, 17.

Pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore, et grati estote. Coloss. iii, 15.

Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. I Tim. ii, 1.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus. Ps. cxv, 3.

Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. Philip. iv, 6.

Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Ps. ciii, 1 et 2.

In omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis. I Thess. v, 17.

Gratiam fidejussoris ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam. Eccl. xxix, 29.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas. — Quid est tota die laudare? In prosperis, quia consolaris; in adversis, quia corriperis. Antequam essem, quia fecisti me; cum essem, quia salutem dedisti; cum peccassem, quia ignovisti; cum conversus essem, quia adjuvisti; cum perseverassem, quia coronasti. S. Aug. *super Ps.*

Danti rependi quidquam gratius ab accipiente non potest, quam si gratum habuerit, quod accepit; nam spiritui gratiæ contumeliam facit, qui beneficium dantis grata mente non suscipit. Idem.

Omnis profectus ad Divinitatis munera est referendus, quia nihil constat fore bonum, nisi quod ab ipso cognoscitur esse collatum. Cass. *sup. Psal.*

Gratitudinem ex nobis quærit Deus noster, ut quamprimum cœperis beneficium obtinere, incipias ei gratias agere et similiter in fine, cum beneficium fuerit consummatum. Putant homines, se satis Deo gratos esse, si post acceptum beneficium gratias egerint, sed non sic docentur a Deo suo hic, imo gratitudinem ostendere, cum primum cœperint spicæ ad maturitatem pertingere, et cum omnes fructus domi incluserint. Oleast. in c. xxiii *Exodi.*

Disce in ferendo gratias, non esse tardus, non segnis, disce ad singula dona gratias agere. S. Bernard, *sup. Cant.*

Non omnis gratiarum actio accepta est Deo, nisi quæ de cordis pudica et vera simplicitate procedit. Pudicam sane dixero pro-

pter eos, qui de malis actibus suis gloriantur, Deo gratias dicere solent, quasi Deus morte ipsorum lætetur, cum malefecerint, et exultent in rebus pessimis. Idem, *sup. Cant.* s. v.

Optima beneficiorum custos est ipsa memoria et perpetua confessio gratiarum. S. Chrys. *sup Matth.* n. 25.

Nihil est quod dignum referre possumus pro suscepta carne in Maria. Quid pro verberibus, quid pro cruce obita, et sepultura reddemus? Licet crucem pro cruce, funus pro funere, numquid reddimus, quod ex ipso et per ipsum et in ipso habeamus omnia? Reddamus igitur amorem pro debito, et charitatem pro munere, gratiam pro sanguine, pro pretio pecuniam. S. Ambros. *super Luc.* serm. v.

Necessitas. — Tribus rebus mundus consistit: Super lege, cultu sacro, et super retributione beneficiorum. Navar. *ap Mansi*, tr. xxx, disc. i, n. 2.

Nullum officium referenda gratia magis necessarium, quia majora meretur suscipere, qui collata bona de corde non probatur delere. Disce ergo, o homo, in gratias referendo non esse tardus; disce ad singula gratias agere; diligenter considera, quæ tibi præstantur a Domino, ut nulla ipsius dona debita gratiarum actione frustrentur. Nam jugiter sibi subvenire facit, cui impensum beneficium ante oculos semper assistit. S. Laur. Just. l. *de Lign. Vit.* c. v.

Æquitas. — Quælibet creatura trina voce quemlibet alloquitur, videlicet : *accipe*, *redde, fuge*. Accipe beneficium ex me ad usum tuum. Accipe, inquit cœlum, a me illuminationem, et motum. Accipe, inquit ignis, a me calorem. Accipe, ait aer, respirationem. Accipe, ait terra, a me animalia, victualia, metalla, sustentationem. Secunda vox est : *Redde*, scilicet obsequium tuo benefactori, et meo creatori; qui ideo me creavit, ut tibi servirem, ego autem grata semper tibi obsequor, dum tibi servio; tu ergo multo magis illi obsequium præstes, in honorem suum me utendo, et sibi de meo obsequio tibi impenso gratias agendo, ne ingrata inveniaris. Tertia vox est : *Fuge*, scilicet supplicium tibi paratum propter ingratitudinem, nam si ingrata eris non me bene utendo, et gratias agendo, omnes erimus contra te ad judicandum tuam ingratitudinem. S. Ant. p. II *Summ. Theol.* tit. III, c. ix, § 6.

Propterea et reverenda ac salutaria illa mysteria, quæ in omni certe Ecclesiæ congregatione celebramus, *Eucharistia* (id est, gratiarum actio) nuncupantur; sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipsum divinæ erga nos charitatis ostendunt, nosque faciunt debitas Deo gratias semper exsolvere. S. Chrys. h. xxvi *in Matth.*

Omnia peccata sic habenda sunt tanquam dimittantur, a quibus Deus custodit, ne committantur. Noli modicum diligere, quasi a quo modicum dimissum est, sed potius multum dilige, a quo tibi multum tributum est. Si enim diligit, cui donatum est, ne redderet; quanto magis debet diligere, cui donatum est, ut haberet? S. Aug. *ad SS. Virg.*

Si copia aquarum secretis subterraneisque recursibus incessanter æquora repetunt, ut inde rursus ad visus, ususque nostros jugi et infatigabili fluant obsequio; cur non etiam spirituales rivi, ut arva mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude et intermissione reddantur? Ad locum, unde exeunt, revertantur flumina gratiarum, ut iterum fluant. S. Bern. *in Cant.* s. xiii.

Quis non erubescat, gratiam bene de se merenti non referre, cum videat etiam bestias refugere nomen ingrati? S. Amb. l. VI, *Hex.* c. iv.

Dic mihi, num si aliquid de tuo cuicumque largiris, expectas, ut tibi gratias agat, ut benedicat domum, de qua ei humanitas sit tributa? Qui si forte gratias non agit, quemadmodum a te denotatur ingratus; ita ergo et a nobis expectat, qui nos pascit Deus, ut pro præstitis ab eo escis illi gratias referamus, et saturi donis ipsius, laudes ei dicamus. S. Ambr. s. xlii.

Utilitas. — Quia pro nato filio grata fuit Eva, dum dixit: Possedi hominem per Deum; et prius beneficium agnovit, assecuta est et aliud. Talis enim est Dominus noster, quando in primis gratitudinem declaramus, et benefactorem agnoscimus, largius sua dona nobis erogat. S. Chryst. *in cit verba.*

Optima beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, et perpetua confessio gratiarum. S. Chrys. hom. xxv. *sup. Matth.*

Admoneo vos, ut Dominum semper benedicatis. Si venerint mala, benedicite, et dissolventur mala. Si prospera venerint, benedicite, et perseverabunt bona et prospera. S. Chrys. in tract. *de Symb.*

Meliora meretur suscipere, qui collata bona de corde non probatur amittere. Cassiod. *sup. Psal. Quoniam misericord.*

Invitat ad magna, qui gratanter suscipit modica, et spem de futuris recepit, qui transacta beneficia recognoscit; nec desperatione frangitur, qui magnorum munerum consolatione roboratur. Cassiod. cp. iv.

Gratitudo est maxima utilitas hominis, qua cognoscimus benefactorem, a quo propter hoc ipsum cumulatius bona recipiamus. S. Chrys. hom. lxxii *ad Pop. Antioch.*

Deus exigit a nobis gratitudinem, non quod nostra celebratione opus habeat, sed ut, quidquid est lucri, iterum ad nos redeat, et dignos nos faciamus majoribus subsidiis. S. Chrys. hom. viii *in ep. ad Coloss.*

Nihil æque facit in virtute crescere, atque cum Deo assidue versari et colloqui, quam ei perpetuo gratias agere et psallere. S. Chrys. *in Psal.* xlix.

Nihil tam gratum Deo, ut anima grata, et gratias agens; nam cum innumeris beneficiis quotidie omnes nos prosequatur, nihil aliud a nobis exigit, quam habere gratiam. S. Chrys. hom. liii *in Gen.*

Ad principium, unde proveniunt beneficia, revertuntur per gratiarum actiones, ut iterum fluant per beneficiorum exhibitionem. S. Th. lect. v *in c.* i *ad Rom.*

Testari gratitudinem est opus acceptissimum Deo, et invitat Deum ad majorem liberalitatem; quare qui ex fide obtulerant primogenita, consecuti sunt parvo sumptu magna Dei beneficia. Lippoman. *ap. Mansi,* disc. vi n. 5.

Confitenti humiliter, et devote gratias referenti, non immerito ampliora beneficia promittuntur. Nam qui fidelis invenitur in modico, jure constituetur super multa; sicut e contrario accipiendi indignus est, qui fuerit de acceptis ingratus. S. Bern. ser. iv. *sup. Psal. Qui habitat.*

Mensa ab oratione sumens initium, et in orationem desinens, nunquam deficiet, sed inde largius omnia nobis adfert bona. S. Chrys. hom. lxxii *ad Pop. Antioch.*

Origo fontium et fluminum mare, virtutum et scientiarum Dominus Jesus. Ex isto fonte manant, ut ad locum unde exeunt, flumina gratiarum revertantur, ut iterum fluant. Remittatur itaque ad suum principium cœleste profluvium, spirituales rivi proprio fonti sine fraude et sine intermissione reddantur, ut arva mentium rigare non desinat. Qualiter inquit? Audi Apostolum : In omnibus gratias agentes, ut, quidquid sapientiæ, quidquid virtutis habes et gratiæ, totum Dei virtuti, et Dei adscribas sapientiæ. HugoVict. *ap. Mansi,* tr, xxx. disc. vii, n. 11.

Dignitas. — Nullum gratiarum actioni par bonum, quemadmodum blasphemia pejus nihil. S. Chrys. ib. disc. iii, n. 5.

Facilitas. — Gratias Deo agamus, qui tanta apud nos beneficia collocavit. Neque enim grave aliquid et onerosum a nobis requirit, sed solum, ut testemur et fateamur beneficia sua, et pro his gratias referamus; non quod ipse his egeat, qui sufficientissimus est, nullaque re indiget, sed ut nos discamus Auctorem bonorum nobis conciliare; nam sic ipsum ad majorem nostri sollicitudinem provocabimus. Idem, hom. x, *in Gen,*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas. — Omnia, quæ in anima habemus, et corpore, et quæcumque exterius naturaliter vel supernaturaliter possidemus, tua sunt beneficia, et te beneficum, pium ac bonum commendant, a quo bona cuncta accepimus. Omnia ex te, et ideo in omnibus es laudandus. L. III, c. xxii.

Da Deo, quod Dei est, et tibi adscribe, quod tuum est; hoc est, Deo gratias pro gratia tribue, tibi autem soli culpam, et dignam pœnam pro culpa deberi sentias. Lib. II, c, x, §. 3.

Ego totum dedi, ego totum habere volo, et cum magna districtione gratiarum actiones requiro. Lib. III, c. ix, §. 2.

Si dignitas datoris inspicitur, nullum datum parvum, aut nimis vile videbitur. Non enim parvum est, quod a summo Deo donatur. Etiamsi pœnas et verbera det, gratum esse debet, quia semper pro salute nostra facit, quidquid nobis advenire permittit. Lib. II, c. x, §. 5.

Sic singula considera, sicut ex summo bono manantia, et ideo ad me tanquam ad suam originem cuncta sunt reducenda. L. III. c. ix.

Nihil ergo tibi de bono adscribere debes, nec alicui homini virtutem attribuas, sed totum da Deo, sine quo nihil habet homo. L. III, c. ix.

Utilitas. — Esto gratus pro minimo, et eris dignus majora accipere. Lib. II, c. x, §. 5.

Qui gratiam Dei desiderat, sit gratus pro

gratia data, et patiens pro ablata. Oret, ut redeat; cautus sit et humilis, ne amittat. Ibidem.

Ille major et melior est, qui sibi minus adscribit, et in regratiando humilior est, atque devotior. Lib. III, c. XXIII, §. 2.

Ideo non possunt in nobis dona gratiæ fluere, quia ingrati sumus Auctori, nec totum refundimus fontali origini. Semper enim debetur gratia digne gratias referenti, et auferetur ab elato, quod dari solet humili. Lib. II, c. X, §. 2.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Christus, quando volebat opus grande facere, prius cœlum suspexit, et gratias egit sicut patet in multiplicatione panum, suscitatione Lazari, et Eucharistiæ institutione. MARC. VIII, 6 ; JOAN. VI, 11 et XI, 41.

B. Virgo, ne umquam Deum benedicere cessaret, ut D. Bonaventura loquitur, semper in ore habuit verba : *Deo gratias*. Neque aliud fere respondere solita est. D. BON. *de Vita Christi*. c. XXXIII.

Omnes Angeli stabant olim, ut vidit S. Joannes, in circuitu throni, et ceciderunt in facies suas, et adoraverunt Deum dicentes : Amen. Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor et virtus, et et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen. APOC. VII, 11.

SS. Apostoli cum gaudio reversi sunt dicentes : Domine, etiam, Dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Quibus verbis beneficium sibi collatum extollunt, ac proinde gratias agunt, teste Sancto Hieronymo et Theophylacto, *in cap. Marc.* VII.

Primi Christiani, imo et Religiosi, teste S. Augustino, in communi congressu se per voces : *Deo gratias* ! salutabant. Hinc a circumcellionibus per scomma *Deo gratias* sunt vocati. S. AUG. *in Ps.* CXXII.

Pulcherrimum exemplum gratitudinis reliquerunt tres pueri Babylonis in fornace existentes, dum omnes creaturas ad Dei laudem invitarunt. DANIEL. III.

Judas Machabæus et populus Jerosolymitanus scripserunt Aristobulo : De magnis periculis a Deo liberati, magnifice gratias agimus ipsi. MACHAB. I, 11.

Tobias senior, inter doctrinas filio datas, primo loco hanc ponebat : Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus ; memor enim esse debes, quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo. Junior vero dicebat patri : Quam mercedem dabimus ei ? Aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus ? Peto te, pater mi, ut roges eum, si forte dignabitur medietatem de omnibus, quæ allata sunt, assumere. TOB. IV, 3 ; XII, 2, 4.

Joseph Patriarcha in grati animi signum vocavit filium suum primogenitum Manasses, dicens : Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, et domus patris mei. Nomen quoque secundi appellavit Ephraim, dicens : Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. GEN. XLI, 51.

Moyses quoque ob eamdem causam vocavit unum filium Gersam, hoc est, *peregrinum illic*, dicens : Advena fui in terra aliena, alterum Eliezer, hoc est, *Dei adjutorium*, dicens : Deus patris mei adjutor meus, eripuit me de manu Pharaonis. EXOD. II, 22.

Hæmorrhoissa, tactu fimbriæ sanata, præ foribus domus suæ statuam æneam hujus miraculi indicem collocavit, cujus gratitudinem Christus probavit alio miraculo, dum ad pedes imaginis herbam ignotam produxit, quæ, ubi vestimenti Christi per statuam repræsentati fimbriam contigisset, omni morborum generi medebatur. BEIRL. *in festo S. Matthæi* them. 3.

S. Franciscus suos instruens dicebat : Quando Dei servus orans visitatur divinitus, dicere debet : Istam consolationem mihi peccatori et indigno de cœlo misisti, Domine, et ego illam tuæ committo custodiæ, quia thesauri tui me sentio esse latronem. S. BONAV. *in Vita*, c. X.

S. Thelica fortissimus Martyr, dum ungulis laceratur, nihil aliud inter tormenta ingeminavit, nisi *Deo gratias*. Idem S. Cyprianus dixit, post fatalem sententiam recitatam, simulque spiculatori a suis Diaconis viginti quinque aureos numerari jussit. BAR. *Ann.* 261, n. 30 et anno 303, n. 19.

S. Clara viginti annis morbo intabescens, assidue Deo gratias retulit. DREX. in *Prodromo* s. II, § 47.

Boleslaus, Rex piissimus Poloniæ, ut gratum se Deo exhiberet pro beneficiis acceptis, non modo villas, oppida et prædia, pro Ecclesiæ ornamentis et cultu Dei assignavit ; sed etiam decimas eisdem accuratissime suo tempore offerri curavit. *Catech. hist.* c. VII, l. XXXI, ex. II.

Alphonsus, Aragonum Rex, de tribus inces-

santer Deo gratias agebat, scilicet, quod hominem, quod Christianum, quod Regem fecerit. ÆNEAS SYLV. *de Dictis Alph.*

Beata Henrici IV Imp. uxor, cum a rustica femina tenuissimum filum in gratitudinis signum accepisset, tantum ei agrorum assignari voluit, quantum filum donatum per longitudinem dimensum mensurabat. BEIRLINC. *in festo S. Matthæi* them. III.

Balduinus, Jerosolymorum Rex, cum Admiratum Turcarum in Arabia prælio superasset, captam illius conjugem cum aliis multis (quam vicino partu graviter habentem vir in itinere reliquerat) in optimo lecto tentoriis circumclusit, servis quoque atque alia omni re necessaria adjutam, insuper pro stragula veste, cujus eo in loco copia nulla erat, chlamyde sua cooperuit, atque Admirato eam illæso pudore restituit. Contigit postea Balduino, ut a Turcis acie victus in urbem Rhamam immunitam se reciperet. Ad eum ergo idem Admiratus nocte profectus, plus accepti beneficii, quam ob religionis diversitatem odii, aut etiam prædæ, quam sperare posset, memor, periculi imminentis magnitudinem aperuit. Postridie enim mane Turcas impetum facere in urbem constituisse; si se sequeretur, incolumem se servaturum eum promisit, et promissis re ipsa satisfecit. DAUROLT. c. VII, tit. III, exempl. IV.

Videamus gratitudinis palmare monumentum e Pio V Pontifice vere Maximo in homine rustico relictum, a quo cum Bergamo noctu Mediolanum profugeret, (quod inquirendo in suspectæ fidei Episcopum, in suum exitium aliquando plures irritasset) in domum receptus, atque pro rustica tenuitate laute habitus fuerat. Hunc enim in frequentissima inspectantium, ac fausta precantium turba, quum a Laterano, qua die Pontificatus possessionem adiit, sublimis referretur, agnovit, atque ad se deinde jussit vocari, cognitoque duas illi filias esse, ut honestius nec pro fortuna elocaret, bina aureorum millia; ut vero ipse sibi prospiceret, quingentos dedit; nulla ineptæ magnificentiæ ostentatione opes publicas prodigens, sed tenuissimi villici commodis abunde prospiciens, quem non equidem donatum auro, sed agnitum fuisse, satis mirari non possum; nam in ea nocturna fuga vix semel viderat, verum, ut obliviosissimi mortalium sunt ingrati, ita grati homines memoria maxime valent. JOAN. RHO, lib. IV, c. VIII, n. 3.

De S. Theresia sic scribit Joannes Rho: Erat cuidam virginum familiæ a confessionibus Sacerdos bonus ille quidem, verum moribus præfractus, ingenioque austerus, adeo ut virginibus esset peracerbus et gravis. Rem, quod ita domesticæ quietis interat, ad Theresiam detulit familiæ præses; alium sibi adhibendum videri, ac morosissimi hominis consuetudinem vitandam. Sed vetuit Theresia, gravi oratione admonens, vorandas esse quaslibet acerbitates, atque dissimulandam durioris ingenii conditionem; quod is olim virgines de fraude admonuisset, quam in ædium venditione improbi homines adornabant; nolle itaque se bene merentem de familia universa hominem ea missione contristari. Eidem Theresiæ cum in via æstuanti obvius viator frigidam dedisset, ingentem sane retulit mercedem; nam per aliquot annos pro ejus salute supplicaturam se Deo recepit, præstititque cum fide; hoc uno Theresiæ facto vel in hac vita Christi Domini oraculum laudatum est, quo frigidæ calici mercedem minime defuturam pronuntiavit. Ib. n. 3.

Subtilis admodum Eleonoræ ex Austriacum gente, Mantuanorum Ducis, in hac gratiarum philosophia ratio fuit. Ibi beneficium se accipere agnoscebat, ubi mortalium plurimi debitam agnoscunt servitutem. Quis enim pauperes, artifices, oratores, piscatores, cæterosque hujusmodi, suos inter numerat beneficos? Faciebat hoc tamen Eleonora, eorum sudoribus sibi lautitias parari dictitans, et otium, quo Principes perfruerentur, illorum laboribus defendi. Quamobrem pro illorum manibus pias preces fundere sollicite institerat, ne plane viveret ingrata. O animum vere magnum! Est in illis obsequiis addicta libertas, quæ, ut nullo unquam bene emitur argento; ita grati animi libera est significatione redimenda. Ib. n. 6.

De Stanislao Hosio, et Seraphino Oliverio, Cardinalibus, sic scribit idem auctor: Non decet bene merentium vita gratum animum circumscribere; gestit enim, atque extra brevis ævi emicat angustias, quod in Hosio observatum non sine admiratione fuit. Ut enim in colendis superstitibus, a quibus beneficia se recepisse noverat, nemini fuerit secundus; ita illorum filiis, cognatis, affinibus, amicis demum juvandis, fovendisque, cum paucis numerandus est. Reputabat vir sapientissimus, se illis plurimum debere, in

quos, quæ sibi delata fuerant, conferri potuissent beneficia. Seraphinus non minori virtute Jacobi Razalii, a quo beneficium se adolescentem accepisse, nunquam fuerat oblitus, nepotes aliquot et vivens omni coluit officio, et quasi satis sibi eo non fecisset, ut etiam post fata viveret gratus, bonorum omnium scripsit hæredes. Ib. n. 9.

Ibidem de AlphonsoValentino, Ord. Præd. sic scribit : Gratus animus semper habet, quas referat gratias, et si præsidia alia desint, vota in promptu habet et preces. Et sane utiliora hæc sæpe benefactoribus esse, Alphonsi exemplo scimus, qui præter ædes honesti Sacerdotis, a quo in illis ipsis hospitio fuerat exceptus, transibat nunquam (faciebat autem sæpissime) quin illius manibus sacro carmine, quod Responsorium vocant Rituales libri, pacem precaretur. Ab hac ille ratione non antea destitit, quam homini bene esse divinitus admonitus, sua ope non amplius intellexit indigere. Ibid. n. 9.

Porro, quantum vel unicum, *Deo gratias*, casualiter prolatum apud Deum valeat ad evadendum etiam, quod uspiam incurrere possemus, maximum periculum, id est, damnationem æternam, ex sequenti historia colligere licet. In quodam prioratu Belgi tres morabantur monachi concubinarii et crapulones, qui certatim carnis voluptatibus vacabant. Vespertino tempore, postquam se cibo et potu ingurgitassent, unus illorum dicebat : Deo gratias ! Cui alter respondit : Ego non Deo, sed Diabolo gratias ago. Quibus dictis, singuli cum suis concubinis ad lectum concesserunt. Accidit autem, ut, dum vix lectum ingressi essent, Dæmon illis in habitu venatoris apparens dixerit : Ubi nam est ille, qui mihi gratias egit? Ecce præsto sum. Habebat vero Spiritus ille duos alios Dæmones habitu coquorum indutos, quibus, ut impium illum e lecto extraherent, et ad ignem torrerent, præcepit, sicuti et factum est. Alii vero terrefacti audierunt Dæmones eisdem dicentes : Digni vos etiam pari supplicio, nec deest voluntas mihi ; vetor vi majori, invitus abeo, resipiscite, aut manent terribiliora. Porro quænam causa fuerit, cur Dæmon coercitus sit, ne de illis pariter sumeret supplicium, tametsi auctor non referat, vel declaret, verumtamen ex narrata historia satis deducitur, reliquos duos ex eo solum capite liberatos fuisse, quia scilicet dixerant, *Deo gratias*. Mansi, tr. xxx, *disc.* xxv, n. 7.

Quidam fuit filius ditissimorum parentum, cui pater suus desponsavit filiam cujusdam nobilissimi, et præ omnibus locupletissimi Regis nimis pulcherrimam. Movit ergo sermonem cum puero de nuptiis, et quomodo facere meditabatur, annuntiavit, quod ille quasi rem malam ac nefariam respuens, relicto patre, in fugam elapsus est. Ambulans autem declinavit in domum cujusdam senis pauperis, propter æstum diei semetipsum repausaturus. Tunc filia senis virgo, quæ erat ei unigenita, sedens ante januam operabatur manibus, ore autem suo Deum laudabat, assidue gratias agens ei de imo cordis. Hujus autem laudes juvenis auscultans, ait : Quod est istud, o mulier, studium tuum, cujus autem rei gratia, cum ita sis pauper et tenuis, quasi pro quibusdam magnis donis gratias referendo sic laudas Dominum? Quæ respondens ait : Nescis, quia sicut exigua medicina de magnis laboribus sæpius liberat hominem, ita et in parvis Dei donis, gratiarum actio magnorum auctrix bonorum efficitur. Ego quidem filia sum senis pauperis, gratias tamen refero Deo pro modicis istis donis, et benedico Dominum, certa, quoniam qui hæc contulit, et majora valet dare ; et ista quidem de his, quæ extrinsecus sunt, et nostra non sunt, ex quibus nec multa possidentibus lucrum aliquod pervenit, ne dicam, quia et sæpius damnum sustinent, neque minora accipientibus accidit detrimentum, eamdem utrisque viam pergentibus, et ad eumdem pervenientibus finem. Eorum vero, quæ magis sunt necessaria, et perfectissima, multa et maxima accepi Dei dona quæ innumerabilia et inæstimabilia sunt. Nam secundum imaginem Dei facta sum, et ipsius notitiam habere merui, et ratione præ omnibus animalibus sum prædita, et ab ipso Deo invitata sum ad vitam per viscera misericordiæ ejus, cujus et mysteriorum particeps esse merui, cui et Paradisi janua parata est, facile, si voluero, introitum mihi præbitura. Pro tantis igitur et talibus donis, quæ indifferenter divites percipiunt, et pauperes, ut dignum est, gratias agere penitus est impossibile. Si autem et modicam laudationem largitori bonorum non obtulero, qualem excusationem habebo ? Juvenis itaque eximium illius stupens intellectum, ejus patrem accersivit, cui dixit : Da mihi uxorem filiam tuam, adamavi enim illam propter intellectum et pietatem. Tunc senex ait : Non licet

tibi accipere pauperis filiam, cum parentum divitum sis filius. Rursus autem juvenis ait : Etiam hanc accipiam, si tamen mihi non negaveris eam. Nobilium quippe et divitum mihi filia fuit desponsata, sed hanc respuens fugam aripui, filiam quoque tuam propter pietatem, quam habet in Deum, et præclarum illius intellectum adamans, copulari mihi præ omnibus cogitavi. Senex autem dixit ad eum : Non possum tibi filiam meam dare, ut ducas in domum patris tui, et ab ulnis meis separes eam, unica enim mihi est. Sed ego, inquit juvenis, apud vos manebo, et vestram suscipiam conversationem. Deinde et splendidum deponens vestimentum, senis habitum postulans induit. Tunc ille senex in multis tentans eum, et varie ipsius examinans cogitationes, postquam cognovit juramenti illius stabilitatem, et quia non amore insipientiæ detentus petiit ejus filiam; sed pietatis amore elegit pauperrime vivere, hanc præponens suæ gloriæ et nobilitati, tenens eum manu introduxit in suum cubiculum, et ostendit ei divitias multas ibi repositas, et immensum pondus pecuniarum, quantum non viderat aliquando juvenis ille, et ait ad eum : Fili, hæc omnia tibi do, eo quod elegisti meæ fieri hæres substantiæ. Quam tenens hæreditatem, ille omnes supergressus est gloriosos terræ et divites. Vincent. Bellovac. l. XV. c. xv. et *Spec. Exempl. tit. Gratias agere, Ex.* 1.

Præclarum adhuc gratitudinis exemplum de Temazaca, nobili Japone, his verbis narrat Joannes Rho : Vereor, ne nimia divinorum munerum abundantia, quæ gratias maximas jure suo reposcit, vitio nostro nos reddat ingratos. Quotus enim quisque nostrum, quod depulsis errorum tenebris, tanta ubertate nostris se regionibus veritatis lumen infuderit, gratias Deo habet ? At Temazaca, recentis fidei homo, sed indolis ac generis clarus, cum a prætereuntibus salutare Jesu nomen invocari audisset, equo desiliens, Deo quam potuit enixissime gratias retulit, quod, quibus in terris paulo ante profana Idolorum nomina aerem quadam infidelitatis contagione afflabant, jam nunc Filii sui sanctissima floreret invocatio. Joan. Rho, l. VI, n. 7.

Joannes Zeniscus, Græcorum Imperator, ope divæ Virginis, Martyrum Georgii et Theodori, ingenti gloria Bulgaros, Scythas, Turcas et alios Barbaros adversus Romanos simul fœdere junctos, numero trecentorum, triginta millium militum, iteratis summo labore atque periculis, sæpe prœliis superavit, atque summa religione qua vicerat triumphum paravit. Primum Bulgarorum civitatem, ubi regia erat Parastlabam nominata, expugnabit, mutato postea nomine ab Imperatore Janopolim nuncupatam, cepitque Regem Bulgarorum Borisem cum uxore et liberis, et Bulgarorum regnum extinctum superatis ingenti prœlio postea Barbaris, die Sancti Georgii martyris, cui tanta victoria accepta lata fuit, converso post hæc bello adversus reliquos qui se Drostoli munierant ancipiti prœlio et certamine diu multumque pugnatum, donec divinum auxilium certis signis Romanis adfuit, quibus adjuti vicere penitus Barbaros. Quænam autem fuerint divina subsidia, ea refert Curapalates. Fertur, inquit, divinam opem tuos Romanos esse consecutos. Turbo enim quidam a Noto vento in ora Scytharum constitit, haud permittens eos captis uti in bello consiliis. Et quidam vir conspectus est ab omni Romanorum exercitu equo albo vectus in antesignanis pugnare, hostiumque commovere ac perturbare phalanges, nulli prius aut postea cognitus, quem aiebant unum esse ex gloriosis matyribus, Theodorum videlicet, quibus tutoribus ac propugnatoribus contra hostes utebatur semper Imperator. Etenim forte accidit, ut hoc prœlium ea die committeretur, qua celebrare memoriam militis consuevimus. Cum et mulier quædam nobilis Byzantii, supremæ potestatis, per visum illud ita esse confirmabat una ante congressum die, in somnis sibi visum Dei genitricem præsto esse, et cuidam militi dicentem audire : Domine Theodore, meus et tuus Joannes in periculo versatur, ad ejus auxilium propera. Orto sole, eadem mulier vicinis rem patefecit. Et quæ visa sunt, hæc fuerunt. Funduntur rursus Scythæ, qui clausas urbis portas comperientes a Scleto Duce per planitiem dissipatis, mutuoque conculcati interfecti sunt, et a Romanis cæsi numero infiniti, vulnerati autem fere omnes. Martyri autem debitum reddens honorem Imperator, et auxilii præmia rependens, templum illud, ubi sanctum ejus corpus conditum est, a fundamentis eversum, majus, pulcherrimumque ædificavit, attributis ei magnificis possessionibus, quod etiam pro Euchanem Theodoropolim appellavit. Baron. *tom.* x, *Ann.* 971.

EXEMPLA DOMESTICA,

S. Ignatius P. Petro Coderio (cujus opĕ fere sustentabantur Patres) grati animi causa honores Fundatorum omnes decrevit, annuam videlicet candelam, missarumque certum numerum, utque consessu ac loci dignitate Professis omnibus anteiret; mortuo vero, consueta suffragia fierent, et etiam sepulchro cum honorifica inscriptione lapis imponeretur. Idem quoad vixit, Barnabitas Mediolanenses amore, consiliis, officis prosequebatur, eo quod P. Emmanuelem Mionam ægrum in suo monasterio summa charitate curassent. Licet autem in referendis gratiis plura præstaret, quam acciperet, tamen in rependenda gratia numquam sibi satisfecisse videbatur. *Hist. Soc.*

P. Petrus Faber Deo gratias agebat pro communibus etiam beneficiis, ac si sibi uni collata essent, maxime ob amorem, quo Deus beneficia communia elargiens unumquemque in particulari ac nominatim respicit. In quovis Dei beneficio tria ponderabat, quis, quid, quo studio largiretur ; inde censebat fieri non posse, quin omnia magnifierent. Aiebat, præcipue Deo esse agendas gratias ob beneficia nobis nec petentibus, nec sentientibus collata, v. gr. natum esse Christianum. Ex perpetua beneficiorum Dei recordatione replebatur os ejus perpetua laude Dei, et animus se totum vicissim Deo offerendi. Gratias agebat Deo pro publicis calamitatibus, v. gr. peste, bello etc. cum ea Deus disciplinæ gratia immittat, dolens, homines hoc beneficium non agnoscere. Ferventer orabat pro iis, qui sibi fecissent bene, ut qui Baptismum, Chrisma, S. Ordines, S. Eucharistiam illi contulissent, ut et pro Confessariis et Magistris suis. Gratias etiam agebat Deo nomine sociorum suorum ac fratrum, tamquam membrum pro membro, in quos similia beneficia collata essent. Imo gratias Deo agebat pro beneficiis in ipsos etiam Angelos et Sanctos collatis. Quidquid tandem cuipiam bene eveniret, illius loco agebat Deo gratias, ut cum fecundos agros transiret, petens simul veniam pro illis, qui gratias non agebant. Quia vero omnia divinæ gratiæ tribuebat, nihil suæ industriæ, sed perpetuo laudabat Deum, hinc tantis gratiis e cœlo animus ejus replebatur, et quidquid incœpit, feliciter ei evenit in salutem proximi.

P. Jacobus Martinez singulis diebus modo quinque, modo septem millia actuum amoris in Deum, et gratiarum actionis, eliciebat. *Syllabus Pervan. Provin.*

P. Michael de Rayno beneficia divina in se collata scheda descripta de collo gestabat. *Annuæ* 1604.

Joannes Berckman pro suis professoribus bis per diem orabat. Professori Philosophiæ schedam ineunte fere mense offerebat in cubiculo, orationibus et pœnitentiis refertam pro ipso persolvendis. *Vita*, pag. 224.

EXEMPLA PROFANA.

Plato Deo assidue gratias agebat, quod homo, quod mas, quod Græcus, quod Atheniensis, quod tempore Socratis, a quo institui posset, natus esset. Faber, *in Dom.* 13, *post Pent.* conc. II.

Romani, quia anseres Capitolium sua vigilantia servarant, publico decreto decreverunt, ut semper aliquot eorum in Junonis templo alerentur; et ut quotannis anser unus in splendida lectica et veste stragula sedens, per urbem circumferretur cum solemni pompa. Plin. l. X, c. XI.

M. Antonius tantum honorem magistris suis exhibuit, ut eos præ cæteris ad oscula admitteret, et eorum imagines aureas in Larario haberet, sepulchra vero illorum hostiis et floribus ornaret. Fab. l. c. conc. III.

Antalcidas rogatus, quid agendum sit ad hominum favorem acquirendum? respondit: Si gratus fueris ; si grata loquaris ; si grata ipsis præstiteris. Idem, conc. III, n. 3.

Alexander Magnus Bucephalo equo suo seni stabilem annonam decrevit, ob obsequium in juventutis flore præstitum. Idem, n. 9.

Cum veteranus quidam miles in jus citaretur, adiit in publico Cæsarem Augustum rogans, ut sibi adesse vellet. Cum vero Cæsar ex suo comitatu aliquem daret, qui causam illius ageret, respondit miles : At non ego, Cæsar, periclitante te in Actio bello vicarium quæsivi, sed pro te ipse pugnavi. Simulque cicatrices detexit; quo audito erubuit Cæsar, atque in advocationem ipse descendit, veritus, ne alioqui non modo su-

perbus, sed etiam ingratus videretur. Langius, tit. *Gratitudo.*

De gratitudine mortui erga suum benefactorem sic scribit Alciatus :

Cum curvos piscator aquis educeret hamos,
Naufragio fractum sustulit ære caput;
Maxima mox hominis flens infortunia, parvo
Quæ super hinc fuerant condidit ossa solo;
Pondera sed fodiens ingentia reperit auri.
Justo homini numquam gratia facta perit.

Rex Sinarum cum exactis Tartaris regnum stabili pace componeret, ut fortissimorum Ducum, quorum præclara opera Tartaros vicerat, perenni prosequeretur beneficio, et post commune factum gratus viveret in omnium recordatione posterorum, aliquid excogitavit atque invenit, quod redivivæ semper gratiæ perpetuum duraret argumentum. Ferreas confieri laminas pro numero ducum jussit, singulorumque pugnis atque victoriis cœlari, unicuique deinde suam tradidit, communi omnibus lege, ut post ipsorum excessum apud familiarum principes servatæ laminæ certis ab unoquoque vicibus in judicium proferri possent, toties reos capitis periculo judicioque erepturæ; dummodo, ne fraus sæpius judicibus fieret, quoties salutares fuissent, certis notis insculperentur. Itaque post aliquot jam sæcula vivunt non minus Ducum præclara gesta, quam sapientissimi Regis grati animi præclara monumenta; ambiguo apud omnem posteritatem judicio, quænam gloriosior memoria sit, Regis ne, an Ducum? Sed vera æstimantibus ferrum illud cuivis auro anteferatur, in quo gratissimi Regis beneficio, illustria vivunt ac florent gesta majorum. Joan. Rho, l. IV, c. VIII, n. 1.

Supremum inter armorum furorem effrenisque crudelitatis sævam licentiam, ut retorrido in agro viridis aliquando cespes, ita magnum virtutis exemplum emicuit. In expugnatione arcis Cronzoniæ, quam de Hispano in minori Britannia Gallus vir cœperat, Aumontius exercitus Marescallus, trucidari præsidiarios, ac nemini parci mandaverat; fiebant itaque cædes, et victis non inulte morientibus, omnia late sanguine redundabant. Dum maxime ira cædibus incalesceret, nec tam pugna, sed strages esset, Anglus gregarius Hispanum, qui se in latebras penetraverat, indeptus, jugulaturus protrahebat, quum subito agnitum bono animo esse jussit, non periturum. Aderant jam manipulares, Hispanumque ad cædem deposcebant; absterrere Anglus, et si vi deditio fieret, ferro se repulsurum. Exorta inde rixa, et clamore invicem sublato, ad Aumontium res tota defertur, qui accitum Anglum suo cum Hispano interrogat : Quid ita jussa Ducis intempestiva illa humanitate contempserit, facessat illico imperata, ni pareat!... Enim vero Anglus moriturum se cum Hispano, si vitam illi conservare non posset, se profiteri; agnovisse se hominem a quo in Belgio pari humanitate olim fuisset conservatus; nolle se ingratum vivere, si illi moriendum sit, commori certum sibi esse, quando simul vivere non posset. Aumontius supra gregarii fortunam et virtutem admiratus, utrumque liberum abire permisit, et mutuo frui beneficio factum laudans, ut raris grati animi exemplis olim inserendum. Ib. n. 13.

Xantippus Atheniensis erga canem suum gratus extitit, quia maria pernatans, usque in Salaminam eum sequutus fuerat, quo tempore adveniente in Græciam Xerxe, major Græciæ pars in eam se insulam recepit. Nam ne tanto amore ingratus foret, mortuo cane in Salaminæ arce sepulchrum ei condidit, quod diu Cynotaphium appellarunt. Bapt. Fulgos. l. V.

Platæenses in agro suo, quod in eo commissum a Græcis adversus Persas prælium fuerat, quotannis in Græcorum memoriam, qui illic pro communi libertate occubuerant, solemni pompa sacra peragebant. Idem, ib.

Minucius Magister equitum cui secundo bello Punico æquatum est cum Dictatore imperium, temere in Pœnorum insidias præcipitatus, circumventusque ab hoste cum dimidio copiarum erat, haud dubie locum ipsum Romanorum clade ante Cannas nobilitaturus; cæterum Fabii Maximi Dictatoris, a quo dissentiebat in administrando bello, celeri occursu imminenti periculo subtractus, haud inepte ad infamiam diluendam gratitudinem temeritati prætexuit, ultroque Dictatori imperium restituit, patremque appellavit; fuit præterea suis auctor, ut patronum militari clamore salutatum aurea corona donarent. Ibid.

Magnum grati populi Romani specimen in Q. Fabio Maximo enituit. Nam cum quinque consulatibus salubriter Reipublicæ administratis decessisset, certatim æs contulit, quo major ac speciosior ejus funeris pompa duceretur. Ibidem.

Non minus etiam se gratos præstiterunt Romani adversus Latinos, quos, cum paulo

ante hostes essent, in amicitiam ac societatem receperunt. Nam cum Volscorum legatos ad se missos, ut a Romanorum societate averterentur, Latini cepissent, ac catenis vinctos Romam misissent, opem in eo bello etsi minime requisiti fuerant, offerentes, Romani sex hominum millia Latini nominis, quos captivos habebant, carcere liberarunt, omnesque novis amictos vestibus, domum, ope, quæ offerebatur, ad graviores casus reservata, remiserunt.

EXEMPLA BESTIARUM.

S. Macarius speluncam habuit cellulæ suæ suæ vicinam, et quadam die catulos suos cæcos ad eum bellua præducit, et ante pedes ejus ponit. At ille cum intellexisset, pro cæcitate catulorum bestiam supplicare, rogavit Dominum, ut eis redderet visum. Quo recepto, matrem sequentes redeunt ad speluncam. Et paulo post ipsa cum catulis suis regrediens, pelles ovium plurimas, velut munus pro suscepta gratia, ad senem defert, morsu oris enecatas, iisque ante fores ejus depositis, abscedit. Ruffingus l. II *Hist. Eccl.* c. IV.

S. Thomas de Villanovâ plura ejusmodi exempla offert sic loquens : Mira res, et cui similis a sæculo non est audita. Agnoscunt supernaturali instinctu Creatorem irrationales bestiæ, genua flectunt bruta, et insuetis naturæ motibus reverentiam exhibent conditori; rudit alioquin asina, coram illo trepidat reverenter, et quia eloquio nescit, mugitu bos divinam personat laudem. Prosternitur brutum factori suo, quid facturus est rationalis homo? Deus pro homine homo factus est; brutum prosternitur, jumentum adorat, et non beneficia sua recognoscens stabit homo? Sed et S. Bonaventura super verba : *Et canis secutus est eum*, discurrens : Si sic, inquit, canis dominum suum amat pro pane modico, et sic equus pro modico hordeo ; si sic asinus pro pabulo et fœno ; quantum ille a nobis amandus existit, qui carnem suam dedit nobis in cibum, sanguinem in potum, vitam in meritum, et se totum in præmium? Nam leo, dum a serpente cinctus, et ab eo fortiter astrictus esset, dum fuisset a quodam milite liberatus, sic illi toto corde adhæsit, ub ab eo nisi morte separari nequierit. Cur ergo non facit homo rationalis, quod animal brutum facit, et Deo suo negabit, quod homini mortali leo impendit? Certe nullum, teste Seneca, tam immansuetum animal est, quod non cura mitiget, et in amorem sui vertat; leonum ora a magistris impune tractantur; elephantorum feritatem usque in servile obsequium demeretur cibus. S. Thom. de Villan. *in Nativit.* conc. II.

Stesichorus apud Pierium Valerianum refert, quod dum rustici in agro quodam simul laboribus insisterent, unus illorum, qui pro haurienda ex vicino fonte aqua abierat, aquilam quamdam ab ingenti serpente quodam circumplexam conspexerit, mortem ei comminante; ac proinde, correpta falce, eumdem in minutas partes conscindens, aquilam liberavit, haustamque aquam laboris consortibus attulit, qui cum ex ea bibissent, in eodem momento, quo et ipse os hydriæ ad extinguendam sitim applicare voluit, aquila pernici volatu ad eum properans, hydriam de manibus dejecit, omnemque aquam ex universa hydria effudit; moxque rusticus hoc se refrigerio privatum conspiciens, aquilæ, tamquam ingratæ, vehementer indignatus fuit. At vero, postquam e sociis aliquis post haustam ore aquam in terram mortuus corrueret, alios vero atrocibus doloribus cruciari conspexisset, aquam illam veneni toxico infectam fuisse arguens, aquilæ erga se gratitudinem agnovit. Eheu ! quot hisce temporibus sunt homines, qui mundi torrentem sequentes, dum bibunt quasi aquam iniquitatem, in ipsa appetituum suorum obsecundatione mortiferum animæ et corporis contrahunt venenum ! Quando igitur nostris se Deus opponit consiliis, ne ad honores prætensos pertingamus, ne desideratis carnis voluptatibus perfrui possimus, vel concupitas hæreditates, vel divitias assequi valeamus, summum nobis præstat beneficium, utpote Medicus pro æterna salute nostra omnino sollicitus. Pier f. 502, con. II.

Androclum Dacum leo, cui spinam e pede extraxerat, non solum in antro aliquamdiu nutrivit, sed etiam ad feras damnatum, ab aliis feris defendit. Alius leo equitem, qui eum a dracone, cui jam prope occubuerat, defenderat, semper etiam in mare secutus est, donec fatigatus, et aquis suffocatus est. *Dux peccatorum* l. I, p. I, c. III.

Scytharum Regulus cum ab hoste occisus spoliaretur, equus ipsius morsu, calcibusque eum interemit. Alius domino interfecto vitam inedia finivit. Alius lacrymas præ desiderio fudit. Ibid.

Canis quidam Romæ domino suo occiso, et ad gradus gemonios abjecto, non modo mœstos edidi tululatus, sed etiam cibum sibi objectum ad os defuncti attulit; et postea in Tiberim projectum corpus aliquamdiu, ne mergeretur, sustentare conatus est. Alius vero occisorem domini sui ex turba dentibus apprehendens prodidit. Ibid.

Delphinus ab anicula quadam in urbis Jherosolenæ portu educatus, adultior factus, semper de præda sua partem nutritiis suis communicavit. Elianus.

Accipiter brumæ tempore passerem comprehensum unguibus, ut ejus calore foveatur, per noctem sibi applicat, et ob hoc beneficium mane prorsus innoxium dimittit. Ludovic. Granat. l. I, *Cathec.* c. xxxvii.

Pelicanus femella super pullos suos a serpente percussos, sanguinem ex proprio pectore vulnerato emittit, itaque debilitatur, ut a pullis ali aliquamdiu debeat. Resumptis autem viribus, illos, qui diligentius illam aluerunt, tenerrime diligit, et fovet, reliquos velut degeneres et ingratos nido deturbat. Stap. *Dom.* 13, *post Pent.* them. v.

In civitate Patræ cum puer quemdam draconem parvum a se emptum educasset, cumque eo velut intelligente locutus esset, ac lusisset, denique is grandior factus a civibus in silvam dimissus est, ubi tamen dictum adolescentem, quod in latrones incidisset, clamantem, ita defendit, ut aliquos latronum in fugam egerit, aliquos omnino occiderit. Ibid. et Elianus, l. XIII.

Ciconia quædam, cui Heraclidis vidua crus obligarat, statuto anni die reversa ad ædes illius, magni pretii gemmam e gutture projecit, ac crus tractandum objecit. Beirling. *in festo S. Matth.* th. III.

Porum Regem in terram delapsum elephas telis circumstantium eripuit, et in dorsum reposuit, donec tandem exanimis cum domino suo concidit. Ibid.

SIMILITUDINES.

Qualitas et Æquitas. — Sicut terra et flores, quo plures a sole calores et radios accipiunt, tanto plures reflexiones, vapores et odores versus solem emittunt; ita gratus homo, quo plura accipit beneficia, tanto majori in Deum aut alium benefactorem amore succenditur. Bromiar. lit. G. c. IV.

Sicut magnum scelus esset, si quis amplissimis a Rege quopiam donis exornatus, his ipsis abuteretur ad exercitum, quo Regem debellaret, conscribendum; ita non minus grave scelus censeri debet, si quis donis a Deo concessis ad illius offensam utatur. Ibid.

Sicut mulier, quæ monilia et torques a marito acceptos adultero donaret, merito gravissimi sceleris et supplicii rea judicaretur; ita anima non minoris culpæ damnari debet, si creaturis ad amorem Dei accendendum concessis abutatur, et ad aliarum rerum illicitum amorem dirigat. Ibid.

Sicut is, qui in domum, vineam, aut hortum pro suo usu ab aliquo domino ædificatam, introduceret alium, illiusque possessionem offerret, gravem domino injuriam intulisse censeretur; ita, cum Deus hominem, et omnes illius potentias non nisi ad suam gloriam condiderit, non poterunt hæc absque gravi injuria illius ad alios particulares fines adhiberi. Ibid.

Sicut, dum pila luditur, jacit unus, alter vero refert illam, tamdiuque ludus producitur, quamdiu inter utriusque manus jacta et reciprocata pila non excidit, atque ita, qui pilam non rejicit, perdit; eodem modo omnis ingratus suum non recompensans beneficium, spe destituitur novorum recipiendorum, secus vero, qui gratus existit. Qui gratus futurus est, verba sunt Senecæ, statim dum accipit, de reddendo cogitat. Mansi, tr. III, disc. IV, n. 7.

Sicut chirurgus, dum tibi contra voluntatem, et totaliter invito, cucurbitulam igneam capiti applicat, vel membrum præscindit aut secat, tametsi inde dolorem aut displicentiam concipias, immensum tamen tibi confert beneficium pro quo postea recuperata sanitate summas illi gratias agis; ita quoque Deus animarum nostrarum Medicus, qui dixit: Non est opus valentibus medico, sed male habentibus, adversitates velut afflictivas et dolentissimas medicinas in æternam nostram ordinat salutem, atque adeo merito summæ ei gratiæ debentur. Ibid. dis. XVIII, n. 7.

Utilitas. — Sicut lupini et fabæ non exugunt agrum, sed stercorant; ita homo gratus meliorem reddit fortunam ejus, a quo beneficium accepit, quæ tamen mox iterum in ipsum redundat, dum gratitudini isti nova beneficia rependuntur. Beirling. *in festo S. Matthæi* th. III.

Sicut omnia flumina ad locum, unde

exeunt, revertuntur, ut iterum fluant; ita quisquis diligenter ad Deum per gratitudinem refert beneficia, meretur nova accipere. Eccl. I, 7.

Sicut exiguum pharmacum e magnis plerumque morbis hominem eripuit; ita gratiæ etiam ob minima beneficia persolutæ bona ingentia conciliant. S. Damascen. *in vita Barlaam.* Unde S. Bernardus ait : Felix, qui ad singula dona gratiæ redit ad eum, in quo est plenitudo omnium gratiarum, cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, ut majora accipere mereamur.

Sicut Ægyptii olim, si fideliter quintam partem de fructibus Pharaoni obtulerunt, reliquas quatuor partes sibi lucrati sunt; ita qui Deo de operibus, velut optimis animæ fructibus, quintam partem, scilicet laudis, gloriæ et gratiarum actionis, fideliter persolvit, omnem reliquum eorumdem operum fructum sibi retinere potest.

MOTIVA.

Exemplum et voluntas Dei, qui ut quovis tempore, quovis die et anno recepta beneficia grata mente in memoriam revocentur, in principio cujuslibet mensis, hoc sibi mensium perdi voluit tributum. Solemnitas Paschalis quovis anno celebrari debebat in memoriam magni illius beneficii, quo compedibus servitutis Pharaonicæ liberati in terram promissionis tot miraculosis modis perducti fuerant. Festum Tabernaculorum eidem populo in memoriam revocabat quadraginta annos, quibus in deserto commoratus, et cœlesti alimonia, quæ quotidie de cœlo defluebat, omnesque in se continebat saporum suavitates, pastus fuerat. Festum Pentecostes habebatur in memoriam Tabularum legis a Deo traditarum. In Levitico ritus leguntur quorumdam sacrificiorum, quæ Deus in gratiarum actionem præscripserat. In Deuteronomio ob eumdem finem instituta fuit primitiarum oblatio; et similia sexcenta alia exempla adduci possent, ex quibus omnibus Dei colligitur sollicitudo, qua populo sibi electo gratitudinis virtutem inculcare contendebat. Mansi, tr. xxx, disc. II, n. 6.

Exemplum Sanctorum. Cum enim opus istud, scilicet gratiarum actio sit exercitium supernæ patriæ, secundum illud Isaiæ LI. *Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis;* quanto quis copiosius et perfectius se exercet in gratiarum actione, tanto magis appropinquat statui Beatorum; quod ut penetremus solidius, oculos nostros ad visionem sublevemus illam S. Joannis, quando in superna Jerusalem Spiritus conspexit Angelicos, circum Majestatem supremam Dei actibus obsequiosis intentos, hasque inaudiit voces : « Benedictio et charitas, sapientia et gratiarum actio, honor et virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen. » Ib. n. 9.

Exemplum Ecclesiæ militantis, in qua Horæ Canonicæ a tot, tam regularis, quam sæcularis Cleri ministris quotidie recitantur, in quibus continue Deo laudes, benedictiones, gratiarumque actiones offeruntur et redduntur, et uniuscujusque Psalmi terminus hoc clauditur versiculo : « *Gloria Patri etc.* » Item verbum, *Deo gratias*, frequenter tam in divini Officii, quam Missæ progressu replicare solemus. Ibid.

Exemplum Barbarorum, quo se excitavit Sanctus Saba, multorum monasteriorum celeberrimus Pater. Quibusdam Agarenis, per cellam ejus transeuntibus et esurientibus, apposuerat radices tantum quasdam melagriorum, et arundinum cortices; neque enim alio cibo ipse utebatur. Redierunt illi postea, afferentes ei caseos et dactylos. Quo viso : Hei mihi! inquit, Barbari isti parvi nostri beneficii memores, referre gratiam munifice studuerunt. Nos autem, qui quotidie fruimur bonis Creatoris, nullam ei vicissim studemus referre gratiam per mandatorum observationem. Quæ de cætero excusatio, quæ venia dabitur! Daurolt. c. VII, cir. XXXI, n. 3.

Exemplum brutorum. Si enim bos cognovit possessorem suum, et asinus præsepe domini sui; si ob cibum modicum tam fideliter canis domino adhæret, quis non erubescat, gratiam bene de se merentibus non referre; quando videt ipsas etiam bestias refugere nomen ingrati? S. Ambr. l. VI *hexam.* c. III.

Multitudo beneficiorum, quam fusius explicans Sanctus Gregorius Nazianzenus : Unde tibi hæc omnia, inquit, et a quo? Aut parva hæc oculisque subjecta dicam, cujus munere ac beneficio cœli pulchritudinem cernis, solis cursum, lunæ orbem, siderum multitudinem, eamque, quæ in his omnibus veluti in *Lyra* elucet, concinnitatem, atque ordinem, semper eodem modo se ha-

bentem, partium anni vicissitudines, temporum mutationes, annorum conversiones, diei noctisque æquas portiones, terræ productiones, aeris fusionem, maris fluxi simul ac stabilis immensam latitudinem, fluminum profunditatem, ventorum profluvia? S. Gregorius Nazianz. orat. xxxiii. Quod ipsum etiam confirmans S. Bernardus : Quanta, inquit, largitus est ad sustentationem, quanta ad eruditionem, quanta ad consolationem, quanta ex hoc jam ad correctionem, quanta etiam ad delectationem? S. Bernardus, ser. I *sup. Qui habitat.* Neque enim, ut bene Seneca pronuntiavit, necessitatibus nostris tantum provisum est, usque in delicias amamur. Lib. IV *de Benef.* c. v. Si ergo pauci interdum nummi, aut floreni, donati, tantopere excitant alios ad amorem benefactoris, gratumque ei animum demonstrandum, quid tanta et tam multa beneficia non efficient ?

Magnitudo beneficiorum. Quid enim majus Deo, et Dei Filio ? Atqui utrumque dat, se quidem in gloria, Filium vero pro redemptione, et in SS. Eucharistia; ad quæ duo beneficia, quia omnia fere alia ordinantur, merito ab illis quoque infinitam quamdam magnitudinem participant. Quæ ipsa obligatio, ut melius cognoscatur, proderit intelligere, quod Sanctus Augustinus dixit: Respice universum mundum istum, et considera, si in eo aliquid sit, quod tibi non serviat. Omnis creatura ad hunc finem cursum suum dirigit, ut obsequiis tuis famuletur, et utilitati deserviat, tuisque oblectamentis pariter et necessitatibus, secundum affluentiam, et deficientiam occurrat. Hoc cœlum, hæc terra, hic aer, hæc maria, cum eis quæ in ipsis sunt universis, explere non cessat. Hic circuitus temporum annuis innovationibus, redivivis partubus antiqua innovans, dilapsa informans, consumpta instaurans, pastu perpetuo submínistrat. Quis ergo, putas, hæc instituit? Quis illud naturæ præcipit, ut uno sensu tibi serviat? Beneficium accipis, et auctorem ejus non cognoscis? Donum in manifesto est, largitor occultus, et ipsa ratio tua te dubitare non sinit, hoc tuum non debitum esse, sed beneficium alienum. S. Aug.

Utilitas illius, cui beneficium confertur. Quid enim est homo, quod memor es ejus? Aut filius hominis, quoniam visitas eum ; tot scilicet beneficiis præveniendo? Ps. viii, 5.

Utilitas donorum Dei; dat enim singula ad ipsum cognoscendum, amandum, fruendum, et ad nos beatificandum. B. Albertus l. c.

Utilitas gratitudinis; nam quanto major est in anima erga Deum grati animi affectio, tanto redditur idonea magis, et capax ad uberiorem Dei gratiam recipiendam, et tanto amplius liberalissimus Deus quasi cogitur ad largiendum. Idem.

Dignitas benefactoris Dei; de qua sic loquitur Thom. Kemp. Si dignitas datoris inspicitur, nullum datum parvum, aut nimis vile vidibitur ; non enim parvum est, quod a summo Deo datur. Et iterum alibi : Minor ego sum omnibus bonis mihi præstitis ; et cum tuam nobilitatem attendo, deficit præ magnitudine spiritus meus. L. II, c. x, § 5, L. II, c. xxii, § 1.

Constantia et longanimitas benefactoris ; ut qui toties a nobis offensus et irritatus, benefacere non cessat ; unde merito Sanctus Chrysostomus querens dicit : Cum cœli ipsi Dei gloriam prædicent ; ipse vero ob cujus gratiam sunt illi effecti, ita te geris, ut tui fictor et creator Deus propter te male plerumque audiat. *Serm. de Grat. reddendis.*

MOTIVA OB SPECIALIA BENEFICIA.

Ob beneficium Creationis ; de quo sic discurrit S. Gregor. Nazianz. Hoc igitur cum artifex verbum ostendere voluisset, animal unum ex utroque, hoc est, ex invisibili ac visibili natura hominem fabricatur, atque a materia quidem ante producta sumpto corpore, a se autem insito spiraculo (quod quidem intellectualem animam Deique imaginem Scriptura vocat) velut alterum quemdam mundum, in parvo magnum, in terra collocat, Angelum alium mixtum adoratorem, visibilis naturæ spectatorem, intellectualis mixtam, eorum, quæ in terra sunt, Regem ; Superis autem subditum, terrenum et cœlestem, caducum et immortalem, visibilem et intelligibilem, medium inter magnitudinem et humilitatem , eumdem spiritum et carnem ; spiritum per gratiam, carnem ob elationem. S. Greg. Naz. Or. ii. Quod etiam Rupertus Abbas confirmans : Magnum plane consilium, inquit, in illo sapientiæ consilio, in illo talium Personarum, Patris et Filii, et Spiritus Sancti non tam senatu, quam soliloquio venerando de nobis habi-

tum est ; ut unaquæque Persona suam operis partem susciperet, ut scilicet tunc quidem Pater concederet, postea in plenitudine temporis Filius perditum redimeret, Spiritus Sanctus remissionem peccatorum perficeret. Rupert, l. II *de Tri.* c. I. Quanta vero in specie per hoc beneficium bona obtigerint, explicat in primis D. Bonaventura dicens : De dono naturæ est, quod creavit te in tempore, et quod ab æterno te disposuit creandum, non creavit te pecus, sed hominem. Dedit animam immortalem, cui dedit rationem, ingenium, industriam, qua omnia materialia potest intelligere. Dedit mentem vel intellectum, qua immateriales Spiritus, Deum et Angelum, intelligeret. Propter te omnia in terra creavit, omnia elementa ad tuam vitam, omnia animantia ad tuum nutrimentum. S. Bonav. t. VII, c. VI. Deinde etiam S. Antoninus, dum ait : In anima posuit *imaginem Trinitatis*, et distinctius, quam in Angelis, in quantum sicut Deus est totus in toto orbe, et totus in qualibet parte ; ita in orbe suo, id est, corpore, anima tota est in toto, et tota in qualibet parte corporis; *participationem cum omnibus creatis*, scilicet commune cum elementis, vegetare cum plantis, sentire cum brutis, intelligere cum Angelis ; *repræsentationem universitatis*, ibi enim sunt quatuor humores cum corpore, conformes quatuor elementis ; quinque sensus exteriores, visus, auditus, gustus, odoratus et tactus ; et quatuor interiores, scilicet sensus communis, æstimativa, phantasia, et memoria ; quasi novem cœli, nam decimum empyreum, in quo Deus residet per gloriæ manifestationem, est pars intellectiva, scilicet intellectus et voluntas. S. Anton. p. IV *Sum.* tit. XIX, c. XI. Beneficia vero corpori collata his verbis exprimit S. Laurentius Justin. Te Deus de humano et vilissimo semine matris tuæ formavit in utero, corporis organum distinxit per partes, divisit artus, sensus disposuit, singulisque propria indixit ministeria, ut non esset schisma inter eos, sed compago indissolubilis, amoris vinculum, unitatis exemplum, dilectionis forma, decus sapientiæ, et corporis Ecclesiæ similitudo vel optima. S. Laur. Just. s. *de Christi Corpore.* Denique aliam adhuc beneficii circumstantiam notat idem Sanctus, dum ait : Quamvis delinquas graviter, quanquam in multis offendas frequenter, tametsi te voluntarie ab illo avertas, numquid suarum stillicidia gratiarum cohibet, ne pluant super te? Numquid solis, lunæ, stellarumque splendorem abscondit, ut non super te luceant ? Porro terra germinat fructum suum, arbores diversarum specierum poma producunt ; et (proh dolor!) intelligere dissimulas a quo ista percipias ? Tibi cuncta famulantur elementa, nubes de cœlo imbrem opportunum spargunt ; dies diei, et nox nocti succedit, ut tibi et cunctis viventibus præstent gaudium, tribuant alimentum, levent fastidium ; et sine sensu, et absque gustu torpescis et jaces? Idem, *de Obed.* c. V. Ut merito citatus Sanctus Antoninus dixerit : Invitant te omnes creaturæ ad gratias agendas Deo, quia omnes, exceptis Angelis, sunt inferiores nobis, et cum Deus potuerit nos facere vilissimas creaturas, nobilissimas fecit. S. Anton. l. c. § 1.

Ob beneficium Conservationis, quod sic declarat S. Augustinus : Omnibus horis et momentis fruor bonis misericordiæ tuæ ; quoniam semper perirem, nisi quia semper regis me ; semper morerer, nisi quia semper me vivificas, et omni momento me tibi obligas, dum omni momento mihi tua beneficia præstas. S. Aug. *Soliloq.* c. XVIII. Idemque confirmans S. Antoninus : Considera, inquit, quod tot sunt Dei beneficia erga te, quot vitæ momenta, per continuum enim Dei influxum homo consistit, et vivit. S. Anton. l. c. § 1. Unde merito concludit S. Ambrosius : Vide ergo, quanta quotidie Deus moliatur, quanta distribuat, quantis terram fructibus impleat, quam opportunis, et in omnes oras furentibus ventis maria promoveat, quantis imbribus solum molliat? S. Ambr. *de Obitu Theodos.*

Ob beneficium Redemptionis ; de quo præclare sic loquitur S. Bernardus : Si totum debeo pro me facto, quid addam jam pro me refecto, et refecto hoc modo? Nec enim tam facile refectus, quam factus ; nam qui me semel, et tantum dicendo fecit, in reficiendo profecto et dixit multa, et gessit mira, et pertulit dura ; nec tantum dura, sed et indigna. In primo opere me mihi dedit. In secundo se, et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo et redditus, me pro me debeo, et bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiamsi millies me rependere possem, qui sum ego ad Deum ? Id ipsum alibi præclare confirmat dicens : Super omnia te mihi amabilem reddis, o bone Jesu ! Calix, quem bi-

bisti, opus nostræ redemptionis ; hoc enim omnino amorem nostrum sibi vendicat, hoc inquam, devotionem nostram blandius allicit, justius exigit, arctius stringit, et vehementius afficit. Unde merito, l. c. concludit: Etsi cætera taceam, hoc solo non immerito sibi vendicat vitam nostram, qui pro ea posuit suam. Nemo igitur sibi vivat, sed ei, qui pro se mortuus est ; cui enim justius vivam, quam ei, qui, si non moreretur, ego non viverem? S. Bern. *de dilig. Deo.*

Ob beneficium Vocationis ad fidem; quod sequentibus verbis proponit S. Augustinus : Magnum, inquit, æstimo beneficium, quod eo tempore, et inter tales me nasci voluit Deus, per quos ad fidem suam et Sacramenta pervenirem. Video innumerabilibus hominibus hoc negatum, quod mihi gratulor esse concessum, cum quibus tanta nobis est una conditio. Unde merito infert Sanctus Antoninus: Invitat ad gratiarum actionem qualitas temporis; dicitur enim tempus novi testamenti, tempus gratiæ, quia superabundavit multiplex gratia humano generi collata post Christi adventum, et ideo multiplicatis beneficiis multiplicandæ sunt gratiarum actiones. S. Aug. et S. Ant. l. sup. cit.

Ob beneficium Justificationis ; de qua sic S. Augustinus loquitur: Bona sunt hæc tua, Domine, mihi a te misericorditer indulta, quod me in periculis sæpe constitutum clementer eripuisti, nec umquam in peccatis meis dereliquisti ; oblitum tui de te admonuisti, aversum a te revocasti, venientem ad te benigne suscepisti, pœnitenti indulsisti. Non enim ea sola, quæ commisi, peccata, sed etiam quæ, te protegente, non commisi, totum a te dimissum deputandum est. Nam sicut in multa peccata cecidi, sic et in multo plura, nisi me conservasses, cecidissem. S. Aug. *in Medit.* c. xii. Sed et S. Bernardus : Et miseratio fuit, inquit, quod visitavit cor meum, immutavit, ut amara fierent, quæ mihi male dulcia prius erant, qui lætabar, cum male facerem. Huc etiam pertinet præservatio a peccatis, quæ, teste S. Bernardo, tribus modis contingit, occasionis subtractione, resistendi data virtute, affectionis sanitate. Multum enim in peccata cecidissem, si data esset occasio, sed Dei miseratione non me talis opportunitas apprehendit. In multa quoque paulominus cecidissem, graviter impulsus violentia tentationis, sed virtutem dedit Dominus Rex virtutum, ut sub me esset appetitus meus, et ei, quam sentiebam, concupiscentiæ minime consentirem. Sed a quibusdam tam longe me fecit miseratio tua, ut penitus abominarer ea, et ne ulla quidem eorum me tentatio molestaret.

MEDIA.

Frequenter ponderare beneficia, tam generalia, quam particularia, cum circumstantiis superius explicatis ; nam, ut bene Cassiodorus ait, qui, quanta sibi gratia collata sit, nescit, quantas largitori gratias debeat, non intelligit. *In quad. ep. in illud Luc.* xii, 28. *Omni autem, cui multum datum est.*

Obligationem suam ad gratias agendas bene perpendere. Ita S. Augustinus monuit his verbis : Oportet ergo, Domine, tanto magis tibi gratiosum et devotum, atque ad serviendum promptiorem existere, quanto me de tantis beneficiis obligatiorem conspicio in reddenda ratione, ne dilata vindicta tanto acrius adveniendo, mala mea puniat, quanto diutius toleravit, quod puniri potuit.

Exempla creaturarum irrationalium frequenter sibi ob oculos ponere, et videre, quanto impetu ad gratias Benefactori suo referendas impelluntur, ut vel inde discamus, quanto intensiori affectu et vehementiori studio homo ratione præditus pro incomparabiliter pluribus et majoribus beneficiis gratias agere debeat.

Certa sibi pro gratitudinis officio præstando tempora determinare, ut vel sic facilius impellamur ad officium nostrum hoc in genere accuratius præstandum.

Beneficia rariora et notabiliora calamo in libello annotare; sic enim faciunt fideles servi, qui non expensum dumtaxat, sed acceptum etiam accurate in chartas referunt; quod hic tanto accuratius faciendum est, quanto magis hæc annotatio conducit ad *memoriam* beneficiorum, quæ, juxta S. Chrysostomum, est optima custos beneficiorum, et, ut alibi loquitur, sufficiens est, quæ ad virtutum labores nos adhortetur, et præparet, ut præsentia omnia despiciamus, et, ut ei, qui tanta in nos beneficia contulit, adhæreamus, amorem in illum singulis diebus augeri declarantes. *In Matth.* homil. et 20. hom. xxvii *in Gen.*

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta *pro quibus beneficiis* agendæ sint gratiæ ; nam, ut bene Cicero notavit, acceptorum beneficiorum delectus habendi, et in primis quo quisque studio vel benevolentia fecerit, ponderandum est; multi enim multa faciunt temeritate quadam, sine judicio, vel modo in omnes, vel repentino quodam impetu animi, quasi vento incitati ; quæ beneficia æque magna habenda non sunt, ac ea quæ cum judicio, considerate constanterque delata sunt. Lib. II *Off.* Agendæ autem sunt gratiæ Deo pro triplicis bonis. 1. Pro *generalibus*, qualia sunt creatio, conservatio, redemptio. 2. Pro *specialibus*, qualia sunt vocatio ad fidem, ad religionem, ad gratiam, et gloriam. 3. *Pro singularibus*, quæ cuivis peculiariter ex accidenti conferuntur.

Nosse debet, *etiam pro minimis beneficiis summas Deo gratias esse agendas*, qua de re loquens S. Bernardus. Disce, inquit, in referendo gratiam non esse tardus, aut segnis; disce, ad singula dona gratias agere; diligenter considera, quæ tibi apponuntur, ut nulla videlicet Dei dona, nulla gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocra, non pusilla ; denique nitamur colligere fragmenta, ne pereant, id est, nec minima oblivisci beneficia. S. Bern. s. xi *in Cant.* Ad assiduitatem quoque S. Basilius hortatus est dicens : Sive comeditis, sive bibitis, sive quid facitis, omnia in Dei gloriam facite. Accumbens mensæ ora ; esitans panem, largitori gratiam rependito ; suffulciens, firmansque infirmas corporis vires vino, ejus fac memineris, qui hoc te dono impertivit ad inserendam cordi tuo lætitiam, et ad multiplicium infirmitatum non mediocre solamen. Et in Epistola ad Thessalonicenses, inquit : « Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite ; » quem textum Theophylactus ita exponit : Quia assuevit cum Deo versari, eique gratias agere in omnibus rebus. Quomodo autem semper gratias ages? Si agnoveris hanc esse voluntatem Dei, ut sis gratus erga ipsum, ut qui semper tibi benefaciat. S. Ambrosius ut nos ad hanc continuam et numquam intermissam gratiarum actionem extimulet, sequenti nos evidenti ratione convincit ; neque enim nos unquam respirare possumus, quin ad quamlibet respirationem beneficiis Dei fruamur, et hanc beneficentiam assiduam et quotidianam incessanter continuat et conservat, unde ait : Quando non habes, quod Deo debeas, aut quando sine Dei munere es? Quid enim habes, aut es, quod non accepisti? Ergo quia semper accipis, et quod habes, a Domino est, debitorem te semper esse cognosce. S. Basil. hom. v. *In Martyr. Julit.* Quod ipsum etiam confirmans S. Gregorius Nyssenus : Si quod præsens est, inquit, consideraveris, per ipsum vivis; si futurum, ille tibi earum rerum, quæ sunt in expectatione, spes est; si præteritum, non esses, nisi prius ab illo factus esses ; id ipsum quod natus es, beneficio afficeris, dum per illum et vivis, et moveris, ut inquit Apostolus, rerum futurarum spes ex eodem beneficio pendet, tu vero solins præsentis compos es. Itaque si vel per omne vitæ tempus gratias agere Deo non intermiseris, vix præsentis gratiam explebis, cum interim nullam rationem excogitare possis, qua futuri vel præteriti temporis debita compensentur. S. Gregor. Nyss. orat. I *in Dom.* Fructum autem hujus perpetuæ gratitudinis indicavit S. Chrysostomus, dum dixit : Perpetuo Deo gratias agere debemus. Hæc sunt gravissima, quæ in Diabolum torquentur, tela, hic est ictus in Dæmonem certissimus, tunc sunt coronæ splendissimæ. S. Chrys. *in Ps.* IV.

Nosse debet, ad hoc, *ut tributum laudum, et gratiarum actio Deo grata sit, specialiter requiri, ut linguæ et voci cor purum et mundum conjungatur.* Unde D. Chrysostomus super illa verba Psalmi : Laus ejus in Ecclesia Sanctorum, ita scribit : Vides, quomodo ante verba requirit gratiarum actionem, quæ fit per vitam et bona opera ? Non sufficit enim verbis solum gratias agere, nisi etiam factorum virtus concurrat; nam laus ejus in Ecclesia Sanctorum. Et in Psalmum 49 ait : Ita vivas, ut Dominus Deus tuus glorificetur, juxta illa Christi verba : « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum. » Sit vita tua ejusmodi, ut tuus laudetur et celebretur Dominus, et perfectum obtulisti sacrificium. Idem quoque in Psalm. 112, ita scribit : Oportet vitam prius recte instituentem hymnos Dei canere, non est enim pulchra laus in ore pecca-

toris ; secundo, non verbis solum, sed etiam factis laudare oportet, et hanc laudem Deus maxime requirit. Idem quoque S. Doctor, Psalmistam psalmum illum ab his verbis ordiri observat : « Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis ; laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes Virtutes ejus ; cujus hanc assignat rationem : Ideo dum præcipit laudes offerre, incipit a superioribus potestatibus, sic dicens : « Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis, » oportet enim ita Angelum fieri, et ita laudare. Ne ergo hanc laudem, rem esse levem existimemus, sed ante os nostrum, vita nostra ipsum sonet, atque ante linguam conversatio clamet, ita enim vel tacenter Deum laudare possumus. MANSI, tr. XXX, disc. IX, 10.

Nosse debet *utilem et solidum modum Dei beneficia meditandi*, quem quidem indicat S. Bonaventura, dum ait : Scias quod triplici consideratione potes tuas meditationes variare, et dilatare, ut nunc tua quidem meditatio versetur circa ipsum benefactorem, nunc circa ipsa beneficia, quæ tibi mulipliciter elargitur. S. BONAV. *in fascic* c. VI.

Nosse debet *gradus gratitudinis*, quos quidem distincte et apposite assignavit S. Thomas, dum dixit : Primum esse, *ut homo recognoscat acceptum beneficium*. 2, 2, qu. CVI, ar. II. De quo gradu bene Seneca sic loquitur : Vis reddere beneficium ? Benigne accipe retulisti gratiam. Secundum, *ut laudet, et gratias agat ;* nam cui gratia referri non potest, quanta debetur, habenda tamen est, quantam maximam animi nostri capere possunt, ut Cicero monet, id quod saltem laudando præstatur. Lib. II *de Benef.* c. III. Tertium, *ut retribuat pro loco, et tempore*, secundum suam facultatem, id quod fit per reverentiam, honorem, obsequium, consilium, opem et subsidia, si indigeat. PHILIP. II.

Nosse debet, *circumstantias, quæ in gratitudinis exercitio specialiter observandæ sunt, illudque Deo non parum gratum efficiunt*, quæ quidem ad tres præcipue revocantur. 1, est *Sinceritas*, de qua quidem sic loquitur S. Bernardus : « Non omnis gratiarum actio accepta est Deo, nisi quæ de cordis pudica et mera simplicitate procedit. *Pudica* sane dixerim propter eos, qui et de malis actibus suis gloriantes, Deo gratias agere solent, quasi Deus more ipsorum lætetur, cum male fecerint et exultent in rebus pessimis. *Mera* vero simplicitate adjunxi, propter hypocritas, qui Deum quidem de bonis suis, sed verbo tenus glorificantes, corde retinent, quod ore præbuerant.» Ser. XIII, *in Cant.* l. I, c. XV, teste Thom. Kemp. 2. Est *Liberalitas*, quæ in affectus intentione potissimum consistit, magis si quidem Deus pensat, ex quanto quis agit, quam quantum facit. Id quod etiam Seneca advertit, dum dixit : « Nec in victimis, licet optimæ sint, auroque præfulgeant, Deorum est honos, sed in pia ac recta voluntate venerantium. Itaque boni etiam ferro, ac fictili religiosi sunt ; mali non effugiunt impietatem, quamvis aras sanguine multo cruentarint. » L. I *de Benef.* c. VI. 3. Est *Celeritas ;* nam ut olim non male Ausonius cecinit :

> Gratia, quæ tarda est, ingrata est; gratia namque
> Cum fieri properat, gratia grata magis.
>
> *In Epigr.*

Hinc in veteri lege holocaustum, quod offerebatur pro gratiarum actione, et caro victimæ non erat in crastinum servanda. Certe Noe mox, ut ex arca egressus est, exstruxit altare, Deoque sacrificium obtulit.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

DE QUALITATE. — Ex occasione illius thematis : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum*, (JAC. I, 16.) comparari possunt beneficia Dei cum radiis solis. Et 1, quidem dici, quod sicut radii a sole paulatim per hemispherium sparguntur, sicque lux ab imperfecta claritate in perfectam crescit ; ita Deus quoque prius imperfectiora naturæ dona largiatur, et tum demum, si bene quis illis utatur, perfectiora gratiæ et gloriæ dona offerat. 2. Quod sicut radii solis humores de terra elevant, iterumque dissolvunt, ut terram irrigent ; ita etiam beneficia Dei nos a terrenis affectionibus elevent per dilectionem Dei, iterumque per charitatem proximi descendere faciant. 3. Quod sicut radii solis varios in corporibus effectus producunt, et si quidem solidum corpus inveniant et politum, et recta linea in id descendant, copiose reflectuntur, secus vero si vel oblique dumtaxat incidant, vel tralucidum corpus reperiant ; ita beneficia Dei in aliquibus vehementem calorem divinæ dilectionis producant, in aliis, qui velut aer ea facile transire sinunt, parum operentur, in aliis deni-

que omnino fœtidas exhalationes ingrati animi, aliorumque vitiorum causent. Excitentur proinde auditores, ut ita disponant corda sua pro radiis his excipiendis, ut meliores potius, quam deteriores effectus experire mereantur. Vide Bromiardum, v. Gratitudo c. IV, n. 4.

Ex occasione thematis : *Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat;* (Eccl. I, 7.) pulchre ostendi potest, 1. Quod, sicut omnia flumina exeunt a mari; ita omnia beneficia a Deo velut immenso mari omnium perfectionum oriantur. 2. Quod, sicut flumina naturali suo impetu ad mare currunt, eique aquas ab ipso acceptas quodammodo restituunt, nec tamen mare propterea redundat; ita homines quoque accepta a Deo beneficia eidem per gratam memoriam aliaque grati animi officia refundere debeant; nec tamen propterea Deus aliquam ab illis intrinsecam perfectionem novam accipiat. 3. Quod, sicut flumina intrant in mare, ut iterum auctiora fluant; ita quoque homines Deo dona sua grato animo adscribentes novis beneficiis ab eo ex merito cumulentur. Ostendatur proinde, quomodo se instar fluminum in mare Deitatis exonerare debeant, scilicet cursu vehemente, celeri, indesinente, proprietatibus hisce ad gratiarum actionem accommodatis.

Super illa verba : *Redde rationem villicationis tuæ;* (Luc. XVI, 2,) dici potest fidelium servorum morem esse, ut diligenter in certo libro *acceptum* et *expensum* annotent, ut tanto facilius rationem suo tempore reddere possint, atque adeo hoc cuivis Christiano tanto impensius faciendum, quanto severior ab illo quondam ratio exigetur. Ostendatur ergo, 1. Quid in *accepto* scribere debeat, scilicet beneficia generalia, specialia, singularia, de quibus supra dictum est. 2. Ostendatur, quid in *expenso* scribi debeat, scilicet an hæc omnia juxta Domini sui voluntatem, et pro utilitate illius, id est, majore gloria et honore sint expensa? Quæ omnia per partes fusius explicari et deduci possunt, simulque inferri, quam pauci veri et fideles servi reperiantur, cum omnes fere, quæ sua sunt, quærant, et non quæ Dei, et quæ Christi. Potest etiam dici in libri exteriore pagina et anteriore scripta esse hæc verba : « Accipe beneficium; redde servitium. » In posteriore vero scriptum esse : « Expecta præmium; time supplicium. »

Possunt gradus gratitudinis fusius explicari, et eorum æquitas ostendi. Et 1, quidem cur maximi æstimari debeant beneficia Dei, scilicet propter altitudinem *dantis* ; profunditatem, id est, humilitatem *accipientis;* latitudinem, seu multitudinem et magnitudinem, *dati;* et longitudinem *durationis*, cum ab æterno fuerit in nos beneficus per affectum, et in æternum liberalis sit futurus, et fuerit per effectum. 2. Cur laudari et prædicari debeant, scilicet ad majus Dei beneplacitum causandum ; ad affectum nostrum demonstrandum; ad proximum in Dei amorem inflammandum et rapiendum. 3. Cur rependere debeamus, scilicet propter meritum Dei, et nostrum, cum hoc sit aptissimum instrumentum ad liberalitatem Dei excitandam et conservandam. Doceantur proinde auditores, quomodo hos gradus assequi et exercere valeant, quem in finem servire potest tota prima concio Fabri, in Dominic. 13, post Pentecost.

Potest ex occasione thematis : *redde quod debes;* (Matth. XVI, 28) dici, plerosque homines videri similes alicui civi obærato, qui, quocumque fere se convertat, aut eat, creditorem quempiam habet obvium, atque adeo merito sollicitos esse debere, ut bene hos creditores cognoscant, eisque mature satisfaciant. Ostendatur proinde, quinam illi sint (nempe Deus Christus, B. Virgo, S. Angelus Custos, Superiores, Parentes, Præceptores, Amici, Inimici) et quid cuique pro collatis beneficiis rependendum sit. Pro quo scopo iterum servire potest tota concio secunda Fabri, in eamdem Dom. 13. post Pentecost.

De motivis. — Potest ostendi æquitas, utilitas, dignitas (seu honestas) et facilitas gratitudinis, prout fuse id facit Faber, conc. 3. in Dom. 13. post Pentec.

Ex occasione thematis : *Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis*, (Luc. VI, 38) ostendi potest, 1. Qua mensura Deus nobis sua beneficia conferat, scilicet *infinita charitate* et *liberalitate*, uti probari potest per enarrationem et inductionem beneficiorum, præcipue creationis, redemptionis, justificationis, institutionis sanctissimi Sacramenti, vocationis ad fidem, prædestinationis ; et illud Sancti Bernardi ad singula repeti, vel certe post omnia cum affectu inculcari : Amat charitas, amat immensitas, et nos vicem rependimus cum mensura? 2. Ostendatur ergo, quomodo eadem mensura remetiri gratitudinem debeamus, si scilicet

nos ipsos et omnia, quæ habemus, Dei servitio et amori consecremus, quodlibet dictorum beneficiorum eo fine usurpemus, quem Deus in illius collatione quæsivit.

Ex occasione historiæ Josephi Ægyptii Proregis ostendi pulchre potest fructus et utilitas gratitudinis. Et 1. quidem institui potest comparatio inter Christum et Josephum, tum propter nomen (quod idem significat, ac augmentum); tum propter officium Salvatoris; tum propter invidiam et venditionem fratrum. 2. Ostendi potest, quam liberaliter nobis tempore necessitatis succurrerit, præcipue frumentum electorum, scilicet Corpus et Sanguinem suum offerendo. 3. Quam fideliter pretium, id est, debitum honorem, amorem, et gratitudinem ei persolvere debeamus. 4. Quomodo pretium, id est, fructum gratitudinis nostræ in saccis, id est, cordibus nostris reperiamus. Excitentur proinde auditores ad officium gratitudinis liberaliter præstandum, ut vicissim Deum erga se liberalem experiri mereantur.

Pari modo ostendi potest utilitas gratitudinis ex alio facto ejusdem Josephi, dum Ægyptiis Pharaonis subditis semen dedit ea conditione, ut quintam partem Regi darent, reliquas in sementem, et in cibum familiæ ac liberis servarent. (Gen. iv, 24.) Ostendatur ergo, 1. Quænam sit illa quinta pars, nempe gratitudo Deo debita, et quomodo Deo persolvi debeat. 2. Pariter ostendatur, quænam sint quatuor reliquæ partes, quæ de semine et messe operum nostrorum nobis relinquuntur, scilicet fructus meriti, satisfactionis, impetrationis, et gaudii spiritualis, ex benefactis oriri soliti. Excitentur proinde auditores ad conditionem hanc, utpote æquissimam, hilari animo acceptandam, et quanta ex quatuor his fructibus lucra spiritualia reportare possint, demonstretur.

ALII CONCEPTUS.

Æquitas. — Vix hominem creaverat Deus, quando eum in Paradiso collocavit; sed quo putatis fine? Ut operaretur, et custodiret illum. Sed quæ illi cultura necessaria erat? Labor et defatigatio naturæ corruptæ est pœnalitas, ita quidem est, nihilominus a Ruperto Abbate, verba illa ad propositum nostrum explicante, responsum accipiemus: Hoc est, inquit, intelligere debemus, ut Creatori suo in laude et gratiarum actione fidelem animum gereret. Eumdemque ob finem illi amœnissimum plantavit deliciarum Paradisum, scilicet, ut ad majorem eum adstringeret gratitudinem. Imperavit in terra Paradisum fieri, inquit Sanctus Chrysostomus, ut productus homo in eo versaretur. Extra Paradisum formavit illum, sed mox introduxit, ut re ipsa sensu beneficiorum frueretur, et ut ex aspectu et conversatione multam perciperet voluptatem, provocareturque ad gratitudinem, intelligens, quantis sit affectus beneficiis, cum nullum adhuc boni specimen præbuisset. Mansi, *tr.* xxx, *dis.* 1, n. 8.

Ast quam ob causam, Deum in corporis nostri fabrica lutum, ex quo membra nostra coagulavit, tractare voluisse putatis? Memento, quod sicut lutum feceris me. Numquid alia mundior, pretiosior, pulchriorque materia illi deficiebat artifici, qui, unico verbo amplissimas extenderat cœli sphæras? Verbo Domini cœli firmati sunt. Quin potius materia nobilis corpori competere videbatur, utpote quod animæ, ad imaginem et similitudinem ipsiusmet Creatoris formatæ, habitaculum esse debebat. Nihilominus dicendum est : Omnia in sapientia fecisti. Ut igitur ad nostrum deveniamus intentum, terra quæ gratitudinis est symbolum, ideo a Deo adhibita fuit ad formationem hominis, ut hic ei gratus existeret; ipsa namque experientia teste, quo magis terram industriæ agricultoris manus coluerint, subegerintque, tanto uberiorem profert sementem; quodque super eam projicitur semen, non perditur, sed colligitur centuplicatum. Quapropter S. Ambrosius ita discursum suum ad quemdam dirigit ingratum dicens: Herba generi respondet suo, tu non respondes tuo generi? Tritici granum sparsum terræ, generis sui gratiam reddit, tu degeneras? Qui idem Sanctus in alio quodam loco scripsit : Imitanda nobis est natura terrarum, quæ susceptum semen multiplicatiori solet numero reddere, quam acceperit. Ib. n. 9.

S. Augustinus animam humanam a supremo datore hoc fine ad imaginem et similitudinem suam creatam esse dicit, ut factorem suum pro imagine cognoscat, et pro similitudine diligat. Unde ubi Vulgata nostra legit : « Factus est homo in animam viventem ; » in Hebræo legitur : « in animam loquentem. » Optaret namque Creator, ut anima subito, post tam sublime *Esse* rece-

ptum, linguam suam in gratias referendas adhiberet; at vero, quia anima hoc multis titulis debitum solvere neglexit, Deus illam in hoc miseriarum barathrum cadere permisit, in quod simul universam humanam progeniem egit præcipitem. Unde S. Antoninus ait : Primi parentes, quia repleti omnibus bonis naturalibus, et spiritualibus omnium virtutum, et temporalibus, ingrati fuerunt Deo, adhærentes adversario ejus, mandatum transgredientes, omnibus virtutibus expoliati sunt. S. Aug. l. *de Spiritu et Anima.*

Primam, quam Spiritus Sanctus per Moysis calamum in Scriptura Sacra de suprema Altissimi majestate notitiam fecit, sequens fuisse perhibetur : « In principio creavit Deus cœlum et terram; » pro quorum verborum intelligentia, differentiam, quæ inter hæc duo nomina (*Dominus* et *Deus*) versatur, a Philone Hebræo discamus oportet, inquiente : Dominus et Deus indicant potentias; *Dominus* eam, qua imperat, *Deus* eam, qua est beneficus. Quam ob rem et sacer Moyses in toto mundi opificio nomen Dei assumit. Ubi et idem auctor, quantum Dei nomen beneficentiæ sit expressivum, latius docet : Id quod etiam ipsi gentiles agnoverunt, qui Jovi, omnis profanæ Deitatis origini, hoc attribuerunt nomen : Jupiter, *a juvando.* Jam hæ voces, *Deus æternus*, idem valent, ac si dicat : Non, qui aliquando largitur, aliquando non, sed semper et continuo, qui sine intermissione bene facit, qui nullam occasionem benefaciendi sinit præterfluere. Mansi, ib. n. 2.

Deus B. Mechtildi quondam dixit : Bonum est homini, ut sæpe recogitet, quam bene de ipso cogitaverim, quamque amanter illum respexerim, etiam cum in peccatis jaceret, et quam benigne mala ejus in bonum converterim. Ludovic. Blosius. Quod beneficium Sanctus Augustinus ponderans exclamat : Quoties me jam absorbuerat ille Draco, et tu, Domine, ab ore ejus extraxisti me? Quoties enim peccavi, et ipse paratus fuit deglutire me? Sed tu, Domine Deus meus, defendisti me. Descendi usque ad portam inferni, et, ne illuc intrarem, tu me tenuisti. Sciebas tu quidem, Domine, quia, si tunc mors me occupasset, infernus animam meam suscepisset, et perpetuo damnatus fuissem, sed tua misericordia et tua gratia prævenit me, eripiens me de morte corporis, et de morte animæ. Et iterum : Et ego te irritavi, ego malum coram te feci, furorem tuum provocavi, iram promerui, peccavi, et passus es, deliqui, et adhuc sustines. Si pœniteo, parcis; si revertor, me suscipis; si differo, præstolaris; revocas errantem, vincis repugnantem, amplecteris redeuntem, doces ignorantem, mulces mœrentem, a ruina suscitas, post lapsum reparas, petenti largiris, quærenti inveniris, pulsanti aperis. S. Aug. *in Soliloq.* c. xviii. Id ipsum vero confirmans S. Antoninus inquit : Tanto misericordia est gratior, quanto pœna est proximior, ad quam paratur; si enim suspendendus jam laqueum haberet in collo, majus beneficium putaret, si tunc liberaretur. Unde debet cogitare, si quando fuit in periculo mortis, dum in statu erat damnationis, et quo ivisset, si in illo statu decessisset, et quid promeruit apud Deum, ut Deus illi pepercerit. Funibus peccatorum suorum constringitur impius, quibus scilicet suspendatur in inferno. Unde Ezechias : Tu autem eruisti animam meam, ut non periret, projecisti post tergum tuum omnia peccata mea. S. Antonin. p. IV, t. V, c. xii. Merito ergo idem S. Augustinus pergit : Cui gratias referre debeo, quod non secundum iniquitates meas retribuisti mihi, quod me terra non absorbuit, non me cœlum fulminavit, non me fulgur combussit, non flumina submerserunt, nec alia pœna, vel morte, prout dignus eram, me afflixisti? Cum enim peccando a te recederem, non solum Dominum ipsum exacerbarem, sed totam ejus familiam justissime irritarem. S. Aug. *in Med.* c. xii.

Oro, ne desides simus, inquit S. Chrysostomus, sed unusquisque pro virili supputet apud se singulis horis non solum communia beneficia, sed et privata in se collata; non ea tantum, quæ omnes fatentur, et quæ omnibus manifesta, sed et propria et plerosque latentia; sic enim ad continuam gratiarum actionem Domino referendam incitabitur. Hoc maximum sacrificium, hæc perfecta oblatio est. S. Chrys. hom. *in* x, *Gen.*

Magnum est etiam et hoc nomine, quod multa mihi, antequam petere possem, vel vellem, aut nossem, dona contulisti. Non solum ante, sed et postquam senui, et potui te petere, te quærere, te desiderare, tibi inhærere, gratuita bonitate tua, non petenti, non quærenti, non desideranti, immo etiam parvi pendenti, vel etiam contemnenti, largitus est. S. Aug. *l. citato.*

Si quis oculorum lumen, si quis usum aurium, si quis narium, si quis manuum, si quis pedem tibi præpeditum aliquo modo reparasse videretur; si quis sopitam quavis occasione excitasset in te rationem, quis non alius tibi vehementissime succenseret, si quando forte beneficii hujus immemorem, aut benefactori deprehendisset ingratum? Enimvero Dominus Deus tuus ipsa etiam tibi instrumenta largitus, ex nihilo fecit hæc omnia, nec modo fecit, sed et compegit etiam, et formavit, ac suo quoque illustravit officio. Quomodo non is omni jure sibi gratias exigit ampliores? S. Bern. *in* Ps. *Qui habitat.* f. 1.

Magnum fuit et hoc, inquit, quod eorumdem sensuum meorum oblectamenta, singula sensibus singulis convenientia creavit Deus; multa pulchre lucentia, canore mulcentia, suave olentia, dulce sapientia, tactu placentia; etenim providentia Creatoris tam diversas qualitates rebus indidit, ut omnes sensus hominis sua oblectamenta inveniant. Aliud enim percipit visus, aliud auditus, aliud olfactus, aliud tactus. Visum pascit pulchritudo colorum, suavitas cantilenæ demulcet auditum, fragrantia odoris olfactum, dulcedo saporis gustum. Tot oblectamenta oculorum in diversitate colorum percipimus, tot oblectamenta aurium in diversitate sonorum audimus, quibus homines ad invicem suas voluntates communicant, præterita narrant, præsentia indicant, futura annuntiant, occulta revelant, adeo ut, si careat his vita humana, bestiis comparabilis videatur. S. Aug. *Med.* c. xi.

Quoties tentatio superatur, aut vitium subjugatur, imminens periculum declinatur, aut laqueus insidiantis deprehenditur, aut annosa et inveterata quæcumque animæ passio perfecte sanatur, aut multum diuque cupita, et sæpius petita virtus, tandem aliquando Dei munere obtinetur, quid, nisi toties (juxta Prophetam) personat gratiarum actio, et vox laudis, et ad singula quæque beneficia, benedicitur Deus in donis suis? Alioqui ingratus reputabitur, cum discussio venerit, qui non poterit dicere Deo: *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* S. Bern. serm. i *in Can.*

Sic certe mihi videtur, cum ejus miserationes circa me attendo, quod, si fas est dicere, nihil aliud agit Deus, nisi ut meæ saluti provideat, et ita totum ad custodiam meam occupatum video, quasi omnium oblitus sit, et mihi soli vacare velit; semper præsentem mihi se adhibet Deus, semper paratum offert, quocumque me verto, me non deserit, ubicumque fuero, non cedit; quidquid egero, pariter assistit, et tandem cunctis actionibus meis perpetuus inspector, et quantum ad bonitatem suam pertinet, quasi individuus cooperator adest. S. Aug. c. x.

Considera, quam, sollicita sit tanta Majestas circa te in tribuendo beneficia. Modo, quo tibi magis expedit, ab æterno disposuit ea tibi dare, ab æterno, et semper actualissime cogitavit, et talia tibi beneficia præordinavit. Ita sollicitus erga te, sicut circa integrum orbem vel universitatem creaturarum; ita enim hic magnus Rex, tibi et circa te intendit, ac si vacaret singulis. S. Bonav. vii, in fasc. c. vi.

Et hoc affectum tuum non modicum ad gratitudinem et amorem accenderet, si singula beneficia divina toti humano generi collata, ita tibi attraheres, et ita te ex eis ad gratitudinem intelligeres obnoxium, ac si tibi soli fuissent collata, v. gr. ac si pro te solo crucifixus, factus homo etc. propter te solum creasset cœlum et terram. Idem.

Qualitas. — Hoc est maxime grati animi, hoc sapientiæ studiosi, in rebus etiam asperis et adversis gratias agere, non solum pro beneficiis, sed etiam pro suppliciis; hoc enim majorem mercedem conciliat. Nam in bonis quidem gratias agens reddidisti debitum; in malis autem, Deum constituisti debitorem. D. Chrys. *in Ps.* ix.

Hymno dicto, exierunt in montem Oliveti, de quo Sacrificio Victor Antioch. ait: Ante passionem laudes gratesque Deo depromit, per hoc ostendens, se ultro libenterque pati; tum nos quoque exemplo admonens, ut adversa, si quæ nonnumquam sese offerant, grato patientique animo perferamus. Vict. Antioch. *in Marcum.*

Tam peritus et nostræ salutis artifex Deus, ut vel plagas incutiens medeatur, utrimque ad pietatem nos provocans. Procop. *in* c. ix, *Is.*

Utilitas.—Abel per totum vitæ suæ decursum nullam aliam actionem, qua divinam gratiam et benevolentiam sibi compararet, exercuisse legitur, præterquam solum actum gratitudinis suæ erga Deum, quia obtulit de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum, et respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus. Unde D. Chrysostomus in ejus

laudem dicit : Sciebat et clare sciebat, quod congruum esset ex suis possessionibus aliquid Deo offerre, non quod adeo Dominus indigeat, sed ut suam gratitudinem declaret, qui tali beneficio fruitur. MANSI, tr. XXX, disc. II, n. 2.

Noe, prius quam arcam ingrederetur, a Deo jussus est omnia animalia bina et bina, id est, masculum et feminam introducere; quando vero de animalibus mundis agebatur, inquit Sacer Textus, Deum dixisse : « Ex omnibus animantibus mundis tolle septena et septena, masculum et feminam, de animantibus vero immundis duo et duo. » Quæ verba magnam in se continent obscuritatem; si enim Deus sena et sena ex animalibus mundis in arcam introduci imperasset, facilis fuisset hujus dati præcepti intelligentia, justum enim erat, ut hæc animalia in majori numero essent, ut facilius multiplicarentur; hoc enim fine, majorem esse volebat numerum animalium mundorum, quam immundorum. At vero septimum, quod consorte carebat, cui fini servire poterat? Dubium hoc solvit D. Hieronymus dum ait : Ingrediuntur septena, quæ munda sunt, ut haberet Noe post diluvium, quod de impari numero statim Deo posset offerre. Idem Noe vix arcam egressus fuerat, cum ecce confestim summa cum industria hinc inde lapides conquirebat. Quo autem fine id ipsum fecisse existimas? Num forte addomos fabricandas lapides hosce congregare contendit? Minime. Sed mox, ut Moyses dixit : « Egressa sunt de arca, » immediate subjungit : « Ædificavit Noe altare Domino, et tollens de cunctis pecoribus et volucribus, obtulit holocausta super altare, odoratusque est Dominus odorem suavitatis. » Sed quis est hic odor suavitatis inter innumerabilium cadaverum totius generis humani extincti, totque mortuorum animalium fœtores? Numquid terra tot aquis stagnantibus inundata pestiferos exhalabat vapores? Numquid aer ob luxuriam et carnalitatem non sufficienter expiatus, totaliter adhuc infectus erat? Unde igitur nascitur hic odor suavitatis? Verum quidem hoc est; attamen hæc a Noe Deo reddita gratiarum actio adeo naribus Dei accepta fuit, ut Moyses dicat : « Odoratusque est Dominus etc. » Ubi D. Chrysostomus ait : Discamus, quam gratæ animæ fuerit Noe, et unde sibi multo uberiorem Dei erga se benevolentiam elicuerit. Ponderansque verba illa : « Odoratusque Dominus etc. » inquit : Vide quomodo animus offerentis, fumum et nidorem, et omnem, quæ inde nascitur, in suavitatem, multa fragrantia implevit. Etenim gratus Noe animus per cœlestem suam fragrantiam omnem penitus fœtorem e cadaveribus obortum dissipavit.

MISCELLANEA.

ÆQUITAS. — Numquam tibi referre gratiam potero, tamen illud certe non desinam, ubique confiteri, me referre non posse. Nam qui grate beneficium accipit, primam ejus pensionem solvit. SENECA, l. II *de Benef.*

NECESSITAS. — Nihil tam necessarium, aut cum majori cura discendum, quam beneficium dare, aut gratias agere. SENEC. l. III *de Benef.*

Nullum officium magis, quam referenda gratia necessarium; nam si Hesiodus jubet reddere majore mensura, quam acceperis utenda, quid debemus facere provocati beneficio? Idem, *in epist.*

QUALITAS. — Quod citius consenescit, gratia est. ARIST. l. V.

Præcepit Dominus per Ezechielem, ut, qui templum ingrediebatur, per aliam portam egrederetur, ne Propitiatorio terga verteret, cum a templo exiret; ut hinc docerentur homines, accepto a Deo beneficio, non esse illi per oblivionem terga vertenda. STAPLET. th. V, *in Domin.* 3, *post Epiph.*

Veteres gratitudinem sic pingebant. In capite scriptas habebat voces, *æstas et hyems*, *prope et procul*; in fimbriis vero *vita et mors*, ut indicarent, quod vera gratitudo nec in prosperitate, nec in adversitate, nec præsentem, nec absentem deserat benefactorem. BROMIARDUS v. *Gratitudo* c. IV, n. 9.

HONESTAS. — Credamus itaque nihil esse grato animo honestius; omnes hoc urbes, omnes etiam ex barbaris regionibus gentes conclamabunt, in omni judiciorum diversitate, referendam bene merentibus gratiam, omnes uno ore affirmabunt; in his discors turba consentit. SENECA, ep. LXXXIII.

Hæc est una virtus, non solum maxima, sed etiam mater virtutum reliquarum. Quid est pietas, nisi voluntas grata in parentes? Qui sunt boni cives, qui bello, qui domi, qui de patria bene merentes, nisi qui patriæ beneficia meminerunt? Quæ jucunditas vitæ sublatis amicitiis? Quæ vero amicitiæ inter ingratos esse possunt? Qui Sancti, qui reli-

gionem colentes, nisi qui meritam Diis gratiam justis honoribus memori mente persolvunt? Est igitur gratitudo laudatissima virtutum omnium, res Deo atque hominibus grata atque jucunda, gratique nominis. Orat. *pro Cn. Planco.*

Utilitas. — Cum exploratores terræ Chanaam in civitate Jericho a Raab meretrice absconsi dimitterentur, illaque hujus beneficii vicissitudinem ab illis reposceret, dixerunt illi : Innoxii erimus a juramento hoc, quo adjurasti nos, si ingredientibus nobis terram, signum non fuerit funiculus iste coccineus, et non ligaveris eum in fenestra, per quam dimisisti nos. Ubi notandum, quod in eadem fenestra, per quam dimissi fuerant, jusserint funiculum appendi, ut beneficii memores essent. Staplet. th. I, *in Dom.* 12, *post Pent.*

Deus jussit virgam Aaronis et duas tabulas Moysis in Arca reponi, ut per illorum aspectum, acceptorum beneficiorum memoria refricaretur. Ibid.

Eva, quia pro nato filio grata fuit, et prius beneficium agnovit, assecuta est et aliud. Talis enim est Dominus noster, quando in primis gratitudinem declaramus, et benefactorem agnoscimus, largius sua dona nobis erogat. S. Chrys. *in Gen.*

M. Joannes Avila dicere solebat, plus valere in doloribus et ærumnis unum *Deo gratias*, quam sex millia in prosperitate. Drex. *in Prodrom.* c. II, §. 47.

Æsopus narrat, mures quondam in leonem dormientem insiliisse, qui, cum evigilans unum apprehendisset, rogavit ille, ut parceret, fieri enim posse, ut sua ipsi opera et auxilium opportunum foret. Quod cum fecisset leo, contigit, ut in laqueus incideret, et rugito suo opem peteret; quo clamore excitus, dimissus prius musculus accurrit, et corroso laqueo leonem liberavit. Merito ergo omnibus benefacere studeamus, quia ignoramus, an non et nos alterius opem necessariam habituri, adeoque grati animi vicissitudinem simus desideraturi. Æsopus.

AXIOMATA.

Gratia gratiam parit.

Invitat ad magna, qui gratanter suscipit modica. *Florileg.*

Optima beneficiorum custos memoria, et confessio. Cassiod.

Qui grate beneficium accipit, primam ejus pensionem solvit. Sen. l. I *de Benef.*

Gratum hominem semper beneficium delectat, ingratum semel. Idem, l. V *de Benef.*

Nemo referre gratiam scit, nisi sapiens. Idem, ep. I, l. II.

Pœnitet accepti beneficii, quem nondum redditi non piget. Idem, l. VI *de Benef.*

Animus, non res, facit gratum, aut ingratum.

Si desint vires, tamen est laudanda voluntas,
Hac ergo contentos auguror esse Deos.
Ovidius.

Non est dignus dandis, qui non est gratus datis.

AUCTORES.

Jacobus Alvarez, *de Adept. virtutum* l. III p. II, §. 7.

Ludovicus Granatensis, *in Duce Peccatorum* l. I, c. II, *et seq.*

Bernardinus Rosignolus, l. IV c. XXV, *de Disciplina.*

Lucas Pinellus, l. III *de Perfect.* c. IV.

Petrus Sanchez, *in Regno Dei* p. VI c. V.

Viridarium Busæi. v. Gratitudo.

Thomas a Kempis, l. II *de Imit.*

Josephus Mansi, tr. XXX. dist. *Bibl. mor.*

GULA,

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est inordinatus appetitus alimenti; id est, si aliter cibus aut potus usurpetur, quam ipsa naturæ sustentatio requirit.

Divisio. — Dividitur in eam, *quæ in cibo*, et eam, *quæ in potu* sumendo excedit; et hæc quidem, si usque ad rationis privationem pertingat, *ebrietatis* nomen sortita est; secus vero, ad gulam plerumque revocatur.

Actus. — Primus est, *ante tempus* comedere aut bibere; ut Jonathas, Saulis filius, ignarus præcepti e patre editi, mel ante tempus gustavit, ideoque audivit a patre: Morte morieris, Jonatha. I. Reg. XIV, 44.

Nimis lautos et delicatos cibos, aut potum appetere; quo modo populus Israeliticus manna fastidiens, et ad ollas Ægyptiacas aspirans peccavit. Exod. XVI, 3.

Nimium comedere, aut bibere; quemad-

modum Sodomitæ, de quibus Ezechiel dixit: Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, abundantia. Ezech. xvi, 49.

Nimis ardenter alimentum appetere; ut Esau pro pulmento primogenita vendens, parvique pendens, quod ea vendidisset. Gen. xxv, 34.

Studiose nimis præparatum alimentum expetere; ut filii Heli, qui non contenti parte Sacerdoti offerri solita, etiam adipem Deo offerri solitum rapiebant.

EX S. SCRIPTURA.

Fuga. — Non in comessationibus et ebrietatibus etc. sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis. Rom. xiii, 11.

Noli avidus esse in omni epulatione,tə non te effundas super omnem escam, Eccl. xxxvii, 32.

Operamini, non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Joan. xxvii.

Damnum. — Anima saturata calcabit favum (orationis et Eucharistiæ) et anima esuriens pro dulci amarum sumet. Prov. xxvii, 7.

Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis! Luc. vi, 25.

Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuscemodi cibus, et ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Num. xi, 33.

Panis ejus in utero vertetur in fel aspidum intrinsecus. Job. xx, 14.

Qui diligit epulas, in egestate erit ; qui amat vinum et pinguia, non ditabitur. Prov. xxi, 17.

Væ tibi terra, cujus Rex puer est, et cujus Principes mane comedunt! Eccl. x, 16.

In multis escis erit infirmitas,aviditas appropinquabit usque ad choleram. Eccl. xxxvii, 33.

Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum deus venter est. Phil. iii, 19.

Juxta pascua sua adimpleti sunt, et saturati sunt ; elevaverunt cor suum, et obliti sunt mei. Oseæ xi, 6.

Hi sunt in epulis suis maculæ,conviventes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris despumantes suas confusiones, sidera errantia ; quibus procella tenebrarum servata est in æternum Judæ, xii.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.— Malæ dominæ servitur Gulæ, quæ semper expetit, numquam expletur. Quid enim insatiabilius ventre? Hodie suscipit, cras exigit; cum impletus fuerit, disputatur de continentia; cum digesserit, vale virtutibus dicitur. S. Ambr. s. *de Jej.*

Non cibus, sed appetitus in vitio est ; unde et lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, et abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus. S. Greg., t. XXX *Mor.*

Pene semper epulas comitatur voluptas ; nam dum corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Id. lib. I *Mor.*

Gula est, solius corporis causa, illecebrosus et avidus ciborum appetitus. Hugo, in suo *Claustro.*

Gula est vorax edacitas nauseanti stomacho applaudens, naturalibus finibus non contenta. Ibid.

Solent diis templa construi, altaria erigi, ministri ad faciendum ordinari, immolari pecudes, thura concremari ; deo siquidem *ventri* templum est coquina, altare mensa, ministri coqui, immolatæ pecudes coctæ carnes, fumus incensorum odor saporum. Ibid.

Fuga. — Sit vilis et vespertinus cibus, olera et legumina, interdumque pisciculos pro summis deliciis ducas. Qui Christum desiderat, et illo pane vescitur, non quærit magnopere, quam pretiosis de cibis stercus efficiat. S. Hier. *in ep. ad Paulam.*

Nemo potest virtutum perfectionem attingere, nisi prius ventris edomuerit ingluviem. S. Isid., l. I, c. xli.

Nullus palmam spiritualis certaminis apprehendit, qui non in semetipso prius per afflictam Veneris concupiscentiam carnis incentiva devicerit, S. Greg. l. XXX, *Mor.*

Ventrem accepisti, ut nutrias, non distendas; ut illi domineris, non ut dominum habeas ; ut tibi inserviat ad cæteras partes alendas, non ut tu illi inservias, non ut fines

transilias. Non tot malorum causa est mare fines supergressum, quot venter corpori. S. Chrys. hom. xiii, *ad Philipp.*

Damnum. — Si gulam in hoc vitio continueris, Paradisum habitabis; sin minus, hoc tibi persuade, pabulum te mortis futurum. S. Basil., s. *de Abdic. rerum.*

Primogenitorum gloriam Esau amisit, inquit S. Gregorius, quia magno æstu desiderii vilem cibum, scilicet lenticulam, concupivit; quam dum vendendis etiam moprigenitis prætulit, quo in illam appetitu anhelaret indicavit; neque enim cibus, sed appetitus, in vitio est. S. Greg. *ap. Mansi*, tr. xxxi, dis. iii, n. 18.

Si hanc vitiorum reginam deviceris, ubique locorum tranquilla animi pace perfrueris; ab eadem victus, ad mortem usque semper de salute periclitabere. S. Joan. Cl. grad. 3, n. 79.

Edacitas usque ad luxuriam pertrahit, quia dum satietate venter extenditur, aculei libidinis excitantur. Unde et hosti callido, qui primi hominis sensum in concupiscentiam pomi aperuit, sed in peccati laqueo strinxit, divina voce dicitur : Pectore et ventre repes; ac si aperte diceretur : Cogitatione et ingluvie super humana corda dominaberis. S. Greg. p. 3. *Cura Past. admon.* xx.

Qui ventrem implens pudicitiæ cultum profitetur, huic similis est, qui se ignis impetum stuppa compressurum, aut flammam oleo extincturum pollicetur. S. Nilus, *de S. Vitios. Affect.*

Septem dona Spiritus Sancti ex gula ruun, quod figuratum fuit Job, quando septem filiis convivantibus in domo primogeniti, domus percussa a vento ruens oppressit omnes ; figurant enim, secundum Gregorium, septem dona Spiritus Sancti filii Job. S. Ans. p. 2. tom. VI, c. iii.

Gula reddit hominem Deo abominabilem et exosum, quia creaturam vilissimam deificat, præferens eam Deo. Odit Deum, quia templum suum convertit in fanum Diaboli, et in latrinam, seu vas stercorum, et sentinam omnium vitiorum, et habitaculum dæmonum; imaginem Dei denigrat et deturpat, Dei quoque Majestatem blasphemat. Bellovac. l. III, spec. viii, disc. i,

Quantum sit detestabile vitium gulæ, ostendit Ambrosius : Sexto die bestiæ creatæ sunt, et cum bestiis orta est potestas edendi, et usus escarum; ubi cibus cœpit, ibi finis factus est mundi; ibi cœpit sua incrementa nescire, ubi cœperunt divina erga eum opera feriari; quo judicio declaratum est, quod per cibos mundus haberet imminui, per quos desiit augeri. S. Ambr. *apud S. Ant.* l. c.

Ad quid ars coquorum nobis prodest, immo vero ad quid non obest, cum tam corpori, quam animo non mediocriter officiat? Matrem enim omnium ægrationum, deliciarum usum, magna pompa constipatum in medium adducit. Mansi, disc. xix, n. 9.

Rogas ad jucunditatem? Cogis ad mortem. Invitas ad prandium? Efferre vis ad sepulchrum. Cibos promittis? Tormenta irrogas. Vina prætendis? Veneno suffundis. S. Amb. l. de *Elia.* c. xiv.

Legitur, quod Nabuzardan Princeps militiæ, seu, juxta Septuaginta Interpretes, Princeps coquorum, destruxit muros Jerusalem; quia plerumque venit, ut vitium gulæ merita eorum destruat, qui viam Religionis elegerunt. Illud præ cæteris mihi doloris materiam importat, quod hodie viri Religiosi, et S. Ordinis Professores, de ferculorum numerositate contendunt. Pet. Bles. *in c.* i *Job.*

Qui corporis sui carnes delicate nutrit, concupiscentias malas pascit. S. Eph. tr. *de Tim. Dei.*

Semper saturitati juncta est lascivia. Vicina sunt igitur venter et genitalia, pro membrorum ordine ordo vitiorum. S. Hier. in serm.

Dominante gulæ vitio, omne, quod homines fortiter egerunt, perdunt; et, dum venter non restringitur, simul omnes virtutes obruuntur. S. Greg. l. XXX *Mor.*

Gula Paradisum clausit, primogenita vendidit, suspendit pistorem, decollavit Baptistam; Nabuzardan, Princeps coquorum, templum incendit, et Jerusalem totam evertit; Balthasar inter epulas manum scribentis vidit, et eadem nocte interfectus est a Chaldæis. Innocent *de Vil. Condit. hum.*

Cave, ne te adversarius simili atque primum parentem peccato, circumveniat, et quamprimum de Paradiso deliciarum expellat. Nam qui callida escæ objectione ita malitiose illum vita spoliavit, et item Jesu eodem modo supplantaturum speraverat, nihil est, quod is vereatur; etenim præsentissimum hoc esse venenum intelligit. S. Basil. s. *de Abdic. rer.*

Plurimos gula sua occidit, nullum frugalitas; innumeris vina nocuerunt, nulli parsimonia. Plerique inter epulas fudere animas, et mensas proprio repleverunt sanguine. S. Amb. ser. *de Cain et Abel.*

Sicut omnes carnales cupiditates per abstinentiam resecantur, ita omnes animæ virtutes edacitatis vitio destruuntur. S. Isidor. *de Summ. Bon.* l. II c. XII.

De ventris ingluvie inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagantur. S. Greg. l. XXXI *Mor.* c. XXXI.

Quod necessitatem in edendo excedit, id non alimentum, sed pestis est; satietas morborum omnium origo. S. Chrys. hom. XXI *in c.* II, XXX.

Gulæ saturitas nimia aciem mentis obtundit, ingeniumque evertere facit. Isidor. l. I *de Sum. Bono.*

Dominante gulæ vitio, omne, quod homines fortiter egerunt, perdunt, et, dum venter non restringitur, simul omnes virtutes obruuntur. S. Greg. l. XXX *Mor.*

Coquorum Princeps muros Jerusalem dejicit, quia dum venter ingluvie tenditur, virtutes animæ luxuria destruntuur. Idem, in *Past.*

Gula innumera vitiorum agmina ad animæ conflictum producit. Ibid.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Qualitas et fuga. — S. Dorotheus, cum Dositheum viri primarii filium instituendum suscepisset, initium ab expugnatione gulæ fecit. S. Doroth. *in Vita.*

Senex quidam, cum Philosophis disputans dicebat : Multis debitoribus parens meus me fecit obnoxium, cæterisque solvens, et ab eorum molestiis liberatus, soli uni quotidie solvendo satisfacere non possum. Quærentibus autem illis solutionem respondit : Multis fui constrictus vitiis, quibus tanquam molestissimis creditoribus omnem abjiciens substantiam satisfeci, atque ab eis solutus fui, *gastrimargiæ* vero stimulis carere nequeo; et licet eam ex parte redegerim, vix vim impulsionis evado. *Vitæ PP.* apud March. *tub. Sac.* tr. V, lect. I.

Serapion Sidonita, Athenis, triduani jejunii fame pressus juxta locum Concilii clamavit : Viri Atheuienses, mihi succurrite, nam trium fœneratorum manum incurri, et duorum debitum solvi, tertio satisfacere non possum. Quærentibus, quid hoc esset? respondit : Tres fœneratores sunt cupiditas pecuniæ, carnalitas luxuriæ, aviditas gulæ. Quorum primis duobus satisfeci, sed tertius adhuc urget ob famem, quam patior. Ibid.

B. Jacoponus, ut gulam domaret, absynthio quasi sale utebatur, donec eo pervenit, ut saporem cibi in unum Deo referret. Quondam ab appetitu bubulæ carnis vexatus, eam quidem emit, sed tamdiu in cubiculo servavit, donec computresceret, et tum demum pessime olentem naso applicabat. Cornel. a Lap. *in* c. XI *Num.*

Serapion cum diu a gula superatus, et, quæ occulte comederet, furatus, tandem tentationem et fragilitatem suam seniori detexisset, panemque furto sublatum de sinu extraxisset, flamma sulphurea gravissime fœtens de eodem sinu exivit, ut intelligeret, nunc tandem tentationem illam penitus fuisse expugnatam. Cassian. in *Coll.* c. XI.

Abbas quidam Laureacensis, Maubrunus nomine, priusquam mensæ accumberet, familiaria sibi habebat quædam perfectionis exercitia, quibus se armabat, ne vinceretur a gula; nimirum excitabat in se quosdam doloris, verecundiæ, timoris, et gratitudinis affectus; doloris quidem, quia revocabat in memoriam jacturam immortalitatis, quam primi parentes nostri ob gustatum pomum vetitum passi, in hanc necessitatem seu potius vilitatem lapsi fuerant, ut ad manducandum adstringerentur; quo eodem motivo S. Isidorus ducebatur, quando ad refectionem accedebat : Erubesco, inquit, irrationabilem cibum sumens, qui rationabilis a Deo factus in Paradiso deberem cibo saturari divino. Deinde verecundiæ excitabat actus, eo quod ab exactore adeo vili et abjecto, a corpore scilicet humano stercoris sacco, importuno, insatiabili, indiscreto, incivili, qui nullis acquiescit rationibus, aut precibus, vexabatur. Timorem quoque exercebat, eo quod astutus serpens continuos in sumendo cibo nobis laqueos ostendat, ut in culpam aliquam præcipitet. Ad gratitudinis pariter actus convertebatur, dum providam Dei manum eum pascentem consideraret, Patri, quem in cœlis invocamus, gratias agens. Cum itaque protoparentes nostri in statu innocentiæ, justitia induti originali, in hoc corruerint gulæ vitium, quanto magis nobis timeamus oportet; præsertim quia, ut S. Augustini scribit, cum salus sit causa

edendi et bibendi, adjungit se tanquam pedissequa periculosa jucunditas; et plerumque prærire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico, vel volo; nec idem modus utriusque est, nam quod saluti satis est, delectationi parum est. S. Anton. p. II, *Sum.* tit. VI, c. I, § 2.

S. Romualdus, si quando eum ex aliquo esculentiori cibo gulæ vitium titillaret, mox accurate illum præparari præcipiens, ori et naribus accommodans, et solum captans odorem dicebat : O gula, gula, quam dulci, quam suavi modo mihi saperet iste cibus; sed væ tibi, ex eo nunquam gustabis! Et sic intactum ad cellarium remittebat. S. Petr. Damianus, c. xxxii.

Gulæ modum imponit cibi parcitas uti ex sequenti exemplo patet. Abbas quidam, suavis edulii concupiscentia ductus, lamprædam sibi acquiri præcepit. Cumque ministri dicerent, hoc genus eo loco difficile posse reperiri, extitit qui diceret, unam tantum in nundinis se vidisse propositam, nullo minus quam viginti nummorum Papiensium solidis coemendam. Jussit Abbas dari pecuniam. Cocorum autem diligentia laute decoctus piscis Abbati apponitur; sed antequam tangeretur, ecce pauper ad januam, hoc potissimum sibi dari, quod Abbati appositum erat, anxie postulabat. Mox, ut erat, integrum piscem non hæsitans vir Domini mittit ad pauperem; illico pauper qui videbatur, cum ipsa paroside plena pisce in sublime se extulit, et librata manu velut xenium portans cœlum, cunctis videntibus, penetravit. Unde liquido comprobatur, quia quod indigentibus datur, Deo transmittitur, et quod in sinum pauperis occultamus, in cœlo reponamus. Pet. Dam. in Epist. *ad Hildebrandum Pap. seu Greg. VII.*

S. Carolus Cardinalis ita de gula victoriam obtinuerat, ut extra consueta bibendi tempora ne guttam quidem aquæ, vel in æstivis caloribus et laboribus gustare soleret. Reprehendit aliquando sacerdotem familiarem, quem viderat, extra horam consuetam bibentem, nec admisit excusationem quod os tantum perlueret, ob eamdem rationem, quod facillime sensus, nisi cohibeatur, fiat licentior. Cassian. lib. VIII *de Vita ejus.*

S. Serapion adhuc juvenis, ad sermonem sui patris alienum compunctus est de vitio *gastrimargiæ*, seu gulæ; pene convictus, furtum paniculi, quem comedit clanculo, coram fratribus fatebatur, et a tentadæ toremone protinus liberatus est tam plene, ut deinceps numquam de gula tentatus sit. Joan. Nide. lib. II, *de Fornicariis* c. I.

Damnum. — S. Rembertus cum esset in obsequio decessoris sui domini Anscharii, apparuit ei Presbyter Arnulphus, jam diu defunctus, et percunctanti de ejus causa in hac sæculi vita, dolenter respondit: Cum in hac carne essem, negligenter de animæ meæ agebam salute, interdicta in esca et potu frequenter usurpans, indignus fui hactenus ad præsentiam Dei venire. Qui, ut patet, non aliam ob causam, quamvis in gratia decessisset, se a præsentia Dei ad tempus remotum fuisse attestatur, nisi quia gulæ frequenter vacarat; ideoque mox subjunxit supplicans : Si tua fraternitas pane, sale et aqua contenta, a cæteris victualibus abstinentiam 40 diebus pro me facere vellet, credo per Dei misericordiam, ab hujus repulsionis meæ sententia sine pœna liberari. Bolland. t. III. *Feb.* 4.

Thomas Cantipratanus loquens de Prælatis, qui lautius vivunt, quam par sit, hoc affert exemplum, quod suo tempore in Francia contigit. Erant, inquit, duo senes monachi, ab ipsis puerilibus annis pares in scelere, dissoluti valde, in monastica observantia enutriti. Hi sibi plures ex juvenibus, in immunditia assidui, quotidie copulabant, seorsum vacabant epulis, risibus et cantibus exultabant, innocentibusque ac simplicibus detrahebant. Cum de eorum insolentiis Conventus quotidie non mediocriter turbaretur, nec esset, qui corrigeret delinquentes, vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus est. Vix enim sinit turbationem piorum claustralium inultam. Accidit igitur quodam vespere, ut secundum consuetudinem suam esculento ore ad voraginem inhiarent. Vix ori cibis appositis quartum aut quintum manus obtulerat, cum ecce unus prædictorum senum subita ingluvie strangulatus, eversis statim oculis expiravit. Territi igitur omnes, qui consederant, surrexerunt; nec diu post superstes vetulus, socii animadversione non fractus, licet ad momentum horruisset, sicut porcus occiso a carnifice porco, resumpta audacia resedit ad mensam; et cum enormi crapula sic est repletus, ut amens penitus portaretur ad lectum, et quasi brutum animal expiraverit. Horrore ergo omnes exemplorum talium perturbati, vitam suam et mores in melius mutaverunt,

communemque vitam, et cibum strictissime servaverunt. Thomas Cantipr. t. II *Apum* c. xii § 3.

Vidit Eva, quod lignum esset bonum ad vescendum, et tulit de fructu ejus, deditque viro suo, et comedentes ambo, totum humanum genus secum in perniciem traxerunt. Gen. iii.

In diebus Noe, edebant usque in diem, qua intravit Noe in arcam, et venit diluvium, et tulit omnes. Gen. xvii.

Gulosa femina lactucam decerpens, cui dæmon insederat, nec signum crucis faciens, ab eodem obsessa est. *Spect. ex.* d. i. *ex.* xl,

Gulosus monachus occulte comedens, et publica abstinentia sanctitatis famam quærens, draconi devorandus traditur. Ib. ex. xlviii.

Gulosus Frater, quia frixuras in vasculo deferebat ad triclinium, et de iis ibi comederat, in turpissimum pollutionis vitium mox incidit, ut dici de eo jure potuerit : Post buccellam introivit in eum Satanas. S. Petrus Dam. ep. i *ad Fr.*

Alius quidam Frater, cum in patriam domum veniens piscibus oblatis non contentus, sed gallinam occidens, et assari jubens, ubi primum bolum accepit, ab eo suffocatus est. *Spec. Ex.* V. *Gula,* ex. ix.

Quidam miles post mortem puero suo apparens, cum hic præ timore aperire eidem januam nollet, bufones ac serpentes januæ appendit, filioque suo nuntiari jussit, hunc esse suum et otiosorum in inferno cibum et delicias. Ib. ex. xvi.

Phocas Imperator, cum eo die, quo ludi equestres peragebantur, in edendo et bibendo modum excessisset, a plebe per ignominiam verbis hujusmodi notatus est : Rursus e Canco (poculi genus est a sono quem edit effluente vino simul et aere) bibisti, rursus mentem amisisti? Ob id convitium multos morte mulctavit. Itaque cum viderent Proceres ac Magistratus Reipublicæ magnam hominum multitudinem multis affici malis, bona per publicationem adimi, capita præcidi, ad Africæ prætorem Heraclium litteras mittunt, qui precibus eorum motus, continuo classem parat et contra Phocam proficiscitur, adferens secum illam imaginem Christi, quæ manibus facta non erat. Hoc modo Phoca superato, Photinus quidam unus ex Magnatum numero, cujus uxoris pudicitiæ Phocas antea struxerat insidias, subito in Palatium irrupit, et Phocam Imperatorem pulla veste indutum mox ad Heraclium deducit. Qui cum Phocam verbis hisce compellaret : Ita ne, miser, Rempublicam administrasti? respondit Phocas : Tibi vero per me licet, ut rectius eam geras. Hinc ei dextra manus et pedes amputati, cutis dorso detracta, exsecta verenda, et hastæ adfixa, caput denique gladio recisum, relictus corporis truncus in foro, quod Boarium nuncupant, per contumeliam hinc inde tractus, tandem igni traditur. Michael Glycas. IV, p. *Ann. Byzant.*

Fructus domitæ Gulæ.

Adolescenti cuipiam Mexicano quia femina impura scelus persuadere non poterat, saccaro temperatum venenum officii obtentu misit. In dulcem illam escam jamjam involaturus juvenis meminit se ea die mortificationi studere in Deiparæ honorem, adeoque jejunare consuevisse. Postero die, dum illam promi jubet, compertus est illius impudicæ machinationis dolus, bellariis iis, seu saccaro vermibus fœdum in modum scaturiente, deprehensumque, quod si heri missum dulce venenum (uti vehementer in id sumendum rapiebatur) sumpsisset, veneno fuisse extinguendum. Quare confessarium adiit, peccata expiavit, sacro sancto epulo accubuit, et Deo, ejusque Matri suæ sospitatrici pro vita servata gratias egit. Nadasi. *Ann. Mex.* n. 362.

Miles quidam multa scelera commiserat, tandem ductus pœnitentia, venit ad Sacerdotem de commissis facta confessione pœnitentiam suscepit, sed susceptam servare non potuit. Cumque hoc sæpius actitasset, die quadam dixit illi Sacerdos : Nihil sic proficimus, dic ergo mihi : Estne aliquid, quod pro peccatis tuis possis custodire? Respondit ille : Est pomus in possessione mea talis, cujus fructus pessimus et amarus est adeo, ut nunquam ullum comedere possim. Si videtur tibi bonum, pœnitentia mea sit, ut quoad usque vivam de ejusdem pomis non gustem. Sciens Sacerdos maxime post prohibitionem, excitante carne atque Diabolo, consurgere tentationem, respondit : Pro omnibus peccatis tuis tibi injungo, ut nunquam de fructu ejusdem arboris scienter comedas. Abiit miles pœnitentiam injunctam pro nihilo reputans. Sic sita erat ipsa arbor, ut quoties ædibus suis egrederetur, vel eas ingrederetur, eam respicere posset. Respi-

ciendo semper prohibitionis recordabatur, et recordando mox gravissime tentabatur. Die quadam ante arborem dictam transiens, et poma in ea considerans ab eo, qui primum hominem per lignum prohibitum tentavit et prostravit, tam valde tentatus est, ut arborem adierit, et ad pomum decerpendum nunc manum extendendo, nunc extensam retrahendo, totum pene diem contrariis nisibus exegerit. Tandem adjuvante gratia divina triumphans in tantum concupiscentiæ restitit, ut corde coangustato sub arbore jacens spiritum exhalarit. Cæsarius. l. IV, c. LXVII.

Beatus Henricus Suso statuit numquam bibere, etsi siti interdiu sæpe cruciaretur, maxime circa noctem; hinc ei, velut febrientibus solet, oris labra scindebantur, ac intumescebant, ut etiam linguæ cutem detereret nimia siccitas oris; adibat nonnunquam limpidissimum monasterii fontem, unde in subjectum labrum æneum frigida promicabat, unde sitis auctior ei plus tormenti afferebat, quanto præsentius ei negavit remedium; semel tamen præ nimia sitis vehementia questus est amanter Deo: « O infinita bonitas! quam amor tuus potens et suaviter crudelis est, quandoquidem mihi totus lacus Acronianus, totus Rhenus, totum hoc fontis salientis illicium prohibitum est ab illo! » Alias etiam Christo amanter questus est sitis vehementiam, quam ejus amore toleraret, sed successu sane felici; quippe cum jam diu nullo potu usus semel in mensa viribus præ siti deficeret, impetrata de mensa communi discedendi venia, in sacellum se contulit, ubi enectus prope sitis immanitate, ubertim lacrymans Christus est allocutus: « O Jesu amantissime, haustum aquæ mihi negabis, qui tui amore siti excrucior, quem tamen miserrimo cuique nemo negat? Patieris diutius me ita torqueri? » Dumque ita tormentum suum explicat, videbatur se quadam voce animari, certumque reddi proxime se consolatione divina recreandum. Nocte sequenti B. Virgo cum Jesu parvulo ei apparet, quasi decem annorum cum patera aquæ plena; inde jubet eum bibere. Unde cum liberaliter bibisset, recreatus mire omnem sitim extinxit. Barry. p. III, c. II, *de Vot.* praxi 3.

S. Lambertus, Episcopus Valencenensis, feria quadam sexta in Parasceve, post multos labores, meditationes ac preces fatigatus, et siti cruciatus, noluit tamen ante justum collationis nocturnæ tempus quidquam gustare; tempore vero collationis, ad fallendos accumbentes, ut solebat, in argentea patera jussit sibi a servo, qui jam erat ad hoc institutus puram aquam afferri, super quam efformata cruce, cum biberet, vinum reperit; jubet servum, si deliquisset, errorem emendare. Format crucem secundo, et denuo vinum gustat. Tertio demum ipse in rem venturus, aliis spectantibus aquam infundit, et facta cruce, iterum vinum bibit, et quod adstantes omnes gustarunt. Ibid.

EXEMPLA DOMESTICA.

Fuga. — S. Ignatius nulli unquam ferculo arrisit, nullum edulii vel condimenti genus cuiquam indixit, nihil inter edendum questus, licet et cibus et potus sæpe male paratus esset. Maff. *in Vita* l. III, c. XII.

P. Thomas Sanchez, ubi sensit in aliquem cibum vehementius se inclinari, mox eum deposuit. Nullum acetum, salem, oleum aut aliud ejusmodi condimentum adhibebat, ut gulam expugnaret. *Annuæ Soc.* 1620, *Col. Or.*

P. Sebastianus Barradius vilissima tantum et palato ingratissima sumebat. Sæpe ad gulam mortificandam cibos calidissimos, sæpe frigidissimos accipiebat, ut omnis sapor abde retur. *Vita, itinera. præf.*

P. Balthasar Alvarez, si melius quid ei apponebatur, mox alteri dabat. Cum aliquando unicum ovum haberet in hospitio, etiam illud studio in terram cadere permisit, ut se in illo exiguo cibo vinceret. *Vita* c. IV, § 1.

Joannes Berchman dicere solebat, tribus cum vitiis maxime pugnandum esse Religioso, nempe cum acedia, superbia, gula; acediam fervore, superbiam submissione, gulam temperantia superari. Hinc ipse ut gulam vinceret, nihil umquam præter vulgarem cibum et potum admisit; non prius mensæ recordabatur, quam signum audiret; paulatim sibi aliquid detrahebat. *Vita.*

EXEMPLA PROFANA.

Zeno Imperator Orientis cum, ob intemperantiam gulæ, Ariadnæ uxori et aliis valde molestus fuisset, illius imperio semel inebriatus in monumentum Imperatorum con-

jectus est, lapide maximo pro operculo imposito, factusque sobrius inter lamentationes et ejulatus, misera et horrenda morte est extinctus. ZONARAS, tom III *Annal.*

Sauromatæ triduo se ad saturitatem ingurgitant, uxoribus ceu dominis per omnia parent. STOBÆUS, s. XLII.

Aureliano Imperatori in deliciis fuit Phago quidam, qui uno die ad mensam Imperatoris aprum integrum, centum panes, vervecem et porcellum comedit. LONGIUS, *in Polyan.*

Diogenes divitem quemdam, qui sua abliguriverat, olivis vescentem in diversorio videns : Si sic prandisses, inquit, non ita cœnares. LAERT. l. VI.

Vitellius ab amicis sibi sic parari convivia jusserat, ut nullum infra decies mille aureorum constaret ; et tamen adhuc profusiora erant, quæ proprio sumptu apparabat, ita ut in una cœna duo piscium millia, avium vero septem millia apponebantur. SUETON.

Albinus Imper. tantæ voracitatis erat, ut in una cœna decem pepones Ostienses, centum poma Persica, quingentas ficus passarias, et quadraginta ostreas comederet. PLATINA, *in Pont.*

Wenceslaus, Rex Bohemiæ, cum prandium non prout jusserat, præparatum invenisset, jussit coquum caponis instar veru affixum ad ignem torreri. FAB. *in Dom.* 6 *post Pent.*

Henricus, Rex Angliæ VII, Apitium quemdam, hominem obscurum ad magnam dignitatem evexit, eo quod caponem, quem cibum ille pro deliciis habebat, optime sua cura præparatum illi apposuisset. Ib. ex. 16.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut aquila, licet excelsissime volans, tamen ad ima vallium submitti, ac morticinis cadaveribus implicari ventris necessitate compellitur ; ita sancti quoque viri nonnumquam propter victus necessitatem gastrimargiæ vitio impetuntur. CASSIAN. coll. V, c. XX.

Sicut febris ex nimio ardore et inflammatione procedit ; ita quoque vitium gulæ non in manducando consistit, sed in appetitu immoderato cibi, quantumvis ille vilis et exiguæ sit substantiæ. MANSI, disc. XXVI, n. 5.

DAMNUM. — Sicut coturnices in vindemiis, quando sunt bene pingues de facili capiuntur ab accipitre ; sic homines dediti gulæ, facile vincuntur ad tentationem. S. BONAV. tom VI *in Diæt.* tit. I, c. VIII.

Sicut porci impinguantur in pascuis glandium, quas avide sumunt, nec eum, qui excutit, et dat eis, respiciunt, et dum attendunt glandibus comedendis, lanio percutit eos securi, et subito occidit incautos. Talis quoque saginatus porcus ille dives erat, qui dicebat : Anima mea, habes multa bona reposita in annos plurimos, comede, bibe, epulare. At vero Dæmones, tanquam laniones, eumdem jam incrassatum et impinguatum, ex improviso mactarunt. Stulte, hac nocte repetent a te animam tuam, id est, Dæmones, inquit Lyranus. BELLOV. in *Spec.* l. III p. VIII dist. III.

Sicut Esau pro cibo lenticulæ vendidit primogenita sua ; sic gulosi pro gula vendunt præmia æterna, nam dicitur : (Thren. I.) Dederunt quæque pretiosa pro cibo. S. BON. l. c.

Sicut per abstinentiam omnes virtutes spirituales radicantur, atque ædificantur in anima ; ita et per suavitatem ciborum omnia vitia nutriuntur, et confortantur in corpore. S. BERN. s. XXIV *de Mod. vivendi.*

Sicut nubes solis radios obscurat ; sic crassus vapor e cibis emergens, mentis obscuritatem affert. S. NILUS, *de Vit. aff.*

Sicut præsepe omnium jumentorum, equorum, aliorumque similium animalium in se recludit pabulum ; ita et corpus ingluviei deditum, quoscumque suscipit et refundit cibos, ad brutales explendos appetitus. Porro venter nihil aliud est, inquit ille, quam præsepe brutæ concupiscentiæ, qui potationibus rigatur et ingluvie. PHILO, *de Hon. Sacerdot.*

Sicut bestiæ comedunt, cum trahit appetitus eas ad cibum sine discretione, vel aliqua consideratione ; ita et gulosus non respicit nec ad diem, nec ad modum, nec ad necessitatem, sed ad appetitum. S. ANTONINUS, l. c.

Sicut animalia bruta uberiori pabulo distensa, magis refractaria atque indomita fiunt, et neque jugum, nec frenum, nec aurigæ manum ferunt ; ita populus Judaicus ex ebrietate, et nimia corporis obesitate ad extremam præcipitatus malitiam lasciviæ, neque Christi jugum acceptavit, neque doctrinæ aratrum duxit. S. CHRYS. tom. I, hom. XXXIV *adv. Judæos.*

Sicut musto dolia ipsa rumpuntur, et omne, quod in ipsis jacet, in summam partem vis caloris ejectat; sic vino exæstuante, quidquid in imo jacet abditum, effertur, et prodit in medium. SENEC. ep. LXXXIII.

Sicut piscis per guttur capitur cum hamo, et avis per collum cum laqueo tenetur; sic gulosus per guttur et collum capitur gulæ vitio. S. BONAV. *in Diæt.* l. I, tit. VIII.

Sicut squinantia est morbus gutturis, et cito suffocat hominem; sic gula gutturis vitium faciliter strangulat hominem per peccatum. Idem l. c.

Sicut rosæ uno die florent, et eodem die pariter languent, at spinæ, quæ manum perfodiunt, toto anno in sepibus permanent; ita quoque vini sapor, et epularum suavitas, una tantum hora, vel duabus ad summum placet, at vero damna, quæ corpori adsciscunt, integris nos annis suspirare faciunt: « Amaritudo animæ, inquit Ecclesiasticus, vinum multum potatum; ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem et faciens vulnera. » ECCL. XXXI, 39.

Sicut terra, quando nimia aquæ abundantia oppressa fuerit, innatum suum calorem perdit, ac vires, nec est ad generationem idonea; sic corporis vis mollescit, dissolvitur, diffluit potu continuo ingurgitata, inutilisque homo redditur, et morbis variis obnoxius. March. *Tub. Sacerd.* tr. V, lect. IX.

Sicut fumus fugat apes; sic indigesta ructatio avertit Spiritus Sancti charismata. S. HIER. in *Reg. Monach.*

Sicut stercoris copia multitudinem gignit vermium; ita multitudo ciborum, lapsuum, et malarum cogitationum atque somniorum operatur multitudinem. S. CLIM. *de Discr.* gr. XXVI.

Sicut navis oneraria, quæ supra suam magnitudinem vehenda capit, oneris magnitudine gravata submergitur; ita anima et corporis nostri mensura si plures acceperit cibos, quam ferat natura, impletur, et injectorum gravitatem non amat, et in perditionis pelagus demergitur. S. CHRYS. hom. *contra Luxum et Crap.*

MOTIVA.

EX QUALITATE. — Quia vitium hoc *communissimum*, atque adeo *periculosissimum*, est; cum enim cibo quotidie refici opus habeamus, declinare illius occasiones, sicut in aliis vitiis, non possumus, unde S. Augustinus ait: In his tentationibus positus certo quotidie adversus concupiscentiam manducandi, et bibendi; non enim est, quod semel præcidere, et ulterius non attingere decernam, sicut de concubitu potui. S. AUG. XXX, *Conf.* c. XXXI.

Quia *turpissimum* est; quid enim fœdius, inquit Canisius, quam hominem a belluis, naturali quadam frugalitate contentis, superari, dum ventris, crapulæ et vinolentiæ quasi mancipium agit, dum bona dissipat, valetudinem lædit, morbos accersit, ac vitam denique ipsam abrumpit sibi? CANISIUS, t. IV, § 7, *de Vitiis Capitalibus.* Hoc sane motivo studiosus quidam, teste Marchantio, stultitiam suam agnovit; cum enim Parisiis domum proficiscens, in hospitio ab hospite ad varios haustus in sanitatem hospitæ, filiæ, ancillarum provocatus esset, ideoque sequenti die capitis gravissimos dolores sensisset, accidit, ut in itinere ad fluvium perveniret, ibique jumentum suum ad bibendum invitaret; quod cum illud modice fecisset, et postea studioso frustra per amorem hospitæ, filiarum, ancillarum hortante, ut amplius biberet, præstare nollet, quin imo recalcitrando abnueret, motus ille hoc jumenti exemplo dixit: Vere tu longe me prudentius es; si enim ego me heri, perinde ac tu modo, continuissem, hodie tam gravi capitis dolore, fauciumque ariditate non laborarem. MARCHAN. *in Tuba Sacerd.* lect. IV.

Quia *nocentissimum* est: 1. *Corpori*, uti bene Seneca explicavit, dum dixit: Inde palor vultus et nervorum tremor, et miserabilior, et execrabilior, quam ex fame, macies. Quid capitis vertiginem dicam? Quid oculorum auriumque tormenta? Multos morbos multa fercula fecerunt. Necesse est enim, ut inter se tam diversa discrepent, et hausta male digerantur, ex discordi vero cibo nascitur morbus. SENECA, *in epistola.* 2. *Animæ;* nam, ut supra dictum, ex uno gulæ vitio innumera vitiorum agmina ad conflictum animæ producuntur.

Quia *indignissimum* est homine rationis capace; id quod S. Chrysostomus sapienter advertit, dum ejusmodi homines porcis comparavit, qui natura sua immundi, atque ad terram et cœnosas voragines ore demersi, nihil aliud, quam ad satietatem ventris pa-

bula semper requirunt, nullamque ex se, dum vivunt, utilitatem præstant.

Quia *idololatricum* est; sicut enim diis solent templa construi, altaria erigi, ministri ad serviendum ordinari, immolari pecudes, thura concremari; ita ab iis, quorum deus venter est, coquina pro templo servit, altare pro mensa, coqui pro ministris, coctæ carnes pro immolatis pecudibus, ordo saporum pro incenso, spiritus et flatus temulentiæ pro Spiritu Sancto. Hinc etiam Philisthæi Dagonem, id est, deum ventris colentes in occultis partibus puniti sunt, ita ut intestina profluerent, ac prominerent.

Quia *inquietum et turbulentum* vitium est; hinc Apostolus monet : Nolite curam carnis facere in desideriis. Rom. XIII, 14. Certe per gulæ victoriam, animæ pacem obtineri recte S. Basilius pronuntiavit dicens : Ventris moderatio, animi perturbationum compressio est; perturbationum autem compressio, animi pax est atque tranquillitas; animi autem tranquillitas nihil aliud, quam fecundissimus virtutum fons est. S. Basil. in *Const. Mon.* c. v.

Quia *scandalosum* est vitium, maxime in personis Ecclesiasticis et Religiosis; nam interioris hominis castitas, teste Cassiano, hujus virtutis consummatione discernitur; nunquam enim robustioribus æmulis colluctari posse confidas eum, quem in leviori conflictu conspexeris ab inferioribus, parvisque superari. Cassianus, *de Mon. Instit.* c. XIII.

Ex damno. — Quia *Diaboli potissimum instrumentum est ad homines impugnandos.* Hinc S. Job Dæmonem nobis, sub titulo *Behemoth*, describit, simulque, in quo omnem suam positam habeat fortitudinem, his verbis insinuat : « Fortitudo ejus in lumbis ejus, et virtus illius in umbilico ventris ejus.» Job, XL, 21. Ubi per lumbos concupiscentia carnalis intelligitur, per quam Dæmon multas vincit, sibique subjicit animas; per umbilicum vero, qui ventris centrum est, gula et voracitas intelligitur, in qua velut in fortissima quadam ad omnem animam perdendam machina Dæmon omnem suam repositam habet fortitudinem. Bellovacensis vitium gulæ, ait, est frenum et capistrum Diaboli, et ponit ad os et collum gulosi, ut circumducat eum quocumque vult. Hinc merito dixit S. Bernardus : Nemo potest a semetipso tentationes Dæmonum repellere, nisi refrenaverit in se appetitum gulæ. S. Bern. s. XXIV, *de Mod. viv.*

Quia *gula ineptum facit ad dona spiritualia capienda.* Quis enim unquam, ait S. Basilius, in splendidis epulis, perpetuisque deliciis particeps factus est unius doni spiritualis? Nec mirum, quia ubi curiosa diversitas ciborum pascit ventrem, cœlestis panis jejunam deserit mentem, ut recte S. Bernardus advertit. S. Basil. hom. I, *de Jejunio*; S. Bern. in ep. *ad Fulgent.*

Quia *incurabilis est hic morbus*, teste S. Basilio dicente : Multos sæpe adverti, qui, cum alterius cujusvis generis vitiis laborent, ad sanitatem tamen redierint postea; qui autem hoc morbo tenerentur, neminem ex omnibus vidi unquam, qui convaluerit. S. Basil. *de Abdicat. rerum.* Quod etiam S. Bernardus confirmans : Qui gulosus, inquit, effectus est, vix aliter, quam morte mores mutabit. S. Bern. *in ep.*

Quia *mortem accelerat*, teste Psalmista : « Adhuc escæ erant in ore ipsorum, et ira Dei descendit super eos. » Ps. XXVII. Hinc ipse Salvator tam sollicite monuit : « Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate; et superveniat in vos repentina dies illa, tamquam laqueus enim superveniet. »

Quia *ad gubernandum inutilem facit;* uti Ecclesiastes indicat dicens; « Væ tibi terra, cujus Principes vescuntur in tempore suo! » Eccles. X, 16. Hinc Julius Cæsar, qui primus Romanum obtinuit et fundavit Imperium, cura, vigilantia et sobrietate negotia publica tractabat, de quo proinde Cato dicit : Unum ex omnibus Cæsarem ad evertendam Rempublicam sobrium accessisse. Ipse enim super Reipublicæ ruinas erexit Imperium. Augustus quoque successor ipsius, qui in Monarchia sua universali gavisus est pace et tranquillitate, totum diem a mane usque ad vesperam sine cibo transigebat, ut gratam omnibus daret audientiam. Suet. c. LXIII, *in Vit. Cæs.*

Quia *sanitatem tollit*; uti Siracides indicavit, dicens : « Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam; in multis enim escis erit infirmitas, et aviditas appropinquabit usque ad choleram.» Eccl. XXXVII, 32.

Quia *insatiabilis est*, uti recte S. Ambrosius advertit, dicens : Male servitur gulæ quæ semper expetit, numquam expletur. Quid enim insatiabilius ventre? Hodie suscipit, et cras exigit. Nec hoc ignorandum, malum gulæ spiritum subinde stomacho insidere, ut

satiari homo non possit, etiamsi totam Ægyptum devoret, et totum Nilum exhauriat. S. Ambr. c. VIII *de Elia et Jejun.*; Joan. Clim. grad. XIV, n. 17. Hinc S. Bonaventura : Comparatur, ait, gulosus sacco pertuso, vel perforato in fundo, qui, quantumcumque ex una parte accipit, tantum ex altera parte perdit; talis saccus est gulosus homo, qui, ex una parte habet coquinam ad implendum ventrem, et ex altera parte latrinam ad evacuandum; ac proinde idem Sanctus, eorum deplorans miseriam, textum illum Aggæi cap. I. adducit : « Qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. » S. Bonav. in *Diæt.* tit. II. c. VIII.

Quia *laboriosum est vitium;* uti idem S. Bonaventura testatur, dicens : Ex gula procedit inordinata delectatio, et hos fructus secum habet, sollicitudinem in quærendo, studiositatem in præparando, multiplicitatem in diversificando, voracitatem in sumendo. Idem, *in Spect. animæ*, c. III.

Quia *egestatem adducit*, teste Salomone : « Qui diligit epulas, in egestate erit; qui amat vinum et pinguia, non ditabitur. » Prov. XXI, 17. Hinc Cajetanus recte infert : Si non moveris amore virtutis, saltem moveat te amor boni utilis, moveat te evitatio paupertatis. Incurrunt enim hujusmodi homines paupertatem, tum propter majores sumptus, tum propter otium annexum; oportet enim edaces et bibaces multum dormire, et propterea dicit Salomon (Prov. XXIII.) « Et vestietur pannis dormitatio. » Cajetan. pr. 23.

Quia *gravem amaritudinem conciliat;* nam ut Petrus Blessensis ait : Convertetur dulcedo in amaritudinem, in asperitatem suavitas, delectatio in dolorem, eritque instar inferni, aut pœnæ infernalis initium, dolorum continuatio, et desiderium moriendi. Petr. Blessens. in ep. LXXXV.

Quia *grandem quoque miseriam adducit*, S. Augustino teste : Non hoc eis opto, ut terrena necessaria desint eis, quibus indigent, dum mortaliter vivunt, sed ut hoc plangant, quod amissa societate cœlesti, terrenis non ad fruendum stabilibus bonis, sed ad sustentandum necessariis indigere meruerunt, agnoscant, et lugeant istam miseriam. S. Aug. *in Ps.* CXLI.

MEDIA.

Oratio; uti S. Augustinus suo exemplo docuit, dum dixit : His tentationibus (Gulæ) quotidie conor resistere, et invoco dexteram tuam ad salutem meam, et ad te refere æstus meos, quia consilium mihi de hac re nondum stat. Multa nobis orantibus tribuis. Audivi rogantem, ut accipiat : Aufer a me, inquit, concupiscentias ventris. Unde appareret, Sancte Deus meus, te dare, cum fit, quod imperas fieri. S. Aug. l. X *Conf.* c. XXXI. Hinc Hesiodi monitum est : Ne comede ex illa, quæ non benedicta patella est. Macrob. l. III, c. XXI.

Spiritualium rerum studium; nam gustato spiritu desipit omnis caro. Hinc S. Gregorius ait : Gula per abstinentiam frangitur; sed abstinentiam ciborum corporalium habere non potest, qui mentem spiritualibus cibis non replet; potenter enim corpus extenuat, qui amore cœlestium cor inflammat, quia, dum spiritualia diligit, desideria carnis valenter premit. S. Greg.

Exemplo Christi mentem ad cœlestia transferre, cum gulæ tentatione impetimur, et dicere : Non in solo pane vivit homo etc. vel : Cibus meus est facere voluntatem Patris mei, qui in cœlis est. Vel : Tua, Jesu, dilectio, grata mentis refectio, replens sine fastidio, dans famem desiderio. S. Bern. in *Jubilo.*

Hoc medium tam necessarium visum est Cassiano, ut dicere ausus sit : Nequaquam poterimus escarum præsentium spernere voluptates, nisi mens contemplationi divinæ defixa, amore virtutum potius et pulchritudine cœlestium delectetur. Cass. l. V *Inst.* c. XIV.

Sæpe perpendere, quam bestialis, vana, brevis, noxia corpori et animæ, atque adeo etiam indigna homine sit voluptas immoderata, quæ ex gustu percipitur, ac proin dicere cum Seneca : Ad majora sum genitus, quam ut mancipium sim mei corporis. Certe Petrarcha judicavit, hoc vitium nullo melius modo, quam generosa quadam indignatione, et rei ipsius existimatione confundi, vel sensim, ut Ciceroni placuit; vel repente, ut Aristoteli visum est. Multum confert cogitatio exitus; quod cum omnibus vitiis sit commune, tamen hoc proprium est luxuriæ. Petrarch. *Dial* c. VIII.

Extra tempus nihil comedere, aut bibere; ita Cassianus suasit his verbis : Monachus hanc in primis cautionem sibi indicat, ut non potus quidquam, non esus ulla oblectatione devictus, ante stationem legitimam, communemque refectionis horam, extra mensam percipere sibimet prorsus indulgeat. Certe S. Philippus Nerius dicere solebat, neminem fore virum spiritualem, qui extra tempus aliquid comederit. Cass. l. V *Inst.* c. XX.

Ante mensam definire, quid et quantum sumendum sit, et hunc terminum nulla aviditate, vel instigatione inimici excedere. S. Ignat. *in Reg. de Vict. tem.*

Infernalis cibi meminisse; ita S. Climacus suasit dicens : Mensæ delibatio lamentandæ sortis vermium illorum te admoneat, minusque delicias requires. Sed et in ipso aquæ potu flammæ illius sitim ne obliviscaris, atque ita vim omnino naturæ facies. S. Clim. grad. VII.

Passionis Christi memoria, ut ipse Christus per Jeremiam monuit, dicens : « Recordare paupertatis meæ, absynthii et fellis. » Thren. III. Quod ipsum etiam Idiota suasit, dicens : Quoties resistendo alicui tentationi, alicui ex sensibus tuis vim facis, cogita cuinam parti crucis Christi conformis reddaris, ut quando gulæ resistens, gustum affligis, recordare illum felle potatum et aceto. Idiota, *in 4. Regula Christ. vitæ.*

Lectio seu auditio S. Scripturæ; spiritualis enim cibus inducit oblivionem et contemptum cibi corporalis. S. Anton. p. II *Sum.* tit. IV, c. II, § 10.

Elongatio ab his, quæ dant occasionem excedendi in cibo et potu, ut sunt delectabilitas, varietas, nimietas ciborum, propter quod dicitur : « Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conviviii. » Ecclesiastici 7, quia in convivio sunt occasiones gulæ. Ibid.

Cogitare, quam vana et brevis sit, et quando transacta fuerit, sic esse quasi nunquam fuerit. Pecunia accumulata in agris coemptis, et in censibus comparatis, vel in scrinio saltem remanet; dignitate, quam consectati fuimus, fruimur per imperium, superioritatem, auctoritatem, famulitium, et comitatum ; injuria vindicata nos ab hujus vel illius inimici timore liberat, et sic consequenter per alias similes passiones, male licet a nobis usurpatas, discurrere licet ; at vero gula in fœtida quadam cloaca terminatur, ejusque gustus et gaudium in brevissimo tempore transit, quoad usque videlicet cibus intra trium vel plurium digitorum angustiam deglutiatur. S. Bonav. *de Prof. relig.* l. I, c. XXXVII. Optime id ipsum consideraverat B. Petrus Damiamus, cum inquit : Suavem vero cibum cur debeamus expetere, qui quantislibet apparetur impendiis, et antequam in os intret, nobis non sapit, et postquam flumine glutiente trajicitur, venter, cui illapsus est, non discernit. Totius autem nostræ voluptatis iter, cui tanta ambitione servimus, brevissima palmi summa concluditur. S. Petr. Damian. l. c. ep. XXVI.

Considerare, quam pauca exigat natura; nam, ut sapienter Seneca advertit, corporis exigua desideria sunt, frigus submovere vult indumentis, alimentis famen, ac sitim extinguere; quidquid extra concupiscitur, vitiis non usibus laboratur. Senec, *in Consol. ad Hel.*

Considerare incommoda ex gula provenientia; uti Isidorus Pelusiota suasit, dicens : Considerationis ope, atque auxilio, ipsius ventris tyrannidem amputemus. S. Isid. Pelus. l. II, epist. XL.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta *necessitatem expugnandæ gulæ*; neque enim ad conflictum spiritualis agonis assurgitur, teste S. Gregorio, si non prius inter nosmetipsos hostis positus, gulæ videlicet appetitus, edomatur. S. Greg. l. X, *Mor.*

Nosse debet *modum dignoscendi, quando appetitus gulæ inordinatus est;* nam, teste S. Gregorio, sic voluptas sub necessitate se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat. Sæpe autem in edendi via furtive adjuncta voluptas subsequitur; nonnunquam vero impudenter libera etiam præire conatur. Facile vero est deprehendere, cum voluptas ejus necessitatem prævenit, sed valde difficile est discernere, cum in ipso esu necessario se occulta subjungit. Nam quia præeuntem naturæ appetitum sequitur, quasi a tergo veniens tardius videtur. S. Greg. l. XXX *Mor.* c. XXVIII. Ut ergo hanc fraudem cognoscere et fugere queat, Dei in primis gratia imploranda, subinde bona intentio præmittenda, et sub ipsa sumptione cibi aut potus quandoque iteranda; ac tandem freni gutturis, ut S. Augustinus monet, temperata relaxatione et constrictione tem-

perandi sunt, ne appetitus prævalere valeat.

Nosse debet *solidum modum vincendi hoc vitium*; qui in sequentibus tribus doctrinis consistit. 1. Ut artem continentiæ sic teneat, quatenus non carnem, sed vitia carnis occidat. Adjutorem quippe habemus internæ intentionis hunc hominem, quem exterius gestamus, et ipsi insunt motus lasciviæ, et ipsi effectus suppetunt operationis bonæ. Sæpe vero dum in illo hostem insequimur, etiam civem, quem diligimus, trucidamus, et sæpe, dum quasi concivi parcimus, ad prælium hostem nutrimus. S. Greg. l. XXX *Mor.* c. XIV. Hinc S. Hieronymus dixit: Parcus cibus, et venter semper esuriens triduanis jejuniis præfertur, et multo melius est quotidie parum, quam raro sumere. S. Hier. ep. X *ad Fur.* Sed et ipse Christus S. Gertrudi dixit: Mihi quidem ad hoc oblatum erat vinum myrrhatum cum felle mixum, quo citius morerer, sed desiderium multa patiendi pro homine retraxit me, ne biberem. Tu vero diverso in eodem amore sume omnia necessaria et commoda, ut per ea diutius in servitio meo viva conserveris. L. IV *Insin.* c. XXIII. 2. Ut norit generalem hunc continentiæ modum esse, ut secundum capacitatem virium, vel corporis, vel ætatis, tantum sibimet cibi unusquisque concedat, quantum desiderium saturitatis exposcit. Cass. coll. II, c. XXIII. Ut autem hæc mensura cognoscatur, suadet S. Dorotheus, ut quisque experientia magistra discat et observet, quanta cibi copia solea stomachum gravare, ac deinde paulatim de copia illa detrahat, donec nullam amplius in digestione difficultatem sentiat. Contra notet quoque, quanta cibi tenuitas et parcimonia imbecilliorem reddat, ut officio, quod sustinet, ægre satisfacere possit, quo animadverso paulatim eo usque commeatum augeat, donec integras vires sentiat ad munus suum commode obeundum. S. Doroth. s. IX. Pater Nicolaus Lancizius scribit, a suo Magistro Novitiorum hanc regulam temperantiæ et sobrietatis præscriptam fuisse, ut tantum quis comedat vel bibat, ut absoluto prandio vel cœna ad orationem se dispositum sentiat. Opusc. II, n. 60. Hinc et Tertullianus, de moribus veterum Christianorum scribens, ait: Bibitur, quantum pudicis est utile; ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem sibi Deum adorandum esse. Tertull. in *Apol.* c. XXXIX. Et hoc est, quod etiam Angelus S. Pacomio in dictatis regulis præcepit: Concede unicuique, ut comedat et bibat pro viribus, neque jejunare prohibe, neque comedere; et merito, nam, teste Clemente Alexandrino, periculosa sunt extrema, media autem bona sunt; medium autem est, quidquid non eget necessariis rebus. Pallad. in *Lausiac. hist.* c. XXXVIII, *apud Lanciz.* l. c. 3. Ut frequentes de gula victorias reportare quis studeat. Hinc Apollonius laudatus ab Epicteto suasit: Si voles te tibi ipsi exercere, sitibundus magno æstu, accipe volas plenas aqua frigida, eamque rursum expue, at id te facere nemini dixeris. Quod idem etiam in cibo factitandum. Ibid.

Nosse debet, *cur Religiosis et devotis personis præcipue vitanda sit gula*; nimirum quia, teste S. Climaco, ut apud eos, qui in sæculo sunt, avaritia est radix omnium malorum, ita in Religione gula. S. Climac. gr. XXVI. Quod confirmans S. Bernardus: Non potest, inquit, quisquam perfectionem virtutum accipere, nisi prius intra se domuerit ventris gulam, neque potest a semetipso tentationes Dæmonum expellere, nisi refrenaverit in se appetitum gulæ. S. Bernar. ser. XXIV, *de Mod. viv.*

Nosse debet, *quando grave peccatum esse possit*; id quod S. Antoninus sequentibus verbis ostendit: Ciborum sumptio secundum se non potest esse peccatum, nisi quatenus repugnat rectitudini voluntatis; quod autem repugnet, contingit dupliciter: uno modo propter repugnantiam ad proprium finem ciborum, sicut cum aliquis propter delectationem, quæ est in cibis, utitur cibis graviter nocentibus et contrariantibus saluti corporis; vel secundum speciem, ut infirmis fructus, herbæ, et hujusmodi graviter nocent; vel secundum quantitatem, ut cum nimis comedit de aliquo, ita quod graviter gravat stomachum, vel caput, vel hujusmodi. S. Antoninus.

Nosse debet, *non tam materiam, vel qualitatem, quam appetitum in gula considerari*, ut recte S. Ambrosius indicavit, dicens: Cujus mortiferum virus tum utcumque vacuatur, cum non qualitas, sed libido in escis præcavetur. Prima enim mulier non exquisitarum dapum, sed sola pomi delectatione mortem mundo induxit, et antiquus hostis Regem nostrum non de carne, sed de pane, tentavit. S. Ambr. *apud Mansi*, disc. XXXVI. Et id ipsum confirmans S. Bernardus:

Repleri ventrem faba, inquit, mentem superbia, cibis damnamus saginatos; quasi non melius sit, exiguo sanguine ad usum vesci quam ventoso legumine usque ad ructum exsaturari? Præcipue cum Esau non de carne, sed de lente sit reprehensus; et de ligno Adam, non de carne damnatus; et Jonathas de gustu mellis non carnis, morti adjudicatus. S. Bernar. *in Flor.* c. xlix.

Nosse debet, *quæ mensura in cibis servanda sit, ne quis in gulæ vitium incidat;* illa nempe, quam S. Antoninus indicavit, dicens : Tantum potest, et debet quis comedere, et bibere, quantum credit se indigere ad sustentationem et executionem eorum, quæ sibi incumbunt agenda, ita ut non usque ad nauseam sumat, sed cum aliquali adhuc appetitu finem faciat. S. Antoninus, *apud Mansi*, l. c.

Nosse debet, *quot modis gulæ vitium committatur;* quinque videlicet a S. Gregorio indicatis, dum dixit : Sciendum, quia quinque nos modis gulæ vitium tentat. Aliquando indigentiæ tempora prævenit; aliquando tempus non prævenit, sed cibos lautiores quærit; aliquando quælibet sumenda sint, præparari accuratius expetit; aliquando autem et qualitati ciborum et tempori congruit, sed et ipsa quantitate sumendi mensuram moderatæ refectionis excedit. S. Gregor. ibid. n. 11.

Nosse debet *hoc vitium esse difficulter curabile*; uti S. Bernardus indicavit, dicens : Gula semper est in pugna et in culpa, sive manduces, sive bibas, adest illa tecum pugnatura; si bene non pugnas, certe vinceris ab illa, quæ cum multis pugnat, et a paucis expugnatur. S. Bern. ser. liv, *de inter. Dom.* Quod etiam S. Joan. Climacus confirmans : De gula, inquit, dicturi, si umquam alias, nunc maxime contra nos ipsos philosophari statuimus. Miraculi enim loco duco, si quis ante mortem et sepulchrum ab hac domina se in libertatem vindicavit. Vidi Sacerdotes senes a Dæmonibus delusos, qui juniores sibi non subjectos in compotationibus per speciem faustæ deprecationis seu benedictionis, per pocula et alia solvunt, seu corrumpunt. S. Joan. Climacus, grad. xiv.

Nosse debet, *cur viri spirituales convivia omni modo declinare debeant;* ob rationem videlicet a S. Gregorio indicatam, dum dixit : Solerter intuendum est, quia celebrari convivia sine culpa vix possunt, pene semper epulas comitatur voluptas; nam cum corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. S. Greg. *in Cant.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : « Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis! » (S. Luc. v, 25;) possunt effectus gulæ per similitudinem famis explicari. Et dici 1. quod gula accersat famem *corporalem*, quia, juxta Salomonem, vacantes potibus, et dantes symbola consumentur. (Prov. xxiii, 21.) 2. Famen *moralem*, scilicet avaritiam et cupidinem divitiarum, quibus parare possint delicias a gula sua expetitas. 3. Famem *spiritualem* cœlestium consolationum; quia, ut supra, ex S. Bernardo dictum, ubi curiosa diversitas ciborum pascit ventrem, cœlestis panis jejunam deserit mentem. 4. Famem *panis Eucharistici allegoricam;* quia anima saturata calcabit favum, juxta Salomonem. (Prov. xxvii, 7.) 5. Famem *æternam* beatitudinis, de qua Christus potissimum in citato themate locutus est.

Ex occasione thematis : « Adhuc escæ erant in ore ipsorum et ira Dei ascendit super eos; » (Ps. lxxvii, 31.) potest explicari multiplex ira, quam Dominus erga gulosos ostendit, in veteri testamento, erga Israelitas ab igne devoratos (unde locus *sepulchra concupiscentiæ* vocatus est) (Jud. xvi.) erga Philistæos, et filios Job ruinæ domus oppressos; erga denique Balthasarem, Regem Babyloniorum, (qui in pariete manum vidit hæc verba scribentem : *Mane, Thecel, Phares*). Dan. v. Quæ omnia possunt pulchre et ingeniose in sensu morali explicari. Videatur Faber. conc. i, *in Dom.* 6. *post Pent.*

Ex occasione thematis : « Noli avidus esse in omni epulatione; » (Eccl. xxxvii, 23.) potest explicari varius excessus per gulam committi solitus, eumque in finem illud S. Gregorii afferri testimonium : Quinque nos modis gulæ vitium tentat. 1. Aliquando namque indigentiæ tempora prævenit. 2. Aliquando cibos lautiores quærit. 3. Aliquando præparari accuratius præcipit. 4. Aliquando in ipsa quantitate sumendi mensuram moderatæ refectionis excedit. 5. Nonnumquam ipso æstu desiderii immensi deterius peccat. S. Greg. l. xxx

Mor. c. XXVI. Quæ omnia fusius explicata, passim apud auctores, præcipue Fabrum, conc. 2 *in Dom.* 6 *post Pent.* videri possunt.

Ex occasione thematis : « Qui diligit epulas, in egestate erit ; » (PROV. XXI, 17.) potest explicari varia egestas, quam incurrunt gulosi, nimirum. I. Egestas *opum ;* quam indicavit Diogenes homini opulento ad pauperiem redacto, et olivis vescenti, dum eidem dixit : Si sic prandisses, non ita cœnares. 2. Egestas *spiritus* ; quia non permanebit in homine Spiritus Dei, quoniam caro est. (GEN. VI, 3.) 3. Egestas *virtutum et meritorum* quia qui amat vinum et pinguia, non ditabitur, id est, non proficiet in virtutibus et meritis. 4. Egestas *famæ bonæ ;* quia teste Sanctus Chrystost. nihil ignominiosius est hoc vitio ; et præterea de ventris ingluvie, inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus juxta S. Greg. propagantur, quæ omnia famam non leviter obscurant. 5. Egestas *consolationum cœlestium* ; nam quod has non habemus, aut rarius sentimus, nos in culpa sumus, inquit Thomas Kemp. quia compunctionem cordis non quærimus, nec vanas et externas consolationes omnino abjicimus. 6. Egestas *gloriæ æternæ* ; quam cum Epulone amittunt, qui in hac vita degentes ducunt in bonis dies suos.

Ex occasione thematis : « Venit Nabuzardan, Princeps Regis, in Jerusalem, et succendit domum Domini ; » (IV REG. XXV, 8.) potest dici, quod Septuaginta Interpretes istum Nabuzardan Principem coquorum dicant ; unde S. Gregorius et alii per eum gulam intelligunt, aiuntque : Muros Jerusalem coquorum Princeps destruit, quia virtutes animæ, dum non restringitur venter, perdit. S. GREG. l. XXX *Mor.*, c. XXVI. Ostendatur ergo quomodo hic Princeps, seu gula, succendat corpus, 1. *Igne libidinis* ; semper enim saturitati juncta est lascivia, teste S. Hieronymo. 2. *Igne concupiscentiæ ;* nam ut S. Ephrem ait, qui corporis sui carnes delicate nutrit, concupiscentias malas pascit. 3. *Igne furoris ;* nam cui rixæ, cui foveæ, cui sine causa vulnera, inquit Salomon ; nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis ? (PROV. XXIII, 29.) 4. *Igne infernali* ; uti dives Epulo expertus est.

Ex occasione thematis : « In multis escis erit infirmitas ; » (ECCL. XXXVII, 33.) ostendatur, qualium morborum causa sit vitium gulæ. 1. In *corpore ;* nempe podagræ, cholicæ, calculi, hydropis, febris, etc. 2. *In anima* ; nempe *superbiæ*, dum alios passim præ se contemnunt ; *avaritiæ ;* dum plures semper appetunt divitias, ut pluribus deliciis frui queant ; *iræ*, dum per vinum et epulas accenduntur, et quosvis adoriuntur ; *invidiæ*, dum aliis, qui ejusmodi deliciis fruuntur, quibus ipsi carere coguntur, invident talem sortem ; *luxuriæ*, quia vicina sunt venter et genitalia, et pro membrorum ordine ordo vitiorum, teste S. Hieronymo ; *acediæ*, quia plenus venter uti non studet libenter, ita nec libenter orat. Ut adeo recte dixerit S. Gregorius : Ex uno gulæ vitio innumera vitiorum agmina ad animæ conflictum produci.

Ex occasione thematis : « Noli esse in conviviis potatorum ; » (PROV. XXIII, 29.) ostendi potest, quod gulosis idem eveniat, quod Regi Balthasari contigit, qui vidit in pariete manum scribentem : *Mane*, *Thecel*, *Phares*, (DAN. 5 v. 25.) ostendatur ergo, 1. quam vere dicatur de gulosis *Mane*, id est, numeravit Deus regnum tuum, et complevit illud ; vere enim talibus vita plerumque abbreviatur per multos annos. 2 *Thecel*, id est, appensus es in statera, et inventus es minus habens ; quia vere tales habent minus pecuniæ, minus gratiæ, minus virtutis, minus bonorum operum etc. 3 *Phares*, id est, divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis ; quia ejusmodi gulosi relinquere debent possessiones suas aliis, qui in bona eorum succedunt, et forte nunquam aut raro de iis recogitant.

Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest, quomodo convivia Christianorum constituta esse debeant, nempe, 1. Quod a Dei laude inchoanda. 2. Culter in gutture statuendus ad moderationem servandam. 3. Cum timore coram Deo comedendum, ut Moyses et Aaron, Tobias et amici fecerunt. 4. Moderate gaudendum. 5. Sinceritas et concordia servanda. 6. Honeste et amice colloquendum. 7. Ambitio de primatu loci tollenda. 8. Gratiæ agendæ. Quæ omnia fusius apud Fabrum, conc. 6 *in Dom.* 16 *post Pentec.* explicata videri possunt.

Ex occasione thematis : « Juxta pascua sua adimpleti sunt, et saturati sunt ; elevaverunt cor suum, et obliti sunt mei ; » (OSEÆ XIII, 6.) possunt omnia ad hoc vitium pertinentia per sequentem descriptionem explicari. 1. Fingatur arx rotunda in medio

fertilis campi extructa, et ex una parte hortis et agris, ex altera vineis cincta, ut ostendatur, gulam et cibos et potum inordinate appetere, et hoc vitio omnes homines undique oppugnari, etiam perfectos. 2. Fingantur templa bina Dagoni et Baccho ædificata; hi enim gulosorum sunt dii. 3. Fingantur, quatuor propugnacula, quorum unum Israelitæ carnes appetentes, alterum filii Job, tertium Philistæi ruina domus oppressi, quartum dives Epulo cum suis filiis et amicis defendat. 4. Fingatur in circuitu fossam profundam habere, non aqua, sed vino impletam, in qua submergantur multi, qui ab inquilinis et duce hujus arcis superantur. 5. Fingatur oppugnari a Christo per quadraginta dies jejunante, et aliis ipsum in abstinentia sequentibus, quorum tessera militaris sit : *Ne quid nimis*. Arma et gladius verbum Dei, maxime illud : Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod exit de ore Dei; nam gustato spiritu desipit omnis caro. Modus expugnandi, congressus cum hoste excurrente (neque enim occasionem hujus vitii, atque adeo prælium cum illo declinare possumus). Præmium manna absconditum (juxta illud Apoc. Vincenti dabo manna absconditum Apoc. II, 17.) Et satietas æterna, juxta illud Psalmistæ : Satiabor, cum apparuerit gloria tua. Ps. XVI, v. 15. Et : Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Ps. XXXI, v. 9.

ALII CONCEPTUS.

Scriptura dixit : « Cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem. » Igitur serpens in meridie paulo ante Dei adventum primos parentes nostros in peccatum cadere fecit, hoc enim tempore quo ut plurimum lautiora instruuntur convivia, mensæque copiosiores et superfluæ apparantur; et ideo Glossa *Dæmonium meridianum* ita exponit, id est, a spiritibus de *gastrimargia* tentantibus. Mansi, disc. I, n. 4.

Plutarcus tradit apud Ægyptios viguisse morem, ut si cadaver tumuletur, ventrem, priusquam illud sepulturæ traderent, exscinderent, eumque profane projicerent; cujus facti hanc assignat rationem, inquiens: Ægyptii ventrem defunctorum exemptum et excisum, quasi caput scelerum omnium ab homine admissorum, ejiciunt, ingluviem et carnificinam execrantes. Plutarc. *de Esu carnium*.

Inter alia contra ebrios prolata verba, Joel Propheta etiam hæc pronuntiavit : « Expergiscimini ebrii, flete et ululate. » Joel I, 7. Ubi *flete* quilibet facile intellexerit; secus vero *ululate*, siquidem hoc bestiarum, et non hominum est proprium ; et nihilominus accomodatissime dictum nemo dubitet; siquidem per voracitatem homines animalia, feræ et lupi efficiuntur ; unde et communiter vorax *lupus* appellari solet.

S. Gregorius illa Jobi explanans verba : « Clamorem exactoris non audit; » quis hic exactor sit, interrogat, respondetque, eum nostrum esse ventrem, qui quotidie necessarii a nobis exigit cibi tributum. Nonnulli per exactorem intelligi ventrem volunt, ipse namque a nobis quoddam exigit debitum. Moxque ad intentum nostrum Sanctus hic subjungit, dicens: Abstinentes igitur viri, dum violenta gulæ desideria reprimunt, quasi clamantis exactoris verba contemnunt. Sed cum continenti viro contra innumera vitia multa virtutum certamina suppetant, cur sub exactoris clamore contempto de solo hic ventre dicitur, quod ejus impetum impulsumque restringat, nisi quod nullus palmam spiritualis certaminis apprehendit, qui non in semetipso prius per afflictam ventris concupiscentiam carnis incentiva devicerit? Neque enim ad conflictum spiritualis agonis assurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis positus, gulæ videlicet appetitus, edomatur. Incassum contra exteriores inimicos in campo bellum geritur, si intra ipsa urbis mœnia cibis insidians habetur. S. Greg. *in Job*.

Ingeniosam D. Chrysologus circa Luciferum astutissimum serpentem instituit ponderationem; hic enim spiritus malignus exploraturus, utrum Christus Dei Filius esset, eum aggredi atque tentare præsumpsit. Circa quod factum taliter discurrit prænominatus Doctor. Quid est, quod jejunante Christo Deitatis signa tota in sola panis promissione perquirit, et quem Dei Filium continua significatione jejunii præsentit, esse Dei Filium de provisione panis, de cura ventris desiderat approbare? *Si filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant*. Quare non dixit : Si Filius Dei es, dic, ut homines aut Angeli, aut aliquid aliud fiant; sed: *dic, ut lapides isti panes fiant?* Quia scilicet me-

diante gula, etiam per solum panem Christum a se, quantumvis ipsiusmet Dei Filius esset, seducendum sperabat. S. Chrys. ser. 3. Panem malus ingerit, ut virtutem mutet, inquit Auctor Operis Imperfecti. Cum enim eum, propter continuum quadraginta dierum jejunium, Filium Dei suspicaretur, animo despondit, inquit hic auctor; ast vero, ubi se famelicum exhibuit, quando postea esuriit, tunc tandem a se pervertendum fore speravit, probe sciens homines, etiam perfectissimos, gulæ implicari laqueis; tunc omnia ejus proposita facile se annihilaturum confidit. Diabolus videns per quadraginta dies jejunantem, inquit dictus Auctor, desperaverat; postquam sensit esurientem, iterum cœpit sperare, et sic accessit ad eum esurientem. Auctor Operis Imperfecti, *Hom.* v.

Bellovacensis Brachmanes ad Alexandrum Magnum ita scripsisse refert: Mensas nostras deliciis non implemus, et ideo nobis nec nocent, nec infirmatem generant; apud nos enim illicita est ventris extensio, proinde sumus sine aliqua ægritudine, et diu vivimus, et in quandiu vivimus, sani sumus, medicinas nullas facimus, quia naturam nostram nullis superfluitatibus gravamus. Bellovac. *Spec. mor.* l. III, p. viii, dist. i.

S. Chrystostomus abusum in gula committi, sequentibus verbis pathetice describit: Illud multo intolerabilius est, quod morbus tot malis redundans, totque secum invehens calamitates, ne crimen quidem censetur, sed in divitum mensis, hujus turpitudinis gratia, pugna oritur atque certamen, atque inter se majori studio contendunt, qui se ipsum magis infamet, quis majorem subsannandi occasionem præbeat, quis nervos amplius infringat, quis vires amplius debilitet, quis communem Dominum gravius irritet, ac videre est studium certamenque diabolicum. S. Chrys., ser. xxxiv *de Resur.*

Evolvatis universum S. Matthæi textum, et invenietis, quod in variis occasionibus Christus de inferno loquens, non semel, sed octies illius tormenta ad hæc duo, scilicet ad fletum et stridorem dentium restrinxerit. Scitisne hujus rei causam? Nimirum duo peccata inter reliqua in mundo triumphant, quibus dictus accenditur focus, scilicet illa, quæ suam originem ab oculis minus bene custoditis trahunt; ideoque fletus et inconsolabilis planctus illis correspondebit. Aliud genus ad gulam spectat, quæ ad dentes relationem habet; ideoque ibi erit stridor dentium, quia per quæ quis peccat, per hæc et torquetur. Ecce conceptum hunc vobis claris Hugonis Cardinalis expressum verbis, dicentis: Flebunt oculi, quia in vanis fuerunt vagi; stridebunt dentes, quia edaces fuerunt. Per hæc duo notantur duo genera culparum, pro quibus puniuntur; scilicet concupiscentia oculorum, id est, avaritia, quæ per fletum; et gulositas, quæ per stridorem dentium, designatur. Merito itaque D. Antonius vitium hoc gulæ sequentibus detestatur verbis: Quam spem habere possunt de Deo et beatitudine, quorum deus venter est, ut dicit Apostolus, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Mansi, disc. iii, n. 4.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Recte quidam dixit: Venter quidem poscit, et appellat, sed tamen molestus creditor non est, si illi das, quod debes, non quod potes. Fab. conc. ii *in Dom.* 6 *post Pent.*

S. Bernardus de gulæ deditis dixit, eos aliud non facere, quam ingerere, digerere, et egerere. Ibid. conc. ii. n. 2.

Dionysius Tyrannus, cum in Phiditiis, Lacedæmoniorum (publicis et frugalibus conviviis) cœnasset, negavit se jusculo nigro quod cœnæ caput erat, delectari; tum is, qui cœnam coxerat: Minime, inquit, hoc mirum est, nam condimenta defuerunt, nimirum labor in venatu, sudor, cursus, fames, sitis, etc. his enim condimentis Lacedæmoniorum epulæ condiuntur. Cicero. v., *Tuscul.*

Damnum. — Quidquid avium volitat, quidquid piscium natat, quidquid ferarum discurrit, nostris sepelitur ventribus; quære nunc, cur subito moriamur? Quia mortibus vivimus. Senec. X *Rhet.*

Abbas Moyses dixit: Per has quatuor res passio gignitur, per abundantiam escæ et potus, per satietatem somni, per otium, et per ornatum vestium. *Vita PP.* l. II, c. ii.

Tam insalubre, quam turpe est, plus cibi ingerere, quam capiat, et stomachi sui non nosse mensuram. Senec. ep. lxxxiii.

Recte cecinit nonnemo:

Sint ignota licet magni patrimonia Crœsi,
Immensæ absumunt alta barathra gulæ.
Faustus.

Ex magna cœna stomacho fit maxima pœna. *Schola Salern.*

Ut sis nocte levis, sit tibi cœna brevis.

Pone gulæ metas, ut sit tibi longior ætas.

Esse cupis sanus? Sit tibi parca manus.

Plenus venter non studet libenter.

Qui multum vult comedere, comedat parum. Tympius, in *quæst. Sympos. V. cibus.*

Multa tibi multos coacervant fercula morbos. *Florileg.* p. 1.

Ferre solent paucas fercula pauca cruces. Ibid.

Natura paucis contenta est. Ibid.

Anima saturata calcabit favum : et anima esuriens amarum pro dulci sumet. Prov. xxvii, 6.

Væ tibi terra, cujus Principes mane comedunt. Qui mane comedit, vesperi dolet. Eccl. x., 16.

AUCTORES.

Joannes Busæus, *in Panario*, V. eodem.

Jacobus Alvaretus, tom. II, l. I. p. c. iii et iv.

Jacobus Canisius, tom. IV *de Vit. Cap.* § vii.

Bernardinus Rosignolius, lib. III *de Disc. Relig.* cap. x et xi.

Ludovicus Granatensis, *in Duce peccatorum*, l. II, c. viii.

Hieremias Drexelius, *in Niceta*, l. I, c. iv; item passim in *Aloe*.

Jacobus Marchantius, *in Horto Past. Tubæ Sacer.* tr. v.

Joannes Cassianus, l. V. *de Instituti Renuntiat.*

Philippus d'Outreman, *in Pædagogo Christiano*, p. I, c. vii, § 6.

Nicolaus Lancizius, *Opusc.* ii, c. ii.

Mathias Faber, conc. i et ii *in Dom.* 6 *post Pent.*

Thomas Stapletonus, text. iii *in Dom. Sexag.*

Josephus Mansi, *in Bibl. morali*, tr. xxxi.

HÆRESIS.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est voluntarius et pertinax error in materia Catholicæ fidei contraria a Christiano commissus. Per hanc quippe definitionem facile Judaismus, Paganismus, et Mahometismus rejiciuntur. Dicta est a Græco verbo αἵρεσις, quod electionem significat, eo quod quisque voluntarie ejusmodi falsam doctrinam contra dictamen rectæ rationis, stimulum conscientiæ, et Ecclesiæ dogmata eligat, et assumat. Suar. Sanch. et alii.

Describitur apte in Apocalypsi sequentibus verbis : Meretrix sedens super aquas, ornatu regio, plena nominibus blasphemiæ, super bestiam coccineam, habens poculum aureum in manu, sed plenum veneno, abominatione, immunditia, invitans potentes et populos ad bibendum. Apoc. xvii, 15.

Divisio. — Dividitur in *Formalem*, quæ est culpabilis hæreticæ doctrinæ; et *Materialem*, qua inculpabiliter hæresi adhæretur.

Actus. — Primus est de aliquo fidei articulo dubitare; cum tamen quivis ex illi omnem dubitationis exclusionem mereatur.

Secundus, Hæreticorum libros curiose evolvere, seque adeo in periculum errandi cum illis præcipitare.

Tertius, Hæreticorum colloquia, conciones et disputationes animo discendi ipsorum errores, eisque adhærendi, frequentare.

Quartus, errori hæretico pertinaciter assentiri.

Quintus, eumdem etiam aliis persuadere velle.

Sextus, Catholica dogmata velut erronea impugnare.

Septimus, pro defensione suæ hæresis varias adversitates pati, mortemque ipsam oppetere.

Gradus.— Per quos, juxta Jacobum Marchantium, Hæretici in abyssum et perditionem descendunt, isti enumerantur.

Curiositas legendi libros hæreticos.

Præsumptio judicandi de omnibus.

Pertinacia rebellis in sustinendo propriam opinionem.

Contemptus omnium, qui eis contradicunt.

Cæcitas cum superbia conjuncta.

Dei derelictio et quasi abnegatio per quemdam Atheismum.

Abyssus peccati, dum de peccato in peccatum ruit Hæreticus.

Desperatio juncta cum conscientiæ tortura.

Mors miserabilis.

Æterna damnatio. Jacobus March. *in Hort. Past.* tract. I, prop. 2.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, et voluptatum amatores magis, quam Dei, habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. II Tim. III, 1 et seq.

Hujuscemodi Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri, et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium. Rom. XIII, 18.

Ex his sunt, qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis. II Tim. III, 9.

Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, et mundus eos audit. I Joan. IV, 5.

Semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes. II Tim. III, 7.

Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens, circa quæstiones et pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem. I Tim. VI, 3.

Ejusmodi Pseudo-Apostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi; et non est mirum, ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis; non est ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri Justitiæ, quorum finis erit secundum opera ipsorum. II Cor. XI.

Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum; sed ut manifesti sint, quoniam et non sunt ex nobis. I Joan. II, 19.

Fuga. — Hæreticum hominem post unam, et secundam correctionem devita, sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus. Ad Tit. III, 10.

Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Matth. VII, 15.

Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere in domum, nec *ave* ei dixeritis; qui enim dixit illi *ave*, communicat operibus ejus malignis. II Cor. X.

Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate Spiritus, si ex Deo sint, quoniam multi Pseudo-Prophetæ exierunt in mundum. I Joan. III, 1.

Videte canes, videte malos operarios. Philipp. III, 1.

Si surrexerit in medio tui Propheta, et dixerit tibi : Eamus et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis, audies verba Prophetæ illius. Deut. XIII, 2.

Dammum. — Sermo eorum ut cancer (seu gangræna) serpit. II Tim. II, 17.

Impossibile est, eos, qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti (gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi), et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes. Hebr. VI, 4. Væ illis, qui in via Cain abierunt. Judæ VII, 11.

Primus autem Hæreticus Cain erat, ut qui providentiam Dei negavit, juxta Chaldæam translationem, apud Marchantium, tract. I, *Hort. Past.* lect. VII.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. — Per verba legis legem impugnant, et fidem sine fide proclamant. S. Ambr. *in comment. ad. Tit.* III.

Persecutor paganus aperte sævit ut leo, Hæreticus insidiatur ut Draco. Ille cogit negare Christum, iste docet. Ille ingerit violentias, iste insidias. Adversus illum opus est patientia, adversus hunc opus est vigilantia. S. Aug. *Enarrat. in Ps.* XXXIX.

Olim prædictum est, et nunc tempus adimpletionis advenit : Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius in nece Martyrum, amarior post in conflictu Hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Intestina et insanabilis est plaga Ec-

clesiæ, et ideo in pace amaritudo ejus amarissima. S. Bern. s. xxxiii *in Cant.*

Qui sunt lupi rapaces, nisi Hæretici feri et rabidi, qui caulas Ecclesiæ semper infestant, et gregem Christi, quaqua possunt, dilacerant? Vincent. Lirin. *in c.* xx *Act.*

Quisquis es assertor novorum dogmatum, quæso te, ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostolico ore laudata est. Cur post annos quadringentos docere nos niteris, quod antea nescivimus? Cur profers in medium, quod Petrus et Paulus edere noluerunt? S. Hier. *ad Pamac.*

Versatur in vestra terra sub vestimentis ovium lupus rapax, sed ad Domini designationem a fructibus ejus cognoscamus eum: Basilicæ sine plebibus, plebes sine Sacerdote, Sacerdotes sine reverentia sunt, et sine Christo deinde Christiani; Ecclesiæ Synagogæ reputantur, Sanctuarium Dei sanctum esse negatur, Sacramenta non sacra censentur, dies festi festivis frustrantur solemniis, moriuntur homines in peccatis suis, rapiuntur animæ passim ad tribunal terrificum, heu! nec pœnitentia reconciliatæ, nec S.Communione munitæ! S. Bern. ep. ccxl.

Hæretici instar perdicum congregant, quæ non pepererunt. Christianos enim, quos maxime Christi nomine seducunt, jam per ipsius Christi Evangelium natos inveniunt, et faciunt illos divitias suas non sane cum udicio, sed cum temeritate inconsiderata. S. Aug. l. III *contra Faustum* c. xii.

Ut fallacius incautis ovibus obrepant, lupinam deponunt speciem, et sese divinæ legis sententiis velut quibusdam velleribus obvolvunt, ut, cum quisque lanarum mollitiem præsenserit, nequaquam aculeos dentium pertimescat. S. Aug. l. III *contr. Faust.* c. xii.

Quicumque aliter Scripturam intelligit quam sensus Spiritus Sancti efflagitat, et quo scripta est, licet ab Ecclesia non recesserit, tamen Hæreticus potest appellari. S. Hier. *in c.* xix *Esa.*

Hæreticus est, qui pro alicujus commodi temporalis et maxime gloriæ principatusque sui gratia falsas ac novas opiniones gignit, vel sequitur. S. Aug. *de Definit.*

Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid pravumque quid sapiunt; si correcti ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter suaque pestifera et mortifera dogmata emendare nolunt sed defendere persistunt, Hæretici sunt. Idem, *contra Manich.* xxiv, q. iii.

Fuga. — Contradicunt linguæ multæ; diversæ hæreses, diversa schismata personant, linguæ multæ contradicunt veraci doctrinæ. Tu curre ad tabernaculum Dei, Ecclesiam Catholicam tene, a regula veritatis noli discedere, protegeris in tabernaculo a contradictione linguarum. S. Aug. *in Ps.* xxx.

Nulla cum talibus commercia, nulla colloquia, nulla convivia misceantur, simusque ab eis tam separati, quam illi sunt ab Ecclesia profugi. S. Cypr. l. I, ep. iii.

Quomodo potueramus nos, cum simus servi Dei, vos vero servi Diaboli, in unum convenire? Quando sic inter nos, et vos separatum esse voluit Deus? Quomodo inter lumen et tenebras, inter vitam et mortem, inter dulce et amarum? Quomodo inter sanctos Angelos Dei, qui sunt semper clementiam ejus magnificantes, et inter illos Apostatas, quos in æternum tecum visurus eris torqueri, nisi temet eripueris ab eis? Lucifer, Ep. Calaritanus, *ad Constant. Imp.*

Dammum. — Quamvis sint in Hæreticorum scriptis quædam, quæ videantur eruditionis et pietatis speciem habere, nunquam tamen vacua sunt venenis. S. Leo ep. ciii, c. xv.

Miscent recta perversis, ut ostendendo bona, auditores ad se pertrahant; et exhibendo mala, latenti peste corrumpant. S. Greg. l. V *Mor.* c. xi.

Is scopus communis est omnibus Hæreticis ut solidum fidei in Christum labefactent, Apostolicam traditionem solo æquatam abolendo. Basilius Magnus, *de Spirit. Sancto.*

Hoc Hæreticis perpetuo studio agitur ne ex divinis Scripturis simpliciorum animi rite doceantur, sed ut per extraneam Philosophiam veritas refellatur. Idem, *ep.* cxli.

EXEMPLA CATHOLICA.

Fuga.— B. Virgo aliquando cum S. Joan. Baptista et S. Joanne Evangelista Abbati Cyriaco apparens noluit, licet multum ab eo rogata, cellam illius intrare, eo quod duos Nestorii libros licet ignorans in cubiculo haberet. Sophron. *in Prato Spirit.* c. xlvii.

Apostoli, et horum discipuli, teste B. Irenæo, tantum habuerunt timorem, ut neque verbotenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverunt veritatem. S. Irenæus l. III, c. iii.

S. Joannes Apostolus volens lavari, cum

in balneo Cerinthum vidisset, non lotus exivit, timens ne balneum concideret. Ibid.

S. Polycarpus Marcioni aliquando occurrens dicenti sibi : Cognosce nos ? respondit : Cognosco te primogenitum Satanæ. Ibid.

S. Antonius Manichæos aliosque Hæreticos adeo aversabatur, ut omnibus diceret, ne juxta quidem eos esse accedendum. Unde et moriturus suis dicebat : Hæreticorum et Schismaticorum venena vitate, meumque circa eos odium sectamini. Scitis ipsi, quod nullus mihi nec pacificus quidem sermo cum eis umquam fuerit. S. Athan. *in Vita.*

S. Hilarius de Auxentio scripsit : Mihi non erit aliud quam Diabolus, quia Arianus est. S. Hilar. *contra Aux.*

S. Hieronymus de seipso fatebatur, quod numquam Hæreticis pepercerit, et omni egerit studio, ut hostes Ecclesiæ sui quoque hostes fierent. S. Hier. l. *contra Pelag.*

Abbas Agathon, cum omnia de se alia vitia spargi æquo animo pateretur, uti autem audivit, quod etiam *Hæreticus* vocaretur, graviter indignabatur, causamque rogatus respondit : Crimina alia infirmitatis sunt, et hominem adhuc Deo per fidem unitum relinquunt; hæresis vero est pertinaciæ nota et malitiæ, quæ omni modo nos a Deo divellit, tollens fidem, Deo nos primo quasi vinculo unientem et ligantem. Evagrius, *in Vit. PP.* l. III, § 20.

Abbas Cosmas, cum juxta sepulchrum Episcopi hæretici sepultus fuisset, pluribus noctibus clamare auditus est : Noli me tangere, Hæretice, noli mihi appropinquare, inimice Ecclesiæ sanctæ Dei. Sophron. *in Prato Spir.* c. xl.

Franciscus I, Galliarum Rex, dicere solebat ad suos : Si ego membrum aliquod meum hæresi infectum scirem, non illud tantum vobis abscincendum darem, sed si quem ex liberis etiam meis eadem nota correptum adverterem, eum ipse manu mea consecare non dubitarem. Florim. Remond. l. VII, c. v.

Ladislaus, Ungariæ ac Bohemiæ Rex, cum ei in Pragensis urbis introitu Magister Rokiczanus Hussitarum antesignanus, Archiepiscopatum Pragensem ambiens, cum suis officii gratia in conspectum prodiret, Regemque salutaret, eum valde frigide resalutavit. At occurente postea ex arce Pragensi Sacerdotum cœtu cum sanctis reliquiis, ipsos Sacerdotes hilari ore affatus est, reliquias vero etiam veneratus et osculatus. Debrand. lib. XXIX.

Sanctus Eusebius, Vercellensis Antistes, durissima quæque ab Imperatore Constantio Hæretico pertulit, tandemque exilio mulctatus est. Is statuit apud se fame potius perire, quam ab Ariano Episcopo cibum accipere, qui hac occasione cupiebat in vulgus spargere, sanctissimum illum ac Catholicum Episcopum ejus fidei consensisse, ut hoc mendacio multos in fraudem erroremque impelleret. Baron. t. III *Ann.* 356.

Cum vir Dei Paphnutius ex Ægypti partibus Episcopus, Maximum, Hierosolymitanum Episcopum, simplicitate quadam animi ignarum quid ageret, inter hæreticos versari et considere vidisset, ad eum accessit, et manu apprehensum his verbis admonuit : Non patiar Episcopum adeo venerandum in cathedra pestilentiæ sedere, et cum impuris Hæreticis ne verbo quidem communicare. S. Thom. lib. II, *Hist. Eccl.* xxv.

Marcellus, Ancyræ Episcopus, gravissima quæque ab iisdem Arianis perpessus est, quod neque eorum decretis consentiret, neque de Ario in Ecclesiam admittendo concederet, neque consecrationi templi Jerosolymis a Constantino sumptuose ædificati interesse vellet, ne hac occasione cum eis communicasse videretur. Id. *Hist. Eccl.* lib. II, c. xxxiii.

S. Antonius Eremita, Manichæis, aut aliis Hæreticis nunquam saltem amicabilia verba largitus est, denuntians talium amicitiam atque sermones perditionem esse animarum. Sic etiam detestabatur Arianos, ut omnibus diceret, ne quidem juxta eos esse accedendum. Et ipse Antonius jam moriturus : Hæreticorum, inquit, et Schismaticorum verba vitate, meumque circa eos odium sectamini. Scitis ipsi, quod nullus mihi pacificus sermo cum eis unquam fuerit. D. Athanas. in *Vit. ejus.*

Quod non solum vivi, sed mortui quoque Catholici hæreticorum consortium fugiant simili exemplo constat. Narravit nobis Abbas Basilius, presbyter Bicatiorum, dicens : Cum essem Theopoli apud Patriarcham Antiochenum Gregorium, venit ab Jerosolymis Abbas Cosmas, eunuchus Lauræ Pharan, vir singularis religionis et fidei, rectorumque dogmatum valde tenax et zelator, ac divinarum Scripturarum scientia non mediocriter instructus; cum ergo fuisset ibi senex dies non paucos defunctus est; et jussit Patriarcha pretiosas illius reliquias in monasterio suo sepeliri, ubi et positus erat quidam Episcopus. Die igitur quadam profectus sum ut

salutarem sepulchrum senis. Erat autem supra sepulchrum ejus jacens homo quidam pauper eleemosynam petens ab ingredientibus in templum. Cum ergo me conspexisset pauper, tertio prostratum et seni orationem facientem, dicit mihi : Abba, magnus erat profecto senex ille, quem sepelistis hic ante duos menses. Tunc ego ad illum : Unde tu hoc nosti? Qui respondit : Vere, Domine Abba, ego paralyticus fui annis duodecim, et per ipsum curavit me Deus, et quoties in tribulatione sum venit ad me consolationem afferens, mihique refrigerium præstat. Ex qua die illum sepelistis, usque ad horam hanc, audio illum singulis noctibus, clamantem ac dicentem ad Episcopum : Noli me tangere, Hæretice, et ne appropinques mihi, inimice Sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ. Hoc ego audiens ab eo qui sanatus fuerat, perrexi, et omnia ex ordine Patriarchæ retuli, orabamque ipsum sanctissimum Patriarcham, ut sumptum ex eo loco corpus senis in sepulchro alio conderemus. Tunc ait Abbas Patriarcha : Mihi crede, fili, nihil ab Hæretico læditur Abbas Cosmas, sed hoc tantum factum est, ut senis virtus, zelusque fidei nobis innotesceret, qualis semper fuerit, qualisque etiam sit post carnis occubitum, utque Episcopi nobis proderetur opinio, ne illum arbitraremur Orthodoxum fuisse atque Catholicum. Joan. Mos. Erin. *Prat. Spir.* s. xl.

Qualitas. — Primus Hæreticus, juxta Marchantium, Cain fuit, unde Apostolus Judas dicit : Væ illis, qui in via Cain abierunt! Illi autem, juxta S. Thomam, in viam Cain abierunt, qui gladio perversæ doctrinæ fratres suos interficiunt. March. tr. I, *Hort. Past.* lect. vii, prax. i.

In urbe Metis cum nobilis Catholicus advertisset, se judices hæreticos nulla ratione ad sententiam pro se ferendam adducere posse, finxit se ipsorum fidem amplexurum. Quo pacto cum paulo post sententia pro ipso lata esset : Jam habeo, dixit, quod volo; abite in malam crucem vestra abortiva religione. Nonne superioribus mensibus eadem causæ meæ æquitas fuit? Balt. Chavass. l. IV, *de Notis fid.* c. i.

Bernardus Ochinus, cum Episcopatu Florentino et Cardinalatu frustratus, Genevæ ad Calvinistas transisset, et postea in morte a Catholicis ad reditum incitaretur, respondit : Quid me vultis facere? Uxorem et liberos abjicere non possum. Hæ causæ erunt meæ damnationis. Costerus, *in Dom. Sex.*

Cum B. Cyriacus Nestorianum monachum Deo commendaret, circa nonam sequentis diei vidit Frater, qui erat in spelunca, quemdam aspectu terribilem astare et dicere : Veni, et vide veritatem. Tum in locum tenebrosum ducere, ubi inter fœtidos ignes Nestorium, Eutychetem, Apollinarem, Dioscorum, Severum, Origenem, et alios cum ostendisset, dixit illi : En locus iste pro Hæreticis paratus est. Sophon. in *Prato Spir.* c. xxvi.

In civitate Lombardiæ cum Hæreticus quidam ignotus in hospitali graviter ægrotans ad viaticum sumendum admoneretur, et graves in SS. Sacramentum blasphemias effutiret, catus domesticus mansuetissimus in eum irruit, gutturque ac labia illius unguibus laceravit; quod cum altera vice faceret, tandemque, ne omnino eum perimeret, abtractus esset, Hæretico paulo post inter blasphemias defuncto et extra civitatem sepulto, emissus e cavea cucurrit ad sepulchrum, et tandiu conatus est illum effodere, quoad labori immortuus est. Daurolt. in *Catech. Hist.* c. iii, tit. XVIII, n. 6.

Wenceslaus, duodecimus Bohemiæ Rex, quia falsa politici status ratione delusus, Hæreticis liberam agendi potestatem concesserat, gravissimis subditorum dissensionibus vexatus, et cum arma corripuisset, a suis turpiter desertus, vitam et regnum amisit. Ibid. tit. XIX, n. 7.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius valde cavebat, ne suis aliquid subreperet, quod candorem fidei quoquo modo inquinaret, et peregrinis opinionibus inficeret, unde metuens, ne id per necessariam Hebraicæ linguæ cognitionem eveniret, statuit, ut nostri Vulgatam editionem mordicus tuerentur, quod et in Concil. Trident. postea decretum fuit. Eumdem in finem saluberrimas quoque regulas conscripsit, ut cum Ecclesia sentiamus, observandas. *Vit.* l. V, c. x.

P. Petrus Faber ita aversabatur Hæreticos, ut nollet eos etiam recte docentes audiri, aut ad eorum voluntatem aliquid in Ecclesia ad meliorem formam revocari : Sicut enim, aiebat, Dæmones vera interdum, sed non ex veritatis spiritu, confitentur; ita Hæreticos multa interdum bona præcipere, sed ea, quoniam simili veritatis tuendæ spiritu non

præcipiuntur, minime grata esse Deo. *Vita*, l. II, c. XX.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut folles interdum necessarii sunt, ut ignis sopitus suscitetur; ita, teste Apostolo, oportet Hæreses esse, ut et probati manifesti fiant, et non probatorum fervor et incredulitas excitetur. March. tr. I, lect. VII, prop. III.

Sicut is merito stultus crederetur, qui ex aurea Regis imagine liquefacta canis imaginem formaret, Regisque diceret formam repræsentare, eo quod antiquum aurum esset; ita Hæretici quoque inepte agere censendi sunt, dum suas doctrinas Scripturæ conformes dicunt, eo quod ad easdem tuendas sententiis ex sacra Scriptura petitis abutantur. D. Iren. *adversus Hær.*

Sicut lupi famelici, una ovicula comprehensa, eam ita lacerant, ut nullum ejus membrum intactum relinquant; sic Hæretici hodie omnia dogmata Ecclesiæ convellere et labefactare conantur. Ibid.

Sicut per creaturas visibiles, per quas homines Deum agnoscere debebant, Diabolus Gentiles ignorare fecit Deum; ita, unde oportebat Christum agnoscere, scilicet ex Scripturis Sacris, Christi ignorationem introducere conatus est, hæreticas intelligentias callide ingerendo. S. Basil. *de vera Virgine.*

Sicut piratæ in occultis scopulis maris lumen accendunt, ut navigantes ad naufragia perditionis sub spe salutis obtinendæ perducant; ita Hæretici lumen falsæ doctrinæ ostendunt, ut salutis suæ cupidos sub hac luminis specie ad fidei et salutis naufragium pertrahant. Origen. *in c.* XIV *ep. ad Rom.*

Sicut aucupes frondem mortuam visco illitam, et aves mortuas velut vivas in ramis collocatas circumferunt, ut aves advolantes irretitas capiant; ita Hæretici litteram S. Scripturæ, quæ occidit, falso sensu velut visco illinunt et proponunt, ut simplices homines ad verbum Dei avide advolantes perimant. Staplet. l. sup. c.

Sicut improbi pueri pædagogum excludunt; ita Hæretici arcent Prophetas a sua Ecclesia, ne ab iisdem de falsis doctrinis arguantur. Clement. Alex. l. VII *Strom.*

Sicut simia omnia hominis habet membra, nec tamen homo est; ita Hæresis, licet omnia Ecclesiæ mysteria imitetur, non tamen propterea ea vera Ecclesiæ sunt mysteria. S. Chrys. hom. XIX, *Op. imperf.*

Sicut tela araneæ muscas quidem et alia parva animalia capere potest, et fortioribus autem rumpitur; ita Hæretici simplices quidem doctrinis suis decipere, non autem robustioribus in fide nocere possunt. S. Hier. *in epist. ad Cypr.*

Sicut caupones, ut austerum vinum mitigent, gustuique gratius efficiant, aqua corrumpunt; ita Hæretici austeritatem S. Scripturæ suo sensu corrumpunt, ut cum majori delectatione quidem, sed non perinde fructu ab auditoribus hauriatur. Id. *in c.* III *Isaiæ.*

Sicut Hydra, licet sæpius recisa, semper repullulavit, auctiorque evasit; ita Hæreses, quo vehementius excindere eas Catholici Doctores studuerunt, tanto majus incrementum sumpserunt. S. Ambr. l. I *de Fide.*

Sicut inter plagas Ægyptiacas etiam ranæ in paludibus habitantes et in domos prorepentes fuerunt; ita Deus Christianos per Hæreticos velut ranas loquaces, strepitum vocum, sed non veritatem doctrinæ habentes, tædiumque auribus, non cibos mentibus afferentes affligit. S. Aug. *de decem Plag.* c. II.

Sicut Moab et filii Ammon de consanguinitate Abrahæ descenderunt, et tamen genus Abrahæ semper oderunt; ita Hæretici in Christum quidem se credere dicunt, et tamen Christianorum Catholicam fidem subvertere conantur. Rupertus, l. II, *in Sophoniam.*

Sicut Dathan et Abiron sub specie pietatis, Moysi principatum adimere conabantur; ita Hæretici sub prætextu religionis reformandæ legitimam Pontificum successionem et potestatem evertere moliuntur. Eugulin. *in c.* XI *Deuter.*

Damnum. — Sicut Evam decepit serpens promittendo, quod non habebat; sic Hæretici prætendentes majorem agnitionem in mortem demergunt sibi credentes. Iræneus, *in Prol.* l. IV.

Sicut dipsas, venenatus serpens, aquam, quam in rivulis haurit, veneno inficit, ut bestias pariter ex ea bibentes intolerabili siti accendat, et tandem omnino perimat; ita Hæretici, dum S. Scripturas velut fontes veritatis, veneno suæ falsæ doctrinæ corrumpunt, maximam quidem Verbi divini orexin excitant, sed per eamdem certum

animæ interitum creant. S. Epiph. hæres. xxxiv, *contra Manich.*

Sicut membrum a corpore præcisum vivere non potest, nec ramus ab arbore separatus virescere; sic omnes Hæretici ab Ecclesia sejuncti, nec vitam gratiæ, nec viriditatem veræ virtutis habere possunt. S. Chrys. hom. xlvi, *Op. imperf.*

Sicut is, qui naufragium facit, nudus et omnibus rebus destitutus evadit; ita qui fide exciderit, nihil jam habet ubi figatur, aut ubi seipsum recipiat. Id. hom. I, *in c.* i, *Timoth.*

Sicut scintilla res parva est, et tamen, ubi fomitem comprehenderit, urbes et regiones integras consumit; ita hæretica doctrina, licet in speciem exigua, integras provincias pervadit et accendit. Id. l. III, *in c.* v, *Gal.*

Sicut spina, ex quacumque parte illam aspexeris, aculeos habet, et pungit; ita Hæreses ex omni parte fodicant et lædunt, nec nisi venenata sub iis animalia latent. Stapl. th. II, *in Dom.* 7 *post Pent.*

Sicut lethale poculum mellis dulcedine temperatum suavitate fallente perimere solet; sic et Hæresis per blandimenta aurium audientium sensus quadam labe contaminans, contagione adhærentes inficit. S. Greg. Nazianz. l. *de Fide.*

Sicut corpora gravia in centro non gravitant; ita cum Hæresis ad profundum pertinaciæ venerit, gravare conscientiam cessat. March. tr. I, lect. vi, prop. ii.

Sicut pestis, ubi semel intraverit, serpendo semper crescit, et difficulter expellitur; ita Hæreses, ubi invaluerint, semper ulterius serpunt, nec nisi per summam violentiam, aut auxilium speciale Dei extirpantur. Id. prop. iii.

Sicut camelus non solet bibere, nisi turbet aquam; ita nec Hæresis ingredi, nisi turbet Rempublicam. Ibidem.

Sicut nautæ, si navim dirigant secundum stellas erraticas, in certum aberrandi a vera via periculum se conjiciunt; ita qui hæreticas sequuntur doctrinas, non possunt non cum ipsis errare. Ib. prop. i.

MOTIVA.

Quia Hæresis *gravissimum est vitium*; nam ipsam destruit fidem, quæ est primum inter dona Dei, et fundamentum cæterorum; unde hoc unice laborat Diabolus, ut fundamentum hoc destruat, eumque in finem socios suos illis Psalmistæ verbis excitat: Exinanite usque ad fundamentum in ea. Ps. cxxxvi, 7.

Quia *pestiferum est vitium, et hæreditarium*, sicut lepra et pestis; unde sicut peste correpti ab aliis separantur, et leprosi extra urbes habitare coguntur; ita idem de Hæreticis sentiendum est. March. tr. i, lect. vi, prop. ii.

Quia *perniciosissimum est vitium*; utpote quod est seminarium omnis discordiæ et rebellionis, dum Religionem velut fundamentum stabilitatis tollit, et subditorum cum capite consensum et unionem convellit. Ibidem.

Quia *miserrimum et tristissimum est vitium*; eo quod cæcitas animæ sit, atque adeo Hæreticus lumine veræ fidei destitutus, merito cum S. Tobia exclamet: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video? Tob. v, 12.

Quia *stultissimum est vitium.* Quæ enim major stultitia excogitari poterit, quam supremæ veracitati assensum negare, et doctrinam ab homine fallaci, scelesto, et ignorante traditam amplecti?

Quia *periculosissimum est vitium*; quoniam sine fide impossibile est placere Deo (Heb. xi, 6), atque adeo certo exitii æterni discrimini se committit, qui Hæresim aliquam voluntarie amplectitur.

Quia *vitium hoc difficillimum curatu est*; nam, ut S. Paulus ait, impossibile est, eos, qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cœleste, participes facti Spiritus Sancti et prolapsi sunt, rursum renovari ad pœnitentiam. Hebr. vi, 4. Hinc idem Apostolus de talibus dicit, quod *cauteriatam* habeant conscientiam, (I Tim. iv, 2), quæ perinde ut caro cauterio inusta sensum amisit.

MEDIA.

Superbiam velut radicem Hæresis tollere; nam, teste S. Augustino, diversis locis sunt quidem diversæ hæreses, sed una mater superbia omnes genuit, sicut una mater nostra Catholica Ecclesia omnes Christianos fideles toto urbe diffusos. S. Aug. *de Past.* c. viii.

Cæremonias Catholicas magni facere; quia quod sal præstat carnibus, vagina gladio,

cortex arbori, et folia fructibus, hoc cæremoniæ Religioni Catholicæ; non enim solum sunt Symbola militaria, quibus castra Sanctorum ab agminibus Dæmoniorum, et Religio vera a falsa discernitur, sed etiam fovent, nutriunt, augent illam, atque confirmant. Busæus, *in Pan. V. eod.*

Colloquia et commercia hæreticorum sollicite devitare. Sic enim S. Paulus monuit dicens: Profana et inaniloquia devita; multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo ut cancer serpit. I Tim. II, 16. Super quæ verba Vincentius Lyrinensis: Devita, ait, quasi viperam, quasi scorpionem, quasi basiliscum, ne te non solum tactu, sed etiam visu affectuque percutiant. Quid est profana? Quæ nihil habent sacri, nihil religiosi, ab Ecclesiæ penetralibus, quæ est templum Dei, penitus extranea.

A lectione librorum Hæreticorum abstinere. Sic Abbas Isaias suasit suis monachis: Si librum inveneris, qui dicatur esse Hæretico rum, cave illum legas, ne veneno mortifero cor tuum impleat, sed in ea doctrina, quam in Ecclesia sancta didicisti, ita persiste, ut ei nihil addas, nihil detrahas. Isaias, Ab. Or. IV.

Frequenter a Deo lumen petere, et oratione se contra Hæreses armare. Ita S. Augustinus propria experientia doctus suasit dicens: Restabat autem aliud nihil in tantis periculis, quam ut divinam providentiam lacrymosis et miserabilibus vocibus, ut opem mihi ferret, deprecarer; atque id sedulo faciebam. S. Aug. l. *de Util. cred.* c. VIII.

ASCETICA.

Quatuor fere sunt, quæ Asceta de hoc vitio præcipue nosse debet. Primum est, ut causas, ob quas Deus Hæreses permittit, bene cognoscat, ne nimium ob earum exortum perturbetur; eæ autem sunt tres potissimum. 1. In pœnam et punitionem peccatorum nostrorum, sicut maledicta est terra propter peccatum Adæ, ut spinas et tribulos germinaret. Unde Apostolus ait: Charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. II Thess. II, 10. 2. Ad excitationem torporis in Sacræ Scripturæ studio, et veritatis illustrationem; nam, ut recte S. Augustinus advertit, ab adversario mota quæstio discendi existit occasio; multa quippe ad fidem Catholicam pertinentia, dum Hæreticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et prædicantur instantius. S. Aug. l. *sup. Gen.* 3. Ut probati manifesti fiant, quemadmodum S. Paulus loquitur. I Cor. XI, 19.

Alterum est, ut veram regulam teneat, ex qua Hæreses cognoscere et refutare possit; talis autem est, teste Vincentio Lyrinensi, si universitatem, antiquitatem, et consensionem, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem vero, si ab his nullatenus recedamus sensibus, quos sanctos majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem denique, si in ipsa vetustate omnium, vel pene omnium Sacerdotum pariter et Magistrorum definitiones sententiasque sectemur. Vincent. Lyrinen. *in Comm.* c. III.

Tertium est, ut solidum modum teneat, secure et efficaciter concertandi, ubi opus est, cum Hæreticis; quem quidem bene Tertullianus assignasse videtur, dum dixit: Non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est; nam etsi non ita evaderet collatio Scripturarum, ut utramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est, quibus competat fides ipsa, cujus sint Scripturæ; a quo, et per quos, et quando, et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ et fidei Christianæ, illic erit veritas Scripturarum, et expositionum, et traditionum omnium Christianarum. Tertullian. l. *de Præsc.* c. XIX.

Quartum est, ut etiam modum efficacem convertendi Hæreticos norit, qui quidem in tribus præcipue industriis consistit. 1. Ut ad petendum a Deo lumen eos instiget; sicut enim cæcitas corporalis non nisi extraordinaria Dei virtute tollitur, ita et mentalis hæc obcæcatio non nisi per specialem Dei favorem gratiamque curatur. 2. Ut ad bonorum operum frequens exercitium eosdem animet; nam, ut bene S. Chrysostomus advertit, sicut sole manente non prævalet nox; cum autem accesserit ad occasum, tunc occupat mundum, sic quamdiu lumen Justitiæ in homine fuerit, tenebræ erroris eum non

apprehendunt; secus vero si illud ablatum fuerit, quia non error generat peccata, sed peccata errorem. 3. Ut falsitatem et malam cohærentiam doctrinarum hæreticarum ostendere conetur, et sicut Samson vulpes caudis alligatas et accensas in hostium messem immisit; ita et ipse Asceta adversantes sibi Hæreticorum doctrinas in cauda, id est, cohærentia colliget, seu falsas ostendat, ac in ipsos adversarios retorqueat. S. Chrys. hom. xix, *Op. Imp.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: *Hi sunt nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur, etc*, (Judæ xii), explicari possunt proprietates Hæreticorum, videlicet 1. Quod sint *nubes sine aqua*, id est, Doctores sine vera sapientia, quæ proinde a vento circumferuntur, seu ad suggestionem spirituum immundorum in diversos errores rapiuntur. 2. *Arbores autumnales et infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ.* Quia sicut arbores quædam in autumno fructus immaturos, speciem, sed non substantiam pomi habentes, producunt, mortemque corporis et animæ, gratiæ et gloriæ, temporalem et æternam incurrunt; ideoque etiam ex horto Ecclesiæ sunt eradicati, quia nec meritorum, nec suffragiorum participes. 3. *Fluctus feri maris despumantes confusiones suas.* Quia sicut fluctus maris sunt inquieti, tumidi, amari, tenebrosi, Ecclesiæque stabilitatem impugnantes, et quia sicut mare primo motu fluctuat, postea ululat, et finaliter spumat; ita ipsi primo fluctuant in fide, postea fremunt per blasphemias, et tandem per furorem spumant contra Ecclesiam. 4. *Sidera errantia.* Quia licet lucem aliquam veritatis ostendant, ea tamen nulli stabili fundamento innititur. Quæ omnia brevius complexus est D. Thomas, dum dixit: Comparantur nubibus propter fidei instabilitatem, arboribus propter operum sterilitatem, fluctibus propter eorum turbationem, sideribus errantibus propter doctrinæ falsitatem.

Ex occasione thematis: *Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis a ventura ira?* (Matth. xxiii, 33) possunt serpentibus comparari Hæretici. 1. Quia, sicut serpentes, sunt prudentes in malo et stulti in bono. 2. Quia, sicut serpentes, varii sunt in corpore; ita ipsi varii in erroribus. 3. Quia sicut serpentes repunt super ventrem; ita ipsi omnia propter ventrem faciunt, et propter vanam gloriam pectoris sui. 4. Quia sicut serpentes terram manducant; ita illi non nisi homines terrestres et carnales capiunt perfidia sua. 5. Quia sicut serpentes, ut nascantur, rumpunt viscera matris; ita illi rumpentes fidem Matris Ecclesiæ ad principatum processerunt. 6. Quia sicut serpens Evam, et per hanc Adamum sciendi et regendi inordinata cupidine decepit, totique generi humano graviter nocuit; ita illi simili medio incautos et simplices homines, opumque et honorum cupidos, decipiunt, graveque toti Ecclesiæ damnum inferunt. 7. Quia sicut serpens propter hanc deceptionem a Deo maledictus est, perpetuaque inter ipsum et mulierem deceptam inimicitia constituta est; ita similis pœna et maledictio Hæreticis manet. Vide S. Chrysost. hom. 45. Operis Imperfecti.

Ex occasione thematis: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*, (Cant. ii, 15) comparari possunt Hæretici vulpibus. 1. Propter *fraudulentiam.* Quia sicut vulpes gallinis, ita ipsi animabus, insidiantur. 2. Propter *feritatem.* Quia sicut vulpes non mansuescit facile, ita nec Hæretici ad mansuetudinem Christianam assumendam facile adducuntur. 3. Propter *inutilitatem.* Quia sicut vulpes ad nihil utilis est, ita nec Hæretici. 4. Propter *damnum* Ecclesiæ illatum, quam velut vineam florescentem demoliuntur. Immo et Diabolus Samsonis factum imitatus eos communi et concordi odio in Ecclesiam colligatos et accensos in ejusdem Ecclesiæ messem immittit, ac electum triticum pro viribus destruit; quo tamen igne ipsimet sibi quoque graviter nocent, exitiumque sempiternum creant. Vide S. Ambrosium, l. II, *in Luc.* c. vi.

Ex occasione thematis: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, (Cant. ii, 2), potest Ecclesia lilio ob *candorem* innocentiæ, *fragrantiam* boni exempli, et *puritatem* doctrinæ, comparari. Hæretici vero spinis, propter *sterilitatem*, utpote qui bonorum operum necessitatem negantes, ea omnia peccatum esse asserunt; propter *effectus malos*, quos spinis similes producunt; nam pungunt maledictis, vulnerant doctrinis, prætereuntes spoliant bonis spiritualibus et temporalibus, et, sicut spinæ, non facile excutiuntur ab iis, quos implicarunt; propter *latentes hospites*, quia sicut sub spinis se de-

tinent venenati serpentes ; ita sub Hæreticis serpens infernalis, qui primos parentes decepit; et denique propter *similitudinem exitus*, quia sicut spinæ igne concremantur ; ita Hæretici flammis sempiternis destinantur. Vide Fabrum, conc. IX in *Dom.* VII, *post Pentec.*

Ex occasione thematis: *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*, (MATTH. VII, 15) possunt Hæretici lupis comparari ob sequentes causas. 1. Quia, sicut lupi, insidiantur ovibus Christi, et fremunt circa caulas nocturno magis tempore, quam diurno. 2. Quia, sicut lupi, licet versentur circa caulas, stabula tamen, id est, Ecclesiam, in qua oves clauduntur, intrare non audent. 3. Quia, sicut lupi, explorant pastoris absentiam, et ideo Pastores Ecclesiarum vel necare, vel in exilium agere contendunt, eo quod illis præsentibus oves Christi incursare non possint, 4. Quia, sicut lupi, mentis intentione duri ac rigidi nequaquam solent a suo errore deflectere. 5. Quia, sicut lupi, si quem versuta mentis suæ circumscriptione prævenerint, obmutescere faciunt; si autem commenta impietatis eorum agnoveris, jacturam piæ vocis timere non poteris. 6. Quia sicut lupi animam petunt, guttur invadunt, vitalibus vulnus affligunt. 7. Quia, sicut lupi, vestitum ovis habent, facta prædonis ; foris oves, intus lupi. 8. Quia, sicut lupi, ululant, et sermone sacrilego bestiale murmur interstrepunt. Quæ omnia ex S. Ambrosio, l. VII, *in c.* X *Luc.* desumpta vide fusius explicata apud Fabrum, conc. IX, in *Dom.* VII, *post Pentec.*

Ex occasione thematis: *A fructibus eorum cognoscetis eos*, (MATTH. II, 16) possunt explicari pessimi fructus Hæresum, scilicet: 1. *Cæcitas et errores;* utpote de quibus merito Christus dixit : Cæci sunt et duces cæcorum. 2. *Impietas* per Religionis veræ exterminationem, S. Scripturæ depravationem, Sacrorum profanationem, Traditionum Apostolicarum expulsionem, SS. Patrum contemptum, odium Papæ, rebellionem subditorum excitatam, persecutionem Ecclesiæ et Catholicorum, demonstrata. 3. *Morum corruptela* per libertatem carnis, bonorum operum extirpationem, veteris confidentiæ et sinceritatis exilium, odium Ecclesiasticorum, oppressionem Catholicorum, insidias et machinationes contra Principes, introducta. Quæ videri, possunt fusius deducta apud Fabrum, conc. VII in *Dom.* VII, *post Pentec.*

Ex occasione thematis: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro*, (JOAN. X, 1.) possunt explicari foramina, per quæ Hæretici intrare solent, ut pro viribus obstruantur. Primum itaque foramen fuit *dissoluta vita Clericorum*. Secundum *ruditas et inscitia Pastorum*. Tertium *Prælatorum oscitantia et somnolentia*. Quartum *morum corruptio*. De quibus vide fusius disserentem Fabrum, conc. V, *in Fer.* III *Pent.* Alio modo potest idem thema tractari explicando origines Hæresum, scilicet curiositas examinandi articulos fidei, libido contradicendi, arrogantia, avaritia, ambitio, luxuria. De quibus fuse discurrit idem Fab. conc. VIII in *Dom.* I *Quadrag.*

Ex occasione thematis: *Sinite utraque crescerere usque ad messem;* possunt Hæretici zizaniis comparari, et afferri rationes, cur permittantur hæreses, nempe : 1. Ad probationem justorum. 2. Ad Ecclesiæ purgationem. 3. Ad Scripturæ Sacræ illustrationem. 4. Ad fidelium correctionem et augmentum. 5. Ad pœnam peccatorum. Quas rationes fusius probat Faber, conc. V *Dom.* V, *post Epiph.*

Ex occasione thematis: *Cavete a fermento Pharisæorum*, (MATTH. XVI, 6) possunt Hæreses fermento ob celerem earum propagationem comparari, et causæ hujus tam festinatæ propagationis afferri, nempe : 1. Doctrinæ suavitas et plausibilitas. 2. Vita Christianorum dissoluta. 3. Innata Hæresum fecunditas. 4. Inquietudo et zelus Hæresiarcharum. 5. Eorumdem fraudulentia. 6. Violentia illorum ; uti fusius Faber, conc. V in *Dom.* VI *post Epiph.* ostendit.

Ex occasione thematis: *Accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter, donec inveniat eam*, (LUC. XV, 8) possunt afferri varia motiva, quæ Hæreticos persuadere deberent ad hæresim suam relinquendam ; quorum primum est *Commonitio Dei* per varia omina futuræ in Ecclesia perturbationis. Secundum, *Ordines Sacri* a fundamentis erecti, et Hæresiarchis oppositi. Tertium, *Censuræ* grâvissimorum et doctissimorum virorum in Hæreticos latæ. Quartum, *Confusio et divisio Hæreticorum*. Quintum, *Turpissima vita et mors ignobilis Hæresiarcharum*, ex quibus velut fructibus corum qualitas cognoscitur. Sextum, *Victo-*

riæ a Catholicis contra Hæreticos obtentæ. Quæ omnia fuse explicat Faber, conc. VIII in *Dom.* III, *post Pentec.*

Ex occasione thematis: *Quis ex vobis patrem petit panem; numquid lapidem dabit illi?* (LUC. XI, 21) potest explicari falsitas et pernicies Hæreticæ doctrinæ. 1. Quia *pro pane dat lapidem*, id est, pro vero Corpore Christi naturalem panem. 2. Quia *pro pisce dat serpentem*, id est, pro vera remissione peccatorum offerunt fiduciam noxiam et mortiferam. 3. Quia *pro ovo dat scorpionem*, id est, pro vero Dei verbo multipliciter corruptum; ut pluribus demonstrat Faber, conc. VI, *in Fer. Rogat.*

Ex occasione thematis: *Confundamus linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui*, (GEN. XI, 7.) possunt Hæretici ædificatoribus turris Babel comparari. 1. Propter *vanitatem intentionis*, qua falso putaverunt, fore ut suum ædificium ad cœlos usque pertingat. 2. Propter *vanitatem laboris*; quia ab opere suo desistere sunt coacti. 3. Propter *vanitatem exitus*; quia per divisionem linguarum audire seipsos mutuo noluerunt. Quæ omnia facile ex hucusque dictis amplificari possunt.

Ex occasione thematis: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, possunt proponi et refutari objectiones potiores Hæreticorum contra nostram fidem, nempe: 1. Quod Christo sit injuriosa. 2. Idololatrica. 3. Prædatrix Calicis. 4. Vero Dei verbo carens. 5. Rigorosa nimis. Quæ omnia vide fusius refutata, tum apud Fabrum, conc. 7. in *Dom.* XVII. *post Pent.*, tum apud Christ. Pflaumerum et alios.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — S. Augustinus recte Hæreticos limicibus comparat, qui dum vivunt, mordent, mortui autem fœtent. S. AUG. l. IV, *in Jul.* c. IX.

Breviter, sed bene Hæresim descripsit Poeta, qui cecinit:

> Quaque ruit, furibunda ruit, totumque per orbem
> Fulminat, et cæcis cæca triumphat equis.
>
> Apud March. tr. I, lect. VI, prop. 3.

Contingit Hæreticis idem fere, quod Ezechieli, qui vidit aquas egredientes, quæ ipsi ab initio usque ad talos, dein usque ad genua, et postea usque ad renes pertingebant, ultimo autem factæ sunt in similitudinem torrentis. EZECH. XLVII. Sic enim dum judicio proprio confisi, penetrare volunt divina mysteria, quo amplius progrediuntur, eo majori periculo fiunt obnoxii, et denique omnino submerguntur.

S. Ambrosius ait noctuam Hæreticorum esse symbolum, quia tenebras amplectuntur Diaboli, et lucem Salvatoris horrescunt, ac grandibus disputationum oculis cernunt vana, non respiciunt sempiterna. S. AMBR. serm. 41. Et præterea, ut avis mali augurii est noctua, ita illi quoque omnia infausta sibi et aliis annuntiantes, æternum quondam in tenebris ululabunt, ut merito illis applicari possit illud Ovidii:

> Fœdaque fit volucris venturi nuntia luctus,
> Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.

Tympius ait, Lutheranos vere in aliquo sensu dici posse Reformatores Ecclesiæ ob duas causas. 1. Quia, cum ipsi in Ecclesia nostra fuerint paleæ, suo egressu purius triticum effecerunt. 2. Quia per suam defectionem dederunt occasionem ut Catholici in bonis moribus reformarentur, dum per varia decreta Conciliorum mali abusus ac scandala sublata, et aliæ laudabiles consuetudines introductæ sunt. TYMPIUS, *in Mensa Theol. Phil. V, Hæretic.*

Justus Baronius Luthero hoc elogium dedit: Lutherus heri Monachus, hodie Sponsus, cras Maritus, per inde Pater. BARON. *in lib. de Præscript.*

De Christi Evangelio S. Paulus dixit: Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit. (I COR. III, 6.) Lutherus de suo dicere potest. Ego plantavi, Melancton rigavit, Diabolus autem incrementum dedit.

Hæretici Gabaonitis similes sunt, quia asinos suos, id est, Ministros pane suo onerant, et vestes vetustas S. Scripturæ præferunt, quasi qui longe a primitiva Ecclesia venirent. Hinc multi hoc dolo Christiani capti, quia suceperunt de cibariis eorum, et os Domini non interrogaverunt. BUSSÆUS, *Dom.* 8, *post Pent.*

Joannes olim vidit bestiam ascendentem de terra, habentem cornua duo similia agnis, et loquebatur sicut Draco; (APOC. XIII.) quæ bestia recte Hæreticos significat, nam et hi cornua agnina Scripturæ gerunt, ac virtutis speciem, sed voce sua animas enecant ac devorant.

Samson reperit leonem a se occisum, in

cujus ore mel, cætera leo erat; (Judic. xiv.) ita Hæretici loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.

Similes quoque Hæretici sunt Joab, qui dixit ad Amasam : Salve, mi frater! et tenuit manu dextra mentum Amasæ, quasi osculans eum; et interea percussit eum in latere, et effudit viscera ejus; (II Reg. xxix.) nam et ipsi sic sub saccharatis verbis gladios ingerunt.

Alias in Apocalypsi vidit S. Joannes animal cum facie humana, sed cum caudis scorpionum, (Apoc. ix.) quod recte Hæreticos denotat; nam et hi, ut Theophylactus ait, blandiloquentiam prætexunt, et vitam simulant sanctam, sed intrinsecus latet aculeus.

Tria genera maleficorum a legibus ad flammas damnantur, incendiarii, sacrilegi, et monetam adulterantes; atqui Hæretici incendunt domum Dei et triticum S. Scripturæ, sacra sacrilege profanant, ac Scripturam adulterant. Bussæus, *in Dom.* 5 *post Pent.*

AXIOMATA.

Recte Hæreticis quadrat, quod nonnemo cecinit :

Pelle sub agnina latitat mens sæpe lupina.
Fidite, ne fidei causa sit absque fide.

AUCTORES.

Jacobus Marchantius, *in Horto Pastorum*, tr. I, lect. vi et vii.

Joannes Busæus, *in Panario Verb.* eodem.

Petrus Canisius, tom. I, c. i, *de Doctrina Christiana.*

Philippus d'Outreman, *in Pædagogo Christiano*, p. II, c. ii, § 4.

Joannes Dadræus, *in Locis Comm.* Verb. eodem.

Mathias Faber, *in Opere tripartito*, tom. II et III, conc. 8 et 9, *in Dom. post Pent.* Item, conc. 5, *in Dom.* 5 et 6 *post Epiph.* Item, conc. 8, *in Dom.* 2 et 3 *post Pent.* Item, conc. 7, *in fer. Rogat. et Dom. post Pent.*

Thomas Stapletonus, *in Promptuario*, text. 8, *in Dom. post Pascha.* Item, text. 1 et 2, *in Dom. post Pent.* et text. 4, *in Dom.* 24 *post Pent.*

Petrus Bossæus, *in Dom. post Epiph.* p. IV, et *Dom.* 8 *post Pent.* part. III.

Georgius Scherer, *in Dom.* 8 *post Pent.* et alibi passim.

HONOR.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est reverentia exterior, quæ alicui ob excellentiam defertur. Hinc S. Thomas definivit testificationem excellentiæ alterius. Jos. Lang. *in Polyant. V. eodem.* Distinguitur autem a *Fama*, quod hæc in interna opinione consistit; a *Laude*, quod hæc sit testificatio excellentiæ alterius verbis manifesta; honor autem aliis signis exterioribus eamdem excellentiam testetur. S. Thom. II, II, q. ciii, a. 1, ad 2.

Divisio. — Dividitur in *divinum* et *humanum* : ille est, qui Deo ob singularem excellentiam soli defertur, et a Græcis *Latria* vocatur; hic est, qui homnibus vel etiam Angelis defertur.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Sapiens in populo hæreditabit honorem, et nomen illius erit vivens in æternum. Eccl. xxxvii, 29.

Magnus, et judex, et potens est in honore; et non est major illo, qui timet Deum. Eccl. x, 27

Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum; semen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Domini. Ib. 23.

Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me erunt ignobiles. Reg. ii, 30.

Damnum. — Elevasti me, et quasi super ventum, (id est, loco honoris editissimo) ponens, elisisti me valide! Job. xxx, 2.

Et tu Capharnaum usque ad cœlum exaltata, usque ad infernum demegeris. Luc. x, 15.

Qui se exaltat, humiliabitur. Ib. xiv, 11.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. — Honor verus, virtus animi est; hic honor nec a Cæsaribus præstatur, nec adulatione conquiritur, nec pecunia præparatur, nihil fucati in se habet, nihil simulati, nihil occulti; hujus honoris suc-

cessor est, nullus accusator, nullus ingratus. S. Chrys. *de Repar. lapsi.*

Inter res exteriores hominis simpliciter et absolute maximum est honor, ob quem assequendum homines, et vituperium vitandum, alia omnia postponunt. S. Thom. II, II, q. cxxix, a. 1.

Coegit et perversitas mundi, et operatio inimici, honores ut videantur esse, et revera non sint, præter quam ministeria. S. Chrys. *super c. Matth.* ii.

Reddendus est honor ei, qui honore dignus est, et ita quidem, ut nec adulationem adhibeamus, neque illius benevolentiam captemus (metuendum est enim, ne quis per hæc in vilitatem et contemptum incidat, et assentationem quamdam scurrilem exercens, semetipsum probro afficiat) sed cum decoro conveniente id, quod decet, unicuique tribuendum est. S. Isidor. Pelusiot. l. IV, ep. xvi.

Qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. S. Bern. *in Cant.*

Virtus mater gloriæ (et honoris) est; sola enim est, cui gloria jure debetur, et secure impenditur. Quæ autem est sine virtute gloria, profecto indebite venit, propere affectatur, periculose captatur. Idem.

Honor non solum majoribus, sed etiam æqualibus exhibendus est. S. Greg. III *in Mor.*

Honores sæpe mutant mores. Idem.

Honoris comes invidia est. S. Aug. *de Mirab. S. Scrip.* l. III.

Honorans alios seipsum honorat. S. Chrys. *ep. ad Helv.*

Quicumque desiderat primatum cœlestem, sequatur humilitatem terrestrem; non enim qui major fuit in honore, ille major; sed qui justitior, ille major. Idem, hom. xxvii, *super Matth.*

Damnum. — Divitias et honores sollicitudo inseparabiliter comitatur, pompa mundi, et favor populi fumus est, et aura subito evanescens, quæ, si plerumque placeant, pœnitudinem inducunt; et si delectant ad modicum productiore spatio displicebunt. Petrus. Raven. *in quod. serm.*

Dejecisti eos, dum allevarentur; cum allevatur, dejicitur, qui honoribus proficit, et moribus cadit. S. Greg. *in Registro.*

Honor malis exhibitus, in eorum commutatur rninam. S. Greg. in VII *Mor.*

Dum mali præpositi suum contra veritatem honorem exigunt, ab omni rectitudine sequentium corda subvertunt. Idem, *in Moral.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Omnis gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana, æternæ gloriæ comparata, vanitas est et stultitia. L. III, c. xl, § 6.

Magnus honor, magna gloria tibi servire, et omnia propter te contemnere. L. III, c. x, § 3.

Brevis gloria, quæ ab hominibus datur et accipitur. Mundi gloriam semper comitatur tristitia. Bonorum gloria in conscientiis eorum, et non in ore hominum. L. II, c. vi, § 2.

EXEMPLA CATHOLICA.

Honor spretus. — Christus, cum post miraculum insigne patratum, populus eum Regem facere vellet, fugit, et honori se subduxit. Joan. vi.

Moyses adhuc puer, cum in sinu Pharaonis a filia collocato, Rex diadema capiti illius imposuisset, indignabundus in terram abjecit, et pedibus conculcavit. Joseph. l. II, *Antiq.* c. iii.

S. Malachias, ad onus archiepiscopale vocatus, omnibus modis recusavit. Anathema vero, nisi pareat, minitantibus, tandem acceptavit dicens : Ad mortem me ducitis, sed obedio spe martyrii. Sur. x, 6, *in Vit.*

S. Franciscus rogatus a domino Ostiensi, utrum suos Fratres ad Ecclesiasticas dignitates promoveri vellet? respondit : *Minores* ideo vocati sunt Fratres mei, ne majores fieri præsumant. Sur. x, 3, *in Vit.*

S. Antonius frequentibus litteris a Constantino Imperatore vocatus, venire recusavit, dixitque : Si quidem ad Imperatorem venero, *Antonius* ero; sin minus, *Eremita Antonius.* Niceph. l. VIII, c. xl.

Godefridus Bullionius, cum ob devictam Solymam Christiani Principes eum Regem proclamassent, aureamque coronam obtulissent, regni quidem titulum rogatus non abnuit; coronam vero capiti imponi noluit dicens : Indignum est, aureo illic diademate hominem uti, ubi Rex Regum Christus pro hominum salute spineam portavit. Platina, *in Vita Paschalis* ii.

Carolus Magnus, cum Saxones aliique finitimi populi ad pedes ejus prociderent, seque obsequio ejus devoverent, illis in brachia acceptis dixit : Nolo vos mihi ser-

vire, sed Deo. MUNSTERUS l. IX, *Cosmog.* c. XIX.

DAMNUM. — Eulogius Lapicida, cum invento thesauro viam sibi ad summos honores stravisset, adeo mutatus est, ut nec Deum nec homines amplius curaret; quousque in antiquam vilitatem dejectus, resipuit, honorumque vanitatem et inconstantiam agnovit. ENGELGR. *Dom.* II, *Pasch.* § 2.

(*Vide plura supra tit. Ambitio.*)

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Franciscus Borgia, abdicato Ducatu, sæpius oblatum Cardinalatus honorem recusavit, dicens : Deum precatus sum, ut mihi vita prius abire liceat, quam titulis iterum honoribusque invitum onerari. *Vita* l. II, c. III.

Cardinalis Lugo a purpura sic abhorruit, ut ad primum illius nuntium in deliquium inciderit, dumque iterum sibi restitutus est, in has voces eruperit : Miseremini mei, miseremini mei, quia manus Domini tetigit me ! ARRIAG. l. II, tom. XI, *in ep. dedic.*

Jacobus Laynes Episcopatum Majoricensem, Archiepiscopatum Pisanum ac Florentinum, Cardinalatum, et Pontificatum, pro quo duodecim jam vota habebat, recusavit. *Hist. Soc.* p. II, l. VIII, n. 216.

Episcopatum quoque Viennensem Petrus Canisius, Tergestinum Claudius Jaius, et alium Nicolaus Bobadilla recusavit. Ibid. l. III, n. 47.

(*Vide plura supra tit. Ambitio.*)

EXEMPLA PROFANA.

Themistocles, cum quemdam anxie Magistratum sollicitantem intelligeret, dixisse fertur : Si mihi duas ostenderetis vias, quarum una ad sepulchrum, altera ad tribunal duceret, multo libentius priorem ingrederer. ÆLIAN. l. VI.

Seleucus dicere solebat, paucis notum esse regnum ac magistratum, ac neminem, qui illud noverit, inventum iri, qui diadema regium humi projectum tolleret. ERASMUS.

Antigonus in Regem adscitus, priusquam diadema capiti imponeret : O nobilem magis, aiebat, quam felicem pannum ! quem si quis penitus cognoscat, quam multis sollicitudinibus, periculis, et miseriis sit refertus, nec humi quidem jacentem tollere vellet. BEIRLINCK, tom. III, *in festo S. Jacobi.*

Alexander Severus Imperator creatus, cum vix annos sexdecim natus esset, ob virtutes eximias, titulis magnificis a Senatu decoratus, numquam in animum induxit, ut se Magnum et Patriæ Patrem nominari pateretur; oportere enim, aiebat, ut res gestæ maturiorque ætas ea nomina pararent. JOSEPHUS LANG. *in Polyanth. V.* eod.

Maximus Senior Cæsar numquam ad oscula pedum quempiam admisit, dicens : Dii prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis oscula figat. JOSEPH. LANG. *V*, eod.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut flores coronarii sine odore ; sic se habent honores quæsiti ex stemmate, ambitione opumque multitudine. Ibid.

Sicut umbra aliquando antecedit, aliquando sequitur, vel a tergo est ; ita honor aliquando ante nos est, et visendum se præbet, aliquando in averso est, majorque, quo serior. SENEC. l. II, ep. 86.

UTILITAS. — Sicut tinctores eum potissimum colorem panno inducunt, quo homines maxime delectari vident; ita juventus ad ea potissimum rapitur, quibus populus honores defert. ERASM. l. II, *Apopth.*

DAMNUM. — Sicut colossi seu statuæ male libratæ sæpius evertuntur ; ita nimius honor per invidiam multos avertit. PLUTARC. *in Mor.*

Sicut deciduæ stellæ subito extinguuntur; ita qui repente ad summos honores evehuntur, cito præcipitari solent. Ibid.

Sicut coquinæ nidor nequaquam hominem nutrit, sed olfactum tantum provocat; ita nec honores quemquam beant, sed infamem dumtaxat pruritum excitant. THRIVERUS, *Apopth.* 165.

Sicut is, qui capite dolet, coronariis sertis gravatur magis, quam recreatur, eoque magis, quo majorem illa odorem spirant; ita neque honores vitæ commoditati quidquam conducunt, sed insigniter officiunt. Idem *Apopht.* 154.

ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ de honore Asceta

specialiter advertere debet. Primum est, ut sciat, unde vere quisque æstimandus, honorque illi tribuendus sit. Id quod Seneca sequentibus verbis docet : Nemo eorum, quos divitiæ, honoresque in altiori fastigio ponunt, magnus est. Quare ergo magnus videtur? Quia cum basi sua illum metiris. Minutus pumilio, licet in monte constiterit; colossus magnitudinem servabit, etiamsi in puteo constiterit. Hoc laboramus errore, quod neminem æstimamus ex æquo. Cum vero velis æstimationem hominis inire, et scire, qualis sit, nudum inspice, ponat patrimonium, honores, et alia fortunæ mendacia, corpus suum exuat et animum intuere, qualis sit, quantusque, alieno, an suo magnus. SENECA, *in epist.*

Alterum est, ut vanitatem honoris mundani cognoscat; utpote qui ex alieno arbitrio dependet, et plerumque etiam indignissimis confertur. Unde merito eumdem sapientissimi quique sanctissimique viri sunt aversati.

Tertium est, ut solum honorem, qui ex virtute oritur, utpote solidum et verum, sectetur. Unde jam olim Romani duo templa Virtuti et Honori sic ædificarunt, ut nulli ingressus in Honoris templum pateret, qui non per Virtutis templum prius transiisset. *Panormit. de Gestis Alph.* l. I.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Cicero illum proprie honorem æstimari dicebat, quem quis neque majorum commendatione, neque per alterius commendationem assecutus sit. CICERO, *in Philipp.*

Non male cecinit Ovidius :

In pretio pretium nunc est, dat census honores;
Census amicitias, pauper ubique jacet.
OVID. l. III. *Fast.*

Et alius, honorum desiderium explicaturus :

An erit, qui velle recuset,
Os populi meruisse?
PERSIUS, Sat. I.

Urbanus VII, quoties amiculum e subtili tela induebat, alto pectore ingeminans dicebat : Quis crederet, sub tam levi sindone tantum ponderis delitescere? ENGELGR. *Dom. Palmar.* § 1.

UTILITAS. — Aristoteles dicebat : Qua in civitate non maximus virtuti honos tribuitur, in ea optimus civitatis status stabilis et firmus esse nullatenus potest. ARIST. l. II. *de Repub.* c. 9.

Sed et Valerius Maximus virtutis uberrimum alimentum honorem esse dixit. VAL. MAX. *de Inst. antiq.* l. II.

DAMNUM. — Veteres regnum nunc splendidam servitutem, nunc auratos compedes, nunc falsam felicitatem; inter Christianos vero statum miserrimum, salutis naufragium, curarum ac discriminis abyssum, libertatis vinculum vocabant. BEIRLINCK, text. III, *in festo S. Jacobi.*

AUCTORES.

Henricus Engelgrave, p. 2. *Lucis Evang. in Dom.* XVI, *post Pent.*, § 11.

Laurentius Beirlinck, text. III. *in festo S. Jacobi.* Et *in Theatro Vitæ humanæ*, V. eod.

Ludovicus Granatensis, *Locis Communibus*, fol. 584.

Nicolaus Lancizius, *opusc.* VIII, l. II, præcipue, c. V, n. 51.

Josephus Langius, *in Polyanth.* V. eod.

HUMILITAS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Varie a variis definitur : S. Laurentius Justinianus ait, esse virtutem, qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit. *Tr. de Humil.* c. I, 22.

Juxta S. Thomam, est laudabilis sui ad ima dejectio. II, II. q. CLI.

Secundum S. Basilium, est depositio vani sensus, qui ab elatione vanæ de se existimationis proficiscitur. Q. CXCVIII.

Juxta S. Augustinum, est ex intuitu propriæ conditionis, et sui Conditoris, voluntaria mentis inclinatio in suo imo, ordinabili ad suum Conditorem. *In* c. II. ISAIÆ.

B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis judicio, humilitas nihil aliud est, quam continua cognitio sui non esse, et continuum gaudium in omnibus illis rebus, quæ possunt inducere ad sui contemptum. ROSIGN. l. IV. *de disc.* c. XXXVIII.

Denique Sanctus Climacus narrat, cum religiosissimus hominum Senatus olim convenisset, et in eo, quid sit Humilitas? quæsi-

tum fuisset, primum dixisse, quod sit recte factorum intentissima oblivio; secundum, quod sit animi contriti sensus; tertium, quod sit magnum opus et divinum, via autem ad illam sit, ut aliquis seipsum omnibus subjectum ponat. Hoc autem sit esse subjectum omnibus, ut non attendat aliena peccata, sed sua semper aspiciat, et pro iis Deum sine intermissione deprecetur. Aliis denique alia dicentibus, unum sic respondisse: Humilitas est gratia sine nomine. Ibi nominis aliquid acquirit, ubi noscitur. Præceptor e cœlo, Humilitatis Magister : *Discite*, inquit, non ab homine, non ab Angelo, sed *a me*, non aurum aut gemnas creare, non mundum fabricare, vel in mundo mirabilia facere, non mortuos suscitare, sed quia *mitis sum et humilis corde*, et invenietis requiem animabus vestris. Bellorum ac litigiorum nullus est finis, qui a sola humilitate petendus est. Lanciz, opus. III, c. x, gr. v.

Juxta S. Bonaventuram, humilitas est ex intuitu propriæ conditionis vel fragilitatis, voluntaria mentis inclinatio. Quapropter observandum, quod, quando Incarnata Sapientia humilibus exaltationem promittit, his verbis loquatur : Qui se humiliaverit, exaltabitur; non dicit, qui humiliatur, sed qui humiliaverit se, id est, qui sponte, et ex propria voluntate sibi ipsi vilescit. S. Bonav. tom. VIII, l. II, *de Profectu* 29.

Significat profecto, inquit S. Bernardus, non omnem exaltandam esse humilitatem, sed eam tantum, quæ de voluntate venit, non ex tristitia, vel ex necessitate. Prima inter octo Beatitudines hæc est : *Beati pauperes spiritu*; at vero D. Chrysostomus interrogat, quinam sunt hi pauperes spiritu? et respondet : Humiles scilicet mente, atque contriti spiritu; spiritum enim posuit hic pro anima et voluntate. Quia enim sunt humiles plurimi, non sua sponte ducti, sed necessitate rerum coacti, reliquens hujusmodi (neque enim hoc inter laudanda numerandum est) eos, qui se humiliant et comprimunt voluntate, eos primos beatos appellat. D. Cruys. hom. xv *in Matth.*

S. Thomas Villanovanus in quodam sermone de Sancto Martino humilitatis definitionem inquirens inquit : Quid est humilitas? moxque per auctoritatem S. Bernardi respondet : Humilitas est virtus, qua quisque vera sui cognitione sibi vilescit, id est, contemptus et vilipendium suum noscens ex vera et clara cognitione sui. Qui ergo in sua reputatione parvus est, et inutilis, et in corde suo nullius reputat se esse valoris, hic vere humilis est. S. Thom. Villanov. *conc.* I, *de S. Martino.*

Attendendum autem diligenter, ut ne fictam pro vera quis humilitatem eligat; nam, ut bene S. Hieronymus dixit : Multi humilitatis umbram, veritatem pauci, sequuntur. Perfacile est aliquem habere vestem contemptam, salutare submissius, manus et genua deosculari, inclinato in terram capite, oculisque dejectis, humilitatem atque mansuetudinem polliceri, lenta voce tenuique sermones infringere, suspirare crebrius et ad omne verbum peccatorem ac miserum se clamare; sed si vel levi sermone offensus fuerit, continuo videbis attollere supercilium, levare cervicem, et delicatum illum oris sonum insano clamore repente mutare. *In quadam ep.*

Hinc Ecclesiasticus nonullorum declarat artificium, qui se humiles esse fingunt, cum tamen interius vel maxime existimari, et honorari affectant : Est qui nequiter humiliat se, inquit, et interiora ejus plena sunt dolo, et est, qui se nimium submittit a vera humilitate, et est, qui inclinat faciem suam, et fingit. Quorum proinde humiliationem cavendam esse monet Doctor Angelicus dicens : Quandoque fit solum secundum signa exteriora, secundum fictionem, unde hæc est falsa humilitas, de qua S. Augustinus dicit in quadam Epistola, quod est magna superbia, quia videtur tendere ad excellentiam gloriæ. Mansi, tr. xxxii, *disc.* I, n. 2.

Quem locum Ecclesiastici Sanctus Laurentius Justinianus adducens inquit : Quidam honores fugiunt, ut honoribus fruantur, fingunt subesse, ut possint præesse. Sanct. Gregorius Magnus vitæ spiritualis, eximiusque omnium virtutum, præcipue vero contemptus sui ipsius cultor, alia indicat falsæ humilitatis artificia, dicit enim : Sunt nonnulli, qui de semetipsis humilia sentiunt, qui in honoribus positi, nil se esse, nisi pulverem favillamque produnt, sed tamen coram hominibus despecti apparere refugiunt, et contra hoc, quod interius cogitant, quasi rigida exterius venustate palliantur. Et sunt nonnulli, qui viles videri ab hominibus appetunt, atque omne quod sunt dejectos se exhibendo contemnunt, sed tamen apud se introrsus, quasi ex ipso merito ostensæ vilitatis intumescunt, et tanto magis in corde elati sunt, quanto amplius in

specie elationem premunt. S. Laur. Just. *de Lig. Vit,* c. VI.

S. Climacus, supra jam citatus, prolixe de hac virtute discurrens, dum suam quoque hujus virtutis definitionem assignare contendit, hanc pariter circumstantiam exprimit dicens : Humilitas est altissima et subtilissima vilitatis propriæ cognitio.

Atque ex hactenus dictis patet 1. quomodo hæc virtus etiam summis viris, immo et ipsi Deo, conveniat; nam ut bene olim dixit Plinius, cui nihil augendum fastigium superest, hoc uno modo crescere potest, si se ipse submittat. Patet 2. cur humilitas ad temperantiam pertinere dicatur, quia scilicet, ut bene discurrit S. Thomas, reprimit motum spei, qui est motus spiritus in magna tendentis. Unde S. Bernardus : Totius, inquit, humilitatis summa in eo videtur consistere, si voluntas nostra divinæ subjecta sit voluntati, propter quam etiam humiliando aliis se subjiciat.

Divisio. — Dividitur Humilitas 1. in humilitatem *cognitionis* et *affectus*. Quam divisionem Sanctus Bernardus sequentibus verbis indicavit : Est humilitas, quam veritas nobis parit, et non habet calorem; et est humilitas, quam charitas format et inflammat; hæc quidem in affectu, illa in cognitione consistit. In eo, qui graviter peccavit, etsi amanda, non tamen admiranda humilitas. Sed si quis innocentiam retinet, et nihilominus humilitatem jungit, nonne is tibi videtur geminum possidere decorem? Rara avis in terris, sanctitatem non perdere, aut humilitatem sanctimonia non excludi, et ideo beata, quia utramque retinuit. Et alibi : Considera in his verbis (discite a me, quia mitis sum, et humilis corde) quoniam humilitas duplex est, altera cognitionis, altera affectionis, quæ hic dicitur cordis. Priore cognoscimus, quod nihil simus, et hanc discimus a nobis ipsis, et ab infirmitate propria; posteriore calcamus gloriam mundi, et hanc ab illo discimus, qui exinanivit semetipsum formam servi accipiens, qui etiam quæsitus in regnum, fugit; quæsitus ad tanta probra et ignominiosum crucis supplicium, sponte obtulit semetipsum.

Dividitur 2. in humilitatem *quoad Deum*, et *quoad homines*, quam divisionem S. Thommas indicavit, dum dixit : Cum in homine duo possint considerari, id, quod est Dei, id est, dona Dei; et id, quod est hominis, hoc est, defectus, quilibet homo secundum id, quod suum est, debet se cuilibet proximo subjicere ; quantum ad id, quod Dei est, in ipso.

Actus, seu Gradus.—Richardus de Sancto Victore tres adducit, eosque valde considerabiles humilitatis gradus, inquiens : Humilis est, qui se ipsum apud semetipsum veraciter contemnit; humilior autem, qui se contemni etiam ab aliis non refugit; humillimus vero, qui contemptum suum non solum contemnit, sed admodum concupiscit.

S. Anselmus, in libro *de Similitudinibus*, septem ponit humilitatis gradus. Primus est, se contemptibilem et peccatorem esse cognoscere. Secundus, ita effectualiter credere. Tertius, aliis confiteri. Quartus, hoc velle credi. Quintus, velle ita dici. Sextus, exultare et lætari, vilem et peccatorem dici. Septimus, quod amet et gaudeat, se velut contemptibilem conculcari. Ad hæc etiam addi potest, quod, ut homo efficacius fiat hujusmodi, se verbis et factis et gestibus cordialiter vilipendi desideret.

S. Bonaventura et S. Ignatius tres assignant gradus sequentes : Primus est subesse majori, nec præferre se æquali. Secundus subesse pari, nec se præferre minori, nec velle præferri. Tertius subesse minori. Quam eamdem instructionem, diu ante Seraphicum, Mellifluus tradidit in hæc verba : Humilitatis virtus habet hæc tria, superiori subdi, æquali non præferri, minori plus subdi, quam præferri. Idem S. Bonaventura alibi hos assignat gradus : Gradus humilitatis sunt quator, inquit ille. Primus est, spernere mundum. Secundus, spernere nullum. Tertius, spernere seipsum. Quartus, contemnere semper, vel non curare sui contemptum.

Præterea Cassianus decem humilitatis gradus assignat. Ex omnibus tamen potiores esse videntur duodecim sequentes a S. Bernardo et S. Thoma assignari, nimirum :

Primus gradus, seu actus, est, *seipsum despicere;* juxta quem gradum, ut supra dictum est, S. Bernardus humilitatem definivit, dixitque, esse virtutem, qua homo verissima sui agnitione sibi vilescit. Ut autem hunc gradum quis obtineat, optimum senex quidam interrogatus medium dixit esse, si sua dumtaxat, et non alterius, mala quis consideret. Item si tria ista semper in mente habeat, ut S. Bernardus suasit : Quid fuisti? Quia sperma fœtidum! Quid es? Quia vas stercorum! Quid eris? Quia esca vermium!

Secundus est, *sibi ipsi diffidere*, juxta illud Oseæ : Perditio tua ex te, Israel, tantummodo in me auxilium tuum. Osee xix, 19. Et illud Christi : Ego sum vitis, vos palmites ; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Joan. xv, 5. Hinc Salomon : Et ut scivi, quoniam non aliter possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat Sapientiæ, scire, cujus esset hoc donum ; adii Dominum, et deprecatus sum illum. Sap. viii, 19.

Tertius est, *se omnium minimum reputare*; juxta illud Thomæ Kempensis : Non reputes te aliquid profecisse (in humilitate) nisi omnibus inferiorem te esse sentias. L. II, c. ii. Hoc ipsum suasit Salvator illis verbis : Cum vocatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco, (Luc. xiv, 10.) ut, quem admodum S. Bernardus discurrit, solus omnium novissimus sedeas, teque nemini non dico præponas, sed nec comparare præsumas. Quia non est periculum, quantumcumque te humilies, quantumcumque minorem reputes, quam sis ; est autem grande malum, horrendumque periculum, si vel uni in tua te cogitatione præferas. *Ser.* xxxvii, *sup. Cant.*

Quartus est, *se divinis donis indignum reputare* ;ita S. Gregorius suadet dicens : Cum divinis muneribus actus proprios meditare ; nec dignum te judicabis eo, quo frueris, si intelliges, quod mereris. *Hom.* vii. Et iterum : Sancti viri, quo altius apud Deum virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius indignos se esse deprehendunt ; quia dum proximi luci fiunt, quidquid eos in seipsis latebat, inveniunt. Idem, *in Moral.* Quanti autem faciendus sit iste gradus, præclare indicat S. Augustinus his verbis : Felix est, cui ostendit Deus misericordiam suam. Ostendendo enim illi misericordiam suam, persuadet illi, quia, quidquid boni habet ipse homo, non habet, nisi ab illo ; quia omne bonum nostrum ipse est. Et cum hoc viderit homo, videt, quia totum, quod in se laudatur, de misericordia Dei est, non de meritis suis. Et videndo ista non superbit ; non superbiendo non extollitur ; non se extollendo non cadit ; non cadendo stat ; stando, inhærendo manet ; manendo perfruitur, et lætatur in Domino Deo suo. *Super Ps.* xxxiv.

Quintus est, *nolle laudari et honorari* ; nam verus humilis, teste S. Bernardo, vilis vult reputari, non humilis prædicari ; gaudet contemptu sui, hoc solo superbus, quod laudes contemnat. *Serm.* xvi *in Cant.*

Sextus est, *cupere ab aliis contemni*, ad exemplum Apostolorum, qui ibant gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumelian pati. Act. v, 14. Quemadmodum enim (inquit S. Ignatius Loyola) mundani homines, qui ea, quæ mundi sunt, sequuntur, diligunt et quærunt magna cum diligentia, honorem, famam, magni nominis existimationem in terra, sicut mundus eos edocet ; sic qui procedunt in Spiritu, et serio Christum Dominum nostrum sequuntur, amant et ardenter exoptant ea, quæ iis omnino contraria sunt, indui nimirum eadem veste ac insignibus Domini sui, pro ipsius amore ac reverentia, adeo ut si sine offensione ulla divinæ Majestatis, et absque proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia et injurias pati, ac stulti haberi et æstimari (nulla tamen ad id per eos data occasione) eo quod exoptent assimilari ac imitari aliquo modo Dominum nostrum Jesum Christum, ejusque vestibus et insignibus indui. Cap. iv. Ex. § 44. Quanti autem faciendus sit hic gradus, indicavit S. Laur. Justinianus dicens : Non est tantæ virtutis, honores contemnere, quam contemptum appetere. Plus enim est, ut male affici negligas, quam ut bene affici non cupias. Cæterum illud summæ perfectionis est, ut male affici desideres. In *Vita S. Laur. Justin.*

Septimus est, *defectus proprios libenter detegere* ; nam, teste S. Dorotheo, humilitatis filia est sui ipsius accusatio. *Doct.* 2. Et juxta S. Gregorium : Hæc sunt veræ humilitatis testimonia, iniquitatem suam agnoscere, et cognitam voce confessionis aperire, et enuntiatam pœnitentiæ satisfactione delere. *In Ps.* iii *pœnit.* Hinc alibi : Summopere curandum esse, ait, ut mala, quæ fecimus, et sponte fateamur, et hæc aliis arguentibus non negemus. L. xxii, *Mor.* c. xiv. Ipse certe de se dixit : Ab omnibus corrigi, ab omnibus emendari paratus sum, et solum mihi amicum æstimo, per cujus linguam ante districti Judicis apparitionem meæ maculas mentis tergo. Sed et latro quidam, cum gravissima vitæ suæ peccata Abbati in confessione explicasset, jussus ea coram 230 Monachis repetere, promptissime id fecit. Lanciz. opucs. 8, c. viii.

Octavus est, *Deo se subjicere* ; juxta S. Pe-

tri monitum : Humiliamini ergo sub potenti manu Dei. 2 Petr. v, 6. Et hic fere primarius est humilitatis actus, teste S. Ambrosio, dum ait : In eo proprietatem ipsius definimus, quod per omnia Deo subditur. Lib. X, ep. LXXXIV. Et clarius S. Bernardus : Totius humilitatis summa in eo videtur consistere, si voluntas nostra divinæ, ut dignum est, subjecta sit voluntati, sicut ait Propheta : Nonne Deo subjecta erit anima mea ? Scio quidem creaturam omnem, velit, nolit, subjectam esse Creatori. Sed a creatura rationali subjectio quæritur, ut voluntarie sacrificet Domino, et confiteatur nomini ejus, non quia terribile et sanctum, non quia potens, sed quia bonum est. *In serm. de Subjectione.* Atque hoc scilicet modo S. Ignatius humilitatem consideravit, quando tres eidem gradus assignavit. Quorum primus est, et quidem ad salutem necessarius, ut quis se penitus subdat divinæ legi observandæ, utque ne mundi quidem totius oblato dominio, aut vitæ discrimine objecto, transgrediatur ex deliberato mandatum ullum divinum aut humanum, quod quidem peccati mortalis vinculo nos obliget. Secundus majoris est perfectionis, ut fixo animo ad divitias, paupertatem, honorem, ignominiam, brevitatem vitæ ac longitudinem æque sit propensus, ubi æqualis est divinæ laudis et salutis propriæ occasio, ut quis nulla vel humanæ quantæcumque felicitatis, vel propriæ mortis conditione proposita adducatur umquam, ut culpam, licet venialem tantum, decernat admittere. Tertius est absolutissimus, ut priores duos jam adeptus, etiamsi nullo superaddito laus Dei par foret, ad majorem tamen imitationem Christi eligat potius cum eo paupere spreto et illuso pauperiem, contemptum, et insipientiæ titulum amplecti, quam opes, honores, et sapientiæ æstimationem. *In lib. Exerc.* 2.

Nonus est, *proximo se subjicere* ; juxta illud S. Petri : Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum. I Petr. II, 8. Neque enim, ut bene advertit S. Ambrosius, est humilitas, quod facere debes necessitate ; vera autem est, quando cedimus iis, qui nobis videntur esse minores, et eos veneramur, qui nobis magis videntur esse indigni, quam nos. *Ep.* LXXXIV, l. X.

Decimus est, *humilia officia appetere ;* nam, ut sapienter S. Dorotheus dixit, anima disponitur ab his, quæ parantur in corpore, sequiturque habitum corporis. Aliter enim v. g. disponitur anima insidentis in asino, aliter sedentis in throno, aliter optimis vestimentis induti, aliter pannosi. Verbo, humiliato corpore, humiliatur et anima. *Serm.* II. Ut autem ejusmodi officia plus æstimentur, et alacrius assumantur, intelligendum est, inquit S. Basilius, debere pietatis cultorem viliora etiam officia magno cum studio, magnaque cum alacritate suscipere ; scientem nihli minutum esse, quod Dei causa fiat, sed grande et spirituale, et ejusmodi, quod cœlum nobis et præmia cœlestia conciliet. *Constit. Mon.* c. XXIX. Hinc ipse etiam Christus Sanctæ Brigittæ dixit : Vestes tuæ debent esse humilitas exterior et interior, ut nec extollas te, quasi aliis sanctiorem interius, nec erubescas coram hominibus exterius te exhibere humilem. Quanti autem faciendus sit hic gradus, pulchre Sanctus Gregorius docuit his verbis : Ecce quem Dominus singulariter cunctis prætulit, sese sub Domino, et exæquando minimis, et abjecta exhibendo contemnit. Non potestas regni ad memoriam reducitur, non subjectorum oculis saltando vilescere metuit, non se honore prælatum cæteris ante ejus arcam, qui honorem dederat, recognoscit. Coram Deo egit vilia, vel extrema, ut illa ex humilitate solidaret, quæ coram hominibus egerat. Quid de ejus factis ab aliis sentiatur, ignoro, ego plus David saltantem stupeo, quam pugnantem ; pugnando quippe hostes subdidit, saltando autem coram Domino semetipsum vicit. Lanciz. opusc. VIII, c. III, n. 10.

Undecimus est, *se ad omnia inutilem reputere*, juxta illud Christi : Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus ; quod debuimus facere, fecimus. Luc., XVII. Qui quidem gradus adeo excellens est, ut Alphonsus Rodriquez, post S. Bonaventuram, ipsum ultimo loco collocet, censeatque de illo dici posse, quod S Laurentius Justinianus de humilitate in genere pronuntiaverat, scilicet, neminem, quid sit humilitas, probe nosse, nisi cui divinitus datum sit esse humilem. S. XXVI *in Cant.*

Duodecimus est, *silentium in confusionibus et accusationibus, vel increpationibus servare* ; quid enim dolorosius apud mundiales (aiebat Virgo Beatissima S. Brigittæ) quam injuriam suam dissimulare, et omnibus se credere et tenere indigniorem et humiliorem ?

Et, ut S. Bernardus testatur, suppressus dolor altius introrsus radicavit, eo acerbior factus, quo non est exire permissus. Cujus rationem dans S. Thomas ait : Omne nocivum interius clausum magis affligit, quia magis multiplicatur intentio animæ circa ipsum ; sed quando ad exteriora quodammodo disgregatur, et sic dolor minuitur interior. Nimirum dolor speciem ignis gerit, quia, dum plus tegitur, plus ignescit. 1, 2, q. XXXVIII, a. 2. Aut (quemadmodum S. Nilus discurrit) nubibus est similis ; quæ, dum densæ sunt et obscuræ, aquis turgent; at postquam eas exonerarunt, clarescunt, et splendidæ fiunt. Lanciz. op. VIII, c. VII.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Ego autem sum vermis, et non homo ; opprobrium hominum, et abjectio plebis. PSAL. XXI, 7.

Ludam, et vilior fiam plus, quam factus sum ; et ero humilis in oculis meis, et cum ancillis, de quibus locutâ es, gloriosior apparebo. II REG. VI, 22.

Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. GEN. XVIII, 27.

Qui post me venturus est, fortior me est cujus non sum dignus calceamenta portare. MATTH. III, 11.

Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo ; nos infirmi, vos fortes ; vos nobiles, nos autem ignobiles. Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus. Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsema usque adhuc. I COR. IV, 10,

Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Jesu contumeliam pati. ACT. V, 41.

NECESSITAS. — Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cœlorum. Quicumque ergo se humiliaverit, sicut parvulus iste, hic major est in Regno cœlorum. MATTH. XVIII, 3.

Omnes autem invicem humilitatem insinuate ; quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. I PETR. V, 5.

Humilia valde spiritum tuum ; quoniam vindicta carnis impii, ignis et vermis. ECCL. VII, 19.

UTILITAS. — Humilium et mansuetorum tibi semper placuit deprecatio. JUD. IX, 16.

Ubi est humilitas, ibi et sapientia. PROV. XI, 2,

Oratio humiliantis se penetrabit nubes, et, donec propinquet, non consolabitur ; et non discedet, donec Altissimus aspiciat. ECCL. XXXV, 21

Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et invenies gratiam coram Deo ; quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur. ECCL. III, 20.

DIGNITAS. — Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra? Ps. CXII, 5.

Excelsus Dominus, et humilia respicit ; et alta a longe cognoscit. Ps. CXXXVII, 7.

Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. I PETRI, V, 6.

Omnis qui se exaltat, humiliabitur ; et qui se humiliat, exaltabitur. LUC. XVIII, 14.

Cum vocatus fueris ad nuptias, vade, recumbe in novissimo loco, ut, cum venerit, qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. LUC. XIV, 20.

Humiliamini in conspectu Dei, et exaltabit vos. JAC. IV, 18.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus ; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Ps. XX, 19.

Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo ; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ; propter quod et exaltavit illum Deus, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum. PHILIP. II, 4.

Antequam conteratur, exaltatur cor hominis ; et antequam glorificetur, humiliatur. PROV. XVIII, 12.

Superbum sequitur humilitas ; et humilem spiritu suscipiet gloria. PROV. XXIX, 23.

Sapientia humiliati exaltabit caput illius ; et in medio magnatum consedere eum faciet. ECCL. XI, 2.

Jucunditas. — Discite a me, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris. Matth. xi, 19.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas. — Ideo Deus abscondit gratiam, ut unam gratiam certam habeamus, scilicet humilitatem. S. Greg.

Verus humilis non vult humilis prædicari, sed vilis reputari; nec reputat solum, quam vilis sit in præsenti, sed quam vilis etiam esse possit; immo quam vilis esset ac fieret, nisi Deus violenter ipsum a peccato retraxisset, et nisi ei tentationes subtraheret. S. Bern. s. xvi, *super Cant.*

Justus accusatus tacet, læsus remittit, dissimulat lacessitus. S. Ambr. *in Ps.* xxxvii.

Electi ne invite curventur in morte, sponte curvantur in humilitate. S. Greg. *Mor.*

In cunctis se despicit, qui in suis oculis esse humilem profitetur. Ibid.

Magnus unusquisque esse studeat, sed tamen aliquo modo esse se nesciat; ne, dum sibi magnitudinem arroganter tribuit, amittat. Idem.

Oportet bona opera sciendo nescire, quia et recta hæc æstimare oportet, et minima : recta, ut custodiamus; minima, ne inflemur. Idem, l. IX, c. xvii.

Quia origo virtutum in nobis est humilitas, illa veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est, in charitate perdurat, a qua nimirum si abscinditur, arescit; quia vivificantis se in intimis, humorem charitatis perdit. S. Greg. xxvii, *Mor.*

Ille humilis censendus est, qui pro nihilo se reputat, et ab aliis reputari vult; qui propriæ conscientiæ testimonio contentus, ignorantis populi favores non solum non quærit, sed pro nihilo despicit; qui laude falsa non lenitur, sed pungitur; qui ita gaudet despectu, sicut superbus in honore. S. Thom. Villanov. conc. i, *de S. Mart.*

Aurora, quæ fugat tenebras, lucem nuntiat, merito humilitatem designat, quia sicut illa diem et noctem, ita ista dividit justum et peccatorem; ab humilitate justus quisque incipit, et inde proficit. Unde etiam ipsa aurora consurgens dicitur, ut videlicet virtutum structura surgens ab humilitate, stamquam proprio fundamento erigatur. S. Bern. s. lxi, *in Parv. cant.* c. vi, 9.

Humilitas est oculus animæ, per quam homo conditionem suam ac statum suum verissime recognoscit; unde dicit Bernardus : Humilitas est est virtus, qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit. S. Albert. M. ser. *in* 3 *Adv.*

Humilitatis summa in eo consistit, si voluntas nostra per omnia divinæ voluntati subjecta fuerit. S. Greg. *de Subject. nostræ volunt.*

Non magnum est, esse humilem in abjectione, magna prorsus et rara virtus est humilitas honorata. S. Bernard. *sup. Missus est.*

Non indocta humilitas, sed quæ habeat sui modestiam et scientiam laudatur. S. Ambros. *de Offic.*

Humilitas est virtus magna, cui etiam Dei majestas se inclinat. S. Greg. ser. xxxvii, *sup. Cant.*

Humilitas vera est, qua quis de se parva æstimat, et bona alterius sine invidia et livore commendat. Id. hom. vi *Mor.*

Necessitas. — Nihil est in omnibus nostris bonis operibus, quod hac non egeat; nihil est, quod sine hac stare possit. S. Chrys. ser. xvii, *de Prof. Evang.*

Debet, qui fabricat, singulos lapides una cum cæmento ponere atque connectere; nam si lapides projecerit super lapides absque cæmento, procul dubio excutiuntur, nec consistere penitus poterit ædificium, sed omne ruet; porro cæmentum cordis humilitas est, est enim a terra cæmentum, quæ pedibus omnibus subjicitur. S. Doroth. serm. xiv.

Arcta est janua Regni cœlorum, nec recipit nisi parvos; dicit et docet hoc ipse humilitatis Magister, qui advocans parvulum statuit in medio discipulorum, et dixit : « Nisi conversi fueritis, et efficiamini, sicut parvulus iste, non intrabitis in Regnum cœlorum. » S. Bern. c. xvii *de Pass.*

Ideo Christus præcipue nobis commendavit humilitatem, quia per hoc maxime removetur impedimentum humanæ salutis, quæ consistit in hoc, quod homo ad cœlestia et spiritualia tendat, a quibus impeditur, dum in terrenis magnificari studet, et ideo Dominus, ut impedimentum salutis auferret, exteriorem celsitudinem contemnendam monstravit per humilitatis exempla, et sic humilitas est quasi quædam dispositio ad liberum accessum hominis in spiritualia et

divina bona. S. Thom. 2, 2 q. clxi, art. 3, ad 4.

Quid est, quod incessanter orantes et supplicantes non possumus ad eam, quam desideramus, gratiæ abundantiam pervenire? Putatis, quia avarus factus Deus, aut inops, aut impotens, aut inexorabilis? Absit hoc, absit; sed ipse cognovit figmentum nostrum; ne forte, ut ante dixit, elationis vitium incurramus, sicut enim iste corporeus sol, licet bonus sit et valde necessarius, tamen fervor ejus, si temperatus non fuerit, infirmo capiti, et splendor infirmis oculis nocet; nec est solis culpa, sed infirmitatis; sic etiam Sol Justitiæ est. S. Bern. hom. iv, *sup. Ps. Qui habitat.*

Non est mirum, si inopes simus virtutum, cum matrem et custodem virtutum, scilicet humilitatem, tam alienam a nobis sentiamus. Quid enim causæ est, quod ille, qui dives est in misericordia, Pater cœlestis, qui etiam pro dilectione, qua dilexit nos, proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quid, inquam, causæ est, quod nos tam inopes gratiarum et virtutum reliquit, quasi non sit ei cura de nobis? Nimirum aut desidia nostra in causa est, quod non instanter quærimus eum, ut debemus; aut superbia, quia, etsi quærimus instanter, videt tamen Deus, non prodesse nobis, ut inde extollamur, et fieret nobis ipsa donorum ejus sublimatio altioris occasio ruinæ. S. Bon. l. II *de Prof. Relig.* c. xxxiii.

Fundamentum sanctitatis, ut S. Cyprianus ait, semper fuit humilitas, nec in cœlo stare potuit superba sublimitas; hanc primam gratiam ingrediens in mundum noster Parvulus attulit. S. Cypr. *de Nat. Christi.*

Humilitas est omnis nostræ virtutis et operationis fortificativa, et omnis spiritualis roboris augmentativa, quia ponit omnes vires nostras ac operationes super solidum fundamentum. S. Bonaven. *orat.* ii *de Conf.*

Humilitate subtracta, etiamsi ad ipsum usque cœlum conversationis sublimitate pervenias, simul omnia subtrahuntur, atque in finem pessimum relabuntur; nam sive orationem, sive jejunium, sive misericordiam, sive pudicitiam, sive aliud quid bonorum absque humilitate congreges, statim cuncta defluunt. S. Chrys. hom. xv *in Matth.*

Si amittitur humilitas, virtutum aggregatio non nisi ruina est. S. Bern. *Epist.* xli.

Non aliam tibi ad capessendam et obtinendam veritatis viam invenias, quam quæ monstrata est ab illo, qui gressuum nostrorum tanquam Deus vidit infirmitatem. Ea autem prima est humilitas, et quoties interrogares, secunda humilitas, tertia humilitas dicetur. S. Aug. *in ep. ad Diosc.*

Perit omne, quod agitur, si non in humilitate solidatur. S. Greg. l. viii *Mor.*

Nisi humilitas omnia, quæcumque benefacimus, et præcesserit, et comitetur, et subsecuta fuerit, jam nobis de aliquo facto bono gaudentibus, totum extorquet de manu superbia. S. Aug.

Cum augentur dona, etiam rationes crescunt donorum; tanto ergo humilior atque ad serviendum Deo promptior quisque debet esse ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione. S. Greg. hom. ix *in Evang.*

Excelsa est patria, humilis est via. Ergo qui quærit patriam, quid recusat viam? S. Aug. *super Joan.*

Frustra appellamur Christiani, si imitatores non fuerimus Christi, qui ideo viam se esse dixit, ut conversatio Magistri fieret forma Discipuli; et illam humilitatem eligat servus, quam secutus est Dominus ejus, qui fuit Christus. S. Leo, *in serm. de Nativ.*

Utilitas. — Bona humilitas, quæ nihil appetendo, totum, quod contemnit, adipiscitur. S. Ambr. l. VII *super Luc.*

Nihil conferendum humilitatis virtuti; ipsa enim mater est, et radix, et altrix, et fulcimentum, et vinculum bonorum. S. Chrys. hom. xxx *in Act.*

Humilitas est tutissimus virtutum omnium thesaurus. S. Basil. c. xvii *Const. Monast.*

Nihil humilitate potentius. Fortior est petra, solidior adamante, et in majore securitate nos collocat, quam queant vel turres, vel urbes, vel muri, omnibusque Diaboli machinamentis sublimior facta, contingere volentibus insuperabiles facit. Nihil magis odit Dæmon, quam humilem et Dei amantem. S. Chrys. hom. xx *in Act.*

Altus est Deus, humilias te, et descendit ad te; erigis te, et fugit a te. Quare? Quoniam excelsus est, et humilia de proximo respicit, ut attollat, ut bonis repleat; alta, id est, superba, de longe cognoscit, ut deprimat. S. Aug.

Omnis labor monachi sine humilitate vanus est. Humilitas enim est præcursor charitatis, sicut Joannes erat præcursor Jesu,

omnes trahens ad eum ; ita humilitas attrahit ad charitatem, id est, ad ipsum Deum, quia Deus charitas est. *In vitis PP.*

Nihil humilibus arduum reperitur, quibus et gratia fert auxilium, et obedientiæ devotio lenit imperium. S. Bern. s. *de Convers. ad Cler.* c. xxx.

Cum te humiliari videris, habeto id signum in bonum omnino gratiæ propinquantis, Nam sicut ante ruinam exaltatur cor, ita ante exaltationem humiliatur. S. Clim. grad. xxvi.

Animi in virtute progressus, in humilitate progressus est. S. Basil. s. *ascet. de Abdic. rer.*

Cum humilitatis virtus animam repleverit, dejecerit, liquefecerit, tunc incipit dilatari dilectione, irradiari veritate, repleri lumine, elevari spiritu. S. Laur. Just. l. *de Cast. Connub.*

Se animo scire submittere, est scire Christum imitari. S. Basil. l. c.

Tota victoria Salvatoris, qua et Diabolum superavit et mundum, humilitate est concepta, humilitate est confecta. S. Leo, s. vii. *de Epiph.*

Sacra est biga, charitas atque humilitas, quippe illa exaltat, hæc exaltatos, ne unquam decidant, continet. Climac. grad. xxv.

Humilitas magna virtus, quæ meretur, quod non docetur. S. Bern. s. lxxxv. *in Cant.*

Humilitate cursus ille consummetur, quo velut de luteis domibus ad cœlestes ascenditur mansiones. Si nescis, quis iste cursus sit, Augustinum lege his ad Macedonium scribentem verbis : Virtus in hac vita nihil aliud est, quam diligere, quod diligendum est ; id diligere, prudentia est ; nullis inde averti molestiis, fortitudo est ; nullis illecebris, temperantia est ; nulla superbia, justitia est ; humilitas hoc in loco nomine intelligitur justitiæ, tamquam cæterarum consummatio et clausiuncula virtutum. Hildebertus, *apud Mansi*, dis. iii, n. 8.

Hæc virtus plurimarum virtutum mater est et origo ; ex hoc enim fonte innumeræ aliæ virtutes scaturiunt. Inde obedientia, timor, reverentia, patientia, modestia, mansuetudo, amicitia, pax. Qui enim humilis, libenter omnibus obtemperat, omnes reveretur, omnes timet offendere, injurias vero aut per mansuetudinem non sentit, aut per patientiam sustinet ; quietus sibi, pacificus omnibus, omnibus mitis, nullum despicit, nullum lædit, omnibus subditur. S: Th. Vill., conc. i *de S. Martino.*

Meretur humilitas, ut aliæ virtutes dentur, quoniam humilibus Deus dat gratiam ; servat acceptas, quia non requiescit Spiritus, nisi super humilem ; servatas consummat, quia virtus infirmitate, hoc est, in humilibus, perficitur. S. Bern. *ep.* iv.

Fratres optimi, nostis, quia pluvia, si montem nimis erectum invenerit, cito in vallem decurrit ; et ideo qui se ad accipiendam benedictionem humiliter inclinantes quasi valles faciunt, ipsi pluviam divinæ benedictionis accipiunt, et impletur in iis, quod scriptum est :- « Omnis vallis implebitur, et omnis mons, et collis humiliabitur. » Quod est, omnis vallis implebitur, nisi omnis, qui se humiliat, exaltabitur ? S. Cæsar. Arel. *ap. Mansi*, d. v, n. 4.

Vovisti Deo virginitatem tuam, et post votum perdidisti ? Virginitas autem semel amissa, reparari aut recuperari numquam potest. Quid ergo reddes Deo pro eo quod vovisti, et irrecuperabiliter perdidisti ? Audi, redde pœnitentiam tuam, redde contritionem, redde humilitatem, pro virginitate carnis, redde humilitatem cordis; humilitatem per se debueras, etiamsi virginitatem habueras, et tamen si virginitatem reddere non potes, redde pro illa humilitatem, et satisfaciet tam pro se, quam pro illa. Vide, quanta virtus est humilitatis. Socia humilitatis virginitas, et socia est virginitatis humilitas, non tamen potest, si abest humilitas, satisfacere virginitas ; potest autem, etsi abest virginitas, satisfacere, si habeatur vera humilitas. Hugo de S. Victore, t. II *de Inst. Monast*, s. liii.

Non solum omnem gratiam et virtutem custodit humilitas, sed etiam supplet ; quidquid enim tibi obedientiæ, castitatis, patientiæ, sanctitatis deest, humilitate suppletur. S. Thom. Vill., l. VI.

Humilitas est brevis schola devotionis, et brevis via salvationis, brevis scala, si vis ascendere ; brevis schola, si vis addiscere ; brevis via, si vis incedere. Est humilitas brevis schola, est enim compendium totius justitiæ. S. Bonav. *in Dicta*, tit, VII, c. ii.

Si propter imbecilliatem laborare non possumus, humiliare saltem nos ipsos studeamus. Confido enim in Domini misericordia, quod si modicam hanc et brevem amplexati fuerimus humilitatem, inveniemur et nos inter Sanctorum illorum choros,

qui innumeris laboribus se affligentes Domino servierunt. S. Dorot., ser. II, *de Cord. Humilitate.*

Bonus fundus humilitas, qua veritas inquiritur, claritas acquiritur, irradiationes sapientiæ percipiuntur. S. Bern., l. II, *de Consid.*

Omnes delectat celsitudo, sed humilitas gradus est. Quid tendis pedem ultra te? Cadere vis, non ascendere; a gradu incipe, et ascendisti. S. Aug. *de Verb. Dom.*

Humilitate quid ditius, quid pretiosius, qua Regnum cœlorum emitur? S. Bern. *in vigil. Nat. Dom.*

Humiles et non elati replebunt templum Paradisi. Id. *de v. Isaiæ*, s. II.

Dignitas. — Vere qui est in humilitate fundatus, habet conversationem angelicam, purissimam, benignissimam, et pacificam. Et quia hæc pretiosa virtus humilitatis benignum animum facit, ideo homo humilis omnibus appretiabilis efficitur, et omnibus amorosus, et præcipue electis Dei. S. Angela, *ap. Mansi*, d. XIII. n. 6.

Est humilitas luminosa, instar sideris, radiosa, nam sicut sidus vel stella modica est in apparentia, cum tamen sidus in veritate, ut tradunt mathematici, sit majus tota terra, sic humilis cum sit parvus, in veritate est apud Deum maximus, et ex sua tamen et hominum reputatione, vult esse quasi nullus. Est instar lunæ, nam sicut luna est luminare, quod minuitur ex consummatione, ut dicitur Eccl. 43, sic humilis se minorare nititur, cum a Deo per gratiam consummatur. S. Bonav., l. c.

Si putas, quod Christo profuit humilitas sua, cui ergo uon proderit? Si illum exaltavit, quem non augebit? Factus est minister omnium Dominus; et Auctor omnium vapulavit, pedes lavit, crucifixus est, mortuus est, sed in his omnibus detrimentum nullum video Divinitatis ejus, profectum operationis agnosco. Qui nihil habebat, quod ad potestatem suam adderet, habuit, quod ad cultum suæ Majestatis adjungeret. Nihil humilitas affert dispendii; ille, qui se exinanivit, plenus est; ille, qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, formam servi accipiens, in gloria est Dei Patris. S. Ambr. *in Ps.* CXVIII.

Cum Domino opum contemptus opulentia est; cum Domino terreni honoris despectus cœlorum Regnum est; cum Domino humilitas cordis generosæ et regiæ nativitatis ornatus est. Hoc a se disci voluit, quod virtutum omnium maximum est. S. Hilar. *in Ps.* CXVIII, v. 107.

O sancta humilitas! Sola in tuis vilis oculis, tuo te condemnas judicio! Quantum Deo amabilis! Quam dignitate sublimis! Quam dives meritis! Quis te digne laudare valeat? Tu omnium te novissimam credens, cæteris honorabiliter antecedis; dum descendis, ascendis; dum gloriam fugis, acquiris; dum latere cupis, efficeris manifesta, sine tui detrimento proficis, sine elatione præes! S. Laur. Justin. *de Agon, Chr.* c. III.

Sciendum magnopere est, quod tantum unaquæque anima sit pretiosor ante oculos Dei, quantum pro amore veritatis despectior fuerit ante oculos suos; hinc, 1 Reg. 15, ad Saul dicitur: « Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel? » ac si aperte diceret: Magnus mihi fuisti, quia despectus tibi; sed nunc quia magnus tibi es factus, es despectus mihi. Tanto ergo fit quisque vilior Deo, quanto pretiosior sibi; tanto pretiosior Deo, quanto propter eum fit vilior. S. Bern. serm. V. *de Annuntiatione.*

Vere in hoc sui et mundi contemptu, omnis fere Philosophia Christiana consistit, siquidem quia Lucifer in cœlo superbiæ cathedram locaverat, et per superbiam multos Angelos inde dejecerat, Filius Dei in terra contrariam superbiæ humilitatis scholam posuit, ut per eam homines in cœlum reduceret. Unde in plateis Jerusalem clamore valido discipulis clamans aiebat: « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. » Non vos doceo potentiæ meæ miracula, non cæcos illuminare, leprosos mundare, mortuos suscitare, sed mansuetudinem, humilitatemque, hæc omnis mea doctrina. S. Th. Vill. conc. I, *de S. Martino.*

O humilitas angusta tibi, ampla Divinitati; pauper et insufficiens tibi, sufficiens ei, quem non capit orbis, copiose ac deliciose reficiens illum, qui et Angelos pascit! Super quem, inquit, requiescam, nisi super humilem? In omnibus requiem quæsivi, sed apud humilem ancillam inveni. Non est inventa similis illi in gratia humilitatis, ideo in plenitudine humilitatis, requievit etiam corporaliter omnis plenitudo Divinitatis. Guerricus Abbas. s. III *de Assumptione.*

Lapis pretiosus in annulo aureo decorus est; et in virtutum corona inserta humilitas excellit. S. Nilus. *Orat.* XVI.

Omnes delectat celsitudo, sed humilitas gradus est. Quid tendis pedem ultra te? Cadere vis, non ascendere ; a gradu incipe, et ascendisti. S. Aug. *de Verb. Dom.*

Quisquis cupit Divinitatis tenere fastigia, humilitatis ima sectetur. Quicumque fratrem vult prævenire regnando, prius illum præveniat obsequendo. S. Ambr. *in serm.*

Non magnum est esse humilem in abjectione; magna prorsus et rara virtus humilitas honorata. S. Bern. *s. sup. Mis.*

Nulla splendidior gemma in omni præcipue ornatu Summi Pontificis, quam humilitas ; hæc nempe si amittatur, illa virtutum aggregatio non nisi ruina est. Idem, *in epist.* xli.

Si gloriandum est Christiano, de humilitate gloriandum est, de qua crescitur apud Deum. S. Ambr.

Mensura humilitatis cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est. S. Aug. *l. de Virg.* c. xxxi.

Perfecti et spirituales, cum ad firmamentum et robur virtutis suæ per virtutem obedientiæ et subjectionis perveniunt, premunt se semper, ac dejiciunt in id, quod insipientium est; et unde infra se descendunt, inde ascendunt supra se, et humiliando se magis proficiunt, propter frequentes et sublimes excessus contemplationis. S. Bern. *de Vit. Sol.* coll. xx.

O sancta humilitas, quam dissimilis es superbiæ ! Ipsa superbia, Fratres mei, Luciferum de cœlo ejecit, sed humilitas Dei Filium incarnavit; ipsa superbia Adam de Paradiso expulit, sed humilitas latronem in Paradisum introduxit ; superbia gigantum linguas divisit, humilitas gentes congregavit dispersas ; superbia Nabuchodonosor in bestiam transformavit, sed humilitas Joseph Principem Israel constituit ; superbia Pharaonem submersit, sed humilitas Moysen exaltavit. S. Aug. s. xxii, *ad Frat.*

Quanto fastum comprimis, tanto gratiam attrahis ; modus enim amplificandæ gratiæ est vis humilitatis.

Valde rarum est, et valde paucorum, magna agere, nec se magnum reputare ; multis præeminere, et neminem despicere. Unde vasa misericordiæ cum incipiunt de suis méritis intumescere, pia dispensatione cadere permittuntur, ut discant humiliter sapere, et de sua infirmitate vera sentire. S. Basil. *or.* xxviii.

Esto parvus in oculis tuis, ut sis magnus in oculis Dei. Tanto enim eris apud Deum pretiosior, quanto fueris in oculis tuis despectior. Isidor. *in Synon.*

Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium. S. Aug. tr. civ *in Joan.*

Vulnerasti cor meum, Soror mea, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. Quid gracilius, quid flexibilius crine unico? Quid subtilius et contractius humilitate? Capillum unicum vix oculi deprehendunt; humilitas eo deprimit hominem, ut vix sese inter homines numeret. Rup. *in* l. c. *Cant.* iv, 9.

Jucunditas. — Bona humilitas, quæ et in præsenti a mordacibus curis mentem facit quietam, et a minacibus pœnis in futuro securam reddit conscientiam. S. Bern. *in epist.*

Facilitas. — Beata iterumque beata humilitas, quod tam juvenibus, quam senibus secura, tutaque, et quæ in cujusque facultate sita sit ! S. Climacus, gr. xxvi.

Si forte sublimitatis esset via proposita, inquit S. Bernardus, et illic iter, quo ostenderetur salutare Dei, quanta facerent homines, ut exaltarentur ? Quam crudeliter invicem se sternerent, invicem conculcarent ! Quam impudenter raperent, manibusque et pedibus conarentur in altum, ut imponerent sese homines super capita aliena ! Et certe qui contendit supergredi proximos, multas inveniet difficultates, multos habebit æmulos, multas patietur contradictiones, ascendentes equidem ex adverso. Nihil vero facilius est volenti, quam humiliare se ipsum. Hoc verbum est, dilectissimi, quod omnino nos reddit inexcusabiles, ut ne tenue quidem nobis velamen prætendere liceat.

Æquitas. — Memor esto, ne extollaris; memor autem eris, si te ipsum respexeris. Quomodo extolli potest, qui tot profundissimæ despicientiæ causas in se reperit? Dignus es misericordia, non laude aut extollentia. Quid enim, inquit, tam dignum misericordia, quam is, qui miser est, et qui se talem agnoscit, et profitetur ; et quid tam indignum misericordia, quam superbus miser? S. Bern. s. ii, *in c. Jejun.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas. — Bene semper agere, et modicum de se tenere, humilis animæ indicium est. L. II, c. vi, § 3.

Humilis accepta confusione satis bene est in pace, quia stat in Deo, et non in mundo. L. II, c. III, § 2.

Non reputes te aliquid profecisse, nisi omnibus inferiorem esse te sentias. Ibid.

NECESSITAS. — Quid prodest tibi alta disputare de Trinitate, si careas humilitate, unde displiceatur Trinitati? L. I, c. I, § 2.

Non sit tibi cura de magni nominis umbra, non de multorum familiaritate, nec de privata hominum dilectione. Ista enim generant distractiones, et magnas in corde obscuritates. Esto providus, et vigila in orationibus, et humilia te in omnibus. L. III, c. XXIV, § 2.

ÆQUITAS. — Sto attonitus, et considero, quia cœli non sunt mundi in conspectu tuo. Si in Angelis reperisti pravitatem, quid fiet de me? L. III, c. XIV, § 1.

O quam humiliter et abjecte mihi de meipso sentiendum est! Quam nihili pendendum si quid boni videar habere! O quam profunde submittere me debeo sub abyssalibus judiciis tuis, Domine, ubi nihil aliud me esse invenio, quam nihil et nihil!

UTILITAS. — Melior est humilis rusticus, qui Deo servit, quam superbus philosophus, qui se neglecto cursum cœli considerat. L. I, c. II, § 1.

Humilem Deus protegit et liberat; humilem diligit et consolatur; humili homini se inclinat; humili largitur gratiam magnam, et post ejus depressionem levat ad gloriam. Humili sua secreta revelat, et ad se dulciter trahit et invitat. L. II, c. II, § 1.

Esto humilis et pacificus, et erit tecum Jesus. L. II, c. VIII, § 3.

Si scires semper humilis et modicus in te permanere, nec non spiritum tuum bene moderari et regere, non incideres tam cito in periculum et offensam. L. III, c. VII, § 4.

DIGNITAS.—Pone te semper ad infimum, et dabitur tibi summum; nam summum non stat sine infimo. Summi Sancti apud Deum minimi sunt apud se; et quanto gloriosiores, tanto in se humiliores. L. II, c. X, § 4.

Tanto quis altius ad Deum ascendit, quanto profundius in se descendit, et plus sibi ipsi vilescit. L. II, c. XLII, § 1.

Vere magnus est, qui in se parvus est, et pro nihilo omne culmen honoris ducit. L. I, c. III, § 6.

JUCUNDITAS. — Jugis pax cum humili; in corde autem superbi zelus et indignatio frequens.

Quod si ad plenum tui ipsius contemptum perveneris, scito, quod tunc abundantia pacis perfrueris, secundum possibilitatem tui incolatus. L. I, c. VII, § 3.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Humilitas commendata.

Christus ad Apostolos suos dixit : Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. MATTH. XI, 29.

B. Virgo cuidam monacho apparens præcepit, ut, si Dæmonem vincere vellet, uteretur humilitate in victu, cibos vilissimos eligendo; in vestitu, vestes quærendo obsoletissimas; in muneribus, ambiendo infima, et felicem se judicando, si quid ei obtingeret, a quo cæteri abhorrerent. RODRIQ. p. II, tr. III.

Eadem S. Brigittam excitans ad imitationem humilitatis suæ dicebat : Filia, fuge ad mantellum humilitatis meæ; et cogita te peccatricem super alios; quia etsi videris aliquos malos, nescis, quid eis cras futurum est. Nescis etiam, qua intentione, et qua scientia hoc faciunt, utrum infirmitate, an industria. Ideo nullis te præferas, nullosque in corde tuo debes judicare. Quid dolorosius apud mundiales, quam injuriam suam dissimulare, et omnibus se credere et tenere indigniorem? Talis erat, o filia, humilitas mea. L. II *Rev.* c. XXIII.

Angelus ad Agar ancillam dixit : Revertere ad dominam tuam; et humiliare sub manu ipsius. GEN. XVI, 9.

Masseus S. Francisci socius, cum Fratres coram eo collationem de humilitatis virtute instituissent, dixissentque, extitisse quemdam Dei amicum omnibus virtutibus abundantem, et tamen peccatorum se maximum æstimantem, et crevisse hac ratione in supernaturalibus donis, adeo captus est amore hujus virtutis, ut se voto obstrinxerit, quod numquam velit quiescere, donec illam humilitatem in animo suo sentiret adesse. Hinc perpetuo in cella manebat, gemens et inferno se dignum existimans, ut tantam acquireret humilitatem. Dum ergo per dies multos ita mansisset, fame et siti se enecans, accidit eum silvam ingredi, et post multos clamores hæc suspiria edere : Domine, Do-

mine, veram mihi humilitatem impertire! Tum Dominus cœlitus eum sic compellavit : Frater Massee, Frater Massee ! Ille respondit : Domine mi ! Et Dominus ad eum : Quid vis dare, quid vis dare ad hanc gratiam possidendam ? Et Frater Masseus respondit : Oculos capitis mei. Et Dominus ad eum : At ego volo, ut oculos et gratiam habeas. Quo audito Masseus tanta se humilitate et jubilo perfusum sensit, ut præ cunctis hominibus se minimum reputaret. *Chron. Franc.* p. II, l. I, c. III.

Humilitas se ipsum despiciens.

Christus per Psalmistam dixit : Ego autem sum vermis et non homo ; opprobrium hominum, et abjectio plebis. Ps. XXI, 7.

B. Virgo, licet jam in Dei Matrem electa, de se ipsa dicebat : Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum. Luc. I, 38.

S. Joannes Baptista, quo inter natos mulierum non surrexit major, dixit : Veniet fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus. Luc. III, 16.

S. Petrus dixit ad Christum : Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. Luc. V, 8.

S. Paulus de se dixit : Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. I Cor. XV, 9.

Idem de se et aliis Apostolis dicebat : Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema. Ib. IV, 13.

Abraham ad Dominum dixit : Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis et cinis. Gen. XVIII, 27.

David ante arcam saltans, ideoque a Michol uxore sua despectus, dixit : Ludam, et vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis. II Reg. VI, 22.

S. Franciscus se peccatorum maximum dixit; ob quam causam Frater quidam vidit eidem coronam in cœlis maximam præparatam. S. Bonaven. *in Vit.* c. VI.

De S. Laurentio B. Virgo dixit S. Brigittæ : Ecce, filia mea, Laurentium, qui tantum Filium meum dilexit, qui talia pro honore ejus passus est, indignum se dixit obtinere cœlum. Lib. II *Rev.* c. XXVI.

S. Clara sæpe suis monialibus dicebat : O Sorores, si me cognosceretis, potius me abominaremini; non enim sum talis, ut putatis, sed femina confusione plena, et omnium pessima. Et confessariis suis suadebat, ut eam haberent pro vilissima totius mundi creatura; quod cum non posset illis persuadere, sed ab iis pro sancta prædicaretur, adeo hac re affligebatur, ut sæpe confessarios eam ob causam mutaverit, optando invenire aliquem, a quo pro fæce terræ haberetur. *Vit.* p. II, c. VII.

B. Maria Magdalena de Pazzis etsi nunquam peccatum mortale commiserit, nec alia gravia venialia, tamen communicatura timebat, ne eam terra absorberet. Existimabat enim se Dæmonibus similem, indignam virginitatis aureola, et quæ Deo pure serviret; indignam omni gratia et dono cœlesti. Omnes Sorores putabat perfectas, se solam imperfectam, omnes laudabat, terramque, quam calcabant, osculabatur. Novitias etiam sibi subditas venerabatur, ut obstupescerent, ita se honorari a Magistra sua. Minimum defectum tamquam ingratitudinem maximam detestabatur. Judicabat se causam esse omnium defectuum, qui in monasterio committebantur, et omnium totius mundi peccatorum, ideoque Deum rogabat, ut illis parcendo, contra se pœnas justitiæ suæ exerceret, mirabaturque, quod eam Deus, Angeli, et Sancti tolerarent, quod terra non dehisceret, et vivam absorberet; timebatque, ne monasterio tamquam indigna ejiceretur, ideoque vix oculos elevare audebat, quando cum aliis loquebatur. Ad chorum si eundum fuerat, cum tremore ibat, metuens, ne ejus peccato aliorum preces Deo minus acceptas redderet, et pro magno miraculo habebat, quod a Deo admitteretur ad laudes ei persolvendas. Morti autem proxime dicebat, se tolli a Deo ne ejus causa, si viveret, gravi aliquo supplicio mundum, uti ipsa merebatur, afficeret. *Vita*, p. IV. c. CXXXIII.

S. Philippus Nerius magno affectu se maximum totius mundi peccatorem dicebat, ideoque quotidie coram Deo protestabatur : Domine, cave a me hodie, nam te prodam, et omnia scelera patrabo, ni me custodias. Alias dicebat : Vulnus lateris Christi est magnum, sed nisi me Deus teneret, majus infligerem. *Vita.*

S. Ignatius Martyr ad Romanos scripsit : Me pudet de illorum numero dici ; non enim dignus sum, cum novissimus eorum sim, et abortivum quidpiam. Et ad Ephesios : Romam vinctus abducor novissimus

Fidelium eorum, qui ibi sunt, qui ad honorem Dei has gestare catenas dignus habitus sim. *In Epist.*

Humilitatem prætendebat Saul in opere, et sermone, antequam unctus esset in Regem, quando quærebat asinas patris, et excusabat se apud Samuelem. Et postea dictum est ei : Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? I Reg. IX et XV.

Jacob innumeris beneficiis a Deo acceptis, fratri seniori prælatus, duodecim tribuum pater effectus, humiliter Deo dicit : Omnibus miserationibus tuis minor sum. Gen. XXXII.

Humilitas honores fugiens.

S. Ephrem, Syrus, Basilium, invisens, ab eoque divina revelatione cognitus, et Sacerdos ordinatus numquam adduci potuit, ut sacrificaret. Tympius, *in Spec. ep.* signo CVII, n. 3.

Cœlestinus V, Pontifex, post Ordinem a se institutum tam sancte vixerat, ut post totius biennii dissensionem, in illum unum et absentem Cardinalium vota conspirarent, cujus etiam consecratio plurium, quam 200,000 hominum concursu celebrata dicitur. Ipse tamen vix mense quinto exacto, nequicquam Carolo Rege, et populo Neapolitano deprecantibus, eo honore se iterum abdicavit, pristinæque quieti se dedit. Ib. n. 4.

S. Petrus Damianus, diu Cardinalis et Episcopi Ostiensis munere functus, ad pristina se monachorum studia recepit, et scripto egregio facti sui rationem reddidit. Ib. n. 5.

S. Bernardus a tribus opulentis civitatibus in Archiepiscopum electus nunquam adduci potuit, ut eam dignitatem admitteret. Sur. *in Vit.* 20 *Aug.*

S. Dominicus, quatuor Episcopatibus recusatis, mori se malle aiebat, quam ejusmodi onere gravari. Tympius, l. VI, sign. 11.

Alexander philosophus ut honores fugeret, carbonarium tamdiu egit, donec divino instinctu Comanæ civitatis Episcopus electus est. S. Greg. Nyss. *in Rebus gestis.*

S. Gregorius Magnus in Pontificem electus, nec precibus, nec incredibili omnium Ordinum consensu moveri potuit ad acceptandam dignitatem, cumque exitum omnem obseptum videret, in dolio exportari se fecit in vicinum montem, et in antro latuit. Sed columnæ igneæ indicio proditus, et in latebra deprehensus, dignitatem acceptare coactus est. Tympius, l. c. n. 23.

S. Augustinus de se ipso sic scribit : Usque adeo timebam Episcopatum, ut, quoniam cœperat alicujus momenti esse fama mea, in quo loco sciebam non esse Episcopum, ne illo accederem, caverem. Et hoc agebam, quantum poteram, ut in loco humili salvarer, ne in alto periclitarer. *De Div.* s. v, 49.

Humilitas vilia officia eligens.

S. Thomas, Cantuarensium Episcopus, quotidie tredecim pauperes convocabat, eisque genu flectens pedes lavabat, discumbentibus ministrabat, abeuntes cum donis dimittebat. Sur. tom. VI.

Gallicanus, Constantini Augusti gener, prius Romani dux exercitus, omnibus amore Christi contemptis, in monasterio servi officio functus est, pauperum pedes lavabat, pavimenta verrebat. Terent. *in Passione Joan. et Pauli.*

S. Hieronymus non modo puerulos Grammaticam docuit, sed etiam jam senex ad Lætam scripsit : Ipse, si Paulam miseris, magistrum me, et nutricium spondeo, gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo, multo gloriosior mundi Philosopho, qui non Regem Macedonum Babylonio periturum veneno, sed ancillam et sponsam Christi erudiam, regnis cœlestibus inferendam. *In Epist. ad Lætam.*

Joannes Gerson, monachus Ordinis Cœlestinorum, et postea magnus Parisiensis Academiæ Cancellarius, non dubitavit, se ad puerilem Catecheseos institutionem demittere, omnibusque eam ob singularem utilitatem commendare. Tympius, sign. CVII, n. 12.

Humilitas laudes fugiens.

Otto, Bambergensis Episcopus, eum apud suos in magna æstimatione se esse, et a toto Clero ac populo cum hymnis et canticis solemniter in urbem receptum esse videret, deserta Diœcesi sua in Pomeraniam ad annuntiandum illi genti Evangelium fugit, ubi licet deterrime habebatur, et luto sordidabatur, tamen a prædicatione non cessavit, sed humilitatis et patientiæ exemplo prædura

pectora tandem emolliens ad fidem traduxit. TYMPIUS, in *Spec. mag.* sig. CII, n. 1.

S. Dominicus, cum Tolosæ multum acceptus esset ob conciones, Carcassonam, ubi potius eum irridebant et persequebantur auditores, se contulit, rogatusque, cur id faceret? respondit : Quia Tolosæ multi me honorant, Carcassonæ vero multi contradicunt. Ibid. n. 3.

S. Hilarion magis expavescebat fluctus humanarum laudum, quam ingruentes gurgites vastissimi pelagi exundantis: S. HIER. *in Vita*.

Humilitas contemni appetens et gaudens.

Apostoli ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. ACT. III, 43.

S. Clara, si audiebat a multis se infamari, læto vultu gratias Deo agens dicebat : Laudetur Deus ; vere confiteor, male merito de me loqui eos; cum non reperiatur persona, supra quam possint cadere omnia vituperia mundi, quam supra me. *Vita*, p. I, c. XXVII.

Constantius Præsbyter in contemptoris amplexus involavit, eumque amanter exosculatus dixit, neminem hactenus veriora de se locutum. PENNEQUIN, *in Isagog.* diss. I, § 1.

Humilitas non erubescens generis obscuritatem.

Benedictus I, infimo genere natus, cum proceres matrem pretiosis vestibus ornatam ad ipsum duxissent, noluit eam agnoscere et recipere, donec viles vestes indueret. TYMPIUS, in *Spec. mag.* signo CIV, n. 9.

Sixtus V, obscuris natalibus ortus, per jocum dicebat, se ex illustrissima domo originem ducere ; eam enim, in qua ipse natus sit, per mille rimas et scissuras, solis lumine admisso totam uno momento illustrari. Ibid. n. 3.

Willicundus, Archiepiscopus Moguntinus, quamvis esset primus Elector, tamen, quia fuit plaustrarii filius, ob summam principis dignitatem minime elatus plaustrariam rotam in omnibus conclavibus, et mensis pingi fecit, addito symbolo : Cogita, Willicunde, quisnam fueris, et quis modo sis. Quæ causa fuit, ut postea Henricus Claudus Imperator permiserit, hanc rotam insignibus Archiepiscopalibus inseri. Ibid. n. 4.

Humilitas fructuosa.

S. Antonius, cum aliquando, videns omnes laqueos inimici super terram explicatos, diceret : Quis evadet? Vocem ad se dicentem audivit : Humilis.

Walerici humilis monachi olera vermes lædere non potuerunt, cum tamen alia omnia circumquaque vastarentur. Ibid. dis. IV, ex. XXVI.

Humilis monachus a puella obsessa colaphum accipiens, cum alteram maxillam percutiendam offerret, Dæmonem fugavit. Ibid. dist. II, ex. C.

Cum Dæmon aliquando a sene ex corpore obsesso exire jussus diceret, se discessurum si prius senex, qui hædi, et qui agni essent, manifestaret; et senex responderet : Hædi tales sunt, qualis ego ; agnos vero Deus scit : Audiens Dæmon clamavit voce magna : Ecce propter humilitatem tuam exeo. Ibid. ex. CLXVIII.

Humilis Frater a deceptione Diaboli, in specie Gabrielis apparentis, liberatur, quia dixit : Vide, ne ad alium missus sis. Ibid. ex. LXX.

De Achab Deus dixit ad Eliam : Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus. III REG. XXI, 29.

De Manasse sic loquitur S. Climacus : Invenio Manassem illum inter homines cæteris amplius et perniciosius peccasse, templumque Dei ac Religionem omnem profano cultu idolorum coinquinasse, pro quo si mundus totus jejunasset, nullam sceleribus ejus pœnitentiam dignam inferre potuisset; valuit tamen humilitas insanabilia ejus vulnera curare. Grad. XXV.

Humilitas honorata.

Sauli dictum est a Samuele : Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? I REG. XV, 17.

Cum quidam diu in extremis laboraret, tandem reversus ad se incœpit flere, et causam rogatus dixit : Vidi, quod Deus specialiter diligeret humiles, et magnam haberet complacentiam in illis ; ideo præ gaudio flevi, quia et mea opera utpote cum humilitate facta gratanter acceptavit, et ideo jussus sum vobis dicere, quod, qui vult salvus fieri, debet se humiliare, et Christum

imitari dicentem : Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. *Discip.* s. XXXII, litt. 2.

Pynusius, Ægypti monachus et Antistes, bis ad honores declinandos ad aliud monasterium confugiens, ibique non sine gravibus dicteriis triennio inter humilia munera exacto, bis cum magno gaudio et admiratione monachorum inventus est. CASSIAN. l. IV, c. XXX et XXXI.

Virgo quædam stultitiam simulans, cum diu domesticis in monasterio ludibrio fuisset, tandem per Episcopum manifestata, et aliis virtutum exemplar proposita est. *Vita PP.* l. V, c. XV, n. 19.

Humilitas jucunda.

B. Magdalena de Pazzis vidit quondam B. Virginem tenentem vas pretiosum, liquore cœlestium donorum plenum, et dicentem : Ille liquor purus, attractivus, dulcis et delicatus datur illis, qui relinquunt sapientiam et prudentiam humanam ; illum trahunt illi, qui magno zelo appetunt justitiam et puritatem cordis, et illi, qui facti sunt stulti propter Christum. LANCIZ. opusc. VIII, c. II, n. 5.

Christus B. Brigittæ revelavit, inter quatuor causas ob quas Lazarum a morte suscitarit, tertiam fuisse, quia Mariæ Magdalenæ humilitas tantum meruit in lotione pedum Christi, ut sic in conspectu multorum lætaretur vel honoraretur. Ibid. n. 6, et lib. IV, *Rev.* tom. VII.

ALIA EXEMPLA ILLUSTRIA.

QUALITAS. — S. Bonaventura *in Stimulo amoris* ita locutus est : Ut Deum placare possim, scio quid faciam. Afficiam me undique pœnalitatibus et angustiis, et me tamquam lutum fœtidissimum conculcabo, abominabor me sicut stercus, et ero intolerabilis mihi ipsi, in mea confusione, et dejectione, et conculcatione, sive a me, sive ab aliis illata, lætabor et exultabo, cum apparuerit ignominia mea. Et quia non sufficio me detestari, contra me universum cœtum creaturarum congregabo, et a qualibet confundi et puniri desiderabo, quia earum contempsi Creatorem. Hic erit mihi thesaurus desiderabilis, super me pœnas et opprobria aggregare, et eos intimo corde diligere, qui me adjuverint in hoc facto ; omnem consolationem et honorem vitæ præsentis horrebo, et velut hostes blandientes habebo. Credo firmiter, quod, si sic fecero, aperietur super me miserum et indignum divinæ pietatis thesaurus. S. BONAV. *apud Pennequin*, dissert. I, num. 20.

S. Paulinus, dum Amandi Episcopi precibus se commendat, simul rogat, ne inter orandum nomen suum pronuntiet, ob suorum peccatorum multitudinem et magnitudinem, indignum se esse, cujus nomen auribus Dei insonet, et pronuntiantis labia tam sordidi nominis appellatione coinquinentur : Indigni, inquit, sumus, quorum nomina Domini auribus ingerantur, ne forte labia tua immunda fiant, cum nos nominaveris, et necesse sit os tuum igneo carbone perstringi. Nullius de se existimationem cum laude conjunctam, audire vel legere solitus est, quin auctorem ipsum ut deceptum, verbis castiget. Contra S. Severum, qui oris ejus effigiem postularat, serio stomachatur, rogatque, an sana mente dejectus sit, qui id petere in animum induxerit. Denique ut humilitatis exercendæ materiam nancisceretur, se charitate stimulante in mancipium pro filio viduæ vendi voluit ; in quo nescias, an plus se demiserit, quam Dei et proximi amorem ardentissimum sit testatus. PENNEQ. p. II, *Isag.* c. XVIII, n. 12.

S. Franciscus sui æstimatione non tantum ad inferos et nihilum descendit, sed indignum se, de quo cogitet Deus reputat, et mortalium nequissimum se dicit, ac cum Fratre Leone de sui profundissima abjectione disputans, sempiternis se damnatorum suppliciis addicit, qui calculo divino ad Seraphinorum ardentissimam charitatem evehitur, et amoris divini flammis exardescens, Christum ad sui similitudinem in ejus corpore per stigmata imprimendam adducit. Ibid. n. 13.

S. Dominicus, antequam in urbem aliquam ingrederetur, genuflexo Deum rogabat, ne urbem illam castigaret, ideo, quod ipse mortalium scelestissimus in eam pedem inferret. Sancti vero Vincentii, ejus sequacis, quanta demissio, qui se fœtidum et omnibus exosum cadaver haberi volebat, quem omnes fugerent et abominarentur, et tamen quantis ignibus corde ejus et ore prorumpentibus urbes et provincias inflammavit, peccatorumque altissimam glaciem passim dissolvit ! Ibid. n. 13.

S. Theresia virgo adeo se cœlestibus donis indignam existimabat, ut Deo diceret, ne tam cito peccatorum suorum oblivisceretur; ne gratiarum suarum pretiosum balsamum in vas tam fœdum et rimarum plenum effunderet; ne gemmas tam pretiosas manibus tam infirmis et parum tutis committeret, hinc dari occasionem minuendæ earum æstimationis apud homines, qui earum pretium ignorant, easque intuentur tam vilibus personis, qualis ipsa erat, consignatas et concreditas; nullam inesse sibi virtutem, nisi quam Deus in tempore largiretur; aliquando se ab omni rerum fugientium cupiditate absolutam et expeditam sibi videri, conformarique experientia; aliquando vero teneri se iis reculis implicatam, quas paulo ante habebat despicatui, adeo ut se ipsam non agnosceret; nunc tanta animi fortitudine præditam, et ad omnia, quæ ad Dei spectabant obsequium, aggredienda magnanimam, ut numquam ob quoscumque eosque potentissimos oppositos pedem referret; altero vero die, inquit, tam me imbecillem sentiebam, ut ne formicæ quidem conculcandæ vires habere me crederem, si illa cœptis meis obstitisset. Nonnumquam nullis contumeliis vel minimum commovebatur, immo voluptatem ex illis capiebat: Verum, inquit, interdum contigit, ut vel verbulum me affligat, vellemque e vita decedere, quia omnium me tædet. Hæc et plura, ut in prologo vitæ suæ insinuat, publico dare voluisset enucleatius, si Majorum permisisset auctoritas; sibi enim persuasum esse, neminem unquam tot a Deo cumulatum beneficiis ita in pristinos defectus relapsum esse, et divinis gratiis tantum obicem posuisse, sicut ipsa hactenus fecerat. Nimirum hos in animo illius sensus, hæc judicia pariebat profundissima humilitas, qua nec minimam sui laudationem ferre poterat, et ab omni vanæ gloriæ titillatione erat alienissima, qua exultabat gaudio, cum impeteretur opprobriis, et bonum semper pro injuria rependebat, ut abiret in proverbium, qui a Theresia amari vellet, et beneficiis affici, illam verbis et factis tractaret, quam posset, pessime. Ibid. n. 10.

S. Maria Magdalena de Pazzis, cum apud aliquam e suis novitiis in magna esset opinione sanctitatis, ut eam illi adimeret, suos defectus et tentationes multis cum lacrymis et singultibus apud eam deposuit, quasi feminarum omnium esset vere nocentissima, addens pro epilogo: Hæc tibi dixi, filia, ut noris, qualem Magistram nacta sis, et nisi me Deus claustro Religionis inclusisset, vitam meam aut in perpetui carceris tenebris, aut carnificis manu finiissem. Ora ergo pro me, ut Dei beneficio salutem æternam aliquando consequar. Ib. c. XIX, n. 5.

R. P. Condren, Oratorii Jesu secundus Generalis, qui se non tantum sub Judæ, aut Antichristi pedibus substernebat, sed Dæmone etiam inferiorem ducebat, dum a primario Regni Galliæ Ministro reprehenditur, et in ordinem etiam suum falsas delationes, ut justas et veras verbis exaggerantem audit, pacato silentio omnia excepit, dicens, æque communes toti Ordini, ac uni sibi factas contemptiones et humiliationes, æquo animo suscipiendas; cum vero ab impudica femina quasi de parum casto cum illa commercio accusaretur, resque jam manasset ad plures, et amici contra calumniatricem judicio agere vellent, vetuit, dicens, virtutem humilitatis, quam adeo deperibat, forte se hac taciturnitate consecuturum. Ib. n. 8.

S. Bernardus monachis, a quibus injuste accusatus, et verbis etiam calumniosis violatus fuerat, ita respondit: Adhærebo vobis, etsi nolitis, adhærebo, etsi nolim ipse. Invitis præstabo, ingratis adjiciam, et honorabo contemnentes me. Quibus verbis facta consensere. Unus aliquis alterius Ordinis monachus ad illum venit, rogans, ut in cœnobium Claravallense admitteretur; negat vir Sanctus, auctorque est illi, ut in suo Ordine perseveret. Ille stomachari, et cum bile rogare, cur ergo verbis et scriptis omnes ad perfectionem virtutum accenderet, si volenti consilium sequi manum præbere nollet; se ejus hac de re scripta laceraturum in ejus conspectu, si in promptu essent. Respondit pacate Sanctus, se perfectionem suasisse, non loci mutationem. Hic ira commotior alapam viro sancto luculentam impingit: qui præsentes aderant, involare in collum impudentis volebant, sed vetuit Bernardus, et pacate jussit hominem e cœnobio deduci. Ib. n. 10.

Alardus, Cobriensis Abbas, qui in aula Imperatoris Ludovici, filii Carolomanni, omnium virtutum gloria floruit, quem cum invidia calumniis dehonestatum, in exilium ejecisset, continuo ad humilitatis asylum confugit, et peccatis suis, non aliorum æmulationi, neque nimiæ Imperatoris credulitati hoc totum imputari voluit; suos monens, ne alium,

quam Deum hoc exilio peccata sua punientem, intuerentur. Ita scilicet loqui et sentire solent viri Sancti, ac in opprobriorum aquis, quas suis peccatis velut balneum eluendis præparavit Justitia divina, non sine voluptate volutantur, ut alacriores et puriores, levioresque ad divini amoris conscendendum apicem inde emergant. Ib. n. 11.

Quemdam ex providentissimis Fratribus maligni Spiritus, oculis ejus spectabili forma obversantes, beatum prædicabant; quibus ille sapientissimus: Si me, inquit, in anima mea laudare desieritis, ex discessu vestro me magnum et eximium existimabo; si vero laudare perrexeritis, ex vestra laudatione meas ipsius sordes et impuritatem facile conjectabor. S. Clim. grad. xxv, n. 7.

Damascenus vir dives et nobilis, ac magistratibus etiam gestis clarus, ad monasticam disciplinam se receperat, in qua cum seni cuidam traditus esset, visum est huic primum ac præcipuum in eo humilitatis fundamentum ita jacere, ut eum infimis quibusque perfungi juberet, ollas tergere, verrere sordes, scaphia purgare, omnia denique obire ministeria, insuper etiam, quasi nullam rem recte ageret, crebra eum reprehensione atque objurgatione tentare, in qua eum ratione menses aliquot exercuit, tanto ejus profectu, quantum deinde totius vitæ sanctitas declaravit. Sed tamen tantum abest, ut illæ infimæ, ac sordidæ etiam, si per se spectentur, functiones aliquam Damasceno inter suos notam pepererint, ut potius id ipsum magis eum illustrarint, admirantibus omnibus, et in cœlum ferentibus, talem in tanto viro et mundi et sui ipsius despicientiam. Ac ipse quoque senex, qui ista imperando severiorem personam induerat, ubi maturum esse vidit, hilariter eum jucundeque complexus, et tantum ei profectum gratulatus, cum multis laudibus a sua disciplina tanquam rude donatum dimisit. *In vita Joan. Dam.*

Juxta Anconitanam civitatem Ecclesia B. Martyris Stephani sita est, in qua vir venerabilis Constantius nomine, Mansionarii functus officio deserviebat, cujus sanctitatis opinio sese ad notitiam hominum longe lateque tetenderat, quia idem vir funditus terrena despiciens, toto annisu mentis ad sola cœlestia flagrabat. Quadam vero die, dum in eadem Ecclesia deesset oleum, et prædictus Dei famulus, unde lampades accenderet, omnino non haberet; omnes lampades Ecclesiæ implevit aqua, atque ex more in medio papyrum posuit, quas illato igne succendit, sicque aqua exarsit in lampadibus, ac si oleum fuisset. Et quia valde sanctitatis ejus opinio excreverat, multi hunc ex diversis provinciis anxie videre sitiebant. Quadam vero die ex longinquo loco quidam rusticus venit ad videndum eum. Eadem vero hora casu contigerat, ut Sanctus vir Constantius stans in ligneis gradibus reficiendis lampadibus deserviret. Erat autem pusillus valde, et exili forma atque despecta. Cumque is, qui venerat ad videndum eum, quisnam esset, inquireret, atque obnixe peteret, ut sibi debuisset ostendi, hi, qui illum noverant, monstraverunt, quis esset. Sed, sicut stultæ mentis homines, meritum ex qualitate corporis metiuntur, eum parvulum atque despectum videns, ipsum nec omnino non esse cœpit credere. In mente enim rustica inter hoc, quod audierat et viderat, quasi facta fuerat quædam rixa, et æstimabat tam brevem per visionem esse non posse, quem tam ingentem audierat per opinionem. Cui ipsum esse, dum a pluribus fuisset astructum, despexit et derisit dicens: Ego vere grandem hominem credidi, iste autem de homine nihil habet. Quod ut vir Dei Constantius audivit, lampades, quas reficiebat, protinus lætatus relinquens, concitus descendit, atque in ejusdem rustici amplexum ruit, eumque ex amore nimio constringere cœpit brachiis et osculari, magnasque gratias agere, quod de se talia indicasset, dicens: Et tu solus es, qui habuisti oculos apertos in me. Ex qua re pensandum est, cujus apud se humilitatis fuit, qui despicientem se rusticum amplius amavit. Qualis enim quisque apud se lateat, contumelia illata probat. Nam sicut superbi honoribus, ita plerumque humiles in sua despectione gloriantur. Cumque se in alienis oculis viles aspiciunt, idcirco gaudent, quia hoc judicium confirmari intelligunt, quod de se ipsis et apud semetipsos habuerunt. S. Greg. l. I *Dialog.* c. v.

Præteriens aliquando abbas Macarius a palude ad cellam suam, revertens portabat palmas. Et ecce occurrit ei Diabolus in via cum falce messoria. Voluit eum autem percutere falce illa, sed non potuit. Et dixit ei: Multas violentias patior a te, Macari, quia non possum prævalere adversum te. Ecce enim quidquid facis, et ego facio. Jejunas tu, ego penitus non manduco; vigilas tu,

ego penitus non dormio ; castus es tu, et ego nullius feminæ umquam contubernio sum usus ; divitiis tu renuntiasti, et mihi nullæ omnino divitiæ sunt, neque eas habere concupisco. Unum est autem, in quo me superas. Et dicit ei Abbas Macarius : Quid est illud ? Respondens Diabolus dixit : Humilitas tua, per quam non valeo adversum te. *In vit. PP.* l. *de Humil.* n. 12.

Senex quidam erat solitarius vacans in eremo, et dicebat in semetipso, quia perfectus esset in virtutibus. Hic oravit Dominum, dicens : Ostende perfectioni meæ, quod deest mihi ut faciam. Volens autem Deus humiliare cogitationes ejus, dixit : Vade ad illum Archimandritam, et quidquid dixerit, facito. Revelavit Deus Archimandritæ illi, antequam ille ad illum veniret, dicens : Ecce solitarius ille venit ad te. Dic ergo ei, ut tollat flagellum, et vadat, et pascat tibi porcos. Veniens ergo senex pulsavit ostium, ingressus ad Archimandritam illum, salutaverunt se, et cum sederent, dixit ei solitarius ille, qui venerat : Dic mihi, quid faciam, ut sim salvus. Et ille dixit : Facies, quodcumque dixero tibi ? Respondit : Etiam. Et dixit ei : Ecce, tolle flagellum, et vade, et pasce porcos hos. Hi autem, qui eum noverant, et audierant de eo, cum vidissent, quia porcos pasceret, dicebant : Vidistis illum magnum solitarium, de quo audiebamus ? Ecce stupuit cor ejus, et a Dæmonio vexatur, et pascit porcos. Videns autem Dominus Jesus humilitatem ejus, quia ita patienter sustinebat opprobria hominum, præcepit ei iterum redire ad locum suum. Vinc. Bellovacens. l. XXV. *Spec.* n. 39.

Landfrancus, Papia civitate Italiæ oriundus, omni scientia sæculari perfecte imbutus, Alpes transgressus, in Normaniam venit, et in Ambriacensi civitate aliquamdiu docuit. Deinde mortalium auram captare, vanitatem esse considerans, consilium salutis arripuit, et statuit, ut propter eum omnia relinqueret, qui omnia fecit. Cumque ire vellet Rothomagum, vespere in silva ultra fluvium Tillam in latrones incidit, qui cuncta, quæ habebat, tollentes, ligatis a tergo manibus, et caputio cappæ ante oculos ejus admoto, adduxerunt eum in devia, et inter condensa saltus fruteta dimiserunt. Talibus angustiis comprehensus, nescius quid ageret, infortunium suum lamentabatur. Tandem nocturno silentio in se reversus, et ad Deum conversus ait : Domine Deus, tantum tempus in discendo expendi, et corpus animumque in studiis litterarum attrivi, et adhuc, quomodo debeam orare et laudare te, non didici ; libera me de hac tribulatione, et ego sic vitam corrigere et instituere curabo, ut tibi servire valeam et sciam. Surgente aurora audivit viatores iter carpentes, et cœpit ab eis vociferando auxilium petere ; qui accedentes et eum solventes, reduxerunt ad viam. Rogavit autem, ut vilius et pauperius cœnobium, quod in regione noscerent, sibi demonstrarent. Nolebat enim adire locum, ubi litterati essent, qui eum honori et reverentiæ haberent. Igitur de consilio eorum tectum adiit, ubi venerabilis Abbas Herluinus ejusdem cœnobii fundator, ac nuper e grandævo milite in Clericum promotus, eum cum gaudio suscepit. Qui monachus effectus, in discendis officiis curam maximam impendebat, ut sciret laudes Deo persolvere, sicut voverat. Sic per tres annos vixit solitarius, gaudens, quod nesciebatur, fere ab hominibus ignotus, omni vilitate et extremitate in cœnobio contentus. Et, ut fertur, lectionem in Ecclesia nolebat legeret nisi prius cantor eum audisset. Quadam etiam die, dum ad mensam legeret, quiddam inter legendum dixit, sicut dicere debuit, quod Præsidenti non placuit, et aliter dicere, jussit, velut si dixit *docere* media producta, jussit ille eam breviari, non enim Prior ille litteratus erat ; sed vir sapiens sciens magis obedientiam Christo deberi, quam Donato, dimisit quod bene pronuntiaverat, et dixit quod non recte videbatur dicere. Cum autem rumor et fama viri longe lateque percrebuisset, Clerici accurrunt, illo de licentia Abbatis sui scholam tenente. Laici quoque potentes et nobiles multa pro ejus amore eidem Ecclesiæ contulerunt. Vinc. Bellovac. *Spec. mor.* l. XXV, n. 39.

S. Thomas Aquinas, cum semel in Conventu Bononiæ esset, et more solito per claustrum contemplaturus incederet, Frater quidam alterius Conventus, qui eum Doctorem esse non noverat, venit ad eum petita licentia a Priore, quod cum Fratre, qui primo sibi occurreret, in civitatem ad sua negotia ire liceret. Et dixit ei : Bone frater, Prior mandat, ut venias mecum. Qui statim inclinans caput secutus est eum. Post quem eum non posset sic festinanter incedere, sæpe argutus a socio, se humiliter excusavit. Cives vero, qui noverant eum, mirati, quod tantus Doctor post Fratrem modicæ condi-

tionis incederet, qui dignus erat, ut præiret; cogitantes ergo, hoc ex errore aliquo contigisse, indicaverunt Fratri, quis ille esset, quem post se duceret. Qui conversus et stupidus factus petivit veniam, ut ejus ignorantiæ indulgeret. Et conversis prædictis civibus ad Magistrum cum reverentia, et interrogantibus de tantæ humilitatis exemplo, benigne respondit : In obedientia omnis religio perficitur, qua homo homini propter Deum se subjicit, sicut se Deus hominibus propter hominem inclinat. Surius, *in Vita S. Th. Aquin.*

S. Fulgentius, Ruspensis Episcopus, in Concilio Ucezensis, judicio Sacerdotum omnium, qui convenerant, Episcopo cuidam, nomine *Quod vult Deus*, qui priorem se illius existere confirmabat, antepositus et prælatus, ipsa die tacuit, nec auctoritatem Concilii excusando minuere voluit. Sed ubi post Concilium dolere sensit Episcopum, timens propter suum honorem scandalum fratri, meliusque judicans, per charitatem se fieri minorem, quam sine charitate se fieri majorem; Suphetani postea Concilii gloriosum respiciens conventum adesse, precem supplicem coram omnibus fudit, ut sibi rursum, se volente, *Quod vult Deus* Episcopus præferretur; ut nomine suo posterius recitato, lætus deinceps viveret Consacerdotis animo reconciliato. Mirati sunt Episcopi humilitatem talia postulantis, nec contristari voluerunt offerentem Deo Sacrificium humilitatis ad custodiendam spiritus societatem in vinculo charitatis. Baron. t. VII *Annal.* ad ann. 523, 25.

Cum S. Eduardus, Anglorum Rex, in Palatio juxta Ecclesiam B. Petri aliquando moraretur, supervenit quidam vir Hibernicus genere, pedis utriusque privatus officio; nervi enim in poplite contracti ad posteriores corporis partes crura retorserant, natibus inhæserant, immersique carnibus pedum articuli a lumbis ejus et deorsum corpus omne perverterant. Porrectis ad terram manibus et scaminis suppositis repebat, et factus sibimet ipsi gravis, trahebat se post se. Hic videns Regis Cubicularium, ait ad eum: Hugoline, non me respicies, nec misereberis, nec movebit te tanta calamitas mea? Et ille: Quid me vis facere? Cui pauper: Sexies, inquit, Apostolorum limina repens, ut cernis, visitavi, et sanitatem nondum promerui; quam tamen mihi Apostolorum Princeps non negavit, sed distulit socium in hoc miraculo habere volens Eduardum, quem sibi novit in omnibus esse devotum. Ab ipso enim Apostolo in mandatis accepi Regem adire, ut me suo sacro subrectum dorso, ad Ecclesiam ejus, quæ Palatio vicina est, perferat, recepturum, si fecerit, membrorum meorum integram sanitatem. Hæc ubi nuntiata sunt Regi, gratias egit Deo et citatus mox æger accessit; Rex vero supposuit humeros suos ad portandum. Pendet de humero tanti Principis plenus sordibus pauper, squallidis manibus, brachiisque squammosis regium illud pectus collumque complectitur. Interea ex assistentibus ridebant nonnulli, alii a paupere Regem delusum jocabantur, alii simplicitatem justi fatuitatem judicabant. Cum itaque Rex paululum processisset, subito nervi extenduntur, rigantur ossa, carnes marcidæ recalescunt, emergunt a carne articuli, pedes a natibus solvuntur. Distendit homo crura, poplite jam flexibili, et sanie cum sanguine profluente vestis regia ornatur potius quam fœdeatur. Jam tunc satis esse clamant omnes, sanatum languidum, onus ob sordes ulcerum deponendum. Ille vero memor præcepti, quod susceperat, sirenarum cantus obturata aure pertransiit, ingressusque Ecclesiam, ante sanctum Altare holocaustum, quod detulerat, Deo ac Beato Petro resignat, incolumemque dimisit. Quo tam novo et insolito in persona regia humilitatis exemplo, quantopere divinus Apostolus humilitatis virtutem coluerit, et quanto illam in pretio habuerit, satis aperte monstravit. Lud. Gra. ap. III *de cetr. Apo. Pol.* p. 2.

Utilitas. — S. Ephrem se quemdam cognovisse refert, qui vitam quamdam ducebat quietam, religiosam, summaque cum obedientia ordinatam; accidit vero, quod in eodem loco, ubi morabatur, alius quidam a Dæmonio vexatus simul habitaret; ambo autem sub eadem alterius monachi disciplina constituti erant. Videns autem ille vir Dei afflictionem alterius dæmoniaci, eidem, ut sibi serviret, inque sui custodiam advigilaret, præcepit; cui alter prompte obediens, cum primitus in cellam ingrederetur, impositum sibi executurus ministerium, energumenus se ex tunc a solitis vexationibus dæmoniacis notabiliter sublevatum esse confessus est, cumque simul colloquerentur, alter a Dæmone agitatus clamare cœpit: Tu iterum huc male per malam venis viam;

mali sunt tui occursus, mala si dixeris, mala etiam audies. Primumque tu me ejecisti, atque ligasti per humilitatem tuam. Rursumque ad eum Dæmon: Ne extollaris, bone vir, ne quæso extollaris, visitandus enim mihi et tu eris, nisi humilitate tua protegaris, nam ea et nunc ego crucior, impugnorque. Qua recensita historia B. Ephrem sequens format argumentum: Quod si igitur ipsi quoque Dæmones, quantumvis inviti, confitentur se nihil cum humilitate posse, sed eam timere, atque horrere, quare nos tantam illius dignitatem adeo parvi facimus? S. Ephrem, *Paran.* III.

S. Gertrudis aliquando memoria benefactorum tanto pudore suffudit, ut sibi exosa se conspectu divino indignissimam judicaret, optaretque aliquod nancisci latibulum, quo turpitudinem suam absconderet, et quod divinis non poterat, humanis saltem oculis et naribus tantum fœtorem subduceret. Quid ageret hic Christus? Continuo tanta benevolentia ad eam se demisit, ut præ admiratione tota cœlestis curia a tanta demissione illum dehortari velle videretur; quibus Christus dixit: Sinite; continere enim me non possum, quin me totum ei impertiar, quæ tanta sui dejectione, cor meum ad se pellexit. Penneq. p. II, *Isag.* c. XVIII, n. 2.

Narraverunt de quodam sene, qui perseveraverat jejunans septuaginta hebdomadas, semel in hebdomada se reficiens. Hic autem postulabat a Deo de quodam sermone Scripturarum Sanctarum, et non revelavit ei Deus. Dixit ergo in semetipso: Ecce tantum laborem sumpsi, et nihil profeci. Vado ergo ad Fratrem meum, et requiro ab eo. Qui cum egressus clausisset ostium suum, ut abiret, missus est ad eum Angelus Domini, dicens: Septuaginta hebdomades, quas jejunasti, non te fecerunt proximum Deo. Nunc ergo quia humiliatus es, ut ad Fratrem tuum pergeres, missus sum indicare tibi sermonem. Et aperiens ei de re eadem, quam quærebat, indicavit ei, et mox discessit Angelus ab eo. *Vit. PP.* l. *de Hum.* n. 33.

Duo monachi, qui erant carnales fratres, habitabant simul, et volebat Diabolus separare eos, nec poterat; semel ergo unus, qui erat junior ætate, incendit lucernam, et posuit eam super candelabrum. Fecit autem opera sua Dæmon, et evertit candelabrum. Pro qua re cecidit eum major frater cum ira; ille vero pœnitentiam egit, dicens ei: Habe patientiam in me, frater, et iterum accendam eam. Et ecce virtus Domini venit, et torquebat Dæmonem illum usque mane. Dæmon autem nuntiavit principi suo, quod factum fuerat. Et audivit Sacerdos Paganorum id, quod retulerat Dæmon, et egressus factus est monachus, et ab initio conversionis suæ tenuit humilitatem, dicens: Humilitas solvit omnem virtutem inimici, sicut eos ego audivi loquentes, dicendo: Quia quando perturbamus monachos, convertitur unus ex eis, et agens pœnitentiam, destruit omnem virtutem nostram. *Vit. Patr.* l. *de Hum.* n. 4.

Dignitas. — De S. Paula scribit S. Hieronymus: Quanto plus se dejiciebat, tanto magis a Christo sublevabatur; latebat, et non latebat; fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quæ virtutem quasi umbra sequitur, et appetitores sui deserens, appetit contemptores. S. Hieron. *in Epit. S. Paulæ.*

S. Carolus Borromæus omne usque ad finem vitæ in humilitatis virtute collocavit studium. Hæc ordinaria ejus et quotidiana erat epigraphe: *Humilitas;* similiter circumcirca imaginem ejus sequentia leguntur incisa verba: « Sola gaudet humilitate Deus. » Fuit autem hæc virtus tanto in eo rarior, quanto magis per extraordinariam semitam illi institit comparandæ; siquidem non sicut major reliquorum Sanctorum pars, aut inter quatuor cœnobiorum muros reclusus, aut sepultus in eremis, sed in mediis magnificentiis et obsequiis mundi universi, cui admirationi, stupori et venerationi erat. Non est magnum, humilem esse in abjectione, inquit S. Bernardus, magna et rara virtus humilitas honorata. Familiæ suæ armisque renuntians gentilitiis domus Borromææ, titulum sibi assumpsit S. Praxedis, comamque sibi radi fecit instar mancipii, subque habitu Cardinalitio indumenta adeo ferebat lacera, ut cum unum eorum cuidam pauperi in eleemosynam elargiri vellet, hic ipsum accipere detractarit. In visitationibus ambulabat pedibus, propriosque servos multoties ab impedimentis liberabat, propriis ea imponens humeris, cum vilissima plebe familiaritatem inibat; et, ut plurima paucis concludam, dixisse suffecerit, quod Diabolus die quadam, dum chlamyde extensa per terram, ut Cardinalium mos est, Ecclesiam intraret, per obsessæ cujusdam os (quam eo temporis momento deserere cogebatur) ex-

clamarit: O utinam vel tantillum superbiæ super hanc caudam reponere possem! Verumtamen ad quam sublimitatem tanta ejus fuerit exaltata humilitas coram universo mundo, quis est, qui nesciat? Corpus suum in loco Ecclesiæ, qui calcaretur præ reliquis, tumulari voluit, ut aliorum, ut omnium Ecclesiam intrantium conculcaretur pedibus, eorumque se recommendaret precibus; Deusque disposuit, non solum ut non conculcaretur, sed et auro, gemmisque includeretur, omnesque fideles temporibus futuris ejus certatim implorarent patrocinium, existimantes se beatos, si illi loco os infigere possent, ubi ipse omnium pedibus calcari desiderabat. Tandem intra quatuor annorum spatium post mortem ejus, cum nondum canonizatus esset, ad sepulchrum ejus delata sunt octo millia vota argentea, et supra quatuor decem millia tabularum, aliæque oblationes, æquantes triginta octo millia scutorum. Ex humilitatis instinctu cognomen sibi sustulit nobilissimæ familiæ Borromææ; Deusque disposuit, ut in Canonizationis ejus medalliis, qualium centum et quinquaginta milliones excessisse feruntur, per mundum universum augustissime deprædicaretur. Mansi, disc. xi, n. 9.

De S. Gallicano sic loquitur Martyrologium: Alexandriæ, Sancti Gallicani Martyris, viri consularis, qui triumphalibus infulis sublimatus, et Constantino Augusto charus, a SS. Joanne et Paulo ad fidem Christi conversus est, qua suscepta cum S. Hilario ad Ostia Tiberina secedens, hospitalitati et infirmorum servitio totum se dedit, cujus rei fama in toto orbe divulgata, multi undique illuc venientes, videbant virum ex Patritio et Consule lavantem pauperum pedes, ponentem mensam, aquam manibus affundentem, languentibus sollicite ministrantem, et cætera pietatis exhibentem. Ecce vobis augustissimam, non a palmis et triumphis, sed ab humilitatis exercitiis derivatam famam. *Martyrol.* 25 *Junii.*

S. Antonius cum in cella propria oraret, venit ad eum vox dicens: Antoni, nec dum ad mensuram coriarii istius, qui in Alexandria est, pervenisti. Quo audito, senex consurgens mane, arrepto baculo festinus venit Alexandriam, cumque ad designatum hominem pervenisset, et ingressus fuisset, ille viso tanto viro obstupuit. Cui senex dixit: Refer mihi opera tua, quia propterea de deserto veni. Qui respondit: Nescio, me aliquando boni aliquid perpetrasse; nisi quod ex cubili proprio mane consurgens, antequam in opere resideam, dico, quod omnis hæc civitas a minore usque ad majorem ingrediatur in Regnum Dei, propter justitias suas, ego autem solus propter peccata mea pœnam ingrediar sempiternam; quod verbum antequam quiescam sero, ex cordis mei recenseo veritate. Hoc audiens B. Antonius, dixit ei: In veritate, fili, sicut bonus artifex sedens in domo tua, cum requie Regnum Dei adeptus es; ego autem velut sine discretione omne tempus meum in solitudine conversatus, necdum verbi tui assumpsi mensuram. *Vita PP.* l. *de Hum.* § 121.

Augustinus de Iterano, cum esset nobili genere ortus, et utriusque Juris famosus professor, et nihilominus in curia domini Manfridi Regis valde potens, et omnibus charus; Deo disponente incidit in ægritudinem validam. Cumque timeret se moriturum, petivit a Deo spatium pœnitentiæ, promittens se Religionem ingressurum, et statim est liberatus. Restitutus ergo pristinæ sanitati, divina vocatione Ordinem Fratrum Eremitarum S. Augustini, in insula Siciliæ, ingressus, voluit vir Dei in ipso suæ conversionis primordio humilitatis jacere fundamentum. Unde sanctæ Religionis habitum assumens, occultavit suæ scientiæ claritatem, generis nobilitatem, et prioris status sublimitatem, ne quis ex aliquo prædictorum eum considerans veneraretur, et nē ex hoc in cor ejus aliqua superbia irripere posset. Factus est ergo inter Fratres stultus, ut a Deo instrueretur. Factus est pauper, ut divitiis cœlestibus ditaretur. Factus est vilis in mundo, ut apud Deum exaltaretur. Conversabatur enim inter Fratres cunctis vilior et despectior, sciens se tanto majoris meriti esse apud Deum, quanto pro amore ejus magis despectus esset in mundo et inter homines. Jactantiæ autem verbum prioris status numquam ex ore ejus audiebatur. Humiliora servitia domus, et quæcumque viliora, incognitus manens devotione, humilitate, et diligentia nimia adimplevit. In ipsa vero sua humilitate gaudens, plorabat, quod tantum distulerat suam conversionem ad Deum. Liquefiebat anima ejus amore supernæ patriæ pro cujus amore omnia præsentia pro nihilo reputabat. Si quod verbum aliquando causa fraternæ correptionis laberetur ex ejus ore, quod aliquando ex zelo boni, et detestatione

mali, fraterna charitate solitus erat facere, statim seipsum condemnans, ad pedes Fratris prostratus veniam postulabat. Postquam autem vir Dei in insula Siciliæ aliquanto tempore fuisset cum Fratribus magna humilitate conversatus, contigit, quosdam Fratres de Senis ex obedientia Ordinis ad Conventum ejusdem insulæ venire, a quibus cum interrogasset vir Dei de locis Senensis Provinciæ, et didicisset, quod ibidem essent loca eremitica ab hominum habitatione remota et ad vacandum Deo plurimum apta, obtenta licentia a Superiore suo ad Senensem Provinciam venit, paucis et vilibus pannis indutus, et Fratribus Provinciæ illius penitus ignotus. Positus est ergo in quodam eremitorio S. Barbaræ, quod non longe distabat a castro S. Floræ, ubi soli Deo vacabat, tantaque dulcedine devotionis cor ejus affluebat, ut plerumque videretur Beatorum agminibus interesse, et beatæ quietis præmium prægustare. Quia vero non cognoscebatur, qualis et quantus esset, imponebantur ei humilia officia domus, quæ ipse cum humilitate et alacritate libens adimplebat, faciebat *quæstuas*, purgabat domum, paropsides, et alia domus utensilia abluebat. Fratres autem considerantes sanctam ejus conversationem, ac verborum ædificationem (quæ nonnumquam quasi cum quadam simplicitate ex ore ejus prodibant) libenter eum audiebant. Erat autem ibi tunc Prior, Frater quidam de Senis vocatus Frater Bonus, vir satis venerabilis et prudens, qui considerans ejus bonitatem et consilia saluberrima, eum multum diligebat, delectabaturque de ejus humilitate, morum gravitate, et eloquiorum suorum suavitate. Cum ergo idem Frater Bonus a Conventu S. Barbaræ ad locum S. Antonii per obedientiam Ordinis transferretur, ipsum Fratrem Augustinum secum adducit, quem et sequenti anno factus Prior Rosiæ secum retinuit. In quo loco servus Dei omnibus ignotus divina dispositione factus est cognitus hac occasione. Cum enim Fratres conventus Rosiæ quamdam haberent in curia quæstionem, in qua jam Fratres succumberent, et de hoc nimium tristarentur, cum ex hoc quamdam possessionem perderent, de qua Conventus multum sustentabatur, voluit Deus lucernam (quæ diu sub modio erat) super candelabrum Religionis ponere, ut luceret omnibus, qui in ea erant. Videns ergo vir Sanctus Fratrum animos turbatos, et cognoscens, Fratribus magnam injuriam fieri; Procuratorem adiit, petens sibi licentiam, occulte dari necessaria ad scribendum. Procurator vero deridebat eum, ignorans quod sciret scribere, vel legere. Ipso tamen perseverante in petendo, porrexit ei calamum, chartam, et attramentum, qui secedens ad partem, scripsit verba pauca, licet sententia multa, quam scripturam reddit Procuratori adversario exhibendam, quod et factum est. Cum adversarius, scilicet dominus Jacobus de Pagliaresis hanc scripturam legeret; verborum paucitatem, et sententiæ virtutem prægnantem considerans, ait : Diabolus, vel Angelus, vel dominus Matthæus de Iterano, cum quo ego fui studens Bononiæ, qui mortuus est in conflictu domini Manfridi Regis, hanc scripturam condidit. Ipse quippe ante ingressum Ordinis Matthæus vocabatur, sed in ingressu accepit nomen Augustini, et audiens a Procuratore, quod quidam Frater rusticus et ignarus eam scripsit: Non, inquit, est ita. Et statim accessit ad locum Fratrum in Senis, interrogavit, quis esset hujusmodi Frater, et cujus patriæ, et qualiter accesserit huc. Et responsionibus cognitis, suis conditionibus suspicatus est, esse illum, qui erat. Et statim Rosiam pergens, et inveniens quem mortuum æstimabat, admirans ejus humilitatem, ruit in amplexus ejus et oscula, lacrymas continere non valens. Cumque rogaret eum vir Dei, ne eum prodendo pacem suam perturbaret, ille nullatenus acquiescens, ad Fratres ait : Fratres, habetis thesaurum occultum. Hic est enim melior homo mundi, teneatis ergo eum, ut decet; sed et quæstio vestra terminata est pro vobis. Cœperunt ergo eum Fratres honorare, et sibi reverentiam exhibere. Sed vir Dei vera humilitate fundatus, et homines, et omnem reverentiam respuens, priora opera servilia non dimittens, omnino sicut prius manebat. *Spec. Exemp. ver. Hum. exempl.* XXV.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius aiebat, omnes domesticos sibi ad virtutem exemplo atque incitamento esse, neque quemquam præter se unum sibi displicere. Item illud sibi a Deo petendum esse, ut cadaver suum post mortem volucribus et feris dilaniandum objiciatur. Nam ut ipse sterquilinium et detestabilis omnino sit, non aliud ab ipso expeti posse. Alias dicebat, persuadere se sibi non posse, hæc duo simul

conjuncta in ullo hominum, ut in Deum æque esset ingratus, et tot tamque magna quotidie ab eo beneficia acciperet. Ribad. l. V, *vit.* c. III, P. Jacobum Eguiam, eo quod ipsum supra cæteros Sanctos extulisset, per tres dies quotidie ter se flagellis cædere jussit; et cum neque sic eum laudare cessaret, ei confiteri amplius noluit. Ib. l. V, c. I. Nostros alio missurus hortabatur, ut humilitate et contemptui sui ad ardua viam munirent. *Gloria S. Ign.* c. XIV. In formula Instituti dixit : Revera hoc Institutum humiles et prudentes requirit. *In Bull. Pauli III.*

S. Franciscus Xaverius se nequissimum omnium mortalium judicabat. Proficiscens in Europam, sociorum equos curabat, Goæ Episcopi genibus advolvebatur ipse Legatus Apostolicus. *Vita* l. VI, c. VIII. Sui contemptor unicus non minus laudem et honorem, quam alii vituperationem et dedecus, horrebat. A sociis petit, ut ipsum doceant modum Ethnicos convertendi. Lib. I, ep. I. Ibidem se vocat pulverem, cinerem, omnium perditissimum; ait etiam sibi revelatum a Deo, sociorum precibus et meritis permotum dare ei tantam gratiam. *Ep.* V. Ne ob miracula patrata magnifieret, partim ex iis locis profugit, partim rogavit, ut miraculum tacerent, partim ipsorum ægrorum, puerorumque, quos mittebat, fidei ea adscribebat. *Vit.* l. II, c. VII. Negabat, quemquam germanum societatis alumnum esse, ac Deo fideliter operam navare posse, nisi contemptorem sui, et de ipso suisque rebus abjecte demisseque sentientem. *Vit.* l. VI, c. VIII. Ad Goanos scribens aiebat : Oro vos atque etiam obtestor, ut in abjectis atque humilibus officiis Dæmonem egregie superare nitamini. Et iterum : Diligenter colite humilitatem, atque in omnibus rebus, a quibus natura abhorret, vos ipsos vincite. L. III, ep. V.

S. Franciscus Borgias se peccatorem in litteris subscribebat. Sub sæculari adhuc habitu jam Societati per solemnia vota adscriptus, inter studia Theologica theses confusionis composuit. Ex nihilo factus sum, ad nihilum redactus sum. Quid sim, ignoro. Si aliquid scio, hoc tantum scio, infernum domum meam esse. Problema : Ex me ipso facio nihil. Defendentur die crastina a prandio, 1549. *Hist. Soc.* p. I, l. IX, n. 89. Se Juda pejorem esse putabat, et infra Judam locum sibi esse convenientem. Duas minimum horas quotidie impendebat sui cognitioni, quæque legeret, audiret, videret, eo omnia referebat, ut erudirent, demissionemque ac pudorem incuterent. Iter agens duos prodromos, cognitionem sui et inferni contemplationem, præmittens, per eos omnia diversoria sibi bellissime apparari dicebat. E strato surgens, humo ter osculum fixit, ut ex pulvere se constare, et in pulverem rediturum se meminisset. Purpuram a se multis precibus et gemitibus amolitus est. *Vit.* l. IV, c. I, n. 4.

B. Aloysius nihil unquam dixit aut egit, quod ad laudem suam cederet. Vel ad suspicionem suæ laudis erubescebat. Immensum quantum vilissima quæque illum delectabant. Tanta se humilitate tractabat, ac si ex mendicatis sordibus sublatus, majorum gratia in Societatem receptus foret. Dolebat, se vehementius a Superioribus, quam alios amari. Optabat infimæ classis Grammaticæ pueris rudimenta tradere. In nulla virtute plus studii, quam in humilitate ponebat. Hinc ista ejus ad sanctos Angelos oratio : Oro vos, Angeli beati, ut auxilio vestro quasi manu dignemini me per regiam humilitatis viam deducere, quam vos primum instituistis, ut post hanc vitam una vobiscum æterni Patris faciem contemplari merear, et reponi in locum alicujus stellæ, olim per superbiam de cœlo lapsæ. Amen. *Vit.*. l. III, c. XIV.

Petrus Faber ob humilitatem suam summis, mediis, infimis amabilis admirabilisque fiebat. Rogabat Deum, ne ob suas imperfectiones Dei gloria, vel proximi salus impediretur. Optabat sibi et sociis, ut in Societate Christi scopæ esse, et appellari vellent. Cum pueris et hominibus tenuibus libentissime agebat, quia intellexit, Deo gratissimos esse labores pro his susceptos. *Vita*, l. II, c. XII. Cuidam viro, qui se Societati adjunxerat, hæc monita dabat : Sta in ultimo loco, quamdiu poteris. Sectare vilissima et abjectissima officia, ex his enim gradum optimum in Christo crucifixo tibi acquisieris. Lib. II, c. XXIII.

P. Jacobus Eguia, vir sanctus, et magni a S. Ignatio, cujus erat confessarius, habitus, dicere solebat frequenter : Qui existimat se aliquid valere, valet parum ; qui vero se putat valere multum, is valet nihil. *Hist. Soc.* p. I, l. XVI, n. 56.

P. Franciscus Villanova, 31 annorum in Lusitaniam missus est, litteras a grammatica orsurus, in quibus tamen ultra dialecti-

cam progredi noluit. Rector Compluti fere semper in culina agebat. Nolebat fieri Sacerdos, nisi bis ex obedientia jussus esset. Inter Professos ut adscriberetur, nunquam persuaderi potuit. Dialecticæ operam navans, nescio qua voce condiscipulum offendit, qui continuo Villanovæ colaphum inflixit, sed ipse mox ad genua provolutus veniam petiit.

P. Andreas Oviedo cum ei Episcopatus Jerosolymitanus nuntiatus esset, ita consternatus est, ut statim S. Ignatio scripserit, se in omnibus quidem obediturum, hac una in re non posse, se proin Pontifici scripturum, cujus tamen jussu suscepit munus.

P. Thomas Sanchez ut novitium primi anni se per totam vitam gessit, et ita haberi ab omnibus voluit. Plenus aliquando spiritu petiit a P. Provinciali, ad Novitiatum per aliquot menses remitti, eo quod minime Religiosus esset, sed sæcularis, et maxime animo dissipatus. Ita per aliquot menses ut novitius in novitiatu vixit; quin immo post quodvis postea triennium eodem modo ad novitios rediit.

Franciscus Suarez, cum ad summum litterarum famæque vestigium pervenisset, candide fatebatur, nulla animi elatione se moveri, quod sciret, plurimos esse rusticos, qui doctiores evasissent, si iisdem a Deo auxiliis fuissent adjuti. Indignum se aiebat, qui infimi coqui munus obiret. Magister et oraculum cum esset, sæpe tamen suos discipulos consulebat, suos libros eis censendos offerebat, et si quod in illis censura dignum judicarent, pari facilitate mutabat. Gravissimas persecutiones, quibus apud Pontificem, ut novitatis amans et temerarius accusabatur, tam patienter ferebat, ut nunquam vel unicum amarulentum verbum, aut vindictam redolens emitteret.

P. Antonius Suquet, Rector cum esset, detrita ac sordida lacerna quandoque indutus in triclinio mendicabat. Frequens mensæ ministrabat, lances tergebat, ollas purgabat, et cum esset Provincialis, neminem ferebat secum nudo capite agere. *Vita m. s.*

Paschasius Broetus dicebat, se viginti annis humilitatem a Deo petiisse, et tamen parum adhuc habere, sæpeque Dæmonem sibi ante faciem stercora projicere. Unde Dæmon eum propter hanc humilitatem adeo fugit, ut cum Laureti a nullo ejici posset, Paschasio templum ingresso clamaret: *Hunc timeo!* et mox aufugerit. *Hist. Soc.* p. II, l. VI, n. 94. Lutetiam tendens, cum in agro triginta homines eum pannosum conspicati ludibrio haberent, convitiis onerarent, et simulatorem deceptoremque magnis vocibus appelarent, quasi ad jucundam symphoniam baculo innixus tamdiu constitit, quousque illi finem facerent. Et dum demum placidissimo vultu quasi grates acturus dixit: Deus vobis benigne faciat, o filii, ac benedicat! Simulque crucem manu formabat. Qua illi mansuetudine emolliti, ad pedes ejus se prostraverunt, veniamque petiverunt. Idem.

P. Hieronymus Carvallius Conimbricæ solebat sub gradibus jacere, ubi tyrones ultro citroque commeabant, beatum se dicens, ibi se esse, ubi ipso procumbente terrestres Angeli transirent, quorum et decidentem pulverem beneficii loco studiose captabat. *Vit. m. s.*

P. Joannes Nunnius dicebat, se male totam vitam in catena transigere, quam Patriarcham Æthiopiæ fieri, quem tamen postea ex obedientia suscipere coactus est. *Hist. Soc.* p. I, l. XIV, n. 16.

P. Franciscus Perez tantæ erat humilitatis, ut ipse S. Franciscus Xaverius diceret, se nulli rei ita invidere, ut Perezii humilitati. Qui postea cum tanta sanctitatis opinione mortuus est, ut Ethnici etiam dicerent se, si Ethnicus esset mortuus, eum pro Deo culturos, et templum illi ædificaturos fuisse. *Annuæ Ind. Or.* 1583.

P. Christophorus Gonsalvus cum in cursu magnam sibi laudem et opinionem comparasset, effecit, ut alii putarent, parum ipsum scire. Propter quam humilitatem ad sui victoriam et excelsum orationis donum evectus est. *Vita P. Alv.*

P. Petrus Burgundus, annorum septuaginta duorum, ordinarius lector mensæ erat, coquo quotidie in lignis comparandis, scutellis lavandis, licet viginti gradus ascendendi essent, inserviit, donec paucis ante mortem mensibus omittere jussus fuit. *Ann. Rh. coll. Trev.* 1598.

P. Joannes de la Placa ex animo se omnium minimum reputabat, et tam magnum peccatorem, ut quotidie trigesies versum: *Converte nos, Deus, etc.* diceret. *Coll. Mexic.* 1602.

P. Balthasar Alvarez, etsi in collegio, quod regebat, viri graves valde religiosi eum pro rudi, illuso ac decepto haberent, ideoque scripta sua omnia Visitatori tradere juberetur, immo multa etiam falsa ei objicerentur, omnia tamen dissimulabat, et cum

magna humilitate supportabat, dicens, non esse perfectam humilitatem absque humiliatione, neque patientiam absque vehementibus congressibus et præcipuam virtutis partem in eo consistere, ut quis talibus occasionibus et opportunitatibus uti non negligat, et ipsum profectum maxime in eo consistere, ut quis noverit se bene humiliare, tolerare, tacere, exponendo etiam periculo honorem et existimationem propriam propter Dei amorem. Id quod suo exemplo confirmavit, dum in publica Congregatione ob grave aliquod delictum falso ipsi imputatum reprehensus tacuit, et propterea copiosos a Deo favores accipere meritus est. *Vit.* c. XL, § 1.

P. Bernardinus Realinus ita sui ipsius in omnibus contemptum quærebat, ut sæpe indigna se agere sit visus, quo magis suum in illis hominibus fastidium ac nauseam declararet. Verba sua sedulo pensitabat, ne quid unquam proferret, quod in laudem suam cederet. Dum novus Rector advenit, ut omnen ei de se æstimationem adimeret, totius fere vitæ, aut certe potiora peccata eidem explicabat. *Vit.* c. XVIII.

P. Martinus Delrio post adeptam in jure Doctoratus lauream, post scriptos legum commentarios, post supremum Brabantiæ senatum, Philippo, Hispaniæ Rege, jubente gestum, post jus Palatinis militibusque diu dictum, post Cancellarii regiique fisci Præfecturam, Societatem ingressus absoluto novitiatu trigesimum secundum agens annum, cum juvenibus Dialecticæ cœpit insudare, nec prius desistere, quam triennalem cursum absolvisset. Deinde Sacerdos factus Tornaci sæpe in lacera et detrita veste œconomum comitabatur, et, quæ ille emerat, stupente civitate per mediam urbem ad collegium deferebat. Immo etiam ad mensam legebat, et voces accentusque ad correctoris arbitrium publice repetere et emendare solebat. *Vit.*

P. Franciscus Cordubensis, filius Ducis Cardonæ et Segoviæ, Rector item Salmanticensis Academiæ, Societatem ingressus in Philosophiæ cursu omnia sua tegebat. Et cum acris esset ingenii ac judicii, sæpe studio inepta aliqua dicebat, ut stultus haberetur. Hinc condiscipulum, qui vere credebat, illum talem esse, et propterea irridebat, et vexabat, præ reliquis amavit, eique se associavit. *Vit. P. Alvar.* c. XXX.

Christophorus Gonsaluvs, quia magan laude studebat, ideoque vana gloria tentabatur, ineptis quæstionibus et responsionibus studio datis effecit, ut paulatim omnem de illo opinionem alii deponerent eruditionis. Sed ab illo tempore ad excelsum orationis donum et conjunctionis cum Deo pervenit (v. n. 17.) *Vit. P. Balth Alva.* 46.

P. Antonius Bellos splendide in sæculo uxoratus, et Societatem dein ingressus cum pueris in scholis grammaticam repetere, quam privatim maluit, immo cum iisdem etiam disputare non horruit. *Ann. Tolet. coll. Bilbilit.* 1614.

P. Hieronymus de Zagoroza grammaticam 36 annis, Hispali, P. Nicolaus de Russ. 27 docuit Cordubæ; P. Michael de Rayno 20, P. Joannes Alphonsus 22, Madriti; P. Ildephonsus Munnoz 26, omnium voce sanctus. P. Robertus Caissotus sexagenarius jam senex summo studio contendit, ut rudimenta docere posset, et obtinuit. P. Melchior Vitrimontanus 20 annis rudimenta docuit. *Annuæ Prov. Tol. Col. Mant.* 1614. *Madr.* 1586. *Orpesan.* 1612. *Ann. Tolos. Coll. Maurit.* 1610. *Mon. Col.* 1616.

P. Joannes Baptista Martinez emeritus jam senex, socii loco cum Patribus ad ægros ibat. *Coll. Carav. Prov. Tol.* 1634.

P. Laurentius Brixianus annorum 76, ultimis quindecim annis solus triclinium curavit, et semper super mensam legit. *Annuæ* 1668.

P. Bernardus Colnagus, publicus Neapolis Theologiæ professor, postquam cum facultate Superiorum vestem centonibus consutam, a qua natura illius valde abhorrebat, per primarias urbis plateas portavit, ideoque ab aliquibus in insaniam cecidisse judicatus est, a Deo copiosissimis donis remuneratus et honoratus est. LANC. opusc. VIII, s. III, n. 19.

P. Antonius Madridius, publicus Philosophiæ in Academia Salmanticensi professor, in Societatem admissus, statim jussus est a collegii Rectore cribro aquam e publico fonte petere, ut, quo plura afferebat doctrinæ et auctoritatis ornamenta, eo firmiora poneret humilitatis et obedientiæ fundamenta, et ille alacriter et obedienter progressus, ea notos admiratione perculit, ut quidam prope sanctum, alii plane stultum, existimarent. Nihil avebat ardentius, quam summe ab omnibus despici, pessimeque tractari. Quod cum minime succederet, abjicere ipse sese, ubique pro nihilo ducere,

nullamque prætermittere occasionem, qua sui amorem, quasi capitalem hostem, vexare ac suffigere cruci posset; hinc doctrinam tegere, imperitiam atque subrusticam affectare locutionem, libenter cum infimo quoque agere, attrito atque vili vestitu plurimum delectari solebat. *Hist. Soc.* p. II, l. VII, n. 74.

P. Joannes Berchmanus dicere solebat : Si non sum humilis, sum inutilis Societati. Hinc statuit toto anno incumbere humilitati, ut ordinate procederet in sanctitatis domo ædificanda, incipiendo a fundamento, et quia nihil arduum humilibus, nihil asperum mitibus. *Vit.* p. IV, pag. 243.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut gemma pretiosa affixa in diademate Regis, nisi affixa teneretur, statim in terram corrueret; ita et humilem animum sola vis obedientiæ et voluntas Dei in loco superiore tenet; alioqui mox iterum in terram, et nihilitatis suæ abyssum relapsurum. Jac. Alv. *de Hum.* p. IV, c. VI.

Sicut si per ostium transiens, cujus superliminare nimis bassum sit, quantumcumque te inclinaveris, non nocet, nocet autem vel maxime, si vel transverso digito te altius, quam ostii spatium aperuisset, erexeris; sic in anima non est timenda quantalibet humiliatio, horrenda autem nimiumque pavenda vel minima temere præsumpta erectio. S. Bern. 537 *in Cant.*

Sicut vinum non nisi dilutum aqua bibunt, qui temperantiæ magis sunt amantes, ne forte, si purum biberint, caput petat et rationem offuscet; ita viri sancti et humiles dona Dei non sola attendunt, ne caput nimia sui æstimatione perturbetur, sed etiam dona illa aliena esse, et cum usuris olim exigenda meminerunt. Jac. Alv. p. III, c. IV *de Hum.*

Sicut arbores et spicæ, quo magis fructibus onustæ sunt, tanto profundius se inclinant; ita viri sancti, quo pluribus virtutibus ornati sunt, tanto profundius se humiliant, S. Dorot. in ser. *de Hum.*

Sicut ad solis adventum omnes stellæ absconduntur; ita ad humilitatis ingressum in animam omnes reliquæ virtutes occultantur. Rodr. p. II, tr. III.

Sicut si rex apud aliquem suum thesaurum custodiendum deponit, is illum non ut suum reputat, sed ubique fatetur inopiam suam, nec audet dispergere quidquam ex alieno thesauro; sic ejusdem debent esse sententiæ, qui gratiam Dei sunt adepti, nempe ut humiliter de se sentiant, et mendicitatem suam confiteantur. S. Macarius, h. XI.

Sicut torrens in hyeme aquis abundat, in æstate deficit; ita humilitas prosperitate minuitur, adversitate augetur. S. Laur. Just. *ap. Rodr.* p. II, tr. III, c. XIV.

Sicut aurum adulterinum ignis absumit, bonum autem purius efficit; ita humiles aliorum laudibus humiliores, superbi elatiores efficiuntur, et omnino evanescunt. S. Greg. XXI *Mor.* c. IX.

Sicut stella in se magna, modica est in apparentia; ita humilis, licet coram Deo magnus, minimus tamen in suis oculis apparet. Stapl. *in Dom.* IV, *post Pent.* them. 5.

Sicut vasa vacua magis resonant, quam plena; ita quibus parum virtutis inest, multum se jactitant et gloriantur, secus vero, qui humilitate aliisque virtutibus pleni sunt. Ibid.

Sicut pueri homine conspecto, nihil, nisi hominem cognoscunt, non autem vestem aut dignitatem respiciunt; ita veri humiles res ipsas, ut a Deo sunt, considerant, non vero, ut mundi vanitas eas depingit. Ibid.

Sicut avicula recenter ex ovo suo exclusa, implumis adhuc et victum quærere nescia, hoc unum remedium habet, ut assiduo clamore a matre foveri petat; ita anima, per peccatum originale omni virtute spoliata, assiduis precibus et humilitate opus habet, ut a Deo foveatur et alatur. Idem in *Dom.* XV, *post Pent.* them. 7.

Sicut apes, quando aeris motus suspectos habent, lapillis sublatis per inania se librant, ne leve alarum remigium præcipitent flabra ventorum; ita humiles, qui a vanæ gloriæ vento sibi timent suarum culparum consideratione assumpta, mentis suæ cogitationes librant, ut quantum vana laus elevare potuit, tantum alia deprimat. S. Ambr. l. II, *de Virg.*

Sicut e vasis liquorem aliquem recipientibus aer inanis expellitur; sic qui in Philosophiæ, vel potius humilitatis studio veris implentur bonis, fastum exuunt, mitioremque de se concipiunt opinionem. Plutar. *in lib. de Prof. morum.*

Sicut sol, cum altissime in Zodiaco provectus est, tum tardissimi motus est; ita quo fortuna te subvexerit altius, hoc oportet

animo leniori mitiorique esse. ROTEROD. *de Institut. Princip.*

Sicut Rex aliquis sapiens et potens filiam primogenitam, quam unice diligit, dum solemni pompa in urbem aliquam ingressum adornat, non imponit equo ferocienti, sed mansueto et tractabili; ita Deus gratiam primogenitam in virtutibus, dum in animam ingredi et pro dignitate coli ac haberi vult, illam humilitati, velut mansueti jumenti dorso, insidere vult, ac perpetuo sibi comitem retinere. PENNEQ. p. II, *Isag.* c. XVIII, n. 5.

Sicut si phiala crystallina radiis solis illuminata pulchritudinem, quam ab illorum radiorum collustratione recipit, sibi suæque industriæ tribueret, graviter insolesceret, et quod suum non est, stulte sibi arrogaret, multum accresceret ejus impudentia, si non tantum lucem, sed etiam substantiam suam a sole accepisset; idem nobis accideret, si de aliquo gloriaremur, qui omnia a Deo accepimus, et ex nobis sumus mera privatio omnis boni. Idem, disc. I, n. 2.

Sicut stella quanto altius in cœlo situatur, tanto minoris apparet quantitatis; ita quanto vis major est in gratiis apud Deum, tanto minoris debet apparere vanitatis, et majoris humilitatis. *Summa prædic. apud Mansi* dis. XIX, n. 8.

NECESSITAS. — Sicut is, qui magnas et magnificas ædes est ædificaturus, conveniens facit fundamentum, ut eam, quæ postea imponetur, possit ferre molem; ita nimirum etiam Christus, cum ingens illud ædificium Philosophiæ in illorum animabus erigeret, tanquam fundamentum, et basim firmam et immobilem, cohortationem humilitatis ponit prius; cum probe noverit, postquam hæc in auditorum mentibus radices egerit, reliqua omnia virtutum genera ædificari tuto posse. S. CHYST. *in serm. Paul. vocatus.*

Sicut de terreno fonte, et corporali fluvio non potest aliquis bibere, nisi se voluerit inclinare; ita et de vivo fonte, Christo, et S. Spiritus fluvio nemo aquam vivam haurire poterit, nisi se humiliter inclinare voluerit, propter illud quod scriptum est : Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. S. CÆSAR. ARELAT. h. XXXIV.

Sicut vinum citius virtutem perdit, si clausum in vase non steterit, sed evaporare poterit. Similiter aromata, si teneantur aperta, perdunt virtutem et efficaciam. Similiter ignis cito extinguitur, nisi cineribus cooperiatur; ita homo cito omnia bona perdit, nisi ea sub humilitatis cinere cooperiat; sic enim per humanam laudem evanescere possent. S. BONAV. *s. de uno Confess.* Id quod Isaias Abbas ita elocutus est : Sicut vinum, nisi in locis subterraneis aut vasis fictilibus conservetur, evanescit et acescit; ita omnes hominum labores vani sunt, nisi in humilitate conserventur. ISAIAS *Abb. orat.* XII *de Vino.*

Sicut dolium, nisi pice undique illitum fuerit, vinum non potest continere; ita, nisi cor humilitate et castitate muniatur, et nullas habeat vitiorum rimas, Dei non potest esse domicilium. Ibid.

Sicut arbusta levi vento concutiuntur et evelluntur, nisi firmam in solo radicem fixerint; ita, qui in humilitate bene radicatus non fuerit, quovis detractionis aut contradictionis vento facile turbatur et destruitur. S. GREG. l. VIII *Mor.* c. XXXV.

Sicut pistor, nisi velaret oculos jumenti ad molam circumeuntis, hoc ad frumentum se converteret, laboresque absumeret; ita, nisi homo sibi ipsi per humilitatem oculos velet, ne videat bona sua, per vanam gloriam ac complacentiam destruet illa. *Vit. PP.* l. V, *libell.* XV, n. 80.

Sicut flos ita a radice dependet, ut, si illa truncetur, hic exsiccetur; ita virtus, quæcumque demum illa sit, si in humilitatis radice non perseverat, statim exarescit. RODR. p. II, tr. III, c. II.

Sicut vestem pretiosam cum in publico ponimus, plurimos ad insidias provocamus; si vero domi recondamus, in tuto cuncta servabimus; sic, si opes virtutum palam quasi venales assidue portemus in mente, inimicum irritamus ad furtum; si vero nemo alius id sciverit, nisi quem nulla occulta latent, tutissimo in loco consistent. S. CHRYS. *in Matth.* hom. III.

Sicut corpus, sive calori, sive frigori obnoxium sit, vestimento indiget; ita et anima perpetuo humilitatis indumento habituque indiget. S. EPH. *de Vit. spir.* c. LXIV.

UTILITAS. — Sicut quo plus demis de quantitate continua, v. g. ligno, tanto magis quantitas discreta, seu numerus, augetur; ita quo minus sibi per humilitatem homo attribuit, tanto magis gloria divina crescit. EUS. NISER. in l. *de Adorat.*

Sicut fractus aut detritus nummus diffi-

culter accipitur, si solitarius sit, secus vero si in magna quantitate immixtus offeratur; ita si quis, licet vilis, sociorum bonorum numero magno jungatur, minime displicebit Deo, aut rejicietur ab eo. *Hist. Soc.* p. I, l. XVI, n. 92.

Sicut ignis diu conservatur in cinere, ita charitas in humilitate, quæ, ut aliarum virtutum, ita charitatis custodia est. GRAN. *f.* 613, Vid. *Humil.*

Sicut omnium ferarum venenatarum sensibilium interemptor est cervus; ita intellectualium ferarum interfectrix est humilitas. S. CLIM. gr. XXVI.

Sicut fulmen dura et obsistentia sibi diruit, blanda vero et sponte cedentia non lædit; sic Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. GRAN. V. *Humil.* f. 614.

Sicut servus vilitatis suæ conscius nullum domini sui imperium recusare audet; ita nec, qui vere humilis est, Dei mandata violare præsumet. Ib. f. 615.

Sicut prima cura ejus, qui ceram vel ferrum in varias figuras transformare desiderat, in eo ponitur, ut materiam emolliat; ita quicumque mores suos ad Evangelicæ legis formam transformare cupit, animum virtute humilitatis mollire debet. Ibid.

Sicut valles aquosæ sunt fructuosæ, umbrosæ, et calidæ propter solis ardorem magis conclusum et aquarum defluxum, propterque vicinos montes; ita animæ humiles propter charitatis decursum, ejusdemque conclusæ ardorem et vicina Sanctorum exempla, quæ intuentur, sunt perpetuo bonorum operum ac virtutum feraces. STAPLET. in *Dom.* IV, *post Pent.* them. 5.

Sicut materia prima omnium formarum capax est, quo autem quæque materia plures jam habet formas, tanto pauciorum est capax; sic anima humilis nihil sibi attribuens omnium cœlestium gratiarum capax est, et sic tabula rasa omnes a Deo figuras capit. Idem, in *Dom.* X, *post. Pent.* them. 8.

Sicut homo liberalis maxime delectatur eorum consortio, quibus se liberalem præstare potest, et sicut fontes et flumina non per acclivia decurrunt, nec montes petunt, sed per declivia et valles labuntur; sic omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum descendens a Patre luminum, in humiles, non elatos animos cadit. Ibid.

Sicut naturæ indagatores fontem esse aiunt, in quem accensæ faces immersæ extinguuntur, extinctæ accenduntur; ita Deus arrogantes, spiritu superbiæ accensos, inanes et egenos efficit, humiles vero tanquam incognitos et omnium egentes suis donis gratiisque locupletat. BEIRLINCK *in fest. S. Jacob.* them. 1.

Sicut remora, licet parvus sit pisciculus, maximæ tamen navis cursum in medio oceano sistit; sic oratio animæ et Deum iratum placat, et Dæmonis tentantis vires, ne ulterius progrediantur, cohibet. Ibid.

Sicut natura non patitur vacuum, quin illud repleat, sic nec gratia humilem, quin se illi infundat. Humiliare, o homo Dei, evacua cor tumore elationis, quia tanto perfunderis abundantiori gratiæ suavitate, quanto mundior fueris a fœce præsumptionis. S. LAUR. JUST. *de Ligno Vit.* c. III.

Sicut, si quis puteo profundo circa meridiem versaretur, facilius inibi stellas contemplari, aut ad minus magis limpide cœlum intueri poterit, quam quicumque alius supra altum existens montem; cujus hæc ratio est, quia, cum nulla lux oculos circumdet, qua mediante virtus visiva dispergatur, consequens est, ut eadem potentia magis confortetur, ad respiciendum procul dissita; e contra vero alius, qui virtutem visivam disgregatam habet, nihil tale videre possit; ita quoque in præsenti dicere possumus, quod, quanto quis se profundius per virtutem humilitatis demittit, tanto magis dispositus sit, ut bona cœlestia videat, majoremque Dei et sui ipsius notitiam acquirat, talis enim in proprio nihilo concentratus est, neque a bonis terrenis divertitur. Unde Sanctus Thomas de Villanova ait: Hæc sola virtus omnium donorum et gratiarum capacem animam facit. Unde, Jacobo teste, humilibus nobis Deus dat gratiam. MANSI, disc. V, n. 8.

Sicut muscum in locis fœtentibus recuperat odorem; sic humilitas fragrantior efficitur, cum quis considerat propriam vilitatem. S. BON. *in Dict.* tit. VII, c. I.

Sicut, qui thesauros effodit, terram rejicit, foveam in altum facit; sic qui thesauros sapientiæ reperire desiderat, in se foveam agat. S. LAUR. JUST. l. c.

DIGNITAS. — Sicut habet multitudo vitiorum regem, seu reginam, superbiam; sic virtutibus regina est humilitas, quia dicitur hæc caput sive primatus virtutum cæterarum, eo quod initium est et prima, quæ ex omnibus virtutibus habetur et, quoniam

ipsa a fidelibus habita, custos est omnium virtutum, cum sine ipsa omnes virtutes debiles sint et inutiles; sicut a capite, quod principale est in toto corpore, omnia cætera membra reguntur, quo ablato totum corpus inutile est et quasi truncus, exanime. S. Bruno, *in* Ps. cxviii.

Sicut ignis, ut in sublimem flammam exurgat, prius deprimi multum per flabellum debet; ita humiliari nos prius oportet sub manu potenti Dei, ut nos exaltat in tempore visitationis. Stapl. *in Dom.* x, *post Pent.* them. 8.

Sicut cyphra, quæ *nulla* dicitur, in se quidem nihil valet, verum postpositam innumeris æquivalet numeris, atque ingentem valorem addit; ita humilitas, licet in se vilis videatur, juncta tamen virtutibus aliis, ingens pretium iisdem addit. Idem, *in Dom.* x, *post Pent.* them. 8.

Sicut species aromaticæ, cum in pulverem rediguntur, vehementer redolent; ita hominis bona, cum per humilitatem quasi comminuta fuerint, Deo gratiora redduntur. Beroald. *in Summ. virt.*

Sicut magistro singulare solatium est, si discipulos suos in ea arte, quam profitetur, bene proficere advertat; ita non potest Christo summopere placere, si nos in schola et arte humilitatis, quam specialiter is professus est, insignem facere progressum non advertat.

Sicut si Princeps aliquis diceret, se deinceps stabularios præ omnibus aliis famulis dilecturum et remuneraturum, omnes stabularii officium ambirent, et gauderent, quod neque Cancellarii, neque aliud altius munus ipsis obtigisset; ita, cum Christus verbo et facto promulgarit, se eos, qui vilia munera ex humilitate obeunt, præ aliis amaturum et præmiaturum, merito quisque hæc munera studiose ambire, et cum gaudio suscipere deberet. Idem.

Sicut muscum, quo occultius est, tanto fragrantiorem de se odorem emittit; ita virtus, quo magis per humilitatem absconditur, tanto amplius ab aliis æstimatur et laudatur. S. Bon. p. I, *de inf. Novit.* p. I, c. xxv.

Sicut arbor odorifera, licet fructus foliis tegat, facere tamen non potest, quin odor diffundatur; ita, licet humilitatis virtute velut foliis quis opera sua bona occultare velit, efficere tamen vix poterit, quin odore suo, id est bonitate, se prodant.

Æquitas. — Sicut, si medicus plures alicui et delicatiores cibos offerat, æger ex hoc potius humiliandi se, atque deteriorem aliis æstimandi, occasionem accipit; ita, si Deus plures cuipiam consolationes aut alia dona offerat, non superbiæ, sed dimissionis causam habet. Langiz. opusc. viii, fol. 581.

Sicut, qui ab aliis adjutus, et in manibus aliorum gestatus non ruit, non propterea præferre se aliis potest, qui sine adminiculo titubant interdum; et sicuti filius prodigus alteri seniori se non antepositum judicavit propter vitulum sui gratia mactatum; ita nec justus rarius cadens, aut alias gratias extraordinarias accipiens, propterea se aliis sæpius cadentibus, aut pauciores gratias accipientibus anteponere debet. Idem, fol. 589.

Sicut non exigua est deformitas, si in pretiosa tela aurea, fila aliquot rudia inserantur; ita non exiguus defectus est, si mixtura propriarum cogitationum, verborum et operum, quæ nos assuimus, eas, quas Deus inspirat, deformemus. Idem, l. c. fol. 389.

Sicut, si ex fructibus arboris vix unus alterve bonus reperiatur, non propterea arborem bonam dicimus; ita nec si inter fructus vitæ nostræ interdum bonum aliquod opus inveniatur, ullam propterea quis superbiendi causam habet. Ibid. et *in Vit. P. Balthas. Alv.* c. xxxix, § 1.

Sicut, si muli pretiosas res et odoriferas portant, non propterea muli esse desinunt; ita nec, si quis Personam Christi sustineat per superioratum, aut alia dona acceperit, propterea perfectior censeri debet, quam in animo sit. Ibid., fol. 593.

MOTIVA.

Christi voluntas verbis et exemplis monstrata, uti S. Petrus Damianus commendavit, his verbis: O gloriosa humilitas, per quam homo vere discipulus efficitur Salvatoris! Qui idem in sermone quodam de S. Michaele significantius loquens dicit: Hæc sola virtus virtutum nutrix, quam solam in Virgine Matre respexit Altissimus, cujus, quamdiu conversatus est in terris Filius Dei, et executor extitit et Magister. S. Petr. Dam. l. II, op. xiv. et ser. *de S. Michael.* Hinc Beata Angela de Fulgineo sic loquentem introducit: Discite a me, non ab Angelis, non ab Apostolis, sed a me, cujus

humilitas tanto major, quanto Majestas mea sublimior. Discite a me, non dixit jejunare, quamvis ad exemplum nostrum quadraginta diebus et noctibus jejunaverit; nec dixit, discite mundum spernere, nec in paupertate vivere, quamvis ipse in maxima paupertate vixerit; nec dixit, discite a me quomodo cœlum feci; nec dixit, discite a me miracula facere; sed hoc solum, *quia mitis sum, et humilis corde;* quasi dicat : Si non facto et opere vobis humilitatis exempla monstraverim, nolite credere mihi. Bollandus, 4 Jan. Et similiter Sanctus Bernardus : Non ad doctrinam Patriarcharum, non ad Prophetarum libros ego vos mitto, sed me vobis exemplum, me formam humilitatis exhibeo. Inviderunt mihi altitudinem, quam habeo apud Patrem, Angelus et femina, ille potentiæ, illa scientiæ; vos autem æmulamini charismata meliora, discentes a me, quia mitis sum, et humilis corde. S. Bern. *ep.* xlii.

Necessitas; tum quia, teste Joanne Abbate, humilitas est fundamentum primum omnium virtutum, in qua omne ædificium spiritale exstructum crescit in templum sanctum in Domino; tum quia sine humilitate nullus penitus vitii poterit triumphus acquiri. Et teste Cassiano, id quod S. Antonio clarius ostendit Deus, dum mundum laqueis irretitum monstravit, et ad quæstionem : Quis evadet? respondit : Humilis. Nempe humilitas est similis acuto gladio, qui defendit et vincit omnes inimicos, et a quo Diabolus fugit, ut S. Maria Magdalena de Pazzis, dicere solebat. *Vit.* p. IV, c. xix. Quod confirmans S. Gregorius dicebat : Uti origo virtutis humilitas est; ita illa in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est, in humilitate perdurat, a qua nimirum, si abscinditur, arescit, quia vivificantem se in intimis humorem charitatis perdit. S. Greg. l. xxvii *Mor.* c. xxvii. Hinc et S. Bernardus dixit : Nisi super stabile humilitatis fundamentum, spirituale ædificium stare minime potest. S. Bern. serm. xxxvi. *in Cant.*

Utilitas; quia est radix et causa omnium bonorum, et in qua est posita omnis lætitia, et omnis gloria, et omnis requies; hinc Christus ipse in regula S. Brigittæ proprio ore dictata dixit : Principium hujus Religionis et salutis est vera humilitas. Et S. Chrysostomus, nihil huic virtuti conferri posse, ait; ipsa enim mater, ac radix, et altrix, et fulcimentum est, ac vinculum bonorum. Hom. xxx. *in Act.* Speciatim autem duplex est hæc utilitas : Primo, *ad orationis faciliorem exauditionem;* nam, ut S. Laurentius Justinianus dixit : Nulla potest esse repulsa in oratione, quando hæc deprecantis fuerit socia, et orationis prævia, eo namque mens in oratione erit alacrior, et in contemplatione sublimior, quo in se extiterit abjectior et humilior. S. Laur. Just. *de Orat.* Rationem ulteriorem assignans S. Hieronymus : Quoniam, inquit, nos parvi sumus et humiles, et non possumus nos extendere et exaltare, propterea Dominus inclinavit aurem suam, et dignatus est exaudire nos. S. Hier. *in Ps.* cxiv. Unde hæc virtus præcipue necessaria est quiescentibus (teste eodem S. Laurentio,) et Deo per orationis exercitium vacare volentibus, quia numquam poterit quis Deo veraciter inhærere, si non fuerit hac virtute munitus. Humilitas enim et charitas sunt duæ alæ, quarum remigio usque ad interiora ingreditur velaminis, ubi verbum in sinu residens paterno, æterna virtute generatur. S. Laur. Just. c. ii. *Lign. vit.* Secundo : *Utilis est ad tentationes Dæmonis vincendas*, ut S. Ephrem indicavit, dicens : Humilitatem diligito, et nunquam Diaboli laqueis capieris; velocissimis enim humilitatis alis semper sublevatus, sublimior eris, quam ut inimici retibus capi possis. S. Ephr. *de Form. rect. vir.* Quod S. Leo exemplo Salvatoris confirmat, dicens : Tota victoria Salvatoris, qua et Diabolum superavit, et mundum, humilitate est concepta, humilitate est confecta. Hinc S. Antonius mundum laqueis undique circumdatum videns, quærensque : Quis evadet? Vocem de cœlo delapsam, quæ, *Humilis*, dicebat, audivit. Ut merito S. Chrysostomus humilitatem murum inexpugnabilem et turrim inconcussam appellarit.

Dignitas; quia nihil gratius Deo est, et hominem Deo gratiorem facit, quam humilitas; cum enim natura, teste Cicerone, nihil præstantius habeat, quam laudem, quam dignitatem, quam decus. *Tusc.* III. Et ut S. Bernardinus testatur, rationalis creatura adeo affectet gloriam, ut aut vix, aut nunquam, compesci possit ab hoc desiderio; merito rem Deo acceptissimam facere censebitur, si per confusionis actus se fama et gloria privat, et hoc modo genus quoddam martyrii subit. Id quod S. Maria Magdalena de Pazzis hoc modo declarabat : Vita nostræ carnis est voluptas et sensualitas;

mors carnis est adimere illi omnem delectationem, et gustum, et domare illam jejuniis, vigiliis et aliis asperitatibus. Vita judicii et voluntatis propriæ est disponere de se et de rebus suis proprio arbitratu ; mors ejus est, submittere hæc judicio et voluntati alienæ per obedientiam. Ita infertur mors appetitui propriæ reputationis et superbiæ, faciendo perpetuo actus humilitatis veræ et contemptus sui et occultando nos, ne cognoscamur. Et similem mortem sibi inferre debet, quisquis Deo servire cupit.

Jucunditas ; quam satis ipse Christus indicavit, dum dixit : Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Tollite jugum meum super vos ; jugum enim meum suave est, et onus meum leve. MATTH. XI, 28.

Æquitas. Quid enim æquius, quam ut vilem se reputet, et ab aliis reputari vilis velit, qui ex se nihil, undequaque vilis et humiliatus est? Quam vilitatem pulchre S. Bernardus sequentibus verbis indicavit : Quid modo necesse est, singulas animæ miserias numerare, quam sit onerata peccatis, obfusa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiscentiis, obnoxia passionibus, illusionibus impleta, prona semper ad malum, in vitium omne proclivis, postremo totius confusionis et ignominiæ impleta? Nimirum si ipsæ quoque justitiæ nostræ omnes, ad veritatis lumen inspectæ, velut pannus menstruatæ inveniantur, injustitiæ deinceps quales reputabuntur? Si lumen, quod in nobis est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt. S. BERN. *in Ded. Eccles.*

Facilitas; nam, ut S. Bernardinus ait, facile est cuique nostrum, si sua melius universa et sine dissimulatione vestiget, et judicet sine acceptione personæ, attestari per omnia Apostolicæ veritati et libere proclamare : Qui se putat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. GAL. VI, 3. Hinc ipse Christus, postquam ad humilitatem discendam jugumque tollendum invitavit, causam addidit : Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. MATTH. XI, 29.

MOTIVA SPECIALIA PRO SINGULIS GRADIBUS HUMILITATIS.

Etsi in primo § Gradus nostræ Humilitatis breviter sint indicati ; quia tamen ii ipsi gradus a S. Benedicto magna ex parte assignati, a quopiam religioso Asceta efficacissimis et utilissimis motivis, praxibus ad usum et commodum omnium humilitatem sedulo discere et practicare volentium illustrati sunt, non ingratum Ascetis fore putavi, si illa ipsa motiva et praxis huic loco inserantur.

GRADUS PRIMUS.

Despicere seipsum.

Intuere teipsum, tanquam leprosum a vertice capitis usque ad calcem pedis, horrendis ulceribus plenum, et turpissimum fœtorem usquequaque emittentem, et quid aliud est a capite usque ad calcem? Non est sanitas in carne tua, omnia plena peccatis, miseriis, sceleribus. Heu! quantum hæc scelera tua coram divina Majestate fœtent!

En quam miser, et vere miserabilis es ! Communicasti, jam ubi fructus? Toties, reliqua Sacramenta accipis, ubi fructus? Quotidie meditaris, examinas te, vota renovas, loqueris spiritualia, audis spiritualia ; sed ubi fructus? Denique, pro te ipse Filius Dei sanguinem profudit, et tamen cum his omnibus tam imperfectus, tam frigidus es Dei amator! Quam turpis ergo eris, si te tam efficacia balnea sanare non possint.

Vide ergo, quantus sis, compara omnia tua, sapientiam, vires, sanctitatem cum omnibus hominibus, qui vixerunt, et pulvis es ; compara hominum omnium, qui vivunt, sanctitatem, et cum illis electos eos, qui in cœlis sunt, et nihil erunt. Compara jam omnium Angelorum et hominum perfectionem, cum unica Dei perfectione, et minus nihilo erunt. Compara jam te unum homuncionem cum immensa illa Majestate, Potentia, Sapientia Dei, etc.

Ex omni creatura despicere te potes, aspice quidquid vis, et videbis omnia ad finem, ad quem creata sunt a Deo, toto impetu tendere, eumque acquirere, te vero so-

lum, qui solus novisti, quantus sit ille, qui Deus tuus est, ab illo malitiose te avertere. En quomodo infra omnes creaturas abjicere te debes.

Quidquid aspicis, quidquid tangis, quidquid gustas, ingratitudinis erga Deum te accusat; ambulat in libertate Dei, quidquid infra te, juxta te, supra te est, hoc vere est palpare beneficia Dei, et tamen erga profusam liberalitatem, heu! quam parcus, quam tenax es! En omnia materiam despicientiæ tibi dant.

Ex omni actione despicere te potes. Comedis? En miserum! vivere non potes, nisi comedas. Dormis? Quam hoc bestiale! es ibi, quasi homo non esses. Ægrotas? En debilitatem! Aliquid non intelligis? En ignorantiam! Erras? En impotentiam! Affligeris? Libera te ipsum, si potes.

Vide fragilitatem tuam Si peccandi occasio est, quam tepide resistis! Peccares singulis momentis, nisi Dei manus præservaret. Quam pronus ad omnia vitia! Quam parum properas ad solidas virtutes! Vere ex te nihil, nisi miseria et calamitas, etperditio, et quasi merum ulcus, ex quo nil nisi sanies emanat.

Vide, quam nobile sis compositum; quoad corpus, terræ gleba es, omnium miseriis velut gleba expositus, denique putredo et sterquilinium; quoad animam, ipsa ignorantia, in peccatis natus totus, ad peccata propendens, sæpe Dæmonis mancipium factus, mille hostibus circumdatus, quotidianis peccatis turpiter dehonestatus, et sic minus nihilo es, melius enim est non esse, quam in peccatis esse.

PRAXIS.

Hujus gradus continuus potest esse usus, illum tamen fuse exercebis, cum aliquid vacui temporis nactus, paulo fusius esse, posse, et operari tuum, secundum tres differentias temporis considerare potes. Despectio autem hæc esse debet non solum in cogitatione, sed etiam in verbis et opere. Item de te ita loquaris, et ita te tractes, sicut eos solemus tractare, quos contemnimus.

Initio orationis matutinæ conferens te cum Deo ante sacrum opus ipsum, illum, cui offertur, et Ecclesiam considerans, cujus nomine offertur. Ante horas canonicas, et alias quascumque preces; in examine maxime post tertium punctum.

Ante studia attendens tuam ignorantiam, et quod mendicare scientiam a libris debeas.

In mensa considerans, quam vilis sis, qui sine istis vitam transigere non potes, ac proinde ab ipsis dependes, vitam ab ipsis emendicans. Hic etiam occasio est contemnendi te realiter, ut scilicet nihil ad voluptatem, sed solum ex quibus tuæ indigentiæ possis occurrere, expetas.

Quamcumque creaturam aspicias, licebit in ea aliquam perfectionem cernere, qua tu ex toto, vel ex parte cares, et aliquid ab ea discere, ex quo ad tui despectionem progredi possis.

Vesperi decumbens, et mane surgens, quod tantum temporis sine sensu et operatione quotidie consumere debeas. In recreatione, vel alias, ubi plures conveniunt, studeas per comparationem tui cum aliis, occasionem in despicienta tui proficiendi arripere. Singula tua opera tamquam informes ursæ partus intuere. Commoditatibus in lecto, habitatione, vestitu, etc. renuntia, cogitans rem plane indignam, ut tam vilis et abominanda creatura bene habeat.

GRADUS SECUNDUS.

Diffidere sibi ipsi.

En quid in tuis viribus fidere possis, conjunge omnes animi et corporis vires, et ecce te solo, sine Deo nec digitum movere, nec gressum facere poteris; si in minimis omnino nihil potes, quid obsecro in magnis tibi fidere audebis?

Tantum nunc potes tuis viribus, quantum potuisti, cum nondum fuisti; quidquid jam ultra potes ex te, nec ullum est, omnia a Deo, sine quo organum mutum es, baculus qui se movere non potest.

Ecce Angeli tam puri, tam ob omni carnis incitamento mundi et liberi, quam graviter tamen lapsi sunt. Adam in innocentia productus, malum nullum viderat, nullum audierat et quam misere se perdidit! Tu in carne et peccatis natus es, mille hostibus cinctus, mille insidiis appetitus, quid ages? Illorum tam robustæ vires uno appetitu fractæ sunt, tuæ jam ita debilitatæ quid poterunt?

Examina ergo te. Quidnam in te sit? Cui fidere possis? Ingenium? Ah! quam obscurum, quam cum omni labore debile!

Voluntas? Decies mala vis, quam semel bonum. Intellectus? Ipsa cæcitas, ipsa ignorantia est. Corpus? Ipsa debilitas est. Modus tuus agendi? Sæpe cum putas te aliis illo modo placere, mireillos offendis.

Experientiam consule. Si tristis es, si tentatus es, agendum, si quid potes; fac te lætum, libera te. Deinde quam multa bona proponis, et quid præstas? Hodie ardes desiderio virtutum, cras omnis desiderii oblitus es. Si quid potes, cur non peragis, quando boni quid cœpisti? Centum bona desideria habuisti, et non unum perfecisti.

Omne robur tuum a Deo est, actionem nec unicam sine Deo elicere potes. Omnia bona a solo Deo velut mari procedunt. Ex te vero nil, nisi nihil et peccatum. Perditio tua ex te, Israel, a me tantummodo auxilium tuum. Osee III.

PRAXIS.

Sæpe revolve illud S. Pauli: Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis. Et illud S. Joannis: Nemo potest dicere, *Dominus Jesus*, nisi in Spiritu Sancto. Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri. Item: Sine me nihil potestis facere.

Ante quodcumque opus, maxime si paulo gravius sit, coram Deo propriam infirmitatem et impotentiam fatere, ejusque auxilium enixe implora. Id potissimum fiet in operibus manifeste supernaturalibus, ut ante orationem vocalem et mentalem, examina, Missam, etc. Cave ne, cum proximo converseris, eumque in bono ædificare studens, industriæ et gratiæ conversandi innitaris, sed potius totam spem tuam pone in Domino, qui est Dominus cordium.

Item adverte in admirando pœnitentiæ Sacramento, dum pœnitentibus remedia præscribis, aut salutaria alia monita communicas. Hanc diffidentiam in ipsis verbis exprimere stude, numquam absolute dicendo: *faciam hoc vel illud*; sed semper addendo, *cum divina gratia*, et perfectior modus loquendi esset ille S. Pauli: Non ego, sed gratia Dei mecum, id est, gratia Dei utens me, tamquam instrumento.

Numquam aggredere aliquod opus, maxime, si habeat aliquid arduitatis, nisi præsumere possis, id Deum velle, ita superioribus, et ipsa Instituti ratione exigentibus; nisi enim Deus id a te fieri velit, gratiam non subministrabit, ac proinde tu tibi relictus nihil effectum dabis. E contra tamen, si advertas Deum aliquid velle a te, quantumvis arduum et excelsum sit, fidenter aggredere. Deus enim, qui Prophetam per os asinæ docuit, totumque orbem super nihilum statuit, frequenter solet imperitissimis instrumentis ad magna perficienda uti, ut eo major ipsi exinde resultet gloria.

Occasiones peccandi maximopere fugias, et maxime aspectum, colloquia feminarum, per quas cedri Libani computruerunt.

Eadem de causa cor tuum ab aspectu erga elegantulos juvenculos abstrahas. Hic enim etiam aspectus, præterquam quod magnam inordinationem causet, disponit quodque ad priorem, et reddit multa Societatis ministeria minus pura, minusque grata.

In omnibus tuis propositis maxime adverte, ut, si ea vis esse proficua, et sortiri effectum, illa in divino auxilio fundes. Aliorum judicium sæpe exquire, et sequere. Non fidas memoriæ tuæ, verba Canonis, Consecrationis nunquam memoriter pronuntiabis.

GRADUS TERTIUS.

Reputare se divinis donis indignum.

Cogita te esse vas spurcissimum, immundissimum et plenum adhuc fœtentibus sordibus, etc. contra donum Dei etiam minimum esse purissimum, plenum splendore et pulchritudine. Quid jam mirum, si Deus in tam turpe vas tam nobiles gemmas infundere nolit?

Recordare, quoties, cum tibi Dominus dona sua ultro offerret, tu tamen illum cum donis suis, ah quam turpiter! abegeris et neglexeris, aut si accepisti, heu! quoties contra ipsum Dominum tuum illis abusus fueris, dignumne te jam putes vel una gratiæ guttula?

Itane divinis donis dignus? Quid ergo Deo dignum, dignum remuneratione egisti? Si per totam vitam in ferventissimo amore et perseverantia Deo servisses, nihil dignum in conspectu ejus egisses. Nunc, cum per totam vitam scelera sceleribus cumulaveris, beneficio adhuc et dono dignum te æstimes? Quantus, quantus es Dei debitor, et cum tot milliones debeas, nec obolum adhuc solvisti, et tamen dono adhuc dignum te credis?

Quid miraris, te non his talentis a Deo dotari, quibus alii? Uti non potes, sic ut alii. Videt Deus, si tibi hoc vel illud daret,

illa non in gloriam, sed in pœnam tuam, cessura, quia videt te illis abusurum. Cur ergo furioso gladium det?

Vide, utrum dignus sis divinis donis, quia ea tam indigne tractas. Dat tibi Deus in meditatione aliquem ferventem conceptum, Et mox ex capite tuo duodecim alios astruis, qui illum omnino obfuscent, et uni verbo, quod tibi inter loquendum inspirat, viginti quatuor inania addis; sicque semper nobilissimam Dei telam crassis tuis filis turpiter obscuras.

PRAXIS.

Mane surgens cogita te indignum eo die, quem accipis; ante quamvis orationem indignum, qui cum Deo agas.

Ante Sacrum et horas Canonicas indignum, qui annumereris inter minimos Dei ministros, is tamen te in præcipuis et familiarissimis habeat. In mensa indignum pane, quem comedis. Vesperi indignum quiete, qui non laborasti.

In ariditate indignum consolatione, cum peccata tua mereantur omnia pœnarum genera, et in hac, et in altera vita.

Cum vides alios præclaris talentis dotatos, gratias age Deo, quod ea tibi non dederit, utpote qui illis male fuisses usurus, ac proinde damnationem tibi ex iisdem cumulaturus.

Cum tibi quacumque ratione male est, cogita, te indignum esse meliori statu, et pejora promeritum.

Donis, quæ a Deo accepisti, diligenter et solerter utere, cogitans, una cum ipsis tibi impositum onus de iis strictam reddendi rationem.

Cum vides aliis a Superioribus multa concedi, te autem negligi, gaude, quia tractaris tanquam hujusmodi rebus indignus, ut revera es; si autem et tibi similia concedantur, vel confundere ob Superiorum vel aliorum bonitatem, eo quod indignitatem tuam agnoscentes, tamen eam attendere nolint; vel dole, quod indignitas tua iis nota non sit, quam forte. per hypocrisim tegis, et talibus rebus vel non utere, vel, si aliter non potes, saltem utere parcissime.

GRADUS QUARTUS.

Se omnium minimum æstimare.

Certo scias, si aliis Deus hæc fecisset, quæ tibi fecit, si tantis donis et illuminationibus prævenisset; jam in culmine perfectionis starent, et tu adhuc ad radicem jaces. Vere ergo omnium minimus es, qui omnium minime Dei donis uteris.

Profecto, si Deus me in illa scelera permitteret ruere, ad quæ natura propensus sum, aut nisi Dæmonis aut carnis tentationes a me averteret, jam in infimum peccatorum barathrum ruerem, et omnes peccatores peccando superarem; nam ecce illa omnia peccata, quæ omnes et singuli homines fecerunt a condito orbe, ego, nisi me Deus custodiret, solus facere potuissem. An non ergo me omnium minimum vere æstimabo?

Sane nulli me præponere possem; forte enim ille ipse, quem ego minorem me æstimo, in conspectu Dei multis partibus sanctior est, ego enim externa aspicio, cor autem Deus intuetur.

Vere multis imperfectionibus abundo, quas tantum ego scio, et quot sunt, quas nescio? Et tamen his quam multi carent, et vix nomen sciunt, aut si forte quasdam habent, Deo tamen non ita displicent, atque meæ, utpote qui ob tanta beneficia fidelius deberem et ferventius, quam alii, servire.

In quolibet ferme videbis aliquas virtutes, quas scis te non habere; merito ergo te minorem omnibus existimabis.

PRAXIS.

Latisssime patet hic actus. Quamcumque actionem sive spiritualem, sive materialem, perficias, cogita, te ex omnibus, qui illam tecum, vel alio tempore, agunt, agere imperfectissime.

Quotiescumque apud viros doctos, spirituales, etc., reperiris, cogita, tuam virtutem et doctrinam illorum dotibus minime comparari posse.

Cum alios in spiritu vel litteris instruis, et hic cogita, te illis minorem, vel quia alia habent, quæ multis partibus compensant vel superant ea, in quibus at te superantur,

quia illo parvo, quod habent, bene utuntur, tu male; vel demum considera te secundum id, quod habent a Deo.

Numquam in ulla re te alteri spiritualiter, et absolute præferas, sed si aliter non potes, accurre ad occulta, quæ sæpe sunt in homine, et quia tecta sunt, non apparent, vel Deo ita disponente, vel ipso homine humilitatis gratia occultante. Singularitates non solum non quære, sed nec a Superioribus oblatas accipe.

Cum nullo unquam de præcedentia, sub quolibet prætextu, contendas, cogitans, tibi ut minimo minima et infirma convenire.

Cum diversitas est sententiarum in agibilibus, vel aliis, inter te et alium quempiam, memento, ut tamquam minimus semper cedas. Non velis Superiores alia ratione tecum agere, quam solent cum minimo coadjutore aut novitio.

GRADUS QUINTUS.

Nolle honorari.

Quid, obsecro, sentiret mendicabulum aliquod plenum sordibus et squalore, si illi toti misero prætereuntes caput aperirent, honoratiorem locum darent, etc., nonne aut rideri se, aut illos oculis captos esse, crederet? Ita plane, si tu honoraris; aut enim non vident turpitudinem tuam, alias longe aliter tecum acturi essent, aut si vident, serio te non honorare possunt.

Ecce summa illa Majestas, infinita illa pulchritudo, infinito honore digna, vix tamen a millesimo homine honoratur, vix ejus recordatur centesimus. Et tu, monstrum horendum, bellua turpissima, honorari ab aliis, in aliorum memoria velle esse audebis? Siccine digniorem te æstimas Deo?

Quomodo non totus expalles, cum honoraris? Vide enim, dum te homines honorant, tamquam *sanctulum*, tu interim in conspectu Dei tamquam cadaver putridum fœtes, quomodo gaudere potes?

Contemplare, eheu! æternum illud Verbum, infinitam illam Sapientiam, ipsam Majestatem, velut stultum et mente captum, veste alba indui, et per ludibrium circa Principum domos deduci, ut illorum jocus et risus fieret. Denique aspice eumdem humili scabello insidentem, omnium peripsema fieri, omnium sputa et sanies divino illo vultu excipere. Sic mundi Conditor, et ipse orbis Redemptor, tamquam terra indignus et solis aspectu habitus est, et tu adhuc honorari, tu suspici adhuc velis?

PRAXIS.

Aliorum dicta acuta vel faceta non refer tamquam tua, sed gloriam auctori tribue. Noli habere gustum, cum alii in re aliqua tamquam exemplum te imitantur.

Cum actu ab aliis honoraris, non tibi, sed Deo, honorem talem exhiberi crede, ideoque dic cum Davide: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo, da gloriam.

GRADUS SEXTUS.

Cupere ab aliis contemni.

Talis velle debeo ab aliis haberi, qualis sum. Sum autem miser et miserabilis peccator, ignorans, turpis, et ineptus ad omnia, Deo ipsi rebellis. Hinc quid mirum, si nemo tecum agere vellet, si te præsente omnes indignarentur? Monstrum vident.

Quis tibi ægre ferret, si sterquilinium transiens, nares cohibeas? Si hominem peste aut lepra infectum etiam a longe fugias? Si stultum aliquem quid dicentem aut agentem rideas? Si hominem paralyticum ad domestica officia non adhibeas? En revera sterquilinium es, quid miraris, si alii nares cohibeant, immo pedibus te conculcent? Immo et sic nimis pretiosus haberis, dum homines super sterquilinium hoc ambulare dignantur. Pestem, tabem, vitia contagiosa habes, quid mirum, si te alii fugiant? Stultus es, ad nihil ratione et fine sancto uteris quid mirum, si aliorum jocus fias? Paralyticus es, et vere ad nihil utilis, quid mirum, si ad nullum officium adhibearis?

Cum ab aliis contemneris, cogita illos tantum partem aliquam ineptiarum tuarum et imperfectiouum videre; quid primum agerent, si totam illam vitiorum tuorum saniem viderent, parum plane adhuc agunt?

Ecce vocantem me, et monentem me in sæculo Deum, ah! quantum Deum turpiter contempsi? et proh dolor! quoties adhuc summum illum Deum, ad ostium animæ meæ stantem indigne abigo? Et hæc a me verme, non homine, quotidie patitur summa

illa Majestas, et ego homuncio, si ab homine contemnor, adhuc ægre fero? Miror, quod in me contemptu dignum videat? Puto me non commeritum fuisse?

Cupiam ergo contemni saltem, ut aliquo modo temperem indignos illos contemptus et injurias, quibus summum illum Dominum et Redemptorem meum tam indigne affeci. Cupiam omnibus postponi, ut compensem illam injuriam, qua Deo creaturas, peccatum summæ bonitati, præposui.

Deum illo ipso tempore, dum tu contemneris, ab infinitis hominum millibus negligi, sperni et contemni, considera; si ergo Deus inenarrabili laude dignus hæc a subditis suis, ab illis, quibus cœlum promittit et sanguinem suum dedit, patienter fert, immo illo ipso momento illos alit, et a multis periculis defendit, quid ergo, Deus bone, ægre feram, si turpe monstrum nonnihil ab homine contemnar?

Contemni, vilifieri, tanta dignitas est, ita ut, si contemneris, præ humilitate erubescere debeas, quod Deus ad tantum dignitatis fastigium evehere te dignatus sit; nam vide quid dignius, quid magis majestate plenum, quam ipsi Christo orbis Redemptori similem fieri? Similis magis fieri non potes, quam cum sis opprobrium et abjectio plebis.

PRAXIS.

Gaude, cum tua consilia, facta, dicta carpuntur vel contemnuntur. Gaude, cum a superioribus, æqualibus, aut etiam inferioribus nullus tibi exhibetur amor aut favor, animaque tua apparet insipida. Noli studere, ut ignorantiam tuam in re aliqua obtegas aut dissimules, sed eam potius prode, ut inde contemnaris.

GRADUS SEPTIMUS.

Nolle laudari.

Aut me laudant ob mala opera, et abominatio est, aut ob bona. At si ex bono illo opere demere vellem, quod bonum non est, vix aliquid boni remaneret, tam opera mea bona plena sunt tepiditate negligentiisque, amore proprio, superbia, vere tamquam pannus menstruatæ, in quo vix aliquid solidum elucet; et hæc laudem mereantur? Timere potius debes de tali opere, quam gloriari.

Vere, dum laudes ab hominibus ob opera mea affecto, fur sum spiritualis et sacrilegus. Quid enim? Cujus auxilio, cujus ope, cujus viribus hoc perfeci? Nonne solius Dei gratia? Soli ergo illi laus, illi honor convenit; fur ergo sum et sacrilegus, dum laudem uni Deo debitam mihi furor; o scelus!

Et si ita feceris semel actum bonum, ergo ne laude dignus? Si quispiam mille milliones alteri deberet, et præ paupertate solvendo non esset, semel vero obolum solveret, an superbiret ille, quod domino suo tam belle satisfecerit? En quantum debes Domino Deo tuo? Ecce si a mundi creatione ad hanc horam vixisses, et omnes capili capitis tui, omnia ossa tua, quidquid in te est, Deum ardentissimo amore dilexissent, et tu totus amor fieres, nondum tamen pro unica gratiæ guttula Deo satisfecisses, dum frigidum aliquem actum elicuisti et putas, te ab omnibus laudari debere, quasi nescio quid boni in Deum contulisses?

Quid laudari volo, quod, cum peccare potuissem, non peccarim, etc.? Nonne stultum esset, si quis in foro proclamaret, se rem heroicam fecisse, quod domesticos suos non occidisset? Ita est, teneris hoc facere, quid ergo magni momenti, si facias? Aut si bonum opus fecisti, decies et multo sæpius Deum offendisti?

Merito nihil facere debes hominum laudes. Fallunt et falluntur; scis et expertus es, sæpe te in illa re, ob quam te laudabant, omnium minime potuisse, aut egisse, aut etiam illam rem non intendisse; et quam inconstans laus?

Aut, qui te laudant, et suspiciunt, homines sunt vulgaris vitæ, aut sanctæ. Si vulgaris, impossibile est, ut tua opera illis tantopere placeant, quibus ipsa perfectio, nempe Deus, non placet. Si Christus cum omni sua sanctitate fatuus et dæmoniacus audiit, tu apud illos sanctus eris? Si sanctæ, aut specie tua externa falluntur, aut, quia humiles sunt, etiam patibularios se meliores credunt.

Heu! quam Christo dissimilis sis! Cum laudaris, toto corpore exhorrescere deberes, et pro magna pœna a Deo ob peccatum aliquod admissum reputare. Revera hæc via Christi non est laudari, sed via Christi est sperni, vilifieri, contemni. Quis ergo tibi animus erit, si laudaris, dum vides, te a

Christi tui via, quasi indignum illius consortio, extrudi. O quam gravis pœna est amatori Christi, a Christo suo tam dissimilem fieri! Expallescere deberem, non erubescere, cum laudor.

En stultitiam inauditam, adest Christus, Regnum æternum pro bono opere dare vult; adest homo, et laudem promittit statim perituram, mox tu laudem momentaneam aspicis, et pro æterno illo præmio permutas. Si adeo gloriam affectas, cur non æternam potius, quam breviter duraturam?

En Deus, qui cœlum et terram creavit, tanta opera, tantam machinam; qui omnia agit infinita perfectione, tamen vix ob hæc ab ullo homine vere laudatur, et tu, si exiguum aliquod opusculum facis plenum sordibus et tepiditate, laudari cupies?

PRAXIS.

Actiones tuas virtuosas, maxime si paulatim extraordinariæ essent, et quidquid aliud existimationem tibi parare posset, studiose abscondas.

Time, cum laudaris, ne tibi ea a Deo loco præmii tuorum bonorum operum submittantur.

Frequenter cogita, quam vanæ sint humanæ laudes, non solum, quia sunt bonum extrinsecum in honorante existens, angustæ et ratione temporis, et ratione personarum, sed etiam homines illud laudant et æstimant, quod illis placet, quandoque magni faciunt, quod plerumque ineptissime. Fuge quidquid in ministeriis speciosum est.

Cogita, quanto magis laudem a Deo quærere debeas, ut qui solus intentionem, a qua omnis bonitas actionum dependet, cognoscit, et cujus judicium pluris faciendum est, quam judicium omnium hominum et Angelorum. Unde dicendum cum Propheta: Sana me, Domine, et sanabor, quoniam laus mea tu es. Aut cum Philosopho quodam: Hæc ego non multis, sed tibi; sat enim magnum alter alteri theatrum sumus.

GRADUS OCTAVUS.

Defectus proprios libenter detegere.

En stultitiam et detestandam superbiam! Coram Deo, coram divinis oculis peccare non erubesco, coram hominibus fateri erubesco Si Deus videt, non curo; si homines audiant, confundor. Nonne hoc est pluris hominem, quam Deum facere?

En si defectum in corpore habes, curris et patefacis omnia, ut saneris; si vulnus in anima habes, abscondis. Nonne hoc est velle perire?

Eo et libentius defectus meos patefaciam, ut alii ex vitiis meis et tot imperfectionibus eo magis Deum laudent, quod me sceleratum tamdiu patiatur.

PRAXIS.

In confessione peccata tua sincere, prout sunt, sine palliatione explica.

Superiori tuo conscientiam totam detege, etiam sine sigillo confessionis.

Gaude defectus tuos publice promulgari, et pœnitentiam tibi propter illos injungi.

Eos, qui defectus tuos aliis detegunt, pro benefactoribus agnosce, velut illos, qui de macula in vultu monent, ama propterea illos, et gratias age.

GRADUS NONUS.

Deo se subjicere.

Perpendam ineffabile Dei beneficium, qui cum videt me, mihi ipsi dominum et rectorem esse non posse, sed velut infantem cultro in perniciem meam uti; ipse meus Dominus et rector esse vult, et ad suam voluntatem me totum dirigere. Quam gaudens me jam illi subjiciam, et me totum velut infans nutrici tradam?

Quid est Deus? Potentia, Majestas, Sapientia, Justitia, Bonitas ipsa. Quid sum ego? Impotentia, vilitas, ignorantia, peccatum, malitia ipsa. Si jam dignum est, ut homo impotens homini potenti, vilis magnifico, etc. se subjiciat, quomodo ergo potentiæ infinitæ terræ gleba me subjicere debebo? In minimum terræ foramen me abdere deberem.

Cogitabo, Deum, quidquid mecum fecerit, errare non posse, omnia providere, omnia ad majorem suam gloriam dirigere, et, quia infinite bonus, omnia ad nostram utilitatem derivare; faciat ergo mecum, quidquid velit, exaltet et deprimat me, sanet et affligat me, faciat ex hoc luto divinus figulus, quidquid velit.

En omnes reliquæ creaturæ subjiciunt se Deo ad nutum ejus, et tamen non noverunt, quam magnus ille sit, cui se subjiciunt; ego novi, ego experior, et solus dico : *Non serviam.* Væ !

Quantus, quantus sum, Dei sum, meus non sum, omnia in me illius sunt, ille fecit me, et non ego me; immo cum perdiderim me, ille redemit me; de me ergo disponere nil possum, quia meus non sum, ergo Patris sum; servus sum, ergo Domini sum; redemptus sum, ergo Redemptoris sum; creatura sum, ergo Creatoris sum.

Erubesce ex animo, quod ipse Deus se tibi subjiciat, et vel ad unicum nutum tuum se tibi infundat, ad te, quoties vis, veniat. Et jam tu?

PRAXIS.

In omnibus occasionibus studiose voluntatem Dei bonam, beneplacentem et perfectam inquirere.

Eidem suam voluntatem magna cum æquanimitate conformare.

Gaudere, quod summa ejus voluntas in te semper adimpleatur.

Optare et procurare, ut alii etiam se eidem perfectissime conforment.

Dolere, quod tam multi peccatores tantæ Majestati se subjicere, eamque, ut par esset, venerari nolint.

GRADUS DECIMUS.

Subjicere se omnibus.

Ecce Deus non solum Matri suæ et S. Josepho obediens fuit, et se subjecit, sed ipsis peccatoribus, ipsis carnificibus, immo ipsi Dæmoni, dum ab ipso in montem excelsum et pinnaculum templi ductus est. Et tu adhuc putas inconveniens esse, te homuncionem hominibus subjicere. Item Deus tamquam subditus tributum dat, tamquam impotens a facie Herodis fugit.

Contemplare in omnibus hominibus Deum existere, illos totos occupare, quanta ergo superbia sit, non se subjicere illis, quibus ipse Deus se subjicit, et in quibus habitat.

Perpende, omnes homines ineffabiliter a Deo diligi, præsertim Religiosos esse magnos in conspectu Dei, esse aulicos, esse consiliarios, filios Dei, et ego fœtidissimus tantis me non subjiciam? Qui olim fulgebunt, etc.

Perpende attente, omnes Fratres tuos esse magnos benefactores, et Deum propter illorum preces et merita inhibere justitiæ gladium, quo te alias juste percuteret; illos esse, propter quorum preces et merita multa tibi dona dat, a multis periculis te liberat. Quis itaque animus tibi esse debet, cum talem Davidem aspicis?

Certo scias, te justo Dei judicio infernum meritum esse sceleribus tuis, ubi inter infernales illos socios, Dæmones, et damnatos æternum arsisses. Jam vide, ponit te Deus (qui inter Dæmones æternum ponendus esses) inter nobilissimos amicos suos, inter electos suos. Nonne jam omnium pedibus te subjicias, nonne te velut lurconem aliquem e patibulo liberatum inter hos aulicos reputabis?

PRAXIS.

Numquam alteri tuum judicium præferre præsume, sed alienum sequere, nisi manifeste sit erroneum.

Etiam a verbalibus contradictionibus singulari studio abstine.

Voluntatem quoque in rebus licitis cum aliorum voluntate conforma.

Honorifice semper de aliis tanquam superioribus loquere.

Exterioribus etiam signis et actionibus tuam subjectionem demonstra.

GRADUS UNDECIMUS.

Humilia officia appetere.

Hoc certo scito, nullum in toto terrarum orbe officium, tam vile esse, quod non pro te sit nimis splendidum; cum enim ex te ad omnia ineptus sis, et indignus, ut quisquam tui recordetur, obstupescere debes, cum vel ad minimum officium adhiberis, tamquam ad rem pro te nimis magnam.

Contemplare summam illam Majestatem, coram qua cœlum et terra tremunt, ante piscatorum pedes genua flectere, sordes abluere, extergere, osculari etc. et tu erubesces adhuc eo te demittere, quo se Deitas ipsa demittit?

Perpende, revera nihil vile esse, quod ipse Deus facit, aut quod quis propter Deum facit, quod jam tam vile officium, quod non suo exemplo Christus prius sanctificavit! Immo

de facto, quidquid tu facis, cooperatur Deus tecum. Si ergo Deus non dedignatur ad quantumvis vile officium tecum cooperari, tu operari erubesces ?

Considera commoda humilium officiorum; nam Deo magis placent, Christo assimilant, proximum ædificant, domesticos sublevant, te ipsum humiliant, ab invidia liberant, meritis augeri faciunt, et quietem animi conciliant.

PRAXIS.

Opta tibi a Superioribus talia imponi, ut Christo similior fias.

Offer te ad illa, rogaque, ut injungantur.

Ultro, si occasio detur, ea elige.

Cum magna alacritate eadem perfice.

GRADUS DUODECIMUS.

Se omnino inutilem reputare.

Cogita, te servum esse, qui semper ægrotet, semper lecto decumbat, et ex solius domini sui sumptibus sustentetur, poteritne talis servus utilis dici ? Ecce servus Dei es, sed qualis ? Semper ægrotat anima tua, semper in lecto imperfectionum decumbis, semper pharmacis gratiæ divinæ sustentari debes. Nonne ergo omnino inutilis servus Domino tuo ?

Perpende, omnes homines quomodo carere te possint, ut taceam de Deo. Ecce Societas sine te æque floreret, immo melius. Totus orbis sine te æque staret, quilibet sine te viveret. Ad quid ergo necessarius es ? Ad quid utilis ? Officia quæ perficis, alius millies melius perficeret.

PRAXIS.

Nullum officium magis arduum aut honorificum desidera vel ambi.

Tuam ineptitudinem ultro Superioribus aliisque manifesta.

Gaude, si alii tibi ad honorifica officia præferantur.

Si quid boni per te operari dignabitur Deus, eum infirma mundi elegisse, iterum profitere.

MEDIA.

Exemplum Christi, sæpius et bene ponderatum ; quod medium adeo æstimavit efficax S. Aug. ut dixerit : Si hoc superbiam non curet nescire se, quid eam curare queat? S. Aug. serm. I *in Domin.* 2. *Quadr.*

Humiliatio; de qua præclare S. Bernardus sic loquitur : Humiliatio est via ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis ; nam si non poteris humiliari, non poteris ad humilitatem provehi. S. Bern. epist. LXXXII. Hujus autem efficaciæ tres afferuntur causæ ab Ascetis. 1. Quia, ut S. Augustinus recte advertit, cum ad fratris pedes inclinatur corpus, etiam in corde ipso vel excitatur, vel, si jam inerat, confirmatur ipsius humilitatis affectus. S. Aug. tr. LVIII *in Joannem.* 2. Quia, cum objectum præsens magis moveat sensum, actus exterior magis movet voluntatem, quam sola virtutis animo conceptæ desideria. 3. Quia accedente actu exteriori, etiam actus interior fit intensior fortiorque. Rodriq. p. II, tr. III, c. XXIII, p. 3. Hinc S. Ignatius : Magnopere, inquit, confert, devote, quoad fieri poterit, ea munera obire, in quibus magis exercetur humilitas. *Const.* c. I, §. 13.

Cognitio sui; hoc medium suasit senex ille, qui rogatus, quomodo humilitatis perfectio obtineri possit ? respondit : Si sua tantummodo, et non alterius mala consideret. *Vita PP.* l. III, n. 17. Hinc et S. Basilius : Tria sunt, inquit, quæ radicata nutriunt humilitatem, scilicet assiduitas subjectionis, consideratio propriæ fragilitatis, et ponderatio rei melioris. S. Basil. *in Hexam.*

Examen particulare ordinate et accurrate per gradus facere; ita ut 1. Caveamus, ne quid ad laudem nostram pertinens loquamur. 2. Ne faciles laudatoribus aures præbeamus. 3. Ne quid unquam ad humanum oculum faciamus. 4. Ne errata nostra excusationum velis obtegamus. 5. Ne cogitationes vanæ et superbæ admittantur. 6. Ut omnes nobis superiores arbitremur, et potiores partes aliis deferamus. 7. Ut avidis manibus quasvis humilitatis occasiones amplectamur. 8. Ut numerus actuum tam internorum, quam externorum augeatur, sicque verus

habitus in supradictis gradibus obtineatur. Rodriq. p. II, tr. III, c. XXVIII.

Oratio et meditatio crebra; nam, ut bene B. Angela de Fulginio dixit, humilitas, quam nos habere et discere voluit Deus homo, est lumen quoddam mirificum et clarum, quo intellectus animæ aperitur ad cognoscendam suam vilitatem et nihilitatem, et Dei bonitatis immensitatem; ergo hoc lumen petidebet a Patre luminum. *Vit.* c. XVIII, n. 217.

Charitatis divinæ studium; nam, ut S. Macarius recte discurrit: Anima, quæ vere Deum et Christum colit, etiamsi infinita justitiæ opera ediderit, ita se habet, ac si nihil egisset, propter inexplebile desiderium, quod habet erga Dominum. S. Macar. hom. X. Et clarius S. Theresia: Quando est Spiritus Dei, inquit, opus non est, ut quis investiget res ad inveniendam humilitatem et confusionem sui ipsius, siquidem Dominus diverso modo dat eam ab illo, quo nos eam possemus acquirere consideratiunculis nostris, quæ nihil sunt, si conferantur cum humilitate et luce, quam docet Dominus, quæ generat confusionem quamdam, a qua anima quodammodo deficit et annihilatur. *Vit.* c. V.

Consideratio multitudinis beneficiorum a Deo acceptorum; nam, ut S. Franciscus Salesius dixit, nulla res non potest tantum humiliare ante Misericordiam Dei, quantum multitudo beneficiorum ejus. *Introduct.* p. III, c. V.

Ponderatio præmii humilibus promissi; sic enim ipse Christus proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta, (Hebr. XII, 2) quod ipsum S. Chrysostomus sequenti discursu confirmat: Dic, oro, si quis te ad regnum terrestre et imperium vocaret, atque, ante ingressum ejus civitatis, in qua coronandus esses, in stabulum divertere esset necesse, ubi luti plurimum ac fimi, viatorumque tumultus ac latronum perturbatio, summa pressura et angustiæ, num illa tristitia in cogitationem lætam non converteres? An non illa omnia, quasi nihil essent, gaudio et spe regni, contemneres? Perquam igitur ineptum et indignum est, terrenis mortalibusque rebus potiturum, nihil his, quæ interim inciderint contrahi; æterni autem regni spe elatum atque erectum, et ad cœlos accersitum, per singula, quæ acciderint in diversorio tristia, decidere atque perturbari. S. Chrys. t. V, l. III *de Prov.*

Considerare vilitatem et fragilitatem suam; uti S. Bernardinus suasit, dicens: Tria sunt, quæ radicatam nutriunt humilitatem, assiduitas subjectionis, consideratio propriæ fragilitatis, et comparatio melioris. Si primum Lucifer habuisset, non de cœlo ruisset; si Adam secundum habuisset, non de Paradiso ejectus esset; si Antichristus tertium haberet, non se Deo præferret. S. Bern. tom. III, s. *de Conv. Pecc.* art. 3, c. III. Clarius vero hanc vilitatem explicans S. Laurentius Justinianus: Recogita, ait, o homo, ut humilieris, originem tuam; intellige, unde venis, et erubesce; adverte ex quo conciperis, et humiliare. Nam in putredine conciperis, in sordibus generaris, in latebris confoveris, et in doloribus parturiris. Formatus es nempe, o homo, de pulvere, de luto, de cinere, quodque vilius est, de spurcissimo et fœtidissimo sanguine, in pruritu carnis, in fervore libidinis, in fœtore luxuriæ, et quod deterius est, in labe peccati, in obligatione delicti. S. Laur. Just. c. V, *Lign. Vit.* Cur autem tam vile homini corpus Deus assignarit, rationem assignat S. Bonaventura, dicens: Cum Deus omnia posset, ut quid non fecit nos æquales Angelis in gloria, nisi ut ipsa depressio nostra humiliet nos, ne elevemur sicut seducti, et seductores Angeli, et corruamus, et pereamus? Inde est, quod cum Deus in baptismo tollat penitus peccati reatum originalis, pœnam tamen corruptionis non tollit in hac vita, ut semper maneat nobis memoriale humiliationis, quo cauti simus, ne superbiamus, sicut primi parentes nostri, et ex quorum superbia, et transgressione, omnes corruimus in culpam. S. Bonav. lib. II, *de Perf. Rel.* c. XXXIII.

Considerare ipsius etiam animæ vilem statum, quem S. Bonaventura sequentibus verbis indicavit: Propter tria homo se ex parte animæ pulverem debet censere. Primo propter vilitatem; sicut enim cinis est vilis, quantumcumque fuerit de pretiosa materia, sic anima valde vilis est ex culpa, quamvis sit valde nobilis ex natura. Secundo propter resistendi difficultatem, quia sicut cinis statim dispergitur, et non potest resistere modico flatui; sic homo non potest resistere modicæ tentationi, immo frequenter cadit ad sibilum modici verbi. Tertio propter resurgendi impossibilitatem, nam sicut cinis non potest redire ad statum suæ materiæ; sic homo peccator non potest redire ad statum gratiæ, nisi sola Dei virtute. Et paulo

ante, in cap. 4. Nonne se per humilitatem despiciet homo, si solerter conspiciat in se negligentiam proficiendi, difficultatem standi, facilitatem cadendi, laborem resurgendi et debilitatem vitia vincendi? Idem, *de Diæt.* tit. VII, c. I. Unde merito S. Bernardus dixit: Ad se humiliandum nihil vivacius invenire potest anima, quam si seipsam in veritate inveniat, tantum non dissimulet, nec sit in spiritu ejus dolus. S. Bern. *ap. Mansi*, disc. XXI, n. 4.

Considerare creaturas, uti iterum S. Bonaventura suasit, dicens: Debet considerare diligenter creaturas corporales, et ex illis humilitatem haurire; si enim consideret terram, videt supplicium peccatorum; si consideret quadrupedia, videt ea fortiora; si volatilia, videt ea leviora et agiliora; si terræ nascentia, videt meliora, sicut fructus sunt, et pulchriora, sicut flores; si consideret proprium subjectum, videt quod in principio est semen immundum, in medio saccus stercorum, et in fine cibus vermium, ut dicit Bernardus, *Meditationum* cap. 3. Vide unde veneris, et erubesce; ubi es, et ingemisce; quo vadis, et contremisce. S. Bonav. l. c. Quod ipsum etiam confirmans S. Laurentius Justinianus: Considerare non negligas, inquit, quod singula quæque nascentia propria quædam habent munimenta, quibus naturam suam ab incommodis defendunt. Cortex ambit arborem; penna regit volucrem; piscem squamma operit; lana ovem induit; pellis jumenta et feras vestit; concha testudinem excipit; solus homo inermis nascitur et nudus, ut eo ad humilitatem fiat pronior, quo cæteris rebus in ipso suo nativitatis primordio conspicitur abjectior. S. Laur. Just. *de Lig. Vit.* c. IV.

Considerare Deum, a quo omnia habentur; nam ut S. Bonaventura recte iterum dixit: Duo sunt, quæ admonent nos, ut humiles simus, videlicet quod sumus, et quod non sumus; quod sumus, non habemus a nobis, nec ex meritis nostris; et ideo non oportet nos inde extolli, quia alienæ potestatis est, et bonitatis, quidquid boni sumus et habemus. S. Bonav. l. c.

Considerare alienas virtutes, uti S. Thomas Villanova suasit, dicens: Si te sapientia elevat, confer te cum Doctoribus; si patientia, confer te cum Martyribus; si castitas, cum Virginibus, qui tibi magnus videbaris, illis compositus exiguus apparebis. S. Thom. Vill. *con. de S. Martino.* Cui consonat illud a S. Laurentio Justiniano traditum monitum, dum inquit: Respectus meliorum, acquisitio est humilitatis. Quo medio Abbas Isidorus usus est, cogitationibus, quod magnus esset, suggerentibus dicere solitus: Numquid talis, qualis Abbas Antonius, vel alii Patres, qui Deo placuerunt?

Considerare defectus suos, quemadmodum B. Petrus Damianus Abbatem Desiderium ad Cardinalitiam dignitatem evectum monuit, dicens: Agere noli, frater, quod plerique faciunt, tantummodo, si quid est in te virtutis, attendere, et vitia quasi post tergum posita negligas judicare. Imitare naturalis in pavone diversitatis exemplum, qui nimirum pullinos, et velut ignobiles pedes præ oculis semper habet, insignem vero caudæ pulchritudinem post se spectabilem præbet, videt in pedibus rusticum aliquid, quod despiciat, ignorat in cauda, quod eum mirabilem reddat. In promptu est, unde se debeat in humilitate deprimere; post tergum gerit, unde valeat quasi præ cæteris avibus superbire. Quod exemplum humilitatem amantibus applicans subjungit: Te quoque quodammodo, quod in te virtutis est, lateat; si quid vero vitiosum et correctionis est dignum, ab aspectus tui judicio non recedat. S. Petrus Dam. l. II, epist. XI.

Non comparare se cum imperfectis; quod medium S. Bernardus sugessit dicens: Noli te, homo, comparare majoribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni. Quid scis enim, o homo, si unus ille, quem forte omnium vilissimum atque miserrimum reputas, cujus vitam sceleratissimam ac singulariter fœdissimam horres, et propterea illum putas spernendum, non modo præ te, qui forte jam sobrie, et juste, et pie vivere te confidis, sed etiam præ cæteris omnibus sceleratis, tanquam omnium sceleratissimum; quid scis, inquam, si melior et te, et illis, mutatione dexteræ Excelsi, in se quidem futurus sit, in Deo vero jam sit? S. Bern. serm. XXXVII, *in Cant.*

Quærere, qui deprehendat; sicut Abbas Moyses cuipiam interroganti, qua via brevi ad perfectionis culmen evaderet? sciscitanti suasit, nimirum ut senem aliquem severum austerumque quæreret, atque in ejus se traderet disciplinam, a quo quotidie duriter tractaretur, et sub quo reprehensiones et increpationes continuas biberet, ut mel et lac. Cujus sententiæ subscripserat ille alter, qui

inter injurias et contemptus exultabat, dicens: Hi sunt, qui nobis proficiendi materiam suppeditant; illi enim, qui nos laudant, nobis non parum impedimenti et damni afferunt. PENNEQ. dissert. I, § 1.

ASCETICA.

Quatuor sunt præcipue, quæ de humilitate bene discere debet Asceta, aliosque etiam docere. 1. Ut naturam illius bene cognoscat. . . Proprietates. 3. Effectus et utilitates, quas parit. 4. Ut sciat dubiis quibusdam occurrere, quæ circa fundamenta et praxim humilitatis occurrere, et nonnumquam ab inexercitatis hac in arte discipulis moveri solent. Quæ proinde omnia nunc breviter in hoc paragrapho explicanda sunt.

Primum ergo quod attinet, semper ob oculos habeat S. Thomæ definitionem, qua dixit, humilitatem esse *laudabilem sui ad ima dejectionem;* hæc enim definitio, ut mox infra dicetur, præ reliquis accommodata est ad naturam humilitatis explicandam; ex qua colligitur, si proprie officium illius explicare velimus, duplex id esse, scilicet, ut quis non se extollat, aut extolli cupiat ultra meritum; et ut se deprimat et deprimi cupiat infra meritum. S. THOM. II, II, qu. 161. Ad hæc enim duo officia omnes gradus, quos alii operose excogitarunt, revocari possunt. Et ad priorem quidem pertinet, ut nihil sibi aut meritis suis adscribat, atque adeo neque laudari, neque honorari, aut præferri aliis (saltem majoribus vel æqualibus) affectet, sed potius se indignum Dei donis et ad omnia inutilem reputet. At posteriorem spectat, ut omnibus etiam minoribus se postponat, atque adeo vilissimo modo (id est, cogitatione, verbo, et opere) tractet seipsum, et ab aliis etiam tractari *optet*, *quærat*, *gaudeat*, in quo triplici gradu summa humilitatis perfectio consistit. Viliter autem seu contemptibiliter *cogitatione* tractatur, si vel ipse, vel alii vilem de ipso æstimationem habeant, ac temerarîa judicia falsasque suspiciones de ipso concipiant. *Verbo* contemptibiliter tractatur, si vituperetur, reprehendatur, convitiis aut contumeliis appetatur, vitiaque ipsius occulta manifestentur. *Opere* denique contemptibiliter tractatur, si in vilissimis officiis et functionibus occupetur, inferiori loco in congressu collocetur, vilissimisque cibis aut vestibus pascatur aut vestiatur.

Secundum caput, nempe proprietates quod attinet, sequentes communiter assignantur. Prima est, ut sit *voluntaria* seu *spontanea;* nam, ut recte S. Bernardus advertit, *sola gratiam, quam præfert, meretur læta et absoluta humilitas.* Quæ enim coacta et extorta fuerit propter tristitiam, gratiam non habet. Et alibi: « Alii cum rancore humiliantur, alii patienter, alii et libenter; primi rei sunt, sequentes innoxii, ultimi justi. » S. BERN. s. XXXIV *in Cant.*

Secunda proprietas est, ut sit *sincera*: « Est enim, inquit S. Ambrosius, qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt doli; et est, qui nimium se submittit ab humilitate multa. Non est ergo humilitas nisi sine fuco, sine fraude. Ipsa est vera, quæ habet piam mentis sinceritatem, magna est virtus ejus. » S. AMBR. l. II, ep. IV. Gravius explicans hanc proprietatem S. Bernardus: « Appetere, inquit, de humilitate laudem humilitatis non est virtus, sed subversio. Quid enim perversius, quid indignius, ut inde videri velis melior, unde videris deterior? » Scite quidam hanc humilitatem *hamatam* vocat, quia, dum per humilia dicta laudis minoris jacturam facere videtur, aliam majorem piscari conatur, scilicet ut humilis prædicetur. Ex quo S. Bernardus recte colligit, gloriosam rem esse humilitatem, utpote qua ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne vilescat. S. BERN. s. XVI *in Cant.*

Tertia proprietas est, ut sit *circumspecta;* id est, ut sciatur, quo in loco et officio, quo fine ac moderamine quis humiliare se debeat, ut cum Apostolo dicere queat: « Scio humiliari, scio et abundare. » (PHILIP. IV, 12) Solerter enim intuendum est, inquit S. Gregorius, ne, dum immoderatius custoditur virtus humilitatis, solvantur jura regiminis; et dum Prælatus quisque plus se, quam decet, dejicit, subditorum vitam sub disciplinæ distringere vinculo non possit. Teneant ergo Rectores exterius, quod pro aliorum utilitate suscipiunt; servent interius, quod de sua æstimatione pertimescunt. Sed tamen quibusdam signis decenter erumpentibus, eos apud se esse humiles, etiam subjecti deprehendant, quatenus in auctoritate eorum, et, quod formidant, videant; et de humilitate, quod imitentur, agnoscant. S. GREG. *in Past.* p. II, c. VI.

Quarta est, ut *constans* sit, sibique semper *similis;* quam proprietatem S. Ambrosius requisivit, dum dixit: « Hæc virtus vera humilitas est, quæ inter quoslibet meritorum gradus numquam sui potest esse dissimilis. Nam et in officiorum vicissitudine, et in mansuetudinis lenitate, et in voluntariæ paupertatis electione invenitur multa distantia, et alter altero in propositi sui devotione aut major, aut minor est. » S. Ambr. l. XVI, ep. LXXXIV.

Tertium caput, scilicet effectus, quod attinet; etsi illi innumeri sint, passim a SS. Patribus et Magistris spiritualibus commemorati atque deprædicati, Ascetæ tamen merito præ omnibus esse debet, quod humilitas sit efficacissimum medium ad triplicem finem, quem perfectus Religiosus, et is maxime, qui etiam alienæ salutis curam suscepit, propositum habet, scilicet gloriam divinam, perfectionem propriam et alienam assequendam. Nam 1. quidem, quod ad gloriam divinam augendam plurimum conducat, ex iis, quæ supra dicta sunt, satis patet, ubi ostensum est, per humilitatem id, quod homo præstantissimum et charissimum habet, Deo offerri, ideoque Martyrio non immerito comparari, ut adeo recte dixerit Ecclesiasticus : « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam, quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur, » (Eccl. c. III, 21), utpote qui hoc ipso, dum se nihil esse, scire, et posse, verbo et facto protestantur, clarissimam supremæ Dei Excellentiæ confessionem faciunt; ob quam causam merito S. David sacrificium Deo gratissimum esse dixit cor contritum et humiliatum. Quod vero 2. etiam ad perfectionem propriam assequendam efficacissimum sit instrumentum humilitas, vel ex ipsa perfectionis natura colligitur; cum enim hæc in conjunctione perfecta cum Deo per charitatem facienda consistat, facile patet, non posse melius et citius ad hunc finem perveniri, quam per humilitatem, uti breviter et sapienter indicavit S. Ambrosius, dum dixit: « Quisquis cupit Divinitatis tenere fastigium, humilitatis ima sectetur. » S. Ambr. Hinc Deus S. Brigittæ revelavit, humilitatem esse scalam, per quam ad cor Dei ascenditur; id quod Frater Urigman ex Dominicana familia expertus est, ut qui, cum nullum sibi congruum locum reperire posset, nisi in profundo inferno, sub ipsomet Lucifero, hanc a cœlo vocem accepit: Cito huc ascende ad thronum altissimum cor Dei. *Rev.* c. XCIII. Ut adeo merito dixerit S. Climacus: « Quoties aliquem vel videris, vel audieris, intra paucos annos altissimam tranquillitatem, (quæ obtenta perfectione obtinetur,) acquisivisse, noli hunc existimare aliam, quam hanc beatam celeremque viam humilitatis, pedibus ambulasse. » S. Cl. XXV, c. II et III. « Humilitas sane est tamquam terra, inquit S. Basilius, ex qua crescit et nutritur arbor charitatis, producens flores virtutum, et fructus gratiæ in anima. » S. Basil. *de Abd.* Quod denique 3. etiam ad perfectionem et salutem alienam maxime conducat humilitas; vel ex ipso Christi exemplo satis colligitur, ut qui et ipse humilitate potissimum velut instrumento ad generis humani salutem procurandam usus est, et ad eumdem finem etiam vilissima quæque instrumenta, qualia erant rudes piscatores, elegit. Et quid mirum? si enim etiam domini hujus mundi fidelissimos quosque servos pro arduis suis negotiis eligunt, quidni idem Deus pro salute hominum, velut negotio omnium negotiorum maximo, faciat? Quis autem fidelior est servus, quam humilis, ut qui sciens dictum sibi esse a Deo : Gloriam meam alteri non dabo; studiose eam contingere veretur, et in hoc exemplum fidelis servi Josephi, uxorem domini sui, quam solam domino suo reservatam esse noverat, contrectare nolentis imitatur. Hinc merito S. Ignatius suos operarios in vineam Domini mittens hortari solebat, ut humilitate et contemptu sui viam sibi ad ardua munirent. Quæ omnia hactenus enumerata motiva brevi sententia complexa est B. Angela de Fulginio, dum dixit : « Quanto anima magis afflicta, et depauperata, et humiliata est interius, tanto magis aptatur, et purificatur, ut allevetur magis, quia nulla anima potest aliter ac plus elevari, nisi quantum humiliatur, et profundius in humilitate complanatur et radicatur. » *Vit.* c. XIX. Itaque semper in mente habeat Asceta verissimam simul et utilissimam pii Scriptoris sententiam : « Merita non sunt ex hoc æstimanda, si quis plures visiones aut revelationes habeat, vel peritus sit in Scripturis, aut in altiori ponatur gradu; sed si vera fuerit humilitate ac charitate repletus; si Dei honorem pure et integre semper quærat; si seipsum nihil reputet, et in veritate despiciat, et ab aliis etiam despici et humi-

liari magis gaudeat, quam honorari.»L. III, c. VII, *de Imitat. Christi.*

Quartum denique caput, scilicet dubia varia, quod attinet, ea per sequentes quæstiones expedientur. Itaque

Quæres 1. *Qua ratione quis brevi compendio complecti, facileque memoriæ mandare possit totam de humilitate doctrinam?* Resp. Si memorabilem S. Pauli sententiam animo firmiter impresserit, qua ad Philippenses scribens dixit : « Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo ; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem. » PHILLIP. II, 5. Hac enim sententia breviter et nervose comprehenditur, quidquid ad humilitatis notitiem et praxim requiri posse videtur. Et 1. quidem per illa verba : *formam servi accipiens*, proponitur idea, quam in humilitatis studio sequi quisque debeat, ut scilicet tamquam *servum* seu *mancipium* se tractet, et ab aliis tractari velit ; atque adeo sicut servus totus est juris alienis, nihilque proprium possidet, aut sibi adscribit ; vilissima quæque domus officia suscipere debet ; vilissimo etiam cibo, habitatione, vestibus etc. contentus esse cogitur ; nullo honore aut honorifica compellatione afficitur ; ad omnia inutilis reputatur, nihilque sibi lucrari potest ; ita hæc omnia suo modo verus humilis præstare, et in hoc Christum imitari studeat. 2. Per illa verba : *hoc sentite, etc.* proponitur efficacissimum motivum ad humilitatis exercitium, scilicet Christi exemplum. 3. Per illa verba : *in similitudinem hominum factus ;* indicatur potissimum medium ad humilitatem acquirendam, contemptusque cum gaudio tolerandos ; nam si non sentit sua vulnera miles, quando Ducis vulnera intuetur, quomodo contemptum sui ægre ferret, qui Christi opprobria animo volvit ? Hinc recte S. Leo : « Christi humilitas nulli aspernenda divitum, nulli erubescenda nobilium ; nec enim in tantum provehi potest quælibet felicitas humana fastigium, ut æstimet sibi pudendam, quod Deus in forma servi non est arbitratus indignum. S. LEO, s. *de Resurrect.*

Q. 2. *Quomodo quis cum veritate se omnium infimum, et maximum peccatorem reputare possit?* Resp. Varie hoc explicari ab Ascetis, nempe ut vel quis cogitet, posse esse aliquid occultum, quo alius nos superet (quem modum S. Augustinus tradit) (S. AUG. s. XXI *de Ver. Apost.*), vel ut propter dona, quæ alius actu possidet, et ipsi desunt, alium anteponat (quo modo S. Gregorius hanc difficultatem explicat) (S. GREG. hom. X *in Ezech.*), vel ut persuadeat sibi, quemvis sceleratum hominem multo majorem gratitudinem Deo exhibiturum, fideliusque serviturum fuisse, si tanta eum misericordia fuisset prosecutus (quem modum S. Franciscus insinuavit, et P. Jacobus Alvarez convenientiorem cæteris putat) (*Vita* l. VI, t. II, l. IV, p. III, c. V), vel ut sua peccata conferat cum Dei donis, quæ sunt in altero (uti S. Thomas et S. Anselmus fecerunt) (S. THOM. qu. CLI, c. III, et S. ANS. l. *de Sim.* c. CIX.) vel ut cogitet, alia esse judicia Dei et hominum, ideoque illud S. Pauli dicat : Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum ; quia nescit homo, an amore, an odio dignus sit (et hic modus S. Bernardo aptior est visus) (s. XXVII *in Cant.*), vel ut propter Scripturæ Sacræ auctoritatem, servum se inutilem, atque aliis longe minorem judicet, non multum disputans, quomodo cum veritate id dicere possit, quo modo Lancizius hanc quæstionem solviposse existimavit. Opusc. VIII, c. IV.

Q. 3. *Quomodo practice locus ultimus juxta Christi monitum ambiri possit, et debeat?* Resp. Si vilissima quæque in omnibus rebus naturalibus, et in quotidianum usum venientibus quæramus et eligamus ; aut certe ubi actu habere non possumus, corde sincere appetamus et quæramus ; nam, ut sapienter Auctor Operis Imperfecti dixit : Non tantum curat Deus, ubi corpus hominis jaceat, sed in qua parte mens conscientiæ sit collocata. Hom. XLIII *in Matth.* Ergo quod jubet nobis in ultimo loco recumbere, non solum sic jubet, ut corpore in novissimo jaceamus (hoc enim, ut bene Concionator nonnemo advertit, interdum, cum scilicet quis longo intervallo alios antecedit, sine indecentia et affectatæ modestiæ suspicione fieri non potest), sed etiam animo, ut nos novissimos judicemus ; nam sine causa loco se humiliat, qui corde se præfert. FABER, *con.* IX *in Dom.* XVI, *post Pent.* q. VII.

Q. 4. *An et quomodo se compatiantur, esse humilem, et bona apud homines opinione florere velle?* Resp. SS. Patres, si dictam opinionem non nisi propter majorem Dei gloriam, proximique salutem magis procu-

randam appetamus : nam, ut præclare S. Gregorius dixit : « Nonnumquam etiam sancti viri de sua opinione gaudent, sed cum per hanc ad meliora perficere audientes pensant ; nec jam de opinione sua, sed de proximorum gaudent utilitate, quia aliud est favores quærere et aliud de profectibus exultare. S. Greg. *apud Rodriq.* tr. III, c. xxix. Sic S. Paulus Corinthiis ingentes gratias a Deo sibi concessas enumeravit. II Cor. iii. Sic S. Franciscus Xaverius citra omnem noxam et notam insigni pompa cum Bungi Rege primum congressus est. *Vita*, l. IV, c. 10. Memorabile quoque est, quod de altero S. Francisco, Seraphico scilicet, circa hanc materiam scribitur. Ingrediens aliquando vicum ob magnam omnium quæ de ipso erat, Sanctimoniæ opinionem, eximio honore et pompa excipitur. Pars incolarum Sancti habitum, pars manus, pars pedes osculati, ipso penitus nihil reluctante. Omnino ergo suo comiti Vir Sanctus tali honore nonnihil titillari visus ; quam etiam suspicionem tandem aperuit, cui Franciscus : Noveris, inquit, Frater, hos longe minus, quam deceret, facere. Cumque alter hoc responso sinistre accepto, magis offenderetur, rursus dixit Sanctus : Omnem honorem, quem isti exhibent mihi, non mihi adscribo, sed in Deum refundo. Ac me quidem sic interim permanente in vilitate mea illi impense ditescunt, dum Deum in sua creatura cognoscunt, et venerantur. *Chro. S. Franc.* p. I, lib. I, c. lxxiii.

Q. 5. *Quomodo magnanimitati ad ardua et magna opera facienda inclinanti locus sit, si quis per humilitatem ad omnia inutilem se fateri debeat?* Resp. S. Thomas, usque adeo hæc duo sibi non repugnare, ut potius cum veritate dici queat, neminem alium quam humilem, magna opera tentaturum et facturum, ut qui, quanto plus diffidit sibi, tanto magis Deo fidit, tantum per nos operari solito, quantum nostra in eum fiducia se extenderit. Hinc S. Apostolus abundantius illis omnibus laborasse se dicit, sed mox addit : Non ego sed gratia Dei mecum. I. Cor. xv, 10. Sed et Isaias, ut S. Basilius sagaciter advertit, non dixit ad Deum : « Ecce ego ibo, » sed : « Ecce ego, mitte me. » (Isaias, vi, 8) quasi dicat : Novi quidem me imparem esse huic legationi, sed tu supplere potes indignitatem. Hinc Jeremias audivit a Deo : Noli dicere : Puer sum, quoniam ad omnia, ad quæ mittam te, ibis ; et universa, quæcumque mandavero tibi, loqueris. Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum. Jer. i, 7.

Q. 6. *Quomodo debeat et possit quis omnem successum operum Deo adscribere, cum tamen in ipsius potestate sit hoc vel illud opus laudabile perficere?* Resp. Ad hoc Deum ipsum per Oseam jam olim respondisse, dum dixit : Perditio tua ex te, Israel, in me tantummodo auxilium tuum. Osee xiii, 9. Sicut ergo palmes propria virtute quidem uvas et vinum producit, quia tamen hanc ipsam virtutem a vite accepit, non ipsi, sed viti fructus adscribitur ; ita pariter cum non simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo sit, qui operatur in nobis et velle, et perficere pro bona voluntate, merito illi quoque omnis laus et gloria ex nostris operibus exoriens attribuitur. II Cor. iii, 5.

Q. 7. *Cur humiles præ cæteris donorum cœlestium capaces existant?* Resp. Stapletonus, id ob tres causas fieri. 1. Quia, cum nihil habere et posse se putent, ad Deum fiducialiter confugiunt, et ardenter auxilium petunt, et ideo etiam juxta promissum Salvatoris accipiunt. 2. Quia, cum se tam longe esse a perfectione æstiment, valde esuriunt et sitiunt justitiam, atque adeo saturari merentur. 3. Quia, cum se totos evacuent, a Deo, qui perinde ut natura vacuum non patitur, impleri merentur, juxta illud Scripturæ : Dilata os tuum, et ego implebo illud. Psal. lx, 11. Quas tres causas Christus indicasse videtur, dum dixit : Petite, et accipietis ; quærite, et invenietis ; pulsate, et aperietur vobis. Joan. xvi, 24. Quæ omnia humilis præstat ; nam petit se incurvando ; quærit, quia vacuum se videt ; pulsat desiderando, quod deesse sibi advertit.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

De Natura Humilitatis

Ostendi potest exemplo Publicani, quomodo gerere se debeat humilitatis amator studiosus. Nimirum 1. *A longe stare*, hoc est, indignum se Dei conspectu et alloquio reputare. 2. *Retro Pharisæum stare*, id est, omnibus hominibus se affectu saltem, si effectu fieri non potest, postponere. 3. *Oculos*

ad terram dejicere, per humilem de se sensum, imo et contemptum sui, ob innumeras imperfectiones et peccata. 4. *Confiteri suas miserias*, id est, libenter pati, ut defectus sui et aliæ vilitatis materiæ ab aliis cognoscantur, quin ultro eas detegere. 5. *Percutere pectus suum*, id est, etiam exteriora signa humilitatis, qualia vel maxime in vilibus officiis elucent, studiose amplecti et exhibere. Vide Fab. conc. VII *in Dom.* 10 *post Pent.*

Comparari potest humilitas scalæ Jacob (GEN. XXVIII, 22), et 1. quidem ostendi, quomodo hæc scala *stet super terram*, idque probari potest ex ipso nomine humilitatis; nam, ut S. Anselmus ait, humilis idem est, ac humi alitus (S. ANSEL. in c. II *Eph.*); S. Isidorus idem ac humi acclivis. S. ISID. l. X *Ethym.* Hinc et definitur laudabilis sui ad ima dejectio. 2. Quod *cacumen illius cœlos attingat;* ita enim Christus indicavit, dum dixit: Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cœlorum. (MATTH. XVIII, 3.) 3. Quod *Deus innitatur scalæ huic*, juxta illud Davidis: Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra? (Ps. CXII, 5.) 4. Quod *Angeli ascendant et descendant per illam;* et Angeli quidem cœlestes descendant ad humiles, utpote quorum societate specialiter delectantur, tum quia illos sibi simillimos in humilitate vident, tum quia singulariter dilectos Deo esse advertunt; terrestres vero Angeli, id est homines, humiles, qui in humilitate, per quam Angeli veri Luciferum superarunt, suamque gloriam sunt promeriti, assimilantur, ascendant per illam ad gloriam. 5. Quod etiam *in hac scala sint varii gradus latiores et minus lati*, sicut in scalis solent esse. Et primus quidem ex latioribus sit, seipsum despicere *cogitatione* seu *corde*, qui habet sub se tres alios, scilicet: indignum se divinis donis reputare; inutilem se ad omnia ducere; minimum omnium se æstimare. Secundus gradus est se *verbo* despicere, qui sub se habet alios tres gradus, nempe humilia officia et opera exercere; vilissima quæque in cibo, habitatione et vestibus eligere; honores fugere et contemptus potius amare. Videri potest Rodr, p. II, tr. III, c, V, XV et seq.

Potest probari, quod humilitas sit quasi sol parvi mundi, id est, hominis. 1. Quia uti sol in se maximus nobis tamen parvus videtur; ita et humilitas, licet parva sit in oculis plerorumque hominum, in veritate tamen et coram Deo maxima est. 2. Quia, sicut sole oriente disparent omnes stellæ; ita, cum humilitas animam occupaverit, omnes reliquæ virtutes apparere et æstimari desinunt. 3. Quia sicut a sole conservatur mundus major; ita ab humilitate mundus parvus. 4. Quia, sicut a solis influxu dependet fertilitas agrorum et hortorum; ita ab humilitate anima omnem vigorem in producendis actibus supernaturalibus accipit. Excitentur proinde auditores, ut imitentur heliotropium, seque per totum diem vitæ ad faustissimum hoc sidus convertant.

De Motivis Humilitatis.

Potest ostendi necessitas humilitatis ex eo, quod sit *fundamentum* omnium aliarum virtutum, et totius ædificii spiritualis, uti breviter S. Augustinus indicavit: Cogitas magnam construere fabricam celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis. Id quod inductione potiorum virtutum facile confirmari potest, uti Rodriq. l. c. facit. In altera parte ostendatur, quomodo hoc fundamentum poni debeat, scilicet prius fodiendo et ejiciendo terram, id est, omnem sui ipsius æstimationem, et honoris laudisque desiderium; dein ponendo primum lapidem, id est, humilem Christum, eique alios lapides seu actus humilitatis jungendo vel offerendo. RODRIQ. p. II, tr. III, c. II et III.

Ostendi potest, totum mundum esse laqueis concupiscentiæ triplicis, scilicet divitiarum, carnis, et honorum involutum; id quod fusius probari potest per inductionem singularum partium; ita ut merito dixerit S. Paulinus: Tota mundi hujus figura Zabulicis est prætenta retibus. S. PAULINUS, ep. II. 2. Quomodo per humilitatem supradicti laquei evitentur, uti partim S. Antonio cœlitus revelatum est, dum mundum retibus irretitum videns, et, quis evasurus sit quærens, audivit: *Humilis!* partim etiam S. Ephrem suasit: Humilitatem amplectere, et Diaboli retibus nunquam capieris, quia levissimis humilitatis aliis sublatus, velocior ac sublimior existes, quam ut ab eo capi possis.

De Mediis Humilitatis.

Offerri potest *Speculum cognitionis sui ipsius*, simulque ostendi, hoc speculum esse aptissimum ad nostras miserias demonstrandas, humilemque adeo sensum animis ingenerandum. Quem in finem servire potest sententia S. Bernardi, dicentis : Ista tria semper in mente habeas : Quid fuisti ? Quid es ? Quid eris ? Quid fuisti ? Quia sperma fœtidum. Quid es ? Quia vas stercorum. Quid eris ? Quia esca vermium. (S. Bern. in serm. *Honest. vit.*) Dicatur proin, has miserias esse velut plumbum speculi ; ipsam vero cognitionem harum *miseriarum* esse quasi vitrum, et plurimum promovere humilitatem, juxta illud S. Gregorii : Custos humilitatis est recordatio propriæ fœtiditatis. Quem in finem servire possunt, quæ Rodriquez, p. II, tract. III, cap. VI et seqq. tradit.

Potest homo humilitatis studiosus comparari cum parvulo David (I *Reg.* XVII, 40), et 1. ostendi, quam merito superbus animus propter fidentiam in propriis viribus Goliatho comparetur. 2. Quomodo David, id est, humilis, in nomine Domini, id est, auxilio divino, confisus, accipiat quinque lapides limpidissimos (nempe cognitionem quinque capitum numero præcedenti indicatorum) eosque per fundam humiliationis capiti Goliathi allidat. 3. Quomodo per hanc victoriam et ipse obtineat sponsam Regis, id est, charitatem cum aliis virtutibus, divitias multas meritorum cœlestium, audiatque accinentes sibi filias Jerusalem, id est, animas sanctas et humiles personas : Percussit Saul mille, et David decem millia.

Ostendat, nihil esse efficacius ad humilitatem acquirendam, quam seriam et frequentem considerationem triplicis sui nihili, quoad *esse*, *scire et posse*. Quis enim de nihilo magnam æstimationem concipit, aut laudat illud, aut dolet, si gladio percutiatur, vel contemnatur ? 2. Quomodo tamen ex hoc nihilo iterum totum microcosmum creare queat, primo die lucem illustrationis divinæ, excitantis ad sui contemptum ; altero firmamentum seu cœlum, id est, humilitatem tanquam sedem Dei ; tertio die congregationem aquarum (id est, gratiarum cœlestium) et germina variarum virtutum ac bonorum operum ; quarto luminare majus cognitionis divinæ, et luminare minus cognitionis sui ipsius ; quinto animas sensitivas, id est, potentias sensitivas reformando, hominique superiori subjiciendo ; sexto denique ipsum hominem in gratia originali constitutum, et suis appetitibus perfecte dominantem.

ALII CONCEPTUS.

Qualitas. — Anub cum septem sociis iter instituens, cum noctu ad fanum Idolorum venissent, ibi quieverunt ; ipse vero statuam lapideam manu et voce flagellans, et ab illa postmodum veniam injuriæ petens, interrogatus a sociis, quid sibi vellent ista ? respondit, statuæ similes esse oportere ad opprobria, contemptusque tolerandos, si simul habitare, et pacifice, et fructuose virtutibus comparandis studere proponerent. Fuit hic communis illorum sensus, et apud omnes magni nominis sanctimoniæque viros pro virtutum omnium fundamento est habitum, ut si abesset, cætera parum firma existimarent. Hinc, cum aliquis ex Fratribus magno illi Abbati Sisoi diceret : Cum examino me ipsum, video Dei præsentiam memoriæ meæ adhærentem. Non est, inquit, magnum hoc, ut mens tua cum Deo sit ; magnum est autem, si te ipsum infra omnem creaturam videas. Pennequin, l. c.

S. Bonaventura praxim singularem, dum ab hominibus despectui habemur, docuit, dicens : Quibus places, attribue eorum benevolentiæ, non tuæ probitati ; quibus autem displices, attribue tuo merito, et cogita : Si in tantillo illis displices, sicut exterius tuam vilitatem possunt cognoscere ; quid facerent, si radicitus perspicerent omnia vitia tua, et peccata, et inhonesta tua ? Mirum, si te non ejicerent, aut lapidarent. Pro me loquor. Numquam enim a fidelibus ita despectus sum, sicut sum despicabilis in veritate ; unde non debeo indignari, cum aliquando despicior, sed mirari, et reputare beneficium Dei, quod non omnibus sim odiosus. Addit deinde : Cum tibi detrahi intelligis, non movearis ; quia si verum est quod dicitur, non est inconveniens, hoc loqui homines, quod tu facere ausus es ; si autem verum non est, non nocet tibi eorum locutio. Ut si albus esses, et aliquis diceret, te nigrum esse, quid obesset tibi ? S. Bonav. *ad Instit. Novit.* c. X.

S. Thomas ille oculatus virtutum arbiter dicere solitus est, hominem, qui contemptum ferre non possit, etiamsi miracula faciat, non esse pro sancto aut magnæ virtutis viro habendum. Habebatur vir solitarius inter eremicolas non vulgariter sanctus; Episcopus loci, ut virtutem ejus exploraret, misit aliquem ad id prudentia et rerum cœlestium cognitione probe instructum; hic tumultuarie et militari quodammodo ausu solitarii cellam ingressus, jubet ocreas sibi extrahat; qui despici et probro affici se arbitratus, severo vultu interrogavit, an nosset, quis esset? O non es sanctus, ut aliqui putant, ait tum ille explorator; quando quidem oblatam humiliandi te occasionem nactus eam respuisti. Quo dicto in ejus amplexus advolavit, eumque amanter est exosculatus, dicens, neminem hactenus veriora de se elocutum. PENNEQUIN, l. 5, n. 4.

S. Gregorius verba illa Ezechielis exponens: *Animalia ibant, et revertebantur, in similitudinem fulguris corruscantis*, causam assignat, cur hæc animalia illuminatissimos Dei servos repræsentantia, hoc modo Prophetæ in visione delineata fuerint, dicens : Vadunt et revertuntur, in similitudinem fulguris coruscantis, quia postquam mira sancti inter homines faciunt, post quam corda audientium sparso lumine incendunt; ad quamdam Auctori suo gloriam redeunt, ut illi laudem reddant, per quem se posse talia sciunt. S. GREG. *hom.* 8. *in Ezech.*

Observandum est, quod incarnata Sapientia S. Petrum Regni Pontificii possessione et investitura decorare volens, eumdem non semel, sed tricies Simonem Joannis appellarit dicendo : *Simon Joannis, diligis me?* Nam, ut Toletus observat, in his omnibus interrogationibus semper Dominus nomine proprio usus fuit, et parentis etiam nomine. *Simon*, inquit, *Joannis;* nec Petrum appellat, quod nomen dignitatis et officii erat; volens eum in hoc admonere, ut, quamvis sit in tantam dignitatem provectus, ut super omnes sit fideles, et totius Ecclesiæ caput, præ oculis habeat, se piscatorem fuisse, et hominem communem, ne se extolleret, ne suis id meritis adscriberet; quo enim in altiorem quis effertur et erigitur gradum, oblivisci non debet se hominem esse, et aliquando ex humili ignota familia. MANSI, disc. XXI, n. 7.

Rex quidam Norwegiæ, Daniæ et Angliæ, nomine Cnoth, cum floreret maximo vigore Imperii sui, sedile suum in littore maris ascendentis statim poni jussit, et alloquens mare, ait : Impero tibi ne ascendas terram meam, nec vestes, nec membra dominatoris tui madefacere præsumas. Nihilominus mare ascendit, et terram ac pedes ejus madefecit. Quo facto ille resiliens ait : Sciant omnes habitatores orbis, vanam et frivolam esse Regis potentiam, nec Regis quempiam nomine dignum, præter eum, cujus nutui cœlum et terra, et mare obediunt. Et nunquam postea capiti suo coronam auream imposuit, sed super imaginem Salvatoris in cruce eam posuit, in laudem Regis æterni. *Spec. Exempl.* ex. 29.

Sicut superbi honoribus, ita plerumque humiles sui despectione gaudent, quia judicium, quod de se intus habent, ab aliis sentiunt approbari. S. GREG. l. I. *Dial.* c. V.

UTILITAS. — S. Greg. exemplum adducit Davidis, innumeris locupletati meritis apud Deum, summeque gloriosi propter innumerabiles heroicarum virtutum actus, ideoque nobis eumdem contemplandum objicit dicens : Intueri libet, quanta virtutum munera David perceperat, atque in his omnibus quam forti se humilitate servabat. Quem enim non extolleret ora leonum frangere, ursorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi, reprobato Rege ad Regni gubernacula ungi, timendum cunctis uno lapide Goliam sternere, a Rege proposita extinctis Allophylis numerosa præputia reportare, promissum tandem regnum percipere, cunctumque Israeliticum populum sine ulla contradictione possidere. Quem generosorum celebriorumque Davidis conatuum numerum, postquam dictus texuisset Ecclesiæ Doctor, mox ad saltus ponderandos descendit, quos coram Arca in solemni processione coram universo populo instituit, propter quos et a Regina Michol uxore sua illusus fuit. Et tamen cum Arcam Dei in Jerusalem revocat, quasi oblitus prælatum se omnibus, admixtus populis ante Arcam saltat; et quia coram Arca saltare, ut creditur, vulgi mos fuerat, Rex se in divino obsequio per saltum rotat. Tandemque per hunc vilipendii suique contemptus actum, optimo fine exercitum, omnium operationum suarum stabilisse meritum concludit dicens : Coram Deo egit vilia, vel extrema, ut illa ex humilitate solidaret, quæ coram hominibus gesserat fortia. Idem, l. XXVII *Mor.*

Salvator noster apud S. Joannem occasione solemnis cujusdam festi alta voce clamare cœpit : *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat ;* quæ verba Dion. Carth. ad nostrum propositum, hunc in modum exponit, ut sensus sit : Veniat non corporis gressu dumtaxat, sed et mentis humili præparatione, quisquis hauriendæ aquæ causa ad fontem contendit, vas quoque secum adferat, in quo illam excipiat, et quanto capacius vas illud fuerit, tanto quoque major in illo haurietur aquæ abundantia ; humiles autem præ cæteris hanc prærogativam habent, quod cum se ab omni virtute et merito vacuos esse existiment, vasa ipsorum majora et capaciora ad recipiendam aquam hanc mysticam existant. Nam, ut S. Bonaventura ait: Humilitas cum recipit Dei beneficia, gratias agendo se dilatat, et sic recipiendo parat semper locum, ut Deus amplius infundat ; unde ipsa vas admirabile dicitur, quia, dum impletur, de impletione capacior efficitur. S. Bon. *in Diæt.* tit. VII, c. I.

In Officio Divino frequenter hæc verba canit Ecclesia : « Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis. » Hæc autem herba *Nardus* dicta, humilis et odorifera, humillimam Virginem denotabat, quæ per profundam humilitatem suam Verbum increatum, ex sinu æterni Patris sui, in Virginalem uterum suum pertrahere potuit, ut ipsum humanæ naturæ nostræ adstringeret. Unde S. Antoninus ait : Dum esset Rex in accubitu suo, id est, in requie sua quasi dormire videretur, et non curare de salute humana ; nardus mea, herba parva est, et significat humilem Virginem, quæ maxime dedit odorem suæ humilitatis, quando se totam Deo subjiciens, ait : *Ecce ancilla Domini ;* qui odor usque ad cœlum ascendit, et in cœlo accumbentem quasi evigilare fecit, et in utero suo requiescere. S. Antoninus p. IV, t. XV, c. XXI.

Traditio sæcularium litterarum est, habuisse quemdam in exercitio, usuque certaminis, hoc genus virtutis ac roboris, ut, quoties in luctamine succumbens, virium suarum amicam, et nutricem terram impulsu adversarii contigisset, toties de solo surgens, magis ac magis in adversarium prævaleret, sic dejectio prostrati, occasio fiebat triumphi ; dabat enim quodammodo infirmitas fortitudinem, lapsus palmam, ruina victoriam. Puto, hæc illi cœlesti athletæ, qui contra Jacob legitur fuisse luctatus, justius aptari posse. Euseb. Emiss. *ap. Mansi.* disc. X, n. 3.

Inter octo Beatitudines primus locus humilibus assignatur, dumque cæteris præmium spondetur in tempore futuro, solis humilibus præmium affertur præsens, dicente Christo : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram ; beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur ; beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt ; beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur. » Humilibus vero dicitur in tempore præsenti, *ipsorum est Regnum cœlorum.* Ubi proinde B. Laur. Justin. sequentem format discursum, dicens : Non ait, quoniam intrabunt in Regnum cœlorum, sed signanter dixit, *quoniam ipsorum est Regnum cœlorum*, ut scias, quam grati sint humiles Deo, et quam facile hæreditatem adipiscantur æternam, ad quam priusquam migrent de corpore, ipsam possidere dicuntur. S. Laur. Just. l. *de Humil. c.* VIII.

In Exodo legitur, quod Deus Moysi, greges Jethro soceri sui, Sacerdotis in Madian, pascenti, apparuerit in medio rubi ardentis, et tamen incombusti manentis, quem rubum videns, *abscondit Moyses faciem suam*, *non enim audebat aspicere contra Deum.* Quam vero existimatis fuisse causam, quod Moyses suos ad Deum oculos erigere ausus non fuerit ? Interpres quidam modernus ait : Cum abscondisset Moyses faciem suam ex humilitate, tunc Dominus revelavit faciem suam, pariter et secreta opera sua, quæ facturus erat. Tunc quoque in generalem populi sui Ducem illum elegit, perpetuamque assistentiam suam ei promisit, et in divinorum secretorum suorum penetralia introduxit. S. Greg. in quadam Homilia super Ezechielem textum illum Psalmistæ : « Ascensiones suas disposuit in valle lacrymarum, » exponens, inquit : Convallis proprie humilis locus est, et peccator quisque, dum se in lacrymis humiliter affligit in corde, per ascensum virtutis proficit. Qui rursus ait : « Emittet fontes in convallibus, » quia omnipotens Deus dona spiritualis gratiæ humilibus præstat. Mansi, disc. V, n. 9.

In Sacris Canticis Amator cœlestis in hortum descendisse dicitur, ut videret poma convallium : « Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium. » Sed cur potius poma vallium, et non potius poma collium, vel montium videre voluit ? Nimirum per hoc significare intendit animarum electarum dilectus Sponsus, quod gratias suas

liberalius in humiles, per valles denotatos, quam in alios dispenset. Unde S. Gregorius ait : Quid est, quod non poma montis, sed poma convallis ut videat, descendit, nisi quod illis respectum suæ miserationis tribuit, quos in humilitate persistere cognoscit ? de quo per Psalmistam dicitur : « Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit. Ibid. n. 10.

S. Antonius de Padua præsenti proposito nostro egregie accommodat historiam Josephi, præcipientis fratribus suis, ut Benjamin ad se adducerent : « Fratrem vestrum minimum ad me adducite, ut possim vestros probare sermones. » Quæ verba prædictus Sanctus in sensu spirituali in hunc modum exponit : Per fratrem minimum intelligitur humilitas, sine qua infructuose egreditur prædicator, nec ejus a Deo probantur sermones ; et e contrario, qui Benjamin secum habet, multum fructum adfert, unde adducto eo dixit Joseph dispensatori : « Imple saccos eorum frumento quantum possunt capere, et in ore sacci fratris minimi ponatur scyphus argenteus, » quia quanto quis humilior est, tanto ei Deus confert gratiam ampliorem. S. Ant. de Padua *de Apostol.* serm. iv.

Attende, quid consilii nobis det cœlestis Magister noster : Estote, inquit, prudentes, sicut serpentes. Quod exponit D. Thomas, et simul probat, humilitatem esse prudentissimam ; ex quo id accipere possumus, voluisse Christum nobis præscribere mirabilem quamdam methodum cum Deo per orationem conversandi. Qui viribus est inferior, vincere fortiorem nequaquam potest, si rei exitus a viribus dependeat, sed prudentia et arte sibi consulere debet. Expugnare Deum, et pro votis omnia ab eo obtinere si cupis, non viribus cum eo, neque virtute meritorum contende, sed arte potius et serpentis calliditate utere. Serpens astutissimus, ut in altum se erigere, et in aera prosilire valeat, cum neque brachia neque pedes, sicut vulpes, aut canis, catusve, neque alas avium instar habeat, pro his omnibus pectore utitur, illudque terræ applicans mox corpore reliquo incumbit, et quo magis se ad terram deprimit, tanto securiori in altum saltu assurgit. Vis, ut oratio tua eas vires habeat, ut usque ad supremum cœlorum penetret? Deprime pectus cognitionis tuæ ad terram, agnosce miserias tuas, et confitere imbecillitatem tuam, quodque ex te nihil aliud sis, quam vilis terræ massa, tam cœlo indigna, sicut lutum, ut inter stellas collocetur. Quanto sincerius hoc egeris, et quo humilius te depresseris, eo majori fortitudine tua assurget oratio. Sic magnus ille credentium Pater Abraham, quanto vehementius instare, et fortius urgere volebat id, quod per orationem impetrare desiderabat, tanto constringebat se amplius, soloque arctius apprimebat dicens : « Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. » Et certum est, non potuisse mentiri eum, qui dixit : « Oratio humiliantis se nubes penetrabit, et donec propinquet, non consolabitur, et non discedet, donec Altissimus adspiciat. » Quam sublimem edit saltum oratio humilitati innixa ? Nulla tam altum volat aquila, nulla ita nubes ardua penetrat, sicut humilis oratio, quæ non conquiescit, donec ad ipsum cor Dei pervenerit, illudque suaviter apprehenderit, quo, ut aiebat David, *humilia respicit in cœlo et in terra.* O fides Christiana, ait D. Ambrosius, quæ in humilitate totum impetrare consuevisti ! Joan. Bapt. de la Nuza, hom. II. n. 14.

Disputant Doctores, quis Centurionem tantis beneficiis, quibus eum dignatus est Christus, rediderit dignum ? Quis eum ad illa præparavit ? Ipsimet Seniores Christo loquentes, protestantur : Dignus est, ut hoc ei præstes. Ipse exclamat : Non sum dignus. Illi e contra : Dignus est. Quid hoc rei ? Ecce religiosus Centurio ad accipiendam salutem fit dignior, ait D. Ambrosius, dum se profitetur indignum. Et dum ædes suas injuriosas putat, magis eas honorificas facit et gratas. Quia dicebat non sum dignus, ait D. Chrysostomus, propterea dignus factus est, et admirationi super omnes Judæos habitus. Dicendo se indignum, teste S. Aug. præstitit dignum, non in cujus parietes, sed in cujus cor Christus intraret. Et ratio ex sententia horum Patrum ea est, quia nihil est, quod hominem adeo reddat aptum divinis beneficiis, dignumque, ut ipse Deus se ædibus ejus insinuet, quam si ex profunda humilitate omnibus his se indignum reputet et agnoscat. Quocirca, ut Deus cor tuum subeat, et sua in te effundat dona, necesse est, ut prius te ipsum exinanias a te ipso, et quidquid es, evacues. Hoc operatur humilitas, per quam te nihil boni habere, quod tuum sit, agnoscis, indignumque esse etiam ipsa aqua, quam bibis, et ipso aere, quo respiras, quanto magis indignum Deo,

ejusque beneficiis, gratiis, ac donis cœlestibus? Ibid. §. 14, n. 15.

Observa studiose, ait S. Chrysostomus, hos solos a Deo dignos esse pronuntiatos, qui se ipsos agnoverunt indignos. S. Paulus clamat : « Non sum dignus vocari Apostolus. » E contra Christus : « Vas electionis est mihi iste. » S. Paulus dicens : Non sum dignus vocari Apostolus propter hoc omnium primus factus est. Eodem modo videbis, ait D. Chrys. quomodo se Baptista retrahat, dicens : « Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus. » Sed ob hoc ipsum Christus eum dignum pronuntiat, non solum qui manibus suis pedes ejus tangat, sed etiam eas supra verticem ejus extendat, quique (uti charus et fidus amicus) ad latus ejus resideat. Unde et amicum Sponsi eum appellat. Joannes dicens, non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus, ideo amicus fuit Sponsi ; et manum, quam esse calceamentis dixit indignam, hanc super caput suum Christus attraxit. Exclamat D. Petrus, et protestatur, indignum se esse, qui adsit, ubi Christus est præsens, quem idcirco rogat, ut alio se recipiat : Exi a me, Domine, quia homo peccator, sum ; et Christus ob hoc eum sibi tam proximum facit, ut eum constituat suum vicarium, et Ecclesiæ suæ fundamentum, ita ut inter Christum et Petrum nemo sit medius. Ibid.

Mirum in hanc rem quadrat discursus, quem format D. Hieronymus super ea, quæ D. Paulus scribit Philippensibus. Dicit enim illis, se conari insistere vestigiis Christi, ejusque passionem, pœnas, et crucem imitari. « Et in his (ait) nondum ad finem perveni, quocirca non me reputo perfectum. Non quod jam acceperim, aut perfectus sim, sequor autem, si quo modo comprehendam. Sic ambulo, ut cui adhuc multum superest itineris; multa mihi desunt ad perfectionem. » Et illico adjungit : « Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. » Hoc est, nos qui jam culmen perfectionis attigimus, id ipsum existimare debemus de nobis. Occurrit hic D. Hieronymus, et ait : O Sancte Apostole, num forsitan oblitus es ejus, quod paulo ante dixisti : Non quod jam perfectus sim? Si hoc ita sit, quomodo te continuo ita inter perfectos annumeras, et ais : « Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Cœlestis plane hæc est Philosophia, ait D. Hieronymus, quinimo ex hoc ipso perfectus est, quod se inter imperfectos annumerat ; nec est quidquam, quod hominem perficiat, quam ex submissa humilitate se imperfectum agnoscere, nulla res adeo consummatum reddit hominem, et tam cito ad virtutis promovet apicem, sicut de se opinari, et credere, quod nec primum quidem pedem fixerit in via perfectionis. Ibid.

Dignitas. — S. Bonaventura quæstionem valde considerabilem, valdeque ad resolvendum, ut ipse dicit, difficilem proponit ; quærit enim, quænam sit ratio, quod, cum Deus sit Altissimus (*tu solus Altissimus*) omnique natura creata superior, nos nihilominus ad eum approximare non possumus ascendendo, sed potius descendendo? Hoc enim, ut S. Augustinus ait, contrarium esse videtur ; ad ea enim, quæ in alto sunt, ascendendo, non vero descendendo pervenitur. Unde S.Aug. lib.xiv, *de Civit. Dei* cap. xiii, inquit : Cum tamen Cœlum situ sit altum, non proximior est ei, qui in altissimum montem ascendit, quam ille, qui in profundissimam vallem descendit. Quis unquam arborem altam, quis in domum elevatam, quis in turrim altissimam ascendit, se inclinando, et non potius elevando? Nam ad hoc fiunt scalæ in turribus, ut per gradus ad summum veniamus ; videtur igitur, quod magis debemus proximare Deo nos elevando, quam dejiciendo. In contrarium vero adducit auctoritatem Psalmistæ, in psalm. lxiii, clare dicentis : « Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus. » Mira res, quia quanto plus te elevas, tanto plus a Deo distas. Sed attende, quod in rebus creatis, quæ situm habent, in loco, et inter se distant, sicut ab eis loco distamus, sic et loco earum, si volumus, proximamus, et per locales gradus ad eas accedimus. Nulla enim res creata inferior infra cœli circumferentiam adæquate est conclusa, licet intra eam sit in certa et finita proportione contenta, quæ utique mensurata est et finita, quia si cœlum infinitum esset utique mensurari non posset, sicut Philosophus dicit. Cum inter creata distantia sit finita, dum partes medias pertransimus, illi cœlo approximamus, imo cum montem ascendimus, cœlo proximiores sumus. Exemplum de iis, qui ædificaverunt turrim Babel, ut in cœlum ascenderent. Sed nota, quod non sic Deo approximamus, Deus enim est immensus et infinitus, nullo loco conclusus, sed est ubique totus, ut sine eo omnino nullus sit locus ; ergo nec loco a Deo

distamus ; nec ei, ut dicit Augustinus, loco, sed actionibus approximamus, quod non facimus nos exaltando, sed ei nos potius subjiciendo ; nam cum ipse a nobis distet in infinitum (cum infinitum pertransiri non possit, ut dicit Philosophus) ideo sic ei non approximamus. Nos ergo per nos non possumus ad eum accedere, sed ipsius est ad nos inclinare, et nos ad se levare, cum sit potentiæ infinitæ. Cum ergo humilitas nos Deo perfecte subjiciat, Deum ad nos inclinat, cujus gratia nos exaltat. S. Bonav. *de Confessore* s. III.

Olim inter eruditos hoc motum est dubium, quidnam illud esset, quod uno eodemque tempore simul et maximum minimum appellari posset ? Fueruntque, qui solem esse dicerent, qui oculis nostris parvus quidem esse videtur, cum tamen terra centies et sexagies major esse probetur. Alii stellam esse dixerunt, quæ nobis velut quædam ignis scintilla apparet, cum tamen una illarum centies major sit mundo terrestri. Alii pupillam oculi esse asserebant, quæ ad contemplandam amplissimam Cæli empyrei partem extenditur, cum tamen instar atomi minutissima sit. Nec defuere, qui illud intellectum humanum esse affirmarent, qui non solum ad capiendum cœlum, terram, et totum universum dilatatur, verum etiam extra illud per imaginationem plures mundos capit. Subjunxerunt alii non minus ingeniose, illud esse animam, quæ cum invisibilis sit, et purus spiritus, in se tamen tres potentias restringit et includit, et in quavis corporis animati minima parte et tota in toto, et tota in qualibet parte. At vero aptius ad propositum nostrum affirmare libere possumus, id quod simul maximum et minimum est, esse humilitatem, et nihilum B. Virginis, quæ dixit : « Respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes ; fecit potentiam in brachio suo, fecit in me magna, qui potens est. » Nemo enim imaginari sibi potest humilitatem magis infinam, nec dignitatem magis sublimem. Mansi, disc. XVIII, n. 9.

De curru Salomonis sic aiebat Sponsa, Cant. III, 9, 10. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, reclinatorium aureum, ascensum purpureum.* Dubitari hoc loco potest, cur Salomon ex purpura potius, quam re alia quapiam, fieri voluerit ascensum. Ascensus est, qui pedibus premitur, calcatur, teritur omnium. Purpura Majestatis regiæ symbolum est, sacris pariter et profanis auctoribus. Quomodo ergo Salomon substratam pedibus voluit, quam Reges vestiunt, et summo capiti imponunt ? Respondet egregie Gilbertus Abbas : Quia humilitas suscepta pro Christo regiam præfert dignitatem. Merito ascensum, qui pro scabello pedum est, regia vestiebat purpura, quam Principes capitis ad ornamentum et insigne dignitatis gestitant, ut tali schemate significaret, eum, qui se pedibus omnium submittit, qui calcatur, proteritur ab omnibus, idque suaviter tolerat, purpuram esse, aut certe dignum, qui purpuram ipse Rex, sive Princeps induat : Humilitas suscepta pro Christo regiam præfert dignitatem. Did. Nyss. *Dom.* XVI, *post Pent.* § 1.

S. Climacus in quodam congressu virorum admodum illuminatorum, singulis per ordinem suam de humilitatis virtute sententiam denuntiantibus, se ultimum fuisse gloriatur ; ita enim de se ipso scribit : Ultimus omnium et vilissimus tamquam catellus, de micis et mensa e ore sapientum illorum Patrum cadentibus, collegi, et de humilitate disserturus, dixi : Humilitas est gratia animæ, nominis expers, solis nominata iis, qui ejus experimentum cœperunt, inexplicabilis thesaurus, a Deo sortita, singulare munus Dei. S. Clim. gr. XV.

In Apocalypsi legitur Deus ad quemdam Episcopum dixisse : « Scio paupertatem tuam, sed dives es. » Qui loquendi modus prima facie contradictionem involvere videtur ; si enim dives est, qualiter inops appellatur ? S. Ansbertus per paupertatem, humilitatem intelligit, quæ omnibus opulenta est virtutibus ; quo enim anima humilior est, minusque se virtuosam reputat, et perfectam, tanto majoribus abundat perfectionis et sanctitatis divitiis. Quæ est ista dives paupertas, inquit ille, nisi illa contritio spiritus, qua superbia minuitur, humilitas vero augetur ? Hac paupertate locupletibus Dominus dicit : « Beati pauperes spiritu. » Ille spiritu pauper est, qui etiam, cum bona agit, semper se inutilem attendit. Ille spiritu pauper est, qui, cum plures virtute et sanctitate superet, cunctis se ipsum inferiorem meritis perpendit. Ideoque et Sanctus Basilius in admonitione ad filium spiritualem hanc humilitati attribuit laudem, dicens : Vir humilis Deo est similis, et in templo pectoris sui gestat eum. Mansi, disc. III, n. 10.

S. Dorotheus de hac materia discurrens ait : Corona quoque circumponenda est domui. Scriptum est autem in lege veteri : « Si ædificaveritis vobis domum, fabricate circa circum coronam in tecto, ne parvuli vestri ruant de tecto. » Corona illa est humilitas mentis, hæc enim est, quæ virtutes omnes coronat, conservat. Quemadmodum omnis virtus ex humilitate gignitur, et cum humilitate producitur, atque exercetur ; ita virtutum omnium absoluta perfectio humilitate completur. Moxque idem Sanctus interrogat, quinam illi sint parvuli, pro quorum tutela et salute dicta fabrica per modum coronæ extrui jubeatur, ne cadant ; dicit enim : Sed quinam sunt parvuli illi, de quibus lex ait : Ne parvuli vestri cadant, et ruant de tecto ? Respondetque dicens : Parvuli quidem sunt cogitationes, quæ in anima nostra gignuntur, quas oportet humilitate custodiri, ne ruant ex tecto, quam diximus esse omnium virtutum consummationem. S. Doroth. serm. xli.

Nescio, an aliquando observaveritis, inquit Mansi, quod S. Joannes (de quo S. Mater Ecclesia canit : « Fluenta Evangelii de sacro Dominici pectoris fonte potavit) describere nobis volens heroicam illam humilitatem et submissionem, quam Salvator in lotione pedum Apostolorum suorum exhibuit, verba illa præmiserit : Sciens quod omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit. Quamnam enim hæc verba cum lotione pedum vilium piscatorum connexionem habent ? Et tamen nequaquam dubitandum est, quin Evangelista cum altissimo mysterio eadem verba præmiserit. Audiamus Theophylactum hac de re loquentem : Cum sciret, inquit, quod omnia tradidisset ei Pater, et quod a Deo exiisset, et quod ad Deum iret, non timebat minui gloriam suam, lavans pedes discipulorum, non enim rapuerat gloriam, ut timeret ab illa excidere ; et propterea non dignantur humile quidam facere, qui generosi non sunt, quoniam gloriam rapiunt, nolentes ullo modo humiliari, ne prodant, quod rapuerant. At omnium Rex erat, et Dei Filius, hoc enim vult cum dixit : A Deo exivit, hoc est, ex Patris substantia, ut iterum ad Deum iret. Mansi, disc. xxii. n. 1.

In Exodo visionem quamdam lego præsenti proposito valde accomodatam : « Viderunt enim Deum Israel, » inquit Sacer Textus, « et sub pedibus ejus quasi opus lapidis Saphyrini, et quasi cœlum, cum serenum est. » In Hebræo legitur : « quasi opus lateris saphyrini. Hoc igitur lutum, quod filii Israel in Ægypto tractabant, lateres fabricando, et in cultu Religionis, et veri Dei, constanter et fideliter perseverando, in totitem gemmas et saphyros sub Dei pedibus in cœlum empyreum transmutatum fuit ; ut inde intelligamus, quantam in oculis Dei pulchritudinem et valorem habeant actus humiliationis, in quibus ad Deo placendum nos exercemus. Lutosa lateritia, inquit Oleaster, ac immunda tibi videbuntur, et his, qui terrena sapiunt, sed apud Deum pretiosi lapides sunt, quibus sedes ejus decoratur. Expende, quanti Deus faciat hæc ; lutum laboris eorum in saphyrum versum est, et margaritam. Quid, quæso, luto immundius et latere ? Quid vero mundius aut pulchrius cœlo ? Non sat fuit Domino lateres terrenos in cœlestem saphyrum mutasse, nisi etiam in cœlum lutum mutet, neque in qualecumque cœlum, sed mundissimum, O beata utilitas humiliantis se propter Deum, quæ in cœlestem munditiem tam facile commutatur ! Mamsi, disc. xxii. n. 7.

Deus noster primo credentium patri numerosam prædicturus ab eo descensuram stirpem, hac legitur usus fuisse sermonis phrasi : « Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam. » Alias quoque progeniei ejus fecunditatem et multiplicitatem pulveri assimilasse scribitur, quando dixit : « Faciam semen tuum sicut pulverem terræ. » Quæ, obsecro, pulverem, seu arenam inter stellasque cœli est proportio ? Respondet Hugo Card. Boni sunt pulvis per humilitatem, qua se instar pulveris pedum, omnibus viliores reputant, ideoque ad stellas usque evehuntur, qui ita se abjecerunt, sicut pulvis. Ibid. dis. xvi, n. 8.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Joseph Patriarcha non attigit uxorem Putiphari, quia omnia sibi tradita meminit præter ipsam ; sic humilis omnia sibi a Deo data agnoscens, præter gloriam Dei, de qua dixit : Gloriam meam alteri non dabo ; studiose pavet, ne eam contingat.

Quid sublimius aquilis ? Quid abjectius cadavere ? Et tamen, ubi est cadaver, mox advolant illæ. Sic etiam humilis, quantum-

cumque alis contemplationis super terram elevatus sit, mox tamen, ubi vile quoddam officium aut objectum videt, advolat. Jac. Alv. p. 11, c. xii.

Sanctus Laurentius Justinianus dixit, neminem scire bene, quid sit humilitas, nisi qui a Deo acceperit, ut sit humilis. In nullo enim tam falli homines, quam in vera humilitate cognoscenda. *Vita*, c. ix.

Quidam Frater dixit Abbati Sisoi : Video me ipsum, quia memoria mea ad Deum intenta est. Cui Abbas respondit : Non est magnum hoc, si mens tua cum Deo sit; magnum est autem, si te infra omnem creaturam videas. *Vita Patrum*, p. 626, num. 47.

Proprietates humilitatis pulchre per animalia ab Ezechiele visa indicantur; nam per Vitulum mansuetudo patientiæ ; per Leonem fortitudo ; per Hominem prudentia ; per Aquilam altitudo contemplationis, ad quam humiles elevantur ; aut potius intentio Solem justitiæ fixe respiciens significatur. Nieremberg. *in Doct. Ascet.* l. III, c. xlii.

Carolus V, Imperator, postremo ejusdem ex Germania recessu, cum Ulcissingæ ventos navigationi propitios opperitur, factum, ut cum Seldio, Ferdinandi fratris Legato, in seram noctem de rebus seriis ageret. Jam et nox, et lumina somnum postulabant, signoque nola dato, nullo e ministris, somno vinoque sepultis, accurrente, ipse Carolus lumen arripit, Seldio quantumvis renitenti præfert, eique per gradus ad quietis locum deducto : « Hoc tibi monumentum, ait, illius Caroli habeto, Seldi, tot exercitibus et satellitibus quondam stipati, quem nunc solum, et a familia desertum vides, et cui tu tot annis servivisti, ille tibi serviit, et lumen prætulit. Engelgrav. l. VIII, Embl. xxxviii, §. 3.

Necessitas. — Quidam ex Patribus dicebat : Omnis labor monachi vanus est sine humilitate. Humilitas enim præcursor est charitatis , sicut Joannes erat præcursor Christi, omnes trahens ad eum. *Vita Patr.* l. III, n. 126.

Alius dicebat : Sicut impossibile est navem firmam esse sine clavis ; ita impossibile est, hominem sine humilitate salvari. Ibid.

S. Thomas dicebat : Qui honoris est cupidus, contemnique refugit, et, cum contemnitur, excandescit, etsi miracula faceret, a vera perfectione longissime abest ; nulla enim virtus ibi esse potest, ubi fundamentum virtutis, nempe humilitas, deest.

Abbas Moyses, cum discipulum suum Zachariam hortatus esset, ut Patribus præsentibus aliquid diceret, pallium suum deposuit subtus pedes, illudque conculcans dixit : Nisi quis tali modo conculcatus fuerit, monachus esse non potest. *Vit. Patr.* l. II, c. ii.

Cum Frater quidam laudaretur a Fratribus apud Sanctum Antonium, hic tentavit eum, an posset injuriam ferre, quod cum non posset, dixit Sanctus Antonius : Similis est hic domui, quæ a facie quidem ornata est, retro vero a latronibus spoliata. Ib. l. X.

Christus Dominus, cum jussisset virginem Abbatissam præfici virginibus, subdit, ut si virgo inventa non fuerit, hoc onus assumat vidua humilis. Quid enim est, quod humilitas perfecta non meretur ? Propter humilitatem factus ego sum, Deus et Dei Filius, verus Filius Virginis. Et sine humilitate non est via ad cœlum. S. Brigitt. *Rev.* c. xxi.

B. Angelæ de Fulginio apparens B. Virgo in die Purificationis, Christum clausis oculis dormientem in sinu ejus reposuit. Ubi parvulus postea oculos aperuit, inexplicabilis inde splendor et ignis amoris ac lætitiæ erupit. Et tunc subito apparuit una majestas, et dixit mihi. Qui non viderit me parvum, non videbit me magnum. Ego veni ad te, et obtuli me tibi, ut te offeras mihi. *In opusc.* c. xlv.

Utilitas. — Humilitas recte auro malleato, quod pagellis inseritur , comparatur, quia, sicut aureus unicus in tam subtilem laminam diducitur, ut integram mensam obtegat ; ita humilitas omnes malleorum ictus tolerat, et ita diducitur, ut omnibus se hominibus humilis subjiciat. Drex. *Ros.* p. II, c. xiv, § 3.

Ovidius humilis loci commoda explicans, sic canit :

Usibus edocto si quidquam credis amico,
Vive tibi, et longe nomina magna fuge.
Vive tibi, quantumque potes, prælustria vita,
Sævum prælustri fulmen ab arce venit.
Effugit hybernas demissa antenna procellas,
Lataque plus parvis vela timoris habent.
Aspicis, ut summa cortex levis innatet unda ;
Cum grave nexa simul retia mergat onus ?
(Lib. III, *Trist.* eleg, iv.)

Christus S. Brigittæ dixit : Humilitate mentis et corporis penetratur cœlum, et vincitur. Diabolus superbus. Lib. IV , *Rev.* c. lviii.

S. Bernardus dicere solebat : Cum te humiliari videris, habeto id signum in bonum

omnino gratiæ appropinquantis. Nam sicut ante ruinam exaltatur cor ; ita ante exaltationem humiliatio. S. Bern. s. xliv *in Cant.*

Idem dicere solebat, Cogita de Deo, quidquid melius potes, et de te, quidquid deterius vales. Cap. vi *Medit.*

Idem dicebat, tres esse humilitatis gradus (aut effectus potius) fructum pœnitentiæ, desiderium justitiæ, opus misericordiæ.

Fr. Ægidius, audita Fratris Eliæ apostasia (qui erat totius Ordinis Generalis) ad Ecclesiam confugit, arctissimeque pavimento se appressit. Causam vero rogatus dixit : Ego descendam, quantum possum, quod Elias plus æquo ascendendo elisus sit, et turpissime corruerit. *De grad. Humil.*

Dignitas. — Cum Frater quidam senem interrogaret, quis esset profectus hominis? respondit ille : Humilitas. Quantum enim ad humilitatem inclinatus quis fuerit, tantum elevabitur ad profectum. *Vit. PP. libell.* xv, n. 77.

Alius quidam senex interrogatus, quid sit humilitas? respondit : Humilitas est magnum opus et divinum, via autem ad humilitatem hæc est, ut labores corporales assumi debeant. Ib. n. 82.

Philippus II, Hispaniæ Rex, in emblemate habuit pilam, in altum jactatam, quæ in humum delapsa resilit, cum inscriptione : *Percussa elevor.* Kiselius, *in Nilo* t. I, c. 5.

Abbas Pastor dicere solebat, humilitatem esse terram, in qua Dominus Sacrificium fieri mandavit. *Vit. PP.* l. V, *libell.* xxxi.

Christus B. Birgittæ dixit, humilitatem esse illam virtutem, quæ Deum in cor introducit. L. VI *Rev.* c. cxvi.

Aristenes, teste S. Clemente Alexandrino, dixit, beatitudinem esse fastus vacuitatem. Lanciz. opusc. viii c. ii, n. 17.

B. Virgo, cum commendaret Christo B. Brigittam, ut ei sua dona daret, dixit ei Christus : Qui quærit sublimia, necesse est, ut prius agat fortia, et exerceat humilia. Ideo tria sunt ei necessaria. Primum est, ut habeat humilitatem, per hanc enim sublimitas obtinetur. Lib. VII *Rev.* c. xlii.

S. Catharinæ Senensi dixit Deus, humilitatis sororem esse patientiam invictam, et hanc patientiam esse medullam charitatis, ac signum evidens, ac aperte demonstrativum, quod anima sit in gratia consistens in Deo, et Deum per gratiam in se habens. *Dial.* c. cliv.

S. Hieronymus de S. Paula Romana dixit: Fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quæ virtutem quasi umbra sequitur, et appetitores sui deserens, appetit contemptores. Rodriq. p. II, tr. iii, c. xix.

Sponsus Sponsæ suæ pulchritudinem laudare volens, a pedibus præcipue eam commendavit, dicens : Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, Filia Principis. Cant. vii. Hinc S. Ludovicus Tolosanus dixit : Nihil tam gratum Deo, quam si vitæ merito magni, humilitate infimi simus, cum tanto quis pretiosior sit Deo, quanto vilior sibi. Fab. tom. V, *in festo S. Matthiæ.*

Purpura piscis ascendit ad regum ornamentum, ea tamen prius in profundo pelagi quæri debet, ubi solum invenitur, teste Pierio. L. II *Hierogl.*

Cum humilibus ludit Deus, sicut Joseph olim luserat cum Benjamin, quem initio quasi furem premere ac vincire se velle simulavit, postea vero id totum joco factum ostendit, eumque amplexans cæteris fratribus prætulit. Fabr. l. c.

S. Chrysostomus ait, laudis despicientiam esse angelicæ cujusdam animæ, verticis cœlestis testudinem tangentis. Hom. xliii *ad Popul.*

Cum B. Catharina Riccia, dato a B. Virgine in ulnas Christo parvulo, quæreret, quid esset agendum, ut placere posset puero Jesu? respondit B. Virgo, Filio suo humiles, et obedientes placere super omnes. *Vit.* c. xxi.

Sicut unicus est locus, quem sol semel tantum aspexit, scilicet fundus Jordanis, quando Israelitæ transibant; et sicut unicus est dies, quo totus mundus exultavit, quando scilicet Noe cum uxore et liberis ex arca egressus est; ita unica est virtus, quam Diabolus imitari non potest, nempe humilitas. S. Clim. *ap. Drex. Ros.* p. II, c. xiv, § 3.

Humilitas est succulæ, id est, machinæ tractoriæ similis, quæ, quidquid ei affigitur, in altum trahit. Ibid.

Dixerat S. Paulus ante Romanis : Quis cognovit sensum Domini? Sed postea eum Philippensibus aperte indicat dicens : Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, etc. Philip. ii, 5.

Male quidem cesserat olim Lucifero, quod voluerit similis esse Altissimo ; nunc autem cum tot præmiis invitemur, ut fiamus Altissimo similes, scilicet per humilitatem Christi, an non grandis erit impudentia et ingratitudo, si id facere recusemus? Ibid.

Athenienses Pompeio adventanti divinos que honores recusanti scripsere : Quatenus te censes hominem, eatenus nobis eris Deus. Ibid.

S. Ignatius Loyola dicebat., summa spectantibus ab imis incipiendum esse. *Vit.* l. V, c. III.

AUCTORES.

Jacobus Alvarez, tom. II, l. IV.

Alphonsus Rodriquez, p. II, tr. III.

Theophilus Bernardinus, *de Perseverantia Religiosa* lib. III et IV.

Ludovicus Richeomus, *in Academia honoris.*

Eusebius Nierembergius, *in Doctrinis Asceticis*, lib. III, doct. IV ; et l. *de Ador.* c. XIV, XVI, XVII, XIX, et XX.

Joannes Busæus, *in Viridario*, v. Humilitas.

Jeremias Drexelius, *in Rosis*, p. II, c. XIV.

Petrus Sanchez, *in Regno Dei*, p. VII, c. II.

Philippus D'Outreman, *in Pœdagogo Christiano*, c. XXIV.

Hugo Rot, *in Via regia*, p. I, c. VII, s. 1 ; et p. II, c. XIX, s. 1 ; et p. III, c. XXVII, s. 5.

HYPERDULIA MARIANA.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est cultus quidam superior, qui B. Virgini propter singularem suam supra alios Sanctos excellentiam debetur. Nam ut S. Hieronymus ait, cæteris Virginibus et Sanctis per partes præstatur gratia ; Mariæ vero se totam infundit gratiæ plenitudo, quæ fuit in Christo, quamquam aliter et aliter, quia in Christo fuit plenitudo gratiæ tamquam in homine personaliter definito, in Maria vero ut in templo singulariter consecrato ; in Christo sicut in capite influente, in Maria vere sicut in collo transfundente. S. HIER. in serm. *de Assumptione.*

ACTUS.— *Amor*, tam *affectivus*, quo B. Virgini de ejus gloria et privilegiis ex animo congaudemus et congratulamus, quam *effectivus*, quo opera quæ eidem singulariter placere cognoscimus, singulari quoque affectu studioque perficimus.

Reverentia, tam *interna*, in magna de ipsius excellentia et gloria æstimatione consistens, quam *externa*, per varias actiones conceptam de illa æstimationem attestantes manifestata

Fiducia, qua, sive bona a Deo obtinere, sive mala a nobis repellere, desideramus, ad B. Virginem velut Matrem filiali affectu confugimus, eique omnem nostri ac rerum nostrarum curam penitus committimus, quemadmodum S. Bernardinus hortatur dicens : Quidquid illud est, quod offerre et obtinere paras, Mariæ commendare memento, si non vis sustinere repulsam. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ. Dico vobis, si pie a nobis pulsata, si pie fuerit invocata, compatietur nobis, non deerit necessitati nostræ. Siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas ; quoniam Regina cœlorum est, misericors est, et Mater misericordiæ. S. BERN. in s. *de Nativitate.*

Imitatio, præcipue in vita optime et secundum vocationem instituenda ; nam, ut bene quidam cecinit, Virginis est cultus pulcherrimus optima vita. Et, ut S. Ildephonsus ait, vera laudatio cordis imitatio est operis. S. ILDEPH. s. *de Assump.*

Propagatio cultus Mariani ; sive per conciones publicas, sive per privatas exhortationes, sive per librorum scriptionem aut distributionem, sive per imaginum propositionem aut divisionem, sive per Rosariorum oblationem, sive per Confraternitatum suasionem.

EX S. SCRIPTURA.

Maria Mater Christi.

Erat Mater Jesu ibi. JOAN. II, 1.

Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? LUC. I, 43.

Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. LUC. I, 36.

Surge, et accipe Puerum cum Maria Matre ejus. MATTH. II.

Stabat juxta Crucem Jesu Mater ejus. JOAN. XIX, 25.

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. IS. XI, 1.

Et peperit Filium suum primogenitum. LUC. II, 7.

Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. ECCL. XXIV, 12.

Maria Virgo.

Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. MATTH. I, 18.

Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium. Is. VII, 1.

Porta hæc clausa erit, et vir non transibit per eam; quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi. EZECH. XLIV, 2.

Hortus conclusus soror mea Sponsa, hortus conclusus, et fons signatus. CANT. IV, 12.

Mariæ Nomen.

Et nomen Virginis Maria. LUC. I, 27.

Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ. MATTH. I.

Oleum effusum nomen tuum. CANT. I, 2.

Laudabo nomen tuum assidue, et collaudabo illud in confessione. ECCL. LI, 51.

Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei; et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen Civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo a Deo meo. APOC. III, 12.

Maria dolorosa.

Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? Cui exæquabo te, et consolabor te, virgo, filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua; quis medebitur tui? THREN. II, 1.

Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio. Ib. III, 15.

Tuam ipsius animam pertransivit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. LUC. II, 35.

Ne vocetis me Noemi (id est, pulchram) sed vocate me Maria (id est, amaram) quia amaritudine valde me replevit Omnipotens. RUTH. 20.

In illa die aspicient ad me, quem confixerunt, et plangent cum planctu quasi super Unigenitum, et dolebunt super eum, sicut doleri solet in morte primogeniti, ZACH. XII, 10.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi; inter ubera mea commorabitur. CANT. I, 13,

Maria amanda.

Ego Mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. In me gratia omnis vitæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis. ECCL. XXIV, 26.

Transite ad me omnes (per amorem) qui concupiscitis me; et a generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. Ib. 26.

Ego diligentes me diligo; et qui mane vigilant ad me (amantium more) invenient me. PROV. VIII, 17.

Sicut lætantium omnium habitatio est in te. PS. LXXXVI, 7.

Maria veneranda.

Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu tu honorificentia populi nostri; quia fecisti viriliter, confortatum est cor tuum; eo quod castitatem amaveris. JUDITH. XV, 10.

Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium ejus. Surrexerunt filii ejus, et beatissimam prædicaverunt; vir ejus, laudavit eam. PROV. XXXI, 10 et 28.

Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. PROV. XXXI, 29.

Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. PS. XLIV, 10.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion. ECCL. XXIV, 17.

Fundamenta ejus in montibus sanctis; diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. PS. LXXXVI, 1.

Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? CANT. VI, 9.

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? CANT. VIII, 5.

In omni populo, et in omni gente primatum habui; et omnium excellentium, et humilium corda virtute calcavi. ECCL. XXIV, 10.

Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea. Ibid. XVI.

Benedicta tu a Deo tuo in omni tabernaculo Jacob; quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israel. JUDITH. XXXI, 31.

Surrexit Rex in occursum ejus, adoravitque eam et sedit super thronum suum, positusque est thronus Matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus. III. Reg. II, 19.

Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Luc. I, 30.

Respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Luc. I, 48.

Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quæ suxisti. Luc. XI, 27.

Maria invocanda.

Pete, Mater mea; neque enim fas est, ut avertam faciem tuam. III Reg. II, 20.

Beati, qui vigilant ad fores meas quotidie, et observant ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino. Prov. VIII, 34.

Benedixit te Dominus in virtute sua; quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. Judith, XIII, 22.

Dic, obsecro te, quod soror mea sis, ut bene sit mihi propter te, et vivat anima mea ob gratiam tui. Gen. XII, 23.

Tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem,et absconsionem a turbine et a pluvia. Is. IV, 6.

Ponam tabernaculum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea. Lev. XXIV, 11.

Qui me creavit, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices. Eccl. XXIV, 13.

Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Cant. IV, 4.

Ego murus, et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Cant. VIII, 10.

Maria sine macula concepta.

Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo illius. Gen. III, 15.

Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Cant. IV, 7.

Noli metuere, non morieris; non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Esther XV, 13.

Necdum erant abyssi, et ego jam concepta eram. Prov. VIII, 24.

Domum tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum. Ps. XCII, 8.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Mariæ Nomen.

O celeberrimum nomen Maria! Quomodo posset nomen tuum non esse celebre, quod etiam devote nominari non potest sine nominantis utilitate? S. Bonav. *in Spec. Virg.* c. VIII.

O magna, o pia, o multum laudabilis Maria! Tu nec nominari potes, quin accendas, nec cogitari quidem, quin recrees affectus diligentium te.Tu numquam sine dulcedine divinitus insita, piæ memoriæ portas ingrederis S. Bern. *apud S. Bon.* l. c.

Sicut nomen Jesus est mel in ore, in aure melos, in corde jubilus, sic et nomen Mariæ, et etiam amplius, si dicere audeamus; Jesus enim quasi superbum nomen est, et nimium potens, nostros humilius nomen affectus decet, ut si in Jesu, aut Deitatis, aut virilis sexus austeritatem aliquis vereatur, recurrat ad Mariam, in qua nihil horum est suspectum; Maria enim muliebre nomen, mansuetudinem præferens et commendans. Quod si sexum verearis, pro eo, quod et sibi, et aliis fuit in ruinam, virgo est. Rich. *de Laud. Virg.* l. I, c. II.

Dedit tibi, Maria, tota Trinitas nomen, quod post nomen Filii tui est super omne nomen, ut in nomine tuo omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum. Ibid., l. V.

Maria Mater Christi.

Audacter dico, quod nec ipsa plene explicare poterit, quod capere potuit. S. Aug. *sup. Magnific.*

Tu Deo, alioquin numquam indigenti,carnem, quam non habebat, dedisti; quo, inquam, hac ratione omnipotens, id, quod esse dignatus est, homo videlicet, vere appareret. Quid hoc illustrius? Quidve sublimius? Qui cœlum et terram implet, cujus præterea sunt omnia, quæcumque moventur, atque subsistunt, is tui factus est indigens. Methodius, *in orat. super Hyg. Papam.*

Cum Deus in aliis rebus sit tribus modis, in Virgine fuit quarto speciali modo, scilicet per identitatem, quæ idem est, quod

ipsa. Hinc taceat et contremiscat omnis creatura, et vix audeat aspicere tantæ dignitatis immensitatem. S. Petrus Dam. s. *de Nativ. Virg.*

Virgo, concipitur ex te auctor tuus, tua ex te oritur origo, in tuo germine est genitor tuus, et in tua carne est Deus tuus. S. Chrys. s. xlii.

Beatior fuit Maria concipiendo mente, quam ventre. Felicius gestavit corde, quam carne. S. Aug. l. *de Virg.* c. iii.

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, tecum in corde, tecum in ventre, tecum in utero, tecum in auxilio. S. Aug. s, *de Nativ. B. Mariæ.*

Quod natura non habuit, usus nescivit, ignoravit ratio, mens non capit humana, pavet cœlum, stupet terra, creatura omnis etiam cœlestis miratur, hoc totum est, quod per Gabrielem Mariæ divinitus nuntiatur. S. Hier. *de Assumpt.*

Maria Mater viventium.

Peperit filium suum primogenitum. Primogenitum ait, non respectu sequentium carnalium, cum nullum alium habuerit, sed respectu adoptivorum. Licet enim filium unicum Virgo in sanctissimo utero genuerit, in eo tamen spiritualiter facta est mater multitudinis filiorum, quorum Christus est primogenitus. Viguerius, *in* c. ii *Luc.*

Sicut Christus nos genuit verbo veritatis ad esse spirituale, in cruce patiendo; ita B. Virgo nos genuit et peperit in maximis doloribus, Filio compatiendo. S. Anton. p. iv, tit. XV, c. xx.

O Mater Dei et hominis, et Mater Judicis et rei, et Mater Regis et exulis, cum sis Mater utriusque, non decet, ut inter filios discordiam esse patiaris. S. Bern.

Auctrix peccati Eva, et auctrix meriti Maria; Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit; illa percussit, ista sanavit. S. Aug. *in* s. *de Pass.*

Maria Virgo.

B. Maria mater est omnium in Virginitate, quia prima sine præcepto, consilio, vel exemplo Virginitatis munus obtulit, per quod omnes virgines per imitationem virginitatis genuit. S. Anton. p. iv, tit. XXV, c. xx, § 10.

Arbitror consentaneum rationi esse, virilis quidem puritatis primitias in castitate fuisse Jesum, muliebris vero Mariam. Origen. *in c.* xiii *Matth.*

Quid est porta in domo Domini clausa, nisi quod Maria semper erit intacta? Et quid est, homo non transibit per eam, nisi quia Joseph non cognovit eam? Et quid est, quia Dominus solus intrat per eam, nisi quia Spiritus Sanctus imprægnavit eam? Et quid est, quod clausa erit in æternum, nisi quia Maria Virgo est ante partum, in partu, et post partum? Dicat ergo Maria : Porta facta sum cœli, janua facta sum Filii Dei. Illi facta sum janua clausa, qui post resurrectionem suam ingressus est per ostia clausa, qui natus de utero meo, me matrem dimisit intactam. Adimplevit ventrem meum Divinitate, et uterum meum non evacuavit castitate, nec in conceptione inventa sum sine pudore, nec in parturitione inventa sum cum dolore. S. Aug. s. xiv, *in Nat. Dom.*

Naturæ portas reseravit Emmanuel, ut homo; sed virginitatis claustra non violavit, neque perrupit, ut Deus; ita enim est ex utero egressus, sicut per aurem ingressus; ita natus, sicut conceptus. Qui impatibiliter fuerat illapsus, impatibiliter est elapsus. Proclus. *de orat. de Nat. Christi.*

Solis radius speculum penetrat, et soliditatem ejus insensibili subtilitate pertransit; speculum ergo non rumpit radius solis; integritatem virginis ingressus aut regressus numquid vitiare potuit Deitatis? S. Aug. s. iii *de Adv.*

Maria sine macula.

Decebat, ut illa virgo ea puritate niteret, qua major sub Deo nequit intelligi, quod non haberet veritatem, si in peccato originali concepta foret. S. Ans. l. *de Conc. Virg.* 18

Si Deus castaneæ confert ut intra spinas a spinis remota concipiat, alatur, et formetur, non potuit hoc Dei Filius facere Matri suæ? Plane potuit, voluit, et fecit. Idem, *de Exord. hum. salut.*

Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit. S. Ambr. s. i *de Gabaonitis.*

Potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius potest esse in rebus creatis, puta si nulla peccati contagione inquinatum sit. Et talis fuit puritas Mariæ, quæ a peccato

originali et actuali immunis fuit, sub Deo tamen, in quantum erat in potentia ad peccandum. S. Thom. *Sent.* d. xxiv a. 3, in sol. tert. arg.

Maria dolorosa.

Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit, vel potius nihil, comparatione tuæ Passionis. S. Ans. l. *de Excel. Virg.* c. v.

Cor Mariæ clarissimum Passionis speculum, et perfecta mortis imago effecta est. S. Laur. Just. l. *de Triumph. Christi agone.*

Nullus dolor amarior, quia nulla proles carior. S. Bon. *in offic. de Pass.*

Tunc plus quam Martyr fuit, quia in animo non minus amoris, quam mœroris, gladio intus vulnerata fuit. S. Idelph. s. ii, *de Assumpt.*

Omnino tunc erat una Christi et Mariæ volontas, unumque holocaustum ambo pariter offerebant Deo, hæc in sanguine cordis, ille in sanguine carnis. Arnoldus Carnol. in tract. *de Laud. Vir.*

O ineffabilis reciprocatio sancti amoris! Filius patitur, et intus valde compatitur Matri; Mater vero compassa est patienti Filio. Tantus nempe impetus Passionis Domini Jesu fuit, ut quasi torrens ipsum impleret patientem, et inebriaret, quia teste Psalmista : *De torrente*, scilicet Passione ejus, *in via bibet* Christus, ut sic Christo impleto, Matrem flueret patientem, qua similiter repleta, ad filium redundaret inundatio amaritudinis et mœroris. S. Bern. hom. *in Ev. Stabat.*

Quo se illius figebat obtutus (verba sunt Beati Laurentii Justiniani) mœstus retundebatur animus, visionis horrore. In capite coronam spineam, in facie sputa, gelatum sanguinem, et speciem deformatam, in manibus ac pedibus clavos infixos, vulnera dilatata, defluentem cruorem, rigidosque nervos, in toto demum corpore livores, tunsiones, excoriationes, tumoresque cernebat. Undique vehementissimi doloris aspiciebat insignia. S. Laur. Justin. *de Triumph. Christi agone*, c. xviii.

Vidit in eo Pretium mundi pretio vili distractum ; Fortitudinem Sanctorum in agonia factam; Speciosum forma præ filiis hominum, plenum sudore sanguineo; Dominum mundi, ut latronem comprehensum; Virtutem cœlorum arctioribus vinculis constrictam; columnas cœli contremiscere Facientem, ad columnam vinctum; orbis Conditorem ictibus lividum; in Cujus manu vita et mors, flagellis diruptum et laniatum; Judicem sæculi coram impiis, ut judicetur, adductum; in cœlis Glorificatum, scelestissimis spretum; cœlorum Regem a sceleratis illusum; Caput omnium potestatum arundine percussum. S. Bern. t. III, s. ii.

Tantus fuit dolor Virginis, quod si in omnes creaturas, quæ pati possent, divideretur, omnes subito interirent. Idem.

Summa fuit inter Christum et Mariam sympathia naturarum, complexionum, morum, propensionum, et voluntatum conjuntio, consequenter eximia quædam dolorum communicatio. Quod igitur pro salute nostra Christus in corpore suo de condigno, et ex omni æquitate, et rigore justitiæ Patris sati faciens patiebatur, hoc Maria de congruo, impetratorio, ut vocant, merito procurabat.

Quod non fuerit tam amarum martyrium aliorum Sanctorum, manifestissime patet. Non fuit talis Filius, non fuit talis Mater. Non fuit tanta charitas sicut inter Matrem et Filium. Non fuit tam indigna mors. Non fuit dolor tantus. Sciebat siquidem Mater, qualis erat Filius, unde conceptus, et quomodo, et cætera hujusmodi, et ideo quanto dilexit tenerius, tanto vulnerata est profundius. Laur Just. lib. III *de Laud. Virg.*

Cum alii Martyres passi sint propter fidem, Maria passa est propter charitatem. Unde dicit in Canticis, secundum aliam litteram, quam ponit Gregorius : « Vulnerata charitate ego sum, et sicut charitas major est quam fides (I Corinth. 13). *Major autem horum est charitas*; sic Mariæ martyrium quantalibet excellit martyria Sanctorum. Id.

Tuam ipsius animam doloris gladius pertransivit. Et vere pertransivit animam tuam gladius doloris, inquit S. Anselmus, qui tibi amarior fuit omnibus doloribus cujusvis passionis corporeæ. Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit, aut potius nihil, comparatione tuæ Passionis, quæ nimirum sua immensitate transfixit omnia penetralia tua, tuique benignissimi cordis intima. S. Ans. *de Laud. Virg.* c. v.

Tanta ejus crux, tanta afflictio erat, ut, tametsi invenire quidpiam consolatorium in Filii Passione potuisset, suis levandis doloribus accommodum, mox ab illo amaritu-

dinis impetu atque profluvio fuerit absorbendum, haud secus quam si gutta suavissimi vini in mare salsissimum mittatur. TAULERUS c.XLIV.

Quia Pater æternus Unigenito Filio suo nullum excellentius, vel præclarius, quam crucis, sive passionis, donum conferre potuit (hoc namque post ipsum gratissimum beatissimumque munus est, quod charissimis præstat amicis suis) ideo et Virgini intemeratæ hoc ipsum donum largitus est; cui dono ipsa per invincibilem quamdam tolerantiam cooperari optime novit. Ibidem.

Non attendit doloris gladium, quo cor suum scindendum erat; non thesaurum pretiosissimum, quo privanda erat, consideravit; nec denique una se hora omni gaudio, solatio, ac ipso demum charissimo Filio suo destituendam intuita est; sed totam se cum omni facultate sua simul in gratissimam resignavit Dei voluntatem, parata omnem ferre pressuram, afflictionem, et gravissimos cruciatus, qui hinc ei accidere possent. Ibidem.

Maria summe æstimanda et veneranda.

Hoc solum, quod Dei Mater est, excedit omnem altitudinem, quæ post Deum dici, vel cogitari potest. S. ANS. l. *de Excel. Virg.*

Majorem mundum potest facere Deus, majus cœlum; majorem Matrem, quam Matrem Dei, non posset facere Deus. S. BONAV. *opusc.*

Angelicam transiens dignitatem, usque ad summi Regis thronum es sublimata, ubi posuit idem Rex Filius tuus quod ex te suscepit, ibi te posuit Reginam, de qua illud assumpsit. Neque enim fas est, alibi te esse, quam ubi est id, quod a te genitum est. S. BERN. s. VI. *de Assumpt.*

Christus Dominus, Maria Domina; constituta quippe est super omnem creaturam, et quicumque Jesu curvat genu, Matri quoque pronus supplicat. S. ARN. s. *de B. Vir.*

Tot creaturæ serviunt gloriosæ Virgini Mariæ, quot serviunt Trinitati; Deo scilicet ita volente, et imperante. S. BERN. t. I. conc. LXI, ar. 1, c. VI.

Si omnia dona, virtutes, et gratiæ ipsius Spiritus Sancti quibus vult, quomodo vult et quantum vult, per manus ipsius (Mariæ) administrantur; altius ergo intueamur, quanto devotionis affectu a nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria, ut proinde, si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare. Adeoque totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. S. BERN. s, *de Aquæ ductu.*

Quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in ejus laudibus referamus, cui, etiamsi omnium nostrum membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus. Altior enim cœlo est, de qua loquimur, abysso profundior, cui laudes dicere conamur. Si cælum te vocem, altior es; si Matrem gentium, præcedis; si formam Dei appellem, digna existis; si Dominam Angelorum, prima esse probaris. S. HIER. in s. *de Assumpt.*

Sicut in comparatione Dei nemo bonus; ita in comparatione Matris Domini nulla invenitur perfecta creatura, quantumvis eximia virtutibus comprobetur. Id.

Vere in plenitudine Sanctorum detentio Virginis Mariæ, cui non defuit fides Patriarcharum, spes Prophetarum, zelus Apostolorum, constantia Martyrum, sobrietas Confessorum, castitas Virginum, fecunditas Conjugatorum, sed nec ipsa puritas Angelorum. S. BERN. *in serm.*

Gloriosum gloriæ Mariæ privilegium est, quod, quidquid post Deum pulchrius, quidquid jucundius in gloria est, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est. S. BON. *in Spec. B. V.*

Quid grandius Virgine Maria, quæ magnitudinem summæ Divinitatis intra su, ventris clausit arcanum. Attende Seraphimi et videbis, quidquid majus est, minus esse Virgine, solum opificem opus illud supergredi. S. PETRUS DAM. s. *de Nat. Virg.*

Si formam Dei te appellem, digna existis, S. AUG. s. *de Nativ.*

Magna fuit sanctificatio Jeremiæ, qua potuit vitare faciliter culpam mortalium; major sanctificatio Joannis Baptistæ, qua potuit vitare frequentiam venialium; maxima Virginis Mariæ, qua potuit vitare, imo vitavit omne peccatum. S. BERN. *ad Can. Lugd.*

Sicut est incomparabile, quod gessit, et ineffabile, quod percepit; ita est incomprehensibile præmium, quod meruit. S. ILDEPH. s. II *de Assumpt.*

Summa gloria est, o Maria, post Dominum te videre. S. BON. *in Spec.* c. VI.

Veni, electa, mea, et ponam in te thronum meum. Nullus plus mihi ministravit in humilitate mea, nulli abundantius ministrare volo in gloria mea. Communicasti mihi, quod homo sum, communicabo tibi, quod Deus sum. GUARRIC. s. 1 *de Assumpt.*

Deus, cui subditi sunt Angeli, Principatus et Potestates, subditus erat Mariæ, et Joseph propter Mariam. Mirare ergo utrumlibet, et elige, quid amplius mireris, sive Filii Dei benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrinque stupor, utrinque miraculum. Et quod Deus feminæ obtemperet, humilitas absque exemplo; et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio. S. BERN. s. *sup. Missus.*

Duæ famulæ, quarum Regina est Maria, sunt angelica et humana natura. Humana est famula illa, quæ sequitur Dominam in mundo colligens vestimenta Dominæ, hoc est, virtutes et exempla Mariæ. Angelica vero est illa altera, super quam in cœlo innititur, se sociando et deliciando cum Angelis. S. BONAV. *in Spec. Virg.*

Honor is, qui conservis habetur, benevolentiam erga communem Dominum declarat. Quo tandem modo studium te honorandi, quæ Dominum peperisti, negligendum erit? An non illud necessario spiritui præferemus, ac ipsi etiam vitæ anteponemus? Hac enim ratione nostram erga Dominum benevolentiam luculentius ostendemus. S. DAM. orat. 1 *de Dorm. B. V.*

Non est in mundo locus dignior utero virginali, in quo Dei Filium Maria suscepit, nec in cœlis solio regali, quo Mariam Dei Filius sublimavit. S. HIER. in l. *de Ass.*

Virgo regia est via, per quam Salvator advenit procedens de ipsius utero, tanquam sponsus de thalamo suo. Per te accessum habemus ad Filium, o benedicta Inventrix gratiæ, Genitrix vitæ, Mater salutis, ut per te suscipiat nos, qui per te datus est nobis, excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, et humilitas tua Deo grata nostræ veniam impetret vanitati, copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, fecunditas gloriosa fecunditatem nobis conferat meritorum! S. BERN. s. II *de Adventu.*

Maria veneratione digna in qua humilitatem exaltat fecunditas, et partus consecrat virginitatem. Id. *super Missus est.* Homil. I.

Maria invocanda.

Advocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Judicis Mater, et Mater misericordiæ, suppliciter et efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit. Siquidem ei nec facultas deesse poterit, nec voluntas. Regina cœlorum est, misericors est; denique Mater est Unigeniti Filii Dei. Nihil enim sic potest potestatis ejus seu pietatis magnitudinem commendare, nisi forte aut non creditur Dei Filius honorare Matrem, aut dubitare quis potest omnino in affectum charitatis transiisse Mariæ viscera, in quibus, ipsa, quæ ex Deo est, charitas novem mensibus corporaliter requievit. S. BERN. s. II *in Domin. 2 post Epiph.*

Quis misericordiæ tuæ, o benedicta, longitudinem et latitudinem, sublimitatem et profundum queat investigare? Nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic et sublimitas ejus Civitatis supernæ invenit restaurationem; et profundum ejus sedentibus in tenebris et in umbra mortis obtinuit redemptionem. Ibid.

Ipsa est præclara et eximia stella super hoc mare magnum et spatiosum necessario sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare, quam per terram ambulare, nec avertas oculos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis. S. BERN. hom. II *sup. Missus.*

Ipsam sequens non devias, ipsam cogitans non erras, ipsam rogans non desperas, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non defatigaris, ipsa propitia pervenis, et sic in temetipso experiris, quam merito dictum sit: Et nomen Virginis Maria. Idem.

Ipsa est aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis, ut castrorum acies ordinata. Luna lucet in nocte, sol in die, aurora in diluculo. Nox autem est culpa, diluculum pœnitentia, dies gratia. Qui ergo jacet in nocte culpæ, respiciat lunam, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium cor ejus ad compunctionem illustret. Qui vero ad diluculum pœnitentiæ surgit, respiciat auroram, deprecetur Mariam, ut ipsa

per Filium cor ejus ad satisfactionem illuminet. Quia vero militia est vita hominis super terram, quicumque sentit impugnationem ab hostibus, vel a mundo, vel a carne, vel a Dæmone, respiciat castrorum aciem ordinatam, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium mittat auxilium de Sancto, et de Sion tueatur. Quis enim devote invocavit eam, et non est exauditus ab ea? Ipsa est Mater pulchræ dilectionis et sanctæ spei. INNOC. III, s. II *de Assumpt.*

Ex hoc beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam et gloriam tribuisti. In te Angeli lætitiam, peccatores veniam, justi gratiam inveniunt in æternum. Merito in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, per te et de te benigna manus omnipotentis, quidquid creavit, recreavit. S. BERN. s. *in Nat. Virg.*

Sinum misericordiæ suæ Maria omnibus aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, justus gratiam, Angelus lætitiam, tota Trinitas gloriam, et denique Persona Filii Dei carnis substantiam. Idem, s. *in Signum magnum.*

Habes vires insuperabiles, robur inexpugnabile, ne immensam tuam clementiam superet multitudo peccatorum. Nihil tuæ resistit potentiæ, nihil tuis repugnat viribus, omnia cadunt tuo jussu, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ potestati serviunt. Te omnibus suis reddit excelsiorem, qui ex te natus est. Tuam enim gloriam Creator existimat esse propriam, et tanquam Filius in ea exultans, quasi exsolvens debitum, implet petitiones tuas. S. GREG. NICOMED. s. *de Oblat. Deip.*

Nullus est, qui salvus fiat, nisi per te, o Virgo sanctissima; nemo est, cui donum concedatur, nisi per te, o castissima; cujus misereatur gratia, nisi per te, o honestissima! S. GERMANUS, s. *de Zona B. V.*

Nunquam male peribit, qui Genitrici Virgini devotus sedulusque extiterit. Impossibile est enim aliquem posse salvari peccatorem, nisi per tuum, o Virgo, auxilium et favorem. S. IGNAT. MART. *ap. Miekov.* p. II d. 352. n. 18.

Certe Domina, cum te aspicio, nihil nisi misericordiam cerno; nam pro miseris Mater Dei facta es, misericordiam insuper genuisti; et tibi demum officium misericordiæ est commissum, undique tu misericordia vallaris, solum misereri tu appetere videris, ita sollicita es de miseris. S. BER. s. II *sup. Salve Reg.*

Morientibus B. Virgo non tantum succurrit, sed occurrit, præsertim in hora mortis. S. HIER. in ep. *ad Eustoch.*

Et quidem sufficere poterat Christus, siquidem et nunc omnis sufficientia nostra ex eo est; sed nobis bonum non erat, hominem esse solum, congruum magis ut adesset nostræ reparationi sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset. S. BERN. s. *in Signum magnum.*

Quis unquam, o Beata, fideliter omnipotentem tuam rogavit opem, et fuit derelictus? Revera nullus unquam. B. EUTYCHIANUS, *in Vit. S. Theoph.*

Sileat laudes tuas, Virgo beata, qui te, suis in necessitatibus invocatam, sibi unquam meminerit defuisse. S. BERN. s. *de Assumpt. Virg.*

Sicut impossibile est, ut illi, a quibus Maria oculos suæ misericordiæ avertit, salventur; ita necessarium, quod hi, ad quos convertit oculos suos, pro eis advocans, justificentur et glorificentur. S. ANS. *ap. S. Antonin.* IV, p. tit. L, §. 14, c. VII.

Sicut, o beatissima, omnis a te aversus, et a te despectus, necesse est ut intereat; ita omnis ad te conversus, et a te respectus, impossibile est ut pereat. S. BONAV. L. I *Phar.* c. V.

Ad Patrem verebaris accedere; solo auditu territus, ad folia fugiebas; Jesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud Patrem Filius talis obtineat? At vero trepidas et ad ipsum? Frater tuus est, et caro tua, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forsitan et in ipso Majestatem vereare divinam, quod, licet factus sit homo, manserit tamen Deus, advocatum habere vis et ad ipsum? Ad Mariam recurre. Exaudiet utique Matrem Filius, et exaudiet Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. S. BERN. s. *in Nat. Virg.*

Habet homo mediatorem causæ suæ, Filium ante Patrem, et ante Filium Matrem. Christus Patri ostendit latus et vulnera; Maria Christo pectus et ubera. Nec potest ullo modo esse repulsa, ubi concurrunt et orant omni lingua disertius hæc clementiæ monumenta, et charitatis insignia. S. ARNOLDUS, tr. *de Laud. Virg.* tom. VI *Biblioth. Patrum.*

O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio, magis inter procellas et tempestates fluctuare, quam per terram incedere, noli avertere oculos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis! Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde; et ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. S. Bern. hom. II *in Missus est*.

Maria amanda.

Quid mirum, quod præ aliis est dilecta, quæ præ omnibus aliis est delecta! S. Bonav. *in Spec.*

Scio, Domina, quia benignissima es, et amas nos amore invincibili, quos in te et per te Deus tuus summa dilectione dilexit. Et quoniam amor non nisi amore reprehenditur, ideo redamare eam pro virili studeamus. S. Petrus Dam. ser. *de Nativ. Virg.*

Maria imitanda.

Sit vobis tamquam in imagine descripta virginitas, vitaque Mariæ, in qua velut in speculo refulget species castitatis, et forma virtutis. Hinc sumatis exempla vivendi, ubi tamquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid fugere, quid tenere debeatis, ostendunt. S. Ambr. lib. II *de Virg.*

Imitamini Matrem Virginem et Sanctos omnes, quos laudatis, quoniam non tantum illis prodest nostra laudatio, quam nobis eorum imitatio. Unde sponso magis placet imitator devotus, quam laudator otiosus; tamen vera laudatio cordis imitatio est operis. S. Ildeph. s. I *de Assumpt.*

Igitur, dilectissimi, amate Mariam, quam colitis; colite, quam amatis, quia tunc vere colitis et amatis, si imitari velitis ex toto corde, quam amatis. S. Hier. s. *de Assumpt.*

Agnoscit Virgo, et diligit diligentes se, et prope est invocantibus se, præsertim iis, quos videt conformes sibi factos in castitate, et humilitate. S. Bern. *in serm. sup. Salve Regina.*

Quicumque sibi Mariæ optant præmium, imitentur exemplum. S. Ambr. *de Virginibus*, l. II.

Talis fuit Maria, ut ejus unius vita omnium disciplina sit. Si igitur auctor non displicet, opus probemus. Ibid.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Mariæ Nomen.

S. Hermannus, qui et Josephi nomen ab ipsa B. Virgine adsciscere jussus erat, quoties SS. hoc nomen proferri audiebat, in terram prostratus terram osculabatur, et sat diu in ea defixa labra tenebat, asserens, se omnium florum et odorum suavitatem odorari. Pistorius, *in Matre adm.* conc. IX, § 3. Consonat plane cum eo, quod in ejus vita legimus his verbis: Ad Sacrum Mariæ Nomen non reclinatorium modo ac manum, pro Præmonstratensium Religiosorum more, osculabatur B. Hermannus de Steinveld, sed toto etiam corpore prosternebatur, tamque suaviter jacebat, ut inter fragrantissimos totius veris flores jacere se suavius non posse fassus sit, nec inde nisi admodum repugnanter exurgeret. *In ejus Vita.*

S. Odilo, quoties hoc nomen audivit, perinde atque ad illa verba Missæ: Et Verbum caro factum est, genuflexit. Pistorius, ibid.

S. Gerardus, Ungariæ Episcopus, ad prolationem dicti nominis non modo ipsemet caput aperuit, et profunde se inclinavit; sed etiam, ut subditi sui id facerent, neque unquam hoc nomen ob reverentiam pronuntiarent, sed *Dominæ nostræ* appellatione contenti forent, effecit. Ibid.

Franciscus Retzanus, Ordinis S. Dominici, tanta erga SS. Nomen hoc devotione ferebatur, ut ad singulas illius auditiones salutationem Angelicam recitaret. Pist. l. c.

Marsilio Episcopo femina quædam Coloniensis narrabat, numquam se Sanctum hoc nomen pronuntiare, quin suavitatem melle dulciorem experiretur; quare et ipse Marsilius pietatem illius secutus similem dulcedinem sensit. Ibid.

B. Jordanus de Saxona quinque Psalmos initialibus litteris *Mariæ* nomen referentes, (nempe: Magnificat, Ad Dominum, Retribue, In convertendo, Ad te levavi) quotidie recitavit. Quod idem cum fecisset Joscion, S. Bertini Religiosus, post mortem quinque rosæ, nempe una ex ore, binæ ex auribus, et totidem ex oculis excreverunt, quarum prima nomen Maria litteris aureis scriptum

continens, cum crystallo et auro inclusa esset, cæteræ videri desierunt. VINCENTIUS BELLOVAC. *in Specul.* c. CXVI.

Poloni inter cætera Marianæ devotionis monumenta non minimum hoc numerant, quod nulli feminæ unquam hoc nomen imponi sinant. MIEKOV. t. I, disc. LXXXIII, n. 1.

In Japonia ethnica mulier, cui ad idoli sui Amydæ honorem nomen ejus aliquot millenis vicibus quotidie pronuntiasset, et ideo summo mane e lecto surrexisset, eumdem honorem postea post baptismum nominibus Jesus et Mariæ pro conversionis beneficio exhibuit. PISTORIUS, *in Matre adm.* c. VIII, § 3.

S. Odilo, Abbas Cluniacensis, inter cæteros Sanctos erga Beatam Dei Genitricem tam ardenti pietate flagrabat, ut quotiescumque Mariæ Nomen proferri audiret, profunde sese inclinaret, et constitutus in Choro psallentium, cum ad illum veniretur modulantium alternatione versiculum : Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum, in terram se prosterneret. Sicque per corpus ostenderet, quibus desiderii cœlestis in mente facibus æstuaret. PETR. DAMIANUS, *in Vita S. Odil.*

Maria Mater.

B. Virgo quondam S. Brigittæ oranti apparens dixit, se esse Matrem Dei, Sanctorum, animarum in Purgatorio, et omnium denique justorum et peccatorum in terris existentium, eo quod Christum genuerit. Sanctorum gloria per ejus auctoritatem augeatur, purgantium pœna minuatur, justi a periculis corporis et animæ defendantur, et peccatoribus venia per ipsam impetretur. Lib. IV, *Rev.* cap. CXXXVIII.

Cum Garsenda filium suum Elzearium commendaret, Christum sibi de nocte oranti dicentem audivit : Scito, Garsenda, quod juveni, pro quo oras, Matrem meam pro Magistra et Matre dederim, omnem proin de illo sollicitudinem depone. SURIUS, 27 Sept. c. XIV.

Cum S. Mechtildis recitari in Passione verba illa : Stabat juxta crucem Mater ejus, audivisset, rogavissetque, ut ipsam quoque Matri suæ commendaret, Christus cum Matre sua apparens, atque eidem, Mechtildem in manus tradens, dixit : Mater, commendo tibi hanc filiam, perinde ac sanguinea vulnera, pretium passionis, cor ac delicias meas. Cumque Mechtildis quæreret, an hanc gratiam etiam aliis petentibus conferre paratus sit : Omnino, respondit, neque enim apud me ulla reperitur personarum acceptatio. BALING. *homil. in Calend. Marian.* 26 *Febr.*

S. Theresia singulis annis B. Virginis imaginem in sede Priorissæ collocabat, eique claves in manus tradens, hoc ritu publice illam pro Matre et Præside Monasterii declarabat. PISTORIUS, *in Matre adm.* cone. III, § 3.

S. Gerardus Martyr, Episcopus Canadiensis in Pannonia, laudibus et venerationi Sacratissimæ Virginis tantæ humilitatis obsequio se subdere noverat, ut si quis reus clam a sancti viri familiaribus edoctus, veniam ab ipso peteret, per nomen Matris Christi, mox audito nomine Matris misericordiæ, pater sanctus lacrymis profunderetur, et perinde ac si ipse reus esset a reo veniam peteret, Filium quoque suum illum fore affirmaret, si eam sincere crederet Dei Genitricem. Ipso auctore, ab Hungarica gente non pronuntiatur nomen ipsum Matris Dei, sed *Dominam* eam vocant. Si sit autem pronuntiatum illius nomen, statim flexis genibus et dimissis in terram capitibus se inclinant. *Apud Sur. in vita ejus*, 24 Sept.

Maria Virgo.

Cum Augustus Cæsar ex Sybilla quæsiisset, an quisquam illo potentior in orbe futurus esset ? eo die, quo Christus natus est, vidit Sibylla circulum aureum juxta solem, in quo Virgo pulcherrima infantem in gremio portans residebat, ideoque dixit illa Augusto : Jam potentior te natus est. Simulque vox audita est dicens : Hæc est ara cœli. Unde postea Constantinus M. templum eo in loco in honorem Matris Virginis ædificari jussit. S. ANTONIN. p. I, tit. IV, c. VI.

Simili modo Romani oraculum Apollinis consulentes, quamdiu Templum Pacis staturum esset ? audierunt : Quousque virgo pareret. Et licet ex hoc illi perpetuo duraturum augurati sint, contrarium tamen experti sunt, dum ea nocte, qua B. Virgo peperit, penitus collapsum est ; quemadmodum etiam eodem tempore corruit aurea statua, quæ in Palatio quodam cum hac inscriptione posita fuerat : Non cadet, donec Virgo pariat. S. BERN. s. VI *de Nativ.*

Tempore Constantini et Irenæ Matris ejus, sepulchrum inventum fuit, in quo jacebat homo laminam auream habens in pectore, in qua scriptum erat : Christus nascetur ex Virgine, et ego credo in eum. O sol sub Constantino et Irena iterum me videbis! Martinus Polonus, l. IV *Chron.*

Jeremias Propheta apud Ægyptios exilium patiens, prædixit omnia eorum simulacra ruitura, cum primum Virgo pareret, et infantem in præsepio locaret; unde Ægyptii fidem prædictioni adhibentes aram Virgini parituræ exstruxerunt, veramque postea Prophetiam fuisse, collapsis omnibus Idolis, compererunt. Miekov. d. cliv.

B. Ægidius, cum quidam celebris Doctor S. Scripturæ cum ipso de Virginitate B. Virginis collaturus accessisset, ex inspiratione Spiritus Sancti, ante quam Doctor verbum pronuntiaret, baculo ter terram pulsans dixit : Virgo ante, in, et post partum; et mox ad singulas percussiones lilium e terra prodiit. Surius, *in vita B. Ægidii.*

Tempore Bonifacii Papæ, cum Judæi Christum ex S. Josepho genitum pertinaciter contenderent, cæcus quidam illos eo usque convicit, ut polliciti sint Christianam fidem suscipere, si Christus ex Virgine natus visum ei restitueret; id ubi concurrente toto Clero in festo Purificationis, factum est, et cæcus magno subito splendore circumdatus responsorium de illibata virginitate Mariæ cecinit; quingenti Judæi conversi sunt, reliqui fugam arripuerunt. Th. Cantipraten. *in Appendic. Exempl.*

Maria sine macula concepta.

Helsinus Abbas, cum in negotiis Regis Angliæ navigaret, ob gravem tempestatem exortam nulla spes evadendi superesset, ideoque B. Virginis auxilium expeteret, mox quidam Pontificali habitu in aere apparens dixit : Scias, quod D. Maria misit me jubens, ut si liberari vis, promittas te annis singulis celebraturum, et, ut aliis etiam celebretur, curaturum, festum creationis et Conceptionis ipsius. Quod cum is promisisset, mox sedata tempestate liberatus est. *Stellarium B. V.* l. IV, p. I, art. 1.

Cum Gerardus de Piscaciis, Ordinis Minorum, contra Conceptionem immaculatam concionatus, paulo post Missam legeret, B. Virgo ei apparens sacram hostiam abstulit, nec prius restituit, quam pœnitentia ductus, revocationem dictorum promisit; id quod ille mox gratus præstitit. Ibid. art. 2.

Alius quidam ex eodem Ordine, dum Tolosæ in cathedra Conceptionem immaculatam oppugnaret, imago marmorea vultum cum indignatione avertit (quo situ etiamnum videtur) ipse autem cæcus factus, post pœnitentiam visum iterum recepit. Ibid.

In Regno Aragoniæ, dum quidam Religiosus ex Ordine S. Dominici Dæmonem adjurans peteret, ut ipsi dubium, quod mente de immaculata Conceptione conceperat, resolveret, dæmoniacus fortiter exclamans dixit : Væ, væ, væ, illis, qui festum B. Virginis sine macula conceptæ non celebrant, et malum de illa dicunt. Ibid.

Cum quidam canonicus, quotidie horas B. Virginis dicere solitus, quadam nocte fornicatus, solus navem ingressus horas easdem recitaret, navi a Dæmonibus eversa, ab iisdem jam ad tartara rapiebatur; sed B. Virgo ipsum corpori restituens, aquasque a dexteris et a sinistris muri in modum consistere jubens, ad portum deduxit, ubi quærentem, quid pro beneficio rependeret, hortata est, ne scelus repeteret, et ut festum suæ sanctissimæ Conceptionis celebraret. Ibid. ex S. *Anselmo.*

Alexander Alensis, cum in festo Conceptionis coram Universitate doceret B. V. esse in macula conceptam, repentino gravique morbo correptus, eoque singulis annis iterum circa hoc festum tentatus est, donec votum fecit, se librum de Immaculata Conceptione scripturum; quo facto mox sanatus est, et postea in morte assiduo hæc verba ingeminavit : Maria Domina mea, tota pulchra es et formosa, et macula originalis non fuit in te. Ibid.

B. Brigittæ ipsa Virgo revelavit, se esse sine macula conceptam, non definiri tamen hoc ab Ecclesia, ut fideles habeant magis occasionem, suum erga ipsam affectum demonstrandi. Bern. de Bustis, l. c.

Cum urbs Mediolanensis gravi peste affligeretur, multique per eam sublati essent, denique ea ad B. V. opem confugit, votumque fecit de Immaculata ejus Conceptione singulis annis celebranda, quo facto mox ab ea lue liberata est. Per simile votum Ferdinandus Primus Gronatam urbem, quam nulla vi expugnare poterat, in suam potestatem redegit. Ibid.

Toleti Episcopus erat, Gondisalvus nomine, adeo addictus B. Virginis cultui, ut hæc ei, quoties Sacrum faceret, visendam se exhiberet. Hic ergo, cum in festo Conceptionis se ad Sacrum præpararet, iterum illi apparens B. Virgo candidam planetam attulit, dixitque : Scito, fili, me sine macula originali conceptam fuisse; quapropter præcipio tibi, ut omni conatu studeas festum hoc meum celebrius efficere. Id quod ipse totis viribus executus est, libro etiam copioso ea de materia scripto. BERN. DE BUSTIS, l. c.

Maria dolorosa.

S. Brigittæ dixit Deipara : Cum nasceretur Filius meus, sensi ego, quod quasi dimidium cor meum nasceretur, et exiret a me ; et cum ipse pateretur, sensi, quod quasi cor meum patiebatur. Ego fui ei propior in Passione, nec separabar ab eo, et stabam vicinior cruci ejus; et sicut gravius pungit, quod vicinius est cordi, sic dolor ejus gravior præ cæteris erat mihi. Lib. I *Revel.* c. VI.

Alias eidem dicebat : Cum respexisset Filius meus ad me de cruce, et ego ad eum, tunc de oculis meis quasi de venis lacrymæ exibant. Et cum ipse me cerneret dolore confectam, in tantum amaricabatur de dolore meo, quod omnis dolor vulnerum suorum quasi sopitus erat præ dolore meo, quem in me videbat. Propterea audacter dico, quod dolor ejus erat dolor meus, quia cor ejus cor meum. Ideo, filia mea, cogita, qualis eram in morte Filii mei, et non erit tibi grave relinquere mundum. Lib. I *Rev.* c. VI.

Iterum eidem dixit : Filius meus videns me et amicos suos, oculis in cœlum directis clamabat ad Patrem : Pater, quare dereliquisti me ? quam vocem ego nunquam, donec ad cœlum veni, oblivisci potui, quia plus ex compassione mea, quam passione sua permotus eam protulit. MIEKOV. d. 384. n. 17.

Eidem dixit : Omni tempore, quo post Ascensionem Filii mei visitavi loca, in quibus ipse passus est, et mirabilia sua ostendit, sic quoque passio sua in corde meo fixa erat, quod, sive comedebam, sive laborabam, quasi recens erat in memoria mea. Lib. VI *Rev.* c. LXV.

S. Brigitta *in Revelationibus* narrat, primarium quemdam virum, qui ultra 60 annos cum Diabolo pactum habuerat, ideoque hoc totum tempus inter summa scelera transegerat, in fine tamen contritionis eliciendæ gratiam obtinuisse, quod, quoties dolorum B. Virginis recordabatur, teneram cum ea compassionem elicuerit. Lib VI. *Rev.* c. XCVII.

Maria æstimanda.

S. Dionysius, in Epistola ad S. Paulum scripta, sic loquitur : Cum ad Deiformem præsentiam altissimæ Virginis ductus fui, tam immensus me divinus splendor circumfulsit, et plenius irradiavit interius, et in me omnium odoramentorum superabundavit fragrantia, ut nec corpus infelix, nec spiritus posset totius ac tantæ felicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, defecit et spitus tantæ Majestatis gloria oppressus. Testor, qui aderat in Virgine, Deum, si tua divina concepta mente non me docuissent, hanc ego Deum verum credidissem. MIEKOV. disc. 104, n. 17.

Clericus quidam, cum multis precibus a B. Virgine obtinuisset, ut suam illi pulchritudinem ostenderet, et primo ejus aspectu impetrato oculum unum, quem solum aperuerat, splendore nimio corruptum amisisset, etiam alterum ut impendere secundo aspectui liceret, ardenter petiit, et obtinuit quidem, sed ita ut cum aspectu etiam alterius oculi sanitatem lumenque reciperet. S. ANTONIN. par. IV, tit. XV, c. XXXIV, §. 3.

Maria amanda.

Carolus S. Brigittæ filius dicere solebat : In tantum gaudeo, quod Deus Virginem Mariam Matrem suam super omnia habet carissimam, ut ego illud gaudium præferam omnibus rebus creatis et delectationibus terrenis. Unde B. Virgo fassa est, se ei propter talem amorem specialiter in mortis articulo adfuturam. Ibid.

Romæus Tarraconensis adeo diligebat B. Virginem, ut nunquam sibi ejus memoriam elabi pateretur, illud S. Davidis : Cum dederit dilectis suis somnum, ad B. Virginem applicare, dicereque solitus, eos, qui hanc Virginem sincere amant, quasi dormiendo cœlum obtinere. Hinc etiam frequenter alios adhortatus ad amorem, dicebat : Ah ! Fratres, cur non diligitis, et cordialem amicitiam facitis cum Maria ? Non patitur illa

amando se vinci. Pistorius, *in Matr. adm.* c. xii, p. 3.

S. Franciscus Salesius nihil aliud magis cogitabat, quam quomodo hanc S. Dei Matrem satis diligere posset; hinc cum ipse satis eam diligere non posset, Ordinem Monialium, quæ a Visitatione nomen habent, instituit, easque ad hanc Dei parentem velut Matrem amandam, quanto poterat studio, dum vixit, est adhortatus. Ibid.

S. Franciscus, teste D. Bonav. B. Virginem inexplicabili amore prosequebatur, duas potissimum ob causas. 1. Quod Christum nobis fratrem effecisset. 2. Quod per eam apud eumdem Christum misericordiam obtinuissemus. *Vita*, c. ix.

Joannes Leonardus Gerosius Romæ in Campo Martio partim propriis sumptibus, partim emendicata eleemosyna, templum ædificavit, quod *templum Mariæ de amore* nuncupabat, cui etiam domum adjunxit, in qua ex omnibus nationibus congregati pauperes juvenes sub tutela Mariæ educabantur. Pistor. l. c.

Maria invocanda.

S. Franciscus, cum per visionem in planitie multos Angelos et homines congregatos, binasque scalas, unam rubram, cui Christus insidebat, alteram candidam, cui B. Virgo innitebatur, vidisset, et ad priorem Fratres invitati ab eadem per Christum dejecti fuissent, ad alteram confugere jussi, facilem ad cœlos aditum per B. Virginem repererunt. Daurolt. c. ii, tit. lx.

S. Dominicus dixit: Si omnes Sancti a nobis alieni essent, et ad preces nostras surdi forent, Mariam tamen semper nobis misericordiæ sinum aperiturum. Hinc B. Alano dixit, jam pridem mundum periturum fuisse, nisi suis precibus iratum Numen ipsa placasset. Penneq. *in Isagog.* d. ii, n. 10.

S. Brigittæ quondam dixit ipsa B. Virgo: Ego sum Regina cœli, ego Mater misericordiæ, ego justorum gaudium, et aditus peccatorum ad Deum. Nullus est adeo maledictus, qui, quamdiu vivit, careat misericordia mea, quia propter me levius tentatur a Dæmonibus, quam alias tentaretur. Nullus est ita abjectus a Deo, nisi fuerit omnino maledictus, qui, si me invocaverit, non revertatur ad Deum, et habiturus sit misericordiam. Ego vocor ab omnibus Mater misericordiæ, et vere misericordia illius me misericordem fecit. Ideo miser erit, qui ad misericordem, cum possit, non accedit. Ibid.

Olim cuidam latroni converso, et monacho facto, in morbo adstitit Virgo sanctissima, blandeque, num eam nosset, interrogavit; cumque is nosse se eam negaret, subjecit illa: Ego sum misericordiæ Mater, tu bono esto animo, post triduum mecum eris. Quod cum ille Odoni Abbati suo indicasset, S. Præsul non aliter deinceps, quam Matrem misericordiæ, compellavit. *Pædag. Christian.* c. xxvi, p. II, §. 2.

S. Catharina Senensis ab ore ipsius æterni Patris hæc verba se accepisse testatur: Mariæ unigeniti Filii mei Genitrici gloriosæ concessum est a bonitate mea propter incarnati Verbi reverentiam, quod quicumque justus vel peccator recurrit ad eam cum devota reverentia, nullo modo decipietur, vel devorabitur ab infernali Dæmone. Tract. iv. *Dialog.* c. cxxix.

S. Gertrudi B. Virgo quondam splendidissimo pallio cooperta apparuit, ad quam variæ multumque deformes bestiæ accurrerunt, seque sub ejus pallio absconderunt, quas omnes cum magna charitate excepit, blandeque pallio involvit. Cum vero ob hoc factum obstupesceret Gertrudis, significatum ei est, per bestias illas peccatores significari, quos omnes illa, si ad ipsam confugerint, non dispari affectu excipere consuevit. Blosius, *in Monili. spirit.* c. i.

Turonibus adolescens quidam graviter decumbens, et nequicquam de hæresi ejuranda admonitus, cum tandem persuaderi se scivisset, ut se B. Virgini commendaret, mox cœlesti luce perfusus, confessionem peregit, et ejurata hæresi, reliquis Sacramentis instructus, feliciter ex hac vita migravit. Ib. n. 7.

Theophilus, Adanensis Ecclesiæ in Cilicia OEconomus, cum spe dignitatis suæ et gratiæ recuperandæ, Christum et Matrem ejus abjurasset, denique ope B. Virginis et veniam a Deo, et chirographum recepit, tamque pie et sancte vixit, ut etiam in Sanctorum catalogum referri promeruerit. Ibid. Qua de re merito S. Petrus Damianus sic loquitur: Quid tibi negabitur, cui negatum non est Theophilum de ipsis perditionis faucibus revocare? Infelicem animulam, totum illud, quod in te factum est, proprio charactere denegante, de luto fœcis et miseriæ

sublevasti. Nihil tibi impossibile, cui possibile est, desperatos in spem beatitudinis relevare. S. Petr. Dam. *de Nativ. B. Virg.*

Benedictus Goez, in ora Travancoridis Indiæ Orientalis, inter Lusitanos miles corruptis moribus, subierat quodam die cum commilitone templum, preces fusurus. Ubi cum ante Deiparæ imaginem genua flexit, primo animum ad contritionem inclinari sensit, subinde etiam Dei Matrem, ut veniam peccatorum a Filio impetrare dignetur, ardentiori pietate obsecrare cœpit. Sub hæc videt ille, videt et sodalis, vident alii multi, quos ad spectaculum exciverant, ex puer Jesu inter brachia Matris hærentis oculis lacrymas, sed colore lacteas, defluere, idque tam ubertim, ut multi strophia sua prodigioso hoc liquore imbuta asportarint; ipse vero Benedictus meliorem deinceps vitam cogitarit, et tandem Societati Jesu adscriptus, vitam suam inter sanctissimos labores pie exegerit. *Ann. Societ.* 1583.

Simili modo custodem templi factione Diaboli in furto deprehensum, et incarceratum, a carcere et infamia liberavit, uti fusius loco citato refertur. Ib. dist. IX, ex. IV.

Religiosus quidam in agone duos videns Dæmones horribili specie adstantes, clamare cœpit: Maledicta hora, in qua Religiosus sum factus! Sed mox B. Virgine adveniente, fugatis Dæmonibus serena facie dixit: Benedicta hora, qua Ordinem intravi, et benedicta Mater Christi, quam semper dilexi, et in qua fiduciam meam posui! S. Antonin. p. III, tit. XXIII, c. X.

Ferdinandus II, cum monachis S. Benedicti e monte Serrato in Austriam proficiscentibus, optatum in suburbio Viennensi locum concessisset ad monasterium erigendum, et tribunus militum opponeret, id monasterium posse hostibus pro munimento cedere, si Viennam obsideri contingeret, sapienter et pie respondit, nullum se tuendæ civitati aptius propugnaculum, quam B. Virginis templum recognoscere, malleque Virginem in proximo coli, quam in urbe militem, securiorem quippe se sibi tutelam ab illa, quam ab hoc, polliceri. *Vita*, c. 7.

Anno Christi 590, cum lues pestilens in tota urbe Romana atrocissime sæviret, S. Gregorius, indicta publica supplicatione, B. Virginis imaginem manu S. Lucæ depictam circumferri jussit; quo facto Angeli in aere Antiphonam: *Regina cœli lætare, etc.* suavissime canere sunt auditi, cui cum ipse versum: *Ora pro nobis Deum*, subjecisset, sine mora Angelus in arce Adriani visus est vindicem gladium recondere, et pestis ubique conquievit. Bar. Anno. 590.

Idem beneficium in simili periculo urbi Valencenarum præstitit, dum ab inquilinis pie invocata visibiliter apparuit, et Angelis juvantibus urbem filo circumdedit, et juxta illius directionem supplicationem publicam institui jussit; hac enim peracta, mox lues grassari desiit. *Pædag. Christian* p. II, c. XXVI, §. 2, n. 5.

Hermannus Contractus, auctor antiphonæ *Salve Regina*; item Repertus Tutiensis Abbas, et B. Albertus Magnus, etsi rudi essent ingenio, ope tamen B. V. inusitatam rerum divinarum æque ac humanarum scientiam sunt adepti. Ib. n. 3.

Urbs Valencenarum peste, anno 1008, tam graviter laborabat, ut paucis diebus, haud multo minus octo hominum millibus sublati censerentur. Intercessere apud Dei Matrem Eremitæ cujusdam in sacello quodam ejus vulgo *de fontibus* dicto, preces. Cum enim B. Virgo hominem spe levandæ civitatis recreatum, ad Comitem Hermannum civesque misisset, eosque pridie ejus dici, quo Divæ celebratur Nativitas, hoc est 7 Septembris, orationibus jussisset et jejunis vacare; visa est ipsa Dei Mater secundum noctem a plerisque civibus etiam ab ipsomet Comite, et urbis Primoribus, quos lux insolens, quæ noctis tenebras in diem vertebat, in mœnia exciverat, visa est, inquam, admirabili gloria illustris, comitantibus multis Angelis, aliisque Divis, urbem filo circumcingere. Cumque per eumdem Eremitam iterum monuisset, ut cives ipso etiam festo in iisdem pietatis officiis perseverarent, adderentque solemnem supplicationem, qua eos ductum circum urbem filum deduceret; id porro cum ingenti omnium ordinum studio et pietate peractum fuisset, extemplo evanuit omnis lues. Atque exinde in gratiarum actionem, atque perpetuam rei memoriam, decreta est isthic anniversaria, quotannis eodem die 8 Septembris, supplicatio; collectum filum, et argentea theca inclusum, cum aliis sacris ipsanis asservandum, dedit etiam instituendæ in ejusdem Matris Virginis sospitatricis suæ honorem, Congregationis ab ipso filo nuncupatæ, occasionem. *Pædag. Christianus*, p. I, c. XXV, §. 2.

Civis quidam Alexandrinus, vir Christianus et pius, cum conjuge pari pietate fe-

mina, et sexenni filiola, vitam misericordiæ operibus, jejuniisque spectabilem ducebat. Huic mercimonii causa Constantinopolim proficiscendum erat; jamque navim conscenderat, quando, dicto vale, uxor : Cui me, inquit, filiolamque tuam, mi conjux, commendatas relinquis? Magnæ Dei Matri, Dominæ nostræ ter optimæ, respondit ille, ei vos totas commendo, tradoque. Accepta hac mariti apprecatione domum rediit, et pro more pietati et operibus domesticis vacare instituit. Manserat domi abeuntis viri voluntate famulus, cui post aliquot dies, Dæmonis suggestione, atrox in mentem venit facinus, dum heram ille cum filia de medio tollere cogitat, quo spoliare domum liberius, et heri divitiis potiri, dein fugere tutius possit. Igitur armatus cultro, miser ad cubile, in quo cum filia mater secura animi domestico incumbebat operi, propius accedit; verum tanta subito cæcitate percutitur, ut nec cubilis ostium pertentare ullo modo, nec ad culinam retrogredi posset, sed nec, quo se verteret, inveniret, tandem elata voce, heram, ut foras ad se veniret, rogat. Mulier contra : Quin tu potius, inquit, ad nos ingrederis, qui ostium in manu habes? Cumque ille iterum iterumque clamasset, ut vel ipsa hera, vel saltem filia foras egrederetur, nihilque impetraret; verso in se furore, cultrum in suamet viscera adegit, ingentique edito clamore concidit. Hic tum mulier nihil sinistrum suspicata accurrens, servum in suo sanguine natantem invenit, cumque horroris et stuporis plena, quid in eo casu faciendum, ignoraret, clamore vicinos advocat, excitatusque rumore Magistratus mox adest, cui coram intermortuis verbis fassus est famulus, quid in heram machinatus fuisset, nisi immissa divinitus cæcitate fuisset impeditus. Ita securus ille vivit, qui sub Dei Matris protectione vivit. Joan. Moschus, *in Prat Spir.* c. lxxv.

Anno 1612, Gandiæ finitimo in oppido contigit, quod animi æquitatem in ferendis contumeliis, et pietatem in colenda Dei Matre, vehementer commendet. Mulieri pudicæ ac piæ petulans mulier objecerat in jurgio per summam calumniam, quotquot haberet liberos, omnes ex adulterio suscepisse. Eam tam frequentem stupri labem uxori objectam vir cum accepisset, seu ratus veram, seu veritus, ne pro vera publice haberetur, animo destinat atrox de conjuge supplicium. Omnis itaque doli securam, et in complexu tenellæ prolis alto somno demersam, nocte intempesta, deturbat de cubili, atque in proximum hortum vi abreptam, laqueo faucibus inserto, erigit sublimem ad ramos obviæ arboris, unde mox superne astricta reste strangulandam dejicit. Commode acciderat, ut pridie acerbo illo appetita convitio proba mulier injuriam Beatæ Virgini, quam impense colebat, totam permitteret, nullius rei de cætero anxia. Causam innocentis cupide suscepit Dei parens, et quidem in tempore. Nam se dejectam ex arbore allevari occulta manu sensit infelix mulier, ut ne sua mole restem adstringeret, qua præfocaretur; quæ deinde rupto jam fune, ut novacula succisum crederes, certo exitio absolvitur. Hoc periculo defunctam miseram, rabie percitus conjux in editum collem rapit, et magno nisu impulsam, in præruptas rupes præcipitem dare conatur, sed irrito eventu, cum prævalide impulsa, ne vestigio quidem ipso decederet, eam scilicet firmante Mariæ manu, quam supplex invocabat. Collectis viribus, alioqui eximia membrorum firmitate homo, iterum tertio et quarto etiam deturbare in subjectas cautes magno impetu insistit; sed Caucasum diceres furentibus Austrorum flatibus sua mole obnitentem. Nihil hic defuit, quo aperta Numinis præsentia feminæque innocentia probaretur, quæ a scelere furentem hominem averterent. Ille contra geminum parricidium tertio parricidio, desperatione actus, cumulare pergit, conjugem pene exanimem de collis jugo domum detrahit, in lectulo eam se componere jubet, plumbea glande mox transverberandam. Igitur in ferream majoris modi fistulam, sulphurato pulvere ac plumbeis suffertam glandibus, ignita reste flammas injicit, lethalis plumbi globos in pectus uxoris, Mariam implorantis, explosurus; semel, iterum, tertio adducta in subjectum pulverem ignita machinula flammam non elicuit ex sulphurato fomite, ut ignis in glaciem, sulphur in gelidam aquam degenerasse putaretur. Cedit quidem innocentiæ, ac in primis Numini, vis flammarum ac ferri, non tamen se frangit parricidæ contumacia. Vitio catapultæ adscribit, quod ignem non conceperit sulphureus fomes; alteram expetit multum flammæ concepturam. Excussus quidem est ingenti fragore, ac in sinum pavidæ mulieris summo impetu delatus globus, sed quasi laneus esset, ictu penitus inanis. Tertii jam parricidii reo, hic demum subiit cogitatio

irati in se Numinis, ob toties violatam uxoris innocentiam. Supplex igitur ad ejus se subjicit pedes, veniam flagitat, et facile a mitissima femina impetrat. Illa beneficii memor vota quædam in omnem vitam Magnæ Matri nuncupat, ac se totam illius servituti profitetur addictam fore. Vir ejus postridie nostrum adit Sacerdotem, quem, narrata prodigiosi casus historia, reconciliando sibi Numini adhibuit internuntium. *Pædag.* l. c. n. 10.

Circa annum Christi 1212, ipse Dæmon sacris adactus exorcismis, fassus est, mundum ab irato vindice Deo interiturum fuisse, ni Diva Virgo Mater (cujus statua, sub idem tempus, in quodam Germaniæ templo, multo sudore, spectantibus omnibus ac strophiis sudorem excipientibus multis, defluebat) supplex intervenisset. CÆSAR. l. VII, c. II.

Infans olim adhuc in cunis, nondum ad loquendum idoneus, singulari prodigio, his verbis matrem compellavit; Vidi, inquit, mea mater, Christum Judicem regali solio sublimem et mutuendum; cui supplex accessit Sanctissima ejus Mater, rogavitque, ne supremum illum mundi diem, quo minabatur, esse vellet. Ita dixit puer, et obmutuit, nec deinceps ante est locutus, quam per ætatem didicit. *Pædag.* l. c. § 3, n. 3.

Meminit Cæsarius de Wilhelmo, quodam de Claravalle Religioso, a divinis revelationibus celebri, qui in raptu mentis viderit Christum, qui justa in mundum ira accensus jusserit Angelum, qui ad Tribunal propius astabat, tuba clangere, quo sono totus orbis non secus ac folium in arbore contremuerit. Et cum etiam secundo id esset, urgente Dei imperio, facturus, ac mundum eversurus, unam Divam Matrem ex omnibus Sanctis ausam se interponere, atque ad Filii pedes provolutam, Judicem Filium rogasse, ut misero et usquequaque reo liceret, etiam illa vice dilato judicio procrastinari; atque Ordinem suum Cisterciensem, in spem emendationis, vadem obtulisse. CÆSAR. l. XII, c. LII.

Vidit olim secundum somnum F. Leo, S. Francisco Assisinati intimus, in patenti campo binas a solo ad cœlum assurgentes scalas, unam rubeam, qua insistebat Christus, albam aliam, qua Christi Mater Maria. Adfuit Sanctus Franciscus, et ex infinita hominum multitudine, Angelicæ tubæ sono ad Judicium isthuc evocata, Fratres suos sollícite hortatus est, ut per scalam rubram ascendere festinarent ad Christum; ergo scanditur non indiligenter. Verum plerique ex altero, aut tertio gradu, quidam ex decimo, nonnulli ex scalæ medio delapsi, Franciscum habuere sollicitum, qui ad Christum conversus Fratrum suorum causam acturus, vidit manus recenti sanguine perfusas cum latere exhibentem, querentemque id a Fratribus ejus sibi factum. Quid hic ageret Franciscus? Nimirum ad albam scalam, cui misericordiæ Mater præerat, conversus, isthac suos fidenter ascendere jubet; quod faciunt omnes nulla difficultate, atque a benignissima Matre blande excepti, subeunt æternæ beatitatis superna palatia, nos hoc suo exemplo erudientes, ut declinato tantisper divinæ justitiæ, quam rubra scala denotat, metuendo rigore, discamus ad Mariam, et ad candidam misericordiæ illius scalam confugere. *Chronic. Minorum.*, p. I, l. II, c. LIII.

In Diœcesi Conimbricensi non procul a Monasterio Ordinis Cisterciensis, Lorban dicto, Sacellum est B. Virginis de Ceica dictum; cujus origo est plane prodigiosa. Quo tempore Mauri occuparunt Hispaniam, non deerant loca, in quibus exercitium Catholicæ Religionis erat Christianis concessum, si tributum inde darent. Ex eo numero fuit Lorban monasterium pervetustum, et fundatum in tempore S. Benedicti, ubi plures in pio religiosoque secessu degebant. Inter alios, qui mundo valedixere, fuit Princeps Joannes, avunculus Alphonsi et Ramiri Regum Legionensium, qui ante susceptum id vitæ sanctioris genus militiam secutus, egregias victorias reportavit. Post aliquantum temporis, cum esset monasterii Abbas, Rex Alphonsus, ejus nepos Principatum ei donavit Montis Majoris, tam pro Religiosorum sustentatione, quam militum, quos alere necesse fuit ad eum locum tam munitum, et necessarium tuendum. Sed Dæmon invidens tam piis ejus conatibus cœpit militares in eo spiritus resuscitare, occasione usus cujusdam perfidi, qui factus Christianus in Monte Majore, et humanissime a Joanne Abbate habitus, transfugit tamen ad Abderamnen Saracenum, qui se Regem Cordubæ dicebat. Ab eo manipulum seu cohortem militum obtinuit, ad invadendum Montem Majorem, cujus omnes meatus norat, et ubi tunc Abbas Joannes versabatur. Apostata pluribus prælis victus, statuit sedem fame urgere, eoque necessitatis incolas adegit, ut despe-

rata et inaudita consilia susciperent. Statuerunt enim feminas omnes ac parvulos liberos occidere in munitione præsentes, ut ea ratione illos a tyrannide Saracenorum liberarent, idque alia tyrannide sunt executi. Abbas ipse fuit coactus occidere unam sororem cum parvulis nepotibus, quos secum habebat. Ita rabie pleni urbe sunt egressi in hostem, victuri; quos ita sunt persecuti, ut cædendis iis fatigati deficerent. Ea nocte in campis mansere, partim ut prædam aggregarent, partim ut suam infelicitatem deplorarent ac crudelitatem qua se in suos passi sunt, abriperent. Ingruente die duo equites ad eos contendunt, hilaritate pleni, et eis propinquantes nuntiant, Dei beneficio iterum vivere, omnes, quibus ante discessum jugulum præciderunt. Nemo omnium credere prius volebat, quam oculis coram cernerent. Sed ut agnoverunt eos, quos occiderant, ac viderunt singulos circa collum habere rubram lineam, eo loco, ubi istum accepere, tristitia in gaudium versa est, et omnia laude et gratiis adversus tam pium Numen personabant, etsi ante suum discessum post patratam suorum cædem optima quæque sua concremassent. Abbas agnoscens tantum Dei munus a B. Virgine profectum, cui erat admodum devotus, et mille aliis ominibus obstrictus, Sacellum eodem loco struxit, ubi equites duo eos nuntio tam læto exhilararunt, addidit parvum eremitorium, ut illic se totum Deo et B. Virgini consecraret. Tunc curavit sculpi e ligno statuam Beatæ Virginis cum linea rubra, in collo, ad ejus facti et prodigii memoriam, etsi auctores alii asserant, eam imaginem e cœlo ea forma missam. Ubi cum sancte aliquot annis vixisset, mortuus, inibi sepultus est; nec cadaver ulla vi trahi ad monasterium Lorban potuit. Poivæus *in trip. Cor.* tr. II, c. XXII, n. 20.

Gunteramnus, Rex Galliæ, cum sexaginta millibus in Recharedum movit Hispaniæ Regem, qui tamen ea sexaginta millia trecentis tantum suis militibus, ope B. Virginis, in fugam vertit, et maximam eorum partem gladio occidit. Gunteramnus reversus domum eam cladem sceleribus militum et ducum conniventiæ tribuit, ut habet S. Gregor. Tur. Duces igitur in præsentia quatuor Episcoporum, et in corona majorum natu Laicorum discutere, et objurgare cœpit. « Qualiter, inquit, nos hoc tempore victoriam obtinere non possumus, qui ea, quæ Patres nostri consecuti sunt, non custodimus? Illi vero ædificantes Ecclesias, in Deum spem omnem ponentes, Martyres honorantes, Sacerdotes venerantes, victoriam obtinuerunt etc. Nos vero non solum Deum non metuimus, verum etiam ejus sacra vastamus, Ministros interficimus, ipsa quoque Sanctorum pignora ut ridicula discerpimus ac vastamus; non enim potest victoria obtineri, ubi patrantur talia. Ideo manus nostræ sunt invalidæ, ensis tepescit, nec clypeus nos, ut erat solitus, defendit, etc. » At duces, se excusarunt, questi populi impietatem et insolentiam: Nullus, inquiunt, Regem metuit, nullus ducem, nullus Comitem reveretur, et si fortasse aliquis ea emendare conatur, statim seditio in populo, statim tumultus oritur. Euseb. Nieremberg. *in Troph. Mar.* l. II, c. XCIX.

Henricus V, Rex Angliæ, insignem victoriam de Gallis retulit ope B. Virginis, cui fuit addictissimus. Centum quinquaginta millia pugnatorum habebat Gallus, ita ut Anglos sextuplo excederet; jam victoriam cecinerant Galli, jactabantque se Regem Anglum jam inclusum habere, nuntiosque ad civitates mittebant, ut sibi gratularentur; ad Henricum etiam mittunt, qui quærat, quanti se vellet redimere. Eum ferunt, respondisse: Intra binas aut ternas horas ita usu venturum, ut potius Gallis, quam Anglis, de redemptione sit cogitandum. Id etiam proditur; tota nocte, quæ prælium antecessit, Gallos variis musicis instrumentis amicos suos oblectasse, quasi more cygnorum lessum sibi canerent. Interim neque a stupris, neque a cædibus et sacrilegiis abstinebant. Porro Henricus suis jubet, ut die pugnæ omnes orando se ad Deum converterent, et præmissa confessione SS. Eucharistiam sumerent, ac B. Virginis opem implorarent. Factum id a singulis, et prælium eo alacrius susceptum, Gallorum decem millia cæsa, reliqui profligati, et partim intercepti sunt. Arcturus vero, Rex Angliæ, ope B. Virginis victor Saxonum solus sua manu in uno prælio octingentos quadraginta duos gladio interfecit. Idem, l. III, c. X.

Martinus Fernandez Pinnerius, cum quinquaginta suis a 400 Mauris subito oppressus suos timentes animavit, et post opem B. Virginis imploratam suos allocutus: « Antesignanus meus et tubicen sufficiunt ad centum, ego ad ducentos, reliqui ad cæteros, et auxilium B. Virginis ad omnes; sequi-

mini me ! » Et ita feliciter eos profligavit, nemine suorum læso. Euseb. Nieremberg. in *Troph. Mar.* l. II, c. lviii.

Cum Bononia, tunc schismaticorum adversus Julium II, Pontificem, præsidium, a Prorege Neapolitano Raymundo Cardona obsideretur, accidit, ut e quodam cuniculo violentia pulveris pyrii templum B. Virginis de Baracano dictum, totum in sublime jactaretur. Mirum dictu ! excussum ita, libratumque in altum templum, decidit integrum et illæsum in eadem cæmenta, ex quibus fuit evulsum, absque ulla scissura et rimula, quæ convulsionis posset signum esse. Hoc miraculum suffecit, ut Bononienses se dederent. Idem, l. II, c. lxii.

Rex Angliæ, anno 1583, in Lusitanos exercitum duxit duodecies centenis millibus constantem, quem tamen ope Dei et B. Virginis Lusitani trecenti superarunt ; auxiliarii autem Æthiopes triginta millia se adjunxere. His pugnantibus interea P. Balthasar Barreira oravit, quo remittente cum bellum et successus apud Lusitanos langueret, monitus iterum oravit, dum consummata fuit victoria. Idem, l. VI, c. lxxx.

Cyprianus, Christi Martyr et totius Africæ lumen, cum a fide Christi adhuc alienus ac rebus magicis omnino deditus esset, amore Christinæ virginis exarsit, et in illius expugnanda pudicitia plurimum laborans, ut cæcus et insanus est amor, etiam Dæmonem sibi adjutorem ascivit. Virgo etsi turpem ejusmodi amorem detestaretur, (Christo enim Sponso se totam consecrarat) tamen præsentes Satanæ technas et ardentes libidinis faces non potuit non persentiscere, multum his ac graviter exagitata. Proinde, ut par erat, ad pudicitiæ suæ custodem et tutorem se convertit. Simulque Mariam castissimam et clarissimum virginum decus supplex obsecravit, ut sibi periclitanti auxilium ferret, corpus interim jejunio atque humi cubitatione, quæ sunt continentiæ arma, castigans, ut in hoc certamine hostem impurum vinceret potius quam vinceretur. Quid multis ! non irrita fuit Mariæ invocatio, per quam propitius afflictæ virgini adfuit Deus, ut et hostis devictus abscederet, et Cyprianus a stulto amore Christianæ Sapientiæ non modo discipulus, sed etiam, sicut Augustinus eum vocat, Doctor suavissimus et Martyr beatissimus efficeretur. S. Gregor. Naz. oratione *in laudem Cypriani Martyris.*

Maria veneranda.

Dies ipsi sacratos pie transigendo.

Eremita quidam nocte Nativitatem Virginis præcedente, singulis annis harmoniam audiens, rogavit Deum, ut, quid ea protenderet significaret ? Cui Angelus apparens dixit : Virginem quæ Deum genuit, hac nocte natam esse, ideoque ab Angelis saltem, cum eo tempore homines id nondum agnosvissent, celebrari. Vinc. Bellovac. *in Spec.* l. VI, c. lxvi.

Cum S. Gertrudis scire cuperet, quonam obsequii genere in festo Annuntiationis B. Virginem honorare maxime posset hæc eidem apparens dixit : Si quis per octavam quotidie 45 *Ave* cum devotione recitaret in memoriam illorum dierum, quibus Christus in utero ejus crevit, hunc tam gratum famulum ipsi exhibiturum, ac si eo die, quo filium concepit, adstitisset, et per singulos dies usque ad partum diligentissima ipsi obsequia præstitisset. L. IV *Rev.* c. xii.

Cum Sinenses prius suis puerperis pretiosissima quæque dona offerre consuevissent, postea ad fidem Catholicam conversi, nullum festum B. Virginis transire permiserunt, quin eidem quoque dona spiritualia operum bonorum et precum copiose offerrent. Poivæus, tr. iv, c. viii, n. 15.

S. Gertrudis in festo Assumptionis, dum officio divino interest, et Sacerdos in oratione canit, ut *sua nos defensione munitos, jucundos faciat suæ interesse festivitati ;* vidit B. Virginem suo pallio innumeram virginum multitudinem involvere, eique singularia amoris argumenta exhibere, simulque intellexit, has virgines esse animas devotas, quas ad festum hoc peculiari studio celebrandum ipsa excitarit. L. IV *Rev.* c. xlix.

In monte Serrato septem pueri, dum pecora pascunt, singulis diebus sabbatinis sub noctem intendentibus se tenebris, ingentia cœlo delabi lumina, et certæ montis speluncæ imminere, suavissimumque ex eadem spelunca edi concentum audiverunt. Quod cum Episcopo retulissent, is cum magno comitatu accedens ad speluncam proximo sabbato eadem expertus, et speluncam ingressus, B. Virginis statuam invenit, quam cum asportare jussisset, ii autem, qui portabant, ad certum locum progressi pergere

non possent, ibidem templum B. Virgini ædificatum est. Miekov. d. ccxxvi, n. 9.

Constantinopoli imago quædam velo obducta, singulis feriis sextis post vesperas, nullo manum admovente, detecta est, iterumque die sabbati post vesperas cooperta. Ib. n. 12.

S. Arsenius totum sabbati diem quieti spiritus dabat, et accuratum de singulis hebdomadæ actionibus examen instituebat, et quid bonis horis addi, quid malis detrahi posset, dispiciebat. Joan. Nadasi, *in anno Mar.* p. I, sabb. II.

Frequenter salutando.

S. Catharina Senensis, quinque annos nata, quoties domus paternæ scalam ascendebat vel descendebat, ad singulos gradus salutationem Angelicam recitabat. Capuanus, *in Vita.*

B. Alanus de Rupe semper in ore salutationem Angelicam habebat, sive ambularet, sive loqueretur, sive prædicaret. Et quandocumque aliquid vel pronuntiare, vel dictare voluit, prius semper flexis genibus per salutationem Angelicam patrocinium B. Virginis invocabat. Miekov. disc. cxvi, n. 16.

Virgo quædam devota post mortem apparens sorori cuidam, dixit : Si possem redire ad corpus, et unum duntaxat *Ave Maria* dicere, tametsi magna devotione, ego propter meritum illius vellem tantum rursus sustinere cruciatum, quantum ante mortem perpessa. Alanus, l. *de Psalt.* c. lxix.

S. Franciscus Seraphicus mira devotione erga hanc salutationem ferebatur, dicere solitus : Cum dico : *Ave Maria*, cœli rident, Angeli gaudent, mundus exultat, infernus contremiscit, Dæmones fugiunt. Sicut cera fluit a facie ignis, et pulvis ante faciem venti dispergitur; sic ad invocationem nominis Mariæ totus malignorum spirituum exercitus separatur. Ibid. p. III, sab. xxvii.

Christus ipse, apud S. Brigittam, suasit, ut is, qui subito motu choleræ subinde durius alteri loquitur, is pro impetranda a Deo venia semel *Ave Maria* recitet. *Rev.* extra c. lxv.

Martinus Guttrich famulus hæreticus, cum in concione Forneri, suffraganei Bambergensis, audivisset, perire non posse, quisquis Dei Matrem pie coleret, et aliquot quotidie salutationes precando offerret, cœpit et ipse quotidie septies mane et vesperi eam recitare. Id ubi per tres annos continuavit, in ipso Immaculatæ Conceptionis festo morbo correptus B. Virginem spectabilem habuit, quæ ad Sacramenta more Catholico suscipienda hortata, redituram se die et hora, qua Filium suum genuerat, promisit, secumque in cœlum ducturam. *Pædagog. Christ.* p. II, c. xxvi, § 4, n. 9.

B. Albertus in cœnobio Crespiniano monasticam vitam professus, centies quotidie procumbens, verba divinæ ad Deiparam legationis iterabat. Surius, 7 *April.*

B. Catharina, S. Brigittæ filia, quotidie quatuor horas flectendis genibus, et Angelicæ salutationi recitandæ, multis perfusa lacrymis, impendebat. Idem, 24 *Mart.*

Fidem superat, quod de B. Maria OEgniacensi proditum est. Visa est illa sæpe spatio horarum viginti quatuor in Deiparæ honorem centies supra millies ita genua flectere, ut id sexcenties sine interruptione faceret, subdens interim toties salutationem Angelicam. Post hæc addebat psalterium Regii Vatis 150 Psalmorum, subnectens singulis psalmis singulas genuflexiones, totidemque *Ave Maria.* Deinde trecentis dorsum ictibus non sine sanguine flagello mulctans, *Ave Maria* totidem Virgini Matri recitabat. Tandem flectens genua quinquagies, ac toties recitans *Ave Maria*, suum Mariani cultus exercitium et statas mille et centum genuflexiones claudebat, ac sæpe ab hoc exercitio ad dies 40 non recedebat. Idem, tom. III.

Miles quidam veteranus Cisterciensem ingressus Ordinem, cum ob ingenii hebetudinem orationem Dominicam addiscere non posset, salutationis Angelicæ quatuor prima verba, *Ave Maria, gratia plena* toties ac tanto studio, vel inter comedendum, et animo et ore volvit revolvitque, ut tandem memoria teneret firmiter, nec haberet deinceps, quod jucundius salutatione ista, quodque Matris Christi recordatione gratius frequentiusque, et animo, et ore usurparet. Quam porro gratum Deo Divæque Matri hoc fuerit obsequium, testata est post ejus obitum peregrina arbor, quæ de ejus sepulchro enata in singulis suis foliis hæc eadem verba, *Ave Maria, gratia plena*, aureis expressa litteris cuivis legenda exhibuit, usque dum effossa circum humo per loci Episcopum comperere, ex boni istius Religiosi ore prodigiosam arborem propagatam ; eo autem cognito, tamquam munere suo functa, arbor spectantibus et mirantibus cunctis exaruit. Cantipr. l. II *Apum* c. xxix.

Hac oratione mulier filiolum a Matre Virgine, mortis periculo subductum, recuperavit; cum enim audisset minorem ex duobus filiis, quos mane ad scholam miserat, de ponte, qua transeundum erat, in profluentem decidisse, nec retrahi omnino aut servari potuisse, accedit ad Deiparæ imaginem ad quam filioli ex ejus institutione semper Coronam Virginis, antequam domo egrederentur, recitare solebant; ad hanc igitur imaginem accurrit, et filium commendat, recitato semel *Ave Maria;* tum surgens ad quærendum filium pergit, et ecce videt occurentem salvum et incolumem, qui se ab ea aquis extractum aiebat, ante cujus imaginem mane Coronam recitasset. *Ex Chron. S. Franc.*

Eadem salutatione sæpe Dæmon, qui quosdam etiam visibili specie infestos habebat, fugatus profligatusque est. Testis ista puella apud Cæsarium, quam hostis ille, cum ab ingressu Religionis opertis machinationibus avertere non posset, ac die quodam arreptam de editiori loco præcipitatum iret, illa vero interim Mariam consueta salutatione invocaret, dimittere est coactus; atque hæc verba immurmurans: Si in hac hora mulierem illam non invocasses, occidissem te! ipse se per fenestram atri canis forma dedit præcipitem. Qua arte etiam deinceps ab eadem jam Religiosa non raro fugatus est. Cæsarius, l. V, c. xxiv.

P. Joannes Eusebius Nierembergius in vita S. P. N. Ignatii meminit cujusdam in Hispania hominis, qui in omni flagitiorum genere criminumque, præter hæresim ad seram usque ætatem volutatus, eo perversitatis devenerat, ut nonnumquam in ipsum Deum odio exardescens, id etiam studiose ageret, quod illi quam maxime crederet displicere; ad summum tam nulla in eo inerat salutis cura, ut non modo numquam de bona peccatorum confessione bene instituenda cogitaret, sed fugeret etiam, quidquid eo spectaret, aut officio ullo modo monere posset, factus totus Diaboli mancipium et devotum caput. Homini ergo in eo versanti statu, nocte quadam, cum æger decumberet, et fugeret eum somnus, adfuit cœli Regina, sed mox, cum oculos tantum admirabili plenos modestia, benignitate ac misericordia in jacentem conjecisset, evanuit. Non fuit frustra tam benignus Dei Matris aspectus, siquidem sub eodem, homo iste totam præteritæ vitæ rationem ita clare distincteque perspexit, ut ex peccatis, et numero, et gravitate pene infinitis, nullum non mentis oculos perstringens, ingentem et animo dolorem, et oculis profluvium cieret lacrymarum. Et ut ob tantam vitæ turpitudinem confusione oppleretur incredibili, non ideo tamen despondebat animo, sed si valetudo et nox intempesta non impediret, prosiliisset, et curriculo ad Sacerdotem advolasset, peccata omnia in aures ejus ac sinum depositurus. Nec fuit, orto die, ulla mora, Sacerdotem e Societate Jesu accersendum rogat instantissime; et commodum mittitur R. P. Eusebius, qui hæc scribit, cui ille totam vitam tanta evolvit exactitudine, distinctione et claritate, quantam nemo Theologorum, post multorum annorum discussionem meliorem afferre potuisset. Tenuit hæc boni viri pia peccatorum tot et tantorum accusatio tres omnino horas, et non amplius, et absolutionis beneficium accepit a Sacerdote mirante pœnitentis sui, et tam insolens in cognoscendis distinguendisque peccatis lumen, et tantum in detestandis iisdem, cum veri doloris significatione, studium. His ita feliciter peractis addidit verus pœnitens votum, si Deus vitam prorogaret, eam Deo, in statu aliquo religioso, consecrandi; sed tamen melius illi securiusque fore de incerta hac et instabili ad certam et æternam melioris vitæ transire stationem; quod ut sibi a Deo concederetur, Patrem illum vehementissime rogavit, et vere impetravit, siquidem intra dies quinque ad vitæ metam pervenit, postquam omnibus Sanctæ Ecclesiæ Sacramentis probe munitus, breve, quod supererat, spatium continua quadam virtutum exercitatione et veræ pietatis sensu exegit tanto, qui etiam adstantium cieret lacrymas. Petiit subinde ab eo Pater, num qua aliquando in vita Dei Matrem pietate coluisset; non alia, respondit, quam quod semel quotidie Salutationem Angelicam in honorem illius recitasset. Tum et ille Patrem rogavit, ut tam singularis Dei Matris in se beneficii præco apud omnes esse vellet, facta potestate, omnia quæ ab se audiisset, ad Dei Virginisque Deiparæ gloriam evulgandi. Nieremberg, *in Vita S. Ign.*

Maria Veneranda.

Rosarium et coronas recitando.

Aloysius Albanensis, ex Ordine Minorum novitius, a Gabriele, Anconitani monasteri

Guardiano, singulis diebus coronam, antequam ederet aliquid, recitare jussus, cum aliquando aliis occupatus, pensi sui immemor ad mensam venisset, a Superiore interrogatus, et de oblivione increpitus, ad templum, ut debitum exsolveret, missus est. Ibi bonus ille, flexis ante aram maximam genibus, coronam suam persolvere instituit, quod dum facit, visus est tum ab iis, quos Superior observatum miserat, tum ab ipsomet Superiore, qui ad rei miraculum commonitus accurrerat; visus est, inquam, Angelus orantis superne capiti imminens, qui filo aureo rosas liliaque, quæ de istius ore fluebant, ita inserebat, ut post singulas rosarum decades, singula lilia succederent, quæ deinde omnibus in corollæ modum innexa adolescentis capiti imposuit, et avolavit. Et ne quis vanam hic aliquam phantasiæ illusionem intervenisse crederet, mirus, et perquam suavis, ac bene diuturnus afflatus est ex eodem, ubi ille oraverat, loco rosarum ac liliorum odor. Ipseque adeo novitius multis deinceps a Deipara favoribus cumulatus, ad mortem usque in cœpta pietate perseveravit. *In Chron. Minor.* p. III, l. I, c. XXXVI.

Cum S. Gertrudis hoc pium solitumque 150 salutationum Angelicarum pensum semel ob capitis dolorem persolvere non posset, atque ejus loco solum hæc duo verba, *Ave Maria*, pari numero recitasset, vidit, sub hujus orationis finem ipsam Sanctissimam Virginem manu coronam pulcherrimis contextam rosis prætendentem, factæ orationis præmium; simulque audiit dicentem, non minus hoc ex legitima causa decurtatum rosarium gratum fuisse, quam quæ alias integrum obtulisset, hoc ipsum utique oblatura, ni capitis dolor vetuisset. Lib. IV, *Revel.*

Marianum sertum seu Psalterium ad instantiam avunculi recitans corruptissimæ vitæ juvenis, mirabiliter primum conversus est; subinde vero mirabilius ipso nuptiarum die, dum ad pensum ordinarium persolvendum in cubiculum secedit, ab eadem spectabili ad cœlestes nuptias invitatus, eodem adhuc die ægrotare cœpit, et post triduum mortuus est. CANTIPR. l. II *Apum* c. XXIX, p. 9.

Eques quidam, nomine Alanus, quotidie flexis genibus Rosarium recitare solitus, cum ab ingenti hæreticorum multitudine circumdatus morti jam proximus esset, B. Virgo visa est 150 lapides in hostes jacere, maxima eorum strage, sicque salvus Alanus et victor evasit. Alias Jerosolymam navigans, vidit 150 monticulos, per quos e naufragio salvus in continentem descendit. Unde in patriam reversus, mox monasterium Religiosis S. Dominici exstruxit, ipseque etiam ingressus, mirus prædicator Rosarii effectus est, ita ut ob hanc causam post mortem ejus manus et os, velut instrumenta Rosarii recitati, incorrupta sint reperta. *Chron.* VIII, *Dominic.* p. II, c. XXXIV.

E viris tribus peregre profectis, atque in silva quadam errantibus, duo, qui tertium aliquanto spatio præcesserant, in latrones incurrerunt, et ab iisdem rebus sunt ac vita spoliati; venit interim et posterior ad insidiarum locum periculi ignarus, impetitur, cedit non admodum repugnanter, mors intentatur; non recusat mori, sed moræ tantillum rogat et impetrat, quo corollam Deiparæ Virgini duodecim salutationibus constantem percurrere breviter orando possit. Orat ergo, et ecce ibi, adfuit extemplo in aureo sublimi throno solis instar renidens Dei Mater; adfuere ei sanctæ virgines Catharina et Lucia, quarum bonus ille fuerat singulariter semper amans; B. Catharina a cœli Regina jussa est rosas, quæ de orantis ore, ad singulas quidem orationes Dominicas rubræ, ad salutationes vero Angelicas albæ prodibant, exceptas, B. Luciæ dare, circulo aureo in coronæ modum filo argenteo circumligandas. Ita peracta hominis prece, exstitit mira et pulchritudine, et odoris suavitate corona, quam Virgo Mater clientis sui capiti imposuit, et simul videri desiit. Attonitis interim ad spectaculum sicariis, qui cum ab isto, omnium, quæ circum se facta essent, ignaro, sciscitati intellexissent, esse illam Mariani favoris in sibi devotos demonstrationem, cujus etiamnum pignus coronam in hominis capite cernebant, liberum viatorem dimiserunt, et pravam vitæ suæ rationem detestati, in alios viros mutati sunt. Is porro, qui Virginis ope functus periculo est, coronam de capite suo acceptam deosculatus, ter optimæ protectrici suæ gratias egit, et ejusdem deinceps obsequiis futurus relicto mundo vitam religiosam professus est. *In Pædag. Christian.* p. II, c. XXV, § 4, n. 15, 18.

Brugis pejeraverat mulier quædam, atque nocte sequenti adstare sibi monstrum vidit informe et horrendum, quod dire infrendens: Intra sex, inquit, septimanas moriere,

mulier! Mane illa perterrita ad templum nostrum accurrit, Patri uni e nostris rem totam exponit, qui jussæ animo forti esse, operam suam spondet, modo singulis se hebdomadis confessione expiet. At ecce nocte proxima rursus strepitu et tumultu excitato apparere monstrum, et quod prius mortem intra sex septimanas, uno jam die minus denuntiare, et pergere ita deinceps singulis noctibus. Quid agat, misera? ad Sacrum Sanguinem (qui Brugis religiose colitur) vota, suffragia, Missas, vovet. Verum frustra. Nam larva illa quot noctibus eadem hora, vicinis strepitum percipientibus, mortem eodem semper modo interminatur, nisi quod numerum dierum diminuebat, prout propior dies sextæ hebdomadæ ultimus adveniebat. Summa jam nox decretoria aderat. Patri Societatis tum primum occurrit, misellam monere, ut studiose recitaret Rosarium duodecim stellarum, seu duodecim *Ave Maria*, id scilicet genus piæ in Virginem exercitationis esse institutum ad non celeriter moriendum. Addit præterea, ut si strepitum audire consuetum incipiat, B. Virgini voveat, se tota vita illud rosariolum in dies singulos recitaturam. Igitur misera mulier fatalem expectat horam, exauditur strepitus, B. Virgo invocatur; votum eidem de recitando rosariolo nuncupatur. Atque hic stetere omnia illa infernalis monstri terriculamenta; cum ante semper coram spectandum se offerret, nec quicquam deinceps mulieri extitit inde molestiæ. *Ex lit. priv.* Ibidem.

Juvenis quidam quotidie imaginem Deiparæ in conclavi affixam florido serto coronare solitus, cum S. Francisci postea Ordinem ingressus, gravibus urgeretur stimulis, Ordinem deserendi, quod in eo occasionem non haberet antiquam consuetudinem retinendi, a B. Virgine apparente meliorem et gratiorem coronam, scilicet sexaginta salutationibus et septenis orationibus Dominicis constantem offerre doctus est; id quod ille feliciter executus, alii vero post illum non minori suo solatio sunt imitati. *Parad. apert. stag.* c. XI, ex. III.

B. Joanna Francisca docta est a Christo rosariolum gaudiorum, decem salutationibus et una oratione Dominica constans, recitare in honorem decem virtutum, quibus B. Virgo præcipue enituit, nempe puritatis, pietatis, prudentiæ, humilitatis, obedientiæ, sinceritatis, paupertatis, charitatis, conformationis voluntatis suæ cum divina, et patientiæ, quibus in fine aliqui *Ave maris stella* subnectunt. Ib. c. V, ex. VI.

P. Carolus Spinola et Joannes Berchmannus B. Virgini quotidie offerebant rosariolum novem salutationibus in honorem novem mensium, quibus Christus in utero latebat, recitatis constans, aut certe, ut Berchmannus faciebat, hoc versu: « Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium, » novies dicto; aut, ut alius quidam Clericus malebat, his versibus: « Beatus venter Mariæ, qui portavit æterni Patris Filium, et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum »; quæ omnia rosariola pergrata fuisse B. Virgini, ex eo colligitur, quod P. Carolo laureolam martyrii, Berchmanno insignem sanctitatem impetrarit, Clerico vero, dum in morbo linguam fœdissime dentibus laceravit, aliquot lactis guttis de ubere suo affusis reparavit. C. Tausc. *in Matre dolor.* l. III, pr. X, n° 3; et *Parad. apert.* c. II, exer. III.

Imagines B. V. colendo.

S. Franciscus de Paula semper imaginem B. Virginis in privato sacello habebat, unicum in rebus quibuslibet asylum; qua de re edoctus Ludovicus XI, Galliarum Rex, effigiem ejusmodi septemdecim millibus aureorum æstimatam ei donavit, quam tamen ille constanter respuit, dicens, pietatem non in auro aut argento sitam, sed in una cœli Regina fixam esse oportere. Ibid. c. I, ex. III.

In monte Olivetano anachoreta quidam, cum gravissimis libidinis stimulis in ipsam usque senectutem vexatus, cum Dæmone expostularet, et, ut extremo saltem vitæ tempore quietum vivere sineret, peteret, promisit Dæmon, a tentatione se destiturum, si imaginem, quam in cellula sua locatam præcipuo cultu venerabatur, deponeret, quod tamen ille, re tota Abbati detecta, exequi est prohibitus. Ibid.

Ludovicus XI semper in pileo B. Virginis iconem circumferebat, pluris eam faciens, quam omnes Regni adamantes et gemmas. Item Ludovicus pius Imperator et Rex Galliæ, fecit, iconem talem, seu solus, seu in venatione esset, pro sacello habens, flexisque coram ea genibus precari solitus. Ibid. exercit. IV.

Andronicus senior, qui penes se perpetuo

parvam ex auro Virginis statuam e collo pendulam portabat, cum moriturus sumere Eucharistiam non posset, sigillum illud ori admovit, ut ei pro viatico Mater esset, si Filio frui non posset. Ibid.

S. Carolus Borromæus, præterquam quod serio imperasset, ut in ingressu cujusque templi parochiani prostaret Deiparæ imago, omnes insuper suæ ditionis inquilinos hortabatur, ne omitterent harum iconum aliquam secum circumferre, certi de vi, qua illæ adversus malas Dæmonis machinationes pollerent. Ibid.

B. Margarita, Regis Hungariæ filia, sub S. Dominici disciplina sanctimonialis, Sanctissimam Dei Matrem in ejus imagine, ubicumque se illi quæpiam offerebat, Angelica salutatione de genibus solita fuit consalutare. Idem faciebat singulis eidem Beatiss. Virgini festis diebus, ac per totam octavam, quotidie millies prostrato semper humi corpore. Nec pridie istorum dierum, præter panis et aquæ paululum, obsonii quidquam admittebat. Quoties autem in loco Capituli, ut vocant, sequentis diei solemnitas promulgabatur, ipsa humi strata, profusis lacrymis Deo grates referebat. Surius, *in Vita*, 28 Febr.

Erat et in hujusmodi Mariani cultus studiis singularis prorsus nostræ Societatis nobilis athleta, et fuso pro Christi fide in Monomotapa sanguine, insignis martyr P. Gonzales Sylveira, qui, ubicumque se Dei Matris effigies ultro citroque commeantis oculis offerebat, eam toto capite, oculis, ac, si sine arbitris esset, genuum ad terram usque inflexione, venerabatur. Nec minus faciebat, quoties precatoriam divæ Virginis corollam decurrens Angelicam salutationem inchoabat. Godignius, *in Vita*.

S. Theresia, monasterii Incarnationis Avilæ creata Antistes, in ipso obeundi muneris ingressu nihil prius habuit, quam ut se et cœnobium totum B. Virgini devoveret. In quem finem imaginem ejus in cathedra priorali collocavit, eique monasterii claves una cum regimine tamquam Superiori, cujus ipsa esset vicaria, obtulit. Quod sibi gratum fuisse Virgo ostendit, dum pridie S. Sebastiani visibili specie in locum imaginis suæ substituta, se domus illius gubernacula non illibenter suscipere demonstravit. O Patres matresque familias, quanto domus vestræ bono sub talis Virginis Antistitis imperio regerentur! Ribera, l. III *Vit.* c. I.

S. Edmundus studia numquam inchoabat, nisi implorata prius ope Virginis, cujus imaginem semper coram habebat, et se ipsa sæpius revera præsentem exhibebat. Semel, cum inter studendum fuisset forte lucerna a glire extincta, Edmundus ad Matrem suam pro more suo confugiens, vidit Angelum ab illa missum, qui lumen restituit. Surius, *in Vita*.

Anno salutis 1631, non procul Divione, tres prædones in equitem, qui secum retro vehebat monialem e cœnobio abductam, inciderunt, cumque armis hic se contra istos defendere pararet, ab uno illorum caput glande ignita percussus, de equo cecidit exanimis, unaque decidit, sed illæsa, monialis, quæ instituti cum equite itineris causam interrogata, ingenue, quod res erat, fassa, magno se dignam supplicio pronuntiavit. Habebat illa in sinu B. Virginis iconem, quam in istorum occursu in manus sumpserat, ejusdem Virginis implorata ope, quam et impetravit; nam grassatores isti, contra morem ejusmodi hominum, monialem non tantum non tangunt, sed, si velit, paratos se offerunt eam ad monasterium suum equo deportare. Id officii cum toto animo admitteret, ab uno grassatorum domum revecta est, et monita, ut hinc sapere disceret. Sub hæc, monialis ut vectori suo aliquod, ob acceptum beneficium, grati animi pignus relinqueret, icone eum, qua se servatam credebat, donavit. Nec fuit homini donum istud diu inutile; siquidem ad suos properanti exorta animo, ex pravæ vitæ recordatione, gravis inquietudo, et conscientiæ remorsus meliorem injecit mentem, suasitque relictis sociis vitam ad Christiani officii normam revocare. Nec mora; converso gradu ad Divæ Virginis sacellum quoddam, Divione duabus distans leucis, cujus effigiem monialis dederat, se recepit, Virginique Matri, quam mutatæ jam in melius vitæ deprædicabat auctorem, gratias egit. Barry, *in Paradiso*, 25 *Januar.*

Narrat Joannes Moschus, in suo *Prato Spirituali*, de Joanne quodam viro sancto, qui peregre ad visitanda sacra loca profecturus, B. Virginis Mariæ imagini, quam in specu sua secum habebat, lumen honoris causa accendere, et ipsam illi lucernam cellulæ commendare solitus, sæpe post aliquot septimanarum, imo mensium, peregrinationem ad speluncam suam reditum, lucernam semper accensam, nulla ejus facta imminutione inveniebat, certum grati magnæ

Matri impensi officii testimonium. *In Prato Spirit.* c. CLXXX.

Nobilis quidam Lusitanus ex morbo decumbens pro suo in Deiparam Virginem pio affectu jusserat in cubiculo suo parari altariolum, et in eo Divæ statuam collocari, et texta e floribus corolla coronari, ac circum flores spargi, usus in hanc rem opera mancipii Turcæ, qui sane non seguiter nec morose domini sui jussa implere conatus est. Cæterum herus pridem optaverat servum illum suum Christianis accenseri, et sæpe hominem tum ratione, tum prece ac pretio ad id invitarat, sed semper frustra. Is ergo postridie ejus diei, quo in exornanda DeiMatris effigie tam cordatam, heri jussione, navaverat operam, ad herum accurrit, baptismum postulat, ita nimirum ut peteret, secundum noctem jussisse Virginem, cujus exornandæ imagini tam sedulo se impendisset. Hac tam inopinata et diu optata servi postulatione ita exultavit nobilis, ut medicina illi tunc quidem non fuerit opus alia ad morbum pellendum et curandum, ut famulus Christianis Sacris imbueretur. Qui factus Christianus vitam eo nomine dignam instituit, et in magnæ Virginis Matris obsequium toto pectore incubuit. BARRY, *in Parad.* 18 *Aug.*

Inter cultarum Deiparæ imaginum præclara documenta, quibus vera pietas astruitur, ab elegantiori profectum ingenio illud videri potest, quo ad posteros transmisso, Melchioris Hierbæ Ord. Min. nomen est nobilitatum. Nam quia vilium pictorum inscitia Divæ Virginis ora vultusque minus eleganter effictos videret (quod sæpius inter illa Mexicanæ Ecclesiæ rudimenta fieri necesse fuit) illatam pulcherrimæ mulierum injuriam non ferens, ut, quoquo posset, modo compensaret, illico positis humi genibus eidem laudes ac vota offerebat. Idem illi animus, eadem religio, si in minus cultas atque ornatas incidisset. Si tali ubique gentium penicilli error pietate corrigendus est, Virgini effingendæ nullum ego Apellem requiro. Cultior deformi sua imagine lautiorque fuit Virgo, quam si artis miraculo spectata, veræ pietatis indigeat veneratione JOAN. RHO, l. III, c. III, n. 22.

Caroli Magni filius Ludovicus, non imperii solum, sed multo etiam magis paternæ pietatis hæres, venerandam Deiparæ Virginis imaginem tanti fecit, ut eam quocumque iret religiosissime circumferret, in venationibus ad arborem collocare juberet, ut eam e regione positam inter venandum crebro videret, a tergo relictam subinde respectaret, ad eamdem precaturus sæpe recurreret. Idem divina monitus visione, ad arbori. truncum novi templi fundamenta jecit, opuss que illud SS. Virgini nuncupavit. ALBERT-CRANZ. l. X *Metropolit.*

Peregrinationes ad templa B. Virginis instituenda.

Pastoris filia pecora cum patre custodire jussa, cum frequenter ad desertum templum in pascuis situm accederet, precesque coram imagine B. Virginis cum magno pietatis sensu persolveret, meruit a B. Virgine triplici Virginum cohorte comitante visitari, et post caput serto ornatum ad cœlum deduci, quemadmodum duo Religiosi illac transeuntes, et postmodum moribundæ puellæ assistentes, viderunt. *Specul. Exempl.* d. IX, ex. CXVIII.

Alia quædam puella septem annorum, dum sub arboribus preces persolvit, et pecora custodit, Virgo miri splendoris eam manu arripiens ad ædem Lauretanam triginta mille passibus distantem deduxit, iterumque reduxit, ubi talem pietatis erga Deiparam stimulum concepit, ut, cum deinde monasterium ingressa, et Præsidis etiam officio functa, ad nonagesimum usque annum sancte et illibate vixisset, singulis tamen annis ad ædem Lauretanam peregrinata fuerit. *Hist. Laur.* l. II, c. XIII.

S. Gerlacus Ruremundanus singulis Sabbatis ad Aquisgranensem Deiparam nudis pedibus peregrinari solebat; S. Servatii vero reliquias quotidie mane, molesto licet itinere visitare; unde factum, ut, cum in agone Sacerdotem non haberet, S. Servatius a Deipara missus ultimis præsidiis et Sacramentis eum muniret. JOAN. NADASI, *in Anno Maria. Sabb.* 29.

Franciscus Toletus, Cardinalis, Romæ singulis Sabbatis e Vaticano, longo satis itinere, pedes, quæcumque anni tempestas foret, itare ad S. Mariam Majorem consuevit, et illic se Reginæ Cœli pro aris sistere, Filiumque illius æterno Patri offerre. Ibid.

S. Maria OEgniacensis singulis annis ad templum OEgniacense duobus milliaribus distans, bruma sæviente, nudis pedibus itabat, et illo ac sequenti die nil comedebat,

totamque noctem in templo pervigil precibus impendebat; quo in itinere flexibus et erroribus obnoxio, cœlesti quodam lumine sine errore ducebatur, Angelis dextra lævaque eam sustentantibus, et imbres, cum caderent, arcentibus. JACOBUS DE VITRIACO, *in ejus Vita.*

Henricus II, Imperator, in mediis peregrinationibus si urbem antiquam ingrediebatur, primam noctem in illa æde, quam B. Virgini sacram reperisset, insomnem inter preces exegit.

Sodalitati nomen dando.

Ferdinandus II adeo B. Virginem et Sodalitates amabat, ut nulla in Ungariæ Bohemiæque regnis, nulla in Carinthia, Styria, Carniolia, B. Virginis Sodalitas fuerit, in cujus Album nomen suum non retulerit. *Vita*, c. VII.

Henricus ab Haiden, Canonicus Trevirensis, post septem annos in Collegio Germanico exactos, tandem in patriam abire statuens, febri correptus est. In qua somnus eum quondam oppressit, ex quo evigilans Sacerdoti ad se vocato retulit, se ad judicium vocatum propediem a Dæmone in tartarum abripiendum fuisse, nisi B. Virgo (propterea quod aliquot annis in Congregatione illi servierat, eumdem Dæmonum potestati eripuisset. Ib. n. 27.

Antiphonam Salve Regina *recitando.*

S. Gertrudis de Saxonia quondam vespertinis Completorii precibus præsens, cum *Salve Regina* cantaretur, sensit se ad illa verba : *Eia ergo, Advocata nostra*, duplicato fervore opem B. Virginis tamquam potentissimæ Advocatæ implorare, simulque videre sibi visa est eamdem B. Virginem suæ quadam orationis istius violentia, non secus ac fortissimis ad se trahi funibus ; quo viso sane ostendebat, quam efficaciter, sub hoc pio Advocatæ nomine, ad ferendam hominibus opem moveretur. Cum ulterius ad hæc verba : *Illos tuos misericordes oculos ad nos converte*, chorus pervenisset, tunc eamdem se Sanctissimam Dei Matrem vidisse aiebat, quæ benedicti Filii sui caput ac faciem deorsum leniter inclinans dixerit : Ecce hi sunt misericordes oculi illi, quos ad eos, qui opem meam postulant, convertere soleo. Sub hæc tandem ipsum Christum jussisse, ut quotidie hac oratione, saltem semel, uteretur, futura illi olim in mortis hora, ut certum, ita non vulgare solatium et levamen. L. IV. *Rev.* c. LIII.

De Sacerdote quodam a vitæ sanctitate bene noto scribit Cæsarius, cum exorta gravi tempestate audiret mugire tonitrua, territusque ad vicinum templum confugisset, et ante Dei Matris aram serio et ardenter se a fulmine servari deposceret, apparuisse illi Sanctissimam Virginem, et jussisse, ut, quotiescumque fulgura et tonitrua existerent, toties *Salve Regina* oraret, ac nihil hac munitus prece sibi deinceps ab illis pertimesceret. CÆSAR. l. VII. *Mirac.* c. XXX.

Quinque Psalmos recitando.

B. Joscio, S. Bertini Audomaropoli olim asceta, in eam erga Dei Matrem pietatis consuetudinem venerat, ut Psalmos quinque : *Magnificat; Ad Dominum cum tribularer; Retribue; In convertendo; Ad te levavi;* qui primis suis litteris nomen, *Maria,* describunt, quotidie, dum vixit, legeret. Et ne dubitarent homines, id pietatis officium B. Virgini gratissimum fuisse, prodigiosi flores quinque ex mortui oculis, auribusque, atque ore enati prodiere, quorum qui de ore fuerat propagatus, in singulis foliis Sacrum Nomen, *Maria*, inscriptum gerebat. SPINELLUS, *in Throno*, c. IV, n. 24.

Officium recitando.

Assueverat regius adolescens Lusitanus, Sebastianus, Virgineas Laudes destinatis horis descriptas diligenti religione percurrere, nullaque ab eo studio occupatione dimoveri. Itaque, cum forte venaturus equum insiluisset, in eam venit cogitationem, se destinatum laudum pensum magnæ Virgini nondum persolvisse. Ergo, nequicquam monentibus aulicis, non defuturum sub noctem tempus opportunum precationi, illico ab equo desilivit, seque consuetum recipiens in cubiculum, statas decurrit laudes, quibus persolutis ad venationem abiit; noluit, dum feras caperet, domesticam sibi elabi pietatem. RHO, l. III, c. II, n. 1.

Quam Deo, Beatissimæque Virgini grata

sit hujus officii recitatio, testatus est quidam tempore Caroli, Francorum Regis, regio in Ungaria ortu adolescens, cui id pensi in Virginis honorem quotidie recitare solito, apparuit Virgo Mater, et a carnalibus nuptiis, quibus jam parabatur, abstractum, ad castitatem in ordine Religioso perpetuo servandam traduxit, eidemque festum Immaculatæ suæ Conceptionis celebrandum indixit. S. Anselmus, *epist. ad Epise.*

Eleemosynas dando.

De Alexandro Peretto, Cardinali Montalto, sic scribit Joannes Rho : Illa meo judicio elegantissima est religio, quæ mixtis cum charitate opibus, versicolori veluti serico oculos animi utrinque ludit, ac delectat. Accenseatur religioni adversus magnam Virginem, quod charitati in virgines illocabiles poterat accenseri. Illius enim reverentia his benefacere Montaltus instituerat. Nullam Deiparæ sacram diem abire patiebatur, quin liberali manu dotatam aliquam virginem honesto in matrimonio collocaret; ratus gratissimum Mariæ accidere, si teneras illas ætates tuto in pudicitiæ portu aureis anchoris retinerentur. Rho. l. III, c. III, n. 22.

Mortificationi corporis et animi studendo.

Refert Pelbartus in *Stellario Coronæ B. Virginis*, latronem quemdam, cum ad domum cujusdam pauperis mulieris divertisset, die Sabbati, observassetque illam cum filiabus jejunantem, jejunii causam quæsivisse, cui responderit mulier, didicisse se a quodam concionatore, quod, quicumque in honorem B. Mariæ Sabbatis jejunaret, is eam esset gratiam consecuturus, ut sine pœnitentia nequaquam vita decederet, damnationem evasurus. Hoc audito, vovit ille statim illis præsentibus, se tota vita in Deiparæ Virginis honorem jejunaturum. Jejunaverat ex voto jam aliquot annis, quando in scelere deprehensus, lata sententia, capite plexus est. At ecce abscissum caput: *Confessionem, Confessionem*! clamare cœpit. Adfuit extemplo Sacerdos, qui caput trunco jungit, et Confessionem excipit, intelligitque istum ob susceptum in B. Virginis honorem Sabbatinum jejunium, sine peccatorum expiatione mori non potuisse. Cæterum abscisso capite adfuisse Dæmones, qui animam abducerent, sed prohibitos a superveniente B. Virgine, quæ animam inde abire non sivisset, nisi contritione et confessione rite expiatam. His ergo peractis, astantiumque suffragiis postulatis, anima inde avolavit. Pelbartus, l. XII, p. II, c. I.

Addictissima Virgini Capucinorum natio Hieronymum Politianum offert, tam exactæ in ejus cultu pietatis, ut, quum aliquis eorum in eam diligentius incumbit, domestico detritoque apud eos proverbio, is Hieronymo componatur. Illa præcipua memorantur. Quoties fas illi erat per Ecclesiæ leges, toties ejus honori ex formula sacrificabat ; septimam quamque diem, et quaternas ante ejus quasque festas luces, totidemque post dies illas, cibario pane, ac frigida contentus transigebat. Reliqua haud erant dissentanea, sive laudibus, conceptisque precibus, sive privatis collocutionibus publicisque sermonibus ea esset celebranda, semper reliquos inter eximius erat Hieronymus, celsissimo quodam animo, et liquidissima voluptate. Rho, l. c. n. 25.

S. Carolus Borromæus ante omnia festa Deiparæ solemniora jejunium in pane et aqua observabat. *Parad. apert.* c. III, ex. 2.

Quidam latro diem Sabbati a quodam Cisterciensi monacho jejunare, et a cæde abstinere doctus, in primis contritionem peccatorum in morte, post hanc vero honorificam sepulturam obtinuit. Capite enim plexus, et extra urbem sepultus, nocte sequenti a quinque matronis candelas accensas in manu ferentibus, ex sepulchro effossus, et feretro eleganti impositus, custodibus urbis traditus est cum mandato, ut monerent Episcopum de eodem in Ecclesia sepeliendo. Cæsarius, l. VII, c. XIX.

Alius cum suasu cujusdam mulieris itidem omnibus diebus Sabbati jejunasset, in silva jam decollatus mori citius non potuit, quam Confessarius ex urbe vicina evocatus confessionem illius exciperet. Pelbartus, *in Stellario*, l. XII, p. II, c. III.

S. Thomas Cantuariensis omni die Sabbati cilicium gestabat, quod adeo placuit B. V. ut eum quodam die in eodem reficiendo juvaret. S. Anton. p. IV, tit. XV, c. II, §. 2.

Nobilis quidam lasciviæ vitio irretitus, cum S. Bernardi suasu primum trium dierum intervallo ad honorem SS. Trinitatis, to-

tidemque pro Dei Matris reverentia a luxuria abstinuisset, usque adeo mutatus est, ut etiam perpetuo voto sese ad pudicitiam servandam adstringeret. *Parad. apert.* c. XI, ex. 8.

Miles quidam, qui virginem, Mariæ nomine vocatam, Sabbato ob honorem Virginis Matris, stuprare omiserat, contritionem in torneamento elicere, et ad æterna gaudia ab ea perduci meruit. *Spec. ex.* dist. IV, ex. 3.

Nihil negando in ejus nomine petentibus.

S. Gerardus, primus Ungariæ Martyr, nomen B. V. interponenti nihil unquam negabat; unde omnis generis homines, quæ volebant, ab eo impetrabant; hac clave ejus mens et arca patuit. *Paradis. apert.* c. III, ex. 7.

Alexander Ales, vir doctissimus, eamdem sibi legem imposuit, unde sub hoc titulo ad Ordinem S. Francisci invitatus paruit, non sine egregio animi solatio fructuque. Ibid.

Franciscus Sfortia, Dux Mediolanensis, cum Casanova in potestatem reducta, puella raræ formæ ad eum redacta fuisset, et hæc imaginem Deiparæ in cubili aspiciens, per honorem, quem imagini deberet, rogaret, ne pudorem illius violaret, usque adeo insolitis his precibus permotus est, ut mox eam illæsam cum præsidio ad suos deduci jusserit. Ibid.

Cultum illius promovendo.

S. Stephanus Rex, hortante S. Gerardo, vehementer laboravit, ut totum suum regnum Deiparæ colendæ esset deditissimum, ut ejus festa pridianis jejuniis et singulari pietate transigerentur; ut ad sacratiss. Mariæ nomen flexis genibus, et demissis in terram capitibus, se cuncti inclinarent. Unde et Ungaria a sancto Rege familia S. Mariæ appellata est. GASP. TAUSC. l. III, prax. 15.

S. Ludovicus IX, Rex Galliæ, non contentus Bononiensem Comitatum cum oppidis B. V. consecrasse, in regno insuper universo voluit sub meridiem ære campano signum ad salutationem Angelicam dari. Ibid.

S. Dominicus cum ab eo Blancha, Franciæ Regina, petiisset, ut filium ipsi impetraret, auctor illi fuit, ut Rosarium sedulo oraret, et multa insuper oraturis distribueret; id enim si faceret, prolem masculam habituram. Fecit, et mater S. Ludovici est effecta. Ibid. n. 5.

B. Vincentius, Dominicanus, omnes conciones recitatione miraculi per B. V. patrati claudebat; hinc in agone Deiparæ aspectu et auxilio confirmatus, ejusdem laudes concinendo expiravit. *Spec. ex.* d. 7, ex. 57.

Franciscus Retzanus, itidem ex Dominicana familia, sex annorum spatio Theologiam prælegens, singulis sublatis dimidiam prælectionis partem, decore et cum gratia in laudem hujus Virginis deflexit, et frequenter eo sensu, ut uberes lacrymæ verba docentis interciperent. Tria bene magna volumina in laudem cælestis Virginis scripsit. MIEKOV. disc. XXVI, n. 24.

Joannes I, Rex Lusitaniæ, tria magnifica in honorem Virginis sanctissimæ monasteria struxit, quorum primario, quod prope Ulisiponam ab Oliveto dicitur, tantum argenti pondus donavit, quantum ipse cataphractus a capite ad calcem pendebat. Suam quoque ibidem hastam, et militare vexillum suspendit, monumentis artificum manu elaboratis, quæ eo loco obtulit, quater centena millia aureorum nummorum excedentibus. Collegium quoque triginta duorum Canonicorum, quorum cuilibet quadringentos ac quinquaginta aureos attribuit, extra annuum Episcopi redditum, qui ducenta et quinquaginta ejusmodi nummorum millia faciebat. Officium B. V. non modo ipse cum magno pietatis sensu quotidie recitavit, sed aliis etiam, qui meliore apud ipsum loco erant, idem faciendi auctor fuit. *Parad. apert.* c. X, ex. 8.

Stat in Quirinali Virgini a Paulo V, dicata cella, ejus in cæli terræque Reginam obsequii, atque plusquam regiæ magnificentiæ argumentum ingens. Nihil in urbe majus, aut elegantius videt civis, miratur peregrinus. Vario marmore Lunensi, Hispanico, Luculleio, Africano nitent parietes, pilæ, pavimentum, coronis. Porro ara ipsa, supra quam Deiparæ imaginem Divi Lucæ ductam penicillo, in pretiosissimo e gemmis forulo collocatam colimus, vario jaspide, mira atque eleganti varietate colorum, ac plurimo inaurato ære, columnis, magnisque famulantium Angelorum simulacris ad miraculum fulget. Ad hæc constituta Sacerdotia, additi annui redditus, argentea atque aurea vasa, et vestis affatim dives, plurimo provisu in sacrorum ministerium comparata. Atque hæc omnia humillimæ servitutis ti-

tulo eidem Virgini obtulisse se publico epigrammate testatus est in hæc verba : « D.V. Dei Genitricis Mariæ Paulus V. Sacellum obtulit humilis servus, anno salutis Domini M. DC. XV. Pontif. VI. » Quumque nondum satis a se cultam Virginem crederet, quamquam sacrario et odæo Basilicam auxisset, majus aliquid moliendum ratus, immanem columnam striis ingentibus, ac plusquam palmaribus nobilem, Lunensi ex marmore, quæ sola in Templi Pacis parietinis supererat, depositam, magnoque ergatarum molimine in Exquilinum ex foro nunc Boario translatam, erectamque, Virginis æreo inaurato, ac prægrandi signo superimposito, consecravit. Ut plane mirari desinant haud dubiæ virginitatis ac summæ pudicitiæ fama obiisse Pontificem, qui in Virginis fuerit clientela. Rho, l. c. IV.

Anno 1647, quo tempore Vandalicus turbo jam universam prope Germaniam secundo Marte pervagatus, Bohemiæ sese, ac hæreditariis augustissimæ Austriadum familiæ provinciis violentior infundebat ; sacratissimus juxta pientissimus Imperator Ferdinandus III, ut labantibus Imperii, Fideique rebus fulcrum subjiceret, laboriosi pariter ac sumptuosi operis columnam erexit, futuram posteris sæculis, non minus Austriacæ pietatis monumentum, quam statutum (ut sperare licet) furori Baltico colossum terminalem. Moles est, si materiam spectes, solido excisa lapide, et perferendis in ævum sine offensione cœli injuriis perquam idoneo. Basin circumducti per artem quaterna in latera, æqualibus a semet spatiis discedentia, coronant cancelli, et modico ab eadem intervallo divisi angustam in circuitu viam aperiunt. Basi, qua parte coeuntibus lateribus in angulos acuitur, quaterna insistunt ; vel Heroum vel Angelorum simulacra, qui caput galea, umbone pectus, lævam clypeo, ac ense dexteram armati, ictum singuli in subjectum pedibus monstrum delibrant. Ac primus quidem, qui in orientem prospicit, in draconem vires omnes insumere videtur, cui ingeniosum lemma ex Sacris adscriptum de pelta emicat : *Ipsa conteret*. Alter, qui frontem occidenti porrigit, pari armorum nisu in edomitum leonem intentus, epigraphem præfert : *Conculcabis*. Tertius, qui vultu ad meridiem converso, aspidem calcat, et ferienti similis contrucidat, inscriptionem de clypeo ostentat : *Ambulabis super*. Postremus, qui in aquilonarem plagam, et vultu, et armis minatur in basiliscum desæviens, hoc proculcatam belluam lemmate alloquitur : *Non pro te lex*. Media in proceram altitudinem assurgit columna, et prope paris cum ædibus altitudinis, supremo vertice portat ingentis magnitudinis statuam, quæ sine macula conceptam Deiparentem Virginem, tam antiqui serpentis caput victore calcaneo proterentem, quam velut e sublimi specula in suorum salutem excubantem repræsentat. Stabat jam in amplissimo, ac urbis capaci foro ante ædes sacras Domus Professæ Patrum Soc. Jesu, solidata moles ; sed dubiæ adhuc eam inspectantium nutabant cogitationes, quam tandem in partem pientissimi Cæsaris sese consumeret deliberatio ; donec incisa basi epigraphe omnem sustulit dubitationem. Ea vero fuit, augustissimo ipso Imperatore dictante, in hæc verba concepta, et artificioso chronographico conclusa.

Deo Optimo Maximo
Supremo cœli terræque Imperatori,
Per quem Reges regnant;
Virgini Deiparæ,
Immaculate Conceptæ
Per quam Principes imperant ;
In peculiarem Dominam
Austriæ Patronam,
Singulari pietate susceptæ ;
Se, liberos, populos, exercitus, Provincias,
Omnia denique confidit, donat, consecrat,
Et in perpetuam rei memoriam
StatVaM hanC eX Voto ponIt
FerdinanDVs tertIVs aVgVstVs.

Tunc scilicet patuit, Austriacæ pietatis consilia, in Immaculatam Virginis Conceptionem publico ac peculiari, vel cultu et honore prosequendam, vel studio et amore propugnandam conspirasse. Sed ne in re, nova quidem, et hactenus a sæculis inaudita, fragile quidquam, et quod ætatem non ferret, statueretur ; placuit coactis in consilium Austriæ Ordinibus, Provinciali ac Urbico Senatu, Religiosorum Superioribus, Episcopo et Clero, ea, quæ publicum contingerent, et nisi conspirantibus capitibus ægre perennarent, in deliberationibus argumentum proponere. Ea vero fuerunt ; venisse sibi in mentem diu amatam, ac privato semper honore cultam Immaculatam Virginis Conceptionem, in publicam etiam venerationem promovere. Hanc in rem erectam a se statuam, quam etiam solemni Ecclesiastico ritu a Pontifice velit dedicatam ; velint proinde jubeantque diem Decembris octavam Immaculatæ Conceptioni sacram, non

solum festo ritu a Statibus, ac universo populo celebrari, quod jam pridem gloriosissimæ memoriæ Augustiss. parens Ferdinandus II, decrevisset; sed pridiano etiam jejunio anteveniri, ac omnium voto Austriæ Patronam dici. Neque difficile fuit, extorquere ab iis consensum, quibus exemplum Principis est imperium. Proni iverunt omnes in sententiam, in quam præivit primus Imperator.

Dicitur ergo Dedicationi dies 18 Maii labentis anni M. DC. XLVII, qui, ubi illuxit, universam prope civitatem ad pietatis obsequia excitavit. Convenerant enim sub horam octavam matutinam cumulatissima panegyri, sacratissimi Cæsaris, non tam imperio, quam exemplo, provocati, serenissimi Archiduces Filii, Ferdinandus IV, tunc Bohemiæ, ac, mense post, Ungariæ Rex solemnibus Comitiis inauguratus; serenissima Maria Anna, nunc potentissimo Hispaniarum Regi Regina desponsata; tres, Sedis Apostolicæ, Catholici Regis, ac Reip. Venetæ, Legati; Aula Cæsarea ac Regia; Reginæque Gynæceum; et omnis summi, mediique nominis Nobilitas; Religiosi ordines; omnis hominum conditio, ordo, status, et sexus ad sacras ædes R. R. Patrum Discalceatorum Ordinis S. Augustini, Aulæ Cæsareæ conterminas; quas cum confluentium multitudo fecisset angustiores, effusus in plateas populus innumerus vias ipsas, et fora meantibus coarctabat, gaudebatque vel sic in pietatis partem venire. Exinde ergo per instratas æquali ponte vias, non minus modesto, ac ad pietatem comparato, quam augusta Majestate verendo ordine processum est ad templum Reverendorum Patrum Societatis Jesu Professorum in summo foro situm; ubi ad quietem composito subvenientium strepitu, Reverendus P. Joannes Gans e Soc. Jesu, SS. Theologiæ Doctor, et Sacræ Cæsaræ Majestati a conscientia, ad stipatissimam concionem, qua pollet summa, et per principes cathedras jam a plurimis annis maximo cum plausu approbata dicendi facultate, ea facundiæ ubertate de laudibus Immaculatæ conceptæ Virginis, præsentique ejus in rebus calamitosissimis patronicio dixit, quam vehemens animorum motus, ac certa omnino in auditorum pectoribus, impetrandæ per ejusdem auxilium tranquillitatis, spes insequeretur. Dictionem excepit Sacra ad summas Aras Liturgia, faciente ad cæsareos symphoniacorum choros illustrissimo ac reverendissimo Principe Philippo Frederico, Episcopo Viennensi. Jamque ad eam partem deductum erat Sacrificium, qua pacis osculum præsenti Principi per Subdiaconum in privatum oratorium deferri consuevit, cum augustissimus ipse Imperator, dissimulata Majestate, toto oris corporisque habitu ad pietatem æque ac demissionem composito, in publicum egressus, ad cancellos summæ Aræ, ad quam solemnis pompa agebatur, constitit, seseque humi in genua demisse provolvit, donec oblata hostia per sacrificantem Antistitem absumeretur. Tum vero posito gladio in manus illustrissimi Comitis Joannis Rudolphi a Puchaim, intimi sui Consiliarii, ac Supremi Camerarii, intra ipsos cancellos progressus, obvium habuit conscientiæ suæ arbitrum, jam præfatum R. P. Joannem Gans, una cum ministrante Clero, qui impositam Evangeliorum libro voti formulam teneret. Immolans autem Pontifex ad prostratum Cæsarem conversus latentem in Eucharistia Deum, cui votum ediceretur, proponebat. Tum voce, quæ a circumstante populo facile exaudiretur, votum auspicatus Cæsar: « Omnipotens, inquit, sempiterne Deus, per quem Reges regnant, in cujus manu sunt omnium potestates, et omnium jura Regnorum; Ego Ferdinandus coram Divina tua Majestate humiliter prostratus, meo, meorumque successorum, et Inclytæ hujus Provinciæ Austriæ nomine, Immaculatam Filii tui Matrem semper Virginem Mariam, hodie in peculiarem Dominam, et Patronam hujus Archiducatus invoco, et assumo; insuper voveo, ac promitto, ejusdem Immaculatæ Conceptionis Festum, quod cadit in diem 8 Decembris, solemniter, etiam quoad forum, in hac Provincia, quotannis, prævio, more Ecclesiæ, consueto jejunio in ejusdem pervigilio celebrandum. Te deprecor, suprême cœli terræque Imperator, qui, quod Matri tuæ impenditur, tibi impensum reputas, votum hoc meum, quod suggerere clementer dignatus es, benigno favore prosequere atque ad protegendum me, Domum meam, populosque mihi subjectos dexteram tuæ Majestatis extende. Amen. »

Die 18 Maii 1647, in Ecclesia domus Professæ Societatis Jesu, ante Aram summam in manus Principis et Episcopi Viennensis, Philippi Frederici de familia Breineriorum, finierat, et dictus R. P. Cæsareæ Majestatis a secretis conscientiæ, conscriptam voti for-

mulam ad seræ posteritatis memoriam in domo Professa conservandam receperat; tum de Pontificis manu Sacratissimam Synaxim accepit Imperator, et cancellis iterum, junctis ante pectus manibus, egressus, eo corporis situ, ac reverentia hospitem Deum adoravit, quæ etiam circumstantes peculiari religionis ac pietatis sensu afflaret. Exactum jam erat Sacrificium, sed necdum pietatis officia terminata. Placuit enim Augusto, post adoratum Deum, secunda Religiosis obsequia in ejus immaculate conceptam Matrem conferre. Assumpta ergo in pietatis consortium utraque serenissima prole Ungariæ Bohemiæque Rege Ferdinando, ac Hispaniarum Regis Sponsa Maria Anna, comitante Pontifice ac Clero universo, de angustis Ecclesiæ parietibus in fori patulum, ad erectum sine macula conceptæ Virgini trophæum sese penetrat Imperator. Effunduntur simul Religiosi Ordines omnes, ac undantis populi nimbus, surgentemque medio in foro molem stipatissima obsidione coronant. Accedit vicinior statuæ sacrorum Pontifex, et conceptis eamdem verbis, ac solito ritu, Dei, Immaculatæque Virginis Matris honori consecrat, dedicatque. Insecutus est symphoniacorum omnium e tota urbe collectorum, ac etiam tubarum campestrium, ac tympanorum, choros divisorum plausus, qui, cum Lauretanam elogiorum seriem Augustissimæ Matri decantarent, calidam in circumprostrato populo devotionem, certamque præsidi fiduciam excitarunt. Ascenderat jam non tam suo, quam pietatis calore, fervidior dies in meridianam stationem, cum dimissa matutina Imperatoris, vespertinam cœpit Imperatrix Eleonora solemnitatem meditari. Jussit enim vero post solis occasum ita forum omne illustrari, ut nulla circum pateret fenestra, quæ non geminato luminari prætexta augustissimæ familiæ insignia irradiaret. Cancellos deinde, qui colossum ambiunt, totidem resplendere lampadibus, quot ipsi columnellis assurgunt; ac demum pensilibus lucernis, in vastæ magnitudinis coronam, aut plenam iridem eleganter ductis, statuam ipsam redimiri. Valuit ea quidem res ad amœnum oculorum spectaculum, ad quod plebs omnis, omnisque civitas effunderetur; sed vel maxime ad incendenda novæ pietatis officia, ad quæ merito Augustiss. ipse Ferdinandus III, Augusta Eleonora, Rex Bohemiæ Ferdinandus, ac Hispaniarum Sponsa Regina, Maria Anna, obductis jam cœlo tenebris Majestatis suæ lucem conferrent. Tenuit ea pompa in alteram noctis horam; neque prius spectatorem dimisit, quam post imploratum melico concentu, per augustos Virginis titulos, cœli præsidium, impertita Pontificis manu, ac voce benedicto populum signasset.

Sic terminatus est dies ille, perpetua apud posteros luce radiaturus, quo Augustiss. Ferdinandus Immaculate conceptæ Virginis imaginem populorum devotioni proposuit, ipse secuturæ posteritati pietatis exemplar proponendus. At vero, ne uno die nata denasceretur sequentibus veneratio; placuit sacratissimo Cæsari de pietatis consulto imperare, ut occidentis hebdomadæ vesper, hoc est, Sabbati crepusculum, decantato Lauretanæ Virginis encomiorum syllabo, et dictis per Sacerdotem de B. Virginis immaculata Conceptione, pro Imperatore, pro Pace, orationibus, celebretur. Atque ut jussum promoveret liberalitate, statuit æterna fundatione sexcentos aureos Rhenenses, ex quibus ducenti quadrageni musices directori, ac duodenis vocibus in stipendium cederent; alii decem supra ducentos in melica instrumenta et organum impenderentur, quinquageni Curatis ac facigeris ad aram statuæ adstituris persolverentur; centenis denique emeretur majoris campanæ pulsus, quo populus ex D. Stephani turri ad dictam solemnitatem evocetur. Hoc ita in perpetuum rite sancteque stabilito, sub vespertinum Sabbati crepusculum, post datum diuturniorem, e dicta turri D. Stephani, maximi campani æris pulsum, magna semper plebis, civium, mediæ, summæque nobilitatis multitudo in forum congregatur, et dum Lauretanis salutatur immacula Virgo elogiis, in genua procidua, suas, publicæque rei necessitates deprecatur. Accedunt et pervigilia, festique omnes Augustissimæ Virginis dies, quibus sanctius terminandis eadem semper celebritate convenitur. Auspicium his datum est ipso Visitantis ad Elisabetham Virginis, qui primus tunc adveniebat, festo die, quando pientissimo Augustæ Eleonoræ voto, ac desiderio, omnes totius urbis Sodalitates partita devotione, ita sibi Octavam totam una cum privigilio pie obeundam diviserunt, ut quot diebus una vel plures magno funalium illustres splendore, et ad Antistitis comitatum numeroso Clero candidatæ, per confertissimam adge-

niculantium multitudinem propinquiores sese inferrent statuæ, et Virginis affusæ simulacro pro sacratissimi Imperatoris incolumitate, qui tunc bellicis vicinior periculis ad Egram agebat, Protectricem suam deprecarentur. Cæterum quam Deo, Sanctissimæque Matri ejus accepta fuerint hæc pia pii Imperatoris vota, haud sane vana conjectura potest colligere, quisquis meminerit, repressam continuo Suecicam ab hæreditariis Austriæ ditionibus barbariem, ac brevi post secutam pacem, qua jam per totum Romanum Imperium omnes jucundissime perfruuntur.

Maria imitanda.

Pictor quidam, dum B. Virginem elegantissime depingere, Diabolum vero fœdissima specie repræsentare studet, hic quidem ei substracto pegmate, cui insistebat, interitum paravit, sed a quo imago B. Virginis eum extenta manu in aere suspensum tenens liberavit. *Spec. Ex.* d. IV, ex. 9.

S. Hedwigis, Ducissa Poloniæ, continuo auream imaginem B. Virginis in manibus portabat, ut, quoties eam aspiceret, incitaretur tum ad debitum illi cultum exhibendum, tum ad virtutes ejus præclaras imitandas. Unde et in morte tam fortiter eam retinuit, ut nulla vi eripi potuerit; immo etiam digiti tres, quibus eam tenebat, post viginti quinque annos incorrupti manserunt. *In Vita*, 15 octob.

S. Isabella, soror unica S. Ludovici Regis, cœnobium instituit Humilitati B. Virginis dicatum, cui nomen a Longo Campo est. Quod institutum idcirco illius virtutis indigitatione voluit appellari, quod vehementer B. Virginis humilitatem admiraretur, et ipsa niteretur eam virtutem totis viribus potius, quam ullam aliam, sectari. *Paradis. apert.* c. IX, ex. 5.

B. Joanna Francisca itidem humilitatis perquam studiosa, ut B. Virginis submissionem magis celebraret, Ordinem ex virginibus sacris coegit, cujus Antistita *Ancilla* vocaretur. Ibid.

EXEMPLA DOMESTICA.

Maria amanda.

S. Ignatius augustissimam Cœli Reginam inexplicabili complectabatur amore. Hinc a prima sua conversione ipsam in Patronam et Matrem elegit, et coram ejus imagine integras quandoque noctes orando consumens, satiari, et avelli a tanto opere dilecta non potuit. Bourghes. *in Soc. Deip. sacra.*

B. Aloysius cum de B. Virgine loquebatur, seu cogitabat, immo vel nomen ejus audiebat, spirituali quodam devotionis et amoris sensu totus commovebatur, et colliquescebat. *Vita.*

B. Stanislaus filii amorem usque adeo erga B. Virginem induerat, ut eam in omni sermone Matrem appellare consueverit, idque tanto cum sensu et ingenuitate, ut audientibus partem suæ suavitatis aspergeret. Cumque frequentissime de ea loqueretur, nova semper et magnificentissima, nomina excogitabat, et gradus altissimos, in quibus eam collocabat; videbaturque grave illi esse, quod verbis judicii sui præstantiam adæquare, nec celsius quidpiam invenire posset. *Vita.*

P. Franciscus Costerus suum erga Deiparam amorem ex eo satis ostendit, quod nihil illi gratius accidebat, quam sermo de B. Virginis laudibus et miraculis institutus, amabatque tenere, quotquot ejus amatores reperisset. Miekov. disc. XCII, n. 145.

P. Alphonsus Salmeron, unus ex primis S. Ignatii sociis, adeo os et calamum Jesu et Mariæ amori dedicaverat et honori, ut sancta prolixaque scriptione sit utrumque testatus. Domi in eo, quod a mensa habetur, colloquio Christus illi erat in ore, et Christipara Virgo, dabatque dextre ansam etiam aliis, vel de utroque, vel de alterutro saltem colloquendi. J. Nad. *in anno Mar. Sab.* XXXV.

Alphonsus Rodriquez, coadjutor, tam tenere B. Virginem amabat, ut dicere cum fiducia ei ausus sit : O Domina, ego te impensius longe, quam meipsum, amo; te amplius diligo, Mater mea, quam tu me diligas. Sed B. Virgo ei apparens dixit : Non est ita, ut sentis, mi Alphonse, sed ego te impensius amo, quam tu me diligas. Bourgh. c. X.

Joannes Berchmanus, scholasticus Societatis, ita amabat B. Virginem, ut per omnem occasionem de ea loqueretur. Ob ejusdem amorem, erga S. Josephum quoque affectum singularem tum ipse induit, tum in aliis hortatu suo excitavit. Extrema vitæ suæ vespera cuidam suo commilitioni id forte interroganti respondit, præsentissimum, potissimumque præsidium, quo ad religiosæ

vitæ perfectionem adipiscendam erat adnisus, fuisse amorem religionemque erga B. Virginem. Quotidie sub Sacro petebat affectum erga illam a Deo. Scripserat sibi : Nunquam acquiescam, donec obtineam tenerum amorem erga dulcissimam meam Matrem. Et alibi : Non sum securus, nisi habuero verum et filialem affectum erga B. Virginem. *Vita*, fol XCII.

Alphonsus de Obando nullum opus faciebat, nisi amore Virginis, illamque cogitans; ideo dicere solebat, hunc amorem esse panem suum quotidianum, quem omnibus pietatis suæ exercitiis adjungeret. Quemadmodum enim panis alimentum est quotidianum, cibusque generalis, qui cum aliis omnibus esculentis sumi solet; ita devotionem erga B. Virginem ordinariam esse debere, suumque in exercitiis omnibus locum habere. NIEREMB. *de Amore Deip.* c. XXII.

P. Desiderius Colinus in phrenesi ad nomen B. Virginis mox sibi restituebatur ; quod jubebatur, nomine B. Virginis, etsi molestum foret, mox faciebat dicens : Absit, absit, ut ego amore Deiparæ nolim obedire ! Annua 1609, fol. 207.

Maria invocanda.

S. Ignatius omnem suam spem post Deum in patrocinio B. V. defixit ; hinc in ipsa statim prima de vita mutanda deliberatione totam noctem coram ejus imagine in monte Serrato inter preces consumpsit, ex intimi animi visceribus se eidem commendans, ac superioris ætatis vitia deflens, totum se toto pectore uni Deo, cui in posterum militaret, devovens sub Virginis protectione novam vitam atque militiam auspicatus est. MIEKOV. disc. 392, n. 135.

S. Franc. Xav. Meliaporæ inter verbera Dæmonum assiduo clamavit : Domina, opitulare ! Domina, non opitulaberis ? In hora mortis quoque ingeminavit : O Mater Dei, memento mei. In Catechesi tradenda opem B. V. implorabat, post singula præcepta Salutationem cum Catechistis recitans, et in fine *Salve Regina* subjungens. *Ex Vita.*

P. Franciscus Suarez in suis necessitatibus et dubiis ad B. V. potissimum recurrebat, ei nodos difficiliores velut consultandos et explicandos, facta prece, proponebat. BOURGH. *in Societ. Deip.* c. XX.

P. Thomas Sanchez inter cætera in suis notatis scriptum reliquerat : Omnis mea cura et sollicitudo erit SS. Sacramentum Jesus Crucifixus, Virgo Maria, erga quam singulari studio afficiar ; ad illam ut Matrem in omnibus necessitatibus, difficultatibus, studiisque recurram ; per eam Deo gratias agam pro quovis opere facto in Dei obsequio ; per eam veniam precabor pro quovis defectu admisso ; per eam illos Deo commendabo, qui mihi molestiam aliquam exhibuerint. Ibid.

P. Petrus de Anasco a pueritia cœpit fiduciam suam habere ad Matrem Virginem ; hinc si parentes in ipsum magis irati, B. Virgini id querebatur, et mox mitiores sunt facti. Singulis diebus ante scholam B. V. auxilium in templo petebat ; quod si omisit, infortunium illico sensit. Vigesimum secundum annum agens cum gravi morbo fuisset afflictus, non modo a B. V. apparente curatus est, sed ab eadem etiam ad S. J. invitatus. In quam ingressus singulis Sabbatis, quibus jejunabat, speciale aliquod beneficium se accepisse fassus est. BOURGH. loc. c. et *An. Peruan.* 1601, *in miss. Peruan.*

Joannes Berchmanus si quid a B. V. impetrare volebat, syngrapham ejus imagini affigebat, qua certum opus ad ejus honorem se facturum pollicebatur, si id, quod petebat, impetraret. *Vita*, fol. 163.

P. Alphonsus Cortesius incredibili erga B. V. observantia et fiducia ferebatur, unde cum internis animi afflictionibus premeretur, ad hanc piissimam Matrem recurrens, semper desideratum retulit solatium. SYLL. PERUAN. 1626, 17 Nov.

P. Alphonsus Vera si quid cum illis, quorum curam gerebat, efficere volebat, tantum B. V. rogavit, et statim, quidquid voluit, impetravit. *Ann. Castell.* 1597.

P. Ferdinandus Monroius cum Indi cujusdam confessionem audiens, nonnulla intelligere non posset, quam primum ad orationem se contulit, et B. V. opem imploravit, rediit ad confessionale, audivit, intellexit, absolvit. P. BONIF. l. IV, c. IX.

Jacobus Saravia, coadjutor, in Mauros prædones incidens, prolato Rosario Sancto (nam sic semper appellabat) : Nihil vos formido, inquit. Hoc fretus, et intactus evasit. *Hist. Soc.* p. II, l. II, n. 146.

Idem alteri cuidam accidit, qui iter faciens septem fuliginosos et igneos Dæmones molossorum specie obvios habebat, et arrepto Rosario in fugam dedit. P. BONIF. loc. c.

P. Marcellus Mastrillus, a tauro ferociente abreptus, iconem B. V. aspiciens, opemque implorans, innoxius ab eo depositus est. Joan. Nad. *Sabb.* lii, *an. Mar.*

Maria veneranda.

B. Aloysius, adhuc puerulus, ad quemlibet scalæ gradum salutationem Angelicam recitabat. Singulis Sabbatis jejunabat, ejus ædiculas libentissime visitabat. Ejus officium quotidie recitabat. *Vita.*

B. Stanislaus in prima adhuc ætate Rosarium numquam de manibus deponebat, aut certe libellos precationum et laudum Deiparæ tractabat. Ad Angelicam salutationem et similes preces, dum in novitiatu vixit, ita afficiebatur, ut nec a lacrymis temperare, nec animi sensum occultare posset. Bourgh. *ex Vita.*

P. Balthasar Alvarez imaginem B. Virginis constanter in pectore gerebat tanquam scutum contra quasvis tentationes. Festa ejusdem singulariter colebat, et ferventi ad ea oratione se præparabat. Miekov. d. cccxcii, n. 142.

P. Gonsalvus Silveira, quoties imaginem B. Virginis conspiciebat, demissis moderate oculis, et magna capitis et totius corporis inclinatione, flexis etiam nonnumquam genibus venerabatur. Ib. n. 137.

Franciscus Toletus, Cardinalis, jejunio quadraginta dierum festum Assumptionis præveniebat. Templum B. Virginis *a Palmis* præ vetustate jam fere collapsum reficere cœperat, sed morte præventus non potuit perficere. S. Lucam et S. Joannem Evangelistam præ cæteris colebat, illorum etiam Evangelia doctissimis commentariis illustrabat, eo quod ille *Notarius* Virginis, hic *Patronus* et *Custos* fuerit, bona omnia, excepta bibliotheca, Basilicæ S. Mariæ Majoris legavit. Ib. n. 144.

P. Franciscus Costerus nullam imaginem B. V. præteribat, coram qua salutationem Angelicam non recitaret. Ib. n. 145.

Alphonsus Rodriquez, Coad. quadraginta annis constantissime Officium de Immaculata Conceptione recitavit. Bourgh. c. x.

P. Sebastianus Barrada non patiebatur ullam imaginem B. Virginis esse neglectam aut loco minus honesto asservari. Unde si fragmentum in ambulacro reperisset, reverenter sublatum in suo Breviario reponebat. Rogabat Philosophiæ professores, ne thesium suarum imaginibus augustissima Jesu et Mariæ nomina imprimi sinerent, eo quod honesto satis loco ea collocari non crederet. Bourgh. c. xxii.

De Hieronymo Cignardo sic scribit Joannes Rho : Amicissimi adolescentis pietatem nos, qui olim, quum eo familiarissime uteremur, sumus admirati, posteris ad exemplum prodere maxime decet; qui enim ignota colligimus, cur familiaria, quibus ob imitandi facilitatem commovetur magis animus, nescio, qua longinquitatis admiratione, ac nostrorum contemptu, ineptissime dissimulemus? Mediolani, diligentissimo post Sanct. Carolum religionum cultu, Virginis Deiparæ frequentissimæ in publico imagines ac signa videntur ; eorum nullum insalutatum Hieronymus adhuc adolescens præteribat. Venerabatur autem aperto capite, salutatione Angelica semel recitata, mira modestissimi oris suavitate ; sive in sole essemus, sive pluvia caderet, non omittebat, et quia frequentes imagines sunt, hæc illi quasi perennis erat occupatio. Idem quum in ejusdem Virginis æde Brerana, quam Societas curat, ante Virginis a Lovino suavissimo ac celeberrimo artifice felicissime depictam procubuisset, tunc lacrymis, quibus dulcissime fluentibus sinum opplebat, pro animi sensu libere indulgens, diutissime divina contemplabatur. Idem demum quum primum conceptis ex formula votis religiosum dixit sacramentum, eadem, bona Præsidum venia, paululum immutata, totum se Virgini addixit, usurpabatque, quoties animo suo vellet obsequi; nam in Virginis cultu ac nomine totus acquiescebat; ubi enim major animorum quies, quam ubi ipse quievit Deus? Rho, l. III, c. v, n. 25.

Idem auctor de Jacobo Ceruto sic loquitur : Somnum, quem mortis consanguineum elegantissimus poetarum appellavit; virgineis hunc quoque laudibus addecet consecrari ; sed indocilem, atque obsequii insuetum, nisi de cœlo major aliqua adsit virtus, neminem puto habiturum in potestate. Verum quam prompto in vota cœlo utamur, si Virgini famulandum est, magno suo bono expertum fuisse Jacobum produnt annales. Etenim cum creberrima invocatione solemnibus Litaniarum formulis frequentissime usurpatis, tota die in ejus obsequio versaretur, sibi tamen minime satisfaciebat, quod somno ab ea pietate abstineretur. Sed brevi noctem quoque ipsam illi habuit obsequen-

tem. Ter somnum abjungere, et magnam Dei Matrem venerari didicit; excitabaturque haud dubia vi superiori, quamquam altissime obdormisceret. O salutares ac vere virgineas vigilias! Nam, si, qui ad eam mane vigilent, eos salutis potituros divina produnt oracula, quam amplam illis obvenire necesse est, qui noctu insuper pervigilant? Ib. n. 12.

De pluribus aliis hæc habet citatus auctor. Antonium Madridium, domesticis operibus exercitatissimum senem, octogesimam usque ad ætatem, et septima quoque die, et in vigiliis omnibus Virginis pane et frigida famem fregisse accepimus. Franciscum Hortulanum, laici ordinis virum, virtutibus omnibus excultissimum, earumdem felici auspicio, quum primum lucem hausit, sublatis junctisque manibus linguam in ejus Angelicam salutationem solvisse, grandi miraculo. Godefridum Thelinium a susceptis animorum causa laboribus tantum sibi otii quotidie sumpsisse, ut quadringenties quadragies Angelica salutatione recitata, interjecta per singulas decades oratione Dominica, Virginem veneraretur. Dominicum Assensum, hominem frugiferæ in animarum conversione operæ, nihil sibi reliquum fecisse, ut mortales libellis, imaginibus, concionibus, supplicationibus, mira semper ac nova inventionum varietate, ad Virginis cultum excitaret. Petrum Antonium Spinellum eidem septennem adhuc virginitatem suam voto dedicasse, ac in illius postmodum obsequio ita vitam omnem transegisse, ut de illius etiam laudibus præclara scripserit; item sæpius ad Lauretanam ædem peregrinantem, in eaque quondam pernoctantem, honores, qui sibi imminebant, deprecatum fuisse, nihil demum magnæ rei orsum, quin prius in aliqua Deiparæ nomine sacraæ de, Sacro facto, divinum numen per eam sibi conciliaverit. Martinum Delrionem de illius laudibus perpetuo disserentem scribere orsum in Societate eadem, quod hac ætate, ante illum nemo, de illa totum Canticum Canticorum diligentissime ac luculentissime fuisse interpretatum. Hermannum Hugonem in omnem ejus honoris amplificandi occasionem intentissimum, non alio quam bonæ Matris nomine appellasse. Petrum Menaccium, Peruviano in Regno sapientiæ oraculum, ob eamque rem consulentibus de conscientia passim mortalibus occupatissimum, Virgini repetitis ad Rosarii numerum Angelicis salutationibus venerandæ, destinatam quieti animique laxationi horam quotidie seposuisse. Matthiam Paulum Vagnerum, adolescentem castissimum, conceptis certa quadam religione votis, illi veluti in manu convenisse, totumque se illius, ut sponsum, obsequiis mancipasse. Dominicum Valesium nunquam ejus imaginem vidisse, quin si solitudo esset, positis genibus, si arbitri adessent, aperto certe capite, non fuerit veneratus; cum duobus sociis convenisse, illas unquam videndi, quin animum ad divina excitarent; illius laudibus ita delectatum fuisse, ut magnitudine voluptatis veluti peregrinaretur a sensibus. Barradium vero, qui tam luculenter de illa fuerit commentatus, imaginem nullam minus honeste haberi haud quaquam passum, dicere insuper solitum, per illam socios ad hanc familiam vocari, ejusque patrocinio constantiam tenere, et sibi quidem adolescentulo disertis ab illa verbis, ut Societati nomen daret, fuisse imperatum. Petrum Leonem, annosum usque senem, septima quaque die publice se in cœnatione flagellis cæcidisse, ut Virgini, myrrhæ olim amantissimæ, illius aliquantulum exhiberet. Ib. n. 26.

Mariæ cultus propagatus.

S. Franciscus Borgias tribus potissimum mediis Marianum cultum propagare conatus est. 1. Dum approbationem libelli Exercitiorum obtinuit, ex cujus usu non exiguus in B. Virginem honor resultat, utpote quæ est Auctor horum exercitiorum. 2. Dum menstruorum sortitionem et schedas, quæ laudes B. Virginis continebant, distribui fecit. 3. Dum imaginem a S. Luca depictam a præstanti pictore exprimi, ejusque exemplaria per varias provincias dispergi curavit. Bourgh. cap. xxiii.

P. Balthasar Alvarez auctor fuit Patri Suarez, ut quæstionem illam, qua probabat, B. Virginem in gratiæ quantitate omnes homines et Angelos collective sumptos excedere, discutiendam assumeret; quam ob causam illi B. Virgo gratias agi jussit. Miekov. disc. cccxxii, n. 142.

P. Alphonsus Salmeron per Quadragesimam singulis Sabbatis (etsi cessare alioquin solent eo die concionatores) concionem habuit, et pro themate Marianum cultum laudesque assumpsit. Joan. Nadas. *in an. Mar. Sab.* xxxv.

P. Jacobus Laynes, licet febri quartana laborans, tres tamen horas pro asserenda Virginis immaculatæ conceptione peroravit, eaque oratione Patres Concilii Tridentini permovit ad decretum illud, Sess. 5, de peccato originali limitandum. Bourgh. c. viii.

P. Josephus Anchieta ob compositos in honorem Virginis versiculos, donum integerrimæ castitatis inter nudas gentes obtinuit et salvus inter tot pericula evasit. Idem, c. xviii.

P. Sebastianus a Campis agonizans ad circumstantes dixit : O filii Adæ ! Servite, et amate Mariam diligentius! Non scitis, quam vobis sit necessaria Mariæ deprecatio. Joan. Nadas. *in an. Mar. Sab.* iv, p. 1.

Franciscus a Villaregali cum Christum collaudaret, semper adjungebat : Laudetur Dominus noster Jesus Christus, propter purissimam et immaculatam B. Virginis Conceptionem. Et hoc acroama loco Rosarii præibat pueris. Singulis item septimanis in refectorio *Ave* cantabat. *Annuæ* 1598, *post fol.* 615.

Consalvus Sylveira in ea, quam ad Cafrorum regiam Goa solvens instituit navigationem, oppido longa et periculorum plenissima, utque ab his quies esset, urente sole præter Africæ oras æstuosissimas, tantum nihilominus pietatis habuit, ut quotidie mane ad nautas, ad classiarios, ad duces de Virginis amplitudine ac dignitate disertissime disputaret. Eam omnem tredecim per gradus veluti ascendendo ipse definiebat, quibus e fontibus perennem sibi ad disserendum rerum ac verborum copiam suppeditari sentiebat. Hoc ille tunc maxime facere animum induxit, ne, quoniam nautæ nullum exoriri sinerent diem, quo mathematicis instrumentis instructissimi de Cynosuræ altitudine non quærerent diligenter, turpe sibi esset de ea stella, quæ nobis totius vitæ dux et magistra a Deo est data, ad quam cursum dirigamus, minus industre disserere. Haud igitur potuit aberrare, qui animum sub hoc astrum teneret. Neque profecto aberravit, qui ea comite Monomotapis primus Evangelium intulit, ac barbaro Regi ejusdem Virginis quam noctu sibi videre visus, ac loquentem minus intelligere, iconem ostendens, fidem persuasit, ac sacro abluit fonte. Neque recens hæc tibi, Sylveiria, nec per occasionem suscepta pietas fuit; nam cum per annos aliquot donis, quæ Deus in Matrem plena congessit manu, quotidie recolendis, horam unam sepositam habuisti. Quid igitur mirum, si addictissimo sibi servo Regina Martyrum, triumphi purpuram impetrarit? Decet hac triumphali trabea Virginis decora esse servitia. Rho, l. III, c. i, n. 5 *ex Nostris*.

Jacobus Rhem, Germanicæ juventutis magno bono natus, cum in Sodalitiis promovendis plurimus esset, cultuque Virginis omnibus præiret, concupivit aliquando nosse, quænam ex appellationibus, quibus Virginem perhonorificis imploramus, ei esset acceptissima, voti damnatus est, objecta Deiparæ specie illustrissima, quum ad eas voces, *Mater admirabilis*, concinente symphonia quondam ventum esset; conjecerat se bonus senex in Oratorii angulum, cum eam vidit, statimque in medium emicans, iterari, tertioque a symphoniacis voces illas repeti jubet, admirantibus, qui aderant, nec satis intelligebant, quo subitus gravissimi senis impetus pertineret. Sed vere de Virgine omnia illo breviloquio dici videntur, cum Matrem dicimus, et admirabilem. Ib. n. 9.

Gulielmum Petereum, propagato cultu Virgineo, si quis alius, benemeritum, quum extrema jam mors occuparet, ac circumfusi lectulo socii se ab illo destitui queritarentur, qui colendæ Virginis dux esset; graves oculos allevans : Domine, inquit, si propagandis Matris tuæ honoribus necessarius sum, exauctorari non peto, nec laborem defugio. Uni illi se tuto victurum credidit, quæ vitam nobis reperit immortalem. Ib. n. 11.

Non vitam modo piissima Mater, sed mortem etiam suorum clientum nobilitavit. Nam Ignatio Azebedio, cum sua illa sociorum cohorte Brasilicas superstitiones expugnaturus dum navigat, navi capta a Jacobo Soria archipirata Rupellensi, vim animosque ad mortem foriter ferendam, ab ea additos esse non dubitamus. Trucidatis impio Calvinianorum ferro sociorum plerisque, in Ignatium ruebant, sed ut Virginis imaginem in manu habere, atque eam veluti vexillum, ex illa mortis procella, in vitæ portum enavigantibus extulisse viderunt, ut in illam prius de more sævirent, extorquere conati sunt. Sed frustra laboravit impietas. Quare expeditius fuit crudelitati, Ignatium plurimis confossum vulneribus cum venerabili imagine in oceanum mergere, quam portum salutis petenti stellam illam maris auferre, itaque medio in naufragio stella comite cœlum ingressus est. Ib. n. 4.

Sodalitati nomen dando.

Hoc exercitium, ut pluribus esset expeditum, eorum cœtus diebus festis cogere primus nostrorum hominum in urbe aggressus est Joannes Leonius, quos collato studio, conjurataque pietate Virgini magnæ doceret famulari. Advertit novi moris coitio Præsulum animos, ut paululum addubitarent, an recipi, atque in mores transmitti e Republica pietatis foret; verum tanta inde statim lux emicuit virtutum, tam uberes fructus provenere, ut celeberrimus jam ille cœtus esset, certatimque nomina dantibus viris etiam doctissimis ac principibus, Pontificis Gregorii XIII, diplomate confirmaretur, acceptaque ab eodem potestate, incredibili expetentium, atque imitati gestientium studio sobolescens, utrumque orbem, quam late colitur Christus, innumerabilibus veluti coloniis complecteretur. Excitata ergo ubique gentium sodalitia per ætates, aut vitæ instituta varie descriptis profitentibus, in quibus aptæ unicuique hominum generi decretæ exercitationes, incredibiles populis afferunt utilitates. Quis enim ab ulla Christianorum sæculorum memoria Dei Matrem rite coluit, quin bonæ tandem frugis evaserit? Rho, l. c. n. 18.

Novem Salutationes recitando.

P. Carolus Spinola, Societatis Jesu, priusquam triumphalia lento ambustus igne consequeretur, jam inter claros Virginis asseclas numerabatur. Cujus servitutis testem voluit esse elegantem Virginis laudandæ ac deprecandæ artem, quam ipse novenario salutationum Angelicarum numero novies repetitarum illigavit, ut novem mensium, quibus hospitio Virginei uteri Deum excepit, ac totidem privilegiorum, quibus eam hospes Deus auctam voluit, memoriam rite veneraretur. Ea autem dona sic Carolus enumeranda sibi decreverat, ut primo loco Dei Matris Nomen; secundo, admirabilem virginitatis atque fecunditatis nexum; tertio, leve sacri uteri pondus; quarto, partum nullo dolore degenerem; quinto, purissimum SS. Triadis templum in Maria locatum fuisse; sexto, in Eucharistia divinissima eamdem nobis carnem, eumdem apponi sanguinem, quem Christus Dominus de Virgine Matre sumpsit; septimo, eam Evæ in locum suffectam meliori Ecclesiæ fœtura, secundam nimirum Matrem; octavo, Deo fœtam in deliciarum Paradisum transcriptam; nono, adeo alte divinis donis evectam fuisse, ut Angelorum, qui magno proximi sunt intervallo, sua altitudine obtutus fatiget. His ille privilegiis recolendis seque suosque feliciter exercebat, donec igneis subvectus alis eo se intulit, ac penetravit, unde propius ac beatius possit intueri. Rho, l. III, c. I, n. 6.

Mariani favores.

S. Ignatius a tempore, quo votum castitatis per Deiparam in monte Serrato obtulit, nullum libidinis sensum expertus est. Alias eidem cum infantulo Jesu se visendam præbens tanta cor ipsius lætitia perfudit, ut summe fastidire quascumque carnis voluptates cœperit. Miekov. d. CCCXCII, n. 35.

S. Franciscus Xaverius ipso B. Virginis in cœlum assumptæ die Japoniam attigit, ut vel ex tempore disceret, cujus beneficio et patrocinio tam exoptata ei gratia obvenisset. *Vita*, l. III, c. XXVIII.

B. Aloysius, vix decem annos natus, cum virginitatem in honorem Deiparæ vovisset, eamdem illius præsidio non solum integram servavit, verum etiam nullis unquam carnis stimulis aut imaginibus rerum turpium perturbatus fuit. *Vita.*

B. Stanislao ægrotanti non solum B. Virgo apparuit, et Christum Filium in lecto collocavit, verum etiam corporis sanitatem restituit, atque, ut Societati Jesu se adjungeret, hortata est. *Vita.*

P. Martinus Guttierez Deiparam expanso pallio universam Societatem comprehendere, et magno affectu fovere vidit. Hier. Platus l. I, *de bono Stat. Rel.* c. XXXIV.

P. Balthasari Alvarez B. Virgo apparens, specialiter devotionem ad S. Josephum Sponsum suum commendavit. Balingh. 25 *Jul.*

P. Joanni Nunnio Baretæ B. V. apparens cum Fabro: Sume, inquit, Joannes, animos, et angorem pellens Conimbricam te confer, Collegium Societatis adi, hunc Fabrum inibi expecta, ejusque doctrinam et consilia sequere. Bourgh. c. XVI.

Henricus Delsom, Audomarensis coadju-

tor, in Societatem receptus, tam hebes erat, ut nihil spirituale posset memoria tenere. Ergo tristis ad imaginem Deiparæ procumbit, ei corpus, vires omnes, animumque in perpetuum obsequium devovet. Ab eo tempore tam rerum spiritualium capax est effectus, ut conciones totas memoria repetere posset, etiam post multos annos; tamque altos de rebus divinis sensus habuit, ut Theologi gravissimi dixerint, eum velut e puteo haurire profundissimo admirandos de divinis rebus sensus. Bourgh. c. viii.

SIMILITUDINES.

Maria Mater.

Sicut Christus nos genuit verbo veritatis ad esse gratiæ spirituale, in cruce patiendo; ita B. Virgo nos genuit et peperit in maximis doloribus, Filio compatiendo. S. Anton. p. IV, tit. xv, c. xx.

Sicut pia mater abscondit filium sub pallio, quando pater vult eum verberare; ita B. Virgo confugientes ad se, Christi justitiam formidantes. Rich. l. XII *de Laud. Virg.*

Sicut Adam et Eva vendiderant mundum pro uno pomo; ita Filius meus et ego redemimus mundum, quasi uno corde. B. Virgo *in Rev. S. Brig.* c. xxxv.

Sicut mater generis nostri pœnam intulit mundo; ita Genitrix Domini nostri salutem attulit mundo. Et sicut auctrix peccati Eva; ita auctrix meriti Maria. Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit; illa percussit, ista sanavit. S. Aug. s. *de Nat. B. V.*

Maria Virgo.

Sicut speculum non frangit solis radius; sic integritatem Virginis non vitiavit ingressus et egressus Divinitatis. S. Aug. s. *de Nat. Christi.*

Sicut ex terra immaculata factus est Adam primus; ita ex immaculata Virgine nasci debebat Adam secundus, id est, Christus. S. Andr. Apost.

Sicut rubus a Moyse conspectus ardebat, nec consumebatur; ita B. Virgo ardebat igne spirituali, nec tamen erat adusta concupiscentia carnali. Miekov. disc. clxii, c. vi.

Sicut vellus, cum sit de corpore, nescit corporis passiones; sic Virginitas, cum sit in carne, vitia carnis ignorat. Cœlestis ergo imber Virginem in vellus placido se fudit illapsu, et tota Divinitatis unda bibulo se nostræ carnis celavit in vellere, donec per patibulum Crucis expressum, terris omnibus salutis pluviam effunderet. S. Chrys. serm. cxlv.

Sicut lignum ex se vermiculum procreat absque semine, sed solo cœlesti influxu; ita B. Virgo virga de radice Jesse absque virili semine, sed sola Spiritus Sancti obumbratione, genuit Christum, qui de se ipso dixit: Ego sum vermis, et non homo. Origenes, *in Ps.* xxi, 7.

Maria sine macula concepta.

Sicut primus Adam formatus est ex terra virgine nunquam maledicta; ita secundum Adamum, id est, Christum, decuit ex Virgine, nullius peccati maledicto subjacente, formari. S. Dominicus.

Sicut radius solis non contrahit fœditatem ex contactu rerum fœdarum; ita B. Virgo non contraxit peccatum originale ex conjunctione parentum eadem macula infectorum. *Stell. B. V.* l. IV, p. I, c. II, c. I.

Sicut ex spinis mollis rosa surgit acutis,
Sic Evæ de stirpe, sacra veniente Maria,
Non est, quod laniet Matrem; hæres servat honorem.
Sedulius l. I, *Pasch. carm.*

Sicut Christus in cœlis habuit Patrem immortalem; ita decuit, ut in terris haberet Matrem a morte originalis peccati immunem. S. Aug. s. xliii, *de Nat. Christi.*

Maria dolorosa.

Sicut si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; ita quod Christus passus est corporaliter in corpore, B. Virgo spiritualiter est passa in mente, et vulnera Christi morientis erant vulnera Matris condolentis. I Cor. xii, 26; S. Bern. *de Lament. Virg.*

Sicut gravius pungit, quod vicinius est cordi; ita gravior erat dolor Mariæ, quia dilectione erat vicinior Christo. S. Brig. l. I, *Rev.* c. vi.

Sicut sole obscurato eclipsatur et luna; ita deficiente Christo in cruce, defecit et Maria per compassionem in mente. Miekov. d. cccLxxxiv, n. 3.

Sicut in duabus citharis æqualiter attemperatis, una pulsata, tremit et resonat altera sine contactu; ita Christo crucifixo, crucifixa fuit et Mater absque tortore. Ib. n. 10, *ex S. Aug.*

Sicut, dum vox vehementius impingit concavum locum, echo fortior resultat in aere; ita dum graves dolores sentiebat in corpore Filius, iisdem respondebat per compassionem Mater in mente. Ib. n. 12.

Sicut duo specula sibi e regione opposita easdem imagines recipiunt per reflexionem; ita Christus et B. Virgo tempore passionis eosdem sentiebant dolores per compassionem. Ib. n. 13.

Sicut mare super omnes aquas, et mole, et amaritudine excellens est; ita tuæ contritioni nulla calamitas æquari potest. Hugo de S. Vict. *in* c. II, *Thr.*

Sicut non fuit dolor, sicut dolor ille, qui transivit corpus et membra Filii, sicut ipse dicit Threnorum I: « O vos omnes, qui transitis per viam etc. »; sic non fuit dolor, sicut dolor ille, qui Matris viscera per compassionem pertransivit. Ricard. *in S. Laur.* l. III, s. cxliii.

Maria veneranda.

Sicut sericum album auro substernitur, et ex ambobus vestis pretiosa contexitur; ita Virginitati Maternitas Virginis jungitur, ut honor Deiparæ augeatur. Miekov. d. cxvii, n. 4.

Sicut nulla creatura in tantam descendit humilitatis abyssum; ita nulla post Deum ascendit ad tantam gratiæ dignitatem, uti Maria. S. Bern. ser. li, t. I, a. 1, c. iii.

Sicut veniente ad Salomonem Regina Saba, non sunt allata ultra tam multa aromata corporalia; ita veniente in mundum Deipara, non sunt reperta unquam plura aromata spiritualia, id est, virtutes ac merita. L. III Reg. x, 10.

Sicut sole oriente diffugiunt stellæ; ita ad dignitatem Mariæ obscuratur comparata sanctitas atque perfectio Sanctorum. Beirlinck. them. II, *in fest Annunt.*

Sicut est incomparabile, quod gessit, et ineffabile donum, quod percepit; ita et inæstimabile atque incomprehensibile præmium, et gloria, non dico inter cæteras sacras virgines, verum etiam ultra omnes Sanctos, quam promeruit. S. Ildeph. s. II, *de Assumpt.*

Sicut non decuit humanam naturam assumi a Verbo, nisi pulcherrime et incomparabiliter decoratam; ita nullatenus decens fuit, personam humanam effici Dei Matrem, nisi speciosissime et gloriosissime ornatam. Dionys. Carth. l. I *de Laud. Virg.*

Maria invocanda.

Sicut ii, qui in Regis familiam adscisci cupiunt, prius uni ex regiis famulis et amicis adhærent, eique fide omni, officioque deserviunt; ita quivis homo, ut inter Dei famulos numerari possit, summa prius fide charitateque B. Virgini se dedicare, eique tamquam Dominæ servire debet. P. Petrus Faber, *in Vita.*

Sicut aves carnivoræ, dum prædam unguibus tenent, frequenter eam clamore hujus sublato dimittunt; sic dum Mariam invocamus, frequenter ab infernalium volucrum faucibus liberamur. Beirlinck, them. II *in Fest. Purif.*

Sicut sol oritur super bonos et malos indifferenter; sic Maria præterita non discutit merita, sed omnibus se exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitatibus amplissimo miseretur affectu. S. Bern. *in ser. sup. Signum.*

Sicut oleum esurientem reficit, ægrotantem sanat, membra fatigata recreat, odorem parit, flammam nutrit; ita in laude Virginis reficimur, exemplo ejus ad virtutum medicamina invitamur, adversitatibus fessi ejus patientia recreamur, vitæ ejus forma illustramur, odore virtutum oblectamur. Miekov. dis. lxxxiii, n. 3.

Sicut magnus ignis effugat muscas; ita maxima charitas Deiparæ Dæmones fugat, ut neque a longinquo audeant ad illam vel illius clientes appropinquare. S. Bernardinus, ser. li, art. 4, c. II.

Sicut nemo potest lædere eum, qui ad latus Imperatoris consistit; ita nemo potest nocere illi, qui Deo et B. Virgini per fiduciam adhæret. Si enim Deus et Maria pro nobis, quis contra nos? *Vita PP.* l. XI.

Sicut homo subtracta terra labitur in profundum; ita subtracto Mariæ adjutorio delabitur homo in peccatum, et inde in infernum. Richard. l. VIII, *de Laud. Virg.*

Sicut terreni Principes, cum honorari quempiam volunt, per eum omnia facile concedunt (unde Pharao dixit Ægyptiis ali-

menta petentibus: Ite ad Joseph, et quod dixerit vobis, facite); ita et Deus B. Virginem omnium gratiarum dispensatricem fecit, ut omnes honorificent illam. SPINELLUS, *in Throno Deip.*

Sicut servi Regis et Reginæ in curia certis notabilibus clenodiis deaurati procedunt, per quæ cognoscuntur esse servi Regis et Reginæ, et speciali purpura vestiti procedunt; ita in curia cœlesti servi Virginis speciali ornatu et gloria, qua ab aliis discernantur, fulgebunt, juxta illud Proverbiorum 31: Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus. PELBARTUS, *in Stel.* l. XII, p. I, art. 3.

Sicut, si vas liquore plenum moveatur, facile effundit liquorem; ita, cum B. Virgo Spiritu Sancto, et donis cœlestibus superplena et superfluens sit, facile in nos sua dona effundet, si per preces et pios affectus invocetur. S. BONAV. *in Spec.* c. VII.

Mariæ Nomen.

Sicut oleum effusum magis redolet; sic quanto magis Mariæ nomen dilatatur, tanto magis gratia augetur. MIEKOV. d. LXXXIII, n. 3.

Sicut corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem; ita sanctissimum Deiparæ nomen, quod in ore servorum ejus versatur assidue, in omni tempore, loco, et modo, non solum lætitiæ et auxilii est signum, sed etiam procurat, et conciliat. S. GERM. in hom. *de Deip.*

Sicut, cum res aliqua nova et insolita efficitur, solus artifex ei nomen imponere potest; ita B. Virgini Mariæ nemo convenientius quam Deus ipse poterat assignare. BEIRLINCK. them. II, *in festo Annunt.*

Maria Mater gratiæ et salutis.

Sicut Christus Jesus ultro se Patri obtulit hostiam vivam pro salute mortalium; ita et Virgo beatissima, dulcissima Maria, ipsa quoque Filium suum obtulit pro humani generis salute, magisque ei gratius fuit suo destitui solatio, quam hominum impedire redemptionem. TAULERUS, c. XXX.

MOTIVA.

Maria amanda.

Quia *est Mater nostra*, diligens nos amore invincibili, utpote filios Benoni, seu filios dolorum, quos sub Cruce peperit; cum ergo amor non nisi amore compensetur, an non merito amemus tam ardenter diligentem? S. DAM. S. *de Nativ. V.*

Quia *est Adjutrix Redemptionis nostræ*; nam, ut S. Antoninus ait: Christus Virginem fecit participem beneficii Redemptionis, quatenus, sicut fuit adjutrix Redemptionis per compassionem, ita fieret Mater omnium per recreationem; totusque mundus, sicut obstringitur Christo per passionem, ita etiam Dominæ obstringeretur per compassionem. S. ANTON. p. IV, tit. XV, c. XX. Hinc S. Augustiuus exclamavit: O Beata Maria, quis tibi digne valeat jura gratiarum ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvet, quæ solo tuo commercio recuperandi cœli aditum invenit? Si ergo, ut idem alibi dixit, qui non amat Christum, quia ab eo creatus est, infernum meruit; qui vero non amat ipsum, quia redemptus est, meruit, ut novus pro eo infernus fiat; an non ob similem causam ipsa quoque Mater ejus, utpote Redemptionis Adjutrix, impense erit diligenda? S. AUG. s. X *de Sanctis.*

Quia *in ipsa reperiuntur perfectissimo modo motiva amoris*, scilicet 1. *Bonitas;* juxta illud Vener. Bedæ: Inventa Maria Virgine invenitur omne bonum. VEN. BEDA *in Contemplat. de B. V.* 2. *Pulchritudo;* juxta illud Canticorum: Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. 3. *Amor*; quia, teste S. Petro Damiano, amat nos invincibili, quos in ipsa et per ipsam Filius et Deus illius summa dilectione dilexit.

Quia *amor illius est unum ex certissimis signis prædestinationis*; nam tota salus generis humani consistit in multitudine gratiæ et favoris Mariæ, teste Cassiano. *In Collat. PP.* Hinc Ecclesia ipsi illam Salomonis sententiam accommodat: Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino. PROV. VII, 35. Merito ergo S. Bernardus hortatur: Quæramus gratiam, et per Mariam quæramus, quia, quod quærit, invenit, et frustrari non potest. Serm. *de Nativ. B. Virg.*

Maria honoranda.

Quia *Mater Dei*, et hoc solum prædicari de illa, excedit omnem altitudinem, quæ post Deum dici vel cogitari potest, teste S. Anselmo : Cui enim dixit (Deus) aliquando Angelorum, *Mater mea es tu* ? Aut quis Angelorum dicere potuit Deo : Filius meus es tu, ego hodie genui te? Hinc recte idem S. Pater exclamat : Mira res, in sublimi contemplor Mariam locatam. Omnis natura est a Deo orta, et omnis natura Dei ex Virgine. c. II *de Excel. Virg.*

Quia *Mater nostra est*, juxta illud Christi : Ecce Mater tua.

Quia *sibi reputat exhibitum honorem Christus, quemcumque Matri exhibuerimus*; si enim ipse dixit : Quamdiu uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis ; (MATT. XXV, v. 40.) quanto magis eum, qui Matri suæ præ omnibus creaturis ardentius dilectæ præstatur, ut sibi præstitum agnoscet? Recte proinde S. Bernardus dixit : Non est dubium, quidquid in laudibus Virginis proferimus, ad Filium pertinere. Hom. IV *super missus.*

Quia *est Domina ac Regina nostra*; uti tum nominis ipsius interpretatio indicat ; tum præclare probat Rupertus, dum ait : Prædicabitur de te, quod sis Mater Christi, et proinde Regina Cœlorum, quia totum jure possides Filii Regnum. RUP. *super Cant.* IV. Et confirmat Arnoldus Carnot. dicens : Christus est Dominus, Maria Domina; constituta quippe est super omnem creaturam ; et quicumque Jesu curvat genu, Matri quoque pronus supplicat. ARNOL. CARN. *de Laud. Virg.*

Quia *est summa benefactrix nostra*, per quam habemus, quidquid accepimus, aut speramus ; nemo enim est, cui donum concedatur, nisi per ipsam, teste S. Germano, *hom. de Zona.* Hinc sapienter S. Bernardus : Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas illius, qui omnia nos voluit habere per Mariam. S. BERN. s. *de Aquæ ductu.*

Maria invocanda.

Quia *scit juvare* ; nam ut S. Germanus testatur, ipsa omnia observat, omnia contuetur, et inspectio illius ad omnes se exporrigit. Serm. II *de Assumptione.* Et nescit quidem, ut S. Anselmus ait, homo, quid oret, et quomodo oret ; sed ipsa, quid et quomodo petendum sit, novit. *De Excell. Virg.* Quia, teste S. Petro Dam. per ipsam, cum ipsa, et in ipsa totum hoc faciendum decernitur, ut, sicut sine ipso factum est nihil, ita sine illa nihil refectum sit. Serm. *de Annuntiatione.*

Quia *potest juvare* ; illa enim, quanto perfectius exercuit officium Matris erga Christum, tanto majori jure hic dicit, quod olim Salomon ad Bethsabeam dixisse scribitur : Pete, mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam. III. REG. II, 21. Immo, ut S. Petrus Damianus ait, ipsa accedit ad thronum Dei non solum rogans, sed et imperans ; Domina, non ancilla. SERM. I *de Nat.* Hinc S. Anselmus orat : Benignissimus Filius tuus Dominus noster Jesus Christus erit ad concedendum, quidquid velis, promptissimus et exaudibilis ; tantummodo velis salutem nostram. *De Excel.* c. XII. Id quod ipsamet confirmavit, dum S. Hyacintho apparens dixit : Gaude, fili Hyacinthe, quia orationes tuæ sunt gratæ Filio meo, et quidquid ab eo per me petieris, impetrabis. Adde quod illa ipsa, qua invocatur, fiducia plurimum conducat, et capacem faciat omnium, quæ petuntur, gratiarum obtinendarum.

Quia *vult juvare.* Nam adeo pietate replentur ubera tua, o Virgo, (inquit Richardus de S. Victore) ut alicujus miseræ notitia tacta, lac fundant misericordiæ, nec possis miserias scire, et non subvenire. *Super* IV *Can.* 5. Et quid mirum, in charitatis affectum transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa, quæ ex Deo est, charitas corporaliter requievit? ut S. Bernardus discurrit. S. II *in Dom.* 2 *post Epiphan.* Hinc alibi animos addens ait : Quid ad Mariam accedere trepidat humana fragilitas ? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est. Revolve diligentius Evangelicæ historiæ seriem universam, et si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas, et accedere verearis. *Supra Signum magnum, in Assumptione.*

MEDIA.

Meditatio et consideratio frequens privilegiorum, favorum, et præconiorum passim a SS. Patribus decantatorum; in hac enim meditatione exardescet ignis amoris Mariani.

Firmiter sibi persuadere, quod Mater nostra sit, majori nos affectu amoris complectens, quam ulla mater filium suum in terris diligat; hinc enim ad filialem affectum, et amorem mutuo rependendum incitabimur.

Ardens in se salutis propriæ, et cœlestium donorum desiderium excitare; hinc enim non modice impellemur ad favorem hujus sanctissimæ Virginis, sine qua nihil concedere decrevit Deus, per amorem et fiduciam ambiendum.

Exemplum eorum, qui ardentiori erga hanc sanctissimam Virginem studio atque amoris affectu ferebantur, *crebro ob oculos habere*, ut partim eorum fervore salubriter calefacti in similem amorem exardescamus; partim insignes, quos ex tali exercitio retulerunt, fructus æstimantes, ad eosdem per simile medium obtinendos incitemur.

Jesum per cor Mariæ, et hanc per cor Jesu impense ac demisse rogare, ut duplicem illum Spiritum amoris mutui, quo sese cum ingenti suo solatio fructuque complectebantur, cordi nostro instillent; neque enim unquam facilius exorari se patientur, quam ubi partim tam dulcis exercitiis memoria illis renovatur; partim res aliqua tantopere illis semper expetita postulatur.

Frequenter cum illa, cum per quotidianas, et magno cum affectu peractas preces, tum per constantem et filialem prorsus fiduciam, vel in templo ejus honori specialiter dicato, vel certe coram pia quadam, et ad affectum reverentiæ amorisque excitandum idonea imagine, vel, si neque hoc fieri commode potest, in ipso pectoris arcano secessu, *de suis negotiis ac necessitatibus colloqui et tractare;* dici quippe vix potest, quantum ex tali familiaritate incrementum accipere soleat amor Marianus, uti vel ex quotidiano amoris profani et minus honesti per simile commercium, heu! nimium crescentis exemplo, non difficulter licet colligere.

Sodalitatem aliquam Marianam sedulo et religiose frequentare, in hac quippe reperitur, quidquid fere ad amoris Mariani augmentum conducere potest, nimirum 1. Preces, quibus fictus amor expetitur, tanto efficaciores, quanto ferventius, et quidem in nomine Christi et Matris ejus conjunctis persolvuntur. 2. Lectio libri spiritualis, plerumque ejusmodi conventibus fructuose præmitti solita. 3. Exhortatio sacra, qua si non *semper* directe, certe non raro ad cultum Patronæ suæ sodales exitantur. 4. Mutua exempla, quibus præ cæteris, et merito, summopere animi ad præclarum consodalium suorum fervorem amulandum inflammantur. 5. Correctiones discretæ, si quis forte in Mariani amoris exercitio tepescere et languere deprehendatur; ut adeo ob tanta ac tam multiplicia commoda merito sodalis quidam in agone positus exclamarit: Quam dulce, quam salutare est, o B. Virgo, sodalitium tuum! Quid egi, quid commerui, ut in illud adscriberer? *Pædagog. Christ.* p. II, c. XXVI § 4.

ASCETICA.

De hac materia quatuor præcipue bene apprehendere, aliisque inculcare debet Asceta.

Primum est, ut bene norit *Regulas*, quas SS. PP. Theologi, et Ascetæ assignare solent ad excellentiam B. Virginis clarius solidiusque demonstrandam, quæ quidem fere sequentes sunt. Prima regula. Quiquid gratiæ aliis Sanctis, vel viris, vel feminis fuit concessum (modo sexui non repugnet) id totum B. Virgini nobiliori et perfectiori modo fuit collatum. Quæ regula clare tradita est a S. Bernardo, dum dixit: « Nihil est virtutis, quod ex te non resplendeat, et quidquid singuli habuere Sancti, tu sola possedisti. » S. IV, *super Salve Regina*. Et conspirat S. Hieronymus dicens: « Cæteris per partes gratia præstatur; Mariæ tota se infundit gratiæ plenitudo. » S. *de Assumpt.* Secunda est: Omnia, quæ ad sanctitatem et dignitatem spectant, etsi nullum fundamentum aliud habeamus, quam quod sine inconvenientia ei attribui possint, magnæ Dei Matri esse attribuenda; ita enim merito semper sensus communis fidelium ac piorum sensit, eo quod B. Virgo sit idea liberalitatis et beneficentiæ et communicationis ad extra, quam Deus puræ creaturæ contulit. GASPARUS TAUSCH. *in Matre dol.* l. I, c. IV, § 3.

Secundum est, ut bene cognoscere studeat fontes, ex quibus excellentia tota Deiparæ Virginis emanavit, quorum quidem quatuor assignari possunt. 1. *Maternitas Dei*, de qua sic discurrit S. Thomas : « B. Virgo Maria ex hoc quod est Mater Dei, habet quamdam dignitatem infinitam ex infinito bono quod est Deus, et ex hac parte non potest aliquid melius esse Deo. » I. p. q. XXV, a. 4, ad 6. Unde et S. Bernardus : « Ista est Virginis nostræ gloria singularis, inquit, et excellens prærogativa Mariæ, quod Filium unum eumdemque cum Deo Patre meruit habere communem. 2. *Martyrium cordis;* quod quidem tantum fuerat, ut S. Anselmus dixerit: « Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuisse, aut potius nihil comparatione eorum, quæ ipsa est passa. » *De Excell. Virg.* tom. I, s. LXI, a. 3, c. II. Immo S. Bernardo teste : « Tantus fuit ejus dolor, quod,si in omnes creaturas, quæ dolorem pati possunt, divideretur, omnes subito interirent. » Hinc Suarez docet, eam in cœlo habere nunc speciale quid præ aureolis Martyrum, quod sit velut insigne quoddam excellentissimæ fortudinis et charitatis ejus, sive dein vocetur aureola, sive aliquid eminentius illa, quod verius est. 3. *Magnitudo amoris*; tum quia in primo instanti statim major fuit elicitus ab illa, quam ullus purus homo aut Angelus elicuit ; tum quia numquam, ne brevissimo quidem tempore, fuit interruptus ; tum quia secundum omnes animæ et corporis potentias fuit elicitus, ita ut eamdem ferro ignito non immerito S. Ildephonsus et alii comparent ; tum quia singulis momentis perfectior, et quidem (uti Suarez pie et erudite probat) secundum duplam proportionem evasit ; unde citatus auctor deducit, eamdem Virginem circa finem vitæ unico actu amoris Dei per unum momentum plus meruisse, quam meruerint omnes Sancti, et beati homines, et Angeli, qui sunt, erunt, fuerunt, omnibus suis actibus simul sumptis. Neque hoc adeo mirum videri debet ; si enim B. Catharina Genuensis tanto in dilectum Sponsum suum amore exarsit, ut dicere ausa sit, si vel unica hujus amoris guttula in infernum delaberetur, mutaturam illum plane in vitam æternam, tantumque fore ibi amorem atque unionem, ut Dæmones in Angelos, et tormenta in oblectamenta verterentur ; quid non de B. Virginis, in gratia incomparabiliter eam excedentis, amore erit sentiendum ? 4. *Perfectio corporis et animæ*, quæ quidem utraque tanta fuit, ut nullus ex puris hominibus unquam ad similem perfectionem pervenerit; cujus rationem dant Theologi, quia, licet alioqui gratia non detur secundum naturalium donorum proportionem, in B. Virgine tamen, sicut summa ei propter maternitatem perfectio debebatur, ita omninò decebat, ut proportionatum gratiæ fundamentum, adeoque perfectissima anima corpusque concederetur.

Tertium est, ut specialiter apprehendere studeat fundamentum præcipuum Hyperduliæ, scilicet excessum gratiæ, qua omnes Sanctos et Angelos, etiam collective acceptos, longissime antecedit, cujus quidem quinque causas assignant Doctores. 1. Quia propinquissima fuit fonti omnium gratiarum, scilicet Christo, atque adeo plus etiam accepit ab illo. 2. Quia incomparabiliter majori dilectione fuit dilecta a Christo, quam alii Sancti; ita ut Sanctus Hieronymus dicere ausus sit : Sicut in Dei comparatione nemo bonus; ita et in Matris Dei comparatione nulla creatura invenitur perfecta, quamvis virtutibus innumeris comprobetur. 3. Quia credi debet B. Virginem esse per omnia, quantum fas est, simillimam Christo, atque adeo sicut in Christo fuit plenitudo gratiæ redundantis, ita et eadem in sanctissima Virgine fuerit, cum hoc solo discrimine, quod in Christo fuerit tanquam in homine personaliter definito, in Maria vero ut in templo singulariter consecrato ; in illo tanquam in capite influente, in hac tanquam collo transfundente ; in illo tanquam causa efficiente, in hac tanquam subjecto recipiente. 4. Quia ipsa Nominis nomenclatura indicat, sicuti in mari aquarum, ita in ipsa congregationes esse gratiarum, et sicuti omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat ; ita in B. Virgine quoque reperiri quidem omnes gratias aliis creaturis concessas, sed ipsam tamen propterea non redundare, id est, nihil supra dignitatem suam accepisse, sed omnia secundum summam illius dignitatem fuisse commensurata. 5. Quia summa fuit actuum meritoriorum, per quos gratiam suam augebat, intensio ac multitudo, cum, ut supra dictum est, in primo statim instanti actum, omnium Sanctorum actibus collective acceptis perfectiorem, produxerit, et singulis instantibus novum duplo perfectiorem elicuerit, et hoc exercitium per sexaginta tres, vel, ut alii volunt, per septua-

ginta duos annos continuarit. Ex quibus proinde fundamentis merito concluserunt Doctores et SS. Patres, B. Dei Matrem, sicut in gratia et dignitate ac meritis omnes Sanctos longissime superavit ; ita etiam intercessione sua plus solam, quam alios etiam simul acceptos efficere posse.

Quartum est, ut solidum et efficacem sciat doceatque modum colendi hanc sanctissimam Virginem, quem quidem nonnemo judicavit optime explicari posse per columnam marmoream a Maximiliano Bavariæ Electore olim in sua Metropoli, medio, inquam, foro Monacensis urbis erectam, et quinque partibus constantem, nimirum 1. Basi, cui insistit columna. 2. Ipsa columna. 3. Imagine B. Virginis, quæ insistit columnæ. 4. Clathris ambientibus columnam, et quatuor lucernas sustinentibus. 5. Quatuor militibus, qui quatuor clathorum angulis insistunt, et draconem pedibus substratum gladio interimunt; quæ quidem omnia non ineleganter etiam cultui Mariano accommodari possunt. Et 1. quidem per basim *æstimatio* de Virginis excellentia concepta intelligi potest, quo enim hæc firmior et amplior fuerit, tanto majores quoque possunt esse partes reliquæ, quæ eidem inniti debent. 2. Per columnam *fiducia* intelligi potest, quæ merito rotundam, id est, capacissimam, et ad omnes necessitates nostras eidem commendandas se extendentem, formam habet; cum vere suo modo de illa dici queat illud sancti cujusdam Patris, tantum scilicet per ipsam nos impetraturos, quantum se nostra in eam fiducia extenderit. 3. Per imaginem intelligi potest *imitatio* illius, quæ, quo perfectior fuerit, tanto pulchriorem quisque columnæ suæ imaginem superposuit, cujus quidem necessitatem breviter S. Bernardus indicavit, dum dixit : Ut impetres orationis ejus suffragium, non deseras conversationis exemplum. 4. Per lucernas intelligi potest *propagatio* cultus Mariani, per quam et pulchritudo illius ac excellentia manifestatur, atque ad debitum illi honorem cultumque exhibendum alii invitantur, quod quidem quam gratum Virgini sit futurum, vel ipsum, quod promittit, præmium apud Ecclesiasticum satis ostendit : Qui me elucidant, vitam æternam habebunt. Eccl. xxiv, 31. 5. Per milites intelligi possunt cultores Mariani perimentes *Draconem* Diabolum, qui iratus est *Mulieri* (id est, B. Virgini) facitque prælium cum reliquis de semine ejus, atque eosdem a cultu et amore hujus sanctissimæ Matris suæ evocare nititur, quemadmodum sæpius ostendit, dum et fassus est, neminem sibi magis exosum esse et detestabilem, quam hanc omni veneratione dignissimam Matrem, et aliquoties cultoribus ejus libertatem a persecutione promisit, si ab incepto Mariani cultus fervore absisterent.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Etsi facile foret, eumdem in his conceptibus explicandis ordinem, qui in prioribus paragraphis observatus est, tenere; quia tamen hi omnes conceptus potissimum servient ad conciones in festis hujus sanctissimæ Virginis habendas, ideo, ut in hoc quoque laborem seligendi minuerem concionatori, placuit potiores conceptus secundum ipsorum Festorum (quæ quidem in aliquibus locis omnia, in aliis pleraque, festive celebrantur ordinem enumerare, et tum demum alios, qui veluti communem materiam continentes omnibus Festis applicari possunt, adjicere.

Pro Festo Conceptionis Immaculatæ.

Ex occasione thematis : « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ, » explicetur in primis, quid sit peccatum originale, et quam merito noxiæ et pungenti spinæ, qua omnes alii homines graviter vulnerati sunt, comparetur. Deinde ostendatur, quomodo Beata Virgo sola ab hoc peccato fuerit immunis, atque adeo velut candidissimum lilium inter alios homines excreverit. Vide Georgium Pistorium, *in Matre admirabili*, conc. 15 in exordio ; et conc. 4, part. 2 et 3.

Ex occasione thematis : « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te; » (Cant. iv, 9.) ostendi potest. 1. Triplicem esse maculam, quæ animæ pulchritudinem fœdet, atque corrumpat, nempe peccati mortalis, venialis, et originalis, quarum proinde fœditas et natura pluribus explicetur. 2. Probetur, B. Virginem ab omnibus tribus immunem fuisse. Et pro coronide addatur, si B. Virginis Conceptionem digne celebrare velint, vix alium meliorem modum occurrere, quam immaculatæ vitæ

studium. Excitentur proinde auditores, ut sicut per baptismum ab originali peccato jam liberati sunt, ita et per pœnitentiæ crebrum usum a mortaliet veniali liberari studeant.

Potest utiliter et solide haberi concio de ipso festo Conceptionis. Et in prima parte ostendi, quale sit hoc festum, nimirum illud, quo grata et devota mente recolimus, B. Virginem ab omni macula originali (cujus natura et debitum ab aliis hominibus contractum breviter explicari potest) speciali privilegio fuisse præservatam. In secunda ostendatur, quantopere placeat hæc devota celebratio B. Virgini, idque probetur ex variis favoribus ab eadem ob talem cultum exhibitis, quales supra, in exemplis, videre est. In tertia ostendatur, quomodo devote celebrari debeat; scilicet præter alia consueta pietatis officia (puta confessionis, communionis, orationis, etc.) renovando propositum, immaculatam Conceptionem non tam verbis, quam opere ipso, id est per immaculatæ vitæ studium, defendendi. Pro quo fine servire potest Pistorii, *in Matre Admirabili* conc. IV, part. III.

Ex occasione Revelationis, qua B. Brigittæ revelatum est a Virgine, in momento Conceptionis suæ *auream horam* illuxisse, ostendi potest, quam vere illud tempus *aurea hora* fuerit vocatum. 1. Respectu Dei; quia plus per hanc Conceptionem fuit honoratus, sibique complacuit, quam per omnium aliorum Sanctorum collective sumptorum conceptionem. 2. Respectu ipsius sanctissimæ Virginis; quæ in momento Conceptionis plus gratiæ accepit, quam omnes Angeli et homines collective accepti habent, aut habituri sunt, uti ex priori paragrapho clarissime patet; et quia præterea ipsa sola sine originali macula concepta, statim gratiæ originalis justitiam accepit, atque adeo merito, sicut aurum omnia alia metalla dignitate longissime antecedit; ita et ipsa omnes creaturas alias longissimo post se relinquat intervallo. 3. Respectu nostri; quia in hac hora salus nostra exordium sumpsit, uti Ecclesia indicat, dum in hoc festo canit: Cum jucunditate Conceptionem Dei Genitricis celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum. Unde videtur hoc die et hora nova Esther accessisse ad thronum gratiæ, et audivisse: Non pro te, sed pro omnibus hæc lex (scilicet decretum de originali peccato incurrendo) facta est; sed et rescissionem decreti saltem quoad effectum impetrasse. Excitentur proinde auditores ad hanc horam cum magna festivitate excipiendam, et ut sibi nunc illam D. Pauli adhortationem applicent: Fratres, jam hora est nos de somno surgere, quia propior est salus nostra, quam cum credidimus. Abjiciamus ergo opera tenebrarum etc. Pro quo fine servire potest conc. I Pistorii, part. III et I.

Ex occasione sententiæ a Deo prolatæ: « Inimicitiam ponam inter te et mulierem, et semen tuum, et semen illius; ipsa conteret caput tuum; » ostendi potest, quomodo hoc in Conceptione immaculata B. Virginis impletum sit. Itaque 1. Ostendatur, quomodo prius amicitia fuerit inter serpentem tartareum et homines, quatenus per peccatum originale omnes erant filii iræ, et sub potestate Diaboli, ubi breviter possunt explicari effectus peccati originalis. 2. Demonstretur, quomodo statim in primo conceptionis instanti fuerit inimicitia inter B. Virginem et serpentem, dum illa jam tunc ab omni peccato originali liberata est, uti fusius probari potest ex argumentis, quibus communiter auctores probare solent, non decuisse, ut Mater Dei ullo momento sub potestate Diaboli fuisse dicatur. 3. Probetur quoque, quomodo ex eo momento etiam inter serpentem et semen mulieris, id est, fideles Dei et Deiparæ servos, exorta inimicitia sit, dum ipsa gignendo Salvatorem effecit, ut eriperentur ex ipsius potestate, et filii Dei effecti, gratiam et amicitiam ejusdem obtinerent. Unde excitandi auditores, ut, si quidem velint esse de semine B. Virginis, pergant hanc inimicitiam cum serpente fovere, et amicitiam Dei omni studio conservare, ut, sicut per originale peccatum Adami et Evæ exclusi sunt a Paradiso terrestri, ita per gratiam a Christo et Matre illius partam introducantur in cœlestem Paradisum.

Pro Nativitate B. Virginis.

Ostendi potest, quam vere Ecclesia canat in hoc festo: Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium attulit universo mundo; in quem finem servire potest sententia S. Bernardi, qui dixit: Sinum misericordiæ suæ Maria omnibus aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, ustus gratiam, Angelus lætitiam, tota Tri-

nitas gloriam, et denique persona Filii Dei carnis substantiam. Itaque per partes ostendatur. 1. Qualem et quantam gloriam acceperit Pater cœlestis per talem Filiam, Filius per talem Matrem, Spiritus Sanctus per talem Sponsam. 2. Qualem lætitiam Angel propter talem Reginam, quæ ipsorum sedes sua cooperatione restauratura sit. 3. Quantam gratiam justi, id est, fideles ejus servi per ipsius cultum. 4. Quantam curationem peccatores, quibus peperit verum Samaritanum, vulnera illorum oleo misericordiæ, et vino justitiæ obligantem. 5. Quantam consolationem tristes animæ Purgatorii senserint, quando intellexerunt eam natam esse, quæ ipsamet postea S. Brigittæ revelavit, se esse matrem omnium in Purgatorio existentium, neque ullam esse in Purgatorio pœnam, quæ propter ipsam levior non fiat. 6. Quantum gaudium senserint Patres in limbo existentes, dum propinquam adeo redemptionis suæ spem sunt experti. Videri potest Faber, conc. I *in festo Nat. B. V.*

Ostendi potest, quam vere hodie Ecclesia, immo quivis amator Virginis, canat : *Ave Maris stella,* prout nomen idem Virgini impositum significat, quia vere omnes hujus stellæ proprietates ei aptissime conveniunt. 1. Quia, ut stella illa splendore, magnitudine, et pulchritudine alias stellas superat ; ita omnes Sanctos gratia et gloria longissime antecellit. 2. Quia, sicut stella illa dirigit cursum navigantium ; ita ipsa Virgo omnes homines in pelago hujus mundi existentes ad portum salutis perducit. 3. Quia, sicut stella illa fugat nocturnas tenebras et tenebriones, homines vero laboriosos ad opus et laborem excitat ; sic ipsa Dæmones et peccata fugat, justos vero ad opera virtuosa ac meritoria invitat. 4. Quia, sicut illa adamantem et ferrum ; ita ipsa, utpote refugium peccatorum, peccatores ad se trahit. Ut adeo merito hoc die Angeli auditi sint canere : Stella Maria maris hodie processit ad ortum. Excitandi proinde auditores, ut illud S. Bernardi monitum semper in mente habeant : In omnibus periculis et dubiis respice stellam, voca Mariam. Ad quem finem videri potest Matth. Faber, *in Auctario,* them. V, *pro festo Nativ. B. V.* Pistorius, *in Matre admir.* conc. XVII, in exordio ; Justinus Miekoviensis, discursu 353, *in Litania Lauret.*

Ex occasione sententiæ illius : *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* (Cantic, VI, 9) potest B. Virgo nascens auroræ comparari. 1. Quia, ut aurora est signum advenientis solis ; ita ipsa signum adventus Christi. 2. Quia, ut aurora latrones et fures ; ita ipsa Dæmones fugat. 3. Quia, ut ad auroræ exortum venenata animalia fugiunt ; ita ad ortum Mariæ hæreses disparent, juxta illud Ecclesiæ : Gaude, Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo. 4. Quia, ut aurora ægris ; ita ipsa omnibus afflctis singulare solatium affert. 5. Quia, ut aurora aviculas ad cantum ; ita ipsa homines ad Dei laudem, qua verbis, qua exemplis incitavit. Hortetur proinde concionator auditores, ut, quemadmodum Jacob per totam noctem luctatus cum Domino, et cum Angelus aurora adveniente ei dixisset : Ecce aurora, dimitte me ! respondit : Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et benedixit eum in eodem loco dicens : Nequaquam vocaberis amplius Jacob (id est, Luctator) sed *Israël,* (id est, videns Deum) erit nomen tuum (Gen. XXXII, 26) ; ita idipsum quoque suo modo post luctam mortis, id est, culpæ faciant, nec dissimilem benedictionem et præconium expectent. Videri potest pro hoc scopo Pistorius, *in Matr. admir.* conc. IX in exord.

Ex occasione thematis : *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna?* (Cant. VI, 9.) B. Virgo nascens comparari potest novæ lunæ. 1. Quia, ut luna habet omne lumen a sole ; ita B. Virgo omnem sanctitatem aliasque gratias a Deo ; hinc illud Canticum : Magnificat anima mea Dominum. 2. Quia, ut luna splendore alia sidera ; ita Beata Virgo omnes Sanctos superat. 3. Quia, ut luna quodammodo exercet dominatum in hæc sublunaria, ita ut Plinius illam ausus est nominare *rerum omnium spiritum ;* ita a B. Virg. influxu, dominatu et auxilio universa hominum salus dependet. 4. Quia, ut luna irradiat mundum ; ita B. Virgo sua doctrina et exemplis homines velut microcosmum illuminat. 5. Quia, ut luna est mater roris, ita ut S. Ambrosius et Plinius testentur, quo magis quis sub luna steterit, tanto magis irroratum iri ; ita B. Virgo est mater illius roris, post quem tantopere suspirabant antiqui Patres, et clamabant : Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum ! Excitentur proinde auditores, ut quemadmodum elephantes exorientem lunam ramis proboscide arreptis, et in sublime

erectis, gregatum in supplicationis modum uniti salutant, teste Æliano (Lib. IV *Histor. an.* c. IX); et Sacerdotes Ægyptii per campos discurrentes cymbalis et cantu novam lunam salutabant; et Judæi in die Neomeniæ epulas festive celebrabant, quia putabant, singularia sibi hoc die beneficia conferri; ita et ipsi hæc omnia spiritualiter per devotas preces et Sacramentorum pium usum facere studeant. Quem in finem serviret conc. V Fabri, *in Auctario.*

Ex occasione sententiæ a Deo olim prolatæ : *Arcum meum ponam in nubibus et erit signum Fœderis inter me et terram* » (GEN. IX, 13); comparari iridi potest B. Virgo. 1. Quia, ut iris est signum pacis inter Deum et homines; ita ipsa, teste Sancto Bernardino, est arcus fœderis sempiterni, ut non interficiatur omnis caro, quia illum genuit, qui fecit utraque unum, Deum scilicet et homines. Serm. I *de Nom. Mar.* n. 1. c. III. 2. Quia ut iris est symbolum misericordiæ divinæ; nisi enim preces matris intervenirent, non esset spes misericordiæ, dicebat olim Christus S. Brigittæ. Lib. *Rev.* c. XXVI. 3. Quia, ut iris arbores et fructus odoriferos efficit; ita ipsa suos cultores bonum de se optimorum exemplorum odorem spirare facit. 4. Quia, ut iris se ad terram inclinat, et auream patellulam relinquere creditur; ita B. Virgo ad hominum preces pronissima, varia illis dona impetrat, et largitur. 5. Quia, ut iris variis coloribus quasi depicta, amabilem aspectum habet; ita B. Virgo ob virtutum suarum miram varietatem et amœnitatem, omnibus eam considerantibus amabilis efficitur. 6. Quia, sicut iris quasi pallium expansum recipit et tutatur homines; ita B. Virgo fideles sub suum præsidium suscipit atque defendit; hinc olim ipsa S. Brigittæ dixit : Ego sto super mundum continua oratione, sicut arcus cœli super nubes. Lib. III *Rev.* Exitentur proinde auditores, ut gaudeant de hujus iridis exortu, observentque, quod Ecclesiasticus suasit : Vide arcum et benedic eum, qui fecit illum. Videri potest Pistor. conc. II, in exord.

Potest B. Virgo nata comparari Nubeculæ, quam puer Eliæ in Camelo existentem vidit. Nam 1. sicut illa parva erat; ita B. Virgo minima in oculis suis per humilitatem. 2. Sicut illa erat refugium hominis; ita B. Virgo erat mater hominis Dei. 3. Sicut illa ascendebat de mari; ita B. Virgo de pelago infinitæ potentiæ et misericordiæ Dei. 4. Sicut illa statim crevit, et totum cælum obduxit; ita B. Virgo semper crevit in gratia et meritis, sicque Mediatrix inter Deum, velut solem justitiæ, et homines facta est. 5. Sicut illa in copiosam pluviam resoluta est, qua siccitas diuturna terræ tollebatur; ita B. Virgo facta est pluvia cælestium gratiarum imo et Auctoris gratiæ, quem terra siccissima toties ac tamdiu optabat, ideoque os aperiens dicebat : Rorate cæli desuper, et nubes pluant justum. Excitentur proinde auditores, ut primo gaudeant de nube culæ hujus exortu festivo. Deinde vero sinum suum expandant, et pluviam tam optatam cum magno desiderio gratitudineque ac fiducia excipiant. Vide Pistorium conc. 5. in exord.

Explicari ex instituto possunt significationes nominis Maria, et ex illis variæ doctrinæ morales deduci, et quidem ostendi; 1. Quam vere dicatur *amarum mare;* tum quia reperitur congregatio gratiarum, tum quia omnes quodammodo aliorum Sanctorum tribulationes et passiones in ipsa congregavit Deus. 2. Quam recte *Domina* dicatur, utpote cui cum Filio data est omnis potestas in cœlo et in terra. 3. Quam bene ei nomen *Illuminatricis* aut *Illuminatæ* conveniat, utpote quæ Soli, ipsi, scilicet Christo, vicinissima fuit; hinc a S. Ambrosio aula cœlestium Sacramentorum vocatur, dum ait : Non miror D. Joannem præ cæteris divina mysteria locutum, cui præsto erat aula cœlestium Sacramentorum. 4. Quam merito *Myrrha* vocetur, utpote mundum a corruptione præservans. 5. Quam præ reliquis ei titulus *Stellæ maris* quadret. Subjungatur singulis brevis adhortatio ad fructum ex ea significatione percipiendum. Pro quo fine servire potest conc. 3 Fabri pro hoc Festo, et Pistorii *Mater admir.* conc. 8, part. 2.

Possunt per ejusdem nominis quinas litteras explicari. 1. Varia officia illius, quæ erga homines exercet, ut quod sit Mater eorum, Advocata, Regina vel Reparatrix, Jaculum contra inimicos, vel Janua cæli, Arca thesaurorum, aut Auxiliatrix. 2. Effectus, quos in suis cultoribus producit, nempe Misericordia, Amor Dei, Remissio peccatorum, Illuminatio, Acquisitio meritorum. 3. Mulieres illam figurantes, puta Michol, Abigail, Rachel, Judith, Abisag. 4. Quinque lapides pretiosi hoc nomen exornantes, videlicet Margarita, cor confortans; Adamas, reconcilians discordes; Rubinus multum splen-

dens ; Jaspis, spectra fugans ; Alectorius felicem faciens. Quæ omnia fusius explicata videri possunt apud Pistor. conc. 8, par. 2 et Miekoviensem disc. 96.

Ex occasione sententiæ illius : *Oleum effusum nomen tuum* (Cant. I, 3) ; potest explicari dignitas, utilitas, et suavitas nominis Mariæ ; et 1. quidem ostendi, quod, sicut oleum supernatat aliis humoribus ; ita nomen hoc superet omnia alia nomina pura rum creaturarum. 2. Sicut oleum esurientem reficit, ægrum sanat, fatigatum recreat, cæcutientem cum luce illuminat, debilem roborat ; ita suo modo etiam spiritualiter hæc omnia faciat hoc nomen sanctissimum ; inde merito S. Bonaventura dixit : Quomodo posset nomen tuum non esse celebre, quod etiam nominari non potest sine nominantis utilitate ? 3. Sicut oleum, præcipue si ex odoriferis rebus est distillatum, suavem de se odorem emittit ; ita, teste S. Bernardo, hoc nomen nominari non potest, quin accendat ; nec cogitari, quin recreet affectus diligentium se. Videri potest in hunc finem Pistor. c. VIII, part. I, Miekov. disc. 83 et disc. 96, ubi etiam modos venerandi hoc nomen proponunt.

Ex occasione historiæ a Turselino narratæ (lib. I *Hist. Laur.* c. XVII), quod scilicet eremita quidam, Paulus nomine, viderit singulis annis in nocte Nativitatis ignem de cœlo super ædem Lauretanam descendere, intellexeritque, natalem Deiparæ tali igne condecorari, quod vellet ipsa a Christianis omnibus eum diem festive celebrari ; potest explicari, quid hic ignis significet, et quod etiam super pectora suorum servorum descendere soleat, ad indicandum 1. Gaudium ex ortu B. Virginis conceptum. 2. Protectionem singularem. 3. Acceptum esse Deo cultum hujus B. Virginis. 4. Cultum ejusdem esse signum electorum. Quæ omnia fusius explicata videri possunt apud Fabrum, *in Auctario* conc. IV.

Pro Festo Præsentationis.

Ex occasione verborum illorum : *Et intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in Sanctum Sanctorum* (III Reg. II, 6), comparari potest B. Virgo Arcæ fœderis. 1. Quia, ut S. Bernardus loquitur, Arca intrinsecus portabat Testamenti tabulas, Maria autem ipsius Testamenti portabat hæredem ; illa intra semet legem, hæc Evangelium retinebat ; illa manna figurans, hæc Christum figuratum. 2. Quia, ut Arca inter omnes partes templi primum locum obtinebat ; ita B. Virgo inter omnes partes mystici templi præcipua, ut et S. Bernardus clare affirmavit dum dixit : Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium Dei suscepit ; nec in cœlis regali solio, quo Mariam Mariæ Filius sublimavit. 3. Quia, ut Arca fœderis nihil impurum juxta se patiebatur ; ita uterus virginis (quemadmodum loquitur Rupertus) nulli carnali commercio accessibilis, nec mens ulli spirituali nequitiæ fuit unquam penetrabilis. 4. Quia, ut Arca potissimum erat adversus hostes præsidium ; ita B. Virgo commune in similibus occasionibus refugium. 5. Quia, ut Arca illa erat juncta Propitiatorio, ex quo Deus oracula dabat, et hominibus invocantibus se propitium ostendebat ; ita B. Virgo conjunctissima erat Deo, propter illam peccatoribus parcenti, et cœlestia mysteria revelanti. 6. Quia, ut propter Arcam benedixit Deus domui Obededom ; ita Deus propter B. Virginem benedicit omnibus, qui illam in pectore suo per amorem recipiunt. Excitandi proin auditores, ut Arcam hanc venerentur, ad eam cum fiducia confugiant, et ingruentibus hostibus clament cum David : Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ. (Ps. CXXXI, v. 8.) Videri potest Pistorius, *in Matre adm.* c. 8, in exord. et Miekoviens. disc. 351.

Ex occasione historiæ Esther, qua et ipsa, et aliæ puellæ servabantur in uno loco, et præparabantur, ut in sponsas et concubinas Regis Assueri assumi possent, potest comparari B. Virgo Estheri. 1. Quia, ut Esther erat formosissima, etiam sine muliebri cultu ; ita B. Virgo inexplicabili tam corporis, quam animæ pulchritudine erat prædita. 2. Sicut Esther ante omnes alias placuit oculis Assueri, ideoque in Reginam electa est ; ita B. Virgo præ omnibus Sanctis a Deo amata, et in Reginam ac Sponsam assumpta est. 3. Sicut Esther populum suum ab interitu liberavit ; ita B. Virgo humanum genus a morte æterna servavit. 4. Sicut Estheri Assuerus dimidium regni sui dare promisit ; ita Deus B. Virgini misericordiam, quæ quasi est Regni sui dimidium, actu comunicavit, altera parte, scilicet Omnipotentia, sibi reservata. 5. Sicut Esther

duas habebat ancillas, unam, cui innitebatur, alteram, quæ vestimenta colligebat; ita B. Virgo pro ancilla habet naturam Angelicam, in qua quasi requiescit, et humanam, quæ virtutes ipsius quasi vestimenta colligit, ut imitetur. Excitentur auditores, ut partim huic Estheri ob suam electionem et felicitatem gratulentur, partim ad eam cum magna fiducia in necessitatibus confugiant. Vide Pistorium conc. 12, part. 2, et conc. 15, part. 1 et 2.

Ex occasione sententiæ a S. Ambrosio prolatæ : Sit vobis tanquam in imagine descripta vita virginitasque B. Mariæ, de qua velut in speculo refulget species castitatis, formaque virtutis (S. Ambr. lib. II *de Virg.*); comparari potest B. Virgo speculo, et 1. ostendi, quam bene plumbo sit solidata, id est, profundissima humilitate. 2. Quam purum ac nitidum vitrum, nempe vita purissima et omni macula carens, in hoc speculo reperiatur. 3. Quam eleganter auro charitatis, et gemmis aliarum virtutum, quarum aliquæ enarrari possunt, fuerit exornatum. Excitentur proinde auditores, ut hoc speculum in corde suo appendant, et ex ejus frequenti inspectione, quid corrigere, quid tenere debeant, addiscant. Videri potest Miekoviensis disc. 280 et 281, ubi copiose hanc materiam tractat, et per singulas virtutes in specie ostendit, quam recte B. Virgo speculum dicatur.

Ex occasione sententiæ hujus : *Vox turturis audita est in terra nostra* (Cant. II, 12); comparari potest B. Virgo turturi. 1. Quia sicut turtur est prænuntius æstatis, ita ipsa novi Testamenti et temporis gratiæ advenientis signum erat. 2. Sicut turtur est symbolum solitudinis et puritatis; ita B. Virgo utriusque hujus virtutis studiosissima erat. 3. Sicut turturis proprietas est gemere; ita B. Virgo assiduo ad Deum suspirabat, et miserias humanæ gentis explorans, auxilium poscebat. 4. Sicut turtur in summis montium aut arborum apicibus nidificatur; ita B. Virgo fundamenta et quasi sedem posuit in montibus sanctis. 5. Sicut turturem lex Dei, velut castæ hostiæ munus elegit, teste Hetychio, sibique offerri præcepit; ita B. Virginem quoque sibi veluti castissimum turturem offerri in templum præcepit. Excitandus auditor, ut gaudeat de turturis hujus voce audita, studeatque ad illius imitationem, amare solitudinem, puritatem conservare, pro peccatis suis et alienis gemere, seque Deo totum consecrare. Pro quo fine servire possunt, quæ Pistorius conc. VI, in exord. et p. I, habet.

Potest B. Virgo comparari candelabro aureo a S. Michaele Zachariæ Prophetæ ostenso. 1. Quia sicut illud aureum totum fuerat; ita B. Virgo tota quanta est ex auro charitatis facta. 2. Sicut candelabrum illud sustinebat lampadem magnam ardentem; ita Beata Virgo in templo præsentata, vitam vivebat ferventissimam, quæ ad omnes homines illuminandos sufficiebat. 3. Sicut in dicto candelabro majorem lampadem ambiebant septem minores lucernæ; ita vita tota B. Virginis erat illustrior reddita per septem virtutes Theologicas et Cardinales. 4. Sicut in eodem candelabro erant septem infusoria, per quæ oleum in lampadem influebat; ita in B. Virgine erant septem dona Spiritus Sancti, per quæ copiosum gratiæ divinæ oleum subministrabatur. 5. Sicut juxta candelabrum duæ stabant olivæ, una a dextris, et altera a sinistris; ita et B. Virgini assistebant Divinitas et Humanitas Christi, ex quibus oleum gratiæ divinæ in ipsam fluebat. Excitentur auditores, ut ad hoc candelabrum per fiduciam et considerationem frequenter accedant, et inde lumen hauriant ad vitam suam recte instituendam. Videri potest Pistorius, *in Matre admi.* conc. XII, in exord.

Pro Festo Annuntiationis.

Ex occasione voculæ *Ave*, potest ostendi, B. Virginem a triplici *væ* speciali privilegio liberatam fuisse, nimirum. 1. A triplici *væ* communi omnibus mulieribus, et a Deo olim Evæ indicato, dum dixit : Multiplicabo ærumnas et conceptus tuos; in dolore paries filios tuos; sub viri potestate eris, a quibus omnibus immunis fuit B. Virgo, utpote quæ nec ærumnam sensit in conceptu, nec dolorem in partu, nec viro subjecta erat, cum per maternitatem facta sit Domina omnium hominum et Angelorum. 2. A triplici *væ* corporis, communi omnibus hominibus, scilicet infirmitatibus, dolorosa morte, et putrefactione post mortem, a quibus constat ex communi hominum sensu eam immunem fuisse. 3. A triplici *væ* animæ, scilicet inordinata concupiscentia, culpa originali et actuali, pœnaque inde resultante, a quibus iterum liberam fuisse communis Doctorum sensus testatur. Quare adhortandi erunt auditores, ut, quoties unum vel alterum ex

his *væ* sentiant, ad B. Virginem confugiant. Pro quo sane copiosa invenietur materia in Pistor. *Matr. admir.* conc. v et XVII, part. II.

Ex occasione ejusdem voculæ, quæ inversa idem ac *Eva* sonat, institui potest comparatio inter Evam et Mariam ; et 1. Quod sicut Eva a serpente tartareo decepta est; ita B. Virgo contriverit caput illius. 2. Quod sicut Eva per inobedientiam initium fecit perditionis hominum ; ita B. Virgo per obedientiam principium jecerit salutis et redemptionis hominum. 3. Quod sicut Eva fuit mater viventium corpore ; ita ipsa facta mater sit viventium spiritu. 4. Quod sicut Eva maledicta fuit ob peccatum ; ita Maria benedicta fuerit propter virtutem. 5. Quod sicut Eva causa fuit mortis et tristitiæ; ita ipsa causa fuerit vitæ ac lætitiæ. Excitandi proinde auditores, ut tanto majori affectu amplectantur et venerentur Mariam, quanto plures in ea hujus venerationis et devotionis inveniunt. Videri potest Miekov. disc. CXXV.

Ex occasione verborum a Christo in cruce prolatorum : « *Ecce mater tua* : »(JOAN. XIX, 27), ostendi potest, quomodo B. Virgo facta sit mater omnium hominum ; scilicet 1. Quia Christum peperit. 2. Quia ad salutem nostram cooperata est. 3. Quia a Christo sub cruce talis denuntiata. Quæ fusius explicata et probata reperientur apud Fabrum, conc. 5, *in Festo Nativitatis*. Itemapud Miekoviensem, disc. CXX, ubi probat B. Virginem fuisse matrem *naturalem* respectu Dei, *spiritualem* respectu Sancti Joannis Baptistæ, quatenus hic ad ejus præsentiam sanctificatus est, et *legalem* respectu aliorum hominum, quorum mater adoptiva a Filio suo constituta est. Item, apud Pistor. conc. III.

Ex occasione verborum : *Ecce ancilla Domini* ; (LUC. I, 38), potest ostendi, quam vere in B. Virgine impleta sit illa Christi sententia : « Qui se humiliat, exaltabitur. » Itaque in priori parte concionis ostendatur, quomodo se humiliaverit, ancillam Christi non tantum dicendo, sed etiam gerendo per laborem, fidelitatem, subjectionem, uti fusius probat Faber, *in Auctario*, them. 4, *in Festo Annunt.* et conc. X, p. 1. In posteriori parte ostendatur, quomodo sit exaltata, dum Mater Dei effecta est, quam dignitatem omnium, quæ a pura creatura obtineri possunt, maximam esse, fuse Suarez et alii probant apud et cum Miekovensi disc. C, et Pistorius conc. I, part. I.

Ex occasione verbi *Fiat*, explicari potest. 1. Quid ipsa B. Virgo hoc verbo effecerit, scilicet quod mundum perditum restaurarit, Deum iratum hominibus placarit, Dei Filium e sinu Patris in terram detraxerit, humanum genus ad summam dignitatem evexerit, caput serpentis contriverit, quæ omnia solide probata apud Fabrum, *in Auctario*, them. II, *in Festo Annunt.* reperientur. 2. Quomodo hos ipsos effectus etiam quivis homo per verbum *Fiat*, hoc est per conformitatem voluntatis suæ cum divina obtinere possit.

Ex occasione illius : *Facta est quasi navis institoris de longe portans panem suum*, (PROV. XXXI, 14), pulchre potest ostendi. 1. Quomodo B. Virgo fuerit *navis* firmissime compacta, et munita contra aquas peccati, bene solidata per sabulum humilitatis, capacissima propter summam sanctitatem, qua Christi mater fieri meruit. 2. *Institoris* ; quia emere debuit divinissimum panem per varios et heroicos virtutum actus, captivando intellectum, subjiciendo voluntatem, offerendo corpus et sanguinem instar ancillæ etc. 3. *Portans panem ;* scilicet Angelorum, omne delectamentum in se habentem, numquam deficientem, in Bethleem, id est, domo panis expositum. 4. *Panem suum*, qui a se, sine opera viri, conceptum, ex suo sanguine coagmentatum, in suam et filiorum suorum alimoniam procuratum. Excitandi proinde auditores, ut agnoscant beneficium, et panem hunc grati accipiant, atque, in honorem hujus S. Virginis, suam ad utilitatem frequenter cum eo festiva convivia spiritualia instituant. Quem in finem servire potest pulcherrima exhortatio S. Bernardi apud Fabrum, *in Auctario*, them. 3, *in Festo Annunt.* n. 4.

Pro Festo Visitationis.

Ex occasione verborum : *Intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth*, declarari potest, quos fructus afferat visitatio Deiparæ. 1. *Ante mortem ;* dum recreat in labore, et benedictionem fructibus affert, uti patet in exemplo Elisabeth, et in monachis, quos laborantes visitavit, eorumque sudorem collectum, ut Deo offerret, secum abstulit, uti *in Spec. Exempl.* videre est. *V. Laborare* 2. *In morte* ; roborando, protegendo, et in cœlum deducendo, uti fecit illi feminæ sibi devotæ, cujus calores afflatu flabelli mitigavit, et cui cum omnibus Sanctis exequias

celebravit; item puellæ rusticanæ, quam tribus turmis Virginum comitata in morte visitavit, secumque ad cœlos deduxit. 3. *Post mortem*; scilicet in Purgatorio, uti patet ex historia, qua revelatum est, B. Virginem sæpius intra annum descendere in Purgatorium, secumque multas animas in cœlum deducere. Ibid. dist. VIII, *ex.* L et CXVIII.

Ostendi poterit, quomodo B. Virgo ad triplicem partum feliciter peragendum invocari debeat. 1. Ad partum *corporis*; utpote qui triplici ex capite valde periculosus et molestus est, scilicet ob dolores, ob vitæ periculum, ob incertam prolis educationem et indolem, a quibus omnibus cum libera uerit Virgo beatissima, an non libenter alios quoque invocata liberabit? 2. Ad partum *animæ*, scilicet propositorum conceptorum executionem; qui quam sit difficilis, quotidiana testatur experientia, et confirmat Thomas Kemp. dum ait : O quanta fragilitas humana, quæ semper prona est ad vitia! Hodie confiteris peccata, et cras iterum perpetras confessa. Nunc proponis cavere, et post horam agis, quasi nihil proposuisses. L. I, c. XXII. Ad quem proinde partum expediendum non minus prompta est, quam ad S. Joannis partum fuit, cum et is præcipue tendat ad *gratiam*, quam Joannis nomen significat, pariendam. 3. Ad partum *agrorum, animalium, hortorum, etc.*, ad quem facilitandum per pluviam divinæ benedictionis, quod ipsa singulariter juvet, jam olim Deus per figuram nubeculæ parvæ ab Eliæ famulo conspectæ, et in pluviam salutarem resolutæ ostendit; vel etiam per arcam fœderis in domum Obededom, cui propterea Deus singulariter benedixit, introductam. Ut adeo cuivis a se visitato dicere merito possit B. Virgo cum Jacob : Modicum habuisti, antequam venirem ad te, et nunc dives effectus es, benedixitque tibi Deus ad introitum meum. GEN. XXX. Excitentur itaque auditores, ut dicant cum Sponso : Surge, propera, amica mea, speciosa mea, et veni. CANTIC. II, 14. Aut cum S. Davide : Memento nostri, Domine (aut Domina) in beneplacito populi tui, et visita nos in salutari tuo, ad videndum in bonitate etc. Ps. CV, 4.

Ex occasione sententiæ : *Spiritus meus super mel dulcis*, (ECCL. XXIV, 27), potest B. Virgo api mellilegæ comparari. 1. Ob singularem castitatis amorem. 2. Ob sapientiam singularem et industriam, in melle charitatis, tum erga Deum, tum erga homines colligendo. 3. Ob amorem solitudinis, dum perinde ut apis numquam e domo sua facile exivit, nisi ubi dicti mellis conficiendi occasio invitavit. Qua de re fusius agit Engelgrav. *in Phaet.* Emblem. 24, § 1 et 3.

Pro Festo Purificationis

Potest B. Virgo cereo, hoc die offerri solito, comparari. 1. Quia *quoad corpus* ex virginea *cera*, id est, virginitate et summa vitæ innocentia confecta erat; et præterea variis et amœnissimis coloribus modestiæ eleganter ornata. 2. Quia *quoad animam*, quæ *lychni* vicem obibat, erat ex tenuissima et purissima lana, id est, summa puritate, etiam originale peccatum excludente, composita. 3. Quia *luce* quoque splendidissima sapientiæ cœlestis, et ardentissimæ charitatis fulgebat. Ut adeo merito quivis hunc cereum assumens, et præcipue in agone retinens, dicere queat cum Simeone : Nunc dimittis servum tuum, Domine; quia sperare potest in se virificandum illud Salomonis : Qui me invenerit inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino. PROV. V, 35.

Ex occasione verborum illorum : *Beata, quæ credidisti*, LUC. VII, 43, potest et magnitudo ac excellentia fidei ab hac sacratissima Virgine exercitæ, et fructus ex ea exortus, explicari. Et 1, quidem excellentia fidei ex altitudine objecti crediti colligitur; quia enim, ut S. Leo aiebat, magnarum hic vigor est mentium, et valde fidelium lumen animarum, incunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitu; inter talia vero objecta cum merito ex præcipuis et altissimis reputetur Incarnatio Dei, recte colligitur excellentissimam Deiparæ fidem fuisse, maxime cum ea inter ipsos etiam passionis Filii sui turbines inextincta manserit, ut adeo merito illi applicetur illud Salomonis dictum de muliere forti : Non extinguetur in nocte lucerna ejus. PROV. XXXII, 18. Et hoc ipsum S. Mater Ecclesia significat, dum in ultimi tridui matutino in sacra hebdomade omnes candelas candelabro insistentes, præter unam, extingui jubet. 2. Quam pretiosum fructum tulerit ex hac sua fide, nimirum illum, de quo Elisabeth dicebat : Benedictus fructus ventris tui; hunc enim fidei illius adscribi debere, ipsa S. Elisabeth testata est, dum statim objecit : Perficientur enim in te, quæ dicta sunt tibi a Domino, scilicet, quod concipies et paries Filium Dei. LUC. III,

45. Unde sapienter dixit S. Augustinus : Beatior fuit Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo. Hinc a SS. Patribus Mater credentium, hæresum Interemptrix, Sceptrum fidei appellatur. Excitentur proinde auditores, ut, quoniam et ipsi fide concipere et gignere possunt Filium Dei, sæpius hanc Illuminatricem et Magistram, immo et Matrem credentium, pro gratia credendi interpellent, dicantque cum Apostolis : Domine (et Domina) adauge nobis fidem. Videri potest Pistor. conc. XX, p. I et II; Miekov. disc. LXXXVIII, et CCLXXXII, n. 1; Gasp. Tausch. in *Matre dolorosa*, l. II, c. I.

Ex occasione sententiæ Salomonis : *Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum*, (Luc. I, 45.) ostendi potest 1. Quam perfecte et præclare hoc consilium impleverit B. Virgo, servando omnes conditiones ad perfectam oblationem requisitas, dum scilicet *liberale munus* (optimum, quod habebat, ipsum Christum) *liberali animo*, seu intentione (nempe non ex necessitate aut tristitia, sed cum hilaritate et spontanea voluntate) et *liberali devotione*, seu affectu (nimirum ex tota cordis contentione, promptissimaque voluntate ad omnia, quæ Deus tum circa oblatum, tum circa offerentem dispositurus esset, de manu illius acceptanda et approbanda) obtulit. 2. Ostendi potest, quem fructum reportarit ex hac oblatione, illum scilicet, quem Salomon, l. c. subjunxit his verbis : « Et implebuntur horrea tua saturitate et vino torcularia redundabunt. » Explicetur proinde, quænam fuerit ista saturitas, videlicet perfecta possessio Dei per amorem perfectum, et plenam conformationem cum divina voluntate, qua sola, velut ultimo fine, satiari potest humanus animus. Item quid sit vinum, nempe perfecta lætitia, et quies ex dicta conformitate oriri solita. Excitentur proin auditores ad dictam liberalitatem imitandam, ut similes effectus tam in spiritualibus, quam temporalibus experiri queant.

Pro Festo Assumptionis.

Ex occasione verborum, *Maria optimam partem elegit*, ostendi potest singillatim, quomodo B. Virgo optimam partem elegerit. 1. *In bonis corporis*, pulchritudinem, virginitatem, claritatem et incorruptibilitatem, 2. *In bonis animæ*, immunitatem ab omni peccato, etiam originali, plenum usum rationis a momento conceptionis, donorum abundantiam in eodem primo instanti, libertatem a stimulo concupiscentiæ. 3. *In bonis gratiæ*, cujus tota plenitudo se infundit a Christo, velut capite, in B. Virginem, velut collum, sicque per partes tandem distributa est in reliqua membra. 4. *In bonis gloriæ*, quæ, sicut gratiæ commensurari debebat, supra omnem Sanctorum gloriam major collata est. Excitentur proinde auditores, tum ad gratulationem, tum ad imitationem in meliori parte eligenda. Quem in finem servire potest them. V Fabri, *in Auctario*, et Pistor. conc. XVII. part. III, *in Matre admirabili*.

Potest explicari triumphus, quo B. Virgo in cœlum assumpta est, comparatione cum triumpho Romanorum instituta; et 1. quidem ostendi, quomodo Flamines et summus Sacerdos, nempe Christus cum Sanctis omnibus ei obviam processerit. 2. Splendidus vestitus, juxta illud Davidis : Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate, Ps. XLIV, 10. 3. Quomodo liberatæ animæ ex Purgatorio per ipsam sublevatæ sint. 4. Quomodo prædam ipsius, id est, merita tot annis per tantam charitatem aliasque virtutes comparata secum tulerit. 5. Quomodo in cœleste capitolium cum summo jubilo introducta, et SS. Trinitate cum maxima benevolentia excepta sit. Excitandi proin auditores ad congratulationem, et ad similem triumphum paribus meritis comparandum. Pro quo fine servire potest conc. XVII Pist. p. III, f. 304 et seqq.

Ex occasione verborum, quæ in libris Regum reperiuntur : *Surrexit Rex in occursum ejus, adoravitque eam et sedit super thronum suum, positusque est thronus Matri Regis, quæ sedit ad dextram ejus*, (III Reg. II, 19) explicari potest gloriæ B. Virginis assumptæ magnitudo, per throni Salomonici comparationem. Et 1. quidem, quod fuerit proximus throno Regis, id est, super omnes alios Sanctos. 2. *De ebore grandis*, ad significandum corporis glorificati dotes. 3. *Vestitus auro fulvo nimis*, quo gloria et beatitudo animæ in visione et amore perfectissimo Dei innuitur. 4. *Qui habebat sex gradus*, quo denotabantur sex tituli, quibus sanctissima Virgo gloriam suam fuit promerita, nimirum humilitas, charitas erga Deum, charitas erga proximum, obedientia, patientia, perseverantia. De quibus videri potest Faber, conc. 5 *in hoc festo*.

Ex occasione verborum: *Signum magnum apparuit in cœlo : Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim*, (Apoc. x, 1) potest pariter explicari singularis gloria et privilegia B. Virginis. Et 1. quidem per *solem* intelligi potest ipse Deus, in quem ita per visionem beatificam immersa est, ut quasi eodem amicta videri queat. 2. Per *lunam* intelligi potest totus mundus cum omnibus creaturis, quarum Domina et Regina constituta est. 3. Per *coronam stellarum duodecim* intelligi possunt vel duodecim privilegia, nempe prædestinatio ab æterno, conceptio sine macula originali, virginitas singularis, maternitas admirabilis, fecunditas sine corruptione, gravidatio sine gravamine, partus sine dolore, conversatio cum Christo intima, martyrium sine sanguinis effusione, obitus sine dolore, assumptio in corpore et anima, exaltatio super omnes choros Angelorum et Sanctorum. Vel duodecim speciales virtutes, quibus coronam seu gloriam suam est promerita, quarum quatuor quidem tendebant ad Deum, nempe fides, spes, charitas, religio ; quatuor ad proximum, scilicet dilectio, obedientia, misericordia, modestia ; quatuor ad seipsam, nimirum humilitas, virginitas, patientia, paupertas. Excitandi auditores ad gratulationem hujus gloriæ, et coronam hanc per frequentem recitationem duodecim salutationum ei imponendam.

Ex occasione sententiæ : *Quasi cedrus exaltata sum in Libano*, (Eccl. xviii, 17) potest gloria B. Virginis per comparationem cum cedro factam explicari. 1. Quia sicut cedrus est altior aliis arboribus ; ita ipsa exaltata super omnes Sanctos, ut Idiota significavit dicens : Omnium Sanctorum privilegia, Virgo, omnia habes in te congesta, nemo æqualis est tibi, nemor major te, nisi Deus. Lib. VI, tom. V. *Bib. sanct.* 2. Quia ut cedrus odore suo fugat serpentes ; ita ipsa Diabolum, quemadmodum ipsa S. Brigittæ revelavit, dicens : Nullus est tam frigidus in amore divino, quin, si invocaverit nomen meum integro proposito pœnitendi, statim ab ipso Diabolus recedat. 3. Quia ut cedrus nullos patitur vermiculos, sed est tota incorruptibilis ; ita B. Virgo erat incorrupta quoad corpus et animam, uti Faber, conc. 6, *in hoc festo* probat variis ex causis. 4. Quia ut cedrus ad plurimas medicinas servit ; ita B. Virgo singulariter ad corporum animarumque salutem procurandam miram habet efficaciam. 5. Quia sicut cedrus latissime diffundit ramos ; ita B. Virgo tutissimum et commune est afflictorum omnium refugium, et unicum molestiarum levamen, uti SS. Bonaventura et Damascenus loquuntur. 6. Quia ut cedrus pretiosum ex se fructum gignit ; ita B. Virgo nobilissimum fructum, id est, Christum corporaliter, infinitos vero Christianos spiritualiter genuit, ita ut dicere jure possit illud Siracidis : Ego fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et gratiæ. Eccl. xxiv, 19. Excitandi proin auditores, ut sibi ab hac cedro dictum putent illa commemorati Siracidis verba : Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini. Videri potest de hac materia Pistorius, *in Matre admirab.* conc. 20, in exord.

Ex occasione sententiæ : *Exurge psalterium, et cithara*, (Ps. cvii, 3.) potest B. Virgo assumpta citharæ comparari. 1. Quia et ipsa variis virtutibus tamquam fidibus ornata, adeo amabilem sonum elicuit, ut Sponsus ipse ejus audiendæ desiderio accensus dixerit : Sonet vox tua in auribus meis ; vox enim tua dulcis, et facies tua decora. 2. Quia ipsa potiori modo effectus citharæ producit ; efficacius fugat spiritus malos, quam cithara Davidis ; potentius ab orco aut Purgatorio animas reducit, et facilius silvestres feras, id est, peccatores ad se trahit, quam Orphei cithara ; mirabilius saxa ad ædificandam cœlestem urbem Jerusalem in hoc mundo præparata, id est, moribundos, sursum trahit, aut eosdem velut pisces ex mari hujus mundi ad littus æternæ patriæ adducit, quam cithara Amphionis, et denique suavius et copiosius Deum laudat, quam cithara seniorum citharizantium in citharis suis. Adhortandi proinde auditores, ut deinceps ad hanc citharam semper confugiant, et sive in tristitia constituti, sive animas ex Purgatorio liberare cupientes, sive Deum laudare volentes dicant : Exurge psalterium et cithara. Caveant vero, ne propter teporem illorum cum veritate dicatur : Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ. Apoc. v, 9 et xiv, v, 2.

Pro fiducia in B. Virgine excitanda.

Potest B. Virgo arcæ Noeticæ comparari, eaque similitudo ex quatuor causarum generibus probari. 1. Ex *materiali*, quia erat

ex cedro incorruptibili, per gratiam divinam velut picem bene contra aquas diluvii, id est, peccata, munita. 2. Ex causa *formali*, quia erat latissima et longissima, altissima et profundissima per misericordiam ad Cœlites et inferos, cum omni affectus latitudine et longitudine se extendens. 3. Ex causa *efficiente*, quia hanc Deus, verus Noe, id est, requies nostra, ædificavit. 4. Ex causa *finali*, quia non propter temporalem interitum avertendum a Deo facta est. Excitentur proin auditores, ut mature per geminos pedes fiduciæ et venerationis ad eam confugiant. Videri potest Miekov. disc. 370, et in proœmio antecedente, ubi pulchra sententia ex S. Bernardo desumpta hanc similitudinem probat; item Pistorius, conc. XX, part. 1, n. 4, ubi probat, B. Virginis amorem inter potiora signa prædestinationis merito numerari.

Potest B. Virgo lauro comparari. 1. Quia sicut laurus est Virginitatis symbolum; ita ipsa Virginitatis Magistra 2. Quia sicut laurus olim Jovi et Apollini erat dicata; ita ipsa vero Deo in templo ab infantia consecrata. 3. Quia sicut laurus est arbor elegantis et rectæ formæ; ita ipsa tota pulchra, et recta semper ad cœlum tendens. 4. Quia sicut laurus semper virentia habet folia; ita B. Virgo numquam defervescebat in studio perfectionis et servitio Dei. 5. Quia sicut fructus lauri interius candidus, exterius niger est; ita B. Virginis vita exterius humilis et despecta, interius candida candore conscientiæ, et unctione Spiritus S. unctuosa facta erat. 6. Sicut Apollo nulla dabat responsa sine lauro; ita Deus nulla dat dona sine B. Virgine. 7. Sicut lauri folia, ejus si bene contundantur, mitigant et sanant puncturam vesparum et apum, omnem tumorem pellunt, libros et vestes a vermibus illæsos servant; ita B. Virginis virtutes, si bene perpendantur, mitigant morsum tentationum carnis et Diaboli, tumorem superbiæ comprimunt, et animam a vermibus conscientiæ illæsam custodiunt. 8. Sicut laurus est miræ aromaticitatis, et odorifera valde; ita B. Virgo mirum odorem boni exempli reliquit. 9. Sicut laurus, quia Jovi consecrata est, nunquam tangitur a fulmine; ita et multo magis hoc privilegium convenit huic Lauro; nam illam quidem laurum non semper a tempestate protegere, testantur Uriomercatus, Cardanus et alii scriptores, sed ex nulla historia habetur, eum, qui per verum amorem et fiduciam sub hanc arborem confugit, fuisse fulmine ultimæ et fatalis sententiæ percussum. Certe talibus perinde dicat Deus, ut olim Salomon ad Abiathar: Equidem vir mortis es; sed hodiæ non interficiam te, quia portasti arcam (vel Laurum) Domini Dei tui; id quod probari ulterius potest, maxime ex historia, qua habetur, ex duobus sociis peregre euntibus, alterum fulmine percussum, alterum, quia exclamarat: *Sub tuum præsidium, etc.* illæsum abiisse; quanto magis ergo a spirituali fulmine eoque magis horrendo, liberabit?

Ex occasione sententiæ: *Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino*, (Prov. v, 35,) potest ostendi, quomodo veri cultores B. Virginis inveniant triplicem vitam. 1. *Temporalem*, per animæ unitæ conservationem. 2. *Spiritualem*, per gratiæ recuperationem vel augmentum, uti invenit Theophilus, et multi alii peccatores. 3. *Æternam*, per gloriam, quæ, uti singularis, debetur ipsi maximæ Virgini, ita specialis quoque olim conferetur cultoribus illius. Vide Miekoviensem disc. 121 et 122. Item disc. 352 et 359.

Ex occasione variorum asylorum, quæ Deus in veteri Testamento elegit, scilicet *Arcæ* Noeticæ, cui Christus comparari potest; *Montis*, per quem Sancti intelligi possunt; *Templi*, quod Ecclesiæ Catholicæ applicari potest; dici poterit, quartum asylum fuisse civitates quasdam, *Urbes refugii* dictas, et his B. Virginem aptissime comparari. 1. Quia, uti via ad illas plana et aperta erat; ita et ad B. Virginem facillimus aditus. Hinc S. Bernardus: Ille solus sileat laudes tuas, qui te fideliter invocatam senserit unquam in suis necessitatibus defuisse. Et quid mirum, si invocata adest, quæ etiam non vocata præsto est.? S. Bern. s. IV *in Assumpt.* 2. Quod, sicut in bivio reperiebantur columnæ, nomen aliquod inscriptum habentes, et sic veram viam ostendentes; ita ad B. Virginem amandam mille argumenta et incitamenta reperiantur, qualia sunt exhortationes SS. Patrum; libri de ea scripti; templa et imagines miraculosæ; exempla innumera ferventium Christianorum; beneficia per illam conferri solita etc. 3. Quod, sicut finis illarum civitatum erat homicidii non meditati reos recipere, et protegere; ita B. Virginis unicum desiderium sit, ad se confugientes defendere; id quod tam multa insigniaque exempla abunde probant, quorum

unum alterumve, maxime de Theophilo, vel tribus Fratribus ab Ismenia Sultani filia liberatis, recenseri potest. Excitentur proinde auditores, ut sæpe non tam verbis, quam facto confugiant ad hoc asylum. Videri potest Pistor. conc. XVIII, in Exod.

Ex occasione orationis, qua S. Franciscus Xaverius B. Virginis opem invocavit clamans : Domina, opitulare. Domina non opitulaberis? aut : Mater Dei memento mei! possunt explicari tria potissima motiva fiduciam erga hanc sanctissimam Virginem et Patronam excitantia. Nempe 1. quia *scit juvare* ut Advocata a Deo constituta. 2. Quia *potest juvare*, ut Mater Dei. 3. Quia *vult juvare*, ut Mater Misericordiæ. Hortandi itaque auditores, ut illud S. Bernardi assiduo in mente habeant : In periculis, in rebus dubiis Mariam cogita; Mariam invoca. De qua materia fusius vide tractantem Pistor. conc. XVIII Miekov. disc. 270 et 275, item Fabrum, conc. VII, *in festo Ass.* ubi ostendit, B. Virginis patrocinium esse invocandum, quia potentissimum, promptissimum, amplissimum est. Item in *Auctario*, them. 4 *in eodem festo*, ubi B. Virginem platano arbori comparat, et, sicut umbra platani est latissima, densissima, passim obvia, et folia numquam demittens; ita B. Virginis quoque protectionem latissimam esse, potentissimam, paratissimam ad juvandum fidelem atque constantem.

Pro cultu Mariano promovendo.

Ex occasione verborum illorum : *Ecce Mater tua*, dici potest, hoc Christi fuisse ultimum testamentum, quo insinuare voluit, velle se, ut homines omnes ipsam ut Matrem venerentur et ament. Ostendatur itaque, quod hoc testamentum sit a septem testibus subscriptum, qui omnes exemplo suo hanc Christi voluntatem approbarunt, nempe 1. Deus. 2. Angeli. 3. Sancti. 4. Ecclesia. 5. Catholici. 6. Hæretici et Infideles. 7. Creaturæ insensibiles, uti fusius de singulis ostendit Faber, conc. 7, *in festo Nativ. B. V.* et Pistorius, conc. 20, part. 2, Miekov. disc. 213 et 214.

Possunt per quatuor equorum, currum gloriæ B. Virginis trahentium, similitudinem, explicari quatuor officia, in quibus præcipue cultus Marianus consistit ; videlicet 1 In congratulatione. 2 In veneratione. 3 In imitatione. 4 In invocatione. De quibus vide Fabrum, conc. VIII, *in festo Nat.* Pistorium, conc. XX, part. III, Miekov. disc. 215 et seqq. Gasp. Tausch. *in Matre dolor.* l. III, prax. V,12.

Ex occasione sententiæ : *Ego sum Mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis et sanctæ spei*, explicari possunt motiva ad devotionem incitantia ; quemadmodum fusius id facit Faber, conc. VIII *in festo Assumpt.*

ALII CONCEPTUS.

Maria dolorosa.

Et quidem in passione fuit amarum mare Beatissimæ Virgini, dulcissimi Filii separatio, cum esset totus desiderabilis ; propter hanc subtractionem, Propheta in persona Virginis ait : « Cor meum conturbatum est in me, et dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum »; vel, secundum aliam translationem apertius inquit : « Cor meum fluctuavit ». S. Aug. legit : Contristatum est cor meum » ; amari namque maris intensissimorum dolorum Filii sui fluxus et refluxus in anima et corde Deiparæ Mariæ per renovatos semper dolores incessanter inundabant, et fluctuabant. Unde Arnoldus Carnotensis ait : Erat in anima illa tempestas valida, occurrentibus sibi procellis. S. BERN. s. II, t. III, n. 1, c. 1.

Genæ Virginis in Sacris Canticis, genis turturum assimilari noscuntur « Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis ». Ubi Pagninus legit : « propter margaritas ». Quod vero genæ Deiparæ in turture potius, quam in alio quocumque volucrum genere præfigurentur, hujus hæc præcipua est ratio ; quia turtures consorte suo viduatæ, continuo ingemiscunt, atque ab earum oculis margaritæ, id est, lacrymæ copiose scaturiunt ; cum igitur in hisce verbis Beatæ Virginis a Filio suo derelictæ, ingens dolor adumbretur, non sine ingenti mysterio lacrymæ ipsius margaritis potius assimilantur, quam v. g. adamantibus, topaziis, vel aliis similibus gemmis, quia margaritæ non in dulcibus lacuum, torrentum, et fluminum aquis, sed in salsis maris undis generantur, ut per hoc insinuetur, quod lacrymæ Mariæ compatientis non stillaverint, quemadmodum aliorum lacrymæ manare solent, sed potius omnem excesserint amaritudinem, utpote quæ in amplo quodam doloris mari productæ fuerunt : Velut mare contritio

ejus; congregationesque aquarum appellavit maria. Porro per aquas illæ denotantur intensissimorum dolorum pœnæ, quibus ordinarie cor humanum cruciari solet : Beata Virgo autem tempore passionis Filii sui in cordis sui centro omnes excepit acerbissimos cruciatus, quos unquam passi, vel passuri sunt omnes Martyres, immo et omnes alios, in finem usque sæculorum sustinendos. *Mansi*, tr. LXIV. *disc.* n. 3.

Tria faciunt ad compassionem, ex parte compatientis ad illum, cui compatimur. Primum est passionis vehementia. Secundum ipsius vehementiæ in compatiente notitia. Tertium ipsius ad compatientem amor, et amicitia. Primum, inquam, est passionis vehementia. Quanta autem fuerit acerbitas passionis Christi inexplicabile est omni linguæ Angelicæ, vel humanæ, superat omnis puræ creaturæ capacitatem. Secundum, hujus passionis apud Matrem piam maxima fuit notitia, quia adstabat Filio suo morienti, quem noverat esse Filium Dei. Tertium est, ipsius ad compatientem amor. Summe igitur compassa est, quia summe dilexit eum. Non tantum quippe afflicta fuisset, si cruciatus illius non vidisset. S. BERN. t. III, fer II.

Idem quærit, cur non est mortua Beata Virgo, si tanto dolore repleta fuit? Siquidem hoc audivimus de uxore Phinees, I, Reg. 4, quod in captione Arcæ, et viri sui morte, præ dolore mortua est. Ad hoc respondet Anselmus, quod mortua fuisset, si Spiritus Sanctus eam non confortasset. Unde ait: Pia Domina, non crediderim, te ullo puncto potuisse stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere, nisi ipse Spiritus vitæ, Spiritus consolationis, Spiritus dulcedinis Filii tui, pro quo moriente tantopere torquebaris, te confortaret, te consolaretur, te intus doceret, non esse mortem eum assumentem, sed magis triumphum, omnia ei subjicientem, quod in ipso fieri coram te moribunda videbas. Ibid. Taulerus autem hac in re meditatur, inquiens: Nihil est ambiguum, quin nisi divina fuisset bonitate servata, roboratque, cor illius devotissimum præ dolore diruptum fuisset.

Landespergius dolentem Matrem his verbis describit: Stabat, quia decentissimis, gratissimis, itemque honestissimis semper utebatur moribus, unde quantocumque tabesceret dolore, nihil tamen in opere, nihil in moribus, nihil in gestu corporis, aut sermone indisciplinatum, nihil immodestum, inverecumdumve, aut non sanctum, doloribus, Maternave pietate superata exhibuit. Non igitur vociferata fuit, non ejulavit, non rugiit dolore, non se percussit, quomodo aliæ interdum desolatæ faciunt mulieres, sed virginalis disciplina, modestiaque singularis, dolorem internum, ne turpiter erumperet foras, coercuit. Nihilo tamen propterea minus, sed multo etiam vehementius intus dolebat, quod foris honestatis, maturitatisque causa suum non manifestabat dolorem. LANDSPERGIUS. h. XLVIII *de pass.*

Maria venerando.

Quantum natura Angelica humanam excellat, id nemini obscurum. Quando autem Deus, ut hominem redimeret, naturam alienam assumere, et sibi devincire voluit, videtur magis congrue, aut decentius facturus fuisse, si prætermissa humana Angelicam sibi univisset, et Angelos juste expostulare potuisse, quod iis posthabitis humana se carne vestivit. Occurendum querelis putavit Deus, Cœlorumque Reginam, ex melliflui Bernardi annotatione, tantis venustavit gratiæ ornamentis, ut Angeli cum se, atque illam conspicerent, perstringerentur ejus fulgoribus, et abriperentur donorum, quibus illam cumulatam videbant, splendoribus, sic, ut non solum magnitudini eximiæ Sanctitatis, et incomparabilium gratiarum ejus lubentes concederent, verum etiam Deo suaderent, ut ex illius castissimis, atque intemeratissimis visceribus carnem assumeret, quando carne se amicire decretum haberet. S. Bernardus, hom. 2 super *Missus est*, sic habet : His Virgo Regina gemnis ornata virtutum, specie sua, et pulchritudine sua cœli civium in se provocavit aspectus, ita ut Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, et cœlestem nuntium ad se de supernis educeret. Sed quam ob rem, cœlestis Pater ostentat magnitudinem gratiæ Mariæ, eamque Angelorum oculis, et considerationi subjicit? Eam ob rem, ut ejus elegantia abrepti, oppido se illa inferiores agnoscerent. Illorum nempe intererat, quia cum aliam creaturam se longe digniorem, ac præstantiorem cernebant, non habebant, quod objectarent, aut obloquerentur, quod Deus humana non Agelica natura, ad vindicandum in libertatem genus nostrum, utebatur. DIDACUS NYSS. s. VI, *post Dom.* 2 *Quadr.* § I.

Etsi omnes toto orbe dispersæ linguæ in

unum cocant, non possunt ejus laudes oratione consequi, cum ipsa omnium encomiorum laudes excedat. Immo cui prædicandæ nec Angelorum laudes sunt satis, eo quod ejus perfectio soli Deo cognoscenda reservata est; ideo solius Dei est, eam pro dignitate laudare. Nec mirum, quia, ut bene docet S. Thomas, B. Virgo ex hoc, quod est Mater Dei, habet quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus, ita ut ex hac parte non possit aliquid fieri melius ea, sicut non potest aliquid melius esse Deo. Ideo soli Deo cognoscenda reservatur ejus perfectio, inquit S. Bernardinus Senensis. Unde sequitur, Dei tantum esse laudare eam pro dignitate, qui, quas novit, rationibus, in ea fecit miracula, ut ait Andreas Cretensis. S. Bonav. *in Specul. ex.*

MISCELLANEA.

Mariæ nomen.

S. Brigittæ Deipara dixit: Audi, quantum Filius meus nomen meum honorarit. Meum nomen dum audiunt Angeli, gaudent, Deoque gratias agunt, quod per me, et meam tantam gloriam fecit, et quoniam vident humanitatem Filii mei in Deitate glorificatam. Qui in Purgatorio sunt, gaudent nomine meo audito, quemadmodum æger jacens in lecto, cum audit verbum solatii; Angeli etiam boni audito hoc nomine justis magis propinquant, et de eorum lætantur profectu, quibus sunt ad custodiam deputati. Dionys. Carth. l. III, *de Laud. Virg.* c. ult.

Athenienses nulli unquam Aristogitonis nomen imposuerunt, eo quod Tyrannos eorum a Republica semel expulisset, et patriam a servitute liberasset. Miekov. dis. lxxxiii.

In exercitu Alexandri Magni cum fuisset quidam abjecti pusillique animi miles, Alexander nomine, Rex, ubi id cognovit, ad se accersitum acriter his verbis objurgavit: Aut Alexandri nomen depone, aut Alexandro digna gere. Ibid.

S. Brigittæ dicebat alias Cœli Regina: Omnes Dæmones verentur ac timent, quia audientes hoc nomen Maria statim relinquunt animam. L. I *Rev.* ix *in Ps.*

Hinc S. Bonaventura dicebat: Ab invocatione nominis tui trepidat Spiritus malignus. Pax multa diligentibus nomen tuum.

Maria dolorosa.

S. Brigittæ revelavit B. Virgo dolorum suorum magnitudinem et multitudinem, ac inter alia dixit: Dolor Filii erat meus, quia cor ejus erat cor meum. L. IV *Rev.* c. xxiii et lxx.

Refert Xenophon, quod Cyrus Rex aliquando ex Tigrane Armeniæ Rege cum conjuge sua captivo quæsierit, quid pro suæ conjugis redemptione dare vellet? Cui cum ipse respondisset: Integrum regnum, o Rex, quod abstulisti, insuper vitam et sanguinem; adeo delectatus est Rex hoc responso, ut ambos liberos dimiserit, regnumque restituerit. Ubi cum Tigranes multa quondam de Cyri rebus dissereret, et ad conjugem conversus quæreret, an non et ipsa similia observasset? respondit illa, se ab eo tempore, quo vitam et sanguinem pro sua redemptione ab ipso oblatum audivisset, nunquam mentem aut oculos ad alium, quam ipsum, deflexisse. Tausch. *in Matre dolor.* lib. I, c. xiii, § 3.

Id, quod in libro Genesis legitur: Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum; et factum est ita, appellavitque Deus congregationes aquarum maria; recte Interpretes non tantum Mariæ gratiis, sed etiam doloribus applicant, ita ut, quidquid alii Sancti passi sunt, id omne in Mariam confluxerit, atque adeo convenienter *amarum mare* significare nomen ejus dicatur. Sed ne his succumberet, posuit Deus firmamentum suæ opis et gratiæ, divisitque aquas (id est, tribulationes ex supernaturalibus motivis toleratas) ab aquis (ex naturali affectu confluentibus) et illas quidem sustentavit, has vero protexit ac fovit, ne iis succumberet dolorosa Mater. Ibid. cap. iv, § 5.

Eidem S. Agnes revelavit, B. Virginem quasi tot ictus gladii sustinuisse per compassionem, quot in Filio vulnera et plagas spectabat. L. VI *Rev.* cap. xxx.

S. Lucianus presbyter Antiochenus, cum ad martyrium destinatus, altare, in quo S. Eucharistiam offerret, non haberet, ad discipulos ea de re sollicitos dixit: Altare erit nobis hoc pectus meum; sicque super illo hostiam immolavit. Euseb. l. IX, *Hist.* c. v. Pari modo, teste Arnoldo Carnotensi, B. Virgo se mactabat in altari; ligna et flammas colligebat, altare erat in corpore Filii. *In trac. de 7 Verb.*

Lilium inter spinas vocatur Mater dolorosa,

quia quæcumque spinæ Filium, eædem et Matrem confixerunt, et lacerarunt vulneribus condolentiæ. Rupertus, *in* iv *Cant.*

B. Virgo S. Brigittæ dixit: Qualem tristitiam haberem tunc temporis, (nempe sub cruce) non est, qui valeat dicere. Eram enim sicut mulier parturiens, cujus omnia membra post partum tremula sunt. L. *Rev.* ii.

Christus *in Revelationibus* S. Brigittæ sic Matrem alloquitur: Testimonium perhibeo tibi, quod in passione mea plus fuisti, quam Martyr. L. I, c. xxv.

S. Antoninus sic discurrit: Dationi animæ debetur laureola martyrii; ergo cum B. Virgo dederit pretiosissimam animam, id est, vitam Filii sui, pretiosissima ei laureola debetur. Part. IV, tit. XV, c. xxiv, § 1.

Rex Achis, cum effrenatos mores subditorum compescere, et perditam rempublicam emendare volens, propterea occisus ab illis, et ad matrem delatus fuisset, illa eum in gremio recipiens dixit: Heu me, fili mi, nimia tua bonitas et mansuetudo ac humanitas te simul ac nos perdidit! Plutarc. *apud Miekov.* dis. cccxci, n. 4.

Pelbartus testatur, Christum iis, qui per Matris suæ dolores aliquid petituri essent, quatuor gratias promisisse. 1. Quod gratiam dare velit, ut ante finem vitæ verum de peccatis dolorem elicere possint. 2. Quod in hora mortis eis fideliter assistere velit. 3. Quod passionem suam bene cordi eorum imprimere velit, ex quo multum in gratia proficere possint. 4. Quod Matri suæ potestatem facturus sit petendi pro talibus servis, quidquid liberet. Par. III, c. iii, *de B. Virg.*

Duæ citharæ eodem tono attemperatæ si prope se collocentur, una tacta et sonante accinit et resonat altera; cum ergo, teste S. Bernardo, cithara factus sit Sponsus, cruce habente formam ligni, corpore autem suo vicem supplente chordarum per ligni planitiem extensarum; istaque cithara tempore passionis in luctum versa sit; quid mirum, si altera quoque cithara, nempe B. Virgo, prorsus illi attemperata per voluntatis consensionem, et juxta posita, similem luctumediderit. Tausch. *in Matre dolor.* c. ii, § 3.

Hispanus quidam, cum duos lapillos nigros colore reperisset, advertissetque, uno sublato mox alterum sequi, duas tabulas cum viginti quatuor notis Alphabeti ordine dispositis, et indice apposito confici jussit; quarum unam cum amico distanti dedisset, ad quamcumque litteram lapillus ducebatur, ad illam in distantis tabulæ alter quoque movebatur, et sic distantes loqui sibi poterant. Similes lapilli erant Christus et B. Virgo, unde, quod is patiebatur, etiam hæc sentiebat. Ibid.

Maria veneranda.

Joannes Gerson Regnum Dei divisum esse dixit in duas partes, omnipotentiam scilicet, et justitiam, juxta illud Davidis: Duo hæc audivi, quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia. Hujus Regni dimidium B. Virgini, velut alteri Estheri, datum scilicet misericordia; alterum dimidium Filio reservatum, cui omne judicium dedit Pater. Tract. iv, *in Magnificat*, exercit. v.

Vasco Fernandez, Hispanus Eques, cum in insultu cujusdam civitatis ad domum quamdam urbis capiendæ pervenisset, schedam affixit hæc verba continentem: Huc pervenit Vasco Fernandez. Quod videns alius miles in proximo insultu, et ulterius progressus, in alia domo hanc schedam affixit: Huc Vasco Fernandez non pervenit. Idem potiori jure B. Virgo de excellentia meritorum suorum et gratiæ dicere potest. Miekov. disc. xcii, n. 3.

Quidam Orator, cum laudaturus Philippum Macedoniæ Regem, pleraque, quæ in ipso laudari poterant, enarrasset, denique hoc addidit: Hoc unum tibi dixisse sufficiat, filium te habuisse Alexandrum. Id quod potius de B. Virgine dici potest, cujus præconium reliqua omnia complectens est, Filium habuisse Servatorem Mundi, et Deum. Idem dis. ci, n. 7.

Zeuxes Helenam depingere a Græcis jussus, quinque puellas formosissimas selegit, a quarum qualibet, quod in ea præstantissimum fuerat, selegit, et in imaginem suam transtulit. Ita Deus B. Virg. creaturus, quidquid in aliis hominibus præstantissimum noverat, in ipsa collegit. Idem, disc. cxxi, n. 7.

Alexander ab Alexandris refert, Regem quemdam, cum aquila calceum rostro arreptum ad ejus pedes projecisset, varios nuntios, qui feminam, ad quam ille calceus pertineret, inquirerent, ablegasse; cumque intellexisset, ad Rhodopen pertinere, mox eam sibi in conjugem assumpsisse. Ita cum humanum genus humilitatem B. Virginis

proposuisset, illud mox eam in Matrem et Sponsam elegit. PISTOR. *in Matre admir.* c. XV, p. II.

Quando nata es, o Virgo beata, tunc vera nobis aurora surrexit, aurora prænuntia diei sempiternæ, quia sicut aurora est finis præteritæ noctis, et diei sequentis initium; sic nativitas tua finis dolorum, et consolationis fuit initium; finis tristitiæ, et lætitiæ nobis extitit principium. Quando autem Spiritus Sanctus in te supervenit, et Filium Virgo concepisti, et Virgo peperisti, tunc fuisti pulchra, ut luna. Sicut enim luna lucet, et illuminat luce non sua, sed ex sole concepta; sic tu hoc ipsum, quod tam lucida es, non ex te habes, sed ex divina gratia. Quando autem de hoc assumpta, atque ad æthereum es thalamum translata, tunc es electa ut sol. RUPERTUS, *in* VI *Cant.*

Pictor quidam volens imaginem B. Virginis elegantissime depingere, totam absolvit usque ad faciem, tum præmissa communione rogat B. Virg., ut assistere in hoc opere specialiter dignetur. Interea rapitur in cœlum, et B. Virg. stellis et sole multo clariorem conspicatus, cum ad imaginem suam rediret, ita etiam faciem eleganter depictam invenit, ut nihil amplius desiderari potuerit. PISTOR. con. XV, a. 2.

Cum Henricus a Castris, ex Ordine S. Dominici, oraret in cella sua, subito lumine extincto, alia lux clarissima eamdem occupavit, et vox eumdem compellans audita est. Cumque ille : Ah! quid audio? diceret, responsum est : Ego sum Maria, Jesu Mater. Qua voce ille ulterius exclamavit : Ah! Virgo Sanctissima, Materque dilectissima, cum tu sis, ah! ostende mihi amabilissimam et pulcherrimam faciem tuam! Cui iterum illa : Fili Henrice, adhuc infans es, cresce et postea me videbis. *In Parad. aper. devot.* III, *infra octav. Assumpt.*

Maria invocanda.

S. Catharinæ Senensi dictum est quondam a Deo, B. Virginem esse quasi escam dulcissimam hamo Dei præfixam, ad homines in virtutis amorem pertrahendos. ARRIAS, *in præf. de Imit. B. V.*

S. Dominicus dixit : Si omnes Sancti a nobis alieni essent, et ad preces nostras surdi, Mariam tamen sinum misericordiæ nobis aperturam. Hinc B. Alano dixit; jampridem mundum periturum fuisse, nisi ipsa precibus suis iratum Numen placaret. PETRUS PENNEQ. in *Isag.* dis. II, n. 16.

Alexander Magnus olim de matre sua dicere solebat : Una matris lacryma multas delebit epistolas (scilicet eas, per quas capitalis sententia lata erat) quanto magis hoc idem Christus de sua Matre dilectissima dicet! PISTORIUS, *in Matre adm.* con. III, par. II.

S. Brigittæ quondam apparens B. Virgo dixit : Ego sum Regina cœli, ego sum Mater misericordiæ, justorum gaudium, et aditus peccatorum ad Deum. Idem, con. XVIII, p. II, *ex ejus Vita.*

Eadem B. Virgo S. Hyacintho, ex Ordine S. Dominici, quondam dixit : Gaude, fili Hyacinthe, quia orationes tuæ gratæ sunt Filio meo, et, quidquid ab eo per me petieris, impetrabis. Idem, con. XIII, p. III.

B. Mechtildi quoque dixit : Ego ad omnes, qui cum pietate et sanctitate mihi servierint, in agone veniam et illis adero, consolabor, et protegam. MIEKOV. disc. CXXIX, n. 27.

SS. Patres B. Virginem merito collo comparant; quia sicut hoc capiti proximum est, mediumque inter caput et membra, et nulli per caput in membra influxus descendunt, aut vicissim ab his in caput humores ascendunt, nisi per collum; ita hæc omnia suo modo respectu Christi, velut Capitis, B. Virgini conveniunt; unde S. Bernardus dixit : Nihil Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret. *S. de Nat. Virg.*

Monocerus, qui nec vi, nec arte ulla prendi valet, ad solam virginis in campis expositæ vocem accurrit et in sinum recumbens ab ea se necti capique patitur. Applica ferocibus peccatoribus. S. GREG. l. XI *Mor.*

Coriolanus, Dux Volscorum creatus, cum nullis artibus a Romæ obsidione averti posset, sola tandem matris Volumniæ intercessione placatus dixit ad eam : A te, o mater, primum victus discedo. PLUTARC. l. I *Vitarum, in Coriol.*

Sicut sol in *Leonis* signo ferventissimus, ubi *Virginis* signum ingressus est, mitigatur; ita justa ira Leonis de tribu Juda, id est Christi, sedatur, si B. Virginis preces intervenerint. S. ANTONINUS p. IV, tit. XV, c. XXI.

Ægyptii ut Jovis iram compressam exprimerent, fulmen in molli thoro positum pingebant. Talis thorus erat uterus Virgineus, in qua ira Dei vim suam amisit. Idem, disc. CXXI, n. 7.

Gentiles, ut Junonis patrocinium exprimerent, feminam ab aureo fune inter cœlum et terram pendentem pingebant, ex cujus pedibus duo pondera pendebant, quorum unum altius, alterum profundius elevabatur. Rectius tali modo B. Virgo charitatis funiculo inter cœlum terramque suspensa, et amoris erga nos pondere nunc ad Deum ascendens, nunc iterum ad homines descendens pingeretur. PISTOR. in *Matr. admir.* c. XV, p. II.

Barach, Dux populi Dei, tametsi a Deo jussus Sisaram oppugnare, noluit tamen arma prius sumere, nisi Debora cum eo in prælio exiret; hinc dixit ad eam : Si venis mecum, vadam, si nolueris venire mecum, non pergam. Facilis ad B. Virginem applicatio. RUPERTUS, *in* VI *Cant.*

S. Epiphanius de arca sic scribit : In resurrectione primum arca resurget, et prodibit de saxo, in quo in Sina monte locabitur, et omnes Sancti ad eam confluent, ut illic suscipiant Dominum, et fugent inimicum, qui perdere illos affectabat. An non convenientius hoc de arca figurata, scilicet B. Virgine, dicitur?

Jacob Patriarcha a patris domo exul, et ad necem a fratre quæsitus, pro solatio habuit visionem scalæ, cui Deus innitebatur, et per quam ad cœlum aditus dabatur. Sed et post nocturnam cum Angelo luctam ascendente aurora recreatur, et a Deo benedicitur. Tandem et moriens cum tristaretur, quod filios in Ægypto relinqueret, versus ad lectuli caput et summitatem virgæ, quæ erat in manu Joseph filii ejus, recreatur. Si figura tantum profuit ad consolationem, quid per scalam, auroram, virgam figuratam, scilicet ipsa Virgo beatissima, non poterit?

Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, dicit Sponsus, ubi recte duo ubera pietatis et misericordiæ, capreæ uberibus comparat, quia B. Virgo indigentiam suorum clientum velut caprea acute videt, et, ubi viderit, velociter opitulatura occurrit, ut hinnuli. Hinc Gulielmus dixit : Quis tamplenus oculis, quam Mater luminis? *In cap.* III *Cant.*

Recte a nonnullis B. Virgo quatuor animalibus ab Ezechiele conspectis comparatur. Quia acute videt ut aquila, fortis est ut bos, humanitatem exhibet ut homo, et vigil est ut leo, qui etiam, cum dormit, vigilat. Hinc de illa dictum : Ego dormio, et cor meum vigilat. MIEKOV. disc. CCCLXI, num. 10, CANT. V, 2.

Maria salutanda.

S. Damianus salutationem Angelicam vocat rugitum leonis altissimæ vocis. Jodocus Beyselius de ea ait, quod plura habeat mysteriorum Sacramenta, quam verba et litteras. B. Alanus ait, esse paucam verbis, sed altam mysteriis. PIST. con. XIV, p. I.

Si vis ad Virginem ingredi, et eam salutare, oportet te esse Angelum. HUGO CARNOT. *in* c. I *Luc.*

Tolle Mariam ab Ecclesia, quid restat, nisi caligo? Unde prius aqua lacrymarum se lavent, qui salutant. S. THOM. VILLANOV. *conc.* I, *de Annunt.*

Libenter nos salutat Maria cum gratia, si libenter eam salutamus cum *Ave Maria.* S. BON. in *Spec.* c. IV.

B. Alanus ait, ipsos etiam Apostolos, dum adhuc vivebat Virgo beatissima, salutationem hanc Angelicam usurpasse. Sed et in primitiva Ecclesia in summa veneratione fuisse habitam tam a Christianis, quam Apostolis, ipsa Virgo cuidam dilecto famulo revelavit, teste eodem Alano. *In* l. *de Psal.* c. XV.

Cum P. Ignatius Martinez, Societatis Jesu, quondam Catechesim haberet, infans sex menses vix dum natus e gremio matris caput erigens salutationem Angelicam recitare cœpit. PIST. conc. XIV, p. 1.

Cum S. Euphemiam, Diabolus per fenestram projicere pararet, mox per salutationem Angelicam recitatam fugatus est; id quod in aliis etiam tentationibus factum. CÆSAR. l. V. *Dial.* c. XLIV.

Cum S. Dominicus, in Academia Parisiensi concionari jussus, sublimes conceptus animo volveret, B. Virgo ipsi Rosarium recitanti apparuit, et libello oblato dixit: Fili mi, Dominice, etsi bona sint, quæ explicare pro concione decrevisti, longe tamen meliora attuli tibi. Aperto itaque libro tot in eo Mysteria de Rosario, quot verba, reperit. PIST. conc. XIV, p. 2.

AUCTORES.

Petrus Canisius, tomo integro.

Antonius Spinellus, *in Throno Deiparæ,*

Franciscus Arrias, *de Imitatione B. V.*

Eusebius Nierembergius, de *Amore erga Deiparam.*

Maximilianus Sandæus, *in Gemma mystica.*

Franciscus de la Croix, *in Hortulo Mariano.*

Paulus Barry, *in Paradiso aperto.*

Philippus D'Outreman, *in Pædag. Christ.* c. XXVI, par. II.

Jeremias Drexelius, *in Rosis Marianis.*

Joanne Nadasi, *in Anno hebdomadorum cœlestium*, et *in Anno Mariano.*

HYPOCRISIS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est simulatio, qua quis se justum simulat, vel justiorem, quam sit. Estque quoddam facti mendacium, crimen mortale involvens, si finis et intentio simulantis sit contra charitatem. MARCH, *in Tuba Sac.* tr. I, lect. 5. Desumptum autem hoc nomen est, teste S. Thoma, a specie eorum, qui in spectaculis contecta facie incedunt, modo in specie viri, modo in specie feminæ, ut in ludis populum fallant S. TH. II, II, q. III, ar. 2. Et consentiens S. Basilius : Hypocrita, inquit, vocatur histrio, quia in theatro personam sustineat alienam, sæpe heri, cum sit servus, aut regis, cum sit privatus. Itidem in hac vita plerique vitam suam velut in proscenio ad ostentationem componunt aliud in corde gerentes, aliud in specie et hominum oculis præseferentes.

DIVISIO. — Dividitur a Stapletono in *Externam* et *Internam*. Illa est, qua sola rectitudo externa, neglecta interna et vera cordis justitia quæritur, de qua Christus locutus est cum dixit : Quæcumque dixerint vobis, facite, secundum opera eorum nolite facere. THOM. STAPL. *in Dom.* V, *post. Pent.* Illa est, qua in omni virtutis genere laus et gloria humana captatur, de qua idem Christus dixit : Væ vobis Legis peritis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, et eos, qui introibant, prohibuistis. LUC, XI, 52.

ACTUS. — Primus est, sub pietatis nomine lucrum quærere.

Secundus, exterius amicitiam simulare, et animo odium invidiamque fovere, juxta illud Davidis ; Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde locuti sunt. Ps. XI, 3.

Tertius, in publico se justum ostendere, in occulto gravia scelera committere.

Quartus, consulere quid alteri, ad commodum illius tendens, et iterum suum bonum unice quærere.

Quintus, in parvis rebus servandis anxium et sollicitum esse, grandium vero nullam aut exiguam curam habere.

Sextus, exterius humilitatem præseferre, et interius gloriam et laudem humanam sectari. MARCH. tr. I, *Tuba. Sac.* lect. 5.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. MAR. V, 6.

Alligant onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum ; digito autem suo noluntea movere. MATTH. XXIII, 4.

Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ ad instar puncti. JOB. XX, 5.

FUGA. — Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. LUC. XI, 1.

Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, et non scandalizeris in labiis tuis. ECCL. I, 37.

Deponentes omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, sicut modo geniti infantes; rationabiles, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. I. PETR. II.

DAMNUM. — Numquid virere potest scirpus absque humore, aut crescere carectum sine aqua? Sic viæ omnium, qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritæ peribit. JOB VIII, 13.

Simulatores et callidi provocant iram Dei, neque clamabunt, cum vincti fuerint. JOB XXXVI, 13.

Virum sanguinum et dolosum abominatur Dominus. Ps. V, 7.

Abominatio Domini est omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio ejus. PROV. III, V. 32.

Congregatio hypocritæ sterilis, et ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. JOB XV, 15.

Non veniet in conspectu ejus hypocrita. Job. XIII, 16.

Partemque ejus ponet cum hypocritis ; ibi erit fletus et stridor dentium. Matth. c. XXIV, 51.

Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia. Matth. XXIII, 27.

Visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrina. Soph. I, 8.

Qui sophistice loquitur, odibilis est ; in omni re defraudabitur, non enim est illi data a Domino gratia ; omni enim sapientia defraudatus est. Eccl. XXXVII, 23.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.— Tanta est hypocritica dementia, ut fœtoribus pro odoribus abutantur, et pretiosa vilia, et aspera suavia arbitrantur, et favorum sapor omnium dulcedinum superet condimenta, omnisque delira sensualitas contrariis delectetur. S. Cypr. *S. de Jejun.*

Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas, quia iniquitas est, et simulatio. S. Aug. in Ps. XXXVI.

Hi sunt oves habitu, astu vulpes, actu et crudelitate lupi. Hi sunt, qui boni videri, non esse ; mali non videri, sed esse volunt. Mali sunt, et boni videri volunt, ne soli sint mali. Mali videri timent, ne parum sint mali. Etenim minus semper malitia palam nocuit, nec unquam bonus, nisi boni simulatione deceptus est. S. Bern. s. 66.

Quid est vita hypocritæ, nisi visio quædam phantasmatis, quæ hic ostendit in imagine, quod non habet in veritate ? S. Greg. *in Mor.*

Quid dicturi sumus, qui iniqua operibus docemus, et sola voce ea, quæ sunt justa, prætendimus? Ossa jejuniis atteruntur, et mente turgemus ; corpus despectis vestibus tegitur, et elatione cordis purpuram superamus ; jacemus in cinere, et excelsa non aspicimus, doctores humilium, duces superbiæ, ovina facie lupinos dentes abscondimus. Idem, *in Reg.*

Vult hypocrita scire divina eloquia nec tamen facere, vult recte loqui, nec tamen vivere. S. Gregor. *in Moral.*

Hypocrita sanctus esse non appetit, sed vocari. Idem, *super Cant.*

Hypocritarum facies rationalis, sed corpus bestiale est. Idem. VIII. *Moral.*

Hypocrita in cunctis suis operibus nil aliud sperat, nisi reverentiam honoris, gloriam laudis, a melioribus metui, sanctus ab omnibus vocari. Idem, Ib.

Hypocrisis malum abscondit quod est, et bonum quod non est mentitur. S. Bern. *super Cant.* Serm. XXIII.

Hypocritæ volunt esse humiles sine despectu, bene vestiti sine sollicitudine, delicatæ pacis possessores sine labore, aliis detrahentes, mordaces ut canes, dolosi ut vulpes, superbi ut leones, intrinsecus autem lupi rapaces, mellis dulcedinem, id est, inanis gloriæ et latentis lasciviæ, ut ursi quærentes ; volunt esse sine auctoritate judices, sine visu testes, postremo falsi accusatores et omni veritate carentes. Idem.

Fuga. — Hypocrita, si bonum est, bonum esse, ut quid vis apparere, quod non vis esse? Si malum est, malum esse, ut quid vis esse, quod non vis apparere? Si bonum est, bonum apparere, melius est bonum esse. Si malum est, malum apparere, pejus malum esse ; ergo aut appare, quod es, aut esto, quod appares S. Chrys. *apud Fab.* con. II, *in Dom.* 22 *post Pent.*

Non indues vestem ex lana linoque contextam ; per lanam simplicitas, per linum subtilitas designatur. Et nimirum vestis, quæ ex lana linoque contexitur, linum interius celat lanamque exterius demonstrat. Vestem ergo ex lana linoque contextam induit, qui in actione vel locutione, qua utitur, intus subtilitatem malitiæ cooperit, et simplicitatem foris innocentiæ ostendit. S. Greg. l. VIII *Mor.*

Damnum. — Nulla res sic exterminat bonum, sicut simulatum bonum ; nam manifestum malum quasi malum fugitur et cavetur ; malum autem sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, nec cavetur, sed quasi bonums uscipitur. S. Chrys. hom. XIX, in Matth.

Sicut prope summa et divina virtus est, neminem decipere, ita ultimum vitium est, quemlibet decipere. S. Aug. in l. LXXXIII, qu. LIII.

Si castum me esse simulo, et aliud est in conscientia mea, habeo non gloriam mercenarii, sed supplicia peccatoris. Et in comparatione duorum malorum levius malum est aperte peccare, quam simulare, et fin-

gere sanctitatem. S. Hier. l. VII, *in c.* XVI, *Isaiæ.*

Hypocrisis subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis. Hypocrisis secreta simulat, prospera fallit, curiosa mentitur, et crudelitate virtutes truncat mucrone virtutum, jejunium jejunio perimit, oratione orationem vacuat, misericordiam miseratione prosternit. Hypocrisis cognata febri, frigido poculo extinguit ardorem. S. Petrus Chrisolog. in ser.

Fratres, fugiendum est vulnus, pestilentia cavenda, quæ de remediis creat morbos, conficit de medicinis languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, generat de propitiatione discrimen. Thesaurum, qui non abscondit, prodit. Virtutes proditæ non manebunt. Virtutes suos proditores deserunt, suos instant custodire custodes. Idem, in serm. VII.

Væ peccatori terram ingredienti duabus viis! Duabus quippe viis ingreditur, quando et Dei est, quod opere exhibet; et mundi, quod per cognitionem quærit. S. Greg. l. I *Mor.*

Hypocrita quot vitiis est plenus, quasi tot stercoribus in conspectu æterni Judicis illius pectus fœtet. Hypocritarum corda Diabolus tacitus tenet, et quasi quietus ibi dormit, ubi eos, quos possidet, quiescere non permittit. Idem.

EXEMPLA CATHOLICA.

Qualitas. — Cain per simulationem fraterni consortii educens fratrem in agrum, interim odium in corde fovens crudelissime interemit, et, quasi Deum facinus horrendum lateret, interrogatus, innocentem se simulavit. Gen. IV.

Joab Amasan officiose salutans, amplectensque amicorum more, lethale interea vulnus corpori infligit, misereque perimit. II Reg. XX.

Absalon fratrem suum Amnonem diligere et honorare se velle simulans, dum ad convivium invitat, inebriatum crudeliter occidit. II Reg. XIII.

Judas, hypocritarum antesignanus, Christum osculo salutans et Magistrum vocans, perfidiosissime inimicis tradit. Matth. XXVI.

Herodes Christum infantem se adorare velle simulans devotionem promittit, sed gladium acuit, et malitiam cordis depingit colore humilitatis; hujus personam repræsentant hypocritæ, qui, dum ficte Deum quærunt, illum numquam merentur invenire. S. Chrys. *super cap.* II *Matth.*

Antonius Picenas, Religiosus, tantam sibi famam sanctitatis comparaverat, ut omnibus persuasum esset, ei post quadraginta dierum jejunium, absque cibo et potu transactum, Angelos perinde ut Christo cibum ministrasse; cum tamen interea ille ingentem cereum, cui clam intrita phasianorum, caponum, et similium gulæ illecebrarum copia fuerat, ad manum haberet, crassumque ac rotundum cingulum aromatibus infartum portaret, unde vitam furtim sustentabat. Inter execrandas demum blasphemias in Christum et B. Virginem emissas vitam finivit miserrime. Engelgr. *in Dom.* 5 *post Pent.*

Ecebolius, sophista, Juliani Apostatæ præceptor, linguam habuit ad omnem hypocrisim eruditissimam, velut plicatile cochlear, omni loco usurpandum. Hinc sub Constantio Arianum, sub Juliano Paganum, sub Jovaniano Catholicum se simulavit. Drex. p. I, *Phaet.* c. XXIV, § 4.

Pharisæis volentibus Jesum capere in sermone, increpavit eos, dicens: Quid me tentatis, hypocritæ? Joan. VIII.

Fuga. — De Christo, quantopere hoc vitium fugerit, S. Petrus testimonium ferens ait: Qui peccatum non fecit, non inventus est dolus in ore ejus. I Pet. II, 22. Patetque amplius ex severa oratione qua hypocriticos Pharisæos, apud S. Matthæum, exagitavit. Matth. XXIII.

De Jobi averso ab hypocrisi animo ipse Deus ad Satan dixit: Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex et rectus? Job, I, 3.

Eleazar Machabæus monitus ab amicis, ut simulata carnis porcinæ comestione discrimen capitis averteret, respondit, mori se malle, quam tali simulatione malum aliis exemplum relinquere, et per hoc maculam atque execrationem suæ senectuti conquirere. II Mach. VI.

De Nathanaele Christus ipse Apostolis suis dixit: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. Joan. I, 47.

S. Anastasius, Martyr Persa, rogatus a Duce Persarum, ut vel unico verbo suam religionem inficiaretur simulando, post fusas preces respondit: Neque tu, neque alius mihi persuadebitis, ut hoc faciam, nomen-

que Dei mei vel in speciem etiam negem. Busæus, *in Pan. V. Hypocr.*

Damnum. — Cum ex duobus studiosis pauperibus alter se mortuum simularet, alter eidem adstans eleemosynam a S. Epiphanio peteret pro socio sepeliendo, is, qui mortuum se finxerat, post datam a S. Epiphanio eleemosynam vere obiisse compertus est.

Monachus quidam a Fratribus pro sancto habitus, vita cum jamjam ex hac discessurus esset, accedentibus Fratribus, ut monitum salutis acciperent, dixit, se ob hypocrisim, qua sanctitatem simulabat, et jejunare creditus occulte manducabat, Draconi, qui cauda sua genua pedesque colligens caputque ejus ore concludens, animam mox extracturus esset, devorandum datum esse. Quo dicto, statim sine pœnitentia obiit. S. Greg. l. IV *Dial.* cap. xxxviii.

S. Gregorius Turonensis narrat, mulierem quamdam in Galliis sub specie Religionis vacasse jejuniis, orationibus institisse, vigilasse constanter, et Sacra loca obiisse, aurumque pro redimendis captivis corrogasse, verum occulte illud in sua cella defodisse. Ob quam causam post mortem damnata, e sepulchro has voces terribili cum ejulatu frequentare audita est: Me miseram, me infelicem, auri consumor incendio! Post triduum vero aperto tumulo visum est aurum resolutum sulphureæ instar flammæ in os ingredi. S. Greg. Tur. l. I, *de Glor. Mar.* cap. cvi.

Alia quæpiam femina, cum ad sanctitatis famam aucupandam in omni confessione se improbam et gravem peccatricem profiteretur, Confessarius ejus sanctitatem probaturus dixit, se quoque ab aliis hoc ipsum audivisse, tempus proinde esse, ut serio se emendet. Quo audito, illa turbari, irasci, convitia in eos, qui talia spargere ausi essent, jacere incipiens, satis ostendit, non nisi falsam fuisse sanctitatem, quam præseferebat. Nic. Lyræus, *Apoph.* p. 259.

Cassianus refert, monachum quemdam peregrinum, cum ad orationem cum aliis faciendam, pedumque ablutionem permittendam, a Seraphione Abbate invitatus, utrumque recusaret, indignum se dicens, qui communi cum reliquis Fratribus charitate frueretur; postea vero ab eodem Abbate monitus esset, ne multum evagaretur, sed intra cellam suam quietus permaneret, sibique ipsi attenderet, graviter indignatum, claro indicio prodidisse, non nisi simulatam fuisse humilitatem, quam prius præsetulerat. *Spec. ex. V Fictio.*

Vereticus, Rex Walliæ, cum sæpe a S. Patritio de tyrannide omittenda admonitus, semper emendationem sponderet, et monitiones astu eluderet, orante eodem sancto in vulpem transformatus aufugit, et nusquam amplius comparuit. Engelgr. *in Dom. 5 post. Pent.* § 1.

Cum Alphonsus, Rex Aragoniæ et Neapolis, esset apud Ænariam, in quam una cum victoria Africanum morbum intulerat, et inaudito genere pestis laboraret exercitus; renuntiatur ei, inter cæteros, Antonium Picentem, Ordinis Eremitarum, nobilitatum post mortem hypocritam, per summos cruciatus animam exhalasse, jactando plurima convitia atque blasphemias in Christum Dominum, et Virginem ejus Matrem. Hic est ille Antonius, qui quadraginta dies et noctes jejunare ferebatur; qui Italiam, Siciliam atque Hispanias compleverat nomine sanctitatis et abstinentiæ, pluribus locis, cella præclusus, et a nullo unquam observatus, nihil edens aut bibens in prævisa ac prætenta cella, in qua nihil, quod vel observare liceret, inesse videretur. Cæterum Angelos ei quotidie ministrare ac confabulari solitos opinabatur. Verum ipsi intus in cella erant candelæ grassiores, exterius quidem et superfusoriæ ceratæ, sed in quibusdam fistulæ cannarum colludebantur farina infartæ, quæ ex contritis phasianorum ac caponum carnibus, saccharo ac aromatibus immixtis condiebantur. Aiunt et cingulum gestasse fistulatum, plenum nectare, quod hypocraticum vocant. His epulis clanculum vescebatur, vir habitus æque sanctus et mortalium omnium, qui unquam fuerunt, aut essent, vulgi opinione abstinentissimus. Is igitur, cum Regi renuntiaretur vermiculis et acerbissimo genere mortis absumptus, dixisse fertur: Propterea Deum in hypocritas tantopere sævire, quod dum homines decipiunt, interponunt Deum ipsum tanquam sceleris mediatorem; ideoque ut plurimum viventes adhuc plecti in oculis hominum, quos Dei nomine fefellissent, ut intelligant mortales, a tali monstro maxime sibi cavendum esse, quod Deum ipsum, nedum post mortem, sed etiam in vita ipsa, haberent indubitatum ultorem. Anton. Panorm. l. II *de Gest. Alph.* c. ix.

In Episcopatu Brixiensi erat vir quidam

tanta sanctitate et vitæ puritate præditus, ut plerisque videbatur, ut alter Joannes Baptista ab illis haberetur. Adeo quidem ut ejus nominis fama et celebritate plerique omnes ejus provinciæ allecti, ad eum velut ad sanctum Dei hominem gregatim confluerent; qui tamen hæretica pravitate infectus erat. Cum autem ille vita functus, et honorificæ sepulturæ demandatus esset, post aliquod tempus, fidei Inquisitor per testes fideles examine diligenti peracto, repetit illum fuisse hæreticum; ideoque de consilio Episcopi et aliorum prudentium virorum, sancitum est, ut ejus cadaver effoderetur, et ossa igni cremarentur. Populo itaque circumstante, ejus ossa in ignem conjecta sunt, quæ mox Dæmones ex eodem igne in aerem attollentes, ea suspensa super ignem tenebant, non tamen illi videbantur. Ex quo effectum est, ut populus exclamaret, Episcopum cum suis esse necandum, qui invidia sanctum Dei virum exurere præsumpsisset, id Deo nolente neque permittente. Qua re exterritum Episcopum [illegible] bono animo esse deprecati sunt in hæc verba prorumpentes: Domine Episcope, ne ultra refrangaris, quæsumus, quandoquidem hic pro fidei tuitione adsumus; sed ad Sacrum faciendum te potius præpara, visuri experientia ipsa, num Deus aliquod miraculum super hac re exhibiturus sit, ne fides in discrimen veniat, ac periclitetur. Missa ea fuit de B. Virgine; cumque Corpus Dominicum sursum ab Episcopo levaretur, Dæmones in aere exclamare auditi sunt, hunc in modum: O Guido de Lacha, te huc usque quantum potuimus, defendimus, sed amplius non possumus, quia major nobis adest! Moxque in ignem ossa ceciderunt, et combusta sunt, et fides ab omnibus exaltata. Ex quo Diaboli dolus facili negotio perpendi potest, qui hæreticum hominem vita functum defendit, quo plures animas decipiat. GABRIEL. PRATÆOL. *ex Bern. Luxon. Burgensi in Catal. Hæret.*

EXEMPLA PROFANA.

Ptolomæo, Regi Ægypti, quia discendi cupidus videbatur, adulatores ei familiares de lingua, de versiculo, de historiola digladiantes, ad mediam usque noctem reluctabantur; at vero sævienti, ferocienti, vectigalibus populum oneranti, nullus e tam multis resistere ausus est. PLUTARC. lib. *de Discrim. adult. et amic.*

Anacharsis, Scytha, de Græcis notavit, quod præclare loquerentur, et nihil facerent, ideoque similes essent illis, qui numismate ad nihil aliud, nisi ad numerandum, uterentur. Idem, *de Profectu morum.*

Senex quidam in Ludis Olympicis diu multumque inter Græcos perambulans, nec locum inveniens, ad Lacedæmonios tandem pervenit, ubi non solum pueri omnes illi assurrexerunt, verum etiam viri multi locum dederunt. Id factum cum Græci, quotquot aderant, magno applausu approbassent, exclamans senex: Heu miseriam, inquit, omnes Græci norunt, quid sit honestum, sed eo soli utuntur Lacedæmonii!

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut polypus, cuicumque saxo adhæret, illius colorem suscipit, itaque pisces ad ipsum tanquam ad saxa adnatantes, capit; ita hypocritæ, quod cuique placet, suam omnino sententiam esse dicunt, ideoque evitari facile non possunt, cum pravitas eorum fucata et adornata sub pietatis prætextu profunde lateat. S. BASIL. in *Hexam.*

Sicut sepulchrum, quamdiu clausum est, pulchrum videtur, si vero fuerit apertum, horribile est; sic et simulatores bonorum, quamdiu non cognoscuntur, laudabiles sunt; cum autem cogniti fuerint, abominabiles inveniuntur. S. CHRYS. hom. XLV *in Matth.*

Sicut meretrix, cum nativa pulchritudine destituta est, ad colores, pigmenta, et fucos confugere solet; ita hypocrita, cum specie solidæ perfectæque virtutis careat, adumbrationem quamdam externam pietatis simulat, qua eorum oculos retinet, qui adumbrata virtutis simulatione capiuntur. S. GREG. NAZ. *in or. funeb. Patris.*

Sicut crabro, dum insidet flori, silet, cum avolat, inamœnum murmurat; sic hypocrita, dum mellis aliquid affunditur, tacet, aut ficte loquitur, cum vero a melle et flore abest, et agresti et barbaro fremitu tumultuatur. DREX. *in Phaet.* p. I, c. XXXIV, § 2. Unde Job ait: Cum dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua. JOB. XX, 12.

Sicut cygnus plumis quidem candicat,

sed carnem nigram habet duramque; sic hypocrita plumulas verborum habet mollissimas et pulcherrimas, sed animum politica fuligine infectum gerit. Hinc Salomon: Profert mendacia versipellis. Prov. xiv, 25.

Sicut struthio volandi speciem habet, sed usum volandi non habet; sic hypocrita cunctis intuentibus imaginem sanctitatis insinuat, sed tenere vitam sanctitatis ignorat. S. Greg. l. II *Mor.* c. i.

Sicut Simon Cyrenæus Christi crucem tulit angariatus, non volens; sic hypocrita alienum onus pro Christo nolens portat, exequens foris, quod intus non amat. S. Ber. in s. *de Benedict.*

Sicut ii, qui moscho indulgent, animam plerumque fœtentem habent; sic hypocritæ, qui plurimam pietatis speciem exhibent, intus fœdissime sordent. Langius, *in Polyanth.*

Sicut vulpes simulat se mortuam, ut gallinas capiat secure accedentes; ita hypocrita mortificationem simulat, ut simplicibus imponat, et sub pietatis prætextu prædam capiat. Stapl. *in Dom.* 5 *Pent.* tex. i.

Sicut labrusca colorem habet uvæ, sed non saporem; sic opera hypocritarum colorem habent pietatis, sed Deo insipida ac ingrata sunt. Ibidem.

Sicut Patroclus, Achillis arma induens, et equos in pugnam educens, hastam Peliacam non ausus est contingere; sic hypocritæ verba et voces Sanctorum concinne resonant, facta non attingunt. Ibidem.

Sicut monstruosum est, ut homo habeat majorem linguam, quam manum; sic cujus majora sunt verba, quam opera, præter naturam facit. Idem, tex. iv, *in Dom.* ii, *Adv.*

Damnum. — Sicut, cujus pulchrum est corpus, et deformis animus, magis dolendus est, quam si deforme habeat corpus; ita qui sancte loquitur, et male vivit, magis miserandus est, quam cujus vita improba verbis respondet. S. Aug. l. IV, *de Doct. Christ.*

Sicut panthera deforme caput abscondit, et reliquum corpus ostendit, ut illius pulchritudine et grato odore animalia alliciat, et devoret; sic hypocritæ multos externa sanctitate alliciunt, sed eosdem interna improbitate corrumpunt, vel in suum emolumentum trahunt. Stapl. text. i, *in Dom.* 5 *post Pent.*

Sicut luctatores corpus humiliant, ut alios dejiciant; sic hypocritæ seipsos humiliando alios supplantant. Ibid.

Sicut brevis mulieris fucatæ gratia est, quia habitu populari fucus difflatur, et maculæ magis apparent; sic qui melioris vitæ fucum assumunt, facile eam in conversatione amittunt, et vitiosi magis apparent. Langius, *in Pol.*

Sicut fœnum tectorum in alto nascitur, sed nequaquam radice solidatur, ideoque mox exarescit; sic hypocrita summa quidem agere cernitur, sed non in eis ex cordis puritate roboratur; quia cum sine intentione rectæ cogitationis bona studeat agere, ea amittens indicat, se sine radice floruisse. S. Greg. l. VIII *Mor.* c. xxviii.

Sicut fermentum totam massam corrumpit; ita hypocrisis universa hominis opera inficit ac perdit.

Sicut in magno mari perniciosiores sunt scopuli, qui brevi aqua operti tristem ac cæcum et miserabilem non observantibus inferunt interitum, quam rupes eminentes, utpote quas nautæ facile vitare possunt; sic hypocritæ, qui in animi recessibus et latebris malitiam retinentes speciem pietatis foris ostendunt, tetriores et capitaliores sunt improbis illis, qui sunt ab omni virtutis simulatione alieni, quoniam horum pestem facile poteris fugere, illos autem non facile potes devitare. Hector Pintus, *in* c. ix, *Isaiæ.*

MOTIVA.

Quia *diabolicum* est vitium; nam huic proprium est in Angelum lucis se transformare, uti Apostolus testatur (II Cor. xi, 14), ideoque mendax et pater mendacii a Christo vocatur. Joan. xix.

Quia *odiosissimum* est vitium. Quis enim non odit et detestatur Judam fallaci osculo Christum inimicis prodentem? Quis non Judæos prætorium, ne contaminarentur, ingredi metuentes, et tamen gravissimo scelere mortem Christo procurare non verentes? Atqui his similia, imo majora crimina hypocritæ committunt.

Quia *inexcusabile* vitium est; nam, ut S. Gregorius sapienter dixit: Hypocritæ ante districtum Judicem excusationem de ignorantia habere non possunt, quia, dum ante oculos hominum omnem modum sanctitatis ostendunt, ipsi sibi sunt testimonium, quia bene vivere non ignorant. S. Greg. l. X *Mor.*

Quia *perniciosum admodum* vitium est;

quia, teste S Chrysostomo, nulla res sic exterminat bonum, sicut simulatio; nam manifestum malum quasi malum fugitur et cavetur; malum autem sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, nec cavetur, sed quasi bonum suscipitur. Sic servi Diaboli tunc pessime Christianitatem corrumpunt, quando se simulant Christianos, de quibus Christus monet suos et nos : Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Quia magna virtus hominum est cognoscere malum, et firma tutela salutis est scire, quem fugias. S. Chrys. in c. vii, *Matth.*

Quia *duplicatum* vitium est; nam, ut supra ex S. Augustino dictum est, simulata æquitas est duplex iniquitas, quia iniquitas et simulatio; et præterea hypocrita duas inordinatas actiones committit, intendendo scilicet finem malum, et opus bonum ad talem finem ordinando. S. Aug. *in* Ps. xxiii.

Quia *curatu difficilimum* est vitium; tum quia hypocritæ fateri culpas suas nolunt; tum quia corrigi recusant; nam teste S. Gregorio, paratiores sunt mori, quam redargui. S. Greg. *in Moral.*

Quia *vanum et inutile* vitium est; nam hoc ipso, dum per illud opera mala intentione fiunt, vacua et inania redduntur; unde non male ejusmodi opera pomis juxta Mare Mortuum crescentibus comparantur, quæ extrinsecus quidem speciosa sunt, interius vero omni succo carent, et, si vel modice tangantur, in cineres vertuntur. Fab. con. ii, *in Dom.* 22, *post. Pent.*

MEDIA.

Considerare, quantopere hoc vitium quemvis hominem dedeceat ; si enim quodvis *oris mendacium* adeo detestabile videtur homini ingenuo, ut nihil gravius ei accidere queat, quam si pro homine mendaci habeatur; quanto magis hypocrisis, quæ *facti mendacium* est, dedecere hominem ingenuum credetur?

Perpendere , quantopere Deo abominabile sit hoc vitium ; id quod vel ex ipsius Christi testimonio colligi poterit, qui nullum aliud vitium tantopere exagitavit, totiesque væ ingeminavit, quam super hypocrisim, et simulationem Pharisæorum.

Considerare ruborem, quem aliquando sustinebunt hypocritæ , si remota fictionis persona eorum malitia detegetur. Si enim olim Senatores Romani a Nerone in theatro facie personata saltare jussi, quia ad ejusdem Imperatoris mandatum a satellitibus larvæ ademptæ sunt, tam ægre tulerunt hanc prostitutionem, ut aliqui illorum præ dolore mortui sint; quantum ruborem et dolorem sentient hypocritæ, si coram toto mundo dolosa illis larva a Deo ipso detrahatur!

Considerare , quod nihil minus obtineant hypocritæ, quam quod intendunt ; cum enim omnis eorum intentio eo feratur, ut magnam sibi apud homines opinionem comparent, plerumque justo judicio Dei contingit, ut vel maxime displiceant, sicque impleatur, quod S. David prædixit : Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent; confusi sunt, Deus sprevit eos. Ps. lii, 6.

Considerare, quod , ut sapienter Cicero dixit, *compendiaria via ad gloriam sit, ut qualis quisque haberi vult, talis sit ;* sic enim ad veram sanctitatem comparandam incitabitur, atque per hanc sibi non modo temporalem, sed æternam etiam gloriam comparabit. Cicero l. I *de Offic.*

Considerare , quam vanum sit gaudium , quod ex aliorum opinione de nostra sanctitate concipitur; cum omnis gloria Filiæ Regis ab intus sit; et, ut bene Thomas Kempensis dixit, nemo sit sanctior, si laudatur; nec vilior, si vituperatur. Sed hoc sit, quod est; nec major dici valeat, quam Deo teste sit. Thom. Kemp. l. II, c. vi, § 3. Unde recte monuit S. Augustinus : Nemo se falsa spe circumveniat, quia Christiani nominis non facit sola dignitas (aut opinio hominum) Christianum, nihilque prodest, quod aliquis Christianus vocetur in nomine (aut æstimetur) si hoc non ostendat in opere. S. Aug. s. xxxviii, *de Sanctis.*

ASCETICA.

De hoc vitio tria potissimum scienda sunt Ascetæ. 1. Quam infestum sit non modo Sæcularibus personis, sed Religiosis etiam et perfectionis studium profitentibus, et quidem tanto magis, quanto magis sciunt, suæ professionis esse sanctitatem profiteri. Certe Sanctus Hieronymus aperte dixit : Quamvis aliis vitiis carere possimus, hypocriseos ta-

men maculam habere non posse, aut paucorum est, aut nullorum. S. Hier. l. II *contra Pelag.* Nec dissentit S. Augustinus dicens : Quam multos hypocritas sub habitu Monachorum usquequaque dispersit callidissimus hostis, circumeuntes provincias omnes petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis. Voluit (ut S. Bernardus alicubi distinctius explicat) humiles esse sine despectu, pauperes sine defectu, patientes sine tribulatione, obedientes sine coarctatione, pœnitentes sine afflictione, virtuosi sine labore, abstinentiam præferre, et pasci delicate, bene vestiri sine sollicitudine, laudari sine virtute, amari sine bonitate, honorari sine sanctitate. S. Aug. *de Oper. Monach.*

Alterum est, ut bene cognoscere studeat hoc vitium; nam, ut sapienter Sanctus Basilius advertit, quælibet virtutis janua simillimam in vitia ferentem utrinque speciem aperit; ut, qui ad virtutem ingredi nititur, ejus primum januæ assistens, dum hanc se pulsare arbitratur, aperta sibi hinc aut inde altera ex vitiorum januis deceptus maxima similitudine ingrediatur, veluti virtutis domum. Hinc audax et temerarius habetur fortis; prodigus liberalis; avarus abstemius ac temperans etc. S. Basil. l. *de Virg.* Ut ergo hanc fraudem cognoscat, duo poterit indicia attendere. 1. *Perseverantiam*; nam, ut S. Ambrosius sapienter dixit : Nihil simulatum et fictum diuturnum esse potest; in principio vernat, in processu tamquam flosculus dissipatur et solvitur. S. Ambr. l. II, *Offic.* Et, ut Seneca ait : Nemo potest fictam personam diu ferre; ficta in naturam suam cito recidunt. Quibus autem veritas subest, quæque ex solido nascuntur, in majus meliusque procedunt. Seneca, *ad Neronem.* Id quod Stapletonus apta similitudine declarat dicens : Inter veram ovem et lupum in vestitu ovis hoc discrimen est, quod vera ovis, si tondeatur, semper tamen lanam gerat, quia hæc in proprio et naturali subjecto facile denuo succrescit; at vellus, quo se vestit lupus, si tondeatur, numquam denuo succrescit, sed statim se prodit lupus. 2. *Tribulationes;* nam, ut S. Augustinus recte dixit : Cum cœperint aliquibus tentationibus ea ipsa vel subtrahi, vel negari, quæ isto velamine consecuti sunt, vel consequi cupierunt, tunc necesse est, ut appareat, utrum lupus sit in pelle ovina, an ovis in sua. Id quod in fucata facie cernere est, quæ, si calida aqua abluatur, mox decorem suum amittit, et fœditatem ostendit; cum tamen facies, quæ propriam habet pulchritudinem, per ejusmodi perfusionem pulchior efficiatur. S. Aug. *in* c. vii *Matth.*

Tertium est, ut pariter bene apprehendat, quantopere hoc vitium Deus in omnibus quidem hominibus, sed præcipue perfectionis studiosis, detestetur; id quod Deus ipse in Apocalypsi S. Joannis ostendisse videtur, dum eidem præcepit, ut Angelo Laodiceæ Ecclesiæ scribat : Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus (id quod proprium est hypocritarum) utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam evomere te ex ore meo. Apoc. v, 15. Rationem vero hujus displicentiæ reddit S. Gregorius dicens : Hypocritæ, cum per accepta bona in sua laude se elevent, ipsis muneribus contra Largitorem pugnant; inde quippe contra Largitorem superbiunt, unde ei amplius humiles esse debuerunt. Sed eo postea sententia districtior illos percutit, quo nunc ingrati magis ea recipiunt, fitque eis amplitudo muneris incrementum damnationis. Ideo scirpo comparantur, qui exterius viret et crescit, intus vacuus est. S. Greg. l. VIII *Mor.* c. xxvii. Unde Alphonsus Rex audiens Antonium Piconam, Ordinis Eremitarum, magnum hypocritam, jactando blasphemias in Christum et Matrem, vermiculis absumptum periisse, dixisse fertur, propterea Deum tantopere in hypocritas sævire, quod, dum homines decipiunt, interponant Deum tamquam sceleris mediatorem; ideoque ut plurimum viventes adhuc plecti in oculis hominum, quos Dei nomine fefellissent, ut intelligant mortales a talibus monstris maxime cavendum esse, quod Deum ipsum non tantum post mortem, sed etiam in ipsa vita haberent indubitatum ultorem. Æneas Sylv. *de Dictis Alph.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Etsi Ludovicus Granatensis, *in Sylva locorum communium* de hoc vitio agens, recte notet, cum hoc nostro sæculo ne veræ quidem virtuti magnus honor tribuatur, atque adeo non habeant ambitiosi homines causam induendi falsam virtutis imaginem, non esse, cur modo tantopere concionatores in

hypocritas invehantur, præsertim cum vulgus audito hoc nomine non veros hypocritas, sed viros pietatem colentes intelligat, sicque fiat, ut hujusmodi doctrina pii animum contrahant, improbi vero cristas erigant et triumphent, et suam quodammodo causam agi arbitentur ; (Lud. Granat. *in Silva loc. com.* fol. 605) tamen quia constat, plerosque Christianos nomen potius, quam qualitates veri Christiani gerere, non oberit, si ad fervorem ipsorum excitandum etiam de hoc vitio quandoque concio instituatur. Itaque

Ex occasione thematis : « Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium ; intrinsecus autem sunt lupi rapaces » (Matth. VII, 14); possunt hypocritæ lupis comparari, simulque indicia ostendi, per quæ a veris ovibus cognoscantur, nempe. 1. *Ex voce*; quia, ut ovis versus terram balans emittit vocem, lupus autem versus cœlum ululat; ita veri sancti humiliter de se loquuntur, hypocritæ se extollunt, suasque dotes prædicant. 2. *Ex cibo* ; quia, ut ovis herbis contenta est, lupus vero carnibus, et quidem occulte plerumque pascitur ; sic hypocritæ suas carnis commoditates, plerumque in occulto quærunt, ne carnales judicentur ; spernant vero spiritualia pascua, quibus perfecti delectantur. 3. *Ex dentibus*; quia, ut lupus dentes acutos atque ad rapinam ac lanienam factos habet, non item ovis ; ita hypocritæ aliorum famam lacerant, non item justi. 4. *Ex conversatione*; ut enim lupus solus, vel cum paucis aliis graditur, oves vero societate gaudent ; ita hypocrita fugit societatem hominum, fingens se illorum pravis moribus offendi ; non perinde homines boni. 5. *Ex pelle*; nam lupus duplicem gerit, foris ovinam, id est, lanam, quæ, si tondetur, non iterum succrescit, ut lana veræ ovis, intus lupinam ; ita hypocritæ exterius fictam sanctitatem, interius malitiam occultam gerunt. Quæ omnia vide fusius apud Fabrum, con. 7, *in Dom.* 7, *post Pentec.*

Ex occasione thematis : « A fructibus eorum cognoscetis eos ; » (Matth. VII, 16;) possunt hypocritæ cum struthione comparari, sicut S. Job eos comparavit. (Job. XXXI, 16.) 1. Quia sicut struthio volandi speciem habet, sed usum volandi non habet ; ita hypocrisis cunctis intuentibus imaginem de se sanctitatis insinuat, sed tenere vitam sanctitatis ignorat, teste Sancto Gregorio, in loco citato 2. Quia, sicut struthio derelinquit ova sua in terra, et obliviscitur, quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat, et duratur ad filios suos, quasi non sint sui ; ita hypocrita ova bonorum operum cum dolore parit, ea tamen ab inani gloria eripi sibi sinit, nec fovet ova sua, id est, opere non complet. 3. Quia, sicut struthio latere se existimat, si collum frutice occultet ; ita hypocritæ stulte arbitrantur, se suamque hypocrisim latere, si se coram hominibus humilient, cum tamen ab oculatis, et tandem ab ipsá etiam plebe cognoscantur. 4. Quia, sicut struthio alas erigit, ut videatur volare ; ita hypocrita magnum se facit, licet revera non sit. 5. Quia struthio equo quovis est velocior, ideoque cervinos habet pedes ; ita hypocrita laborem animo timido declinat. 6. Quia, sicut struthio venatorem deludit, et a se repellit, lapides pedibus versus illum projiciendo ; ita hypocritæ calumniantes se lapidibus calumniarum fugant. Vide hæc omnia fusius apud Fabr. conc. 7, *in Dom.* 7, *post Pent.* n. 5.

Ex occasione thematis : « Non invenio opera tua plena coram Deo meo ; » (Apoc. III, 2.) possunt alio modo indicia hypocrisis declarari, scilicet per similitudinem vacuorum vasorum ; nam 1. Sicut vacua vasa aquis supernatant, fundum non petunt ; ita hypocritæ in alto semper, non autem in fundo humilitatis detineri volunt. 2. Sicut res vacuæ sunt facile mobiles ; sic hypocritæ leves et inconstantes. 3. Sicut vasa vacua pulsata resonant ; ita hypocritæ læsi remurmurare solent. 4. Sicut res vacuæ, cum terræ affiguntur, nullum vel modicum edunt sonum, secus vero si in alto detineantur ; ita hypocritæ humilitati obmutescunt, elevati vero in altum omnia clamore suo complent, et jactantia. Vide Fabr. l. c. n. 3 et seqq.

Ex occasione thematis, « Tange montes, et fumigabunt ; » (Ps. CXLIII, 3) potest ostendi, tribulationem esse potissimum medium, et quasi lapidem Lydium cognoscendæ hypocriseos. Eum in finem comparetur vera et falsa sanctitas fucatæ et natura sua pulchræ imagini, et per varios actus hypocritarum, quomodo per tribulationem appareat ficta eorum sanctitas, nam. 1. Devotio eorum, qui apparere magis, quam esse devoti volunt, mox evanescit, si desolationes cons o

lationibus succedant. 2. Humilitas eorum, qui se nequiter humiliant, evanescit, si contemnantur, ut patet in monacho, de quo supra, dictum est. 3. Patientia aliquorum, qui certas tantum cruces a certis hominibus pati et portare volunt, facile cognoscitur, si alia tribulatio ab alio homine supportanda occurrat. 4. Zelus fictitius patet, si ad alia loca, officia, personas quis mittatur vel applicetur. Quæ omnia facile pulchris exemplis et rationibus fusius declarare possunt.

Ex occasione thematis : « Vox quidem vox Jacob, manus autem, manus sunt Esau; » (Gen. xxvii, 22) potest dici, quod secundum exteriorem faciem videantur quidem hypocritæ similes Jacobo, tum propter nomen, quia creduntur *Supplantatores* vitiorum; tum propter simulatam fugam mundi, benedictionem a Deo obtentam, fecunditatem in filiis, id est, operibus bonis; tum propter majorem matris (id est, Ecclesiæ vel Religionis) erga eos affectum; revera autem manus (id est, opera) Esau habeant, cum hispidæ, id est, immortificatæ sint eorum actiones; vendant primogenituram pro vili lenticula; benedictionem apud patrem amittant; odium, quo bonos persequuntur, foveant; et quia patres Idumæorum dumtaxat (id est, terrenorum) sunt. Quæ omnia facile copiosius deduci possunt.

Ex occasione thematis : « Quid existis videre? Arundinem vento agitatam? » (Matth. xi, 7) comparari possunt hypocritæ arundini. 1. Quia sicut arundo radicem habet in terra, et in aquis existit; ita hypocritæ cor in terra defixum habent, et inter aquas voluptatum fluxarum morari gestiunt. 2. Sicut arundo omni vento agitatur; ita hypocritæ ad omnem fortunæ auram se flectunt. 3. Sicut arundo exterius viret, intus medulla et soliditate caret; ita hypocritæ foris fervorem ostentant, intus virtute carent. 4. Sicut arundo cito crescit, et cito arescit; ita hypocritarum gloria et gaudium breve est. 5. Sicut arundo Christo in manus data ludibrio illum exposuit; ita hypocritæ operibus suis Christum et ejus doctrinam vilipendi faciunt.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Hugo Cardinalis super illud : Vos estis sepulchra dealbata, ait : Nota sepulcrum dici, quasi semipulchrum, tales sunt hypocritæ, exterius nitidi; interius fœtidi. Hug. Card. *in c.* xi *Luc.*

Fridericus III, Imperator, cum quidam diceret, se in loca abiturum, in quibus nullus hypocrita esset, respondit : Ultra Sauromatas ergo et glacialem Oceanum tibi eundum est. Sed cum eo veneris, non omnino carebit hypocrisi locus, si modo et tu homo non Deus es. Inter mortales enim nemo est, qui non ex aliqua parte fictus fucatusque sit. Langius, *in Polyant.* v. eodem.

Recte hypocritæ idolo Baal comparantur, quod foris inauratum, sed intrinsecus luteum et æreum erat; nam et illi intrinsecus lutei, et forinsecus aurei per fictam sanctitatem apparent. Dan. xiv.

Quod uxori Jeroboam Ahias Sacerdos dixit, hoc plurimis hominibus applicari potest : Ingredere, uxor Jeroboam! Quare aliam te simulas? Ego autem ad te missus sum durus nuntius. III Reg. xiv.

Similes sunt hypocritæ tormentis bellicis per propugnacula dispositis, quæ magnum quidem aspicientibus terrorem inferunt, sed pulvere et globis vacua sunt, ideoque inania terriculamenta. Stapl. text. i *in Domin.* 5 *post Pent.*

Ut natura differt ab arte, ita vera justitia ab hypocrisi; æque enim justitia laborat in solis intrinsecis perficiendis, et hypocrisis in extrinsecis, sicut ars pictoria tantum exterius perficit imaginem, natura vero etiam interiora producit.

Diogenes musicos in Jus vocabat, quod, cum lyræ chordas aptarent, animi mores inconcinnos haberent. Quidni idem de hypocritis sentiatur? Laert. l. VI.

Adolescenti cuidam levissimo de temperantia et sobrietate in Senatu Romano graviter disserenti responsum erat : Quis te ferat ædificantem ut Crassus, cœnantem ut Lucullus, loquentem ut Cato? Hoc applica ad hypocritas.

Recte hypocritis dicitur, quod Spathario Regis Totilæ S. Benedictus dixit : Depone, fili, depone, quod geris, nam tuum non est. *Brev. Rom. in festo S. Ben.*

Damnum. — S. Greg. Turonensis dicebat : Hypocritas similes esse feli candidæ sutoris, quæ in dies unum musculum capiebat; cumque aliquando in atramentum sutorium cecidisset, mures existimantes eam velut monastico habitu indutam carnibus vesci non audere; ideoque libere e cavernis pro-

gressos omnes ad unum peremit. S. Greg. Tur. l. I.

Seneca ait : Nullos pejus de omnibus mortalibus mereri, quam qui Philosophiam (multo magis Evangelicam doctrinam) velut aliquod artificium venale didicerunt, qui aliter vivunt, quam vivere præceperunt. Non magis potest talis prodesse, quam gubernator in tempestate nauseabundus. Non est loquendum, sed gubernandum. Sen. ep. cii.

Qui docet, et non facit, duplex onus imponit, unum præcepti, alterum mali exempli. (Talis autem est quivis hypocrita) nam, cum omne præceptum per se grave sit, nisi charitas, quæ omnia levia facit, accedat ; ita adhuc gravius est, cum illud non ferunt, qui ad ferendum valentiores videntur. Staplet. text. i, l. IV, *in Dom.* 2 *Adv.*

Fertur Nero olim Senatores Romanos rogasse, ut in sui gratiam ludum populo facerent, et ludum histrionicum in foro Romano inter se exercerent ; quod cum negarent ut alienum a dignitate sua, saltem ut larvati id facerent, petiit ; quod cum subterfugere non possent, saltusque levissimos exercerent, subito latentes sub cortinis satellites prosilierunt, et omnibus larvas detraxerunt, tanto eorum pudore, ut suffecerit ad vitam auferendam. Dio. Lassius, *in Nerone.*

Canna palustris juxta aliam saccaream et melleam arundinem uno anno sic excrescens, ut aliquot cubitis altior altera esset, comasque et folia late explicans, saccaream velut parvam et gracilem cum despiceret, hæc modeste respondit, non invidere se excelsum verticem, nam excelsas arbores plerumque infrugiferas esse, ac ignis pabulum, sed et ipsam omni fructu vacuam brevi confringendam, ignique adjudicandam esse ; se vero in pretio habendam, ac in dulcissimis dominorum cellariis asservandam. Idem hypocritis olim eveniet. S. Cyril. l. I *Apol. mor.* c. xiv.

Achab, quia mutato habitu se in aciem immisit, telo percussus interiit. Idem timeant hypocritæ, si alios se fingant, bonisque admisceant. III Reg. xxii.

AXIOMATA.

Recte de hypocritis et moribus hujus temporis dixit nonnemo :

Annis mille jam peractis,
Fides nulla est in pactis,
Mel in ore, verba lactis,
Fel in corde, fraus in factis.

Engelgr. *in Dom.* 5 *post Pent.*

Communi olim proverbio dicebatur : Malum, ubi se bonum simulat, ibi pessimum esse. Langius, *in Polyant.*

AUCTORES.

Josephus Langius, *in Polyanthæa.* V. eod.
Joannes Busæus, *in Panario.* V. eod.
Jacobus Marchantius, *in Tuba Sacerdotali* tract. i, lect. v.
Ludovicus Granatensis, *in Sylva locorum communium* fol. 603.
Thomas Stapletonus, *in Promptuario*, text. i *in Dom* 5, *post Pent.* et text. v, Dom. 12 *post Pent.* et t. i, Dom 22 *post Pent.*
Joannes Dadræus, *in Locis Commun. similium.* V. eodem.
Henricus Engelgrav. *in Dom.* 5 *post Pent.*
Josephus Mansi, *in Bibl. moral*, tr. xxxiii.

INFERNUS.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est locus iis destinatus, qui lethali peccato obnoxii, impœnitentes vita decedunt ; ubi cum Dæmonibus, beatifica Dei visione, et bonorum omnium æterna fruitione orbati, æternis autem grassantis flammæ ardoribus addicti, sine fine, requie, et intermissione ardebunt. Clarius alii sic describunt : Infernus est locus subterraneus damnatis angelis et hominibus paratus, in quo est omnis boni absentia, omnis mali præsentia, omnis pœnæ indesinentia. Vocatur etiam in Scriptura *Gehenna*, ob comparationem cum valle profunda prope Jerusalem, ubi Judæi idolo Moloc filios suos in igne immolabant, et ne pereuntium ejulatus audiretur a parentibus, tympanum pulsaba-

tur, qui locus *Gehenna*, sive *Tophet* appellabatur. *Pædag. Christ.* p. I cap. VIII, § 9.

DIVISIO. — Dividitur hæc inferni pœna communiter in pœnam *damni* et *sensus*; quarum prior privatione visionis beatificæ, posterior in dolorum sensibilium inflictione consistit; cum enim Divina Justitia secundum doctrinam D. Thom. æqualitatem postulet, in culpa autem duo interveniant, aversio a Deo et conversio ad creaturas, quibus Deum postponit peccator, justum, omnino videtur, ut nec in conspectum hujus beneficum unquam admittatur, nec a creaturis aliud, quam tormenta experiatur. S. THOM. III *contr. Gent.* cap. CXLIII.

Pœnæ particulares.

Prima *Tenebræ*, juxta illud Christi: Mittite eum in tenebras exteriores (MATTH. XII, 13); ut, quemadmodum S. Augustinus discurrit: Penitus extra Deum sit, quisquis, dum tempus est, corrigi noluerit. S. AUG. *in Ps.* VI. Hinc Isaias clamat: Tenebræ et palpatio factæ sunt super speluncas, usque in æternum. Is. XXXII, 14. Atque adeo hortatur Jeremias: Date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat. JER. XIII, 16.

Secunda, *Fletus*, juxta illud Matthæi: Ibi erit fletus et stridor dentium. MATTH. XIII, 42. Fletus quidem, ut S. Bernardus ait, ob ignem, qui non extinguitur; stridor vero ob vermem, qui non moritur. S. BERN. s. VIII *in Ps. Qui habitat.* De quo fletu recte S. Cyrillus, illic, ait: Ingemiscunt assidue, nec ullus miseretur; clamant de profundis, et nemo flectitur; lamentantur, et nullus eripit.

Tertia est, *Fames* et *sitis*, juxta illud S. Davidis: Famem patientur ut canes. PSAL. LVIII, 7. Et bibent de vino iræ Dei. APOC. XIV, 18. Sicque implebitur Prophetia Isaiæ dicentis: Ecce servi mei comedent, et vos esurietis. Ecce servi mei bibent, et vos sitietis. ISAI. LXV, 13.

Quarta, *Fœtor*, juxta illud Apocalypsis: Pars illorum erit in stagno ardenti, igne et sulphure. APOC. XXI, 8. Quam gravis autem hic fœtor futurus sit, ex S. Bonaventuræ testimonio colligi potest dicentis: Si vel unius damnati cadaver in orbe hoc nostro sit, orbis totus ab eo inficeretur. *Apud Drex.* c. V, *Rog. dam.*

Quinta, *Ignis*, juxta illud S. Marci: Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur. MARC. IX, 46. De quo ipse Deus: Ignis, inquit, succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima. DEUT. XXXII, 22. Et clarius S. Hieronimus: In uno igne omnia supplicia sentiunt in inferno peccatores. S. HIER. *in Pam.*

Sexta, *Vermis*, juxta citatum D. Marci textum, qui quidem duplex est, Innocentio teste, interior, qui radit cor; exterior, qui radit et urit corpus. INNOC. l. III, *de Miseriis hum. vit.* c. II. Hic est vermis, inquit D. Bernardus, qui non moritur, memoria præteritorum. Semel injectus, vel potius innatus per peccatum, hæsit firmiter, numquam deinceps avellendus. Nec cessat rodere conscientiam, eaque pastus esca utique inconsumptibili, perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem, et mortem vivacem. Horreo incidere in manus mortis viventis, et vitæ morientis. S. BERN. lib. V *de Consid.*

Septima, *Locus*, de quo Job: Dimitte me ergo, ut plangam paululum dolorem meum; antequam vadam, et non revertar ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine, terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. JOB. X, 21. De quo loco patetice S. Bernardus sic loquitur: O regio dura et gravis, regio extimescenda, regio fugienda, terra oblivionis, terra afflictionis, terra miseriarum, in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Locus lethifer, in quo ignis ardens, ubi frigus rigens, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ palpabiles, confusio peccatorum. Totus tremo atque horreo ad memoriam istius regionis, et concussa sunt omnia ossa mea. S. BERN. s. *de quinque Region.*

Octava, *Societas*; nam, ut Cassianus ait, ibi atroces sane Angeli commorantur, quorum brachia sunt ut capita Draconum, quorum oculi igneas ex se sagittas emittunt, quorum dentes ut elephantis prominent, et stimulant ad tormentum ut caudæ Scorpionis, quorum aspectus dolorem inducit, tremorem, ac mortem CASSIAN. *in Confess. Theol.* p. III. Et hi nempe sunt Spiritus illi, qui, teste Siracide, ad vindictam creati sunt, et in furore suo firmaverunt tormenta sua (ECCL. XXXIX, 33); ut, quemadmodum Liranus loquitur, qui fuerunt illis voluntarie subjecti in culpa, eis involuntarie subjiciantur in pœna. Nec credat quis solatium

se ex eo capturum, quod multos se in his tormentis socios habere videat, nam consolatio, ut sapienter advertit S. Augustinus, quæ a malis aliorum originem trahit, in mediocri tantum afflictione locum habet; quando autem magnus est cruciatus, et anima nimium vexata, adeo fluctuatur, ut seipsam quoque ignorare videatur, nullum ex aliorum consortio solatium percipere potest; id quod ex podagrico colligere licet, qui, si acutis doloribus cruciatur, et si mille offerantur vehementius dolentes, ne respicere quidem dignabitur.

Nona, *Desperatio;* damnatis quippe illud Jeremiæ vaticinium convenit: Insanabilis est fractura vestra, pessima plaga vestra, plaga inimici percussi estis, castigatione crudeli, insanabilis est dolor vester. Jer. xxx, 11. Quæ pœna merito gravissima censeri potest, cum juxta commune proverbium, ultima omnium malorum sit æterna desperatio.

Decima, *Æternitas*, juxta illud Christi: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum. Matth. xxv, 41. Ut sciat omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irrevocabilem. Ezech. xxi, 3.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Sicut oves in Inferno positi sunt (Ps. xlviii), id est, inquit Michael de Bononia, ponentur post ipsorum mortem: sicut ovis ignoranter ducitur ad mortem, sic isti ignorantes vitam futuram, in infernum ducuntur.

Dominus deducit ad Inferos, et reducit (I Reg. ii), quod S. Gregorius sic explicat: Omnipotenti Deo ad Inferos ducere, est, peccatorum corda æternorum cruciatuum consideratione terrere. Et quoque ab inferis reducere, est, territas pœnitentium, atque commissa lugentium mentes spe vitæ indeficientis attollere. Tum quippe peccare desinimus, cum superna gratia mollitis cordibus futura tormenta formidamus. S. Greg. in cit. lec.

Descendant in Infernum viventes; (Psal. iv) ne, ut nonnemo ait, descendant morientes; dolores ejus revisant, ut horreant, et refugiant.

Devorabit eum ignis, qui non succenditur. (Job. xx.) Super quæ verba S. Gregorius ait: Miro modo paucis verbis expressus est ignis Gehennæ. Omnipotentis justitia futurorum præscia, ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creavit, qui in pœna reproborum esse semel inciperet, sed ardorem suum etiam sine lignis nunquam finiret. S. Greg. l. XV *Mor.* c. xvii.

Flatus Domini, sicut torrens sulphuris succendens eum. Is. xxx.

De cadaveribus eorum ascendet fœtor. Ib. xxxix.

Collegit furorem suum in me, et comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis, hostis meus terribilibus oculis me intuitus est. Job. xvi.

Omnis dolor irruet super eum. Ib. xx.

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui; Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis. Ps. xx.

Dolores Inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis. Ps. xvii. Videntes turbabuntur timore horribili. Sap. v. Abscondam faciem meam ab eo, et erit in devorationem, invenient eum omnia mala. Deut. xxxi.

Terra miseriæ et tenebrarum, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Job. x.

Quærent mortem, et non invenient eam, et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis. Apoc. ix.

Dabit ignem et vermes in carnem eorum, ut urantur, et sentiant usque in sempiternum. Judith. xvi.

Lata porta, et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam. Matth. vii.

Juxta multitudinem adinventionum suarum, sic sustinebit. Job. xx, 18. Qui enim, ait S. Gregorius, multa adinvenit ad culpam, novis adinventionibus cruciatur in pœna. S. Greg. l. XV *Mor.* c. xi.

Pluet super peccatores laqueos, ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum. Ps. x, 7.

Ad nimium calorem transeant ab aquis nivium; et usque ad Inferos peccatum illius. Job. xxiv, 19.

Filii Regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium. Matth. viii, 12.

Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Is. xxxiii, 14.

Ecce ego cibabo populum istum absynthio, et potum dabo eis aquam fellis. JER. IX, 15.

Si quis adoraverit bestiam et imaginem ejus, et acceperit characterem ejus in fronte sua, aut in manu sua, hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum est mero. APOC. XIV, 9.

Ecce enim dies venit succensa quasi caminus, et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem, stipula, et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercitum, quæ non derelinquet eis radicem et germen. MALACH. II, 1.

QUANTITAS.—Potentes potenter tormenta patientur. Et fortioribus fortior instat cruciatio. SAP. VI, 6 et 10.

Quantum se glorificavit, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. APOC. XVIII, 7.

Reddite illi, sicut et ipse reddidit vobis et duplicate duplicia secundum opera ejus; in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum. Ib. 6.

ÆTERNITAS. — Etenim sagittæ tuæ transeunt; vox tonitrui tui in rota. PS. LXXVI, 19.

Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. MATTH. XXV, 46.

In sempiternum ascendet fumus ejus, a generatione in generationem desolabitur; in sæcula sæculorum nullus erit transiens per eam. IS. XXXIV, 9.

Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur. Ibid. LXVI, 24.

In illa die quærent homines mortem, et non invenient eam; et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis. APOC. IX, 6.

Inebriabo eos, ut sopiantur, et dormiant sommum sempiternum, et non consurgant. JER. LI, 39.

Factus est dolor meus perpetuus, et plaga mea desperabilis renuit curari. JER. C. XV.

Non dabit Deo placationem suam; laborabit in æternum. PSAL. XLVIII.

Luet, quæ fecit, nec tamen consumetur. JOB. C. XX.

Discedite a me, maledicti, in ignem æternum. MATTH. C. XXV.

Dilatavit Infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino. IS. V, 14.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

VERITAS. — Nullus sibi blandiatur, et dicat, quia Deus non in finem irascetur, neque in æternum indignabitur, sed miserationes ejus super omnia opera ejus. Quia cum iratus est, non obliviscetur misereri, nec quia, quidquam eorum, quæ fecit Deus, odivit. Assumens in errorem argumentum, quod ait Dominus per Isaiam Prophetam: Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur in carcerem, et post multos dies visitabuntur. Homo namque peccavit ad tempus, non ergo puniet Deus in æternum. O spes inanis! O falsa præsumptio! Non credat, frustra errore deceptus, quod aliquo pretio sit redimendus, quoniam in inferno nulla est redemptio. Congregabuntur ergo peccatores in lacum, et claudentur in carcerem, scilicet in inferno, in quo sine corporibus usque in diem Judicii torquebuntur, et post multos dies, postquam videlicet resurgent cum corporibus suis in novissimo die, visitabuntur, non ad salutem, sed vindictam, quia post diem judicii gravius punientur. INNOC. *de Contemptu mundi.* c. X.

Dixit hoc infinita Dei Sapientia; et, quæ damnatos punit, est infinita Dei potentia, quod facit miris, sed veris modis. S. AUG. lib. XII, *de Civ. Dei*, c. X.

QUALITAS.— In inferno, etsi erit stimulus pœnitudinis, nulla tamen erit correctio voluntatis, a quibus ita culpabitur iniquitas propria, ut nullatenus ab iis diligi possit vel desiderari justitia. S. AUG. *de fide ad Petrum.*

Illa ultrix flamma concremationem et lumen non habet, quia quo illos gehennæ flamma devorat, a visione veri luminis cæcat, ut foris eos dolor combustionis cruciet; et intus pœna cæcitatis obscuret, quatenus qui Auctori suo corpore et corde deliquerunt, simul corde et corpore puniantur, et utrobique pœnas sentiant, qui, dum hic viverent pravis suis delectationibus ex utroque serviebant. S. GREG. l. X, *Moral.*

Ejicientur in tenebras exteriores, ut illic dentibus strideant, qui hic de edacitate gaudebant; nam fletus de ardore, stridor de frigore excitari solet. Ibi duplex esse ostenditur gehenna, scilicet nimii frigoris et intolerabilis fervoris. Idem, c. VIII, *sup. Matth.*

Ignis gehennæ lucebit miseris ad augmentum, ut videant, unde doleant; et non ad consolationem, ne videant, unde gaudeant. Isid. l. I *de Summ. bono.*

Affligetur relictus in tabernaculo suo. Iniqui tabernaculum caro est, quia ipsam lætus inhabitat, et, si sit possibile, optat, ut eam numquam relinquat. Quam videlicet carnem cum in resurrectione receperit, cum ea gehennæ igni traditus ardebit; tunc ab ea educi appetit, tunc ejus tormenta evadere, si valeat, quærit, tunc incipit velle vitare, quod amavit. Sed quia eamdem carnem Deo præposuit, judicante Deo agitur, ut ex ea amplius in igne crucietur. Hic itaque eam relinquere non vult, et tamen ab ea abstrahitur; illic eam relinquere appetit, et tamen in ea propter supplicia servatur. Ad augmentum itaque tormenti et hic corpore nolens educitur, et illic in corpore tenetur invitus; et propterea de talibus dicitur: Affligetur relictus in tabernaculo suo. S. Greg. l. XV *Mor.* c. viii.

Infernus lacus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus dolore innumerabili; ibi miseria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali. Hugo, l. IV, *de Anima.*

Gehennam meruimus; ibi nullus unquam cibus est, nulla consolatio, nullus terminus; ibi guttam aquæ dives postulat, et accipere non meretur. S. Bern. serm. iv *Quadr.*

Gehennæ ignis cum sit incorporeus et in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel, durat inextinguibilis, et succensione non indiget et ardore non caret. S. Greg. IX, *Moral.*

In inferno erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium, horrida visa Dæmonum, confusio peccatorum, desperatio omnium bonorum. Erit enim miseris mors sine morte, defectus sine defectu, quia mors semper ibi incipit et deficere nescit. Idem, c. viii, *sup. Matth.*

Pœna sensus. — Time gehennam, contremisce a dentibus bestiæ infernalis, a ventre inferni, a rugientibus præparatis ad escam. Time vermem rodentem, fumum et vaporem, et sulphur, et spiritum procellarum. Time tenebras exteriores, et dicito: Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletus, et stridores dentium? S. Bern. s. iii, *sup. Salve Regina.*

Sciendum est, quod reprobi, quia et anima simul et carne peccaverunt, illic in carne patiuntur, et in anima cruciantur. Unde bene per Psalmistam dicitur: « Pones eos ut clibanum ignis, in tempore vultus tui, Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos *ignis*; nam clibanus intrinsecus ardet, is vero qui devoratur ab igne, ab exteriori parte incipit concremari; ut ergo sacra eloquia reprobos ardere interius et exterius demonstrarent, eos ab igne devorari, et ut clibanum poni, testantur, ut per ignem devorentur in corpore, et per dolorem ardeant in mente. Bellovac. *Spect. Mor.* p. III, l. II. dist. i.

Si ante oculos cordis nostri positus sit homo, exempli causa, qui tam in ipsis oculorum suorum pupillis, quam etiam in singulis membris ferrum ignitum et candens infixum habeat, ut nec medullæ, nec intestina, nec omnino quidquam in toto ipso cruciatu immanitate careat, vel eam levius, quam in oculis aliquatenus sentiat, quid dicam? angustiatur; quis hunc sanæ mentis æstimet inter ista? Si tanta erit acerbitas in uno tormento, quid ergo in tanta diversitate et pluralitate tormentorum, quæ simul concurrent in uno damnato? Ibidem.

Dum recognosco Job sedentem in sterquilinio, Joannem esurientem in eremo, Petrum pendentem in patibulo, Jacobum decollatum Herodis gladio, cogito, qualiter Deus in futurum cruciabit, quos reprobat, qui ita dure affligit, quos amat. Si cum intimis amicis sic agitur tempore gratiæ, quid hostibus fiet tempore vindictæ et justitiæ? S. Greg. *apud Mansi*, disc. xxvi, n. 8.

Quantitas. — Licet gehenna una sit, non tamen cunctos una, eademque qualitate succendit; quia, quod hic dispar agit valetudo corporum, hoc illic exibet dispar causa meritorum. Idem, l. IX *Moral.*

Si peccator sum, numquid eadem mihi erit pœna, si semel peccavi, quæ, et si secundo, et tertio, et si frequentius peccemus? Non ita erit, sed pro modo, et numero, et mensura peccati, etiam pœnæ quantitas metienda est. Deus enim dabit nobis panem lacrymarum, et potabit nos lacrymis, sed in mensura; mensura autem hæc erit, quam

sibi quisque vel minus, vel amplius peccando quæsierit. Orig. hom. VIII, *in l. Num.*

Colligite primum zizania, ait. Fasciculos ad comburendum ligare, est eos, qui æterno igni tradendi sunt, pares paribus sociare, ut, quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat. S. Greg. *in* c. XIII, *Matth.*

Æternitas. — Quisquis ad toleranda inferni mala descendit, nequaquam ulterius ad lucem redibit; quia nequaquam ultra misericordia parcentis liberat, quos semel in locis pœnalibus justitia judicantis damnat. Idem, l. IX *Moral.*

Ad districti Judicis justitiam pertinet, ut numquam careat supplicio, qui numquam in hac vita voluit carere peccato; et nullus detur iniquo terminus ultionis, quia, quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis. Idem.

Ob hoc inflexibilis et obstinatæ mentis malum punitur æternaliter, licet temporaliter perpetratum, quia quod breve fuit tempore, vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate; ita ut si numquam moreretur, numquam velle peccare desineret; imò semper vivere vellet, ut semper peccare posset. S. Bern. *in ep.* CCLII.

Elapsis decem millibus annorum, adjicientur centum millia, post hæc centum millia, tot jungentur myriades et milliones, quot in firmamento sunt stellæ, et in littore maris arenæ. Post quæ longissima annorum spatia quasi nihil de pœnis nostris accisum esset, sic iterum ab initio pati tormenta incipiemus, atque ita sine interruptione, sine fine, sine modo, volvetur assidue nostrorum tormentorum rota. Dio. Car. *in Specula amat. mundi.*

Expiatura illic erit inextinguibilis concrematio, quidquid hic non studuerit sanare correctio. Ardens inferni puteus aperietur; descensus erit, reditus non erit; de hoc puteo Propheta commemorat: « Neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. » Ideo autem dixit, « neque urgeat super me os suum, » quia cum susceperit reos, claudetur sursum, et aperietur deorsum, dilatabitur in profundum, nullum spiramen, nullus liber anhelitus, claustris desuper urgentibus, relinquetur. Detrudentur illic valedicentes rerum naturæ, ultra nescientur a Deo, qui Deum scire noluerunt. S. Euseb. Emiss. hom. III *de Ep.*

Qui in hac vita fructuosam non fecerit pœnitentiam, habebit quidem in alio sæculo pœnitentiam de malis suis, sed indulgentiam in conspectu Dei non inveniet; quia etsi ibi erit funiculus pœnitudinis, nulla ibi erit correctio voluntatis; a talibus enim ita culpabitur iniquitas sua, ut nullatenus possit ab eis diligi, vel desiderari justitia. Sicut illi, qui cum Christo regnabunt, nullas in se malæ voluntatis reliquias habebunt; ita illi, qui erunt in supplicio ignis cum Diabolo et angelis ejus deputati, sicut nullam habent requiem, sic bonam nullatenus poterunt habere voluntatem. S. Aug. l. *de fide ad Petr.* c. XXVI.

Ibi (nempe in inferno) nec qui torquet, aliquando fatigatur, nec qui torquetur, aliquando moritur; sic enim ignis ibi consumit, ut semper reservet; sic tormenta aguntur, ut semper renoventur. S. Bern. *Medit.* c. XXX.

Isaias Propheta de reprobis, et supplicio mancipatis longe ante prædixit. *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* Quid enim horribilius dici, quid cogitari potest, quam damnationis vulnera suscipere, et dolores vulnerum numquam finire? In hujus vitæ tormentis timorem dolor non habet, quia nequaquam mentem metus cruciat, cum pati jam cœperit, quod metuebat. Inferni ignibus reprobi traditi et in suppliciis dolorem sentiunt, et in doloribus angustia pulsante, semper pavore feriuntur, ut, quod timent, tolerent, et rursum, quod tolerant, sine cessatione pertimescant. Hic metus amittitur, cum tolerari jam cœperit, quod timebatur; illic et dolor dilaniat, et pavor angustat. Raban l. IX, c. I *in Eccles.*

Non cessabit exactor in culpa, ideo non cessabit tributum in pœna. Quamdiu durabit vestis, durabit tinea. Quamdiu erit cadaver, erunt, vermes. Quamdiu erit anima, erit ignis, cujus ipsa est materia. Hug. Card. in c. XVIII. *Luc.*

Flammis ultricibus traditus semper moritur, quia semper in morte servatur; non enim in morte consumitur, quia si consumeretur vita morientis, cum vita etiam pœna finiretur, sed ut sine fine crucietur, vivere sine fine in pœna compellitur, ut, cujus vita hic mortua fuit in culpa, illic ejus mors vivat in pœna. Dicat ergo: « Luat, quæ fecit anima, nec tamen consumetur, » (Job. XX, 12), quia cruciatur et non extinguitur, moritur et vi-

vit, deficit et subsistit, finitur semper et sine fine est. Hæc solo auditu valde sunt terribilia, quanto magis passione? S. Greg. l. XVII, *Mor.* c. XI.

In eadem pœna nec acerbitas æternitatem, nec æternitas tollit acerbitatem; unde Psalmista: « Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos; » scilicet mors æterna. Sicut enim animalia depascunt herbas, quia penitus non eradicant eas, sed remanent radices, unde iterum crescit herba; sic miseri in inferno corrodentur a morte, sed afflicti iterum reservabuntur ad pœnas. S. Bernardinus, tom. II, s. XI, a. 3, c. III.

Plerique solam immensitatem divinæ misericordiæ considerantes, magnitudinem divinæ justitiæ non attendunt, cum nec minor, nec minus æterna sit Dei justitia, quam ejus misericordia; nec minor, nec minus æternus debet esse ipsius effectus misericordiæ in salvandos et beatificandos. Idem, l. c. a. 3, c. IV.

Debent damnati æternaliter cruciari ratione utilitatis; nobilissimus enim fructus, et utilitas magna est divinarum Scripturarum, æternas pœnas comminantium transgressoribus suæ legis; ex hoc enim fortius, cautius, sollicitius nos cohibemus a malis, et ejus judicia amplius metuimus, et humilius, et timoratius reveremur, atque ejus præceptis obedientius et reverentius et subjectius cohæremus. Ib. c. III.

Duo sunt in pœna, duratio et intensio. Intensio respondet intensioni libidinis, quæ finita est. Duratio vero respondet durationi peccati, et in hac vita, quoad voluntatem, et in alia quoad obstinationem; quia in inferno in ea voluntate, qua discedit, in ea remanet; peccatum enim licet sit finitum, tamen durat in infinitum, ideo punitur pœna infinita duratione, acerbitate tamen finita. Idem, tit. IV, s. XVIII *extraordin.*

In inferno nulla est redemptio, quoniam qui illic damnatus et demersus fuerit, ulterius non exibit. S. Aug. in serm. *ad Eremitas.*

Æquitas. — Quid autem dicam pressuras hujus temporis, cum non minus ipsa quoque gehennæ comminatio, quam promissio Regni, ineffabilem ipsius clementiam commendet? Nisi enim ille gehennam minatus esset, non facile quisquam cœlestibus bonis potiretur, neque enim sufficit sola gaudiorum promissio, ad excitandos ad virtutem animos, nisi etiam eos pœnarum timor impellat, qui negligentius ad eam affecti sunt. S. Chrys. l. *de Prov. Dei.*

Nisi fuisset intentata gehenna, in eam omnes cecidissemus; nisi prænuntiatus ignis fuisset, ignem fugisset nemo; si nunc enim timore animas nostras concutiente, sunt aliqui tam facile peccantes, tanquam nec ipsa sit; si nihil horum dictum fuisset, aut intentatum, quid mali non fecissemus? Ib. hom. L.

Gravitas pœnæ damni. — Intolerabilis quidem res est gehenna, quis nesciat? et supplicium illud horribile, tamen, si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale quid dicturus est, quale est ablatæ illius gloriæ honore repelli, exosumque esse Christo, et audire ab illo: Non novi vos. Idem, hom. XXIV *in* c. VII *Matth.*

Multi inferni ignem timent, sed ego maxime amaram dico amissionem gloriæ; nam qui non novimus magnitudinem cœlestis boni, non possumus intelligere, quantum sit malum illo privari. Idem, hom. XLVII *ad Popul.*

Si pœna sola esset, quanta in inferno minima cogitari potest, perire a Regno Dei, exulare a civitate Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei, quam abscondit timentibus se, perfecit autem sperantibus in se, tam grandis est pœna, ut ei nulla possint tormenta, quæ novimus, comparari, si illa sit æterna, ipsa autem sint quamlibet multis sæculis longa finienda. S. Aug. *Enchir.* c. CXII.

Qui dulcedinem sapientiæ et veritatis utcumque sentire cœperunt, noverunt, quod dico, quanta pœna est, tantummodo a facie Dei separari. Qui autem illam dulcedinem non gustaverunt, si nondum desiderant, Dei faciem timeant, vel ignem, supplicia terreant, quem præmia non invitant. Vile tibi est, quod Deus pollicetur? Contremisce, quod minatur. S. Aug. *in Ps.* IV.

Summa profecto miseria est, cum illo non esse, sine quo non potest bene esse, illa simul miseriæ et tenebrarum terra est, quia quisquis ad ejus mala toleranda descenderit, ad divinæ claritatis aspectum ulterius nullo modo redibit. Bellov. l. c. dist. III.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Quid aliud ignis ille devorabit, nisi peccata tua? Quanto amplius tibi nunc parcis, et carnem sequeris; tanto durius postea lues, et majorem comburendi materiam reservas. L. I, c. XXIV, § 3.

In quibus homo peccavit, in illis gravius punietur. Nullum vitium erit, quod suum proprium cruciatum non habebit. Ib. § 4.

Ibi acediosi ardentibus stimulis pugentur, et gulosi ingenti siti ac fame cruciabuntur. Ibi luxuriosi et voluptatum amatores, ardenti pice et fœtido sulphure perfunduntur. Et sicut furiosi canes præ dolore invidiosi ululabunt. Ibi superbi omni confusione replebuntur, et avari miserrima egestate arctabuntur. Ibid.

Ibi erit una hora gravior in pœna, quam hic centum anni in amarissima pœnitentia. Ibi nulla requies est, nulla consolatio damnatis. Ibid.

Disce nunc in modico pati, ut tunc a gravioribus valeas liberari. Hic primo proba, quid possis postea. Si tunc tam parum vales sustinere, quomodo æterna tormenta poteris sufferre ac sustinere? Si modo modica passio tam impatientem efficit, quid gehenna tunc faciet? Ib. § 6.

Bonum est, ut, si necdum amor a malo te revocat, saltem timor gehennalis coerceat. Ib. § 7.

Si futuras inferni pœnas cordialiter perpenderes, credo, quod libenter laborem et dolorem sustineres, et nihil rigoris formidares. Lib. I, c. II, § 5.

Ut æterna futura supplicia possis evadere, mala præsentia studeas pro Deo æquanimiter tolerare. Lib. III, c. XII, § 2.

EXEMPLA SACRA ET CATHOLICA EXTERNA.

Qualitas. — Gulielmus Parisiensis spiritualem quamdam, quæ suggestionibus inimici opponere debeamus, praxim exhibet in verba sequentia : In illo igne sempiterni ardoris, ardores concupiscentiarum extinguo. In omni æstu tentationum mearum, fornacem illam infernalem refrigerium mihi facio ; et quod est mirabilius, ad illam fugio. Quantum ab illa fugio, tanto ipsa est mihi fortius refugium, atque securius. Quanto enim magis illam timeo, tanto ab illa magis securus sum. Mansi, disc. IV, n. 7.

Narrat Innocentius Tertius qualiter defunctus quidam scholaris, disponente Deo, nocte quadam suo apparens magistro, se in æternæ damnationis barathrum præcipitatum esse dixerit ; nec interitum discipuli obstupuit præceptor, utpote cujus pessimam vitam, simili terminandam exitu, probe noverat. Cum autem inter argumentantes facile primus fuisset, dum viveret, eum interrogavit, utrum etiam in inferno disputationes locum haberent ; cui miser : Apud inferos solum quæritur, quid non sit pœna ; cumque, qua ratione quæstio hæc resolveretur, interrogasset, respondit discipulus : Pro parte negativa ; per hoc insinuare volens, nihil adeo in inferno exile esse, quod dolore et excessivo careat tormento. Ideoque omnes merito damnati ingemiscere possunt, perpetuo dicentes : Circumdederunt nos mala, quorum non est numerus. Supra eos Paradisus est, sed æternum ipsis occlusus ; sub iis abyssus est, sed nunquam aperienda, ne fugæ pateat locus ; ante se æternitatem videbunt omnium tormentorum perpetuo tolerandorum ; a tergore illos amarissima cruciabit indelebiliter præteritarum voluptatum memoria, ad dextram Dæmones experientur carnifices, furibundos, indefessos, et malignos tortores ; ad sinistram innumerabiles habebunt culparum comites, qui pœnas augebunt ; intus nunquam moriturus ream conscientiam mordebit vermis, et desperatissima desperatio. Hinc B. Laurentius Justinianus, postquam damni pœnam in inferno fusius considerasset, subjungit dicens : Illis autem addicta est societas Dæmonum, horrendus ipsorum aspectus, ardor inextinguibilis ignis, stridor dentium, palpabiles tenebræ, interiores lacrymæ, improperiorum vociferatio, intolerabilis sitis, sulphureus fœtor, conscientiæ vermis, carcer abyssi, evadendi desperatio, interminabilis divinæ visionis carentia.

S. Bernardinus de se ipso fatetur : Contremisco a dentibus bestiæ infernalis, a ventre inferi, a rugientibus præparatis ad escam, horreo vermem rodentem, et ignem torrentem, fumum et vaporem, et sulphur, et spiritum procellarum. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletum, et stridorem dentium, et manuum pedumque dura vincula, et pondus catenarum frementium, stringentium, urentium, nec consumentium? S. Bernardinus, s. XVI *in Cantic.*

S. Antoninus narrat, quod quidam Parisiis studens, dum in mortem incideret, cum lacrymarum abundantia confessus, et Sacramentis munitus fuerit, sicque discedens, opinione omnium ad salutem pertigisse credebatur. Quidam vero Doctor, qui ejus fue-

rat magister, eumque sæpius inviserat, a vivente petierat instanter, ut si Deo ita placeret, ei statum suum post mortem manifestaret. Elapso itaque aliquo tempore, nocte quadam ei apparuit vestem indutus ex pergameno, plenam sophismatibus, igneque contextam; quem ubi recognosceret præceptor, quis ejus status esset, interrogavit; cui hic se damnatum esse asseruit. Tunc ille obstupescens, causam requisivit interitus, cui respondit damnatus: Pœnitentia mea, intellige extra Sacramentum, et lacrymæ non fuerunt ex amore Dei, et principaliter propter Deum offensum, sed propter timorem inferni, ne ad illum deportarer, et ideo mihi non valuit. Præceptori autem mysterium dictæ vestis interroganti respondit damnatus: Eam sibi in superbiæ et vanæ gloriæ, quam in argumentando et disputando habuit, obtigisse supplicium, eamque longe sibi ponderosiorem esse, quam si vastissimam portaret turrim. Ignis autem vestimenti in pœnam ei datus erat vanitatis, quam in vestitu quæsierat vivens; foderatura ignis sibi erat pompa vestium. Cumque Doctor tantarum pœnarum accerbitatis peteret indicium; tunc miser: Aperi, inquit, tu manum tuam, et super eam imponam unam guttam sudoris ex fronte mea egredientis. Quod cum ille fecisset, et guttam parvam sudoris immisisset, persensit ille pœnam intolerabilem, ad mortem usque inducentem: Sic ardeo! exclamans, disparuit. S. Anton. p. IV, tit. XIV, c. V.

Dæmon aliquando, ut narrat Severus Sulpitius, speciosam indutus formam, in capite coronam, in corpore deferens purpuram, Sancto apparuit Martino, eique dixit: Vide nunc, quo me honore prosequi debeas. Ego enim sum Christus. Moxque Sanctus fraudulenti serpentis fraudem cognoscens, respondit: Dominus meus non se in hac forma appariturum promisit, sed sanguineum, spinis coronatum, inque cruce pendentem, se videndum exhibet; et ideo Regem hunc peregrinum non agnosco. Quibus dictis, Dæmon disparuit, talemque post se reliquit fœtorem, ut S. Martinus se in inferno positum esse putaret, diceretque apud se: Si vel Diabolorum unus sic fœtet, quis tam Diabolorum, quam damnatorum fœtor erit? Nec mirum, quia, ut S. Chrysologus veraciter testatur: Dæmones pascuntur cadaveribus, putredine saginantur, deliciantur fœtore. Severus Sulpit. *in vita S. Martini.*

In *Prato florido* refertur, quod S. Dominicus spiritus infernales, qui certum quemdam dæmoniacum possidebant, interrogarit, quinam inter Christianos potissimum damnarentur; moxque dæmoniacus e naribus edere inceperit sanguinem immundum et crassum; ex auribus vero lutum deforme, venenosum edens fœtorem; e faucibus denique spumam evomuerit horribilem, et supra modum fœtentem. Tuncque sanctus vir Dei malignis spiritibus, ne inde decederent, præceperit, nisi prius ad propositam quæstionem responderent. Quapropter magnam ostendentes renitentiam, tandem ululando responderint: Nos ingentem possidemus Prælatorum Ecclesiæ, et Principum multitudinem, rusticorum vero aliorumque opificum paucos habemus; quia tametsi hi quoque ad perfectionem non contendant, tot tamen tamque gravium malorum rei non sunt, sicut hujus sæculi viri potentes. Verum quidem est, quod agricolæ pessimum de se spirent odorem propter continuos sudores, quibus laborando perfunduntur, verumtamen, quia ut plurimum vitam innocentia Christiana conspicuam agunt, in naribus divinis bono odore fragrant; putredo autem, quæ cloacam infernalem graveolentem efficit, sola est illa, quæ ex peccato oritur, quo magis abundant illi, qui inter divitias et sæculi hujus delicias vitam agunt. *Pr. florid.* p. II, l. III, c. XXIV.

Mendoza in sermone quodam refert. Deum cuidam servo suo die quadam pœnas monstrasse infernales, quas dum ille considerare, miser quidam reprobus in easdem perductus fuit, ad quem omnes Dæmones magno cum gaudio accurrentes, compedibus pedes ejus strinxerunt, ejus insuper collari ferreo collum, manicis vero item ferreis manus onerantes, quem postea in lectum igneum procumbere fecerunt, et quasi illum ex itinere defatigatum refocillare volentes, calicem ei propinarunt ardentibus carbonibus refertum, eumque pariter ad cantandum invitarunt, utpote qui vivens tantopere cantionibus lascivis delectatus fuisset; quibus cum miser responderet: Eheu! quomodo hic cantabo, cum fauces meæ ex ignitis carbonibus succensæ ardeant? Nequaquam, responderunt Dæmones, sed cantare oportet, prout potes. Quin potius, respondit infelix reprobus, plangam et ululabo. Et hoc nobis sufficit, responderunt diabolici carnifices. Quapropter in hunc modum suum

exorsus est lamentum : Maledicta sit dies illa, in qua natus sum ; maledicti sint mater, quæ me peperit, et pater, qui me generavit; maledictæ sint deliciæ, in quibus hactenus vixi ; maledicti amici, qui me seduxerunt. Cui unus illorum respondit : Et hos tibi ex latere vicinos habes. Progressus est infelix ille ulterius dicendo : Maledicta sint peccata, quæ patravi. Sed ad quid tibi hoc lamentum servit ? dixit alter. Maledictus, subjunxit reprobus, sit Creator, qui me creavit ; Redemptor, qui me redemit ; Judex, qui me condemnavit. Et quantum existimatis Dæmonum esse gaudium, ejuscemodi blasphemias audientium? Ad has damnatos incessanter instigant, ut acerbissimorum suppliciorum divinæ justitiæ contra illos adaugeatur congeries, crescatque odium adversus Deum, illos hoc modo torquentem. MENDOZA, s. v, *Dom. Quadrag.* n. 24.

Usurarius quidam duos habebat filios, quorum unus cum patre in sæculo permansit, alter vero Religionem ingressus in eadem permansit ; paulo post vero mortuus est pater, cui successit filius, qui in sæculo permanserat, qui tamen nec ipse diu post patrem in vita superstes mansit. Filius autem Religiosus cupidus sciendi statum patris, necnon et fratris in altera vita, Deum, ut hanc ei gratiam concederet, ardenter rogavit, quam et obtinuit; nam, ut præfatus S. Bernardinus ait, raptus ad infernum neminem videbat, et cum diligenter inspiceret, egrediebantur de uno puteo inflammati, et ligati, et sibi invicem maledicentes. Pater dicebat filio : Maledictus tu sis filius, quia fui usurarius propter te, hanc pœnam intravi. Filius vero dicebat patri : Maledictus tu sis pater, quia si tu usurarius non fuisses, et injuste non exegisses, ego injuste non possiderem, et hanc pœnam non sustinerem. S. BERNARDINUS, t. IV, s. XVIII, *extraord.*

De mercatore quodam legitur, quod, cum morti proximus sana adhuc mente vigeret, in præsentia testium sequens condiderit testamentum dicendo : Relinquo corpus meum terræ, animam vero Diabolo consigno, quia hæc propter injustitias meas ad ipsum pertinet. Huic insuper consigno animas uxoris et filiarum mearum, quæ, dum superbis indui voluerunt vestimentis, me coegerunt, ut ad illa requisitas per fas et nefas congregarem pecunias. Commendo quoque eidem Diabolo animam confessoris mei, qui mihi absolutionem impertitus est a peccatis meis, nec tamen me unquam ob illa reprehendit, aut ad restitutionem inique partorum adstrinxit. COSTERUS, *in Dom. 24. post. Pent.*

Inter alias S. Brigittæ revelationes legitur, sanctam hanc viduam vidisse quamdam damnatæ animæ horribilem speciem, quæ instar umbræ cujusdam e caliginoso quodam lacu egrediebatur sine corde, detruncatis labiis, semidevoratis naribus, oculos habentem in genas usque pendulos, pectusque a vermibus jugiter corrosum ; hæc anima admodum lamentabatur de filia, quam in sæculo reliquerat, quamque pessimis exemplis, dum in hac mortali vita degeret, imbuerat, mœstaque voce gemens dicebat : Heu, heu ! filia, non filia, sed lacerta, veneno fœtidissima ! Miseram me, quæ te genui ! Miseram, quæ te exemplo meo peccare docui ! Quoties enim pessimos meos imitata mores etiamnum peccas, toties hæc inferni, quæ propter te patior, tormenta novis auctibus recrudescunt. *Revel.* l. VI, c. LII.

B. Furseum Hybernum, Peronensium in Picardia Divum Tutelarem, inferni cruciatus, quos semel in mentis raptu viderat, tam acriter deinceps afficiebant, ut plena hyeme, simplici quamvis veste tectus, eorum recordatione statim guttatim toto corpore sudaret. V. BEDA, l. III, *Hist. Ang.* c. XIX.

Anno Domini 1090, defunctus quidam sodali apparens narravit, se ad inferni pœnas damnatum esse, eo quod de animæ immortalitate dubitans, plenas vitiis habenas laxasset. Ut autem suppliciorum, quæ tolerabat, acerbitatem illi explicaret, manu frontis sudorem abstersit, et guttam unicam in alterius carnem immisit ; quæ ipso temporis instanti tanta vi illam penetravit, ut ingenti cum cruciatu foramen nucis avellanæ recondendæ capax fecerit ; hæc illi subinde dixit : Sit hoc vivum tibi, et perenne infelicitatis meæ monumentum, et ad meliorem frugem stimulus. Et si tibi consulis, ad sanctum religiosæ vitæ asylum a S. Melanio melotem accepturus confugies. VINCENT. *Spec. Hist.* l. XXV, c. XXXIX.

Inferni pœnas ostensura mater filio Religioso, tam horrendum porcorum grunnitum fecit eum audire, ut nullum ei tormentum comparari posset, videreturque juveni cœlum scindi, et super caput cadere ; quo audito maluit rigorem Ordinis, quem deserere voluerat, sustinere, quam eumdem deserendo in tanti mali periculum se præcipitare. *Spec. Ex. v. Apostata*, ex. XXVII.

Religiosus quidam ad extrema deductus cum duos Dæmones ad infernum rapere ipsum volentes vidisset, tantum ex hoc aspectu horrorem concepit, ut diceret, si esset ignis ex ære et sulphure mixtus, qui ad finem mundi duraret, se libentius per illum transiturum, quam adhuc semel Dæmones aspecturum. *Ib. v. Facies. Dæm.*

S. Gregorius narrat præparatum vidisse scelerato cuipiam rogum, cujus cacumen a terra usque ad cœlum porrigi videbatur. S. Greg. l. IV, *Dial.* c. xxxii.

Cum quidam nobilis, Waltherus nomine, in villa Endenius prope Bonnam decumberet, Diabolum secus lecticam caprinis cornibus, et simiæ facie stantem conspexit; ex quo cum percontaretur, quantus infernalis ignis esset? respondit ille : Nostis arces illas in vicino septimontio dictas Wolckenberg et Brackenfeld? Quo annuente, subdidit Dæmon : Etsi arces hæ et montes ferrei essent, projecti tamen in infernum momento citius liquefierent. Cæsar. l. XII, c. v.

Memoratu dignum est, quod in Mexicana provincia contigit, anno Domini 1596. Erat in oppido quodam medicus indigena, tanta morbi pressus gravitate, ut die quadam sensibus omnibus destitutus, pro mortuo haberetur, jacuit exanimi similis horas multas. Ad eum vocatus noster Sacerdos, qui loca illa peragrabat, ægrotos levandi causa, cum explorato venarum pulsu, nullum in eo vitæ residuum sensisset, ratus illum esse mortuum, quando nihil aliud supererat, funebrem illi ex forma Ecclesiæ psalmodiam, cæremoniamque persolvit, ut cum maturum esset, terræ mandaretur. Interim alios ejusdem oppidi ægrotos adit; cum ecce ibi post duas horas, exanimis ille ægrotus, quasi somno experrectus, Sacerdotem, cui peccata confiteatur, accersi postulat. Advenit Pater admirationis plenus, ægroti excipit confessionem; qua peracta, rogat Sacerdotem ægrotus, ut quæ in eo mentis excessu viderit, audire ne gravaretur. Narravit se in latam quamdam viam et spatiosam esse deductum, per quam innumerabiles homines iter facerent; hanc autem quo longius tenderet, eo magis in arctum coarctari, donec in vastum quemdam hiatum immensamque voraginem desineret, quo cum descendisset, in eas angustias devenisse, unde se non posset expedire, omni tum progrediendi, tum regrediendi adempta potestate. Conjectis inde oculis in objecta præcipitia vastam quasi calcariam fornacem vidisse ingenti igne succensam inde has voces accepisse se : Nunc scelerati ebrietatis, turpitudinis et rapinarum pœnas luetis; nunc illatas pauperibus injurias ulciscemur. Harum vocum terrore percussum sese a viro admiranda specie in manu apprehensum, ex angustiis illis impeditisque ac confragosis salebris ereptum, in summum montis jugum, indeque aspera et lapidosa semita in latissimam amœnissimamque planitiem, perpetua viriditate, gratissimaque florum specie vernantem esse deductum; inde in locum clariore lumine lucentem devenisse, ibi portam majore adhuc splendore fulgentem intrare conatum a duce suo retentum esse, monitumque iterum rediret in vitam animique sordes confessione perpurgaret, tunc ipsi intra eam portam ingressum expeditum fore: Admone igitur, subjecit illi, venificam illam popularem turbam horum suppliciorum, quæ vidisti, mortem properam illi imminere, æternaque supplicia fornacis, quam spectasti, nisi animum malæ actæ vitæ pœnitudo subeat. Quæ cum narrasset, omnium Sacramentorum præsidio munitus, triginta tantum vixit horas. *Ex. annal. Soc. Jesu. an.* 1596. *sub. coll. Mexicana, ad ædes P. Greg.*

Circa annum Domini 1557, contigit ut Anabaptista quidam, nomine Adrianus, matrem suam adhuc Catholicam conaretur in suam sectam pellicere. Accidit autem Anabaptistam illum in carceres conjici, ultimoque supplicio adjudicari, ad quod cum jam deducendus esset, accessit ad eum mater rogans, ut post obitum sibi appareret, seque de statu suo certiorem redderet, quem si felicem cognosceret, se in eamdem doctrinam concessuram. Filius supplicio affectus paulo post matri apparuit in forma teterrimi, nigerrimique canis, aiens se esse filium suum ac perpetuo damnatum. Tilmannus, l. VII, *Coll. Sac.* c. xlvi.

Theodoricum, Italiæ Regem, ne in interitum rueret æternum, sua tenere vis, suusque non valuit potentatus. Quem solitarius quidam in Lipara Siciliæ insula Deo serviens, in foveam illam, quæ flammas eructat, vinctum dejici vidit a Joanne Papa Symachoque Patritio, quos ille Catholicam tuentes fidem non multo ante occiderat. Merito ab ipsis præcipitari visus est, quos ipse præcipitatos in mortis ignominiam putavit, dum martyrio coronarentur; deprehensum quoque est, eodem die ipsum interiisse, quo

talia de illo solitarius viderat. S. Greg. Magn. l. IV *Dialog.* c. xxx.

Quantitas. — Quidam in spiritu hominis cujusdam mundani et carnalis animam tali modo cruciatam vidit. Primo conspexit Dæmones animam illius rapere, et ad Principem tenebrarum adducere, qui in ignea sella prædam suam expectabat, cui jam præsentata dicebat : Volo, te magnifico hoc sedili honorare, postquam in magno honore apud homines fuisti, et semper gloriam ambivisti. Quæ mox funestum hunc honorem lamentabili voce deflevit. Tum alii Dæmones aderant offerentes ei poculum amarissimo et fœtidissimo potu plenum, et cogebant eam bibere dicentes : Ita decet ; fuisti enim amicus nobilissimorum vinorum; proba nunc vinum illud, quod nos bibimus in hac regione. Hos secuti alii duo, qui duas tubas igne plenas inflabant in aures, vociferantes: Hunc concentum tibi præparamus, sciebamus enim te, cum viveres, harmoniarum amatorem. Post hos alii duo in pectus illius viperas injiciebant dicentes: Quia fuisti appetitor amplexuum et osculorum impudicorum, his nunc voluptatibus te oblecta; his fruere istarum loco, quas in mundo habuisti. Ludov. Gran. l. I, *Memor.* c. I.

Innocentius refert, olim discipulum quemdam suo magistro apparuisse, et cum hic quæreret, an etiam apud inferos quæstiones moverentur, respondisse : Apud inferos quæritur solummodo quid non sit pœna. Innoc. *de Contempt. mundi*, l. III, c. vii.

In Japonia cum Dæmon in obsesso adjuratus, jussus fuisset specimen infernalium tormentorum exhibere, respondit : Damnatos maxime a frigore et igne pati. Dumque ita loqueretur, repente obsessus factus est totus candens, quasi carbo ignitus, et cœpit toto corpore fumare ac sudare. Paulo post cœpit dentibus stridere, toto corpore tremere et rigere, quasi in media glacie diu perstitisset. Faber, conc. II, *in Dom.* 10. *post Pent.*

Veritas. — Princeps quidam pessimam vitam ducens, cum sæpius ab uxore moneretur, ut confessionem faceret, semper ex timore pœnitentiæ injungendæ id recusavit. Cum vero objiceret uxor, graviores esse pœnas inferni, quas sustinere olim deberet ; iterum respondit ille, frustra infernum timeri, ut qui Sacerdotum duntaxat sit inventum. Paulo post duo Dæmones eum ex lecto cum abripuissent, uxorque petiisset a Deo ut statum mariti revelare dignaretur, mane surgens, cadaver totum denigratum, atque in manu hanc schedam habens reperit : Jam certificatus sum, quia infernus est, et timor quem habui ad pœnitentiam agendam, me illuc deportavit. *Spec. Ex.* v. *Confess.* ex. xxvii.

In *Prato florido* impius quidam die quodam ad tabernam accessisse scribitur, seque circulo immiscuisse plurium aliorum, quorum unusquisque, quidquid occurreret, eructabat ; quos inter unus memorare cœpit, qualiter Parochus ejus in sermone quodam mirabilia prædicasset de altera vita, et qualiter animæ nostræ Deo præsentandæ sint, ut rationem reddant de omnibus perpetratis malis. Quibus auditis ille novus advena præ reliquis temerarius et impudens, ait : Ne nugis credatis Sacerdotum illorum, quia mille vendunt mendacia, ut populum suis attrahant novitatibus. Quibus dictis, omnes in effusum soluti sunt risum ; quorum ille applausum aucupatus docere cœpit, nec Dæmonia, nec infernum, nec animarum esse immortalitatem. Inter hæc supervenit Diabolus formam humanam indutus, staturæ sublimis, qui cum iis assidens, novum jussit portari vinum, et circumstantes ad bibendum invitans, quid rerum loqueretur, interrogavit ? Cui sacrilegus iste : Ego sodalibus meis recensebam, qualiter Sacerdotes nostri millenas de animabus, Dæmoniis, inferno, aliisque similibus inventionibus venditant novitates. Sane, quod me concernit, hanc si quis animam meam comparare vellet, pro amphora vini eam venderem, quin et hanc ipsam cum sociis meis ebiberem. Tunc omnibus aliis in risum effusis, subjunxit Dæmon : Ego hujusmodi quæro venditores, inque hujusmodi mercaturæ genere delector. Mox itaque inter eos iniquus factus est contractus, et juxta infelicis illius hominis dispositionem, omnes iterum bibere cœperunt; postque aliquantuli temporis inducias circumstantes interrogavit Dæmon, an non justum foret, ut, qui comparavit equum, capistrum quoque jure sibi vindicet, quo ligatur equus ? Quibus omnibus affirmative respondentibus subjunxit ille : Tempus est, ut singuli singulas repetant ædes. Tunc miser ille risum in tremorem convertens, sibi dici audiit a Diabolo : Veni mecum, amice mi, et disce, utrum anima, infernus, et alia sit

vita. Moxque eum rapuit per aera, nec amplius comparuit. *Prat. flor.* p. I, l. IV, c. XXIX.

Utilitas considerati Inferni.

S. Joannes Damascenus in historia de S. Josaphat, de sancto hoc juvene refert, quod, cum ex incantationibus Teudæ Magi concitatus in procinctu esset, ut uni puellarum coram se congregatarum in prædam cederet, eique sub specie et colore eamdem ad fidem convertendi desponsaret, subito in extasim raptus, ad pœnas infernales contemplandas, ab Angelo ductus fuerit, mox ab extasi sibi restitutus, omnem in se ignem sensualem extinctum esse compertus fuerit; nam statim ad sese rediens, toto corpore contremiscebat; lacrymæ fluminum instar, ex ipsius oculis fluebant, atque omnis impudicæ illius puellæ, reliquarumque aliarum pulchritudo, quovis cœno et sanie fœtidior ipsi visa est. S. DAM. *in vit. S. Josaph.*

Drexelius de quodam Belga, cui nomen Bertrandus, narrat, feroci, turbido, vitioso et bellicoso, quin et crapulæ et ebrietati, lusibus, choreisque dedito adolescente. Hic enim dum pridie Cinerum conviviis, saltationibusque vacaret, interius se tangi advertit a Deo, radioque illustrari æternitatis; hinc sub prætextu respirandi sub aere liberiori, tantisper se subduxit a reliquis; quem paulo post sequentes sodales dum tristem offenderent, unanimiter exhortati sunt, ut depulsa melancolia ad choreas et convivium rediret. Ille vero de morte, de rigorosissimo judicio, deque æternitate discurre cœpit; quod circumstantes merum esse jocum existimantes, facile contempserunt; sed ubi seria verba esse adverterunt, attentiores præbuere aures, quibus ille in hunc cœpit protestari modum : Definitum est mihi, socii, deinceps alium agere hominem, hisce ludicris abstinere, mutare mores pristinos, legibus Christianis vivere. Et certe si sapio nullam in posterum occasionem negligam consequendæ salutis, nec puto sero nimis resipiscere; quamvis doleo, non citius huic cogitationi animum adjecisse, cum jam satis intelligam, fugacissimis his voluptatibus unam imminere æternitatem. Sic pergo, vos singuli rem vestram agite. Hisque dictis a sodalibus suis se sequestravit, quos ob subitaneam mutationem omnino reliquit attonitos. Eodem vero tempore ibidem præsens erat frater Eleutherius Pontanus, Soc. Jesu Religiosus, qui olim Bertrando optime notus in domum ejus hospes diverterat, cujus improvisam præsentiam cernens, sine mora ejus se pedibus advolvens, in Societatem Jesu admitti ardenter postulavit. Unde post aliqualem vocationis suæ factam experientiam, anno 1602, in eamdem Lovanii receptus fuit, ubi magna cum exemplaritate, et bonitate vitæ non vulgari vixit. DREXEL. *in Rogo Damnat.* cap. XVII.

Homo quidam doctus familiari amico suo post mortem apparuit, eique retulit, qualiter in agone, dum cum morte luctaretur, inimicus generis humani secum in materiis fidei nostræ disputans eumdem seduxerit, ideoque ad infernum æternaliter damnatus fuerit : In ignem, inquit, abire jussus sum, quem, etsi maximus sit, utcumque tamen tolerabilem judicarem, si post mille annorum millia finiendus esset; sed æternus est, idemque tantus, quantum apud nos nulla conspexit ætas. Maledicta scientia, quæ me in tam immane præcipitium dejecit! Dixit, et in auras abiit. At vero qualem existimatis amicum ejus ex hac apparitione collegisse fructum? Superstes alter, tum rei novitate, tum amici exilio æterno motus, amicissimos quosque, qui super ea re in melius consulerent, interrogavit; moxque aliter vixit, sanctius obiit. MANSI, disc. IV, n. 9.

S. Bernardus, una cum patre in villam quamdam suam profectus, ibidem sub antiquo quodam trunco in conspectu patris sui prædicavit, videnque patrem in obstinatione sua persistere, præcepit circumstantibus, ut ad viridem illum truncum ignem applicarent; apposita tamen prius circumquaque sufficiente lignorum siccorum strue quæ subito conceperunt incendium. Truncus vero tarde circa medium ab extremis emittens humorem fœtidum, et fumum teterrimum, diu ignem servavit. Tunc incepit Sanctus loqui de pœnis inferni, dixitque patri, quod esset similis illi trunco, quia hic non poterat igne diurno succendi, nec flere peccata, nec suspirare ad Deum, sed ipse in inferno, nisi pœnitentiam ageret, in æternum arderet, fleret, et fœtentem fumum emitteret; ad quæ verba pater compunctus, eum secutus est, et monachus factus. Ibid. disc. VI, n. 7.

P. Jeremias Drexelius, se a viro fide digno audivisse refert, quod Theodoricus,

Episcopus Trajectensis, servum quemdam habuerit, Eberbach nomine, qui licet domino suo ob egregiam prudentiam, industriam et fidelitatem acceptissimus esset, nihilominus æmulorum suorum perfidia victus, ut se de illis vindicaret, semetipsum desperatus in Dæmonis tradidit potestatem. Elapsis vero aliquot annis mortuus est, ejusque anima in mare quoddam flammarum conjecta fuit, a quibus adeo excessive vehementem patiebatur dolorem et pœnam, ut sæpius protestatus fuerit, malle se igne ex omnibus totius mundi lignis excitato, ad novissimum judicii diem usque ardere, quam in hoc flammarum mari per unam horam cruciari. Dum vero in maximis tormentis esset, Angelus quidam ei apparens, dixit illi : Hanc esse retributionem, quam Dæmon dare solet illis, qui ultro se ejus potestati devoverunt. Verumtamen confestim subjunxit : Dic, sodes, quid si Deus hanc tibi gratiam concederet, ut in vitam denuo mortalem redire posses, facturusne esses sinceram de peccatis tuis pœnitentiam? Imo vero, respondit infelix, et quidem asperrime me pœnitentia afficerem. Cum igitur cadaver ejus etiamnum insepultum domi consideret, defunctus e feretro resurgens, rediit ad vitam, et pœnitentiam agere cœpit adeo rigorosam, ut Ottonem Episcopum in Terram Sanctam comitatus, nudis pedibus post equum illius inter silices et sentes cucurrerit, sanguisque e pedibus ejus abundanter manarit, pauperibus quoque omnes facultates suas distribuit, quotidie in pane et aqua jejunavit ; monitusque a nonnullis, ut hunc vitæ rigorem nonnihil temperaret, se atrociores passum fuisse pœnas respondit. Unde vitam professus est religiosam, in qua inter austeritates excessivas ad finem usque perseveravit. Ibid. disc. XXVIII, n. 3.

Abbas Olympius aliquando interrogatus, qualiter speluncæ suæ inhabitare posset angustias, et excessivos supportare calores, præter apum, muscarum, et culicum sanguinem continuo elicientium morsus et punctu-ras? respondit : Culices sustineo, quia vermem timeo immortalem ; flocci facio calorem, qui ignem pertimesco æternum. Hæ afflictiones finem habebunt, non illæ. S. CLIM. *in Scala Paradis.*

Colonellus quidam in bello Mantuano, 1630, post plurimam collectam prædam mortuus est, prius condito testamento, ut exequias quam sumptuosissime sibi facerent ; reliquum omne mox a funere cæteri legionis illius ministri lasciviendo et luxuriando obligurirent, nec finem prius facerent, quam omnia absumpsissent. Executi sunt gnaviter mandatum defuncti Ducis commilitones. Cumque nocte quadam vino et luxu maderent, ortus subito strepitus est, quasi innumeræ per gradus catenæ traherentur, donec ad compotantium conclave turba et horror pervenit. Cohorruere omnes, præsertim ubi sponte janua reserata ingentem ante fores conclavis ignem, et inter ignis flammas quemque sibi ipsi exhibuit. Ex quo pavore turbatus conventus, alii paucis post diebus mortui, alii post menses aliquot ; ita tamen, ut omnes intra anni unius (nisi fallor) spatium obierint, uno excepto, qui adhuc vivit tragœdiæ oculatus testis, narratque ipse palam. *Ex litteris Nicolai Mohr.*

Subulcus pecus nocte reducens, cum pecus stabulum introire nollet, jussit istud ex impatientia, ea celeritate in haram se conferre, qua Juristæ infernum intrant ; illi mox imperata faciunt. Vidit hoc e turri mœniorum Joan. de Florentia Advocatus, et conversus, altero mox die Franciscanorum familiam inivit. S. ANTON. tr. III, *Hist.* tit. XXIV, c. IX.

Novi quemdam, ait P. Gasparus Tausch, qui ob apprehensam injuriam ab alio sibi factam, quæ ex se levis erat, adeo obstinavit, eum e medio tollere, ut diceret : Si hiantem ante se videret infernum, prius tamen illum occisurum, tum mox ad infernum insulturum. TAUSCH. *in Sap. Chris.* c. XIV, § 6.

Inferni tormenta Drechelmus a morte redivivus cum vidisset, severissimam vitam duxit, et sæpe frigido lacui se immersit. Quærentibus vero quomodo tantum rigorem sustinere possit? id unum respondit : Acerbiora vidi. VEN. BED. l. V, *Hist. Angl.* c. XIII.

Indorum Rex, Josaphat, visis inferni cruciatibus, in alium virum repente mutatus est, et in eremum concessit. S. JOAN. DAMASC. *in hist. Barl.* c. XXX.

S. Joannes Climacus cum coquum quemdam apud ignem assiduo flentem vidisset, causam hujus fletus ex eo quærens intellexit, quod quoties ignem istum intueretur, toties æterni ignis, atque eorum, qui ibi cruciantur, memoria subiret, quorum proin tam miserandam sortem non posset non deflere. S. CLIM. tr. IV.

Olympius Abbas interrogatus, qua ratione

speluncam habitare, tantosque æstus, et cyniphum morsus tolerare posset? respondit, se omnia hæc facile sustinere, eo quod vermem immortalem, et æternos ignes assiduo in mente haberet, et formidaret. DREX. *in Rogo Damnat.* c. XVII, *epilog.*

Ludovicus Granatensis dicere solebat : Multi variis modis gehennæ pœnas numerant et amplificant; me vero nihil magis terret, quam quod ibi gloriosum Christi et intemeratæ Virginis nomen sine ulla intermissione convitiis afficitur, et blasphematur. LUD. GRANAT. *in Loc. Com.* f. 933.

S. Gregorius refert, Petrum Eremitam defunctum, et protinus corpori restitutum narrasse, se inferni supplicia, et innumera flammarum loca spectasse, cumque jam ipse etiam iisdem immergi deberet, subito ab Angelo apparente ereptum fuisse, qui eum his verbis allocutus est : Regredere, et qualiter tibi posthac vivendum sit, cautissime attende. S. GREG. l. IV. *Dial.*

Jordanus, Generalis Ordinis S. Dominici, cum diu frustra juveni nobili suaderet ingressum sui Ordinis, tandem ei dixit : « Rogo te, inspice manus tuas, et membra corporis tui tam formosa, et cogita, quantum damnum sit, ista membra fieri *pabulum æterni ignis.* » Quod ille faciens commotus, Ordinem ingressus est. *Discip. in Prompt. lit P. ex.* 70.

Monachus quidam natione Iberus, cui Petro nomen fuit, cum non satis monastice viveret, mortem obiit, mox autem corpori restitutus, dixit, se vidisse inferorum tormenta, perpetuumque gehennæ ardorem, cumque prope esset, ut et ipse in ignem projiceretur, ab Angelo fuisse ereptum, et ad mortalem vitam, quam reliquerat, redire jussum; hoc addito, ut jam disceret, qualiter sibi deinceps vivendum esset. In tantum itaque postea immutatus est, ut ipsa corpus maceratione se vere vidisse testaretur, quod tantopere timeret. MURULL. l. III.

Multitudo damnatorum.

Eremita quidam raptus in alteram vitam, vidit animas, sicut nivem densissimam in infernum incidere, sed ad Paradisum tres dumtaxat evolasse, scilicet Episcopi cujusdam, Prioris Carthusiani, ac viduæ cujusdam Romanæ. Quod cum ad se rediens Innocentio Cardinali narrasset, ille missis hinc inde nuntiis, personas illas eodem tempore mortuas esse comperit. *Spec. Ex. V. Damnatus*, ex. I.

Sed et Decanus Ecclesiæ Lingonensis post mortem suo Episcopo apparuit, et his verbis eum allocutus est : Age pœnitentiam, emenda vitam, corrige conscientiam, dimitte superbiam simul et avaritiam, aliter numquam habebis cœlestem gloriam; non enim tam facile est salvari hominem, sicut creditur; quoniam dum ego præsentarer tremendo Dei judicio, affluerunt ibi triginta millia animarum, de quorum numero S. Bernardus et ego salvati sumus, tres in Purgatorium descenderunt, reliqui omnes damnati sunt. Quo dicto disparuit. *Ib. ex.* II.

Cancellarius quidam Parisiensis facundissimus Orator, post triginta dies a morte, Episcopo, uti ab eo petierat, apparens, postquam dixisset, se propter superbiam et carnis voluptates damnatum esse, quæsivit ab eo, quot anni a morte sua effluxissent. Cumque audivisset, non nisi triginta dies interea elapsos fuisse, cum ejulatu exclamavit : Væ, væ, credebam ipsam jam diem judicii esse consummatam, quia sicut nix de cœlo cadit, ita animæ cadunt in infernum. His dictis valedicens Episcopo disparuit. *Ib. v. Infernus*, ex. XIV.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Franciscus Borgias dicebat, se, quoties iter faceret, duos prodromos præmittere ad hospitia, in quibus diversurus esset, scilicet cognitionem suorum peccatorum, et contemplationem pœnarum inferni, quas meritus fuisset suis peccatis, sicque fieri, ut omnia diversoria optime semper præparata inveniret, etsi omnia necessaria deessent. *Vita*, l. IV, c. II.

P. Josephus Cuissotus, licet in summa apud homines existimatione esset, non alio tamen loco, quam inferno, se dignum judicabat. *Annuæ Provinc. Tolet.*

P. Sebastianus a Campo, cum in morbo de Beatorum præmio, quo illum Deus remuneraturus esset, loquentes audiret, parum attendebat, tamquam indignus illo; de inferno vero loquentibus faciles aures præbebat. *Annuæ Sardiniæ* 1695.

P. Leonardus Lessius gravissimis calculi doloribus vexatus, exclamare solebat : O

peccatores, si Deus hic in uno membro ita torquet, quid in inferno erit, ubi nec membrum, nec musculus, nec nervus sine cruciatu erit? ENGELG. *in Luce Evang. Dom.* V, *post Eph.* § 3.

EXEMPLA PROFANA.

Bellovacensis narrat, qualiter Titus, Vespasiani filius in obsidione Jerosolymitana, dum suos milites ad intrepidum certamen animare vellet, exemplum iis proposuerit Leonidis, qui unus fuit e sociis Alexandri Magni; cum enim magnus hic Capitaneus innumerabilem Persarum contra se adventare cerneret exercitum, seque nonnisi trecentos numerare Lacedæmonios, ita eos allocutus est: Prandeamus hodie in terris, quia sumus cœnaturi apud inferos! Quod dictum militibus tam generosum suggessit animum, ut nullus uno excepto, a prælio se subtraxerit, sed adeo generose pugnarint, ut victores gloriose evaserint. A quibus Bellovacensis ad nos transitum faciens, ita subjungit: Qui cogitat, quam mala sit cœna inferni, viriliter dimicat, ne vincatur, et victus, et captus ad illam perducatur. BELLOVAC. *Spec. Mor.* p. III, l. II, *dist.* IV.

Aristoteles post mortem cuidam suorum discipulorum apparens dixit: Ex omnibus, quorum habui notitiam et scientiam, hujus solius recordor, quod in æternum puniar. CARAFFA, *in Thelog. myst.* X, 1. *Ex.*

Machiavellus morti proximus Florentiæ, cum de damnatione sollicitus esset, et in mentem veniret, Aristotelem, Platonem, Alexandrum damnatos, Apostolos autem misellos homines pauperes in cœlo, ait: Malo cum illis illustribus damnari, quam cum his villibus in cœlo degere. STEPHAN. BINET.

Tiberius hominem jocularem, qui mortuo, qui efferebatur, imperavit clara voce, ut Augusto nuntiaret, legata ab ipso facta Romano populo, nondum esse persoluta ad se vocavit, eique legatam portionem dedit, ac inde duci ad capitale supplicium jussit, ut patri Augusto rei veritatem exponeret. MART. ZEILER. *Cent.* I. *ep.* LXXVI.

Plutarcus quemdam asserentem inducit, homines teterrimos, scelerumque maculis notatissimos post mortem in obscurum quemdam locum, qui reserari nequeat, intrudi. PLUT. *l. de Sera Vindicta.*

Socrates ait impii animum in locum occultum sub terra migrare; et regionem illam æneis catenis undique vinciri. SOCRAT. *apud Xenocrat.*

Tantalus apud inferos a Poetis perpetua fame ac siti torqueri fingitur, aquis et pomis ori imminentibus, quæ tamen deprehendre non poterat. Quo tormento vehementissimam inferorum sitim ac famem indicabant. OVID. l. IV, *Metamorph.*

Sisyphus abiisdem Poetis fingitur saxum perpetuo ad montis verticem volvere, et relabentem revolvere. Quo figmento interminabilem pœnarum revolutionem et æternitatem significare voluerunt. *Ibid.*

Ad eamdem tormentorum perennitatem significandam etiam Ixionem, Thessalum Regem, rotæ innexum perpetuo volvi finxerunt. Hinc illud Ovidii:

Volvitur Ixion, et se sequiturque, fugitque. *Ibid.*

Titium quoque gigantem, ob Latonam Apollinis matrem de stupro interpellatam, ab eodem Apolline sagittis confossum, et apud inferos ea lege alligatum fingunt, ut jecur a vulturibus dilaniaretur, et consumptum semper renasceretur. Quo figmento vermem damnatorum nunquam morientem innuebant.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut boni habebunt septem bona, in quibus eorum consistit gloria; tria ex parte animæ, quatuor ex parte corporis; sic et mali in inferno septem dotes horribiles habebunt. Et in primis quidem odium Dei, contra amorem et dilectionem, quam habebunt Beati; cæcitatem mentis et intellectus, contra claram Divinæ essentiæ visionem; tristitiam et pavorem perpetuum, contra animarum glorificatarum gaudium. Contra vero dotes corporum Beatorum, sequentes damnatorum opponit, dicens: Contra claritatem habebunt obscuritatem; contra agilitatem, ponderositatem; contra formositatem et subtilitatem, deformitatem et densitatem. HUGO CARDIN. *in* c. VII, *Eccl.*

Sicut unus sol non omnia corpora æqualiter calefacit; ita illic unus ignis animas pro qualitate criminum dissimiliter exurit. MANSI, disc. IX, n. 10.

Sicut Deus creaturas illas, quæ ad nobis benefaciendum formatæ sunt, per infinitam sapientiam et potentiam suam eo elevat, ut omnem propriam exsuperent naturalem vir-

tutem, ut videre est in aquis baptismalibus, quæ ad mundandas et purificandas animas a macula culpæ originalis, imo et actualis in adultis per dispositionem divinam elevantur; ita quoque justitia vindicativa Dei ignem infernalem adhibet, ut per eum omni cum severitate impios puniat, idque citra proprium ignis vigorem, siquidem cum ignis noster elementaris in abysso illa nonnisi corpus cruciare posset, infernalis ipsas quoque excruciat animas. Cum enim ex communi Philosophorum axiomate ignis noster sit calidus ut octo; quidni Deus per omnipotentiam et voluntatem suam, juxta scelerum et flagitiorum proportionem efficere poterit, ut ignis infernalis ad 30, 60, imo centum et plures pertingat, excedatque caloris gradus, juxta divinæ iræ proportionem, quia quis novit potestatem iræ suæ, et iram suam dinumerare? Nam S. Paulus ait : « Horrendum est, incidere in manus Dei viventis. » Mansi, *disc.* IX, n. 3.

Sicut Romani olim in theatris publicis feras irritabant, atque exacerbabant, ut tanto magis ferocientes desævirent in Martyres ; ita et Deus noster absque ulla compassione voracissimam igni illi, tanquam justissimi furoris sui instrumento conferet activitatem. Unde alibi damnatis exprobrat, dicens : Ignem succendistis in furore meo, usque in æternum ardebit. Ex quibus verbis clare deducitur, ignis hujus folles esse furorem Dei. *Ib. disc.* IX, n. 4.

Sicut in Beatis erit perfecta sanitas, tam in singulis membris, quam in toto corpore; sic in corporibus reproborum, et singulis eorum membris, erit infirmitas incurabilis, et dolor incomparabilis. S. Ans. *apud Mansi, disc.* XV. n. 4.

Sicut, si esset unus pater cum septem filiis moriturus, ipse pater haberet dolorem suum, et omnium filiorum suorum, et e contrario, et dolor unius transiret ad alium participatione, ita quod haberet et sentiret suum dolorem, et participaret de dolore aliorum filiorum suorum, et e contrario ; sic et in inferno apud damnatos. Et hoc est, quod dicit : Quod fumus transibit de sæculo in sæculum. S. Bernard. t. IV, *ser.*

Sicut anima est vita corporis, sic animæ est vita Deus; et sicut exspirat corpus, cum animam amittit, sic exspirat anima, cum Deum amittit; Deus amissus, mors animæ, sicut anima amissa mors corporis est. S. Aug. ser. V, *de Verb. Do.*

Sicut oves repente et improvise ad mortem ducuntur, et occiduntur; ita maligni subito et inopinato condemnabuntur. Dion. Carthus. in Ps. XLVIII.

Sicut in domo Patris mansiones multæ sunt pro diversitate virtutis ; sic damnatos diverso supplicio gehennæ ignibus subjicit disparilitas criminis. S. Greg. l. IV *Mor.* c. XXXIX.

Sicut, quamdiu cadaveris materia est, et aliquis humor in cadavere, vermes nascuntur ex putredine; sic ex materia peccatorum, quæ in damnatis nunquam consumitur, assiduus vermis conscientiæ nascitur. S. Hier. l. VI, in c. II, Ps.

Sicut electis ignis ardet ad solatium, et tamen ad supplicium ardere nescit ; ita e diverso gehennæ flamma reprobis nequaquam lucet ad consolationis gratiam, lucet tamen ad pœnam. Idem. in c. XL. Job.

Sicut aurum et salamandra in igne persistunt, nec dissolvuntur; ita damnati in inferno ardebunt, nec tamen corrumpentur. Fab. conc. II, *in Dom.* 19, *post Pent.*

Sicut ventus excitat perpetuum Æthnæ incendium; ita decretum damnationis succendet ignem inferni non secus, ac si torrentem sulphuris continuum expueret in illum. Unde Isaias dicit : Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens illam (gehennam). Is. XXX. 33.

Sicut colligitur zizania, et igni comburuntur; sic erit in consummatione sæculi; mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de Regno ejus omnia scandala et eos, qui faciunt iniquitatem ; et mittent eos in caminum ignis. Matth. XIII, 40.

Sicut electos beatitudo lætificat; ita credi necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat. S. Greg. l. IV *Dial.* c. XXVIII.

Sicut nullum gaudium rerum temporalium ex aliqua parte simile potest inveniri vitæ æternæ, quam Sancti accepturi sunt ; ita nullus cruciatus pœnarum temporalium potest sempiternis iniquorum ignibus comparari, aut par excogitari. S. Aug. *de Catech. rud.* c. XXIV.

Diversitas. — Sicut in hoc mundo multi sub uno sole consistunt, nec tamen ardorem æqualiter sentiunt; ita in inferno unus est quidem ignis, non tamen omnes æqualiter cruciabit; quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum. S. Greg. l. IV *et* l. IX *Mor.* c. XLVII.

Sicut fasciculi lignorum ad comburendum de similibus colliguntur; ita in judicii die similis culpæ rei, suis similibus jungentur, ut ex æquo pœna constringat quasi in fasciculum, quos actio similes fecit in malum. S. Isidor. l. II, *de Sum. bono*, c. xxxii.

Sicut unusquisque sanctus in futuro judicio pro quantitate virtutum glorificabitur; ita et unusquisque impius pro quantitate facinorum condemnabitur, nec deerit in supplicio futuro damnationis ordo, sed juxta qualitatem criminum, Propheta affirmante, discretio erit pœnarum. Ibid.

Æternitas. — Sicut pœnitentibus Judex debet justitiam præstare; ita obstinatis et contumacibus nullam debet veniam tribuere. S. Hier. *apud Inchinum, de Nov.* p. III, c. xix.

Sicut herba pastus partim abscinditur, partim radicibus nixa relinquitur, ut iterum reparata pascatur; ita mors depascet eos, qui in inferno positi sunt, teste Davide; mortis enim nomine summus cruciatus, pastus vero æternitas ejus designatur. Ps. xlviii.

Sicut consumitur nubes, et pertransit; sic qui descenderit ad inferos, non ascendet. Job. vii, 9.

Sicut, qui censu perpetuo subjecit domum suam pro mutuo accepto, v. g. mille florenorum, etsi intra viginti annos totidem solvat, adhuc capitalem summam debet; ita cum damnati sint inimici Dei, nunquam debitum suum persolvere possunt, sed semper antiquæ pœnæ obnoxii sunt. Faber, conc. viii, *in Festo S. Cathar.* n. 1.

Sicut qui in flumen lapsus est, nave discedente, quocumque manus extendat, non invenit nisi liquidam et fugitivam aquam, quæ non sublevat mergendum, sed suffocat; ita damnati, quocumque veniant opem petituri, actum agunt, quia tempus gratiæ et auxilii elapsum est. Ib. n. 6.

Sicut in infinitum peccavit; sic pœnam habeat peccator æternam, sed quia infinitam non potest habere intensione, habeat tunc saltem infinitam duratione. Unde Psalmista ait : « Laborabit in æternum, et vivet adhuc in finem. » S. Bernard. ser. xix, extr.

Sicut herba ab ovibus carpitur, sed non radicitus evellitur, ut continue renascatur, ut sic semper sit, quod carpatur; sic homo in inferno moritur, et ut semper mori possit, ad vitam continue reparatur. S. Bonav. Ser. i *de S. Laur.*

Necessitas. — Sicut chirurgus ad vulnus sanandum primo utitur lenitivis et corrosivis medicamentis, ubi vero hæc nihil proficere viderit ad eruendam saniem, ferro utitur et igne; eodem pariter stylo uti debet spiritualis animarum medicus, quando enim se per vicem amoris, vel per motivum æternæ remunerationis animam a vitii putredine liberare non posse videt, ad consequendum sanitatis spiritualis intentum necessum est, ut æterni supplicii quoque ignem adhibeat. Mansi, disc. iii, n. 8.

Utilitas. — Sicut si quis virgam viridem distortam rectam facere cupiat, ignem adhibere solet, dum enim virga calorem sentit, in quamlibet sibi libitam partem eamdem flectit; eodem modo quantumvis Christianus aliquis dissolutus sit, et scandalosus, si tamen per seriam considerationem in flammas æternas respiciat, perversos mores suos sine mora reformabit. Evigila igitur, inquit Sanctus Augustinus, ex dolore tuo, corrigere ex cruciatu tuo. Ligno male curvo nosti calorem solere adhiberi; corrigat te dolor iste, mundus est flamma ignis æterni tamquam calor foci admotus curvo cordi tuo, ut hinc admoneatur, et corrigatur. S. Aug. *de Ovibus.*

Sicut ignis et fumi propinquitas fletum et lacrymas provocat; sic et meditatio ignis et fumi infernalis lacrymas compunctionis extorquet. Unde quidam dixit : Si non potes habere lacrymas, pone oculos tuos ad fumum inferni et ardorem ejus, et ad vehementiam aquilonis, a quo panditur omne malum, et sic habebis. Bellov. *Spec. mor.* p. IV, l. II, dist. iv.

Sicut cum fluctus tumentes imminent, cumque eam, quam deferunt mortem, minantur, nulla tunc navigantibus rerum cura temporalium, nulla carnis delectatio ad mentem reducitur; ea quoque ex navi projiciunt, pro quibus longa navigia sumpserunt, cunctæ res in despectum mentis veniunt. Eumdem prorsus effectum operatur suppliciorum æternorum consideratio, hæc enim thesaurorum, sceptrorum, deliciarum, delectationum nos facit concipere nauseam; ac proinde Job a divitiis, a filiis et imperiis adeo se exhibuit alienum, ut diceret : « Nudus egressus sum de ventre matris meæ, et nudus revertar illuc. S. Greg. l. XXI, *Mor.* c. xvii.

MOTIVA.

Ad memoriam Inferni refricandam.

Necessitas; nam ut S. Chrysostomus ait : Non minus gehennæ comminatio, quam promisso Regni ineffabilem ipsius clementiam commendat. Nisi enim ille gehennam minatus esset, non facile quispiam cœlestibus bonis potiretur, juxta illud Siracidis : Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua. Hinc Tertullianus : Peccati cessatio, radix veniæ ; gehennæ meditatio, principium salutis. S. Chrysost. l. I, *de Provid. Divina*, tom. IV.

Utilitas multiplex. Primo ad tentationes vincendas, uti Rabanus suasit dicens : Illum gehennæ ignem, his, quæ te nunc exagitant, flammis libidinis et cupiditatis oppone; est enim hoc miserabile quoddam medicamenti genus, ut ignes ignibus extinguantur ; si enim extinctæ non fuerint libidines istæ, quæ te nunc exagitant, illos tibi æternos ignes acriores, et inextinguibiles reddent. Hinc de S. Antonio scripsit S. Athanasius : Hic ultrices gehennæ flammas, et dolorem vermium recordans, ingestæ sibi libidini opponebat. Rabanus t. VI, l. III, *de Modo pœnit.* c. x. Unde et S. Bernardus suasit : Ardor gehennæ extinguat in te ardorem luxuriæ, major ardor minorem ardorem superet, stridor flammarum horribilis amorem depellat libidinis. S. Bern. ser. xxiii, *de Modo bene vivendi.*

Secundo, ad peccata vitanda; nam ut S. Chrysostomus testatur, nihil est æque utile, ac de gehenna disserere (quidni et cogitare?) fieri enim non potest, ut anima de gehenna sollicita cito peccet. Audi enim optimam admonitionem : « In memoria revoca novissima tua, et in æternum non peccabis. » Quia ut idem alibi ait, quanto quis vehementius metuit pœnam, quam meruit, tanto acerbius plangit culpam, quam fecit. S. Chrys. hom. ii, in epist. *ad Thessal.* Hinc etiam S. Gregorius dixit : Dum culpa blandiri inchoat, ad quem interitum mens trahatur, necesse est, agnoscat. S. Greg. *apud Mansi*, disc. iv, n. 6.

Tertio, ad patientiam conservandam; nam ut S. Augustinus recte dixit : Dura sunt, molesta sunt, horrent, quando narrantur, quæ quisque gravia valde patitur in hac vita, in comparatione autem æterni ignis non parva, sed nulla sunt. S. Aug. ser. cix, *de Temp.*

Quarto, ad Inferni Dæmones vincendos; quod Mansi sic ostendit : Teste Sapiente, leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit incursum; et tamen qui eum perterrefacere intendit, ignem objiciat ferocienti, moxque deposito furore atque ferocia profugiens, intra specum sese recludit. Leo iste Dæmon est, dicente Apostolo Petro : « Tamquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret; » qui igitur contra eum victoriam reportare desiderat, meditatione se armet ignis infernalis, plurimi namque per hoc unicum medium suam emendantes vitam atque mores, se e servitute eripuerunt dæmoniaca.

Quinto, ad gehennam effugiendam; nam ut S. Chrysostomus ait : Si minis gehennæ non essemus territi , omnes forte in gehennam præcipitaremur. S. Chrys. t. VI, *de Judicio.* Hinc idem alibi ait : Nullus ex his, qui gehennam habent ante oculos, incidet in gehennam; nullus ex his, qui gehennam despiciunt, effugiet gehennam. Idem, hom. ii, in ep. ii, *ad Thessal.* E contrario vero, multi dum se recreare volunt, efficiuntque, ut gehennæ non meminerint, per hanc securitatem, metusque vacuitatem, in magnum interitus se barathrum imprudentes immittunt ; et ideo rogo, ut gehennæ memineris, de gehenna loquaris. Idem, in Ps. xi, tom. III.

Jucunditas; si enim, ut S. Chrysostomus ait, nihil jucundius est sermone, quo de gehenna disseritur, quia hæc audiendo anima in te convertitur, et cautior facta effertur altius, et volat sublimius, ac malignæ cupiditatis expellit tyrannidem, quidni idem etiam de cogitatione gehennæ dicatur ? S. Chrys. hom. xliv, *in Matth.*

MOTIVA.

Ad Infernum timendum et fugiendum.

Gravitas; nam teste S. Augustino, paulo ante citato : Quæ quisque gravia valde patitur in hac vita, in comparatione æterni ignis, non tantum parva, sed nulla sunt. S. Aug. ser. cix. Et confirmans id ipsum S. Bonaventura : Gravissima, inquit, pœna, quæ in hoc mundo potest tolerari , minor est pœna Purgatorii, ut ait Augustinus, quanto magis pœna inferni ! S. Bonav. *in Diæt.* t. X, c. i.

Multitudo ; quam indicavit Astensis, dum explicans illa verba : Pluet super peccatores, ait : Quare dixit, *pluit*? Quia innumerabilia tormentorum genera super peccatores effundet, a quibus semel detenti, numquam amplius expediri poterunt. Astensis, in Ps. x.

Omnium malorum præsentia ; si enim unicum grande malum, v. g. acutus dolor dentium, aut podagræ intolerabile nobis videtur, quid de tot malorum præsentia senfiendum erit? Nam, ut S. Augustinus ait, non erit iste ignis, sicut focus tuus ; quo tamen si manum mittere cogaris, facies, quidquid voluerit, qui hoc minatur. S. Aug. in Ps. il.

Omnium bonorum absentia; de qua ita loquitur S. Augustinus : Si non veniret ignis diei judicii, et sola immineret peccatoribus separatio a facie Dei, in qualibet essent affluentia deliciarum, non videntes, a quo creati sunt et separati ab illa dulcedine ineffabilis vultus ejus, in qualibet æternitate et impunitate peccati, plangere se deberent. Ibid.

Omnium pœnarum indesinentia, et æternitas; nam ut S. Gregorius ait, erit miseris mors sine morte, defectus sine defectu, quia mors ibi semper incipit, et deficere nescit. S. Greg. *sup. Matth.* c. viii. Porro ignis corporeus, teste Hugone de S. Victore, ut esse ignis valeat, corporis indiget fomentis, qui cum necesse habeat, ut servetur, per congesta ligna procul dubio nutritur. At contra gehennæ ignis cum sit incorporeus, et universos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel, durat inextinguibilis, et successione non indiget. Hugo de S. Victor. l. *de Sacr. fid.* p. XVI, c. iv. Quod confirmans Eusebius Emyssenus : Hanc solam, inquit, debet damnato homini rationabilis ille ardor, ac vindex flamma reverentiam, ut traditos sibi reos cum possit punire, non possit extinguere, sed deputata in pabulum suum corpora et consumat, et nutriat. Euseb. Emiss. hom. ii, *de Sym.* Cujus ulteriorem rationem assignans Tertullianus : Longe alius, inquit, est ignis, qui usui humano, alius, qui Dei justitiæ deservit. Hic enim non absumit, quod exurit, sed dum erodit, reparat. Quid mirum, si æternaliter ardebit ? Æterna erit materia, æternum pabulum anima et peccatum. Tertull. *in Apolog.* Quod ipsum clarius insinuans Innocentius Tertius : Impius, ait, quia semper habebit in se reatum ex culpa, semper sentiet contra se cruciatum ex pœna, quia quod ipse per pœnitentiam non delevit, Deus per indulgentiam non remittet. Innoc. III, *Cap.* 19, *de Mundi contemptu.*

Societas ; de qua Hugo de S. Victore sic loquitur : Illa ultrix flamma vitiorum crematiouem habet, lumen non habet. Ille ignis ad consolationem non lucet, et tamen ut magis torqueat, ad aliquid lucet; nam sequaces quoque suos secum in tormento reprobi, flamma illustrante , visuri sunt, quorum vivi amore deliquerunt, quatenus quorum vitam carnaliter contra præcepta Conditoris amaverant, ipsorum quoque intuitus eos in augmento suæ damnationis affligat. Hugo de S. Victore. *de Sacr. fid.* t. III, l. I, f. 16, c. v. Ejusdem societatis molestiam. S. Chrysostomus his verbis indicat : Si quis ex iis, qui liberaliter sunt educati in carcerem conjectus , fœtorem solum, et jacere in tenebris, et in vinculis esse cum homicidis, quavis morte ducit esse gravius, cogita, quid sit, quando urimur cum hujus terræ homicidis. S. Chrys. hom. i, *ad Hebræos.*

Vermis triplex conscientiæ ; de quo Innocentius III, loquitur : Vermis conscientiæ tripliciter lacerabit ; affliget memoria, exacerbabit pœna, torquebit angustia; venient enim in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates eorum , dicentes : Quid profuit nobis superbia, et jactantia divitiarum quid contulit nobis? Transierunt omnia. Cum ingenti turbatione recogitabunt, quæ cum nimia delectatione gesserunt, ut stimulus memoriæ pungat ad pœnam , quos aculeus nequitiæ stimulavit ad culpam. Innoc. III, *de Contempt. mundi.* l. III , c. ii. Cujus vermis gravitatem etiam explicat Josephus Mansi his verbis : Deus enim damnatis aperte infinitam revelabit innumerabilium offensarum gravitatem, quibus cum injuriati et contumeliati fuerunt , sibique viva peccatorum cognitio et apprehensio semper manebit, ut ream conscientiam incessanter rodendo affligat. Vermis eorum non morietur; eritque hic vermis morsus, non spina tantum, sed et clavus corda et animas impiorum incessanter transfigens; adeoque in infernum, in centro terræ situatum, alium quemdam secum deferent infer-

num, qui est mala conscientia, de qua S. Bernardus inquit: Infernus quidam, et carcer animæ, rea conscientia est. MANSI, disc. XVIII,, n. 10.

Invidia animum lancinans, quam Salomon indicavit, dicens : Videntes turbabuntur timore horribili, dicentes intra se, et præ angustia spiritus gementes : Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii; nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam ; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos, sors illorum est. SAP. v. Quam clarius explicans S. Antonius ait : Invident enim gloriæ Beatorum, quam in generali intelligunt, etiamsi fuerint amici, et consanguinei in mundo, et tanta est perversitas eorum, quod vellent omnes secum esse damnatos. Iste zelus invidiæ finem non habet, permanens jugiter sine fine, ut dicit Glossa super Epistolam ad Corinth. Et quanto ille, cui invidetur, successu majore proficit, tanto majoris livoris incendio mundus inardescit. S. ANTON. p. IV, tit. XIV, c. IX, § 8. Radicem vero hujus invidiæ indicat S. Bonaventura his verbis : Invidia exurgit ex defectu charitatis, et amore proprii boni, sed utrumque in damnatis est; ergo in eis est maxima invidia. Si ergo invidus nollet aliquem videre bonum, nec beatum ; ergo damnati vellent, quod omnes cum eis essent damnati. Dentibus suis frement, et tabescent, quoniam vigebit in eis odium, et invidia ; et vehementer tristabuntur, et tabescent in gloriam electorum, et ideo ad faciendam suam impiissimam æmulationem, vellent nullos esse bonos, imo omnes miseros; et quia nec ipsi ad beatitudinem possunt pertingere, nec alios possunt a statu beatitudinis removere, ideo in se ipsis vehementer tabescunt, et confunduntur. S. BON. in IV, dist. L.

Desperatio; quæ, ut S. Cyprianus advertit, omni tormento atrocius condemnatos affliget, non miserebitur ultra Deus, neque tunc audiet pœnitentes. S. CYRR. *s. de Ascens.* Unde locus damnatorum a Gentilibus *Lethes* dicitur, et interpretatur *oblivio*, quia scilicet sui, id est, ejus, qui est damnatus, tradunt eum oblivioni, et Deus etiam videtur eorum oblivisci. S. ANTON. l. c. cap. VIII. Quibus consentiens Innocentius III. Non humiliabuntur, inquit, reprobi jam desperati de venia, sed malignitas odii tantum in illis excrescet, ut velint illum omnino non esse, per quem sciunt, se tam infeliciter esse. INNOC. III, *loc. citat.* cap. X. Quam gravis vero sit hæc pœna, indicat Dionysius Carthusianus his verbis : Desperatio sempiterna præ cæteris pœnis deprimit, transfodit, excruciat mentem. Hoc quoque præ aliis pœnis transverberat cor damnati, quod in tot tormentis scit, et perpendit, se sine spe evadendi mansurum. DION. CARTH. *ap. Mansi*, d. XXIV, n. 6.

Separatio ab omnibus charis; nimirum subtractio omnium subsidiorum a Deo, seu Personis Divinis, ab Angelis, a Sanctis, a notis, ab Ecclesiæ suffragiis, a bonis peractis, a locis sacris. In vita præsenti habent etiam maximi peccatores subsidium multiplex a Deo, præcipue pœnitentiam, per quam placatur, in qua Pater cor lapideum frangit per potentiam contritionis, Filius illuminat per manifestationem confessionis, et Spiritus Sanctus dignificat per fructum satisfactionis; sed damnatus non dabit Deo placationem suam, ut dicitur Ps. XLVIII, quia pœnitere non potest. S. ANTON. l. c. § 11.

Cœcitas animi ; nam ut Innocent. III ait, tantam in pœnis reprobi sustinebunt angustiam, ut nihil cogitare valeant, præter pœnas, sed illuc dirigent impetum cogitationis, ubi sentient vim doloris, Salomone dicente: Nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia est apud inferos, quo tu properas. Deus namque animabus damnatis vivacissimam, eamque continuam imprimet, pœnarum infinitarum, quas per omnem æternitatem sufferunt, et sufferent, apprehensionem, absque eo, quod vel ad minimum temporis momentum se ad alia divertere possint. INNOC. III, lib. III, *de Contempt. mund.* c. VII, 2.

Bellum continuum corporis ad animam, et e converso; eo quod corpus convitiatur animæ, quod ipsa debebat regere ipsum ad bonum, et direxit ad malum; anima autem corpori e converso, quod delectationes corporales seduxerunt eam, et quod prona fuit ad malum caro omni tempore, ad bonum autem pigra et infirma. S. ALBERT. MAGN. l. *de Muliere fort.* c. XVI, § 4. Quod etiam S. Bernardinus confirmans : Anima, ait, odiet corpus, et corpus odiet animam, et ipsam abhorrebit ; et omnes partes corporis similiter ad invicem erunt discordes, et appetent separari ab invicem, nec poterunt dissolvi ; unde oportebat affligi utrumque; corpus, quia a sua anima

torquebitur in æternum; anima vero, quia recolet, et intelliget corpus suum in æternum torqueri, et diliget naturaliter habere gloriam, quam desperabit attingere.

Pœna damni, cujus gravitatem explicans S. Antoninus: Sancti, inquit, ex beatissima visione consequuntur maxima gaudia; delectationes in dextera tua usque in finem. Dextera Dei est vita æterna. S. Augustinus: Delectationes sunt ex visione Dei usque in finem, id est, usque ad perficiendum omnem appetitum. E contra damnati ex privatione hujus visionis habent summam tristitiam; et sicut Beati ex omni parte supra, intus, infra, extra, et circumcirca pleni sunt gaudio, propter quod dicitur cuilibet illorum: Intra in gaudium Domini tui; ita damnati ex omni parte circumdat sunt dolore ex consideratione præmiorum quæ amiserunt. S. Anton. p. IV, tit. XIV, c. III, § 10. Cui assentiens S. Laurentius Just. ait: Interminabilis Divinæ visionis carentia, quæ dolores supereminet universos. S. Laur. Justin. *de Vit. solit*, c. X. S. Bonaventura vero dicere ausus est: Si mille gehennas mihi proponas, non tantum reputo, sicut ab illius gloriosæ societatis jucunditate expelli, et exosum fieri Creatori. O anima, terribilis est gehenna, sed terribilior facies Judicis irata. S. Bonav. tom. VII, *Soliloq.*

MEDIA.

Ad evitandum Infernum.

Charitas Divina. Nam ut S. Augustinus dixit: Unum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis; si in vite non est, in igne erit; ut ergo in igne non sit, in vite sit. Quænam autem est vitis illa? Salvator noster ipse, hic namque de semetipso dicit: Ego sum vitis vera, et vos palmites. Si itaque tamquam veri palmites huic viti vivere volumus uniti, igne ardeamus oportet charitatis; quoniam *qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* S. Aug. tr. LXXXI. *in Joanne.* Quod confirmans S. Bernardus: Qui perfecte, ait, vivit, non habet, unde in inferno damnetur, sed unde in cœlo coronetur; qui perfectam in se habet charitatem, non timet in inferno puniri, sed sperat in cœlo cum Deo glorificari. S. Bern. l. IV, *de Modo bene vivendi.*

Amor et fiducia erga B. Virginem. Uti mulier conjugata in Paraquaria indicavit, a vitæ probitate ac sanctimonia omnibus nota, ut quæ innocentiam in baptismo acceptam nunquam graviori delicto fœdarat. Marito peste sublato, eadem et ipsa afflata, cœpit Dei videndi desiderio æstuare, crevitque æstus usque ad supremum spiritum; jamque moritura Patri hæc paucula dixit: Ineffabili gaudio delibuta morior; oro te, ut pro animi mei solatio semel ad Aram facias; ego in cœlo beneficii memor ero. Quæ dum dixit, expiravit. Lugentibus omnibus, ad se redit, vocatur Pater, reperit eam cœlestibus gaudiis affluentem, et ligneum crucifixum osculantem. Ubi autem Patrem vidit: Scito, inquit, mi Pater, nocte hac certo me mortuam fuisse, deductaque sum ab Angelo, ut viderem damnatorum supplicia, in quibus plures mihi notos agnovi. E Sodalium B. Virginis cœtu vidi neminem. *Ex. litt. An.* 1635. c. XXXVI. Quod confirmatur ex eo, quod etiam clienti cuidam singulariter colenti S. Annam, B. Virgo cum Christo et S. Anna apparuit, et dixit: Ego sum soror tua, et nos inferni portas claudemus, nec illuc intres, eo quod semper honoraveris Matrem meam. Ita est profecto; nam S. Anselmo teste, impossibile est, ut pereat qui ab hac respectus est. Nadasi, 26 *Jul. in anno Cœlesti.*

Amor Dei. Non enim se compatiuntur ignis amoris divini et ignis infernalis.

Præmeditatio, et consideratio crebra Inferni. Nam si, cum in carcerem quemdam ingressi sumus, inquit S. Chrysostomus, atque alios squalore confectos, alios catenis vinctos, ac fame laborantes, alios in tenebris clausos conspicimus, animis commovemur, atque perhorrescimus, nihilque non facimus, ut ne in eum locum incidamus; cum ad ipsos gehennæ equuleos trahemur, quinam futuri sumus? Non enim vincula illa ex ferro confecta sunt, sed igne perpetuo ardente. S. Chrys. hom. X, in I. *ad. Cor.* S. Bernardinus id ipsum quoque sic declarat: Satis suave est jacere in uno lecto, et mundo; et tamen si alicui posito in tali statu diceretur: Jace, et quiesce, quia oportebit te ita jacere viginti annis, ipse responderet: Potius vellem esse mortuus. Quid ergo de illo, qui erit in igne ardenti, et scit, se ibi mansurum non per mensem, et annum, sed per infinita sæcula sæculorum. S. Bern. t. IV, ser. 18. extraor.

Hinc merito S. Ephrem hortatur : Meminerimus infirmitatis naturæ nostræ. Quid culice minus aut vilius? Et hujus minas sufferre nequimus. Quid ergo adversus venenatum, et non quiescentem vermem faciemus? S. Ephr. *Pœren.* xlvii.

Memoria crebra Inferni. Sic enim S. Prosper suasit, qui postquam ingentem tormentorum infernalium texuisset congeriem, tandem concludit dicens. Hæc et multa similia cogitare, nihil est aliud, quam vitiis omnibus repudium dare, et omnia blandimenta carnalia refrenare. S. Prosper, l. III, *de Vita cont.* c. II. Quod confirmans Josephus Mansi : Unus, inquit, ignis ad alium ignem compescendum, ne noceat, remedium est, juxta illud : Ignis igni remedium est, sic enim experientia docet, quod, dum caminus ex concepto igne luculentas flammas edit, unius dumtaxat sclopeti explosione flamma illa confestim extinguatur. Quod si gehennæ quis semper meminisse laboret, omnem mortem deridebit ; et non præsenti tantum angustia liberabitur, sed ab illa flamma eripietur. Gehennam enim continue timens, numquam in gehennæ ignem decidet, continue hoc castigatus metu, ait recte S. Chrysostomus. Mansi, disc. II, n. 7. Cui consentiens S. Bernardus : A cella, ait, in cœlum sæpe ascenditur, vix autem unquam a cella in infernum descenditur, nisi sicut dicit Psalmista : Descendant in infernum viventes, videlicet ne descendant morientes. Hoc enim modo sæpe cellarum incolæ in infernum descendunt. Sicut enim revisere amant gaudia cœlestia, ut ea ardentius appetant ; sic et dolores inferni, ut horreant et fugiant. S. Bern. in lib. *de Vit. solit.*

Sæpe loqui et concionari de Inferno ; quia, teste Divo Chrysostomo, nihil est æque utile, atque de gehenna disserere ; quovis argento puriores nobis efficit animas. S. Chrys. hom. II, in *II. Thess.*

Dolor de peccatis ; nam, ut Sanctus Bernardus ait, optimum est tunc sentiri vermem, cum possit etiam suffocari. Itaque mordeat nunc, et moriatur, et paulatim desinat mordere. Mordendo rodat interim putredinem, ut rodendo consumat, et ipse pariter consumetur, ne foveri incipiat in immortalitatem. S. Bern. *de Conv. ad Cler.* c. VI.

Fuga peccati ; juxta consilium Siradicis dicentis : Fili, ne semines mala in sulcis injustitiæ, et non metes ea in septuplum.

Misericordiæ exercitium. Soli enim misericordes audient illud : Ite maledicti in ignem æternum ; e contrario vero beatos dicit Christus misericordes, quoniam misericordiam consequentur. Matth. xxv.

Voluntatis propriæ abnegatio ; juxta illud S. Bernardi : Cesset voluntas propria, et infernus non erit. S. Bern. s. III *de Res. Dom.*

Humiliatio. Uti Ecclesiasticus monuit dicens : Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii ignis et vermis. Eccl. VII, n. 17.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta quid sit Infernus. Nimirum quod sicut gloria Paradisi definitur, quod sit status omnium bonorum aggregatione perfectus ; ita quoque pœnarum illarum acerbitatem definire possumus dicendo, quod sit status omnium malorum excogitabilium ; est etenim carcer aliquis in centro terræ positus, fumo et caligine, igne, fœtore, et, ut verbo dicam, omni miseria plenus, qui æternam in se includit omnium bonorum privationem, estque aggregatum quoddam malorum omnium excogitabilium. In illo sunt, ut S. Bonaventura ait, septem pœnæ, ignis, vermis, fætor, fumus, tenebræ, vincula, frigus. In illo horribili loco in supplicium reproborum adimplebitur, quod in libro Sapientiæ dicitur : « Pugnabit pro illo orbis terrarum contra insensatos ; » nam omnibus creaturis, ut Lyranus inquit, utetur ad afflictionem reproborum ; divina namque Justitia omnia elementa, velut supplicium suorum instrumenta adhibebit. Non solum ignis reprobos inflammabit, inquit S. Bonaventura, sed et cætera elementa confusa et permixta in reprobos convertentur ; ita quod erit ibi ignis ardens, aqua congelans, aer inquietus et perturbatus, et terræ fœtor. S. Bonav. ser. II. *in Sexag.*

Nosse debet, ob quem finem creatus sit Infernus ; id quod S. Chrysostomus breviter indicavit dicens : Gehennam propterea condidit, ut metus pœnæ, intolerabilisque cruciatus ad Regnum nos cogat. S. Chrys. hom. III. *in. Gen.*

Nosse debet, cur Infernus secunda mors dicatur ; nimirum ob causam a S. Bernardo indicatam, dum dixit : Horreo mortem vivacem ; horreo incidere in manus mortis viventis, et vitæ morientis. Hæc est secunda

mors, quæ numquam occidit, sed semper occidit. Quis det illis semper mori, ut non moriantur in æternum? S. Bern. lib. V, *de Consid.* c. xii. Clarius vero S. Augustinus : Secunda mors, inquit, dicitur, quia nec anima ibi vivere dicenda est, quæ a vita Dei alienata erit, nec corpus, quod æternis doloribus subjacebit; ac per hoc ideo durior ista secunda mors erit, quia finiri morte non poterit. S. Aug. l. XIX, *de Civit. Dei.* c. xxviii. Et alibi : Ubi mors quæritur et non invenitur. Quare in inferno mors quæritur et non invenitur? Quia quibus in hoc sæculo vita offertur, et nolunt accipere, in inferno quærunt mortem, et non poterunt invenire. Hinc ulterius infert : Si ergo labore tanto, tanto conatu, tantis impendiis,tanta instantia, tanta vigilantia, tanta cura agitur, ut aliquantulum plus vivatur, quomodo agendum est, ut semper vivatur? Etsi prudentes dicuntur, qui omnibus modis agunt, ut differant mortem, et vivant paucos dies, ne perdant paucos dies, quam stulti sunt, qui sic vivunt, ut perdant diem æternum? Id. ser. lii. *de Temp.*

Nosse debet, cur tam graves accidant pœnæ damnatis. Id quod S. Augustinus sequentibus verbis declarat : Quod bellum gravius, aut amarius excogitari potest, quam ubi voluntas sic adversa est passioni, et passio voluntati, ut nullius earum victoria tales inimicitiæ finiantur, et ubi sic confligit cum ipsa corporis natura vis doloris, ut neutrum alteri cedat? Hic enim quando contingit conflictus, aut dolor vincit, et sensum mors adimit, aut natura perdurans vincit, et dolorem sanitas tollit. Ibi autem et dolor permanet, ut affligat, et natura perdurat, ut sentiat, quia utrumque ideo non deficit, ne pœna deficiat. S. Aug. *de civit. Dei*, l. VI.

Nosse debet, cur pœna æterna damnatis sit constituta. Quod Josephus Mansi sic explicat : Sicut debitor aliquis, qui ob æs alienum carceris vinculis constrictus tenetur, numquam dimittitur, quamdiu pecunia illi deest, qua creditori suo satisfacere possit; ita quoque hæc est indeclinabilis damnati infelicitas, quod ex inferno numquam sit dimittendus, quia nec habet, nec unquam habere poterit summam infinito peccati debito exsolvendo necessariam; census enim, quo Divinæ satisfit justitiæ pro culpa commissa, est aversio a creatura, et conversio ad Creatorem. At vero voluntas damnati in odio Dei irrevocabiliter obstinata, ad eum converti numquam poterit, et ideo semper in æternum audiet : « Non exibis inde, donec reddas novissimum quadrantem. Mansi, disc. xxxv. Circa quæ verba Abulensis sic discurrit : Verum est,quod peccatores detruduntur in infernum, quia debitores sunt, et donec solvant, ibi manent, et tamen, quia numquam solvent, manebunt in æternum. Non solum numquam persolvent totum debitum, sed etiam numquam incipient solvere minimam partem debiti. Solvere debitum peccatorum, est satisfacere Deo, in quem peccaverunt, et ad satisfaciendum Deo, oportet, quod ille acceptet ea, quæ offeruntur; sed Deus non acceptat factum aliquod, vel toleratum a peccatore, quia extra charitatem est; ergo numquam poterit satisfacere, neque incipere satisfacere, sed manebit semper debitum integrum. Abul. *in* c. *Matth.* xviii. Sanctus Bernardus rationem assignat, cur peccatum in hac vita commissum, et præteritum,æterno subjici debeat supplicio, dicit enim : Ob hoc procul dubio inflexibilis et obstinatæ mentis sumitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetratum, quia quod breve fuit tempore, vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate. Illa namque contumacia, et mentis obstinatio, quacum peccator in hac vita Deum offendit, nisi illam in hac vita corrigat, in perpetuas æternitates incorrigibiliter perseverabit. S. Bern. epist. ccliii.

Nosse debet, cur pœna damni tam gravis censeatur. Nimirum ob causam a Mansi indicatam, dum ait : In parabola de decem virginibus Incarnata Sapientia præmium animarum electarum in virginum prudentum ad nuptias ingressu, præscitorumque supplicium in inferno stultarum virginum exclusione nobis manifestatura, duobus dumtaxat verbis universam innumerabilium omniumque atrocissimorum suppliciorum circumscripsit congeriem, dicens : « *Nescio vos.* » Nonne longe graviora eas animas, manebant tormenta? Nequaquam, quia in hac unica pœna, scilicet damni, omnes aliæ virtualiter et eminenter recluduntur. Mansi, disc. xxii, n. 11. Ideoque idem D. Chrysostomus in aliaquadam homilia inquit : Si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est a beatæ illius gloriæ honore repelli, exosumque esse Christo, et audire ab illo : Non novi vos. Si id non possumus sermone de-

monstrare, nihil est omnino mirandum; neque enim novimus illorum beatitudinem præmiorum, ut infelicitatem quoque de illorum amissione scire possimus. Nos autem hanc absque dubio discemus, cum experimento cœperimus doceri. Itaque tunc aperientur oculi, tunc auferetur velamen, tunc enim ingenti dolore impii videbunt, quid inter bonum æternum et summum, et hæc caduca et fragilia discriminis sit. S. Chrys. hom. xxiv. *in Matth.*

Nosse debet, quæ causa sit, cur tam multi in hanc pœnam damni incidant. Nimirum sola bonorum terrestrium nosque decipientium aviditas, quia scilicet hæc perdere recusamus, ut non paucos proinde senioribus illis Susannæ insultantibus, simillimos dixerim, de quibus Daniel scribit : « Everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum. » Daniel, c. xiii. Imo in nos, dum vivimus, illud quadrat Psalmistæ dictum : « Supercecidit ignis, et non viderunt solem.» Ignis namque concupiscentiæ nostræ impedit nos, quo oculos, nostros in Solem defigamus æternum, qui tribus luminibus in una luce resplendet. S. Gregorius tamen hæc eadem verba ita explicat, dicens : Ignis super impios cadit, sed Sol igne cadente non cernitur, quia illos, quos gehennæ flamma devorat, a visione veri luminis cæcat. S. Greg. l. IX *Mor.* c. xxxviii.

Nosse debet, cur misericordia Dei respectu damnatorum sit implacabilis. Nimirum ob causam a S. Bernardo indicatam. dum dixit : Nec ulla omnino credenda est erga impios futura miseratio, ubi nec ulla speranda est correctio. S. Bern. s. viii. *in Psal. Qui habitat.* Unde gemunt, teste S. Cyrillo, sine intermissione, sed nullus est, qui misereatur; vociferantur ex profundo, sed nullus est, qui exaudiat; lamentantur, sed nullus est, qui liberet; exclamant et plangunt, sed nullus est, qui commoveatur. S. Cyrill. orat. *de Exit. anim.*

Nosse debet, cur tam multi damnentur. Nimirum, quia ad æternorum gaudiorum patriam deveniendi arctissima, et sine ambiguitate aliqua, a paucissimis certe cognita extat via ; eundi ad perditionem, iter latissimum. S. Cyrill. ex ep. xviii *ad S. August.* Quod confirmans S. Aug. sic discurrit : Neque enim utrumque demonstraretur in omnibus, quia si omnes remanerent in pœnis justæ damnationis, in nullo appareret misericors gratia redimentis ; rursus si omnes a tenebris transferrentur in lucem, in nullo appareret severitas ultionis,in qua propterea multo plures, quam in illa sunt, ut sic ostendatur, quid omnibus deberetur ; quod si omnibus redderetur, justitiam vindicantis juste nemo reprehenderet. S. Aug. s. xxi. *de Civ. Dei.* c. xii.

Nosse debet, et firmiter credere, quod Ecclesia et SS. Patres de qualitate, quantitate, et æternitate infernalium pœnarum credendum proposuerunt. Quem in finem discursus S. Gregorii proderit sic loquentis : Si esse Sanctorum animas in cœlo, sacri eloquii testificatione credidisti, oportet, ut per omnia esse credas et iniquorum animas in inferno, quia ex retributione æternæ justitiæ, ex qua jam justi glorificantur, necesse est per omnia, ut et injusti crucientur ; nam sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod in die exitus sui ignis reprobos exurat. S. Greg. l. IV *Mor.* c. xxviii.

Nosse debet æquitatem hujus pœnæ, quæ potissimum ex obstinatione voluntatis desumitur. Cum enim voluntas damnati, ut loquitur S. Gregorius et Innocentius, licet amiserit potestatis affectum, semper tamen retineat malignitatis effectum, voluissetque sine fine vivere, ut sine fine potuisset in iniquitatibus permanere, justum est, ut, qui in suo æterno peccavit in Deum, in æterno Dei puniatur.

Nosse debet, quod, licet præcipue studere debeat ut ad omnes actiones suas ex purissimo Dei amore moveatur, non omittere tamen debeat, etiam ex inferni consideratione solidos aliquot fructus referre, qui quidem triplex est potissimum. 1. Ut timore inferni, tamquam efficaci freno utatur, per quem se ab omni peccati periculo cohibeat ; nam, ut sapienter S. Bernardus dixit, hæc qui pavet, cavet ; qui negligit, excedit. 2. Ut per ejusdem inferni considerationem se ad patientiam exstimulet : Quæ enim quisque gravia valde patitur, inquit S. Augustinus in comparatione æterni ignis non tantum parva, sed nulla sunt. S. Aug. ser. 109. Et alibi : Quis non bibat temporalis tribulationis poculum, metuens ignem gehennarum, et quis non contemnat dulcedinem sæculi, inhians dulcedini vitæ æternæ ? Majore timore minora contemnimus, et majore æternitatis cupiditate, omnia temporalia fastidimus. Idem, in Ps. lxviii. 3. Ut arden-

tem iu se zelum animarum excitet, videns, in quanti mali periculo versentur peccatores, ex quo, si posset, etiam canem liberaret.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: *Ibunt hi in supplicium æternum*; (Matth. xxv, 46,) potest gravitas hujus supplicii explicari, eumque in finem sententia S. Chrysostomi usurpari: Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus offendentibus se. S. Chrys. s. *de Reparat.* Et 1. ostendi, quanta viderit oculus tormenta in hoc mundo, et tamen hæc omnia, ut idem Sanctus ait, nec umbram esse ad illa tormenta inferni. 2. Ostendatur, quanta tormenta et dolores vel afflictiones audiverit auris, quomodo, ut iterum ait S. Chrysostomus, criminosos trahant, ligent, faces tormentis admoveant, et tamen hæc omnia ludicra et risus sint ad illa supplicia. 3. Ostendatur, quanta in cor ascendere possint tormenta, et tamen hæc omnia levia sint respectu illorum suppliciorum; sicut enim propter perfectam Sanctorum beatitudinem, nihil erit in Beatis, quod non sit gaudii materia; ita nihil in damnatis, quod non sit eis materia et causa tristitiæ, nec aliquid ad tristitiam pertinens, deerit, ut sit consummata eorum miseria. Quæ omnia fusius explicata videri possunt apud Engelgr. embl. II, *Luc. Evang.*

Ex occasione thematis: *Discedite a me maledicti in ignem æternum!* (Matth. xxv. 41,) potest explicari gravitas pœnæ æternalis, ex ignis hujus cum nostro igne comparatione. Et I. quidem dici, quod sit infinities quasi gravior *quoad intensionem*, id quod ex eo intelligi potest, quod noster ignis, teste S. Augustino, pictus dumtaxat videatur respectu ignis infernalis, et tamen, eheu! quam acerbus et intolerabilis est noster ignis! 2. Ostendi potest, quod longe horribilior sit, ac sævior *quoad extensionem*, ut qui non corpus dumtaxat, sed animam etiam, miris quidem, sed tamen veris modis, ut loquitur S. Augustinus, torqueat. 3. Ostendi, potest, quod infinities sit acerbior ac crudelior *quoad durationem*, cum inextinguibilis a Christo vocetur, et de eo Jeremias testetur: Ignem succendistis in furore meo; usque in æternum ardebit. Jer. xvii, 4. Ut adeo merito S. Augustinus dixerit, quæ quisque gravia valde patitur, in comparatione æterni ignis non tantum parva, sed nulla sunt.

Ex occasione thematis: *Per quæ quis peccat, per hæc et torquetur*; (Sap. xi, 17.) potest ostendi. 1. Quod omnia fere peccata per quinque sensus externos committantur, ut adeo vere de damnatis ad mortem æternam dici queat: Ascendit mors per fenestras, ingressa est domus nostras. 2. Quomodo homo peccator in iisdem sensibus speciales pœnas patiatur; id quod inductione ostendi potest, uti fuse probant Mathias Faber conc. III, *in Domin.* 3, *post Epiph.* et Jeremias Drexelius *in Rogo damnatorum*, cap. II, III, IV et V.

Ex occasione thematis: *Vado parare vobis locum*; (Joan. xiv. 2.) potest narrari, quod supra de S. Francisco Borgia narratum est, quod nempe ad singula diversoria duos prodromos, cognitionem peccatorum suorum, et considerationem inferni præmiserit, et per hos effecerit, ut omnia diversoria, quantumcumque vilia, optime semper instructa viderentur. Ostendatur ergo 1. quomodo hunc prodromum ægri ad suos lectulos mittere, et sicut Drithelmus olim nimiam ipsius in corpus suum sævitiam admirantibus dixit: Acerbiora vidi; ita ipsi dicere debeant: Acerbiora sum meritus. 2. Ostendatur, quomodo hunc prodromum pariter mittere debeant ad tuguriola sua pauperes, ut paupertatem, et incommoda inde sequentia, æquo animo sufferre discant. 3. Ostendatur, quomodo hunc prodromum ad persecutores suos mittere debeant ii, qui graves persecutiones et injurias sunt passi. Hi quippe omnes experientur hujus prodromi beneficio id, quod supra ex S. Augustino relatum est, scilicet omnia, quæ patientur, in comparatione infernalium tormentorum, parva aut nulla esse.

Ex occasione thematis: *Ecce ejicis me hodie a facie terræ, et a facie tua abscondar*; (Gen. iv, 14,) potest gravitas pœnæ damni explicari ex consideratione faciei, a qua damnati excluduntur. 1. Ergo ostendatur, quam *pulchra* sit facies id que ostendatur, tum ex desiderio Angelorum et hominum desiderantium eam aspicere; tum ex assertione Diaboli affirmantis, libenter se omnia Inferorum tormenta tolerare velle, ut unico momento aspicere Dei faciem liceat. 2. Quam *amœna et jucunda* sit facies, ut quæ tanta

dulcedine et hilaritate animam replet, ut nihil huic delectationi in terris comparari queat. 3. Quam *beatifica* sit facies, plenam omnium desideriorum satietatem inducens; quamque adeo merito damnati cum Anna, Tobiæ matre, irremediabilibus lacrymis defleant orbitatem suam, dicantque: Omnia in te uno habentes non debebamus dimittere te. De qua materia videri potest fusius discurrens Petrus Bessæus, conc. v. *de Inferno.* Item Drexelius, *in Rogo damnatorum,* cap. II, § 2 et seqq.

Ex occasione thematis: *Beati qui non viderunt et crediderunt*; (Joan. xx, 19,) dicatur recte olim dixisse Joannem Avilam, plerosque homines aut Inquisitionis carcere, aut stultorum cavea dignos sibi videri; aut enim credunt, inquiebat, quæ Deus de cœlesti gloria et Infernorum suppliciis, revelavit, aut non credunt; si posterius, Hæretici sunt, et proin ad Inquisitionis carcerem ablegandi; si prius, stultissimi plane sunt, si nihilominus peccare, et se in tam manifestum periculum æternæ gloriæ amittendæ, pœnæque infernalis accersendæ periculum præcipitare pergant. Cum ergo pronum sit arbitrari, multos non firmiter satis, aut saltem non viva fide credere atrocitatem tantarum pœnarum, eamdem se variis testimoniis probaturum, ut in ore non duorum dumtaxat aut trium, sed multorum testium stet hoc verbum veritatis, cujus assertio tantopere necessaria ac salutaris est hominibus. 1. Ergo probetur Auctoritate *Dei*, eumque in finem aliquot ad hunc finem magis idoneæ sententiæ ex Sacra Scriptura supra citatæ afferantur. 2. Auctoritate *Christi* tanta passi, ideoque merito ad mulieres compatientes dicentis: Si in viridi ligno hæc faciunt in arido quid fiet? (Luc. xxiii, 11,) 3. Auctoritate *Sanctorum*; ex quorum felicitate sic discurrit S. Gregorius: Si esse Sanctorum animas in cœlo sacri eloquii testificatione credidisti, oportet, ut per omnia esse credas et iniquorum animas in inferno, quia ex retributione æternæ justitiæ, ex qua justi jam glorificantur, necesse est, per omnia, ut injusti crucientur. (S. Greg. l. IV, *Dial.* c. xxviii. 4.) Auctoritate *Ecclesiæ* hunc articulum in symbolo proponentis, et firmissime semper contra Hæreticos propugnantis, ut ex variis Conciliis, præcipue Florentino in litteris unionis, patet. 5. Auctoritate *SS. Patrum*, quorum aliquot selectiora testimonia desumi possunt. 6. Auctoritate *Justorum*, in terris adhuc degentium; nam ut S. Gregorius iterum discurrit: Electos Dei cernimus pia agere, et crudelia tolerare. Hinc ergo colligitur, districtus Judex quanta illic feriat districtione, quos reprobat, si hic cruciat, quos amat. (S. Greg. *in Mor.*) 7. Auctoritate *Damnatorum*, qui, cum hic non crederent illas pœnas, post mortem apparentes, nimis veras esse, se proprio nunc damno experiri confessi sunt. 8. Auctoritate *Ethnicorum*, Tantali, Ixionis, Titii et Sisyphi pœnas æternas fingentium. 9. Auctoritate *Naturalis luminis*; nam ipsa ratio dictat, æquissimum esse, ut numquam careant supplicio, quorum mens in hac vita numquam voluit carere peccato, et ut nullus detur iniquo terminus ultionis, quia, quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis. 10. Auctoritate *Historicorum* tam horrenda de ignibus Vesuvii et Æthnæ montium ejectis referentium, ut merito binæ inferni fauces credantur. Quæ omnia fusius diducta apud Fabrum, conc. II, *in Dom.* 2, *post Pent.* videri possunt.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas. — Ignis erit vehementior et fortior apud inferos etiam naturaliter, quam alibi; nam ignis fortificatur ex conditione rei ignitæ, nam quanto res ignita est solidior et compactior, tanto est actio fortior, et intensior caliditas. Alia etiam intensionis causa est, per antiperistasin, qualis ibi erit. Nam erit illa concavitas Inferni in corde terræ, et quia est locus valde frigidus, cum terra sit nimis frigida, et ibi sit elongata ab omni calore, frigiditas totius terræ circumstantis faciet congregari virtutem ignis, et erit efficacior in actione, et intensior in calore. Abulensis, *in* c. xxv, *Matth.*

Ad hoc propositum revocandæ sunt in memoriam ingentes illæ Babylonicæ fornacis flammæ, de quibus Danielis 3 dicitur: *Effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem.* Quonam enim mysterio Spiritum Sanctum adeo distincte hunc cubitorum numerum, in quo ignis ille excreverat, expressisse existimatis? Omnia in figura contingebant illis; hæc enim flamma, ignis gehennæ flammas præfigurabat; potuisset quidem Deus, utpote naturæ Auctor efficere, ut flammæ illæ ad quinquaginta et amplius cubitos, qui perfectus est numerus, pertingerent; verumtamen ob certum mys-

terium illas ad hunc numerum nequaquam pertingere, sed in quadraginta novem cubitis terminari voluit, ut per hoc insinuaret, quod, cum numerus quinquagenarius remissionis, veniæ et indulgentiæ sit indicativus (siquidem ad annum Jubilæi alludit, qui quinquagesimo quoquo anno celebrabatur, in quo tempore omnia debita, quibus unus alteri adstringebatur, remittebantur) ignis ille infernalis per omnem æternitatem, ne quidem per figuram, vel per umbram, quacumque etiam crudelissima inflicta pœna, pro minimo etiam peccato expiari, aut remitti possit. Spes enim impiorum peribit, quia in Inferno nulla est redemptio. Mansi, disc. xxiv, 1.

Apud Ezechielem de vindice Divinæ Justitiæ ense legitur : *Ut sciat omnis caro, quia ego Dominus, eduxi gladium meum de vagina sua irrevocabilem.* Porro quamdiu in hac vita degimus, Deus ensem suum in vagina sua reconditum tenet, quia patiens est, et ad pœnitentiam nos expectat ; post hanc vitam vero in Inferno gladium suum stringere incipit, idque irrevocabiliter. Unde. S. Augustinus æternam condemnationem incommutabilitatem Divinæ sententiæ appellat. Ibid. n. 3.

Albertus M. circa Evangelicam divitis Epulonis historiam hanc habet considerationem : *Magnum chaos firmatum est*, inquit Abraham, *ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint.* In quo tangitur, quod, etsi Sancti ex inclinatione naturæ, quæ perfectissima est in eis (qui volunt transire ultra Chaos, compassionis affectu, quia sicut dicitur Ecclesiastici 44, *sunt viri misericordiæ*) ad vos damnatos juvandos descendere vellent, non possunt, propter congratulationem justitiæ, cui adhærent ; lætabitur justus, cum viderit vindictam. S. Albert. M. *in* c. iii, *Luc.*

Apud Sophoniam sex dierum fit mentio, quibus impii in æternæ perditionis profundo barathro cruciabuntur ; dicit enim : « Dies iræ, dies illa. » Ecce primum diem : « Dies tribulationis et angustiæ. Ecce secundum : « Dies calamitatis et miseriæ. » Ecce tertium : « Dies tenebrarum et caliginis. » Ecce quartum : « Dies nebulæ et turbinis. » Ecce quintum : « Dies tubæ et clangoris. » Ecce sextum. At vero quodnam in eo latet mysterium, quod nulla diei septimæ mentio fiat ? Nimirum ratio est hæc, quia Sabbatum dies erat Deo dedicatus, et destinatus quieti, damnati autem nullam in pœnis habituri sunt quietem, ideo in mediis tenebris illis ne mininum quidem cœlestis luminis videbunt vestigium. Confirmat id ipsum Rupertus Abbas dicens : Quia de septima die nihil ibi erit, nihil de Sabbato Domini, sed sine requie, sine ulla requietionis spe tribulabitur. Mansi, l. c. n. 4.

Memoratus S. Albertus M. ingeniose notat titulum, quem S. Joannes inferni barathro attribuit, inquiens : Missi sunt in stagnum ignis et sulphuris ; quærit enim, cur non potius illud torrentem, lacum, vel pelagum, appellaverit ? Et respondet, quia tormentum inferni stabile est, et immobile, ut stagnum plenum ardore et fœtore. Enim vero hujus vitæ cruciatus cito transeunt, et ideo semper spes superest, ut unius vel plurium annorum decursu fortuna mutetur ; hæc autem spes desperatos illos consolari in æternum non poterit. Alb. Mag. *in cap.* x, *Apoc.* Non longitudo temporis mollit dolorem, inquit D. Chrysostomus, quomodo enim cum flamma perpetuo illos premat, non spes liberationis ? Est enim æternum supplicium ; non mortis expectatio ? Est enim pœna æterna ; et sunt etiam, quæ puniuntur, corpora immortalia. S. Chrys. *in Ps.* xlix.

Salmeron verba illa Evangelii : « Ligatis manibus, etc. » sic exponit : Postquam quilibet fuerit convictus de merito damnationis, jubetur ligari manibus et pedibus, quo vel morem expressit Magistratuum, facinorosos in vincula conjicientium, vel secundum Theophylactum, significare voluit, quod post hanc vitam non sit amplius futura potestas operandi aliquid, quo vel bonum vel malum promereamur, quia scriptum est : Venit nox, quando nemo potest operari. Vel ne valeat se a pœnis manibus defendere, vel pedibus effugere, quas necessario cogitur considerare, et pati ; affectu etiam necessario vult operari mala, ideo etiam pedibus ligatus est. Salmeron, tom. VII, tr. xxxvii, n. 27.

Josephus Mansi de qualitate pœnarum infernalium sic discurrit : Nescio sane, si ullus Regni integri possessionem omnino pacificam ad viginti annos adire vellet, cum hoc duntaxat adjecto pacto oneroso, ut per centum annos in morbido quodam lecto extensus jaceret, ita ut ne digitum movere, nec pupillam elevare posset, sub pœna perdendi jus ad dictum Regnum. Sane etiamsi omnes ibi adhiberentur musicæ harmoniæ, refocillationes, honores, recreationes, simi-

lesque mentem divertentes gaudiorum circumstantiæ; nihilominus tanto tempore ingens hoc tædium nequaquam tolerare posset, neque dictam acceptaturus esset conditionem. Quanta igitur tot, tantorumque est stultitia, de quibus dicitur : « Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles ; » qui, inquam, in suis impietatibus desudant, non ut regnent in cœlis, sed ut per omnem æternitatem super lectum ignis infernalis distendantur, Regnumque perdant beatum. MANSI, disc. XXVII, n. 34.

ÆTERNITAS. — S. Gregorius interrogatus, quomodo justum sit, ut culpa, quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur? respondet: Hoc recte diceretur, si districtus Judex non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt, nam voluissent utique, si potuissent sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim, quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare, dum vivunt, ad magnam ergo justitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato. S. GREG. *ap. Mansi*, disc. XXX, n. 5.

Vincentius Bellovacensis pariter ad malitiam voluntatis reprobæ, non vero ad actum peccaminosum recurrens, illam a justitiæ æquissimo pondere trutinari his verbis dicit: Deus non tantum extrinsecas considerat actiones, verum etiam intrinsecas voluntates, nec considerat quantum, sed ex quanto in ejus sacrificio quis impendit, vel in flagitio, quod committit. Cum igitur impius ex improba voluntate non ponat modum in delectatione peccati, nec tantam delectationem unquam invenire potest, quin vellet semper, si posset, amplius delectari; ideo Deus, qui corda pensat, non facta, pœnas infligit non secundum delectationem habitam sed quæsitam. BELLOV. *Spec. Mor.* l. II, p. VI, dist. v.

UTILITAS MEMORIÆ INFERNI. — In Arles quemdam Joannem Berleum fuisse accepimus, qui, cum admodum longo tempore a medicis deploratus, lecto affixus ex paralysi jacuisset, quadam die in domo sua ignem conspicatus fuit, qui cum jamjam tabulatum cubiculi sui lamberet, ac popularetur, repente ille horrore perculsus, et jam mortem sibi instantem animo imprimens, ita spiritus animales perculit, nervorumque contractorum nodos abrupit confestim, ut lecto exilierit, et fenestra forte fortuna apprehensa, animoso per eam saltu, se ejecerit, et velut metu ac terrore persequente, et ignem, et paralysin diuturnam effugerit. Ita quoque plurimi velut congelati, inque malorum habituum suorum lethargo sepulti jacent, Dei, alteriusque vitæ prorsus immemores, totidem sane paralytici spiritualiter; ad quos excitandos (siquidem hora est jam nos de somno surgere) efficacissimum remedium est, seria ignis infernalis apprehensio, dicente D. Chrysostomo: Itaque si futuræ sensus gehennæ nos teneret, et intolerabiles illas cogitaremus pœnas, etiamsi rem et animam, et corpus, Dei legi, bus, tradidissemus; non doleremus, scientes quod majora lucrabimur, a futuris maliliberationem. LUDOV. RICHEOMUS, *in Valedict. anim.* coll. v.

Joannes Baptista a Deo electus erat, ut vias dirigeret, id est, perversos reformaret Hebræorum mores, pararet viam Domini, rectas faceret semitas ejus; idque per prædicationem suam operari debebat, dicente S. Luca : « Factum est Verbum Domini super Joannem Zachariæ filium, » hoc est, subjungit Albertus Magnus: « Vade, prædica; » seu, ut Theophilactus interpretatur, per *Verbum*, intellige Spiritum Sanctum; Spiritus itaque Sanctus præceperat ei officium prædicandi; ideoque venit in omnem regionem Jordanis prædicans, sed quale putatis eum ex Spiritus Sancti instinctu habuisse thema? Prædicans Baptismum pœnitentiæ. Sed ut populum hunc ad veram induceret pœnitentiam, ut genimina viperarum in columbas transmutaret, quibus eum argumentis, quibus rationibus, quave Rhetorica usum fuisse putatis? « Exibat ad eum Jerosolyma, et omnis Judea, et omnis regio circa Jordanem, et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua. » Publicani etiam certatim accurrebant, in dictis se abluentes aquis. Venerunt autem et Publicani ut baptizarentur; imo milites, de quibus Poeta cecinit ab initio :

Nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur.

Venerabundi et trementes interrogabant eum : Quid faciemus et nos? Quot equidem in sæculis præteritis Prophetæ in austeritatibus, prodigiisque magnis Verbum Dei annuntiaverant, et nihilominus toto eo tempore tantam non potuere colligere messem, quam Baptista diebus paucis. Quæ tantæ operationis differentia? Illi temporalia iræ

·ustitiæque Divinæ supplicia intentabant in vita præsenti inferenda ; Baptista vero atrocitatem prædicebat Inferni ; inquiens : « Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur ; paleas comburet igne inextinguibili. » Mansi, disc. I, n. 7. Hinc S. Chrysostomus, stupendam hanc conversionem admirans ita discurrit: Quid factum est, quod, cum impiorum essent filii, tamque nequiter educati, susceperunt subito pœnitentiam ? Unde hæc facta est repente tanta conversio ? Quis vulnera immedicabilia curavit ? Ignis infernalis curavit plagas ; ideoque subjungit Sanctus : Considera, quemadmodum illos ab ipsis principiis attonitos reddiderit, de gehenna scilicet inferendo sermonem ; hancque ignis infernalis timorem tanto incutiebat majorem, quanto dictam pœnam viciniorem, non vero remotam esse doceret, in deserto illo exclamans : « Jam securis ad radicem arboris posita est. » S. Chrys. c. XXIII, 11 *in Matth.*

S. Thomas Villanova Inferno ingeniosum quidem, sed parum plausibile attribuit epithetum, inquiens : O vere necessariam gehennæ pœnam, vere decoram Inferni pyram ! At vero inques, qua ratione illam carbonum ignitorum simulque tenebrosorum et obscurorum catastam, pulchram et decoram appellare potuit ? Ratio hujus epitheti esse potest, quia timor ignis illius animas nostras purificat pariter et venustat, ut idem S. Archipræsul subdit : Vere decoram Inferni pyram, quæ Creatoris sui injurias vindicat, et inordinata per culpam reordinat per pœnam. Vere pulchram creaturam, mundoque utilissimam post reatum, quæ si post culpam deesset, defectuosus et imperfectus Mundus maneret. S. Thom. Villanov. conc. I *de Judicio*. Nulla potest quidem Regno cœlorum excogitari pulchrior, et opulentior fabrica, nec deformior et horribilior abysso infernali ; et tamen D. Chrysostomus inquit : Etsi cœlorum est Regno gehenna contraria, ad unum tamen ambo finem respiciunt, hominum salutem, illud quidem ad se alliciens, hæc autem ad se compellens, et timore corrigens se negligentius habentes. S. Chrys. hom. VII *ad Pop.* Idem quoque S. Doctor, l. I, *de Providentia divina*, non minus admirandam esse dicit Dei clementiam, dum cœlum nobis promittit, quam dum nobis comminatur infernum : Non minus, inquit, gehennæ comminatio, quam promissio Regni ineffabilem ipsius clementiam commendat. Nisi enim ille gehennam minatus esset, non facile quispiam cœlestibus bonis potiretur. S. Chrys. I *de Provid.* tom. VI.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Refert Giraldus Cambrensis in mari Hyberniam alluente insulam visam, quæ si quis ad eam appellere volebat, mox alio se transferebat, donec quidam juvenes consilio quorumdam instructi igneas sagittas in illam conjecerunt, tunc enim immobilis consistebat. Talis fugitiva insula cor hominis est. Quare si volumus illud sistere, et stabilem Deo sedem in eo parare, igneæ sagittæ, id est, timor inferni in illud, jacendus est. *Apud Fab.* l. c.

Zeno Imperator, quem uxor in ebrietate vivum sepeliri jusserat, lamentabili semper voce clamat : Ah ! miseremini, et aperite mihi ! Cumque custodes responderent, alium jam regnare : Nihil, ille aiebat, curo ; vos, aperite duntaxat, et in monasterium me abducite. Sed cum non aperiretur, ferunt, postea inventum præ fame caligas et brachia sua ac lacertos absumpsisse. O quam gement damnati in Inferno sepulti. Cedrenus, *apud Fab.* conc. 3 *in Dom.* XIX *post Pent.* n. 3.

S. Macarius a Fratribus de Monte Nitriæ rogatus, ut salutari monito eos instrueret, cum lacrymis dixit : Ploremus, o Fratres, et lacrymas oculi nostri producant, antequam eo hinc migremus, ubi lacrymæ comburunt corpora. Qua quidem adhortatione ita moti sunt Fratres, ut et lacrymas copiose profuderint, et in genua prostrati ad S. Macarium dixerint : Pater, ora pro nobis. Cedrenus n. 4.

Proverbium est Italis : Aspettar, et non venir ; giacer, et non dormir ; servir, et non gradir, son tre cose da morir. Id est, expectare, et non venire ; jacere, et non dormire ; servire, et non placere, sunt tria, quæ possunt mortem accelerare ; quod nimis verum damnati experiuntur. Faber, conc. II *in Dom.* XVIII *post Pent.*

Lysimachus Rex a Scythis obsessus, cum ob potum aquæ se hosti tradidisset, eadem absumpta dixit : O quam brevis voluptatis causa, et regnum et libertatem amisi ? Ah ! quid reprobi dicent, cum se propter momentaneam voluptatem et Regno cœlesti privatos, et ad tanta supplicia damnatos viderint ? Gran. *loc. cit.* f. 831.

Bion Philosophus dicebat, viam ad Inferos planissimam ac tritissimam esse oportere, cum plerique illuc clausis oculis eant. DREX. *in Rogo damnatorum.*

Quæ vitia potissimum ad Infernum deducant, Thomas Morus hoc distycho indicavit,

Si quis ad infernos properat descendere Manes
Huc iter accelerant, Balnea, Vina, Venus.

Quemadmodum olim Jacob Patriarcha manum dextram Ephraimo juniori filio Joseph, sinistram vero Manassi filio seniori imposuit; ita Deus ad dextram olim eos, quos mundus postponebat, ad lævam eos quos ille præferebat, collocabit. INCHIN. p. III, c. XX.

ÆQUITAS. — Daniel, ubi visum de Nabuchodonosore septem annis inter bestias victuro audivit, sic expavit, ut ad horam mutus staret; quid nos si damnatos æternum inter Dæmones et tormenta victuros credamus? DANIEL IV.

UTILITAS. — Afri, ut leones a se arserent, alios a se captos suspenderunt, quibus visis reliqui silvis exire non sunt ausi; quanto magis ad infernum accedere verebuntur homines, si damnatos tantopere cruciatos intueantur? LIPSIUS, l. *de Cruce.*

Democritus Philosophus docere solebat, orbem duobus mediis contineri, amore præmii, et timore supplicii; quæ duo Cyrus Rex *Regis brachia* appellabat. Recte autem de præmio Regni cœlestis et supplicio Inferni intelliguntur; per hæc enim vel maxime homines in officio continentur. BESSÆUS, conc. I *de Infern.*

Cum Asceta quidam Achillem Monachum rogasset, unde accideret, quod in cella otio ac torpore marcesceret? respondit is, id inde provenire, quod nec quietem, quam speramus, nec tormenta, quæ timemus, animo volveret; hoc enim si faceret, etiamsi cella vermibus plena esset, libenter in ea mansurum. *Vit. PP.* l. q. §. 107.

ÆTERNITAS. — Etsi flamma fornacis Chaldææ usque ad quadraginta novem cubitos se porrexerit, quinquagesimum tamen jubilæarii numeri non attigit, quia figura erat ignis infernalis, ubi nullum jubilæum spei et gratiæ datur. BESSÆUS, conc. VI *de Inf.* p. 2.

Recte quoque Prudentius canit:

Vermibus et flammis, summis cruciatibus ævum
Immortale dedit, senio ne flamma periret.
PRUD. *contra Marcionit.*

AXIOMATA.

Cesset voluntas propria, et Infernus non erit.

Facilis descensus Averni.

Qui vivus cum Christo descendit ad inferos
Moriens cum eo ascendit ad cœlos.

Procul ab aula, procul ab inferno.

Momentaneum, quod delectat,
Æternum, quod cruciat,

Memorare novissima, et in æternum non peccabis. S. BERN.

AUCTORES.

Petrus Bessæus, *de Quatuor Novissimis.*

Gabriel Inchinus, *de Quatuor Novissimis* part. III.

Jeremias Drex. *in Rogo damnatorum.*

Philippus d'Outreman, *in Pædogago Christiano*, p. I, c. VIII, § 9.

Ludovicus Granatensis, *in Locis Communibus*, fol. 826.

Joannes Lopez, *Epit.* l. IX, c. III.

Petrus Canisius *de Noviss.* c. V.

Matthias Faber, conc. VIII, *in festo S. Catharinæ.* Item, conc. VI et VII. *Dom.* 3 *post Epiph.* Item, conc. II et III. *Dom.* 19 et conc. II. *Dom.* 20. conc. VII. *Dom.* 21. *post Pent.*

Thomas Stapletonus, tex. 10, *in Dom.* 3. et tex. 8. *in Dom.* 5 *post Epiph.* Item, tex. 9. *in Dom.* 19 *post Pent.*

Henricus Engelgrave, *in Luce Evang. Dom.* 5 *post Pent.*

Josephus Longius, *in Polyanth.* tit. eod.

Jacobus Salianus *de Timore Dei* l. ult.

Dionysius Carthusianus, *de Quatuor Novissimis*, c. XXXV.

Georgius Reeb, *in Regulis prudentiæ* p. I, c. III.

Bartholomæus Saluthius, *in Septem Tubis*, tuba 6, tota.

INGRATITUDO.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est culpabilis negligentia in debitæ gratitudinis officio persolvendo. Seu brevius : Est culpabilis omissio gratitudinis debitæ. Jos. Lang. V. eodem.

Actus. — Beneficium acceptum negare.

Beneficium collatum dissimulare.

Beneficium acceptum non compensare.

Beneficii accepti penitus oblivisci.

Beneficium collatum maleficio rependere. Seneca.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Non est inventus, qui rediret, et daret gloriam Deo. Luc. xvii, 17.

Filios enutrivi, et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Isaias. I, 2.

Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui ; Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. Is. i, 6.

Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ? An quod expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas? Is. v, 6.

Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ ? Jer. xviii, 20.

Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa; erunt enim homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti. II. Tim. iii. 1.

Hæccine reddis Domino populo stulte et insipiens? Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te ? Deut. xxxii, 6.

Damnum. — Qui reddit mala pro bonis non recedet malum de domo ejus. Prov. xvii 13.

Ingrati spes tanquam hybernalis glacies tabescet, et disperiet tanquam aqua supervacua Sap. x, 29.

In die illa erunt civitates fortitudinis ejus derelictæ sicut aratra et segetes, quæ derelictæ sunt a facie filiorum Israel, et eris deserta, quia oblita es Dei Salvatoris tui, et fortis adjutoris tui non eris recordata. Jer. xvii, 4.

EX SS. PATRIBUS.

Damnum. — Ingratitudo est inimica animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ. S. Bern. s. lii.

Recolam ad mentem meam omnia bona, Domine, quæ fecisti mihi a juventute mea, in omni vita mea. Scio namque, quod ingratitudo multum tibi displiceat, quæ est radix totius mali spiritualis, et ventus quidam desiccans et urens omne bonum, obstruens fontem misericordiæ tuæ super hominem, quia et mala jam mortua oriuntur, et viva jam opera moriuntur. S. Aug. c. xviii, *Soliloq.*

Si accipientes divina munera taciti et immemores fuerimus, tanquam ingrati et indigni eorum subministratione fraudabimur. S. Ambr. s. xlii.

Ingratus extitit, qui plenus virtutibus Deum non omnino timuit. In hoc enim quisque peccator fit culpabilior, quo est Deo acceptior. Ideo enim Adam plus peccavit, quia omni bono abundavit. S. Aug. l. *de Pœn.*

Quanto majora beneficia sunt hominibus collata, tanto graviora peccantibus judicia constituta. S. Chrys. *sup. Matth.*

Gratiarum cessat discursus, ubi recursus non fuerit. Nec modo nil augetur ingrato, sed et quod accipit, in perniciem ei vertitur. S. Bern. s. in c. i. *Jejunii.*

Retribuebant mihi mala pro bonis. Ego attuli fecunditatem, ipsi retribuebant sterilitatem ; ego vitam, ipsi mortem ; ego honorem, ipsi contumelias ; ego medicinam ipsi vulnera ; et in his omnibus, quæ retribuebant, utique steriles erant. Hanc sterilitatem in arbore maledixit, ubi fructum, cum quæreret, non invenit. S. Aug. *in* Ps. xxiv.

Ingratitudo peremptoria res est et hostis gratiæ, inimica salutis, quoniam nihil ita displicet Deo, quemadmodum ingratitudo. S. Bernar. *sup. Cant.*

Si gratiam homini non referre simile est homicidio, quantum crimen est Deo non referre ? S. Ambr. *in Offic.*

Grave nimis est, ut fructus laboris sui fraudetur industrius, et cui debet pro sedu-

litate conferri præmium, dispendium patiatur injustum. Et malorum omnium probatur extremum, ut inde quis cogatur detrimenta suscipere, unde credebat auxilium provenire, molestiam pati sine causa, pœnam sine culpa, damna sine delictis. Cassiod. l. IV, ep. XI.

Si qua gravis necessitas presserit, tunc Dei recordatur. Si belli terror infremuerit, si morborum pestifera vis incubuit, si alimenta frugibus longa siccitas denegavit, si tempestas, si grando ingruat, ad Deum confugitur, a Deo petitur auxilium, Deus ut subveniat oratur. Si quis in mari vento sæviente jactatur, hunc invocat. Si ad extremam mendicandi necessitatem deductus, victum precibus exposcit, Deum solum obtestatur, per ejus unicum atque divinum nomen hominum sibi misericordiam quærit. Nunquam igitur Dei meminerunt, nisi dum in malis sunt. Postquam metus deseruit, et pericula recesserunt, Deo, quem ante in sua ipsa necessitate imploraverant, ne verbo quidem gratias agunt. Lactant. Firm. l. II, *de Divin. Instit adversus gentes.*

EXEMPLA CATHOLICA.

Qualitas. — Pincerna Pharaonis succedentibus prosperis oblitus est beneficii a Josepho accepti, ideoque ipse se redarguit, ac accusat dicens : Confiteor peccatum meum ; quod videlicet oblitus benefactoris mei non sim locutus Pharaoni pro illius liberatione. Gen. XLII.

Dedit Deus eam gratiam in oculis Hebræorum, ut Ægyptios omni auro et argento rebusque pretiosis spoliarent; at illi ex his spoliis sibi vitulum aureum conflaverunt, quem, vero Deo relicto, adoraverunt. Exod. XXX.

Quibusdam Agarenis per cellam S. Sabæ transeuntibus et famentibus, cum ipse radices tantum et cortices arundinum apposuisset, illique paulo post rediissent, et caseos dactilosque attulissent, exclamavit hic sanctus : Heu mihi ! Barbari isti, parvi nostri beneficii memores referre gratiam munifice studuerunt ; nos autem, qui quotidie fruimur bonis Creatoris, nullam ei vicissim studemus referre gratiam per mandatorum observationem. Surius, *in Vita*, t. VI, f. 95.

Frater Ægidius, S. Francisci Discipulus, cum divitem quemdam pro beneficiis acceptis ingratum vidisset, eum hoc argumento ingratitudinis convicit : Incidi, inquit, in hominem manibus et pedibus truncum, oculisque orbatum, eum cum benigne percunctatus essem, quid reponere vellet, si manum, pedes et oculos ei aliquis restitueret ? respondit : Servum me illi perpetuum consecrarem. Tum ad divitem conversus : Cum ergo et tibi, inquit, Deus oculos et manus, ac pedes cæteraque corporis membra integra et illæsa tot annis servaverit, tu iis in contemptum abuteris ? Engelgr. *in Dom.* 6 *post Pent.*

Anno 1482, Dantisci latro juvenis suspendendus, ope P. Guardiani Franciscanorum, qui eum olim e sacro fonte levarat, vita donatus, pessimam vicem retulit ; eumdem enim postea a tergo adortus et caput medium scidit. Captus, et ideo capite damnatus, ultima verba locutus dixit : Utinam omnes, qui a suspendio me suis precibus nuper liberarunt, simili morte peremissem. Ibidem.

Columbus post occupatas in India insulas quatuor, jam Vice-Rex, ab æmulis fuit accusatus, velut Indos baptizatos non foveret, studeret potius mancipia ex iis, quam Christianos facere, eos occupari in effodiendo auro, non habita ratione, eos sustentandi ; unde Rex Franciscum de Bobadiglia cum potestate misit, qui in Columbum inquireret. Qua de re Rex eum moneri litteris cæterum officiosis jussit, ne quæsitori obsisteret. Is, non auditis, eum ac fratres post multas criminationes jubet in vincula dari, et ferro oneratos in Hispaniam mittit. Cum vincula essent Columbo injicienda, diu nemo præ reverentia ausus est id exequi, donec vilis homuncio, ejusque adeo coquus id fecit. Ubi Columbus a servo suo vidit sibi vincula injici, ingemuit. Et ita, inquit, mundus eum tractat, qui ei servit; hoc præmium est humanæ spei, et laborum? Sepeliar, si morior, cum his vinculis, ut sint testes, solum Deum facere gratiam, cujus eum non pœniteat, mundus mentitur, et fallit. Ubi fuit in Hispaniam delatus, Rex id ægre tulit, neque enim id volebat. Adductus ad Regem et conjugem ejus præ lacrymis diu loqui non potuit; tandem rationem factorum dedit. Reges consolati sunt hominem, comperta demum veritate, cum potestate priori eum ac fratres in Indiam remisere, bonis omnibus ante confiscatis, denuo illis redditis. Alphons. de Ovilles, *in relat. Hist. Chill.* l. IV, c. VI.

De Adamo, primo parente nostro sic

loquitur S. Augustinus : Quanto magis homo fruebatur Deo, tanto majore impietate dereliquit Deum, et factus est malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum, quod posset esse æternum. S. Aug. l. *de Civ.* cap. 17.

De Judæis quoque S. Chrysostomus: Vultis cognoscere, quanta Judæis fecit Deus, et permanserunt semper ingrati ? Septuaginta et quinque animæ ingressæ sunt Ægyptum, et factæ sunt sexcenta millia. Mortuus est Joseph, et surrexit Rex alius immemor Joseph, qui valde illos afflixit ; clamaverunt ad Dominum, qui eduxit eos per Moysen ex Ægypto, et duxit in desertum. Et queruntur Moysi : Eduxisti nos in desertum, ut occideres, quasi non sint sepulchra in Ægypto. Cognosce ingratitudinem. Sed rem majorem vide. Quadraginta annis fuerunt in deserto, capillusque illorum non crevit neque unguis, neque vestis sordidata, nec calceus attritus, non seminaverunt, nec messuerunt, non pinsuerunt, nec coxerunt panes, sed panem de cœlo comederunt, et post tot beneficia dixerunt Aaroni : Da nobis Deos, qui nos præcedant. S. Chrysost. *in ser. contra Jud.*

De Juda S. Ambrosius ait : In proditore Dominus hoc gravissimum invenit, quo ejus condemnaret perfidiam, quod gratiæ vicem non repræsentaverit, et conviciis amicitiæ venenum malitiæ miscuerit. S. Ambr. l. I, *de. Virg.*

Tradunt Hebræi, teste S. Hieronymo, ideo ægrotasse Ezechiam, quod post inauditam victoriam Judæorum et Assyrii Regis interitum non cecinerit laudes Domino, quas cecinit Moyses Pharaone submerso, et Debbora interfecto Sisara, et Anna genito Samuele. S. Hier. *in Isaiam*, lib. II.

Jonas, quia non gratias Deo egerat ob hederam tam subito productam, mox sub diluculum præparavit Deus vermem, qui arrosit et arefecit illam. Jonas. IV.

Insigni ingratitudine erga fratrem Isaac Imperatorem Constantinopolitanum, a quo unice diligebatur, Alexius usus est. Nam quanquam a Turcis culpa sua captus, ab Isaac fratre statim magno auri pondere redemptus, dominum suum, nedum fratrem tanti muneris auctorem vir perfidus ingratusque oculis atque imperio simul privavit. B. Fulg. lib. V.

Ingratitudine Philippus, Dux Mediolanensis, erga Beatricem conjugem non caruit ; nam cum adolescens esset, et propter Joannis fratris immanitatem paterni imperii parte amissa, pars quæ superaret, in magno discrimine versaretur, omnium egens Beatricem Facini Canis militarium copiarum suarum ducis uxorem ipsius Facini hortatu, qui paulo post decessit, in matrimonium duxit, quia et militum animos, qui ei assueverant, et pecuniam qua Facinus abundabat, cum nuptiis secum trahebat. Ejus igitur ope compositis rebus, quia ætas longe dispar erat, neque Philippo conjux, sed avia superinducta videbatur, ut se gravi matrimonio liberaret, Philippus turpitudinis insimulatam, clam, ut aiunt, judicio tamen ante facto interimi jussit. Idem. X.

EXEMPLA PROFANA.

Qualitas.

Ahenienses a Philippo in bello capti, iterumque dimissi, tam ingrati fuerunt, ut etiam vestes et stragula a Macedonibus repeterent, eosque propterea in jus vocarent. Plutarc. *in Apoph.*

Basilius Imper. cum in venatione cervi cornibus per zonam arreptus in sublime ferretur, et quidam ex famulis ejus liberandi causa cingulum ense dissecuisset, pro munere, quod ei debebat, caput illi præcidi per summam ingratudinem jussit, quod contra Imperatorem gladium strinxisset. Baron. ann. 687.

Athenienses, licet Socratem Apollinis indicio omnium sapientissimum declaratum, suamque juventutem præclare ab eo institutam scirent, nihilominus tamen ob levem causam veneno oblato sustulerunt. Sabellic. l. VII, c. II.

Justinianus Imperator licet Belisarii ducis sui auxilio, Persas in Oriente, Wandalos in Africa, et Gothos in Italia superasset ; horum tamen omnium immemor eum exoculari jussit, unde is postea stipem petens dicebat : Belisario nummum date, quem virtus extulit, et in imum invidia (et ingratitudo) præcipitavit. Lang. V. eodem *in Polyant.* f. 574.

Cæsar cum inter eos, quorum manibus interemptus esset, etiam Brutum, quem tam paterne educaverat, et ad summos honores evexerat, vidisset, hoc solum quasi dolens dixit : Et tu, Fili ? Beirl. *in festo S. Matth.* text. 3.

Valerius Maximus merito ingratum ani-

mum Popilii exaggerat, quod a Cicerone prius defensus, postea, cum nemo Antonio in ejus cæde obtemperare vellet, ille solus tanti facinoris executionem susceperit. Ibid.

Claudius Nero decrevit, ut, si dominus quispiam servum ægrotantem non omni cura foveret, aut domo ejiceret, hoc ipso servus libertati restitutus foret. Ibid.

Recenset Sabas Castilioneus in libello quodam, cui titulus : *Ricordi*, in Brutiis olim statutum, ut is, qui vellet agere contra ingratos, certam campanulam ad id destinatam pulsaret, ad cujus pulsum mox quidam Senatores conveniebant. Accidit forte ut quis equum cæcum et strigosum ob senium domo expulerit, qui equus forte, stabulum ratus, sacellum illud intrat, in quo dicta campana pendebat ; ex qua cum frondes, nescio quo casu, penderent, equus quippe jejunus decerpendo campanam movit, et Senatorum aures, ut mox ad causam dicendam confluerent, excitavit, sed reperto tantum ad campanam equo, ut viderunt, cujus antea fuisset, domino suo restituendo ut eadem lege equum aleret, qua cautum est, esse cuiquam ingrato. Majol. p. IV, coll. I.

P. Scipio Africanus Æmilianus, M. Aquilio et C. Sempronio Cons. post duos consulatus, duosque triumphos et bis excisos terrores Reipublicæ, mane in lectulo repertus est mortuus, ita ut quædam elisarum faucium in cervice reperirentur notæ. Ab hinc annos centum quinquaginta, ait Velleius, de tanti viri morte nulla habita est quæstio ; ejusque corpus velato capite elatum est, cujus opera super totum terrarum orbem Roma extulerat caput ; seu fatalem, ut plures, seu conflatam insidiis, ut aliquæ prodidere historiæ, mortem obit. Velleius, l. II, *Valer.*

Livius Drusus, vir nobilissimus, eloquentissimus, sanctissimus, cum Senatui priscum restituere cuperet decus, in iis ipsis, quæ pro Senatu moliebatur, Senatum habuit adversarium ; tum conversus Drusi animus, quando bene cœpta male cedebant, ad dandam civitatem Italiæ. Quod cum moliens revertisset e foro, immensa illa et incognita, quæ eum semper sequebatur, multitudine cinctus, in atrio domus suæ cultello percussus, qui affixus lateri ejus relictus est, intra paucas horas discesserit. Sed cum ultimum redderet spiritum, intuens circumstantium, mœrentiumque frequentiam ; effudit vocem convenientissimam conscientiæ suæ : « Ecquando, inquit, propinqui, amicique, similem mei civem habuit Respublica ? Velleius, f. 58, l. II.

Ut omnibus aliis in rebus immania horrorisque plena Caligulæ principis scelera fuerunt, ita ingratitudinis quoque crimine non alios modo mortales, verum feras quoque ipsas immanitate insignes superavit ; id in eo præcipuum erat, quod omnes, a quibus amabatur, odio habebat, magis hoc patuit, cum pro ejus valetudine, quæ in discrimine erat, quidam sese pugnaturum vovisset ; morbo enim liberatus, ut votum solveret, exegit, neque abire campo nisi victorem passus est, omni arte enixus, ut qui pro ejus servanda salute discrimini vitam obtulerat, pro gratia mortem reportaret. B. Fulg. lib. II.

M. Cicero Cneum Popilium Lepatem, Picenæ regionis, rogatu Marci Cœlii non minore cura, quam eloquentia defendit ; eumque causa admodum dubia fluctuantem salvum ad penates suos remisit. Hic Popilius postea nec re nec verbo a Cicerone læsus, ultro M. Antonium rogavit, ut ad illum proscriptum persequendum et jugulandum mitteretur, impetratisque detestabilis ministerii partibus, gaudio exultans, Cajetam cucurrit, et virum, omitto quod amplissimæ dignitatis, certe salutis ejus auctorem, studio præstantis officii privatim sibi venerandum, jugulum præbere jussit, ac protinus caput Romanæ eloquentiæ, et pacis clarissimam dextram per summum et securum otium amputavit, eaque sarcina tanquam opimis spoliis alacer in urbem reversus est ; neque ei scelestum portanti onus succurrit illud se caput ferre, quod pro capite ejus quondam peroraverat ; invalidum hoc monstrum suggillandum litteræ, quoniam quis qui talem Ciceronis casum satis digne deplorare possit, alius Cicero non exstat. Max. lib. V.

Neminem Lycurgo aut majorem, aut utiliorem virum Lacedæmon genuit, utpote cui Apollo Pythius oraculum petenti respondisse fertur, nescire se, utrum illum hominum an deorum numero aggregaret ; huic tamen neque vitæ summa sinceritas, neque constantissimus erga patriam amor, neque leges salubriter excogitatæ auxilio esse potuerunt, quominus infestos aves experiretur. Sæpe enim lapidibus petitus, aliquando ejectus, furore etiam privatus oculo, ad ultimum ipsa patria pulsus est. Quid aliæ facient urbes, ubi etiam illa, quæ constantiæ et moderationis et gravitatis sibi laudem eximiam

vendicat, tam ingrata adversus tam bene meritum extitit? Ibid.

SIMILITUDINES.

Qualitas.—Sicut hedera arbores, quarum auxilio in altum assurgit, corrumpit et destruit; ita ingrati suos benefactores pessumdant. Plut. *in Mor.*

Sicut dementissime ageret, qui tutorem filio relinqueret pupillorum spoliatorem; ita pessime beneficia collocat, qui ea ingratis confert. Senec. l. IV, *de Bon.* c. xvii.

Sicut siphinius lapis oleo excalefactus durescit, alioqui mollissimus; ita quosdam benefactis reddas deteriores. Idem, *in Simil.*

Sicut nubes solis virtute in altum subvectæ solem postea offuscant; ita ingrati a Deo exaltati gloriam ejus obscurant. Stapl. t. V *in Do.* 13, *post Pent.*

Sicut mare omnes dulces aquas recipit, et salsas a se remittit; ita ingrati mala pro bonis reddunt. Ibid.

Sicut mulus a matre lactatus calcibus illam ferit; ita ingrati a Deo impinguati recalcitrant. Ibid.

Sicut muscæ in tersissimis speculis reptantes labuntur, in asperis locis hærent; ita homines multi beneficiorum immemores, injuriarum tenaces sunt. Ibid.

Damnum. — Sicut si Rex quotannis mille aureos dari cuipiam juberet, ille vero eos omnes in venenum vel arma, quibus eum tolleret, impenderet, utique gravem iniquitatem commisisse, milleque mortes promeruisse censeretur; ita non minore pœna digni censendi sunt, qui Dei dona in occasionem peccandi vertunt. Staplet. tex. V, *in Dom.* 3 *post Epiph.*

Sicut mendicis gratias pro eleemosyna dicere negligentibus, nullam deinceps stipem porrigere solemus; ita non possunt in nobis dona gratiæ fluere, quia ingrati sumus Auctori, nec totum refundimus fontali origini, ut bene notavit pius Auctor. Thom. Kemp. l. II, c, x, n. 2.

MOTIVA.

Quia vitium hoc vehementer *Deus* detestatur; hinc primum peccatum, quod Isaias a Deo populo Israelitico exprobare jussus erat, ingratitudo fuit, dum dixit: Audite cœli, et auribus percipe terra, quoniam Deus locutus est: Filios enutrivi, et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Isaiæ, i.

Quia etiam *Natura* humana velut monstrum detestatur hoc vitium; sic enim naturale est amantem redamare, quia amori solus amor digne rependitur; ita monstruosum est, amanti ac benefacienti gratum se non præbere. Staplet. tex. V *in Dom.* 13 *post Pent.*

Quia etiam *Bestiæ* hoc vitium oderunt; cum tam ex variis historiis, quam experientia quotidiana constet, quantumvis feras bestias beneficiis collatis cicurari. Sed et memorabile est, quod Geminianus de pelicano refert, quod scilicet, dum ob effusum super pullos sanguinem, quem pro ipsis vivificandis rostro ex pectore excivit, ita debilitatur, ut a pullis ali debeat, diligenter attendat, quinam hoc officium majore sollicitudine præstent, et hos velut gratos foveat, reliquos velut ingratos et abortivos nido exturbet. Hinc merito S. Ambrosius exclamavit: Quid de canibus loquar, quibus insitum est natura quadam referre gratiam, et sollicitas excubias, pro dominorum salute prætendere? Quis non erubescat gratiam bene de se merentibus non referre, cum videat etiam bestias refugere crimen ingrati? Et illæ impertitæ alimoniæ servant memoriam, tu non servas salutis acceptæ. S. Ambr. l. VI *in Hexam.* c. iv.

Quia *summe perniciosum* est hoc vitium; cum non tantum exsiccet fontem pietatis, rorem misericordiæ, et fluenta gratiæ, ut S. Bernardus dixit; sed etiam gravissimarum pœnarum reum faciat, cum tanto majora ingratis supplicia sint constituta, quanto plura beneficia prius sunt collata. S. Bern. s. lii.

MEDIA.

Sæpe considerare, quantopere nobis doleat, si nobis pro minimis licet beneficiis debitæ gratiæ non agantur; hinc enim colligemus, quantopere Deo displiceat, si pro tot, tamque magnis beneficiis ingrati existamus.

Exempla brutorum quotidiana ponderare. Quæ ob unum alterumve bolum datori blandiuntur, aliaque gratitudinis signa exhibent.

Desiderium cœlestium donorum concipere;

sic enim incitabimur ad ingratitudinem, quæ talium donorum impetrationem impedit, totis viribus detestandam.

Beneficiorum Dei magnitudinem et multitudinem frequenter meditari; ex hujus enim meditationis neglectu plerumque ingratitudo oritur.

Beneficia potiora a Deo accepta annotare; certaque tempora, quibus recolantur, sibi præscribere, maxime autem in primo puncto nocturni examinis ferventius se in gratiarum actione exercere.

ASCETICA.

Tria sunt præcipua, quæ circa hoc vitium ab Asceta observanda sunt. Primum est, ut bene advertat, quod S. Augustinus alicubi sapienter pronuntiavit, nimirum cultum Dei in hoc præcipue constitutum esse, ut anima ei non sit ingrata; unde in ipso verissimo et singulari sacrificio Domino Deo nostro gratias agere jubemur. Deus enim bonorum nostrorum non indiget. S. Aug. l. *de Spir. et Lit.*

Secundum est, ut pariter bene apprehendat, nullum perinde vitium tantopere displicere Deo, ac subjectum ad divina dona accipienda ineptum reddere; quare ingratitudinem, ac proinde specialiter ab Asceta fugiendam esse, ne illud de Juda dictum audire cogatur: Tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus, qui semper mecum dulces capiebas cibos, etc.

Tertium est, ut sciat, non modo pro secundis rebus, sed etiam pro adversis cavendam esse ingratitudinem; nam, teste S. Hieronymo, Christianorum propria virtus est, etiam in his, quæ adversa putantur, referre gratias Creatori.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Non est inventus, qui rediret, et daret gloriam Deo; » (Luc. xvii, 17.) ingratorum hominum multitudo ostendi potest, seu, quod idem est, quam commune hoc vitium sit omnibus hominibus, id quod facile præstabitur, si tres gradus ad perfectam gratitudinem requisiti ob oculos habeantur, videlicet, ut beneficium magni æstimetur, ore deprædicetur, et facto compensetur; quæ sane tria officia respectu Dei saltem a paucissimis observantur, cum plerique donis Dei ad contemptum et offensam Dei abuti soleant. Vide Fabr. conc. I *in Dom.* 3 *post Pent.*

Ex occasione thematis: « Qui reddit malum pro bonis, non recedet malum de domo ejus; » (Coloss. iii, 15.) possunt explicari mala, quæ obvenire plerumque solent ingratis. Nimirum 1. Malum *negatæ benedictionis* in rebus temporalibus, quia gratiarum cessat discursus, ubi recursus non fuerit. 2. Malum *infamiæ*, quam merito incurrit ingratus apud Deum et homines, utpote qui negligit officium, quod ipsa bruta tam sollicite solent præstare. 3. Malum *culpæ*, cum, teste S. Augustino, ingratitudo sit radix totius mali spiritualis, et ventus omne bonum desiccans. S. Aug. c. xviii *Soliloq.* 4. Malum *pœnæ*; quia quanto majora cuique beneficia sunt collata, tanto majora quoque ingrato supplicia sunt constituta, ut S. Chrysostomus dicere solebat. Vide Fabrum conc. III *in Dom.* 13 *post Pent.*

Ex occasione thematis: « Filios enutrivi, et exaltavi, et ipsi spreverunt me; » (Isaiæ I, 2.) ostendi potest, quam juste hæc verba Deus etiam nostris temporibus usurpare possit, immo longe potiori titulo. 1. Quia longe majore sollicitudine enutrivit, alens cibo et potu longe præstantiori, Corporis scilicet et Sanguinis sui, medicinam quoque pretiosiorem longe per Sacramentorum institutionem offerens, et majorem sapientiam communicans per clariorem sui, rerumque cœlestium cognitionem instillatam. 2. Quia etiam copiosius longe exaltavit, dum plura et efficaciora media suppeditavit ad virtutum, per quas solas verus honor et gloria obtinetur, perfectionem obtinendam, majoremque cum ipso amicitiam, qui supremus dignitatis gradus est, comparandam. Ostendatur dein, quam gravem oporteat esse contemptum eorum, qui post tot tantosque favores ac honores collatos, nihilominus adhuc ipsum odio prosequi et spernere ausi sunt, cum tamen ipsa bruta ad nocendum a natura impelli solita, parvo quandoque cibo cicurentur, et ad beneficia potius, quam damna inferenda pertrahantur. Juvabit hunc in finem adducere illa Psalmistæ verba: « Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, etc. » cum sequentibus, paulo fusius explicare.

Ex occasione thematis: « Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi; » (Ps. cviii, 4.)

ostendatur, quam vere ingratitudo *detractio* dicatur, tum respectu Dei, cujus beneficentia et amor erga Christianos minoris longe æstimatur apud Gentiles et alios Ecclesiæ hostes, si videant ipsos Christianos in æstimandis beneficiis specialibus a Deo collatis tam negligentes esse. Deinde pariter ostendatur, quam gravis maledictio maneat ejusmodi ingratos Christianos, illa nimirum, quam David in citato psalmo expressit, dicens. 1. Constitue super eum peccatorem et Diabolus stet a dextris ejus, qui eum ab uno peccato in alterum præcipitet. 2. Cum judicatur, (maxime in extremo judicio) exeat condemnatus. 3. Oratio ejus fiat in peccatum; quia locutus est adversus me labiis dolosis, et sermonibus odii circumdedit me. 4. Fiant dies ejus pauci, quia, cum non agnoscat beneficia Conditoris et Conservatoris sui, non meretur illis diutius frui. 5. Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent, quia ipse urentem super bona sua temporalia induxit. 6. Diripiant alieni labores ejus, justo Dei judicio in digniores et magis gratos dispensantis. 7. Non sit illi adjutor, nec sit, qui misereatur pupillis ejus, quia indignus est adjutorio, qui tam parvi illud æstimat. 8. Dispereat de terra memoria ejus, quia equum est, ut hominum oblivionem incurrat, qui tanti Benefactoris sui oblivisci ausus est.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Inter plurima, maximaque vitia nullum frequentius est, quam ingrati animi, ut jam olim recte advertit Seneca, Senec. l. I *de Benef.* c. I.

Diogenes quærenti, quid apud homines celerius senesceret? *beneficium*, inquit; dici enim vix potest, quanta beneficii accepti apud plerosque sit oblivio. Stobæus, *ap. Lang. in Polyan.* fol 572.

Themistocles Atheniensibus ipsum contumelia afficientibus: Quid tumultuamini, inquit, adversus eos, a quibus sæpenumero commodis fuistis affecti? Aiebat autem se similem platanis, sub quarum umbra accurrunt homines afflicti tempestate, et easdem mox, ubi serenitas rediit, vellunt, et lacerant. Plut. *in Apoph.*

Plato Aristotelem mulum vocare solebat, eo quod, sicut mulus post lac a matre acceptum, eamdem calce ferit; ita ille quoque post lac sapientiæ a Platone haustum peripateticam scholam contra ipsum instituerit. Ælian. l. IV *de Var. Hist.*

Alphonsus Rex objurgatus, quod in Alvarum Lunam, hominem ingratissimum, tot beneficia contulisset, quorum ipse ne meminisset quidem, respondit: An ignoratis, ingenti beneficio non nisi ingenti ingratitudine satisfieri. Panor. *de Reb. Alph.*

In veteri lege holocaustum, quod offerebatur pro gratiarum actione, non erat in crastimum servandum, ut per hoc ostenderetur, gratiarum actiones non differendas esse. Lev. VII.

Per Ezechielem præcepit Deus, ut qui templum ingrediebatur, per aliam portam egrederetur, ne Propitiatorio alioqui terga verteret; quo ritu docere voluit, non esse Deo beneficia conferenti per oblivionem terga vertenda. Ezech. XLVI.

Guilielmus Parisiensis dixit, ingratitudinem esse magnum Diaboli miraculum, cum sit vel maxime contra naturam. Guil. Par. l. I *de Rhet. div.* c. IV.

Fridericus Imperator dicere solebat, ex iis, quos extulisset, quam paucissimos gratos fuisse, idque muneribus suis actum esse, ut ex fidelibus infideles fierent.

Damnum. — Seneca notavit, humanis legibus nullam ingratitudini pœnam constitutam esse, quia tanta ejus est iniquitas, ut soli Dei justitiæ rigidissimæ punienda relinquatur. Stap. *in Dom.* 3 *post Epiph.* tex. V.

Publius Mimus dicere solebat: Dixeris maledicta cuncta, si ingratum dixeris. Busæus, *in Panar.*

Cicero quoque de ingratitudine dicebat: In ingratitudinis vitio nihil mali non inest. Cicer. *ad Attic.* VIII.

Recte cecinit nonnemo:

> Pertusum vas est ingratus homuncio, semper
> Omne, quod infundis, perfluit in nihilum.
> Coronarius.

Cerva quæpiam cum fugiens venatores sub vite se abscondisset, et iis prætergressis pampinos carpere cœpisset, venatores strepitu excitati redierunt, et deprehensam armis suis occiderunt. Quæ moriens dixit: Merito mihi hæc accidunt, quia violare servatricem meam non horrui. Langius, *in Pol.* fol. 574.

AXIOMATA.

Non male cecinit Catullus :

Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benignum est.
CATULLUS.

Quod facis ingrato, certo perit undique facto. BUCHLER.

Acerbum est, pro benefactis malorum messem metere. *Florileg.* p. I.

AUCTORES.

Joannes Busæus, *in Panario,* V. eodem.

Josephus Langius, *in Polyanth.* V. eodem.

Thomas Stapletonus , *in Promputario* , text. v, *in Dom.* 13 *post Pent.* et text. v, *in Dom. Palm.*

Laurentius Beirlinck, *in Festo S. Mathiæ Apostoli,* text. III.

Mathias Faber, conc. I, *in Dom.* 13, *post Pent.*

Josephus Mansi, *in Bibl. moral.* tr. XXX, disc. XIX et seq.

INTENTIO BONA.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est actus voluntatis, quo actiones hominis ad finem aliquem supernaturalem diriguntur. Ipsa virtutum omnium finis, initium, decus, et ornamentum est. De qua locutus est Sponsus dicens : Vulnerasti cor meum, Soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum (id est, ut Honorius explicat, in una intentione, quando unam tantum rem petit anima a Domino, ut inhabitet in domo Domini omnibus diebus vitæ suæ) et in uno crine colli tui, (hoc est, in una cogitatione intellectus, qua intelligit Deum esse summum bonum.)

DIVISIO. — Triplex potissimum est intentio bona. 1. Qua quis bonum operatur pœnæ æternæ formidine. 2. Qua quis spe præmii æterni bene agit. 3. Qua quis Deo propter suam bonitatem servit, seu puram Dei gloriam quærit. De quibus sic S. Dorotheus loquitur : Tres sunt conditiones et status, ut D. Basilius ait, quibus grati esse possumus. Si enim pœnam formidamus, in servili statu sumus. Si vero mercedis lucra consectantes, utilitatis et proprii commodi gratia, divina mandata peragimus, mercenariis assimilamur. Sin autem bono et honesto propter seipsum adhæreamus , in filiorum genere sumus. Filius enim ubi ad prudentiam discretionemque pervenerit, paterna vota exequitur, non timore plagarum, non etiam mercedis et præmii cupiditate, sed amore , pietate , observantiaque erga patrem ; persuasus enim satis est , suum fore, quidquid patris est. Subdividitur autem quævis ex istis intentionibus in *virtualem,* et *actualem* ; hæc est, quæ ex se refert opus ad finem ; illa est, quæ in virtute præcedentis actus aliquod opus ad finem ordinat.

ACTUS INTENTIONIS OPTIMÆ. — Primus est : *In omnibus rebus unicum Dei honorem quærere,* ad exemplum Estheris de se ipsa fatentis : Tu scis, Domine, quod numquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum, usque in præsentem diem, nisi in te, Domine. ESTH. XIV, 18. Nam, ut recte S. Augustinus dixit, minus te amat, Domine, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat.

Secundus est, *Seipsum oblivisci, et in sola Dei voluntate acquiescere,* ad exemplum Davidis dicentis : Confitemini Domino, quoniam bonus. Ps. CXIX, 1. Et hoc est, quod ipse Salvator suasit, dum dixit : Nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua. MATTH. VI, 4. Nam, ut sapienter S. Chrysostomus advertit, nihil æquæ inania reddit beneficia, disperditque, quam eorum, quæ nos recte fecimus, memoria ; duo enim parit mala, negligentiores facit, et in arrogantiam tollit. *Hom.* XII, *in ep. ad Philip.*

Tertius est : *Servire Deo, non solum ut id ipsi placeat* (hoc enim nescio quid humani etiamnum retinet, teste Drexelio) *sed quia sibi sic serviendi placet Deus,* seu, quia tam bonus est Deus , ut nostrum obsequium dignetur approbare, eoque se capi ac delectari ostendat. L. I, *de Rect. Int.* c. VII, § 3. De quo gradu S. Bernardus sic exclamat : O amor sanctus et castus ! O dulcis et suavis affectio ! O pura et defæcata intentio voluntatis ! eo certe defæcatior et purior, quo in ea de proprio nihil jam admixtum relinquitur ; eo suavior et dulcior, quo totum divinum est id, quod sentitur. Sic affici, deificari est. *De Dil. Deo.*

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. Cant. viii, 6.

Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. I Cor. x, 31.

Quærite Dominum, et confirmamini ; quærite faciem ejus semper. Ps. civ, 4.

Sapientis oculi in capite ejus. Stultus in tenebris ambulat. Eccl. ii, 14.

Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ps. l, 12.

Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. Coloss. iii, 27.

Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo. Eph. vi, 5.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea ; faciem tuam, Domine, requiram. Psal. xxvi, 8.

Anima mea illi vivet, et semen meum serviet illi. Ps. xxi, 31.

Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est. Ps. liii, 8.

Omnis æstimatio siclo Sanctuari (id est, gloriæ divinæ) ponderabitur. Lev. xxvii, 25.

Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito. Matth. vi, 3.

Ecce enim in cœlo testis meus, et conscius meus in excelsis. Job. xvi, 20.

Noli timere, Abraham, ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis. Gen. xv, 1.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt, et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. Matth. vi, 19.

Necessitas. — Lucerna corporis tui est oculus tuus ; si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit ; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Matth. iv, 22.

Gloriam meam alteri non dabo. Is. xlii, 8.

Universa propter semeptisum operatus est Dominus. Prov. xvi, 4.

Si quis non quæsierit Dominum Deum Israel, moriatur, a minimo usque ad maximum, a viro usque ad mulierem. II Par. xv, 13.

Væ duplici corde, et labiis scelestis ! (Id est, qui labiis honorant Deum, cor autem eorum longe est ab eo.) Eccl. ii, 14.

Utilitas. — Vulnerasti cor meum, Soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum. Scilicet bonæ intentionis, quem solum, ut sagittarii sagittas ad scopum jacentes apertum habuisti. Cant. iv, 9.

Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris. Deut. iv, 29.

Manus Dei nostri est super omnes, qui quærunt eum in bonitate. I Esdræ. viii, 29.

Quærite Deum, et vivet anima vestra. Ps. lxviii, 33.

Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum, et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt. Prov. iii, 9.

Et non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei, facio semper. Joan. viii, 29.

Si radix sancta, et rami. Rom. xi, 17.

Dignitas.—Nihilque erat in templo, quod non auro tegeretur. (Id est, nihil in anima justi atque perfecti hominis, quod non auro perfectissimæ charitatis fuerit exornatum.) III Reg. viii, 22.

Justi autem in perpetuum vivent, apud Dominum est merces illorum, et cogitatio eorum apud Altissimum. Sap. v, 16.

Omnis gloria ejus Filiæ Regis ab intus. Ps. xliv, 15.

Jucunditas. — Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, et perficiam opus ejus. Joan. iv, 34.

Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. S. Luc. ii, 14.

Utinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, et justitia tua sicut gurgites maris. Is. xlviii, 18.

Mala intentio. — Abominatio Domini est omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio illius. Prov. iii, 32.

Non bonam rem facis. Stulto labore consumeris. Exod. xviii, 18.

In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam

omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Israel. I Reg. xi, 17.

Gladius super brachium ejus, et super oculum dextrum ejus : brachium ejus ariditate siccabitur, et oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur. Zach. xi, 18.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. — Tunc solum Deo vera obsequia reddimus, cum eum propter amoris fiduciam non timemus ; cum nos ad bona opera non metus dirigit, cum malum menti nostræ non placet. S. Greg. *in Moral.*

Oblata Deo non pretio, sed affectu pensantur. Salvianus, *ad Eccl. Cath.*

Si gratiam ideo tibi dedit Deus, quia dedit gratis, gratis ama ; noli ad præmium diligere Deum ; ipse sit præmium tuum. S. Aug. *super Joan.*

Nescit Religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum. S. Hier. ep. xiv, *ad Celant.*

Non valde attendas, quid homo faciat, sed quid, cum facit, aspiciat. S. Aug. *in Ps.* xiii.

Quare voluntarie? Quia gratis amo, quod laudo. Laudo Deum, et in ipsa laude gaudeo ; ipsius laude gaudeo, quo laudato non erubesco. Gratuitum sit, et quod amatur, et quod laudatur. Quid est gratuitum? Ipse propter se, et non propter aliud. Quod præmium a Deo accepturus es, o avare? Non tibi terram, sed seipsum servat, qui fecit cœlum et terram. S. Aug. t. VIII, *in Ps.* lii.

Opera probant, quæ cernunt ; sed, unde prodeant, non discernunt. S. Bern. tr. *de Humil.* v.

Quid per oculum exprimitur, nisi opus suum præveniens cordis intentio, quæ priusquam se in actione exerceat, hoc jam, quod appetit, contemplatur? Et quid appellatione corporis designatur, nisi unaquæque actio, quæ intentionem suam quasi intuentem oculum sequitur? Lucerna itaque corporis est oculus, quia per bonæ intentionis radium, merita illustrantur actionis. S. Greg. l. xxviii *Mor.* c. vi.

Deus cor, et non substantiam pensat ; nec cogitat quantum, sed ex quanto quis operetur. Idem.

Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus ; tunc bases in fundamento sunt, cum intentiones nostræ in Christo roborantur. S. Greg. in c. xxxviii *Job.*

Sic sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut et de bono opere proximis nostris præbeamus exemplum ; et tamen per intentionem, qua soli Deo placere quærimus, semper optemus secretum. Idem, hom. xxi, *in Evang.*

Holocausta medullata offeram tibi. Quid est medullata? Intus teneam charitatem tuam ; non erit in superficie ; in medullis meis erit, quod diligo te. Nihil enim interius medullis nostris. Quisquis ergo in superficie colit Deum, magis placere vult hominibus, quam Deo. S. Aug. *in Ps.* lxv, 15.

Quomodo perfecte diligis, aut diligeris, si in summorum desiderio ad superna non raperis? Colligé teipsam ad temetipsam, et in solo Divinitatis desiderio requiesce. S. Bern. *de Dom. Inter.* c. lxix.

Prima vox, prima cogitatio, primus affectus divinam resonet laudem, ignitam ad Deum dirigat supplicationem. S. Laur. Justin. *de Disc. Mon.* c. x.

Quoniam Scriptura loquitur, Deum omnia fecisse propter semetipsum, erit profecto, ut factura se quandoque conformet et concordet Auctori. Oportet proinde in eundem nos affectum quandocumque transire, ut, quomodo Deus omnia esse voluit propter semetipsum, sic nos quoque nec nos ipsos, nec aliud quid fecisse vel esse velimus, nisi æque propter ipsum, ob solam videlicet ejus voluntatem, non nostram voluptatem. S. Bern. in tr. *de Dil. Deo*, coll. x et xi.

Conveniat unusquisque cor suum, et in omni vita inveniet, quam rarum sit, fidelem animam inveniri, ut nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob rumusculos hominum faciat. Neque enim statim, qui jejunat, Deo jejunat, aut extendens pauperi manum, Deo fœnerat. Vicinia sunt vitia virtutibus ; difficile est, Deo Judice, esse contentum. S. Hier. in ep. *ad Lucif.*

Vigilanti cura per cuncta opera intentio nostra pensanda est, ut nihil temporale in his, quæ agit, appetat, totam se in soliditate æternitatis figat. S. Greg. l. xxviii *Mor.* c. vi.

Pura erit intentio, si in omni actione nostra, aut honorem Dei, aut ædificationem proximi, aut bonam conscientiam quæramus. Duo quidem in intentione necessaria

requiruntur, res et causa, id est, quid intendas, et propter quid. Ex his sane duobus animæ vel decus, vel deformitas indicatur. S. Bern. c. cxvii.

Omne, quod datur Deo, ex dantis mente pensatur, unde scriptum est: « Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus; » neque enim sacrum eloquium dicit: Respexit, ad munera Abel, ad Cain autem non respexit, sed prius ait, *quia respexit ad Abel*, et deinde ait, *ad munera ejus*. S. Greg. l. xxi *Mor.* c. viii.

Cor et non substantiam pensat, nec perpendit quantum ejus Sacrificium, sed ex quanto proferatur. Idem, hom. v, *in Evang.*

Operationes bonæ commendantur affectu, neque enim minus beatus Elias, quam, Moyses, cum alter cibi indigus, melota vili, sine filiis, sine sumptu, sine comite; alter populi Dux, lætus sobole, succintus potentia, diverso genere meritum æquale fundarunt, quando cum Domino in transfigurationis gloria refulserunt. S. Ambr. l. I, *de Jacob. et Vit. beat.* c. viii.

Hæc est locutio metaphorica, quia corpus hic accipitur pro congerie operationum, sicut corpus materiale est quædam aggregatio membrorum diversorum, et ideo sicut oculus dirigit membra ad operandum, ut pedem ad ambulandum, manum ad scribendum; sic intentio recta, prout includit fidem et charitatem, dirigit varias operationes in finem debitum, ideo subditur: *Si oculus tuus simplex fuerit*, id est, intentio tua recta, sine plica falsæ simulationis, *totum corpus tuum*, id est, congeries operationum tuarum *lucidum erit*, id est, meritorium vitæ æternæ. Lyranus, *in Luc.* xi, 14.

Rarus profecto reperitur, qui solo testimonio contentus sit divino. Hoc probatissimorum virorum est proprium, qui in luce veritatis introrsus gradientes, Deo placere tantum concupiscunt. Talis Apostolus erat, cujus jam conversatio in cœlis habebatur; ideo dicebat: « Mihi pro minimo est, ut a vobis judicer, seu ab humano die.» Et alibi: « Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. » S. Laur. Just. *de Compl. Chr. perf.* col. xix.

Humanæ aures talia verba nostra judicant, qualia foris sonant; divina vero judicia foris audiuntur, qualia ex intimis proferuntur. S. Greg. l. xxiii *Moral.*

Sicut fabrica columnis, columna autem basibus innituntur; ita vita nostra in virtutibus, virtutes autem in intentione intima subsistunt. Idem.

Valde laboriosum est custodire, ne mala homo facere audeat, ne in bonis actibus per intentionem titubet, et inter recta opera sinistra cogitatio illudat. Idem, l. I. *Moral.*

Causa actum poterit decorare, si aut necessitate subsistat, aut utilitate vigeat, aut honestate splendescat, aut cum effectu mentis tota valeat substantia operis tolerari; opus non ex se, sed ex causa, fit crimen, nec aliqua virtutis ostentatione clarescit, cui voluptas originem præbet. S. Chrys. in tractatu *de Symb.*

Æquitas. — Quomodo non est hoc extremæ stultitiæ, hominum mente corruptorum gloriam quærere, cum oporteat ad oculum Dei, qui semper est insomnis, confugere, et ad illius sententiam omnia dicere et facere? Nam isti quidem, etiamsi laudaverint, nihil nos juvare poterunt. Ille autem, si ea quæ fiunt, fuerint ei accepta, et hic reddet claros et illustres, et in die futuro impertietur bonis ineffabilibus. S. Chrys. hom. xii, *in* 1, *ad Corinth.*

Necessitas. — Necessaria est charitas in intentione; cujus ratio est, quia charitas intentione ad omnia illa, quæ ad finem sunt, principaliter intenta dirigit, et extendit, et per hoc arctius unit, cum in omnibus unum intendit, et ad unum tendit, et omnia, quantum potest, cum illo unire quærit. S. Bern. l. *de Præc.*

Quod bona intentione non facis, non tibi proderit; quia quomodo feceris, non quomodo illi evenerit, tibi imputabitur. S. Aug. *super Matth.* vi.

Si semel cor intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas et terminus ab hoste secure possidetur, quoniam totam arborem sibi ferre fructus conspicit, quam veneni dente in radice vitiavit. Summa cura vigilandum est, ne vel operibus bonis serviens mens reproba intentione polluatur. S. Greg. *in Moral.*

Ut interior oculus vere simplex sit, duo illi arbitror esse necessaria, charitatem in intentione, et veritatem in electione. Sic oculum nequam duo e regione mala constituunt, cæcitas, qua fit, ut veritatem non cognoscat; et perversitas, qua fit, ut diligat iniquitatem. S. Bern. *de Consid.*

Quod est corpus sine vita, hoc est opus

sine intentione bona. Rich. *de Statu int. hom.* c. VII.

In cunctis operibus quicumque animi salutem exoptat, intentionis suæ componat obtutum, et ad illum, quem divina lex mandat, dirigat finem, ut non casso labore desudet. S. Laur. Just. *de Regim. Præl.* c. XXII.

Magni interest, cum aliquid boni facimus, cujus rei contemplatione facimus; officium quippe nostrum non initio, sed fine pensandum est, ut scilicet non tantum si bonum est, sed præcipue si bonum est, propter quod facimus, cogitemus. S. Aug. conc. XII, *in Ps.* CXVIII.

Non bene succedit, quidquid agitur passim, et sanctum non est, quod agitur sanctum, nisi sancte, quod sanctum, est peragatur. Origen. *de Sing. Cler.*

Utilitas. — Ne putemus, nos præmio carituros, si pro præmio non laboremus; imo ob hoc ipsum præmium erit majus, S. Chrys. hom. V, in ep. *ad Rom.*

Tunc Dei dilectio perfecta, qua prior ipse nos dilexit, in nostri quoque cordis transierit affectum, cum omnis amor, omne desiderium, omne studium, omnis conatus, omnis cogitatio nostra, omne, quod videmus, quod loquimur, quod speramus, Deus est. Isaac. Ab. *apud Cas.* coll. X, c. VII.

Hæc debet esse omnis intentio nostra, ut imaginem futuræ beatitudinis in hoc corpore possidere mereamur, et quodammodo arrham cœlestis illius conversationis et gloriæ incipiamus in hac vita prægustare. Hic, inquam, finis totius perfectionis est, ut eo usque extenuata mens ab omni situ carnali, ad spiritualia quodammodo sublimetur, donec omnis ejus conversatio, omnis volutatio cordis, una et jugis efficiatur oratio. S. Chrys.

Omnia vilia cum charitate facta, fiunt aurea atque divina. S. Ansel. in c. XIII, ep. I, *ad Cor.*

Vox hujus cantoris fervor est sancti amoris. Amemus, gratis amemus; Dominum enim amamus, quo nihil melius invenimus. Ipsum amemus propter ipsum, et nos in ipso, tam propter ipsum. S. Aug. S. CCLVII, *de Temp.*

Nec illud, quod tibi pro magno præstat Deus, præponas illi, qui præstitit; quod enim dulcius a Deo præmium, quam ipse Deus? S. Ansel. S. XXXII, *de Temp.* c. IV.

Totum meritum est in voluntate, quantumvis tantum mereris; fac ergo magnam voluntatem, si vis habere magnum meritum. S. Bern. *de Inter Dom.* c. VIII.

Uberior est nummus e parvo, quam thesaurus e maximo, quia non quantum detur, sed quantum resideat, expenditur; non ergo quid fastidio expuas, sed quantum devotione conferas, æstimandum est. S. Ambr. *l. de Viduis, ante med.*

Major tibi merces, si citra mercedis spem feceris. S. Chrys. hom. V, in ep. *ad Rom.*

Magna res amor, sed sunt in eo gradus. Sponsa in summo stat. Amant enim et filii, sed de hæreditate cogitant; quam dum verentur quoquo modo amittere, ipsum, a quo expectatur hæreditas, plus reverentur, minus amant. Suspectus est mihi amor, cui aliquid adipiscendi spes suffragari videtur. Infirmus est is, qui forte subtracta spe, aut extinguitur, aut minuitur. Impurus est, qui et aliud cupit; scilicet secundario remunerationem; purus amor, mercenarius non est. Purus amor, de spe vires non sumit, nec tamen diffidentiæ damna sentit. Sponsæ hic est, quia hoc sponsa est, quæcumque est. Sponsæ res, et spes, unus est amor. Hoc sponsa abundat, hoc contentus est sponsus. Nec is aliud quærit, nec illa aliud habet. S. Bern. S. LXXXIII, *in Cant.*

Dignitas. — Nihil erat in templo, quod non esset ex auro purissimo confectum, vel saltem deauratum, atque ita in templo vivo animæ nostræ nihil debet esse, quod non sit charitas, vel ornatum cum charitate; quapropter non tantum oculos debes conjicere in id, quod facis, sed in id, quod intendis; nam vilia et minima opera, dum divino spiritu fiant, et intentione recta, maximi sunt valoris, et e contra maxima et heroica opera, si debita intentione, et recto fine careant, nullius sunt valoris et ponderis. Did. Stel. in c. XI *Luc.*

Si omnino dignus fueris, agere aliquid, quod Deo placeat, et aliam adhuc, præter hoc ipsum, quod placere meruisti, mercedem requiris, vere ignoras, quantum bonum sit placere Deo. Si enim scires, numquam aliquid aliud extrinsecus mercedis, aut muneris expeteres. S. Chrys. l. *de Compunct.*

Dominus et illum, qui de quinque talentis decem fecerat, et qui de duobus quatuor, simili recepit gaudio, non considerans lucri quantitatem, sed studii voluntatem. S. Hier. *in Matth.* c. XXV.

Mala intentio. — Cum perversa intentione vel rectum quid agitur, etsi splendere

coram hominibus cernitur, apud examen tamen interni Judicis obscuratur. S. Greg. l. xxviii *Mor.* c. vi.

Væ portantibus crucem, non sicut Salvator suam, sed sicut ille Cyrenæus alienam! Duplici quippe contritione conteruntur, qui hujusmodi sunt, quando et hic pro temporali gloria temporaliter se affligunt, et in futuro pro interna superbia ad supplicia æterna pertrahuntur. Laborant cum Christo, sed non regnant cum Christo. De torrente bibunt in via, sed non exaltabunt caput in Patria; lugent nunc, sed tunc non consolabuntur. S. Bern. *in Apol. ad Gulielm. Abb.*

Cum bonum opus non bona intentione sumitur, huic adversantes Spiritus ab ipso cogitationis exordio principantur, tantoque eam plenius possident, quanto et per initium dominantes tenent. S. Greg. l. I *Mor.* c. xix.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas. — Fili, ego debeo esse supremus finis tuus, et ultimatus, si vere desideras esse beatus. Ex hac intentione purificabitur affectus tuus, sæpius ad seipsum, et ad creaturas male incurvatus. Lib. III, c. ix, § 1.

Non te conturbent alienæ phantasiæ, de quacumque materia ingestæ. Forte serva propositum, et intentionem rectam ad Deum. Lib. III, c. vi, § 3.

Fili, oportet te adhuc multa addiscere, quæ necdum bene didicisti. Ut desiderium tuum ponas totaliter secundum beneplacitum meum, et tui ipsius amator non sis, sed meæ voluntatis cupidus æmulator. Lib. III, c. ii, § 1.

Duabus alis homo sublevatur a terrenis, simplicitate scilicet, et puritate. Simplicitas intendit Deum, puritas apprehendit et gustat. Lib. II, c. iv, § 1.

Utilitas. — Si Deus semper esset pura intentio nostri desiderii, non tam faciliter turbaremur pro resistentia sensus nostri. Lib. I, c. xiv, § 1.

Si nihil aliud, quam Dei beneplacitum et proximi utilitatem intendis, et quæris, interna libertate perfueris. Lib. II, c. iv. §, 1.

Quanto purior fuerit intentionis oculus, tanto constantius inter diversas itur procellas. Lib. III, c. xxxiii, §, 2.

Necessitas. — Qui aliud quærunt, quam pure Deum, et animæ suæ salutem, non invenient nisi tribulationem et dolorem. Lib. I, c. xvii, §, 2.

Desideria te sæpe accendunt, et vehementer impellunt; sed considera, an propter tuum commodum, an vero propter honorem meum magis movearis. Si ego sum in causa, bene contentus eris, quomodocumque ordinavero. Si autem de proprio quæsitu aliquid latet, ecce hoc est, quod te impedit et gravat. Lib. III, c. xi, §, 1.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Christus Dominus de seipso dixit: Ego non quæro gloriam meam. Et iterum: Et non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei, facio semper. Joan. viii, 50 et 19. Hinc et S. Gertrudem monuit, ut sua omnia opera minutatim offerret, usque ad characteres, quos lectura aut scriptura, et bolos, quos sumptura, et anhelitus, quos vigilans vel dormiens ductura esset. Blosius. *Inst. spir.* xix.

Esther dicebat: Domine, tu scis, quod numquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in præsentem diem, nisi in te, Domine. Esth. c. xiv, 18.

D. Thomas Aquinas postmortem apparuit pulcherrima stella in pectore conspicuus, qua condecoratus est propter purissimam intentionem, quam omnibus suis operibus præfixit; unde interrogatus a Christo, quam mercedem peteret pro tam fideli servitio et labore? Non aliam, respondit, nisi te, Domine. *Vita*, 7 *Mart. apud Sur.*

S. Honoratus, Abbas Lyrinensis, tanto studio Dei amorem, obsequium, gloriamque sectabatur, ut non solum interdiu, sed noctu quoque omnes cogitationes illius eo spectarent; inter dormiendum enim de Deo diligendo breves calidosque sermones habuit. Sed et somnia de Dei dumtaxat amore, de virtute, de pietate erant. Paulus Barry, *in Vita Sanct.* 16 *Jun.*

Fuit e priscis Asceta unus aliquis, qui, quotiescumque operis aliquid erat aggressurus, subsistebat aliquantisper cogitanti similis. Interrogatus quid hoc ageret? Opera nostra, respondit, ex se nulla sunt, velut informis trabs, nisi recto fine sinceraque intentione velentur ac vestiantur. Et velut qui sagittis ad scopum ejaculandis certant, non emittunt ante sagittam, quam oculo

collinearint ad metam; sic et ego, quidquid demum acturus sim, ad Deum finem nostrum ultimum, intentionem meam dirigo, et hoc est, quod ago, dum subsisto, id enim Deus a nobis exigit. Drex. *in Amussi* l. I, c. I, § 2.

B. Magdalena de Pazzis dicere solebat: Si crederem, me uno solo verbo dicto ob alium finem, quam ob amorem Dei, etiamsi non esset ejus offensa, posse evadere Seraphinum, numquam illud dicerem. Hinc etiam assiduo inculcabat suis Monialibus, ut omnes etiam minimas actiones purissime referrent ad Deum; et ne hæc doctrina exciderent, crebro inopinato quærebat ex illis, cur hoc illudve facerent? quod si audiret, casu aut ex consuetudine factum aliquid sine intentione supernaturali, dicere solebat: Non videtis vos meritum perdere? Deus talibus operibus non pascitur. *Vita*, c. XXXVII, cap. XLIV.

S. Gertrudis virgo, quando etiam ob indigentiam suam aliquid expendit, gaudebat mirum in modum, perinde ac si in Dei honorem illud super altare obtulisset, aut erogasset in pauperes. Dominum enim in se ipsa contemplabatur, cui se providisse gaudebat. Ideo sive dormiret, sive manducaret, sive aliud quid commodi, aut requiei suo impenderet corpori, non aliter quam si Domino id fecisset, exultabat. Nam Dominum in se, et rursus se in illo intuebatur. Ideo in se quoque illi, et sibi propter illum, servire et benefacere gestiebat, quo impleret Dominicum illud: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*; se et enim existimabat et minimam, et vilissimam omnium creaturarum. Ideo quidquid sibi impendit, minimo, qui ad Deum pertineret, arbitrabatur se impendisse. *Insinuat. div. piet.* l. I, c. XII.

Utilitas. — Cum S. Gertrudis semel labore quodam gravatum caput cuperet refocillare, et propterea species, quas aromaticas vocant, ad Dei laudem in ore teneret, tunc Dominus sua benignitate se ad illam inclinavit, quasi hausturus ex ea odoris fragrantiam, simulans odore hoc specierum se egere et confortari. Nam paulo post idem se denuo erigens, suavissimum emittebat anhelitu suo odorem. Deinde lætabundo vultu, quasi gloriaretur de hoc, ad omnes Sanctos loquebatur: Ecce nunc quid novi a sponsa mea receperim. Verumtamen incomparabiliter majori reficiebatur hæc Sancta gaudio, quando beneficii quid ejusmodi in proximum locasset, quam gaudere soleat avarus, si pro uno denario centum recipiat marcas. Loc. cit. *Insinuat.*

Eadem cum ex multimoda consolatione præsentiæ Domini, et spiritualium intellectuum exercitatione, nimis esset debilitata, accipiens uvas nocte quadam recreavit se tali intentione, qua ipsum Dominum in se ipsa reficeret. Quod Dominus magnifice acceptans ait: Modo fateor mihi recompensatam amaritudinem illam, quam de spongia in cruce pro amore tuo bibi; quoniam pro ipsa jam de corde tuo indicibilem dulcedinem sugo. Et quanto tu prius ad laudem meam corpus recreaveris, eo suavius ego me profiteor in anima tua refectum. Hinc cum illa pelliculas et acinos uvarum in manu congregatos, in medium domus projiceret, adfuit et Satan omnis boni persecutor, qui hoc, quod ista abjecerat, recolligere conabatur, quasi ad testificandum culpam infirmæ, quia ante matutinas contra Religionem comedisset. Cumque unam de iisdem pelliculis velut duobus digitis vix attigisset, illico intolerabili cruciatus ardore combustus, terribiles emittendo latratus, de domo concitus prosiliit, diligentissime observare studens, ne aliquid ultra pede contingeret, ex cujus tactu cruciatum persenserat tam intolerabilis pœnæ. Ib. c. LVII.

Alia vice, cum feria sexta ante Bacchalia, post, matutinam audivisset in coquina pulsari servis laboraturis ad prælibandum, illaque ingemiscens dixisset: Heu me, mi Domine, quam mane surgunt homines ad infestandum te cibo? Ad quod Dominus blande quasi subridens dixit: Noli ingemiscere, charissima, quia hi, quibus modo pulsatur, non sunt de numero illorum, qui contra me crapula sæviunt, quia per hanc prælibationem ipsi vocantur, et incitantur ab laborem. Unde et ego delector in eorum cibo, quemadmodum quis delectatur in refectione sui jumenti, quod pabulo pascit ad ministrandum sibi. Ibid. l, IV, c. XIV.

Præclarum illud sancti cujusdam coci, qui a B. Joanne Climaco interrogatus, quomodo in tanta rei culinariæ occupatione, quæ ducentis triginta Religiosis, præter externos et peregrinos, alendis sufficeret, tam esset tamen æquo semper, compositoque et collecto animo? respondit, id ex eo fieri, quod omnia tamquam Deo faceret. S. Clim. grad. XVIII.

Christus quondam B. Mechtildi dixit: Quando quis somnum capere vult, medite-

tur aliquid de me, aut mecum loquatur. Ita enim licet corpore dormiat, mente tamen vigilabit ad me. Etiam dormiturus quisque desideret, ut singulas respirationes, quas nocte ille faciet, tamquam eximiam mei laudem suscipiam, et ego qui sanctis votis piæ amantisque animæ deesse non possum, in veritate desiderium ejus implebo. BLOSIUS *in Monil.* c. IX.

Hermanus Laicus in Purgatorio existens apparuit, dixitque, inter alia levamina sua etiam hoc fuisse, quod intercessores ejus omnes quod agebant per bonam intentionem dirigebant ad laudem Dei, ut est laborare, comedere, dormire et similia. Lib. V, *Insinuat.* c. XV.

S. Gertrudi quondam dixit Christus : Quicumque studuerit singula commoda sua in bibendo, comedendo, dormiendo et similibus, ea sumere intentione, ut dicat corde vel ore: Domine, hunc cibum vel aliud quodcumque suscipio in illo amore, quo tu ipsum eumdem sanctificasti, cum in tua sanctissima humanitate consimili utereris ad laudem Dei Patris, et totius generis humani orans, ut in unione divini amoris tui, cedat in augmentum solatii omnibus cœlestibus, terrestribus, et purgandis ; ille singulis vicibus, quibus tali conventione aliquod suscipit commodum, ostendit coram me quasi scutum quoddam firmissimum, quo contra diversas molestationes, quibus a mundanis infestor, quasi protectus defendor. Lib. IV. *Insinuat*, c. IV.

De ipso Achab Rege quantumcumque malitioso dixit Deus : Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus. III REG XXI, 29.

MALA INTENTIO. — Seditiosi ducenti quinquaginta Proceres synagogæ licet cum Aarone thus in proprio quisque thuribulo obtulerint, quia tamen pessima id intentione (scilicet ut Moysen et Aaronem in odium populi traherent) fecerunt, descenderunt vivi in infernum, operti humo, et perierunt de medio multitudinis. NUM. XVI, 33.

Herodes licet perinde Christum invenire et videre ardentissime desiderarit, atque tres Magi, quia tamen non adorandi, sed occidendi causa id desideravit, supplicium potius, quam præmium eodem desiderio promeruit. MATTH. II.

Absalon primo diluculo stetit ad portam regiam, et, ubi quispiam accessit salutaturus illum, extendebat manum suam, et apprehendens osculabatur illum. Sed et a parente veniam abeundi petiit, sacrificium et peregrinationem vovisse se simulans : verum quia hæc omnia pessima, intentione scilicet ut patrem de solio dejiceret, patravit, scelus immatura morte luit. II REG. c. XV,5.

Sacrificuli Baalis bovem quidem imposuerunt aræ, ut Elias, et a primo mane usque ad meridiem clamabant : Baal, exaudi nos ! sed et incidebant se juxta ritum suum cultris et lanceolis, donec perfunderentur sanguine, nihil tamen effectum dabant, quia radix boni successus, bona videlicet intentio deerat. III REG. XVIII, 26.

In monte Golgotha duo juxta Christum latrones pendebant, et æquale supplicium tulerunt; quorum tamen alter Paradiso, alter Tartaro exceptus est, quia dispar utriusque in tolerando supplicio intentio fuerat. LUC. XXIII, 33.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius in singulis actionibus cum reflexione quadam animi operam dedit, ut in quam maximam Dei gloriam redundarent. Sed et assiduo in ore et calamo habebat tritum illud : *Ad majorem Dei gloriam;* certe in solis Constitutionibus ducenties, bis et quadragies, numerante P. Lancizio, hunc finem inculcavit. *Hist. Soc.* p. I, l. XVI, n. 103.

S. Franciscus Xaverius in periculo tempestatis evidenti, divina consolatione repletus petiit a Deo, in plures tales aut majores tempestates conjici, dummodo suis periculis aliquam divinæ gloriæ navaret operam. *Vita*, l, III, c. XIII.

S. Franciscus Borgias dicebat semper sibi suas conciones succedere, etsi non placerent quandoque sibi et aliis, ob defectum vel materiæ, vel dispositionis, quia pure propter Deum eas parabat, et faciebat, quantum poterat. Ægrotante uxore solus aliquando conclave remotis arbitris ingressus obnixe lacrymis fusis obtestabatur Deum, salvam conjugem superstitemque servare vellet ; cum ecce ibi vocem quamdam internam clare audire visus est, ut post ipse retulit, quæ diceret : Uxorem si diutius superesse vis, arbitratu tuo fiat, at tibi non expedit. Qua re turbatus, minime dubitavit, Dei vocem esse, parendum itaque, tacite enim redargui, quod, quid peteret, igno-

raret. Rursus vero in lacrymas dixit, hisce admissis vocibus : Domine Deus, unde hoc mihi, ut arbitratu committas meo, quod in tua solius est potestate ? Mea permagni refert, tuam sequi in omnibus voluntatem. Quis enim te novit rectius, quia e re mea sit ? tua itaque voluntas fiat ; nec de uxore solum, sed de liberis etiam statuas supplex oro. Observantium conjugis morbum statum quemdam tunc tenuisse, ut dubitarent medici, meliusculene, an deterius haberet. Post has vero preces ad desperationem medicorum laborare cœpisse. Lanciz. *Opusc.* III c. III, n. 89.

P. Petrus Faber decem sibi fines in horis canonicis (haud dubie etiam in aliis functionibus) proponebat. 1. Unam Dei gloriam. 2. Sanctorum honorem. 3. Incrementa justorum. 4. Liberationem eorum, qui mortiferis noxis essent implicati. 5. Catholicæ rei progressum. 6. Mutuam inter Catholicos Principes pacem atque concordiam. 7. Sanitatem ægris impetrandam. 8. Solatium eorum, quos animi quæpiam vexat sollicitudo. 9. Moribundorum confortationem. 10. Animarum purgantium liberationem. *Vita*, l. II, 6, 7.

Joannes Berckman ante opera potiora sic suam intentionem formabat : O Deus meus et omnia, cui omnes creaturæ serviunt, gratias ago divinæ bonitati tuæ, quod me usque ad hanc horam conservare dignatus sis, et propono per gratiam tuam hoc opus et omnes reliquas diei hujus et vitæ totius actiones facere ad nominis solius tui gloriam, ut tibi maxime placeam et B. Virginem, Patronosque meos, Angelumque custodem lætificem, et nominatim illum, quem hodie colo ; et protestor me nullam præter hanc ab hostibus suggestam admittere intentionem. *Vita*, pag. 226.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut fabrica columnis, columnæ autem basi innituntur ; ita vita nostra in virtutibus, virtutes autem in intentione intima subsistunt. S. Greg. *in Moral.*

Sicut conjux reduci ex via marito, aut filio, pedes abluens, simul et servit, et serviendo actum amoris exercet ; ita et domesticus Dei per opera quotidiana simul et servire Deo, et illum amare debet. S. Greg. l. c. c. VIII.

Sicut homo potulentus, quoties fere bibit, toties combibonum uni propinat ; ita homo probus ad cujusque operis initium Deo illud consecrat. Drex. *in Amussi*, l. I, c. II, § 4.

Sicut aqua ex alto defluens, quamvis multis ambagibus cursum suum exerceat, tandem tamen ad primæ originis altitudinem ascendit, et cum ortu suo æquatur ; ita actiones hominis licet ex Deo altissimo originem sumentes in profundum defluant (id est, ad humillima objecta se demittant) semper tamen per intentionem ad Deum recurrere debent. Idem. l. I, c. VII.

Sicut nemo, quamvis paratos habeat colores, similitudinem reddet, nisi constet, quid velit pingere ; ita nemo actiones suas rite componet, nisi prius, cui ideæ eas conformare debeat, cognoscet. Senec. ep. LXXI.

Sicut oculis istis carnalibus omnia corporis membra ordinate ad operationes diriguntur ; ita intentione mentis et luce fidei cuncta virtutum genera, ut lucidum corpus perficiant, illustrantur. Paschas. l. IV, *in Matth.* coll. 349.

Sicut usurarius avarus (dixit Christus ad S. Gertrudem) invitus negligeret, si saltem unum denarium lucrari posset ; sic ego, qui delicias meas statui habere in te, multo invitius permitterem mihi unum cogitatum, sive motum extremi digiti tui propter me factum, sic perire, quod ipsum non in summam laudem meam converterem ad tuam salutem æternam. S. Gertr. l. III, *Insinuat.* c. LIV.

Sicut sagittarius ut certius collimet, dextrum tantummodo oculum in scopum aperit, clauso sinistro ; ita et nos, quo divinam ex omnibus rebus gratiam promereamur, unum sinceræ mentis oculum omnibus in rebus apertum habere debemus, et Deum spectare in omnibus ; siquidem universa propter semetipsum operatus est Dominus. Ad quod apposite S. August. Ut tibi totus servirem, omnia quæcumque fecisti, in meum servitium tradidisti. Et S. Basil. Virtus ac ratio vivendi, inquit, unum scopum sibi propositum habet, nempe gloriam Dei. *Pædagog. Christ.* p. II, c. IX.

Necessitas. — Sicut inutilis est dolabra scribæ ad scribendum, aut calamus scriniario ad lævigandum ; ita inutilis quoque homo ille est mundo, qui ad finem suum, id est, majorem Dei gloriam non tendit. Nieremb. *de Ador.* l. II, c. XXI.

Sicut ager, quem messibus onerare quis

timet, cessante cultu, sponte se inutilibus herbis exhauriet; ita homo, nisi per assiduas actiones bonas, id est, cum bona intentione factas se excolat, vitiis scatebit. DREXEL. I, c. XII, § 3.

Sicut fabrica columnis, columnæ autem basibus fulciuntur; ita vita nostra virtutibus, virtutes vero in intima intentione subsistunt. S. GREG. l. XVII *Mor.*

UTILITAS. — Sicut si quis virgam haberet, quæ lapides in aurum converteret, omnem diligentiam in hac virga custodienda et usurpanda adhiberet; ita cum similem effectum bona intentio habeat, omnesque actiones nostras aureas et meritorias efficiat, merito ad singulas aut potiores ejusmodi actiones extendenda est. DREX. *in Amussi*, l. c.

Sicut qui ludunt lusum, cui nomen: «*Qui vincit, perdit*;» perdendo lucrantur, et lucrando perdunt; ita et homo quanto minus lucrum et commodum suum in actionibus propriis quærit, tanto plus meriti cœlestis obtinet. LUD. GRAN. *in Duce pecc.* p. II, f. 775.

Sicut decor corporis in facie; ita decor totius operationis animæ consistit in intentione. Hinc S. David ait: Omnis gloria Filiæ Regis ab intus. S. BERN. *in Sent.* PS. XLIV, 14.

Sicut auri exigua massa, magnum superexcedit cumulum vilis cujusque metalli; ita pauca opera peracta cum incendio puræ charitatis, in conspectu Conditoris magis fulgent et gratiora fiunt, quam multorum exercitia laborum prodeuntia ex radice negligentiæ, et de fonte intentionis incultæ. S. LAUR. JUSTIN. *de Discipl. mor.* c. XLII, col. 3.

Sicut radix truncum, ramos, frondes, flores, et fructus, medulla, virore, calore, sapore, temperie, et quocumque alio locupletat bono, quo ipsa gaudet; ita bonæ rectæque intentionis radix quemcumque voluntatis, cordisque in Deum fixi actum et desiderium, verba, cogitationes et opera nostra meritoria esse facit; ac proinde S. Gregorius intentioni epithetum *radicis* attribuit. S. GREG. l. XXVIII *Mor.* c, VI.

Sicut charta aliqua parvula parum vel nihil valet, aut æstimatur; at vero quando Regis vel Principis subscriptione aut sigillo subsignata est, omnis eidem exhibetur reverentia et obedientia; sic quoque multæ operationes nostræ nullius futuræ essent meriti, ad consequendam vitam æternam, vel ad augendam et acquirendam gratiam; at vero quando conjunctæ sunt, et signatæ sigillo rectæ intentionis, meritoriæ fiunt, et a Deo magnopere remunerantur. Vult enim Deus, inquit Didacus Stella, ut opera nostra in ipsum dirigamus, et ut sigillo rectæ intentionis ea designemus, ne ea amittamus. MANSI, tr. XXXVII, disc. V, n. 1.

Sicut si poma ex arbore in terram decidant, subito deficiunt et marcescunt, non vero si super arborem colligantur; inque loco elevato collocentur remoto a terra, sic enim per longum durant tempus; ita quoque plurima opera nostra, si ad supernaturalem finem per intentionem ordinentur, æternitatem acquirunt, conservantque beatam. Idem. n. 6.

JUCUNDITAS. — Sicut apis, quocumque vadit, mel operatur; ita et Monachus, quocumque pergit, si propter opus Dei perrexit, dulcedinem bonorum actuum semper potest perficere. *Vita PP.* l. III, n. 187.

MALA INTENTIO. — Sicut fellis aut aceti modicum, totum vini optimum dolium corrumpit; ita vel parva mala intentio sufficit ad omnes hominis actiones corrumpendas. DREX. l. I, *de Int.* c. VIII.

Sicut salamandra tantum veneni secum vehit, ut si radicem arboris contingat, omnes fructus in radice jugulet; ita si malæ intentionis vel minimam particulam tartareus serpens actionibus nostris immisceat, omne eorum meritum et efficaciam tollit, juxta notum illud: Cum perversa est intentio, quæ præcedat, parvum est opus omne, quod sequitur. Idem, c. X.

Sicut si Pincerna phiala ad usum Regis parata, ut ex eo bibat, pro vase immundo abuteretur et sordibus impleret, merito hæc phiala, et ipse Rex gravi injuria se affectos quererentur; ita de non minori injuria expostulare poterit Deus et actiones nostræ, si has ad cultum supremi Regis destinatas, ad creaturarum solatium servitiumque applicemus. NIEREMB. *Vit. div.* c. XXI.

Sicut fructus quarumdam arborum talis sunt naturæ, ut facile, si terram attigerint, computrescant; ita et actiones hominum, si terrestrem sibi finem iis præfigamus, omnem suum vigorem et meritum amittunt. NIER. Ib.

Sicut si cuipiam sitienti lactis optimi florem quis propinet, e tali tamen catino, in quo plurimæ muscæ innatent, indignationem potius, quam gratiam reportabit; ita nec

actiones hominis utcumque alioqui præstantes, gratæ Deo esse poterunt, si muscæ morientes intentionum terrestrium earum suavitatem perdant. Drex. *in Amussi*, l. I, c. x, § 9.

Sicut erodius avis ad aves aqua se mergentes advolat, et capita illarum morsu tam diu corripit, donec capturam extorqueat; ita Dæmon hominum actiones suas obeuntium, et per hoc spiritualem alimoniam providentium caput, id est, intentionem impetit, ut hac via totum actionis meritum abripiat. Idem, l. II, n. 3, § 2.

MOTIVA.

Æquitas. Quid enim æquius, quam ut sicut gratis Deus nos dilexit, et beneficia contulit, ita vicissim ipsum gratis diligamus, debitumque ei servitium exhibeamus, juxta illud Christi : Gratis accepistis, gratis date? Matth. x, 8.

Necessitas. Juxta illud Christi : Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est. Marc. x, n. 4.

Utilitas. Quia juvat ad vitam æternam *certius* (juxta illud Christi : Qui reliquerit domum etc. et alia sua privata commoda, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit) *citius*, quia, ut B. Magdalenæ de Pazzis Christus ipse revelavit, puræ intentionis crebra repetitio, est optimum medium ad Purgatorium evadendum, et *copiosius* obtinendam, quia juxta mensuram intentionis, crescit meritum actionis. Ib. c. vi, 1.

Jucunditas. Quid enim jucundius, quam Deum et totam curiam cæle tem pro spectatoribus habere; pro quavis cogitatione, verbo, aut actione infinitum et ideo inexplicabile præmium sperare? Marc. xv, 29.

Facilitas. Quid enim facilius, quam unicam cogitationem operibus potioribus præmittere, maxime cum tam ingentibus etiam ad eam lucris incitemur?

Securitas. Cum enim hæc intentio occulta sit, periculo vanæ gloriæ non ita exposita est, ac aliæ actiones, atque adeo integrum operanti præmium ac merces manet.

Dignitas. Quæ enim major excogitari dignitas potest, quam Deo servire, Deo placere, Deo uniri, a Deo amari? Vero omnis gloria Filiæ Regis (id est, animæ Christianæ ab intus, id est, ab ista intentione dependet. *Ps.* xlv, 15.

MEDIA.

Magna æstimatio; quæ quidem ex consideratione prædictorum motivorum et ultimi præsertim facile concipietur.

Cor mundum procurare; ita enim docuit regius Psaltes, dum dixit : Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum (intentionis rectæ ad cœlum tendentis) innova in visceribus meis. Sicut enim pluma, si ab omni pulvere lutoque munda fuerit, facile in altum se attollit; ita et cor ab omni peccati macula liberum haud difficulter ad cœlum elevatur.

Charitatis divinæ studium; cum enim anima magis ibi sit, ubi amat; suapte sponte in Deum per intentionis ardentissimæ impetum rapietur, si dictæ charitatis divinissimo igne ardentius fuerit accensa.

Sua opera libenter et studiose obscondere; exemplo mulieris illius Apocalypticæ, quæ peperit filium masculum, et raptus est filius in solitudinem, ubi habuit locum parátum a Deo. Apoc. xii, 5.

Intra opus omnes vanæ gloriæ insidias studiose declinare, illud S. Bernardi frequenter repetendo : Propter te non cœpi; propter te non desinam.

Sæpe ponderare, quantum præponderet solius Dei judicium et beneplacitum omnium hominum, etiam collective acceptorum, uti et Angelorum omnium, judicio et laudi.

Assuescere, crebro tam sub ipso opere quam eo finito, omnem illius fructum ac laudem Deo adscribere, ac cum Davide dicere : Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam; ad exemplum Joabi ab eumdem Davidem per nuntium dicentis : Nunc igitur congrega reliquias populi tui, et obside civitatem et cape eam, ne, cum a me vastata fuerit urbs, nomini meo adscribatur victoria. II Reg. xii, 28.

ASCETICA.

Quatuor sunt, quæ in hac materia præcipue scienda sunt Ascetæ, aliisque per eum inculcanda. Primum est, ut bene intelligat naturam rectæ intentionis, quem in finem

triplex ei similitudo servire potest. 1. *Rectæ columnæ*. Ut enim hæc tunc vere recta dicitur, quando sine ulla inclinatione adversus terram, sursum erigitur; ita nunc quoque intentio recta dicitur, per quam sola Dei gloria et beneplacitum, absque ullo proprio emolumento aut solatio intenditur, ita ut, quemadmodum S. Bernardus loquitur : « Delectet nos non tam nostra vel sopita necessitas, vel sortita felicitas, quam quod ejus in nobis et de nobis voluntas adimpleta videatur. » S. Bern. tr. *de dilig. Deo*, col. xi. 2. *Oculi simplicis*; qua similitudine Christus usus est, dum dixit : « Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, » atque significare voluit, tum demum parem intentionem nostram fore, si unicum nobis divinæ gloriæ et beneplaciti finem proponamus, neque alium, ob quem intentio duplex potius, quam simplex dici deberet, admisceamus. Matth. vi, 22. 3. *Manus dextræ*; qua similitudine Christus iterum usus est, dum dixit : « Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. » Ubi per dextram S. Augustinus intelligit amorem et puram intentionem ad Deum; per lævam obliquum oculum ad umbras falsæ gloriæ. Serm. lxvi.

Secundum est, ut bene cognoscat indicia bonæ intentionis, quorum quidem sequentia potiora ab Ascetis assignantur. 1. Si quis non ægre ferat, quando opera sua male succedunt, aut non laudantur ab aliis; nam ut S. Chrysostomus prudenter advertit, quemadmodum illi, quos divites esse juvat, si quando in paupertatem inciderint, mœrore afficiuntur, et qui deliciis assuevere, tenuem ac simplicem victum tolerare non possunt; ita qui laudum amore capti sunt, non solum cum injuste vituperantur, sed etiam cum ab aliis assidue non laudantur, quasi fame quadam animum conficiunt. S. Chrys. l. II *de Sacer*. 2. Quando, ut S. Basilius loquitur, magnum apud laudantes studium quis præfert, nec apud vituperatores lentior efficitur. Si enim vere habet in animo placere Deo, idem erit ubique et illud efficiet, quod dictum est : Per arma justitiæ a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, ut seductores et veraces. S. Basil. p. 33 *Brev*. 3. Si cum alii præclara patrant opera, tantam quis percipiat animo voluptatem, ac si ipse similia perpetrasset, et, juxta exemplum Moysis, dicat : Quid æmularis pro me? Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus spiritum suum? Num. xi, 29. 4. Si ad omnia officia, honorifica æque ac humilia, eamdem in se promptitudinem atque alacritatem advertat; id quod Philippus III, Hispaniarum Rex, symbolo suo expressit, in quo leo stabat dextro pede crucem et oleam, altero equestrem hastam præferens, cum inscriptione : *Ad utrumque paratus*. 5. Si non angatur quis, aut distrahatur ab agenda in curas, quæ a precibus, cura conscientiæ, Dei memoria avocent; qui enim sinceræ intentionis est, hoc agit, ut facultati et viribus suis convenienter agat. Drex. l. II, *in Amussi*, c. ix, sign. 3.

Tertium est, ut convenientem de hoc exercitio bonæ intentionis æstimationem concipiat; id quod facile obtinebit, si meminerit, beneplacitum Dei esse præmium omnium, quæ in terris aut cœlis optari vel expectari possunt, præstantissimum; habet enim in se conditiones quæ ad præmium undequaque perfectissimum, summamque mercedem requiri possunt. Est enim 1. merces *magna nimis*; utpote quam ipsi etiam Beati gloriæ suæ gaudioque præferunt parati potius beatitudinem suam amittere quam ut Dei beneplacitum in se non adimpletum viderent. 2. Est merces *præsentissima*; id est, eo statim momento persolvenda, quo opus bonum peragitur; et (quod non parum æstimari debet) usque adeo constans et permanens, ut nulla amplius ratione auferri possit, cum fieri nequeat, ut Deus in opere aliquo, in quo semel sibi complacuit, per totam æternitatem non complaceat. 3. Est merces *facillime obtinenda*; nam, ut bene S. Chrysostomus dixit : « Non parantur hæc sumptu, non labore, non sudore; sufficit velle, et confecta sunt omnia. » S. Chrys. hom. xxiv, *in ep. ad Hebr*.

Quartum est, « non sufficere, ut opus virtute referatur in Deum, si quis ad initium anni, vel mensis, generali quadam intentione referat omnia sua futura opera in Deum, sed necesse esse, ut illud ipsum opus particulare referatur in Deum, quod postea faciendum est. S. Bern. in II. dist. xli, ar. 1, q. iii. Tunc enim dicuntur opera virtute in Deum relata, cum intentio præcedens est vera causa operum, quæ postea fiunt. Ut, si quis apud se certo constituat aliquam nummorum summam propter Deum pauperibus erogare, et postea summam illam oblata

occasione eroget, is dicetur virtute referre opus suum in Deum, etiamsi dum pecunias illas distribuit, nihil de eo cogitet.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione sententiæ : « Redde illis mercedem; » (Matth. xx, 8.) ostendi potest magnitudo mercedis, quæ illis, qui nihil aliud, quam solum Dei beneplacitum inquirunt, offertur, eumque in finem servire possunt ea, quæ supra sunt dicta. Vide Drex. *in Amussi*, l. II, c. x.

Possunt auditores doceri, quomodo verum aurum spirituale conficere debeant. Atque adeo in prima parte ostendi potest, quam recte opera bona seu meritoria auro comparentur, præcipue vero ob dignitatem, utilitatem (ad cœleste Regnum emendum, imo etiam in hac vita ad omnia necessaria obtinenda, juxta illud Christi : Quærite primum Regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. Matth. vi, 33. Et illud S. Pauli : Pietas ad omnia utilis est. (I Tim. iv, 8) et jucunditatem. Plusenim recreant et confortant cor, maxime in agone, quam ullum aurum ; nam, ut recte dicit Thomas Kempensis : Gaudebis semper vespere, si diem insumas fructuose. L. I, c.xxv,§ ult. In secunda parte ostendi potest, quid requiratur ad aurum hoc conficiendum, scilicet. I. *Materia bona* ; id est, opus saltem indifferens, quale Seneca descripsit sequentibus verbis : Indifferentia dico esse, nec bona, nec mala, tamquam morbum, dolorem, paupertatem, exilium, mortem ; horum nihil per se gloriosum est, nihil tamen sine his. Illa in medio posita sunt ; interest, utrum malitia illis, an virtus manum admoverit. Sen. ep. lxxxi. 2. *Ignis amoris seu gratiæ ;* nam, ut S. Paulus recte advertit : Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, nihil mihi prodest. I Cor. xiii, 13. 3. *Lapis Philosophicus rectæ intentionis*, qui ultimum complementum addit; nam, ut recte dixit Seneca : Omnes res, quod non habuit, decus virtute addita sumit. Cubiculum lucidum dicimus, hoc idem obscurissimum est nocte ; dies illi lucem infundit, nox eripit. Epist. lxxxii. Vide Drex. *in Amussi*, lib. II, c. x. concl. i et seq.

Ex occasione sententiæ : « Omnis gloria Filiæ Regis ab intus ; » (Psal. xliv, 15.) ostendi potest. 1. Quam vere dicatur, totam gloriam et pulchritudinem animæ esse ab intus, scilicet ab intentione interna. 2. Ostendi potest, quam vel ex hoc capite æstimanda et frequentanda sit praxis bonæ intentionis; si enim corporalis pulchritudo æstimatur, ut nihil non per illam obtineri posse credatur, ideoque Sponsa de Sponso dixerit : Accingere gladio tuo, potentissime. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna ; quanto major æstimatio de spirituali pulchritudine animæ concipienda est, quæ tantum excedit corporalem, quanto anima corpus dignitate sua præstantiaque sua antecedit. Certe de hac verius dici potest, quod Regina quædam formoso juveni litteras commendatitias petenti dixit : Ito, et faciem tuam ostendito, et per eam potentius animos, quam per diploma expugnabis, efficaciusque quod petieris, obtinebis.

Ex occasione sententiæ : « Præceptor, tota nocte laborantes nihil cœpimus; » (Luc. v, 5.)ostendi potest.1.Quam vanus sit labor eorum, qui in nocte, id est, sine bona intentione, aut etiam omnino cum mala laborant. 2. Quam fructuosus sit labor eorum, qui de die et ad mandatum Christi, id est, cum bona intentione laborant, idque ex quantitate triplicis fructus in opere bono reperiri soliti, scilicet meritorii, satisfactorii, et impetratorii probari potest. Quem in finem,l. II, c. vi et l. I, c. iv, servire potest ex *Amussi* Drexel.

Ex occasione thematis : « Osculetur me osculo oris sui ; » (Cantic. i, 1.) explicari potest triplex intentio per triplex osculum, nempe. 1. *Servilis*, per osculum pedum Salvatoris, quia per hanc pedes Christi exosculatur operans, ne ab iisdem repellatur, et audire cogatur : Ite maledicti in ignem æternum. 2. *Filialis*, per manuum osculum, quia ab his præmium et hæreditatem vitæ æternæ expectat. 3. *Maritalis*, per oris osculum, quia per hanc solum Sponsi dilecti beneplacitum intenditur. Quæ omnia fusius diduci, eumque in finem legi potest S. Bernardus, in Canticorum versic. i, et Drex. l. I, c. ii.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas. — Certi quidam discipuli, teste S. Joanne, servitio Salvatoris se dedicare decreverant, quos ego primos autumo fuisse Christianos, quia primi omnium Christum secuti sunt; conversus autem Jesus, et videns eos sequentes se, dicit eis : « Quid quæritis?» Nonne ipse intima noverat, et secretissima cordium omnium; quorsum igitur, quid vellent, interrogat, utpote probe sciens, clareque discernens placitum meum? Doctor Angelicus Christum hac interrogatione intentionem rectam, qua cum sequelam ejus exorsi fuerant, declarare voluisse autumat; insuper observans hæc ipsa verba prima fuisse, quæ S. Joannes in Evangelio suo retulit de Christo, in quibus, quanta sollicitudine rectam finium nostrorum directionem urgeret, ostendit. Notandum, inquit ille, quod hoc est primum verbum, quod Christus in isto Evangelio loquitur, et congrue, quia primum, quod quærit Deus ab homine, est recta intentio. Hinc et Ecclesia sancta in Prima officii divini a nobis recitari jubet verba illa : « Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos; » illa namque de rectitudine intentionis, quæ omnia opera nostra, ut Deo grata sint et accepta, comitari debet, intelliguntur; hinc et mox prosequimur dicentes : « Oremus. Dirigere et sanctificare, regere et gubernare dignare, Domine Deus, Rex cœli et terræ, hodie corda et corpora nostra, sensus, sermones et actus nostros in lege tua.» Mansi, tr. xxxvii, disc. i, n. 3.

Sanguis victimarum offerendarum olim ante Altare profundi debebat, adepsque earum honori et cultui divino consecrari, prout ex his in Levitico contentis colligitur verbis : « Omnis adeps Domini erit jure perpetuo in generationibus et cunctis habitaculis vestris, nec adipem, nec sanguinem omnino comedetis. » Nonne Deus noster per Psalmistam potestatur : « Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo ? Immola Deo Sacrificium laudis et redde Altissimo vota tua.» Cor, affectum, intentionem a nobis exigit Deus, quorsum igitur dictum de sanguine et adipe immolanda præceptum? Dubium hoc in suis super Leviticum Commentariis resolvit S. Cyrillus Alexand. in hæc verba : Sanguis sedes animi; qui sanguinem, is et animum adimit. Voluit ergo Deus in omni Sacrificio, voluntatem, cor, intentionem velut sanguinem effundi coram se, nec guttula in alios usus reservata. Quando igitur Deus totam victimæ pinguedinem ita sollicite sibi deposcit, nil aliud præter intentionem, rectumque in operibus et oblationibus nostris in honorem ejus factis, exigit, prout his verbis clare docet Hesychius, dicens : Quia adipem in æternum præcepit Domino offerri, manifestum est, quia consecrari Deo nostrum desiderium vult. In æternum autem hoc, ne ad Deum illud, et ad mundum dividamus. Ibid. n. 8.

Sponsa in Canticis, per quam omnes animam electam intelligunt, a cœlesti Amatore in vultu, et quidem quoad ambas genas speciosa dicitur : « Facies tua decora, pulchræ sunt genæ tuæ. » Per faciem vero intentio denotatur; unde S. Greg. de quatuor mysticis animalibus apud Ezechielem quadrigam Altissimi post se trahentibus disserens, ait : Facies eorum et pennæ eorum extentæ desuper describuntur, quia omnis intentio, omnisque contemplatio Sanctorum super se tendit, ut illud possit adipisci, quod in cœlestibus appetit. Sive enim bono operi, sive invigilet contemplationi, tunc veraciter hoc, quod agit, bonum est, quando ei complacere concupiscit, a quo est. Ibid. n. 4.

Præstabunt tibi fortasse præcepta, ut quod oportet, facias; non præstabunt, ut, quemadmodum oporteat; et si hoc non præstant, ad virtutem non perducunt. Faciet, quod oportet monitus, concedo; sed id parum est, quia non in facto laus est, sed in eo, quemadmodum fiat. Ibid. n. 5.

Seneca sapienter dixit : Non quid fiat, aut quid detur refert, sed qua mente. Quia beneficium non in eo quod sit, aut datur, consistit, sed in ipso dantis aut facientis animo. Senec. l. II *de Benef.* c. vi.

Cum Naas Ammonites cum incolis Jabes Galaad pugnaret, iique se prosternendos et profligandos esse metuerent, cum Naas pacisci cœperunt, et pacem postularunt, dicentes : « Habeto nos confœderatos, et serviemus tibi. » Quibus superbus Naas respondit : « In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros. » Idque ea intentione faciebat, quia cum ocu-

lus sinister sub scuto abscondatur, si dexter eorum oculus erutus fuisset, consequens omnino erat, ut quasi utroque oculo destituti in caligine ambularent. Idem quoque pactum Tyrannus Tartareus cum suis paciscitur, nimirum ut intentio, quæ dexter animi oculus est, obfuscetur, id est, depravetur, quia quantumvis opera, quæ exercentur, bona sint, si tamen finis, propter quem fiunt, terrenus est illa nihil prorsus ad meritum vitæ cœlestis valitura novit. Lyranus in moralitate hujus textus ita scribit: Per Naas, qui *serpens* interpretatur, Diabolus intelligitur; hic autem quærit eruere oculos dextros virorum Jabes, quæ *calor* interpretatur, nam viris charitate ferventibus malignus insidiatur, per oculum autem significatur intentio. Matth. vi. « Si oculus tuus simplex fuerit, » id est, intentio tua, secundum Augustinum. Per oculum igitur dextrum ad bona spiritualia, per sinistrum autem ad temporalia designatur; per hoc igitur, quod Naas oculos dextros virorum Jabes quærebat eruere, significatur, quod Diabolus intentiones virorum in charitate servientium quærit a bonis spiritualibus totaliter avertere. Mansi, tr. lxxxvii, disc. iv, n. 1.

S. Antoninus de hac materia disserens et sequentia Cantic. verba: « Caput ejus aurum optimum, » adducens inquit: Caput designat intentionem, quia sicut caput est principium corporis, ita intentio est principium operis. Et paulo post subjungit: Aliqui habent caput terrenum, qui scilicet non intendunt, nisi congregationem substantiæ in suis operibus, etiam de genere bonorum propter hoc jejunant, orant, et hujusmodi faciunt, ut prosperentur. Alii caput carneum, qui intendunt tantum satisfacere naturæ, ut ea, quæ fiunt propter parentelas, vel sensualitatem; ut multi sub specie spiritus multa faciunt propter præsentiam corporalem personarum. Alii habent caput aureum; isti sunt Sancti, qui omnia, quæ faciunt, faciunt propter amorem Dei, et amore ejus; charitas enim aurum significat. Apoc. iii. « Suadeo tibi emere aurum, » id est, charitatem, quia sicut aurum excellit omnia alia metalla, ita charitas omnes alias virtutes, et quanto quis ex majori intentione charitatis aliquid facit, tanto magis est Deo gratus, et meretur. S. Ant. p. 4, tit. II, c. iv *in* v *Cant.*

Dignissimum est, quod notetis, et porro demiremini, inquit S. Petrus Damianus, quod, cum quatuor fuerint, qui Christum in mortem tradiderunt, eorum tribus æternas hoc nomine debeamus laudes et gratiarum actiones, cum quartum execremur, et maledictis gravissimis ferociter impetamus, nec satis figere posse probris existimemus. Pater æternus tradidit in mortem Filium suum, de quo S. Paulus, Rom. viii, 32. « Etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. » Et: « Filius tradidit semetipsum pro me, » inquit iterum Paulus ad Galat. ii, 20. et Propheta Evangelicus: « Oblatus est, quia ipse voluit. » Isai. liii, 7. Spiritus Sanctus suo quodam modo etiam tradidit Christum, juxta illud Sap. i, 6. « Benignus est Spiritus sapientiæ, et non liberabit maledictum a labiis suis (vulgata Sixtiana habent *maledicum*) Spiritus Sanctus per os Prophetarum loquitur, ex illo Prophetæ mortem Christi annuntiarunt, « Christus autem nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. » Galat. iii, 13. Cum ergo Spiritus Sanctus semel prædixisset, Christum futurum esse pro hominibus maledictum, non liberavit maledictum, non liberavit eum a labiis suis, sed in mortem tradidit, ut fieret maledictum, sicut prænuntiaverat. Ita fere exponit hæc, quem diximus, Sanctus Petrus Damianus. Jam et Judas tradidit Dominum, qui ob eam injuriam his tam suavibus verbis amantissime cum illo expostulabat: « Juda, osculo Filium hominis tradis! » Luc. xxii, 48. Ecce hic quatuor, clamat S. Petrus Damianus. Qui Christum tradiderunt in mortem, ii sunt Pater, Spiritus Sanctus, Filius ipse, et Judas. Quid est, quod ex communi opere tanta redundant in Sanctissimam Trinitatem elogia, et tanta congeruntur in Judam convitia, probra, maledicta? Si Pater tradidit Filium, et ipse se tradidit Filius, insuper et Spiritus Sanctus, Judas quid mali fecit? Facta est traditio a Patre, facta est a Filio, nec non a Spiritu Sancto facta est et a Juda, inquit beatissimus Cardinalis. Cur non in consortium laudis admittitur Judas, qui bonam partem executus est communis operis, hoc est, traditionis? Respondet insignis Cardinalis, opusc. IV, c. xiii: Quia quod Deus omnipotens ex charitate, hoc Judas fecit ex pecuniæ acquirendæ cupidine; quod Deus fecit ad salutis nostræ remedium, hoc ille fecit ad explendum insatiabilis avaritiæ votum. Vides ergo, quia non, quid homo faciat, debemus attendere, sed quo animo, et voluntate faciat,

diligenter examinare. Didacus Nyssenus, *in Dom.* 22 *post Pent.* § 3.

Salvator noster cum Samaritana muliere circa novæ legis Evangelicæ dogmata prolixe discurrit, inter alia vero hanc ei utilissimam doctrinam proposuit: Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, et veritate; nam et Pater tales quærit, qui adorent eum, in Spiritu et veritate oportet adorare. Ubi Cajetanus ait: Hinc habes, erudite Lector, quod exterior cultus non propter se ipsum gratus est Deo, sed pro quanto ordinatur ad interiora, qui sit in Spiritu et veritate, hoc est in corde interno. Mansi, tr. xxxvii, disc. i, n. 6.

Necessitas. — S. Thomas de Villanova rationem assignans, cur tanta inter fideles bonorum operum sit penuria, defectum talem sterilitati hujus radicis attribuere non dubitat, dicens: Unde, Fratres, putatis, tanta in nobis sterilitas, et ad omne opus bonum tanta et tam gravis difficultas, nisi ex siccitate radicis. Ad quod et S. Paschasius alludere voluisse videtur, dum ait: Voluntas si bona fuerit, et recta intentio, fructus malos non facit, sicut nec mala bonos facere potest. Quia omnia opera, licet bona videantur, vel mala, radicis suæ succum ad seminis virorem trahunt. S. Thom. de Villanova, s. *de S. Nicola.*

Certum est, quod Deus omnia in sapientia fecerit, nihilque sine mysterio operatus fuerit; prima autem et præcipua creatura, quam brachium omnipotentis artificis formavit, lux fuit: Fiat lux! Hæc enim confusum mundi chaos distinguere debebat, omnibusque aliis operibus, complementum et perfectionem suam tribuere. Quæ enim utilitas et venustas eminuisset in mundo absque luce? Solem e mundo si tollitis, quantis mox obscuræ caliginis tenebris miseri infelices involveremur? Ita quoque, nisi opera nostra a recta intentione, et fine bono lumen accipiant, tenebrosa, id est, infructifera, imo et sæpius tenebris infernalibus digna erunt; hinc nobis consulebat Apostolus dicens: « Abjiciamus opera tenebrarum, et induamur arma lucis. » Mansi, ib. disc. vii, n. 7.

Utilitas. — Cum Julius Cæsar Sacrificiis dans operam moneretur quod interiora victimarum infausta ominarentur auspicia, respondit: Erunt bona cum volo. Idem quoque dicere potest, quisquis voluntate et intentione bene uti novit; ex qualibet enim ærumna et adversitate magnum lucrum spirituale nobis comparare possumus, agnoscendo divinam super nos manum extensam, ferulamque osculando, qua percutimur; Unde Apostolus ait: « Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. » Enimvero bonum illud, quod nos fecimus, quod terrenos fecisse vellemus, et propter quod non factum affligimur, veniamque a Deo postulamus, Deus nihilominus nobis adscribit ad meritum. Unde B. Mechtildis dixisse fertur: Aio igitur, et quidem constanter, quia per voluntatem possum omnia, omnium labores sustinere, omnium bona opera exequi, et quidquid demum boni excogitari potest. Si enim hæc perfecte volo, et sola deficit exequendi facultas, omnia coram Deo fecisse arbitrabor; quando enim sic voluntas est affecta, ut, quidquid potest facere, velit id quoque non solum nunc, sed etiam si mille adhuc annis superviveret, tunc plane coram Deo totum hoc illi imputabitur, quod tanto interim annorum spatio perfici posset. Mansi, ib. disc. vii, n. 6.

S. Gertrudis divinitus edocta est, quod, quandocumque aliquis scribit, vel alios docet ea intentione, ut laus Dei per hoc promoveatur, et profectus animarum, tunc omnis profectus, quem aliquis unquam ex illa scriptura, seu doctrina, etiam post mille annorum millia consequetur, totaliter cedit in illius salutem, quia sua intentione hoc Domino primitus prælibavit. Hoc quoque Christus Dominus aperte confirmavit S. Brigittæ dicens: Etiam illud tempus, quod impenditur subveniendo corporis necessitati, si id rationabiliter fiat, inter spiritualia reputari. Lib. IV *Insinuat.* c. xiii.

Dignitas.—Deus noster Sponsam suam quoad hanc rectitudinem variis in occasionibus laudibus extulit, specialiter vero, in c. iv. Cant. ubi ait: « Vulnerasti cor meum, Soror mea Sponsa, in uno crine colli tui. » Enim vero si Sponsus hoc loco se a fulmine, vel a lapide, vel exploso sclopeto vulneratum fuisse dixisset, facile intelligi mens ejus potuisset, at vero unicus dumtaxat capillus, quomodo cor ejus penetrare et vulnerare potuit? Respondetur per hunc capillum Sponsum exprimere voluisse intentionis unitatem; hæc enim est, quæ cor Dei sibi rapit. Unus crinis colli, inquit Ricardus de S. Victore, est unica cogitatio, et præcipua intentio, qua laboras. In textu hebræo, loco, *vulnerasti*, legitur, *rapuisti cor meum.* Mansi, tr. xlvii, disc. i, n. 6

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Christus docuit B. Mechtildem, ut, quoties arteria micaret, amorem offerret. Dicatur ergo :

O Jesu, quoties cordis mihi vena micabit,
Tu toties posthac sis benedictus amor !

Vellem electis meis (dicebat Christus S. Gertrudi) persuasum esse, quod eorum bona exercitia et opera mihi omnino placeant, quando mihi serviunt expensis suis. Illi autem serviunt expensis suis, qui, licet saporem devotionis minime sentiant, fideliter tamen (ut possunt) orationes et alia pia exercitia sua peragunt, confidentes de pietate mea, quod ego illa libenter et grate suscipiam. BLOSIUS, *in Monil spir.* c. III,

Proponamus oportet finem summi boni ad quem nitamur, ad quem omne factum nostrum dictumque respicit ; velut navigantibus ad aliquod sidus dirigendus cursus est Vita sine proposito, vaga est. SEN. ep. LXXV.

Non in facto laus est, sed in eo, quemadmodum fiat. Eadem res si gulæ datur, turpis est ; si honori, reprehensionem effugit. Amico ægro assidet quis ? Probamus, at hoc si hæreditatis causa facit, vultur est, cadaver expectat. Ibidem.

Malus est vocandus, qui sua causa est bonus. PUBL. MIMUS, *apud Drexel, in Amussi.* l. I. c. II, §. 2.

Deus summum Sacerdotem tam splendide olim vestiri jussit, ut Siracides de eo vestitu dicat : Si pulchra ante ipsum non fuerunt talia usque ad originem. Gloria honoris et opus fortitudinis ; desideria oculorum ornata ; hinc etiam trecenta sexaginta sex aurea tintinnabula huic vesti appendebantur, ut omnium oculos in se converteret. Applicatio fieri potest ad Christum Summum Sacerdotem. DREX. ib. c. XIV.

Mulieres in Oriente olim prodibant facie aperta, oculo unico detecto ; sic anima Deo fidelis, et casta. Ibid. c. III, §. 4.

Deus Abrahamo præcipiens, ut aves et alios animantes offerret, has quidem divisas et concisas in frusta, illas autem indivisas offerri voluit, ut significaret, curas quidem alias dividi posse, non item intentionem, quam aves significabant. Ibidem.

Sponsa dixit Sponso : Omnia poma nova (id est, opera ex amore Dei facta) et vetera (nempe naturæ opera) servavi tibi. CANT. VII, XIII.

Cum Palladius Macarium Alex. adiret, et quæreret, quid faciendum esset, dum cogitationes importunæ ipsum affligunt, et dicunt : Nihil facis, recede hinc, frustra sunt omnia. Respondit S. Macarius : Dic tuis cogitationibus, propter Christum parietes custodio. PALLAD. c. XIII.

Nemo mihi videtur plurisæstimare virtutem, nemo illi magis esse devotus, quam qui boni viri famam perdidit, ne conscientiam perderet. SEN. ep. LXXXI.

Milites Gedeonis dum contra hostem moverunt, id unum assiduo clamabant : *Domino ac Gedeoni* ! Idem dicendum cuivis Christiano in omnibus actionibus. JUDIC. VII, 20.

Deus de altari sibi faciendo loquens, dixit : Quod si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus. Si enim levaveris cultrum super eo, polluetur. Ratio videtur fuisse, quia cum lapides secentur, ut vidantur, voluit indicare Deus magis sibi placere opera, quæ non videntur, quam quæ publico conspectui sunt exposita, cæteris paribus. EXOD. XX, 6.

Sponsa de Sponso dixit : Læva ejus sub capite meo, et dextra illius amplexabitur me ; quia læva sub capite cerni non potest, amplexantem vero dextram cernitis, qui amplexu stringitur. In Sponsi læva divitiæ sunt et gloria, sed cum tempore peritura, in dextra vero longitudo dierum et beatissima æternitas, hæc proinde per intentionem videri et appeti debet, non illa. CANT. II. 6. DREX. *in Amussi.* l. II, ar. 9, §. 4.

Epictetus uni ex consortibus scribens dixit : Hæc ego non multis, sed tibi ; satis enim magnum alter alteri theatrum sumus. Quanto potiori jure hoc quivis homo Deo dicat ? SEN. ep. I.

Narrant in urbe Colchin elephantem fuisse, qui operas diurnas præbere solitus erat ad portum et res marinas. Hunc cum laborem in navi ad mare deducenda constanter abnueret, Præfectus, ut saltem in gratiam Regis Lusitaniæ id faceret, oravit. Quo audito statim elephas dixit : *Hoo, hoo*, quod Malabarum lingua idem significat, ac *volo, volo*, sicque navem statim ad mare deduxit. An homo in gratiam Dei laborem detrectabit ? DREX. *in Amussi.* l. II, c. VIII, §. 7.

Egregie Theologus quidam dixit, Christianos cœlum non per verba, sed per ad-

verbia adipisci ; quia non tam quid faciant, sed quam bene, attendit Deus. Et, ut Salvianus ait, oblata Deo non pretio, sed affectu placent. Ibid. c. VIII.

Dum Moyses virgam in terram projicit, in colubrum vertitur, quæ tamen, dum iterum eam extendit et tenuit, in virgam reversa est, ad miracula quæque patranda idoneam ; sic intentio si terram attingit, veneno malitiæ opera inficit, si cœlum versus porrigi tur, ad optima quæque prodest. Ibid. l. I. c. I.

Non est ingrata Deo, quæ visa fuerit ab hominibus eleemoysa, sed quæ ideo facta est, ut visa sit. S. CHRYS. hom. IX, in MATTH.

Si times spectatores, non habebis imitatores; videri debes, sed non ad hoc facere, ut videaris; opus publicum, intentio secreta.

NECESSITAS.— Non potest quisquam beate degere, qui se tantum intuetur, qui omnia ad utilitatem suam convertit ; alteri vivas, oportet, si vis tibi vivere. SENECA, ep. XLVIII.

Julius Cæsar, teste Appiano, eo die quo in Curia occubuit, senatum ingressurus, de more fecit ; aperta victima cor defuit. Extispice nescio quid vaticinante de Imperatoris obitu, irrisit Julius, et aliam admoveri jussit, sed et hæc corde caruit. Perinde opus nostrum sine intentione mortis est nuntius, aut mortuum, inutile, nullum. DREXEL. *in Amussi*. l. I, c. IV; §. 4.

S. Chrysostomus illum in seipsum crudelem tyrannum judicat, qui potest alio contentus esse præmio, quam Deo. S. CHRYS. hom. XXI, *in Matth.*

UTILITAS.—Idem eidem dixit : Quod, quandocumque aliquis scribit, vel alios docet ea intentione, ut laus Dei per hoc promoveatur et profectus animarum, tunc omnis profectus quem aliquis unquam ex illa scriptura, sive doctrina, etiam post mille annorum millia consequetur, cedit in illius salutem, quia sua intentione hoc Domino primitus prælibavit. Lib. IV *Insinuat*. c. XIII.

DIGNITAS. — Quærit Cyrillus Alexandrinus, cur Deus victimæ sanguinem vetuerit edi, illumque jusserit ad aram effundi? et respondet : Sanguis est sedes animi ; qui sanguinem, is et animum adimit. Voluit ergo Deus in omni sacrificio voluntatem, cor, intentionem, velut sanguinem, coram se effundi, nec guttula in alios usus reservata. DREX. *in Amussi*. l. I, c. IV, §. 3.

Magnus ille est qui fictilibus sic utitur, quemadmodum argento ; nec ille minor est, qui sic argento utitur, quemadmodum fictilibus. SEN. ep. V.

Si quis propter Deum voluntati suæ etiam in minimis rebus reluctetur, rem ipsi Deo gratiorem præstat, quam si multos mortuos ad vitam reducat. LUD. BLES. *in Instit. Spirit.* c. I.

MALA INTENTIO. — Quia statua a Nabuchodonosore Rege visa, pedes tantum luteos habebat, unicus illam lapillus facile dejecit omniaque sic contrivit, ut in favillam, quasi æstivæ areæ, quæ a vento rapitur, sint redacta. Sic mala intentio quodcumque bonum opus conterit, ut nihil penitus relinquat boni. DREX. *in Amussi*, l. I, c. VIII, §. 1.

Etsi idem fuerit osculum, quo B. Virgo, B. Maria Magdalena, et Judas fuerunt osculati, impar tamen longe singulorum fuit meritum ; nam B. Virgo divini favoris et amoris ingens augmentum, Magdalena delictorum veniam, Judas gehennam illo mercatus est. Idem. l. I, c. VIII, §. 3.

Exploratores Terræ Sanctæ magna promissa fecerunt Rahab hospitæ suæ, sed ea conditione adjecta, *si non prodideris nos*. Simili modo opera nostra bona ingentes nobis gratiarum et gaudiorum cumulos pollicentur; sed et ipsa addunt : Si non prodideris nos dolo, iniquitati, fraudi per malam intentionem. Idem l. I, c. IX.

Equi cæci in fullonica licet currant toto die, vesperi tamen in eodem sunt loco, quia in orbem acti sunt. Sic qui carent vera intentione, cæci sunt, et in virtutibus progressum nullum faciunt, quia semper in eodem loco laborant, id est, sine intentione bona operantur. Idem l. I, c. XII, §. 5.

Cum Diogenes media hyeme se frigidissima lavaret aqua, et ideo aliqui ejus miserti rogarent, ut parceret sibi, Plato inter spectatores exclamavit : Si misereri vultis, abite. Sciebat quippe eum talia ob vanam laudem captandam facere. Ibidem l. I, c. IX, §. 1.

AXIOMATA.

Quidquid agant homines, intentio judicat omnes. S. BER. *de Domo intern.* c. XLV ; *Rom.* IV.

Quod olim de pecunia, hoc rectius alii de intentione canunt :

Et genus, et formam Regina intentio donat. TERTULL. cap. VII, *de Præscript.*

Tale erit opus tuum, qualis fuerit intentio tua. S. Bonav. in cap. xxxiv *Luc.*

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

Nec bonitas sine ratione boni.

Intentio operi tuo nomen imponit.

Deus coronat voluntatem, si non invenit facultatem. S. Chrys.

Si desint vires tamen est laudanda voluntas.
Ovidius.

AUCTORES.

Jeremias Drexellius, *in Amussi.*

Theophilius Bernardius, *de Perseverantiæ præsidiis.*

Eusebius Nierembergius, lib. IV, *doct.* III *Ascetica.* Item I. II, *de Ador.* c. XXI.

Praxis bonarum intentionum, Gallice edita, et postea latinitati tradita et Coloniæ excusa.

Philippus D'Outreman, *in Pædagogo Christiano*, p. II, cap. X.

Alphonsus Rodriquez, *de Perf. Christiana* p. I, tr. III.

INVIDIA.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitur. — Definitur sic Invidia a S. Augustino : « Invidia est odium felicitatis alienæ ; » a Remigio sic : « Invidia est dolor de alieno bono ; » a Damasceno : « Invidia est tristitia de alienis bonis ; » a Philosopho : « Invidia est tristitia in apparenti felicitate alicujus inimicorum. » Item aliter : « Invidia est dissensio ab alieno bono existimato diminuere proprium. » S. Bonav. *Centiloq.* p. I, sect. X. Doctor autem Angelicus definitionem S. Joannis Damasceni adducens, eam his fuse explicat verbis : Dicendum, quod objectum tristitiæ est malum proprium. Contingit autem id, quod est alienum bonum, apprehendi ut malum proprium, et secundum hoc de bono alieno potest esse tristitia; sed hoc contingit dupliciter. Uno modo, quando quis tristatur de bono alicujus, in quantum imminet sibi ex hoc periculum alicujus nocumenti, sicut cum homo tristatur de exaltatione inimici sui, timens, ne eum lædat; et talis tristitia non est invidia, sed magis timoris effectus, ut Philosophus dicit, 2. Rethor. Alio modo alterius bonum æstimatur, ut malum proprium, in quantum est diminutivum propriæ gloriæ et excellentiæ, et hoc modo de bono alterius tristatur invidia. S. Thom. II, II, q. XXXVI, a. 1, c. 2. Dicitur autem, juxta S. Bernardinum, *invidio* a non videndo, quia non potest videre aliorum bona. Unde invidere, quasi non posse videre ; nam odium boni, quod latet in corde, etiam inadvertenter monstratur in facie. S. Bern. t. III, s. *de Exercit. malig. Sp.* a. 3, c. 2. Proinde Seneca ait : Quidquid mente fugimus, ingesta oculis vix videmus. Depingitur ut *Femina* (quia infirmi animi vitium est, et in feminis maxime reperitur) *annosa* (quia ab initio mundi ætas ejus) *vipereas carnes manducans*, (quia non nisi alienis pascitur malis, et ut vipera detrahere gaudet famæ proximi) *macie et pallore confecta*, quia invidus perpetuis curis et tristiis intabescit *cor proprium edens* (quia suum proprium subjectum consumit) *oculos habens obscuros et lividos* (quia mentis oculum confundit, rectumque judicium obnubilat.) Vide Marchant. tr. IV, *Tuba Sacerd.* lect. I.

Divisio — Duplex est genus Invidiæ, unum laude, alterum vituperio dignum. Vitiosa et vituperabilis invidia est, quæ facit, ut de alieno vel bono doleas, vel malo gaudeas. At laudabilis invidia importat dolorem de defectu proprio, in comparatione ad aliquem habentem id, quo iste caret. Cum quis dolet de alieno bono, non ob id, quod eo alius gaudeat, sed quia ipse suo merito illo careat, ea commendabilis est invidia. Atque isto modo invidebat Rachel, quod infecunda esset, sorori suæ, inquit Tostatus, eamque invidiam non condemnat, sed plurimum etiam prædicat Scriptura Sacra, dicit nempe in sequentibus : « Recordatus Dominus Rachelis, exaudivit eam, et aperuit vulvam ejus, sublataque sterilitate fructum ei benedictionis impertivit. » Ex quo intelligamus, ut quis sua apud Deum negotia feliciter pertractet, et subita in ejus domo incrementa faciat, ei hanc tenendam ac terendam esse viam, ut non invideat gratiæ, alienæ, nec de splendore aliorum doleat, quando ipse gradum inferiorem tenet, sed exigua sua merita deploret, per quæ fit, ut loco augustiore et sublimiori sit indignus. Unde et S. Paulus cum ad profectus studium exstimulare Corinthios vellet, hæc ad eos scribit : « Æmulamini charismata meliora. » 1. Cor. 12, v. 31. Verbum *æmulamini*, videtur scrupulum

movere posse, quod servos Dei æmulationes dedeceant. Bene illud, si Apostolus, *invidete*, et non, *æmulamini*, diceret; nam invidia ab æmulatione in hoc distat, quod invidia, ut loquitur Aristoteles, lib. II Rhetoric. cap. 1, est improbum, et improborum æmulatio, probum quidem, et proborum, quam post hæc enucleatius sic describit: «Æmulatio est dolor quidam, quoniam bona et honorabilia, quæ quoque assequi posset, natura similibus adesse videantur, non quoniam aliis sunt, sed quoniam non ipsi quoque.» Hæc ille; ex cujus sententia ille proprie æmulatur, qui hoc nomine tantum alios felices dolet, quod non ipse iis æque felix est. Et hoc laudem meretur. Secundum hæc, cum jubemur æmulari Charismata meliora, id nobis dicitur, ut eadem a Deo obtineamus, id non alia ratione commodius, promptiusve fieri, quam si hæc penes alios doleamus, non quia iis alii sunt ornati, sed quoniam nos hactenus non admodum laboravimus, neque modis omnibus conati sumus, ut eadem nobis obvenirent. Hæc est præstans ratio status, hic optimus modus tractandi sua apud Deum negotia, ut non invideamus fortunæ aliorum secundæ, sed de nostra sinistra doleamus. Abulensis, *apud Nyssen.* § 1, ser. III, *post Dom.* I, *Quadr.*

Ab aliis dividitur in eam, quæ tristatur de bono alieno, in quantum est *perniciosum* sibi vel alteri; et eam, quæ tristatur de bono alieno, *quatenus nobis deest;* et eam, quæ tristatur de bono alieno, *in quantum possessor ejus indignus est;* et eam denique, quæ tristatur de bono alieno, *in quantum aliquem excedit alter in illo*, et hæc species proprie Invidiæ nomen meretur.

Actus. — *Tristari et indignari de bono alterius;* sicut Cain tristatus est, quod Deus sacrificium Abelis respexerit.

Lætari de malis alterius; uti S. Prosper his verbis expressit: De bonorum malis gaudent, de profectibus lugent, et inimicitiis gratuitis ardent. S. Prosper l. III, *de Vit. cont.* c. IX.

Bona aliorum silentio tegere; nam sicut vultures per amœna et odorata prata volantes, ea despiciunt, et prætereunt; ita Invidi non nisi illa, quæ alterius gloriam imminuere possunt, observant.

Manifestam aliorum virtutem calumniari; nam ut S. Basilius recte advertit, fortitudinem audaciam potius appellant; modestum, sine sensu hominem; justum, immitem et nimium severum; prudentem, astutum; magnificum, vastum; liberalem, ut prodigum taxant; domestice frugalem, avarum dicunt. Denique omnis virtutis species in vicina vitiorum nomnia convertunt. S. Basil. *in orat. de Invid.* Quæ omnia in Pharisæis Christi actiones observantibus et male interpretantibus videre est; hinc illæ voces: Non est hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit. Joan. IX, 16. Quare cum peccatoribus et Publicanis manducat magister vester? Matth. IX, 11. In Beelzebub principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia. Luc. II, 15.

Aliorum bona opera impedire; idque vel detractionibus eorum famam obscurando; vel propriis laboribus occasionem bene agendi illis præripiendo. Hinc Apostolus dicebat: Quidam propter invidiam et contentionem; quidam autem et propter bonam voluntatem Christum prædicant. Philipp. I, 15.

Paulo aliter hos videtur assignasse S. Bernardinus, dum dixit: Hic spiritus (invidiæ) cum exercitu suo exagitat, atque impellit animas ad quinque invidiæ filias, videlicet ad odium, ut invicem homines velint sibi malum, et nolint bonum; ad exultationem in proximorum adversis; ad afflictionem in proximorum prosperis; ad susurrationem latentem; ad detractionem patentem; ad tantam enim contrarietatem hic spiritus nequam seducit suos sequaces, ut ita Deo adversarii sint; ut, sicut Deus tam bonus est, quod etiam de malis elicit bonum, sic e converso isti tam mali sunt, quod de bonis eliciunt malum. Et sicut bonis etiam mala cooperantur in bonum, ita invidis omnia bona cooperantur in malum. S. Bern. Sen. *apud Mansi*, tr. XXXVIII, dis. I, 5.

S. Albertus Magnus illum Amos textum: Mittam ignem in Theman, et devorabit ædes Bosræ, ita ad præsens pariter exponit propositum, dicens: Ista pars spiritualiter exponitur de invidis, quorum tria et quatuor scelera sunt Primum quidem parvitas cordis, omnia enim parva reputat, quæ habet, quamdiu alium in prosperis videt. Job V. *Parvulum occidit invidia.* Unde, in libro Esther c. III, Aman, qui *iniquus* interpretatur, cum omnia haberet, nihil reputavit, quia vidit Mardochæum sedentem ante fores palatii. Secundum est tristitia de bona alterius; torquetur enim invidus in bonis proximi. Tertium est machinatio continua. Prov. VI. « Corde machinatur

malum, et omni tempore jurgia seminat. » Isti sunt tres Spiritus. Apoc. XVI. « Vidi de ore Draconis, et de ore bestiæ, et de ore Pseudo-prophetæ exire Spiritus tres immundos in modum ranarum ; » sunt enim Spiritus Dæmoniorum. Quartum est pertinax fratrum impugnatio, qua scilicet sine scelere fratres impugnant. S. ALBERT. M. *in Amos* I, 12.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Ad invidiam concupiscit spiritus, qui habitat in vobis. JAC. IV.

Eris invidus vitæ tuæ. ECCL. XVIII, 33.

Memento, quoniam malus est oculus nequam (de quo Siracides dicit : Nequam est oculus lividi). Nequius oculo quid creatum est? ECCL. XXXI, c. XIV.

Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, et industrias animadverti patere invidiæ proximi, et in hoc ergo vanitas, et cura superflua est. Ib. c. XXXI.

Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? I COR. III, 3.

Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius? SAP. II, 24.

Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. SAP. II, 11.

Nequam est oculus invidi, et avertens faciem suam, et despiciens animam suam. ECCL. XIV, 8.

FUGA. — Ne comedas cum homine invido, et ne desideres de cibis ejus, quoniam in similitudine arioli et conjectoris æstimat, quod ignorat. Comede et bibe, dicet tibi, et mens ejus non est tecum. PROV. XXIII, 6.

Cum ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, et in ruina ejus non exultet cor tuum, ne forte videat Dominus, et displiceat ei, et auferat ab eo iram suam. PROV. XXIV, 17.

Deponentes igitur omnem malitiam et invidias, et omnes detractiones sicut modo geniti infantes, rationnabiles, et sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. I PETR. II, 1.

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. GAL. V, 26.

Neque cum invidia tabescente iter habebo, quoniam talis homo non erit particeps Sapientiæ. SAP. VI, 25.

DAMNUM. — Væ illis, qui in via Cain abierunt! Propter quid (enim) Cain occidit Abel? Quia opera ejus erant maligna, fratris autem ejus justa. JUD. II.

Qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus. PROV. XVII, 5.

Ubi zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. JAC. III, 16.

Vita carnium, sanitas cordis ; putredo ossium invidia. PROV. XIV, 30.

Qui sibi invidet, nihil est illo nequius ; et hæc est redditio malitiæ illius. ECCL. XIV, 6.

Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem; quoniam tamquam fœnum velociter arescent, et tamquam olera herbarum cito decident. PSAL. XXVI, 1.

Zelus et iracundia minuunt dies, et ante tempus senectam adducent. ECCL. c. XXX.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Huic (invido) vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, stridor in dentibus, verba rabida, effrenata convitia, manus ad cædis violentiam prompta, etiamsi a gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis armata. S. CYPR. *de Zelo*.

Insanabilis est prorsus ipsorum livor; non enim placantur blanditiis, non mulcentur obsequiis, non rationibus acquiescunt, quin potius quemadmodum ignis accenditur additione lignorum, ita et horum passio augetur multiplicatione virtutum. S. LAUR. JUST. *de Discip. Mon.* c. XIII.

Bonis utitur invidus male, quia omnibus bonis, quæ miser execratur, adjunctus, animi sui supplicio relinquetur affligendus. Et quis ei poterit subvenire, qui se sibi exhibet invidendo carnificem? Aut unde sibi parabit salutem, qui de salute male utendo faciat pernicem? S. PROSPER. *de Vit. contempl.* c. IX.

Nihil his inimicitiis difficilius, quæ ex invidiæ amarissimo fonte descendunt ; quandoquidem his, qui ex aliis actionibus inimici sunt, si alter forte aggrediatur alterum vincere beneficiis, continuo ferocitas mitigatur; in invidum autem si beneficia conferantur,

multo amplius inflammatur, et quanto plura fuerit consecutus, tanto majoribus incendiis conflagrabit, magis enim irascitur et dolet, quod ab eo boni aliquid consequitur, quem nolit quicquam boni vel habere, vel posse præstare. S. Zeno, s. *de Livore*.

Invidi pejores sunt feris, Dæmonibus autem pares, et fere deteriores; nam feræ esca indigentes, vel a nobis irritatæ adversus nos armantur; Invidi vero etiam beneficiis allecti benemeritos maleficiis prosecuti sunt. Dæmones quoque licet contra nos bellum exerceant impacatum, consortibus tamen generis non insidiantur; Invidi vero neque naturæ communionem reveriti sunt, neque sibi pepercerunt. S. Chrys. hom. xliv, *ad Pop. Ant.*

Invidia non solum multos, sed et optimos tangit. S. Cypr. *apud Beir. in festo S. Jo. Bapt.* text. ii.

Quale malum est, quo Angelus cecidit, quo circumveniri et subverti alta illa sublimitas potuit, quo deceptus est, qui decipit? Salvianus, l. V, *de Prov.*

Prosperitas aliena illi (Invido) supplicium est; et parum est, si ipse sit felix, nisi alter fuerit infelix. S. Cypr. s. *de Zelo et livor.*

Invidia filia est Superbiæ, sed ista mater Superbia nescit esse sterilis, ubi fuerit, continuo parit; suffoca matrem et non erit filia. S. August. *de Verb. Domini.*

Invidi color pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, membra frigescunt, sic incogitatione rabies, in dentibus, stridor S. Gregor. Nazienz.

Invidus alienas jacturas suos quæstus existimat. S. Chrysost. *Sup. Matth.* hom. xli.

Fuga.— Nihil magis Christiano cavendum, nihil cautius providendum, quam ne quis invidia et livore capiatur; ne quis, dum zelo in fratris odia convertitur, gladio suo nescius ipse perimatur. Idem.

Fugiamus intolerabile malum, serpentis id est præceptum, Diaboli inventum, Inimici satio, punitionis arrhabo, pietatis impedimentum, via ad gehennam, Regni cœlorum privatio; nam et ipso fatentur ore hoc vitium Invidi. Aspectus illis est aridus et obscurus, gena subtristis, supercilium demissum, anima ipso morbo suffusa, prudentia destituta, S. Basil. h. xi.

Consideret unusquisque conscientiam suam, et si se videat de prosperitate proximi sui invidiæ veneno percussum, evellat de pectore suo spinas et tribulos, ut in eo semen Domini quasi in fertili agro multiplicata segete luminis concipiatur, ut amaritudo invidiæ, Christi dulcedine leniatur. S. Aug. s. xxxviii *de Temp.*

Fuge Invidiam, quæ non solum alienos, verum multo magis eum, quem possederit, lacerare consuevit. S. Ambros. lib. *de Fuga sæculi.*

Tolle Invidiam, et tuum est, quod habeo; tolle Invidiam, et meum erit, quod habes. S. August. *sup. Joan.*

Damnum.— Oro te, quid Invido delectationis præstat Invidia, quem secretis quibusdam conscientia ungulis livor ipse discerpit, et alienam felicitatem tormentum facit? S. Hier. *ad Demet.*

Parvulus est, qui Invidia occiditur, (teste Job) quia nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret. S. Greg. l. V. *Mor.*

Quamvis per omne vitium, quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis virus infunditur, in hoc tamen nequitia sua tota viscera commovit serpens, et imprimendæ malitiæ pestem vomuit. Ibid.

O Invidia, quæ semper sibi inimica est! nam qui invidet, sibi quidem ignominiam facit; illi autem, cui invidet, gloriam parit. S. Chrys. *sup Matth.*

Tantos Invidus habet justæ pœnæ tortores, quantos invidiosus habet laudatores. S. Prosp. l. III, *de Vit. contempl.*

Invidia est interitus vitæ, pestis naturæ, adversa omnibus bonis ex Deo venientibus, demum ipsi Deo contraria, S. Basil. hom. *n.* 11.

Invidia radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum S. Cypr. s. *de Zeto et Livore.*

Grave quid Invidia, grave et simulatione plenum. Hoc mundum innumeris replevit malis. Ex hoc morbo litibus plena sunt tribunalia; ex hoc pecuniarum amor, ambitio et inanis gloria. Hinc urbes obsidentur, et mare piratas habet. Hinc per orbem cædes, hinc genus nostrum dissipatum est. Quodcumque malum videris, ex hac radice producitur. Jam enim et in Ecclesias, bacchata est, et prius innumera patravit mala. S. Chrys. h. xliv, *ad Pop. Ant.*

Invidia sibi primum nocet, primum auctorem suum mordet, menti officit, cor quasi pestis depascit, animum urit. S. Isid. *Sol.* ii.

Hæc est hospes, qui apud suum hospitem inhospitaliter hospitatus, sui hospitis labe-

fecit hospitium. Hæc est possessio suum possidens possessorem; quæ, dum alios detractionum latratibus vexat, sui possessoris animum intestino morsu profundius inquietat. S. Greg. l. II *Mor.* c. xi.

Quisquis ille est, quem in zelo suo persequitur invidus, subterfugere eum forsitan poterit, et vitare; invidus vero fugere non valebit. Ubicumque fuerit adversarius suus, secum est hostis in pectore semper inclusus. S. August. ser. lxxxviii *de Temp.*

Admonendi sunt invidi, ut perpendant, quantæ cæcitatis sunt, qui alieno profectu deficiunt; aliena exaltatione contabescunt; quantæ infelicitatis sunt, qui melioratione proximi deteriores fiunt, dumque augmenta alienæ prosperitatis aspiciunt, apud semetipsos anxii, afflicti cordis sui peste moriuntur? Quid istis infelicius, quos dum conspecta felicitas afficit, pœna nequiores reddidit? Aliorum vero bona, quæ habere non possunt, si diligerent, sua facerent. S. Greg. p. III, *Past. Admon.* xi.

Hoc solum invidus bene agit, quod se cruciat; cætera peccata in futurum punienda servantur. Invidia ob magnitudinem sceleris, etiam in præsenti digna accipit. Invidia, quod malum hosti optat, sibi ipsa facit, quia igne, quo urit, uritur. Laur. Presbit. *apud. Mansi*, dis. xiv, n. 5;

Quid invidis hominibus est miserabilius, quibus, cum liceat gaudere, et fructum lætitiæ suæ capere, ipsi tamen malunt propter alienas felicitates dolere, et cum dolore ipso pœnam a Deo et supplicium intotelabile accersere? S. Chrys. t. I, h. 22.

Invidia animum cruciat; invidus enim de lætitia tabescit, de sanitate languescit; de pinguedine macrescit. O insania et stultitia! Invidia de alieno vulnere suum vult sanare vulnus, sanitatem quærit de aliena infirmitate, bonum in alieno malo; quod idem est, ac si quæreret ignem in aqua, et aquam in igne, in spinis uvas, in tribulis ficus. Bellov. l. III *Spec.* p. IV, dist. i.

Quanta hominum gaudia sunt, tanti invidorum gemitus. Tales signantur per bufones, qui moriuntur floribus vinearum S. Albert. M. *in Apoc.* xvi.

Quotidie (Dæmon) invidiam suggerendo, conatur fraternam charitatem dissipare. Inde Joannes Papa ait: Conatur versutus hostis ab initio ruinæ suæ, Ecclesiæ unitatem scindere, charitatem vulnerare, et bonorum operum dulcedinem felle invidiæ inficere, et omnibus modis, quibus potest, humanum genus evertere, et perturbare. Dolet enim satis, et erubescit, charitatem, quam ipse nequivit habere, id est, conservare in cœlis, homines constantes ex lutea materia possidere in terris. Et tanta est malitia invidiæ ejus, ut, cum ex tentationibus, quibus nos infestat, augeatur ei pœna accidentalis inferni, tamen potius eligit sibi illam augeri, tentando nos, ut urere faciat, quam illa carere, desistendo a tentationibus. S. Anton. p. II, tit. viii, c. i, § 2.

Hoc exemplo (Christi nullam in Nazareth virtutem facere potentis) pariter et oraculo declaratur, quod frustra opem misericordiæ cœlestis exspectes, si alienæ virtutis fructibus invideas; aspernator enim Dominus invidorum est, et ab iis, qui divina beneficia in aliis persequuntur, miracula suæ potestatis avertit. S. Ambb. l. IV *in Luc.* c. iv.

Cum divictum cor livoris putredo corruperit, ipsa quoque exteriora indicant, quam graviter animum vesania instigat. Color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, et membra frigescunt; fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor, cumque in latebris cordis crescens absconditur odium, dolore cæco tenebrat conscientiam vulnus inclusum. S. Greg. l. V *Mor.* c. xxxi.

Inde (ex invidia) odium surgit, animositas inde procedit, avaritiam zelus inflammat, dum quis suo non potest esse contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus auctiorem, zelo excæcante sensus nostros, atque in ditionem suam mentis arcana redigente, Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, Judicii dies non providetur, instat superbia, exacerbat sævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit, furit discordia, ira ferveseit. S. Cypr. *de Livore.*

Invidia mortifer stimulus, mucro reconditus, naturæ morbus, bilis venenosa, tabes sponte adhibita, telum amarum figens animam clavis, flamma cordis, intestinorum ignis. Hanc qui habet, non suis malis, sed alienis bonis infelix est, et contra non suo bono, sed malis proximi felix est; invidus enim felicitate aliorum dolet, calamitatibus gaudet. S. Greg. Nyss. l. *de Vit. Monast.*

Servo Dei, cui subrepserit superbia, continuo ibi est invidia, non potest superbus esse non invidus, invidia filia est superbiæ;

sed ista mater nescit esse sterilis, ubi fuerit, continuo parit. S. Aug. c. v, *de Ver. Dom.* 5.

Invidia est illa pessima tinea, quæ purpuramenta virtutum demolitur; ærugo, quæ thesaurum sapientiæ deprædatur; bruchus qui terrarum virentia comburit, quia, quidquid boni operis virescit in homine, pene pestis invidiæ perdit. Idem s. vxiii, *ad Frat.*

Quid hoc morbo tetrius? Quid humanæ vitæ perniciosius? Quid tam naturæ inimicum? Quid tam Deo ipsi adversum? Nec mirum, et ipsum malitiæ Principem Diabolum adversus humanum genus nihil aliud, quam invidiæ morbus accendit; per hanc namque stimulatus, etiam Deo ausus est repugnare. Etenim adversus Deum indignans pro his donis, quæ homini concesserat, quoniam in ipsum Deum nihil poterat, homini, quem diligebat, perniciem, mortemque molitus est. S. Zeno s. *de Livore.*

Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur; hinc fraterna charitas violatur; hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad hæreses atque schismata prosilitur; dum obtrectatur Sacerdotibus, dum Episcopis invidetur, dum quis aut queritur, non se potius ordinatum, aut dedignatur alterum ferre præpositum. S. Cyp. *de Zelo et Livore.*

Omnia mala ex radice nascuntur invidiæ, et hoc uno validissimo mucrone usus ab initio mundi usque ad consummationem ejus, Diabolus omnes pene animas trucidavit. S. Zeno, l. c.

Invidia pestiferum malum, hominem in Diaboli conditionem ac in Dæmonem immitissimum convertit; per eam mors venit in mundum, propter ipsam Abel est interemptus, David cædis periculum subit, et Judæi Christum interfecerunt. Invidi adversa aliorum fortuna, ut scarabei aliorum stercore nutriuntur. S. Chrysot, *in* h. 6.

EXEMPLA SACRA EXTERNA.

Qualitas. — Saul, ubi audivit cantantes mulieres: Percussit Saul mille, et David decem millia, iratus est nimis, et displicuit in oculis ejus sermo iste, nec rectis oculis aspiciebat David a die illa, et deinceps. I Reg. xviii.

Lucifer, postquam intellexit, decretum esse a Deo, ut Filius Dei naturam humanam assumat, invidens ei talem dignitatem, rebellionem cum complicibus incepit. S. Ber. s. vii, *in Cant.*

Esau odit semper Jacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater, dixitque in corde suo: Venient dies luctus patris mei, et occidam Jacob fratrem meum. Genes. xxvii.

Palæstini invidentes Isaac, quod ita bene diceretur a Domino, puteos ejus obstruxerunt.

Filii Jacob invidebant fratri suo, nec poterant ei quidquam pacifice loqui, quod a patre plus aliis diligeretur. Genes. xxx.

Cum in aula Principis cujusdam Siculi duo essent milites, quorum unus invidus erat, alter vero avarus, ambo vero omnibus hisce criminibus noti, Princeps die quadam se cum aulicis suis recreare volens, ambos ad se accersiri facit, et in conspectu omnium eorum sibi præstita beneficia magnificans, eademque grato animo remunerare volens, illos a se petere jussit, quidquid vellent, paratum enim se ad eorum desideriis satisfaciendum, ita tamen, quod, postquam primus pro voto accepisset petita, alter eadem duplicata acciperet. Tacebant ambo, et nullus volebat esse primus; nam cogitabat avarus, si sum primus, recipiam minus, quam si essem secundus, cum duplum sit ei promissum, quam primo postulanti. Cogitabat invidus, si primus respondeo, iste socius meus plus me recipiet, numquam hoc pateretur animus meus, potius volo dimittere petitionem meam, et consecutionem alicujus boni. Cumque inter se disceptarent, alter alterum præponeret in petendo, demum voluit dominus, quod invidus esset primus in petendo. Cœpit iste cogitare intra se, quid petere possum, ut iste socius non excedat me in donis? Si petam unam vestem, vel equum, iste duo habebit; si mille florenos, iste duo millia, si unum castrum, iste unam civitatem obtinebit. Sustinere hoc non possum, potius volo eligere aliquod malum pati, ut et ipse duplum habeat, quam obtinere bonum, in quo ipse me superet. Dixit ergo: Domine mi, ego peto ut unus oculus mihi eruatur, et sic socio duo extrahantur. Quid inde factum sit, non dicitur, sed bene fuisset invido factum, ut uno oculo evulso socius evasisset illæsus, ex quo tam diabolica conditio fuit in eo. S. Anton. p. II. tit. viii, c. i, § 2.

Tametsi discipuli Præcursoris Joannis Baptistæ eum adeo ab honore et dignitatibus humanis alienum esse sciverint, ut etiam

altissimam Messiatus dignitatem repudiarit, attamen impulsum sequentes naturalem, sibique invidiam prædominari sinentes, Christum majorem honorem accipere, quam Joannem, tolerare non poterant. Unde S. Antoninus ait: Discipuli Joannis Baptistæ invidebant aliquantulum Christo, eo quod haberet majorem concursum et famam, quam Magister eorum, unde zelantes pro ipso dixerunt ei : *Is, cui testimonium perhibuisti, plures discipulos facit.* Anton., p. 2, tit. viii, c. i, § 2.

In toto mundo nullus populus veri Dei lumen notitiamque habebat, sicuti Judaicus, in quo cultus Dei, veraque fides et religio perseveravit. Et nihilominus quis nescit, quoniam depravatus, justissimæ Dei iræ evasit scopus, unius vitio invidiæ, dicente S. Chrysostomo : Hæc Abrahæ progeniem, populum sanctitatis, ad Auctoris sui cædem, ad mortem sui Salvatoris armavit. S. Chrys. ser. vi.

Post mortem Josue filii Israel simul convenerunt, his Deum verbis interpellantes : *Quis ascendet ante nos contra Chananæum, et erit Dux belli?* At vero numquid ipsimet immediate et directe hanc electionem perficere poterant? Cur igitur jussum præstolabantur? (Jud. ii.) Abulensis causam fuisse respondet, invidentiam de alterna præeminentia ; nam de quacumque tribu nunc sumeretur Princeps, illa tribus videbatur prælata cæteris, et ex hoc erat invidia, quæ valde vitanda erat in tali actu, ubi oportebat omnes esse unanimes ; cum enim a Deo illuminati intelligerent, minime convenire, ut pro electione unius omnes alii mutuam adversus se invidiam provocarent, tametsi æquali resignatione, et generositate præditi essent; hanc autem invidiam sciebant se timere non posse, si Deus quoad eligendum divinam suam voluntatem manifestaret; hæc nempe ad compescendum livorem et æmulationem, quæ etiam inter viros virtuosos sæpe se insinuat, aptissima erat. Abulens. c. xxii, *Jud.* q. 18.

Belisarius summus Justiniani Imperatoris præfectus, vir manu strenus atque animi magnitudine, aliisque virtutibus nemini sua ætate comparandus, adeo res preclare gessit, ut Justinianus Imperator ei meritum virtutis præmium repræsentaret, præter infinitos honores illi delatos, monetam cudi curavit argenteam, in cujus altero latere imago impressa fuit Justiniani, in altero Belisarii, cum hoc elogio : Belisarius decus Romanorum. Hunc tamen tot et tantis honoribus ornatum, propter levem et frivolam affectati regni suspicionem, ab æmulis gloriæ suæ suscitatam, non tantum omnibus honoribus privavit, sed etiam erutis oculis eo calamitatis induxit, ut e vili tuguriolo stipem sibi mendicare coactus sit, inquiens : Date obulum Belisario, quem virtus extulit, invidia obcæcavit. Procop. l. iii, *Bello. Pers.*

Damnum. — Comes quidam Bonifacius pro favore, quo apud Valentinianum Imperator, valebat, Proregis dignitatem in Lybia occidentali assecutus, Ætii, viri in Imperatoris aula præcipui, ita invidentes auculos perstrinxerat, ut hic tantam istius fortunam ferre nequiens, calumniose eum apud Imperatorem occultæ, quam moliretur in imperium, rebellionis deferret. Ideoque talis ab Imperatore habitus, et publice nominatus est. Quod non ferens Bonifacius, ad Wandalos transfugit, ac per eos magnum toti Africanæ Ecclesiæ cladem intulit. Hæc sub an. 427 acciderunt. Anno porro 432, cum in gratiam Imperatoris restitutus, Romam militiæ Magister rediisset, iterum ab Aetio impetitus, et sive duello, ut vult Paulus Diaconus, sive alio modo gravi ab Ætio accepto vulnere, ut scribit Marcellinus, occisus est. Sublato itaque æmulo, multis annis res suas feliciter promovit Ætius, qui devicto etiam Attila, Hunnorum Rege, a Valentiniano Consul creatus est, an. 454. Huic anno, atque huic summi honoris gradui servabatur Divinæ vindictæ, crudelis viri invidia, nimirum Maximus quidam Senatorii Ordinis, e Maximi Tyranni illius stirpe, quem Theodosius senior Imper. e medio sustulit, novi Consulis factum impatienter ferens, confictis calumniis, perinde ac si in Cæsaream Majestatem quidpiam machinaretur, ita ejus apud Imperatorem per Eunuchos, gratiam succidit, ut vel ab ipsomet Imperatore, vel aliis ejus jussu, sit interfectus ; periturus citius (ut certa revelatione vir quidam sanctus cognovit) nisi piæ uxoris ad limina Apostolorum, pro mariti salute quotidie supplicantis precibus servatus fuisset. Paul. Diac. *Hist. miscell.* l. XIV.

Lugduni paucos ante annos accidit, ut honestæ et nobilis matronæ conjux, ab alia item nobili, turpiter adamaretur; cumque ille summa pace et amore cum optima uxore a pluribus annis viveret, ista legitimis, castisque invidens amoribus, ut concordes

horum conjugum animos divideret, uxoris castissimæ fidem apud maritum in suspicionem, tam verisimilibus vocavit indiciis, ut innocens domo exturbata, et inhumanis modis a conjuge habita, non prius in gratiam redierit, quam multis post annis, tanti mali incentrix justo Dei judicio, gravissimo medicisque incognito afflicta morbo, cui nulla uspiam inveniretur medicina, ne morte quidem (mori enim non poterat) memor, quantam perniciem quietissimo conjugio attulisset, convocatis conjugibus veniam rogavit, fassa palam, ab se per summam calumniam invidiamque, conficta esse omnia ea, quibus sanctum inter illos casti thori amorem impie distraxisset. Quibus dictis animam efflavit. *Pædag. Christ.* p. 1, c. VII, § 5, n. 4.

Anno 1643, ante Cineralia, Parisiis, regali luxu nuptias celebrari in æde viri prænobilis accidit, qui puellam duxerat, quam plures proci deperierant. Hi indignati, sibi prædam ereptam, funestam plane tragœdiam adornant. Mensis remotis, omnes larvati, histrionum in morem subintrant; sponsum astu in vicinum cubiculum se vocatum strangulant, ac vestibus continuo exutum, aliisque mortuariis indutum, ac larva personatum, in convivantium cœtum humeris suis inferunt; saltumque funebrem exorsi mire omnes oblectant; dum tandem signo dato, avolant, et se Euro ocyus ex ædibus proripiunt, relicto super pavimento, ut putabatur, socio larvato, qui mortui partes egerat. Hunc jam cæteris dilapsis, convivæ trudunt, vellunt, ut assurgeret; ad hæc omnia immoto, sponsa forte larvam detrahit, et, o ludum insolentem! o ferales nuptias! ecce sponsus, verum funus exhibetur, compertumque a lavernionibus, ob sponsam sibi præreptam morte crudelissima præfocatum, ac omnibus ostentui et ludibrio expositum fuisse. ENGELGR. *Dom. Quinquag.* §1, p. 2.

Lutherus erat Monachus Augustinianus, cumque ab Archiepiscopo Moguntino ad colligendas pro bello contra infideles eleemosynas Indulgentiæ Cruciatæ promulgarentur ipse concursum ad Ecclesias Dominicanorum multo majorem, quam ad suas esse videns, inde exasperatus, talem concepit displicentiam et furorem, ut calamum suum ad instar gladii acuens, contra auctoritatem Romani Pontificis, nec non contra Indulgentias scribere cœperit, et hinc originem suam duxit ejus rebellio, qua tot alios una secum in tot errorum barathrum perduxit. MARCH. *in Hort. Past.* et *in Tub. Sac.* c. IV, lect. 8.

Aman Agagites invidens gloriæ Mardochæi, quæsivit ab Assuero Rege deleri totum genus Judæorum, et ipsum Mardochæum in ligno præparato suspendi; sed mediante Regina Esther versa est sententia contra eum, ut illo die suspenderetur in ligno ab eo præparato, et omne genus suum. ESTHER, 7.

Invidia Diaboli primi parentes seducti sunt, et mors in orbem terrarum introivit. SAP. 2.

Cain ob invidiam erga Abel conceptam primum homicidium perpetravit. GEN. 4.

Propter invidiam Pontifices Christum tradiderunt, et morti adjudicari petiverunt. MARC. XV, 10.

Invidus quidam Monachus de Psalterio furto sublato Paphnutium falso accusans, a Dæmone sic obsessus est, ut a nullo alio (licet plures in illo conventu gratiam pellendi Dæmones habuerint) expelli potuerit, quam a Paphnutio. *Spec. ex. dist.* II, *ex.* 221.

Aulicus quidam, cum æmulum suum apud Regem de adulterio cum Regina commisso falso accusasset, eoque rem deduxisset, ut Rex mandatum calcariis daret, ut primum aulicum, qui ad ipsos venturus esset, in fornacem projicerent, justo Dei judicio (quia æmulus ejus prius ad calcarios missus, interea ad sacellum Missam auditurus diverterat), primus ad ipsos venit, et in fornacem conjectus periit. *Ib., dist.* IX, *ex.* 133.

Invidus Sacerdos Florentius quia S. Benedicto venenum dedit, et septem nudas puellas in ejus conspectu choreas ducere jussit, mox repentina morte interiit. S. GREG. t. II, *Dial.*

Lugduni cum puella quædam maritum quempiam turpiter deperiisset, eumque in finem uxorem ejus, feminam honestissimam in suspicionem commissi adulterii pertraxisset, occulto quopiam morbo gravissime correpta est, nec citius mori potuit, quam crimen ex invidia admissum fateretur. *Pædag. Christian*, p. 3, c. VII, § 5. *ex Baronio*, t. VI, ann. 451, n. 30.

Dathan et Abiron ex invidia populum Israeliticum in deserto adversus Moysen concitarunt, quos novo et inaudito supplicii genere terræ hiatus absorbuit, corpusque

simul cum anima in tartara præcipitavit. Num. 16.

Anno Domini 1118, Philippus, Francorum Rex, pervenit ad obsidionem Acon; post cujus adventum aliquot diebus transactis, Ricardus, Rex Angliæ, devicta insula Cypri, et bonis omnibus spoliata, ad eamdem obsidionem pervenit. Venit autem cum eisdem Regibus, omnium incentiva malorum filia Diaboli, potentissima Regina inferni, discordia, et sedit in medio eorum cum sorore sua primogenita macilenta et livida, Invidia scilicet, et tam ipsos Reges, quam totum Christianorum exercitum in diversas voluntates et actiones distraxit. Cum enim Francorum Regi pugna contra civitatem placeret, Anglico displicebat, et quod placebat Anglico, displicebat Franco; et in tantum hujusmodi aucta est discordia ex invidia quod fere inter se intestinum moverent bellum. Abbas Usperg. *in Chronic. sub.* An 1118.

Fuga. — Cum duo viri in castris prophetarent, Josueque Moysi id nuntians rogaret, ut id prohiberet illis, respondit Moyses: Quia æmularis pro me? Utinam omnes prophetent! Num. xi.

S. Gregorius Nazianzenus cum videret Ecclesiam propter suos æmulos perturbatam, dixit: Absit a me, ut mei causa unquam aliqua simultas inter Dei sacerdotes oriatur. Illud Jonæ usurpabo: Si propter me orta est tempestas, mittite me in mare. March. tr. III, *Tub. Sac.* lect. V.

Michael Angelus Bonarottus, cum juvenis Florentia Romam venisset, et Raphael Sanctius Urbinas arti illius invideret. Bacchium unum cum Satyro ludentem affabre effinxit quem brachio mutilavit, et nomen suum basi insculptum cæmento opplevit, ac statuam fuligine tingens, in vinea cujusdam civis, ubi domum brevi extruendam sciebat, defodi curavit; cumque post annum ab iis, qui fundamenta jaciebant, statua reperta esset, et ad Pontificem delata, omnes artem mirari, antiquitatem extollere; solus Michael dissimulabat. Jam lite inter illos exorta, Sanctio affirmante opus perfectissimum omne pretium excedere, nisi mutilum foret; Michael nomen exhibuit, cœmento amoto et brachium attulit, quo singulare sibi ex invidi Sanctii sententia nomen comparavit. Engelgr. *fol.* 117.

EXEMPLA PROFANA.

Diogenes quodam interrogatus, quonam modo quis de inimico suo se vindicare posset, respondit: Veritate et argutia, id est, bene et virtuose se habendo in cunctis operibus suis; hoc enim modo efficiet, ut cor et viscera adversarii sui per invidiam dirumpantur. Mansi, d. xv, n. 6.

Periander nemini invidebat, dicere solitus quo magis quisque alteri invidet, eo majorem fieri causam bonorum ei, cui invidet. Anton. *in Melist.* p. I, f. 62.

Theophrastus invidos reliquis hominibus infeliciores censebat, eo quod alii suis tantum in calamitatibus dolerent; invidi vero præter sua mala bonis etiam alienis contristari solerent. Stobæus, s. *de Invidia.*

Themistocles ob honores Miltiadi collatos, quod Barbaros in Marathone superasset, tanta invidia correptus est, ut noctes insomnes consumeret, rogatusque quam ob rem tam sæpe excitaretur: Miltiades, respondit, trophæis suis me excitabat. Æmil. Probus.

M. Cato dicebat, eos, qui fortuna moderate, sobrieque utuntur, minime peti invidia: Non enim, inquiebat, nobis, sed bonis, quæ nobis circumstant, invident homines. Stobæus, s. xxxvi.

Solymanus, Turcarum Imperator, quatuor habuit filios. Natu maximus Mustapha de Persis victor rediens, dum a Byzantinis ingenti plausu ac triumpho excipitur, invidus pater filium ad se alacrem reversum in conclavi strangulari jussit, ejusque cadaver militibus objici, addito præconis edicto: Unus in cœlis Deus, unus in terris Solymanus. Frater minor, quod ideo ploraret, biduo post veneno sublatus est. Tertius ad Persas confugerat, sed per legatum dedi jussus, securi palam percussus est. Baron. ann. 441.

Caligula Cæsar pulchros et comatos, si quos obvios haberet, occipitio raso deturpatos præ invidia fieri curavit. Sueton. *in Imp.*

Theophilus Imperator jamjam moriturus, ne Theophobus, quem ex invidia in carcerem conjici jusserat, superesset, caput illius præcidi, sibique offerri jussit; quod exsangui manu apprehendens, et cum gaudio contemplans dixit: Ego posthac non ero Theophilus, nec tu Theophobus. Et hoc

dicto expiravit. ENGELGR. *Domin.* 5 *post Epiph.* tom. II.

Alexander Magnus odit Perdicam, quia bellicosus erat; Lysimachum, quia militandi peritus; Seleucum, quia magni animi; Ptolemæum, quia omnia prospere ei evenerunt. ÆLIAN. l. XII *Hist.*

Cambyses, Rex Persarum, fratrem interfecit, quia arcum validius, quam ipse attraxerat. SUETON.

Gobrias, Darii Regis socer, ut inimicum a tergo se amplectentem interficeret, seipsum ense transfodit. JUSTINUS.

Cum Apollo a Jove ad explorandos hominum animos missus, in avarum et invidum incidisset, jussissetque quemvis aliquid petere, ea tamen conditione, ut alteri idipsum duplicatum daretur, avarus nihil petere voluit, invidus autem petiit, ut sibi unus, alteri uterque oculus erueretur. LANGIUS, *in Polyant.* f. DXCIV.

Est hoc civitatum peculiare malum, unde discordiæ, seditiones, intestina bella sæpe orta. Affectat invidia felicitatem, nuncque euntis vestigio hæret, nunc ex obliquo assistit, occursatque a fronte, nec patitur solidum esse fructum, qui ex rerum successu percipiendus est; idem sane affectus solus, aut præcipuus Cinionem tam infestum reddidit Pericli, Anytum Alcibiadi, Epaminondam Pelopidæ, Hannonem Annibali, Fabium Maximum Scipioni, Marcellum Cæsari, prætexuit (scio) alius aliam causam suo odio, sed dissidii origo aut ex odii fonte orta est, aut liventibus fuit aquis respersa. SABELL. hom. IX.

SIMILITUDINES.

QUALITAS.—Sicut ille, qui primus ejusdem mali peste corruptus est, nec medelam pœnitentiæ, nec fomentum alicujus curationis admisit; ita et hi, qui iisdem se percutiendos morsibus tradiderunt, omnem opem sancti incantatoris excludunt. CASS. *Coll.* XIX, c. XVII.

Sicut proprium Dei, liberalitas et largitas, ita proprium est Diaboli livor et invidia; et ideo observemus, Fratres, vitii hujus incursum, ne forte participes operum Diaboli efficiamur, et pari cum eo sententia condemnemur. S. ZENO, s. *de Livore.*

Sicut omnes virtutes (si tamen virtutes sunt veræ) constituunt hominem membrum Christi; sic, juxta sententias Doctorum, peccata constituunt hominem membrum Diaboli, et sicut charitas est membrorum Corporis Christi connexio, ac etiam ligamentum; sic invidia est malorum ligamentum, Dæmonis scilicet, capitis. Sicut igitur membra, quæ per charitatem sunt connexa Christo, non possunt esse sine debita operatione; sic membra, quæ per Invidiam dæmoni connectuntur, quiescere non possunt, quin suo capiti conformiter operentur. S. ANT. PAD. s. *in fer.* IV *Pass.*

Sicut acanthides maxime adultis jam frugibus et rosis florentibus incumbunt; ita invidia maxime adoritur bonos, et ad virtutem proficientes, atque gloriam. PLUTARC. *de Invid.*

Sicut muscæ, omisso sano corpore, ubi vulnus est, concitæ, præcipitesque conveniunt; ita et invidi, si quid ab aliquo in hac vita bene gestum est, si quid præclarum in actibus, in verbis probabile, in moribus admirandum est, nihil prorsus vident, nihil retractant; si autem quid aut culpabiliter gestum, aut incauto sermone prolatum, ut accidere hominibus solet, hoc loquuntur, hoc proferunt, hoc in publicum venditant. S. ZENO, l. VI.

Sicut aranea, quidquid sugit, in venenum convertit; sic invidus omnia bona proximorum in deteriorem partem interpretando corrumpit. BELLO V. *Spect.*, l. III, p. IV, dist. I.

Sicut flammam augmentat, magisque voracem efficit injectorum lignorum copia; ita et æstum invidiæ, profectus et augmentum virtutis, gloriæque, meritique amplificat, ut proinde D. Chrysos. sequentibus in livorem non dubitarit invehi verbis: O invidia, perturbationis plena, ignis, qui nulla ratione extinguatur! S. CHRYS. *in* Ps. L.

Sicut sues lutuosa immunditia, et Dæmones nostris damnis lætantur; sic invidi calamitate proximorum exultant, alienas jacturas suos quæstus existimant. Nonne igitur tales homines lapidibus petendi? Nonne omni cruciatu torquendi, non aliter profecto, quam rabidi canes, Dæmonisque atroces furiæ? S. CHRYS. hom. XLII, *in Matth.*

Sicut in sole ambulantes umbra sequitur; ita in honore et felicitate ambulantes invidia; ubi nullum lumen, umbra nulla; sic, ubi nulla felicitas, nulla invidia. Hinc illud Poetæ:

Invidiosa meæ nempe umbra pedissequa vitæ
Ostendit rebus lumen inesse meis.
MARCH. tr. IV, *Tub. Sac.* lect. V.

Sicut flammam primum emicantem multus comitatur fumus, qui quidem evanescit, ubi ea convaluerit, pleneque se explicuerit; ita res egregias aggredientem initio multa premit invidia, donec aucta gloria invidiæ fumam discutiat, nam fumus gloriæ invidia est. PUUTARC. *in Mor.*

Sicut malus consiliarius omnia depravat assidens; ita invidia, nulla magis damnat, quam quæ sunt optime dicta. Ibidem.

Sicut ignis græcus in aquis magis inardescit, et noctua luce media magis caligat; sic invidus in aquis gratiarum fortius exardescit, unde deberet extingui, et luce bonorum operum magis excæcatur, unde deberet illuminari. STAPL. text. II, *in Dom* 3 *Quadr.*

Sicut scarabæus unguentum succi balsalmi, aut nardi, aut alium quemvis odorem bonum non sustinet, sed in stercore semper versatur; sic invidia non nisi vitia aliorum notat, et eorum virtutes odit. S. EPIPH. *de Hæres.* XI.

FUGA. — Sicut, cum aliquem videris vinctum cervice, manibusque ferratum, non invides, sed misericordia illius tangeris; ita et cum videris divitem cunctis omnino rebus circumdatum, noli propter ea illum putare locupletem, propter quæ debes eum infelicem vocare. S. CHRYS. hom. XIV *in Matth.*

Sicut si mendicum in fabula vides, qui Regis personam sustinet, auratum et pulchrum vides sed non invides, quia latere sub auro illo scis scabiem; ita idem existimare debes de cunctis Magnatibus mundi male viventibus. LIPSIUS CONSTANT, l. II, c. IV.

DAMNUM. — Sicut papiliones lucernam extinguere volentes, se ipsos comburunt; ita invidi volentes aliis radios divinæ bonitatis eripere, sibi potius quam illis nocent. FABER. conc. VI, *in Septuages.*

Sicut viperas dicunt abrupto matris ventre nasci; sic invidia concipientem se animam corrodit ac tabefacit. S. BASIL. orat. *contra Invid.*

Sicut tinea vestimento, et vermis ligno; ita tristitia viri nocet cordi. PROV. XXV, 10.

Sicut ferrum absumitur rubigine; ita invidi suo ipsorum vitio, etsi a nemine lædantur, contabescunt. LAERT. l. VI, c. I.

Sicut furentes sæpenumero gladios in se convertunt; ita invidi solam invisi perniciem intuentes propriam negligunt salutem. S. CHRYS. hom. XLIV, *de Livore.*

Sicut apes possunt quidem infigere aculeum, sed eo relicto ipsæ etiam pereunt; ita invidi, dum alios lingua dolosa lædunt, propria ipsi quoque malignitate contabescunt. ERASMUS ROTER. *in Apoph.* CXXXII.

Sicut navis incendiaria ad hoc constructa est, ut seipsam perdendo etiam alias perimat; ita invidi ut malum alteri creent, seipsos perdere non verentur, ENGELGR. *in Dom.* 5 *post Epiph.* § I.

Sicut tigris musico concentu audito crudelius sævit, et dilaceratur; sic prospero justi eventu peccator irascetur, et propriam dilacerabit animam. Ibid. *ex S. Hieron.*

Sicut omne jaculum, quod vehementius fuerit intortum, si forte in aliquod solidum et durum corpus illiserit, in eum continuo, qui jecerat, repercussum retorquetur, et resilit; ita etiam invidentis motus, et animorum telum, cum nihil nocuerit ei, cui intenditur, vulnus tamen intendentis efficitur. S. ZENO, l. c.

Sicut bonis mala cooperantur in bonum; ita invidis bona cooperantur in malum, unde tales aurum convertunt in cuprum, gemmas in lutum, granum in paleam, vinum in aquam, mel in fel, diem in noctem, balsamum in sterquilinium, electuarium in venenum. S. BONAV. *Comp. Theolog.* l. III, c. XVI.

Sicut homo ex charitate meretur in omnibus suis, et aliorum operibus; in suis operando, in aliorum complacendo, vel congaudendo; ita invidus in omnibus demeretur. BELLOV. l. c.

Sicut basiliscus omnium serpentium est pestilentissimus; ita et invidia inter omnia vitia scelus est maxime perniciosum, atque execrabile, ita ut S. Bernardus dicere non dubitarit: Nosse cupis oculum venenatum, oculum nequam, oculum fascinantem? Invidiam cogitato. Quid vero invidere, nisi malum videre est? Nemo alterius bonum invido aspiciat oculo. Basiliscus venenum in oculo portat, suoque inficit, mortemque infert irreparabilem solo obtutu. Basiliscus venenum in oculo gerit, inquit dictus mellifluus, pessimum animal, et præ omnibus execrabile. MANSI, d. I, n. 1.

MOTIVA.

Quia Deo directe contrarium est hoc vitium ; uti S. Cyrillus ostendit, dicens : Cum odis invidentia quempiam propter bonum, jam principaliter ipsius hostis es boni, quoniam cujus gratia est unumquodque, et illud magis ; sed cum ipsum bonum sit Deus, a quo tanquam a suo fonte, vena bonitatis manans in omnia derivatur, hinc sane convincitur, quod tu hostis Dei, et boni sis, et tui ipsius, et omnium inimicus. Cæterum cum malitia bonitati sit contraria, vide, quanta te depravavit malignitas, cui tota bonitas est adversa. S. Cyrill. Al. *apud Mansi*, d. VI, n. 1.

Quia Dæmone pejorem facit; ut S. Chrysost. asserit, dicens : Invidus ipso Diabolo magis diabolus est ; invidet Satan, sed hominibus, non sociis ; tu vero homo cum sis, invides hominibus, odium adversus genus, naturamque communem exerces, quod nec Satan quidem fecit. Et Dæmones in nos quidem implacabile odium habent, iis autem, qui ejusdem generis cum ipsis, non insidiantur ; hi vero neque naturæ communitatem reverentur, neque propriæ saluti parcunt, sed ante illos, quibus invident, suas ipsi animas pœnis afficiunt. S. Chrys. *in Joan.* hom. XLV ; et tom. VI, *Egloga de Invid.*

Quia brutis facit viliorem ; nam uti iterum S. Chrysost. dixit : Feræ esca indigentes, vel a nobis irritatæ, adversum nos armantur; invidi vero beneficiis affecti, benemeritos maleficiis prosecuti sunt. S. Chrys. hom. XLIV, *ad Pop. Antioch.*

Quia per se vilem facit ; nam teste Guerrico Abbate, hæc est illa, quæ non magnos, sed parvos semper torquet, dicente S. Job : Parvulum occidit invidia. In eo enim, quod aliquis alicui invidet, minorem se ostendit ei, cui invidet. Guerricus, *in die Purif.* Hinc et Petrus Blessensis ait : Nunquam invidisses, si qua tibi inesset generis, mentisve nobilitas, quia, testimonio poetæ, Livor, iners vitium, mores non exit in altos, utque latens ima vipera serpit humo. Petr. Blessens. ep. LXXII. Rationem vero ulteriorem S. Gregorius reddit, dicens : Invidere non possumus, nisi eis, quos nobis in aliquo meliores esse putamus. Parvulus ergo est, qui livore occiditur, quia ipse sibi testimonium perhibet, quod et minor sit eo, cujus invidia torquetur. Hinc est, quod hostis callidus primo homini invidendo surripuit, quia amissa beatitudine minorem se immortalitate illius agnovit ; hinc est, quod Cain ad perpetrandum fratricidium corruit, quia despecto suo sacrificio, prælatum sibi infremuit, cujus Deus hostiam accepit, et quem meliorem se esse exhorruit, et ne utrumque esset, amputavit. S. Greg. l. V *Mor.* c. XXXI.

Quia radix inimicitiarum est, teste S. Ambrosio dicente : Quæ causa inimicitiarum, nisi invidia? sicut Salomon ait : « Quia invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum. » Invidiæ autem causa, beatitudo hominis in Paradiso positi. Et ideo quoniam ipse Diabolus acceptam gratiam tenere non potuit, invidit homini, eo quod figuratus est limo, ut incola Paradisi esset, electus est. Considerabat enim Diabolus, quod ipse, qui superioris fuisset naturæ, in hæc sæcularia et mundana ceciderat, homo autem inferioris naturæ sperabat æterna. Hoc est ergo quod invidet, dicens : Iste inferior adipiscetur, quod ego servare non potui? Iste de terris migrabit ad Cœlum, cum ego de Cœlo lapsus in terram sim? S. Amb. l. *de Parad.* c. XII.

Quia radix detractionis est, uti S. Laur. Justin. indicat dicens : Frequenter fax illuminationis, et invidiæ livor quorumdam accendit animos. Repleti autem hujusmodi diabolica malignitate, et invidiæ sagitta transfixi, profectum fratrum suorum proprium judicant detrimentum. Propterea instigante livore detractionibus linguæ habenas laxant, et vitam proximorum murmurationibus dilaniare non cessant, observant gressus, verba discutiunt, et mores illorum, quibus invident, semper dijudicant, eorum derogant devotionibus, eorum virtutibus lacessuntur, eorumque bonis operibus affliguntur. S. Laur. Just. *ap. Mansi*, d. XI, n. 1.

Quia reprobationis signum est ; hinc S. Zeno monet : Fugiamus invidiam, obicem pietatis, obstaculum Regni Cœlorum, viam gehennæ, pignus et primitias quasdam pœnæ perpetuæ. S. Zeno, *de Livore.* Et id ipsum confirmans S. Gregorius Nyssenus : Quæ, inquit, desperatorum lethalia signa sunt, ea sæpenumero in iis qui invidia contabescunt, existunt. S. Greg. Nyssen. l. *de Beatit.* c. VIII.

Quia majora mala sibi conciliat, quam illi, cui invidet : Quid enim Abeli nocuit

Cain? inquit S. Chrysostomus, Nonne illum citius quidem ad Regnum invitus transmisit, se ipsum vero innumeris malis confodit? Quid Jacobo damni attulit Esau? Nonne ille quidem dives erat, atque innumerabilibus perfruebatur bonis, hic vero paterna etiam domo ejiciebatur? Fratres Josephi quod gravius malum ipsi intulerunt, maxime cum ad sanguinem usque pervenerint? Nonne illi quidem famem passi sunt, et externa pericula adierunt, hic vero Rex universæ terræ Ægypti factus est? Quanto enim magis invides, tanto majora bona ei, cui invides, procuras. S. Chrys. t. VI *Eglog. de invid.* Hoc enim omnis invidus, ut S. Isidorus ait, alienis virtutibus præstat, quod B. Jobo Satan præstitit; nam dum æmulatur prosperitatibus, commovit adversa, sed dum credidit eum Diabolus posse prosterni, inde ejus aucta sunt merita, inde claruerunt probatiora patientiæ documenta.

Quia ordinarie invidus cadit in foveam, quam alteri struxit; hinc Blessensis ait: Sustine, quod invidi et æmuli tui se ipsos occidant, ut gladius eorum intret in corda ipsorum. Sane Goliath interfectus est gladio, quo David exitium intentabat. Aman suspensus est in patibulo, in quo supplicium destinaverat Mardochæo. Verbum Salomonis est: Qui mittit lapidem in altum, super caput ejus cadat, nec enim lex æquior ulla est, quam necis artifices arte perire sua. Pet. Bless. ep. 80.

Quia semel concepta animo difficulter deponitur, ut S. Cyprianus testatur, dicens: Ab invidis numquam livor deponitur, diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur. Mala cætera habent terminum, et quodcumque delinquitur, delicti consummatione finitur. In adultero cessat facinus, perpetrato stupro; in latrone conquiescit scelus, homicidio admisso, et prædoni rapacitatem statuit præda possessa, et falsario modum imponit fallacia impleta; zelus terminum non habet, permanens jugiter malum, et sine fine peccatum. S. Cypr. *de Zelo.* Et confirmans id ipsum S. Laurentius Justinianus: Insanabilis, inquit, est prorsus ipsorum livor, non enim placantur blanditiis, non mulcentur obsequiis, non rationibus acquiescunt, quin potius, quemadmodum ignis accenditur additione lignorum, ita et horum passio augetur multiplicatione virtutum. S. Laur. Just. c. xiii *de Discip. Monast.*

Quia irrationabile vitium est; uti S. Thomas Villanova insinuat, dicens: Hoc peccatum diabolicum est, et purum malum, nam alia vitia et peccata aliquod bonum prætendunt, licet inordinate. Nam ambitiosus quærit honores, avarus divitias, lubricus voluptates, gulosus sapores, acediosus quietem, et hæc omnia bona sunt, si non nimis et præter divinæ legis, et rationis ordinem quærerentur; sed invidia pura malitia est, nihil habens commodi, sed tormenti plena, nihil voluptatis. S. Thom. Villan. s. *in fer.* vi *Pass.* Hinc et D. Chrysostomus: An ignoras, inquit, omni venia hoc peccatum carere? Ac merito illud quidem, etenim fornicator cupiditatem prætendere potest, fur inopiam, et homicida iram; frigidas quidem causas, et minime justas, habent tamen, quas dicant; tu vero, quas causas commoraberis? Dic mihi? Nullas, nisi vehementem tuam improbitatem? Si enim inimicos diligere jubemur, quam persolvemus pœnam, si amicos quoque odio prosequamur? Nam si is, qui amantes se diligit, nihil melius se habet, quam Ethnici, quam habebit veniam, qui nullam injuriam inferentes vexat? S. Chrys. t. VI, *Eglog. de Invid.*

ALIA MOTIVA.

Quia vitium hoc *maxime adversatur Bonitati divinæ* utpote omnia sua bona summa cum charitate communicanti.

Quia *statui Beatorum in cœlis repugnat;* nam et hi de felicitate mutua gaudent, nec minor majori gloriam invidet suam.

Quia *Dæmoni similem facit*, cujus invidia mors in mundum introivit, et, ut S. Cyprianus ait, ille Angelica Majestate subnixus, ille Deo acceptus et charus, postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum malevolo livore prorupit, non prius alterum dejiciens instinctu zeli, quam ipse zelo ante dejectus; captivus ante, quam capiens; perditus ante, quam perdens; dum stimulante livore homini gratiam datæ immortalitatis eripit, ipse quoque id, quod prius fuerat, amisit. S. Cypr. hom. xliii *ad Pop. Antioch.* Imo, teste S. Chrysostomo: Invidus ipso Diabolo est magis diabolus; nam Satan invidet quidem hominibus, sed socio nemini; invidus vero homo cum sit

etiam hominibus invidet. S. Chrys. hom. xvi *in c.* xxi *Gen.*

Quia, teste S. Chrysostomo, tale malum invidia est, *qua nulla unquam malignitas pejor invenitur.* Id quod in specie magis declarans S. Cyprianus : Non est, inquit, quod aliquis existimet, malum istud una specie contineri, aut brevibus terminis, et angusto fine concludi. Late patet zeli multiplex et fecunda pernicies, radix est omnium malorum. Inde odium surgit, animositas inde procedit, avaritiam zelus inflammat, dum quis non potest suo esse contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem zelus excitat, Dei timor spernitur, Magisterium Christi negligitur, judicii dies non prævidetur. Inflat superbia, exacerbat sævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit, furit discordia, ira fervescit. Nec se potest jam cohibere, nec regere, qui factus est potestatis alienæ; hinc Dominicæ vinculum pacis rumpitur, hinc charitas fraterna violatur hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad hæreses ac schismata prosilitur, dum obtrectatur Sacerdotibus, Episcopis invidetur. S. Cypr. *or. de Zelo.*

Quia hoc vitium *omni excusatione caret apud Deum*, ut S. Chrysost. sapienter advertit; nam fornicator quidem concupiscentiam prætendere potest, fur paupertatem homicida furorem; tu vero (o Invide) quam prætendes causam? Nullam penitus, nisi tantum intensam nequitiam. Hoc vitium fornicatione pejus est et adulterio. Hoc enim in operato tantum sistit, invidiæ vero vis totam subvertit Ecclesiam, et toti nocet terrarum orbi. S. Chrysos. h. xliv *ad Pop. Antiochen.*

Quia vitium hoc *propemodum incurabile est.* Nam quemadmodum oculi difficulter curantur, quia teneri sunt et reconditi; ita et invidia tam fœdum malum est, ut invidus ipse se prodere non audeat, sed potius gaudium simulet, et tacite secum rumpatur. Ob quam causam nec medicinam facile invenit, teste S. Basilio. Idem etiam Cassianus confirmans: Usque adeo incurabilis, inquit, est ista pernicies, ut blandimentis exasperetur, inflatur obsequiis, muneribus irritetur, quia, ut Salomon ait: Nihil sustinet zelus. Unde idem auctor de hoc vitio illud Jeremiæ vaticinium dictum putat: Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, et mordebunt vos. S. Basil. *or. de Livore.* Coll. xviii, c. xvii.

Quia *invidus ipse suus est carnifex;* nam, teste S. Gregorio Nazianzeno, invidia tabes est possessorum, virus ac rubigo eorum, qui ea agitantur, sola æquissima simul iniquissima. S. Greg. Naz. *ap. Drex. in Joseph.* c. ii, § 3.

Quia *stultum est* vitium; quippe per id obscuratio famæ proximi quæritur, cum tamen constet, plerumque per invidiam clariorem fieri eum, cui invidetur. Hinc D. Chrysostomus : Ne ad principium eorum, quibus invidetur, sed ad finem respice, et attende, quia malitia invidentium eos, quibus invidet, clariores efficit. S. Chrys. hom. vi, *in Gen.*

Quia *tristissimum est* vitium; nam talibus non cibus lætus, non potus potest esse jucundus. Suspiratur semper et ingemiscitur, ac doletur diebus ac noctibus, pectus obsessum, sine intermissione laniatur. Hinc Hippias Philosophus dicebat, tales homines duplo magis, quam cæteros calamitosos esse, cum et propriis ex malis tristitiam capiant, et alienis. S. Aug. ser. xxxiii, *de Temp.*

Quia etiam in altera vita *gravissimam pœnam meretur*, uti S. Bernardus insinuavit dicens : Considerate, obsecro, qualiter invidos punitura sint mala sua, quos etiam bona puniunt aliena. S. Bern. s. *de nim. fall. præs. vitæ*, fol. 351.

Ætius Sincerus, rari vir ingenii magnæque nobilitatis, cum in conspectu Friderici Regis inter physicos quæstio, quid præcipue conferret oculorum perspicuitati? alii fœniculi afflatum dicerent, alii vitri usum, alii aliud. At ille : Ego invidiam aio. Obstupuerunt hoc dicto medici adeo, ut ab auditoribus derisui haberetur. Tum ipse : An non invidia majora et pleniora omnia invidere facit? Quid autem oculis magis præsentaneum, quam ut vis ipsa aspiciendi major reddatur, atque vegetior? Protulitque statim Ovidianos illos versus :

> Fertilior seges est alieno semper in agro,
> Vicinumque pecus grandius uber habet.
> Ovidius.

MEDIA.

Oratio crebra; uti Cassianus suasit, dicens Quapropter ne totum, quidquid in nobis vividum est, et quasi vitali vegetatione Sancti Spiritus animatur, uno tantum hujus mali morsu basiliscus interimat, divinum

(cui nihil impossibile est) jugiter implore-mus auxilium. Cassian. Col. xviii, c. xvii. Quod ipsum etiam S. Chrysostomus suasit his verbis: Quænam morbi hujus medela inveniri queat? Conjunctim omnes preces fundamus, unam eamdemque pro ipsis vo-cem, tamquam pro energumenis edentes. Hi enim hoc infeliciori sane conditione sunt, quod furor hic nonnisi a certo animi propo-sito ortum habet. S. Chrys. hom. vii *ad Rom.*

Dilectio fraterna; uti S. Laurentius Justi-nianus suasit, dicens: Qui ab hac pestifera tentatione liberari desiderat, proximum, tamquam cœlestis Regni cohæredem dili-gat, et complectatur intimis visceribus cha-ritatis. Hæc enim dilectio erga proximos non solum expellet a nobis omnem timorem, verum etiam meritorum proximi participes efficiet, ejusdem nobis gratiam et benevo-lentiam conciliabit. S. Laur. Just. c. xiii, cit. S. Gregorius malignos detestatur invi-dos, qui ex aliorum bonis sibimetipsis ma-lum acquirunt, cum tamen gaudendo de iis, ex motivo charitatis, illius boni, cui in-vident, bonam sibi partem acquirere pos-sent, dicit enim: Quid infelicius istis, quos dum conspecta felicitas afficit, pœna nequio-res reddit? Aliorum vero bona, quæ habere habere non possunt, si diligerent, sua face-rent. Hinc pensent invidi, charitas quantæ virtutis est, qui alieni quoque laboris opera nostra facit sine labore. S. Greg. p. III, *Past. Admo.* xi. Qui ergo hoc monstrum ab animo suo eliminare contendit, non opus ei est ferro, nec ut lorica accingatur, neque ut galea caput suum contegat; sed solum si cor ejus charitate ardeat, sufficit; hanc enim suadet S. Isidorus dicens: Adversus invi-diam charitas præparetur. S. Isid. l. II, *Syn-non.* cap. viii. Hinc et S. Chrysostomus ait: Non es dicendo laudem assecutus, sed tu, dum ei gratularis, majorem es laudem adeptus, quam ille; si enim charitas est res magna, et caput omnium, tu eam, quæ ex ipsa pa-ratur, accepisti coronam; ille eam, quæ ac-quiritur ex arte dicendi, tu eam, quæ acqui-ritur ex vehementi amore. Ille ostendit vim verborum, tu per facta dejecisti invidiam, et conculcasti livorem, quamobrem multo magis, quam ille, fueris coronatus; certa-men tuum est præclarius, non solum con-culcasti invidiam, sed etiam aliquid fecisti; ille unam solum habet coronam, tu vero duas, et duas illas una splendidiores. Quæ-nam sunt hæ? Unam suscepisti adversus in-vidiam; altera est, qua fuisti redimitus ex charitate, non enim collætari solum est in-dicium, quod sis mundus ab invidia, sed etiam quod habeas charitatem, quæ radices egerit. S. Chrys. hom. xi, *ad Coloss.*

Exemplum Sanctorum; nam, teste S. Au-gustino, id etiam beata civitas illa magnum in se bonum videbit, quod nulli superiori ullus inferior invidebit, sicut nunc non invi-dent Archangelis Angeli cæteri, tanquam nollet esset unusquisque quod non accepit, quamvis sit pacatissimo concordiæ vinculo ei, qui accepit, obstrictus. Et S. Bonaven-tura S. Anselmi similitudinibus auctorita-tique innixus ait: Ibi erit tam perfecta et beata charitas justorum, quod unusquisque in tantum diliget proximum suum, quantum seipsum, ex quo illud inæstimabile sequitur bonum, quod ita unusquisque de alterius bono vel gaudio gaudebit, sicut de proprio; proinde cum inenarrabilis sit numerus Elec-torum, quis, putas, narrare sufficiat gaudia beatorum? S. Aug. l. lxxii, *de Civit. Dei* xxx.

Æternorum bonorum æstimationem procu-rare; nam ut Richardus de S. Victore ait: Quantum æterna cognoscimus, tantum tran-sitoria despicimus, et damnamus; hæc est enim illa pretiosa margarita, quam qui in-venerit, quæ prius amaverat, libenter cuncta derelinquit. Rich. a S. Victore. p. II, *in Cant.* vi, 9.

Se infimum omnium æstimare. Qui enim ab hoc morbo alienus est, inquit S. Ephrem, numquam aliorum profectu cruciatur, de honore alterius non turbatur, neque de di-gnitate dolet, cunctos enim se meliores præstantioresque ducit, indigniorem se aliis, omniumque infimum reputans, gloriam pro priam non quærit, non sectatur honores, gaudet cum gaudentibus, adjuvat proficien-tes, et cum præclare incedentibus exultat, et bene beateque viventes laudibus celebrat. S. Ephrem, *de Vit. et Virt.*

Damna, quæ secum affert invidia, serio pon-derare; nam ut S. Chrysostomus ait: Si quem videremus ignem manibus ac ligonem gestantem, hanc ædem una cum altari de-moliri, evertere, incendere, nonne fieret, ut ab omnibus iis, qui rem forte spectarent, lapidibus obrueretur, tanquam impius et ex-lex? Quid igitur? Si quis flammam gestat, hoc, quo utimur, igne edaciorem, inviden-tiam dico, non lapidum ædificia demolien-tem, neque aureum altare evertentem, sed quod longe, et altari, et lapidibus pretiosius

est, præceptorum ædificium subvertentem ac devastantem, hic qua demum venia dignus esse queat? S. Chrys. hom. vii *ad Rom.* Et iterum alibi : Illud etiam tecum semper verte, quia non majorem illi, cui invides, quam tibi ipsi facis injuriam, cum te ipsum versus mucronem impellas. S. Chrys. xli. *in Matth.*

Serio ponderare, quam difficulter curabile sit hoc vitium. Id quod Cassianus sequentibus verbis ostendit : Cunctis perniciosiorem, atque ad purgandum difficiliorem esse constat invidiam, quæ ipsis remediis, quibus reliqua extinguntur, accenditur. Nam v. g. qui damnum sibi illatum dolet, largitatis compensatione curatur; qui de illata indignatur injuria, humilitatis satisfactione placatur. Quid illi facias, qui hoc ipso magis, quod te humiliorem ac benigniorem sentit, offenditur, quem non ad iracundiam cupiditas, quæ præmio delinitur, non injuriæ læsio, aut amor ultionis accendit, quæ officiorum vincitur blandimentis ; sed successus tantum alienæ prosperitatis irritat? Cassian. *ap. Mansi.* disc. xvii, n. 8. Cui consentiens S. Chrysost. Sane præstat, inquit, serpentem in visceribus provolutum habere, quam invidiam interne latentem; etenim ille medicamentorum uxilio sæpe evomi, et alimenti ope mitigari potest ; at invidia non in visceribus se volutat, sed in animæ sinu versatur, eaque est hujus morbi natura, ut ægre deleri, atque extingui possit. S. Chrys. hom. xxvii *in.* ii *ad Corinth.*

Consideratio creaturæ universalis. Nam, teste S. Antonino, omnis creatura communicat se ipsam suo modo, sol omnibus præbet lumen suum, et luna, et stellæ ; terra communicat fructus suos omnibus animalibus, et nihil sibi retinet ; membra in corpore humano se invicem juvant, nec invidet pes oculo, quia nobilior est eo et eminentiorem locum tenet, scilicet in capite. S. Antoninus, t. II, p. VIII, c. II, § 5.

Terrena bona contemmere. Nam, ut S. Gregor. dixit, tanto quisque plus invidet bona præsentia, quanto minus ea ipse contempserit. S. Greg. l. III *Mor.*

Ad cœlestia bona anhelare ; ita idem S. Gregorius suasit his verbis : Qui livoris peste carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non angustat, quæ et omnibus una est, et singulis tota, tanto largior esse ostenditur, quanto ab hac percipientium multitudo dilatatur. S. Greg. l. V *Mor.* c. xxii.

Omnes proximos ut membra ejusdem corporis mystici intueri. Sic enim, ut nullum membrum alteri de sua sanitate vel felicitate invidet, sed congaudet potius. Ita et nos de Fratrum nostrorum felicitate gaudebimus potius, quam tristabimur. Ita S. Gregorius iterum suasit dicens : Sic sunt universi consistentes in fide, sicut multa membra uno continentur in corpore, quæ per officium quidem diversa sunt, sed eo, quo sibi vicissim congruunt, unum fiunt. Unde fit, ut pes per oculum videat, et per pedes oculi gradiantur, ori auditus aurium serviat, et ad usum suum auribus oris lingua concurrat, suffragetur venter manibus, ventri operentur manus. Nimis itaque turpe est, non imitari, quod sumus. S. Greg. l. III *Past Adm.* 11.

Radicem invidiæ tollere; nam, ut S. Aug. dixit: Invidia est filia superbiæ ; sed ista superbia nescit esse sterilis ; ubi fuerit, continuo parit. Suffoca matrem, et non erit filia. S. Aug. *de vero Deo.*

Credere, se omnibus Dei donis indignum esse; sic enim facile tolerabitur, si alii in donis excellere videantur.

Perfectam voluntatis suæ cum divina conformitatem procurare ; sic enim dicet cum Psalmista : « Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua. »

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, quando mortale peccatum sit hæc invidia. Id quod S. Thomas sic explicat : Dicendum, inquit, quod invidia ex suo genere est peccatum mortale ; genus autem peccati ex objecto consideratur. Invidia autem secundum rationem sui objecti contrariatur charitati, per quam est animæ spiritualis vita, secundum illud primæ Joannis 3. « Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. » Utriusque autem objectum charitatis et invidiæ, est bonum proximi, sed secundum contrarium motum, nam charitas gaudet de bono proximi, invidia autem de eodem tristatur. S. Th. I, II, q. xxxvi, n. 3.

Nosse debet naturam invidiæ, quam ex sequentibus S. Thomæ verbis colliget : In conatu invidiæ est aliquid tamquam principium, et aliquid tanquam terminus. Principium quidem est, ut aliquis diminuat gloriam alterius, vel in occulto, et sic est susurratio; vel manifeste, et sic est detrac-

tio. Medium autem est, quia aliquis intendens diminuere gloriam alterius, aut potest, et sic est exultatio in adversis; aut non potest, et sic est afflictio in prosperis. Terminus autem est in ipso odio, quia sicut bonum delectat et causat amorem, ita tristitia causat odium. S. Th. a. 4.

Nosse debet causam, cur adeo noxium hoc vitium censeatur, quia nimirum spoliat hominem omni bono, et causa est, quia odit et impugnat omne bonum. Alia vitia opponuntur uni virtuti, ut superbia humilitati, luxuria castitati, avaritia largitati, et sic de aliis; invidia vero opponitur omni bono. S. Bonav. *in Diæt.* t. I, c. iv.

Nosse debet cur tam difficulter Curetur invidia. Id quod S. Cyprianus commode ostendit, dicens: Facilis est cura, ubi plaga perspicua est, et cito ad sanitatem, medela subveniente, producitur vulnus, quod videtur. Zeli vulnera abstrusa sunt, et occulta, nec remedium curæ medentis admittunt, quæ se intra conscientiæ latebras cæco dolore clauserunt. S. Cyp. *de Zelo et Invid.* Imo ut S. Zeno ait: Nec interrogatus potest indicare languorem; erubescit enim enuntiare in publicum, qui tabescit invidia, quia amici bonis et successibus proximi ipse consumitur, quia fratris bona, sua mala sunt; hæc enim dicturus est sine dubio, si velit, quæ vera sunt, dicere; verum quoniam erubescit horum aliquid confiteri, recondit et celat intrinsecus morbum, ipsa ejus interna viscera consumentem. Neque ergo medicum languoris sui assumere, neque remedii aliquid invenire potest, cum præcipue omnes Scripturæ repletæ sint verbi Dei medicamentorum, quibus possit ista curari, sed inde quidem remedium non requirit. S. Zeno. *de Livore.*

Nosse debet, cur Christianum præcipue hoc vitium dedeceat, nimirum quia tota lex Evangelica, quam adimplere debemus, in charitate et dilectione proximi fundatur, cui invidia directe opponitur, et ideo per charitatem Deus nobiscum commoratur. *Deus* enim *charitas est, qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Si quis penitus inspiciat, inquit Cyprianus, inveniet nihil magis Christiano cavendum, nihil cautius providendum, quam ne quis invidia et livore capiatur. Cyp. l. c.

Nosse debet, quam difficile sit, evitare alienam invidiam; id quod S. Hieronymus his verbis ostendit: Sed dicet aliquis, quisquis vitare invidiam cupit, timeat pluribus innotescere, vel placere. Ecce justus Abel nullos habuit, quibus innoteseret, vel placeret, et tamen invidiæ odium vitare non potuit. Errat enim, quicumque absque hominum amicitiis contrahi non posse opinatur invidiam, cum illa non tam humanas amicitias, quam solam Dei amicitiam prosequatur. Unde ne ille quidem absque invidiæ infestatione esse potuit, qui vel soli Deo placere gestierit; sufficit enim ad invidiæ stimulos incitandos, si se illi placere cognoverit, ultra quem alius esse non potest. S. Hier. tr. ix, ep. iv, *ad Marcell.*

Nosse debet etiam perfectionis studiosis hoc vitium non parum insidiari, id quod claris verbis S. Hieronymus docuit dicens: Ut soli Deo puram clementiam derelinqui, filiorum Zebedæi consideremus exemplum, pro quibus cum Mater mota pietatis affectu nimis grandia postulasset, reliqui decem discipuli indignati sunt. S. Hier. ep. cxlvi, *ad Dam.* Quod etiam confirmavit S. Bernardus, dum dixit: Metientes nosmetipsos nobis, sentimus aliqui nostrum pro nostræ infirmitatis experientia, quam rara sit virtus alienæ non invidere virtuti, necdum gaudere ad illam, necdum etiam tanto plus, quam ad propriam quemque gratulari, quanto se perpenderit in virtute superatum. S. Bern, s. xlix, *in Cant.*

Nosse debet solidum medium evitandi invidiam; quale præ cæteris offert S. Bernardus, dum supra citatis verbis subjungit: Et quando, ais, ego proficere possum, qui Fratri invideo proficienti? Si doles, quod invides, sentis, sed non consentis. Passio quandoque est sananda, non actio condemnanda. Tantum non illic resideas, iniquitatem meditans in cubili tuo, qualiter videlicet foveas morbum, satisfacias pesti, persequaris insontem, bene ab illo gesta calumniando, deprimendo, pervertendo, atque impediendo gerenda. (Ibid.) Non parum etiam proderit, si bene ponderetur, quod bonum, ob quod alteri invidendum incitamur, per fugam invidiæ nostrum facere possimus, uti bene S. Augustinus advertit dicens: Tolle invidiam, et tuum est, quod habeo; tolle invidiam, et meum est, quod habes. S. Aug. *sup. Joan.*

Nosse debet, ut, quoniam teste Salomone, calumnia conturbat sapientem, et perdet robur cordis illius, maxime si ab invidia procedat, *mature se ad ejusmodi tela invidiæ ab aliis sustinendæ præparet.* (Eccl. VII, 8.)

Quis enim unquam virtutis amicus exercitio hoc caruit, inquit recte Petrarcha? Percurre animo omnes terras, omnia sæcula, cunctas historias evolve, vix insignem virum hac immunem peste reperies. Postea modum effugiendi docens sic loquitur: Tolle mali materiam, malum omne sustuleris. Nimiis opibus pone modum; quidquid eximia specie inflammare animos potest, abjice vel absconde. Si quid est, quo carere nolis, aut nequeas, modeste utere; invidiam, quam insolentia exasperat, humilitas lenit. PETRARCHA. *Dial.* XXXV.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: *Qui invidet, nihil est illo nequius* (ECCL. XIV, 6); potest explicari gravitas hujus vitii. 1. Quia *summe perniciosum est corpori*, quod sicut tinea corrodit, et sicut putredo ossium consumit; *animæ*, quia sicut invidia Diaboli mors in orbem introivit, ita et in animam intrat, et velut radix omnium malorum, fons cladium, et seminarium delictorum, extreme calamitosum facit; *famæ*, quia, ut supra ex S. Chrysostomo dictum est, ipsis feris et Dæmonibus deteriorem facit. 2. Quia *summe calamitosum est vitium;* nam, ut sapienter Card. Bellarminus advertit, nihil eo est miserius; cæteris enim vitiis aliqua vel utilitas, ut furto, vel voluptas, ut luxuriæ, vel honor, ut ambitioni, comparatur; sola invidia nihil præter continuum acerrimumque dolorem habet. BELLAR. *in Psalm.* XC, conc. X. 3. Quia *tenacissimum est vitium;* nam, ut S. Gregorius recte dixit, mala cætera habent terminum, et quodcumque delinquitur, delicti consummatione finitur; in latrone conquiescit scelus homicidio admisso, et prædoni rapacitatem statuit præda possessa. Invidia terminum non habet, permanens jugiter malum, et sine fine peccatum. Vide Henric. Engelgr. *in Dom.* V *post Epiphan.* tom. II.

Ex occasione thematis: *Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum* (SAP. II, 24); ostendi potest, quam commune sit hoc vitium, quamque adeo vere dixerit quispiam: Invidia in cœlo concepta per Luciferum, in aulis nata (hinc enim ars prima Regum est, posse invidiam pati), in monasteriis educata (ubi vel maxima est occasio spiritualibus bonis invidendi), in xenodochiis mortua est. Quæ omnia fusius apud Engelgr. l. c. § 3, explicata vide.

Ex occasione thematis: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* (MATT. XX, 15) potest dici recte dictum esse a Siracide: Nequam est oculus (magis autem animus) lividi; atque adeo merito illi applicari commune illud proverbium: Qui sibi nequam cui bonus? Non enim 1. bonus est *Deo*, cujus providentiam taxat et calumniatur, dum ea proximo invidet, et non data fuisse optat; imo ex Dei bonitate occasionem malitiæ sumit, quod signum est perditissimæ nequitiæ. Nec 2. bonus est *proximo;* utpote cui bona invidet, minuit, calumniatur, eripere conatur; mala autem optat, et totis viribus procurat. Nec 3. bonus est *sibi*, quia, ut l. c. Siracides dixit, nequam est oculus invidi, avertens faciem suam, et despiciens animam suam, quam in hac vita et altera gravissimis cruciatibus cruciari facit. Quæ omnia fusius explicata videri possunt apud Fabrum, conc. VI *in Dom. Septuages.*

Ex occasione thematis: *Ne comedas cum homine invido* (PROV. XXIII, 6); possunt proponi remedia pro curando invidiæ morbo, videlicet 1. *Contemptus omnium*, quæ homines in mundo æstimare solent; nam sic materia invidiæ tollitur. 2. *Æstimatio rerum cœlestium*; facile quippe aliis relinquit terrestria, qui meliorem sibi in cœlo hæreditatem paratam esse novit. 3. *Amor proximi;* hic enim faciet, ut omnium aliorum bona communia judicentur, atque adeo proximo non invideantur. 4. *Amor Dei;* sic enim voluntas ejus, qua omnia sua dona cum summa sapientia dividit, sufficiet, ut nullum cuiquam bonum invideamus. Vide hæc omnia fusius apud Fabrum, conc. VII *in Septuages.*

Ex occasione thematis: *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem* (Ps. XXXVI, 1); potest breve compendium omnium doctrinarum ad vitium invidiæ pertinentium proponi. Et 1. quidem dici potest, munitionem invidiæ in triangulo esse ædificatam, ex quorum uno angulo respicit altam civitatem; ex altero latissimam et fertilissimam planitiem; ex tertio profundam vallem; quia invidus tres species hominum odit: *Superiores*, quia non est illis æqualis; *Æquales*, quia sunt æquales; *Inferiores*, ne fiant æquales. 2. Dici potest eam habere tres portas, quarum prima defendatur a Cain, duce eorum, qui alteri

gratiam Dei invident; altera a fratribus Josephi propugnetur, benedictionem rerum temporalium invidentibus; tertia a Pontificibus Christum accusantibus possideatur, qui propter honores et dignitates alteri invident. 3. Dici potest, eam habere tres laterales muros ad tres filias seu actus principales illius significandos, nempe odium, detractionem, et gaudium de malo alterius. 4. Dici potest arcem ipsam esse fœdissimam, et telis aranearum, quæ sunt symbolum invidorum, repletam. 5. Eam esse merito totis viribus impugnandam, eo quod per illam gravissima damna corpori, animæ et bonis temporalibus inferantur. 6. Optimum autem ad eam expugnandam medium esse, si ignis injiciatur geminæ charitatis, Dei scilicet et proximi. De quibus vide fusius Marchantium, *in Tuba Sacerd.* tr. III, lect. 6, 7 et 8.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas. — Quærunt nonnulli, cur Redemptori pro crimine læsæ Majestatis non imputarint, quod Ministris publicæ justitiæ sese opposuerit, siquidem haud improbabiliter præsumi poterat, quod Petrus intimus ejus Discipulus vel ipso sciente, vel saltem ad minus ratificante, auriculam Malcho, qui lictorum caput erat, amputarit; at vero in promptu est responsio, si consideretur, quod probandum corpus delicti necessum fuerit, simul etiam publicare miraculum a benignissimo Redemptore patratum in ejusdem auriculæ restitutione; quia igitur miraculum istud justificare potuisset ejus innocentiam, sanctitatem, omnipotentiam, Divinitatem satius esse duxerunt, si prætensum delictum istud sub silentio præterirent, ut suam tanto commodius invidiam explere possent; nam invidorum lingua, bona nullatenus profari potest. Mansi, disc. v, n. 7.

Aptissima est illa ab aquila desumpta similitudo, quæ Deo attribuitur. Aquila enim pullos suos ad radios solis, an sui sint, explorat; quod si enim irretortis oculis lucis illius reflexum constanter sustinere possint, eos tanquam filios suos agnoscit, et nutrit; secus vero, tanquam adulterinos a se rejicit, et derelinquit. Deus noster in Deuteronomio, c. xxxii, aquilæ his verbis comparatur: « Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans. » Hic igitur eos, quos felicitatis alienæ lucem constanter et irretortis oculis adspicere posse videt, blande recipit, et tanquam filios adoptivos delicate demulcet; aliis vero, qui splendorem boni alieni videre nequeunt, tanquam filiis adulterinis gratias suas subtrahit, et desolatos relinquit. Ibid. dis. iv, n. 5.

Auctor Operis Imperfecti rationem assignat, cur Spiritus Sanctus super Jordanem formam sibi columbæ assumpserit; indeque motivum sibi eruit probandi, quod, ubi charitas est, ibi diabolica nidificare nequaquam possit invidia. Ideo Spiritus Sanctus speciem columbæ suscipit, inquit, quoniam præ omnibus animalibus hæc cultrix est charitatis, omnes enim species justitiæ, quas habent servi Dei in veritate, possunt habere et servi Diaboli in simulatione. Habet enim Diabolus et mansuetos, et humiles, habet castos, et eleemosynarios, et jejunos; et omnem speciem boni, quam creavit Deus ad salutem hominum, ipsam speciem et Diabolus introduxit ad seductionem, ut inter bonum verum, et bonum simulatum confusio fiat, ut simplices homines, qui boni veri, et boni simulati differentiam intelligere caute non possunt, dum quærunt bonos Dei viros, incurrant in seductores Diaboli. Solam autem charitatem Spiritus S. non potest immundus spiritus imitari. Omnis ergo species justitiæ impostoribus invenitur, sola autem gratia veræ charitatis non invenitur, nisi in solis servis Dei. Ex quo discursu certam hanc deducere possumus conclusionem, quod, ubi invidia est, charitas et amor Dei ac proximorum esse non possit; ac proinde secure, non vero temere judicabimus, si credamus, quod in anima hominis invidi Dæmon, non vero Deus habitet. Auctor Oper. Imp. t. IV. Id quod sequens Richardi de S. Victore, proposito nostro congruentissima confirmat sententia, dicentis: Invidia non penetrat pectus, quod charitatis perfectione munitum invenerit.

Certum est, nonnullos ex spiritibus rebellibus a Deo in aera collocatos esse, ibique manere, hoc enim verba illa Apostoli insinuant: « Contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. » At vero inquies, quid pœnæ in se habet, in aere demorari illos, qui inexpiabilia, et atrocissima tormenta merentur? Advertendum igitur, spiritus illos relegatos esse in talem locum, ubi in medio inter Ecclesiam Triumphantem paradisi, et Militan-

tem, quæ in terris est, positi degunt; ubi proinde sursum aspicientes gloriam coangelorum suorum, quos in cœlis reliquerunt, et animarum beatarum, ex horum corporum luto egressarum ad occupandum sedes, a quibus ipsi infeliciter prolapsi sunt; deorsum vero respicientes, quotidie vident ascendentes ex nobis mortalibus ad gloriam, intentissimam experiuntur pœnam, propter invidiam, qua bonum nostrum æmulantur. Unde S. Bernardus ait: Diabolus in pœnam suam locum in aere medium inter cœlum et terram sortitus est, ut videat, et invideat, ipsaque invidia torqueatur. S. Bern. s. liv *in Cant.* Hinc S. Antonius dixit: Magnam pœnam faceret Deus invido, si ipsum poneret in gloria paradisi, quia ibi totaliter excæcaretur a gloria proximorum, et a luce beatitudinis ipsorum; experiretur enim in paradiso quemdam perpetuarum ærumnarum infernum, quia totidem habiturus esset carnifices, quot sunt innumerabiles Angeli, et animæ beatæ, quæ visione beatifica fruuntur. S. Anton. *de Poss.* in ser. iv.

Luc. xvi, legitur, quod epulo infernalis elevans oculos vidit in sinu Abrahæ Lazarum, æternæ felicitatis primitiis perfruentem. « Pater Abraham, inquit, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam. » Ubi quærendum venit, quidnam infelix hic epulo sublevaminis ex unica aquæ stilla linguæ ejus imissa sperare potuerit, siquidem per experientiam videmus, quod stillæ aquæ in ignem ardentem conjici soleant, ad augendum potius quam ad diminuendum flammæ ardorem? Dubium hoc solvit D. Chrysologus inquiens: Ut video, quod agit dives, non est novelli doloris, sed livoris antiqui; et zelo magis incenditur, quam gehenna. Est grave illis malum, est illis incendium, non ferendum, quos aliquando habuere contemptui, videre felices. Ubi speciali consideratione digna sunt verba illa: Zelo magis incenditur, quam gehenna. Mittatur ex una parte bilancis pœnarum infernalium atrocitas et æternitas, et ex altera parte livor et pœna, quam annexam habet invidia; hoc enim facto, inquit D. Chrysologus, hanc in reprobo præponderare videbis. Dic, sodes, cur non petiit, ut sibi liceat adire Lazarum, eique suam necessitatem proponere, sed potius petiit, ut Lazarus mitteretur ad ipsum? Lazarum mitte, quo? Ad infernum de gremio, de solio sublimi ad profundissimum chaos, ad tormentorum stridorem de sancta quiete. Notandum quoque est, quod sacer Textus dicat: « Videns Lazarum in sinu ejus. » S. Chrysol. ser. cxxvii. Ubi D. Chrysostomus ait: Diviti mortuo augebat exitium accubitus in gehenna, et prospectus delectationis Lazari, ne solum tormentorum natura, sed et collatione honoris illius intolerabilius sentiret supplicium. Deus igitur ex industria ita disposuit, ut dives epulo ex inferno videret felicitates et gaudia Lazari, ut in illis invidens, plus ab illis, quam flammis cruciaretur; zelo magis incenditur, quam gehenna. S. Chrys. conc. ii *de Lazaro.*

Sanctus Vincentius Ferrerius circa latus Redemptoris lancea apertum sic discurrit: Septimum opus Christi in cruce fuit lanceatio. Dic, quomodo post mortem unus militum aperuit lancea latus ejus? (Joan. xix.) Quare voluit hoc fieri? Respondeo, quod ad dandum nobis exemplum, et instructionem vitandi peccatum invidiæ; alia vulnera voluit Christus recipere, dum viveret, sed vulnus lateris, post mortem. Ratio, quoniam alia peccata mortalia omnia habent quid boni, vel apparens bonum. Dic, v. g. de omnibus. Primo de superbia, quia delectabile videtur superbo, quod honoratur etc. et sic de aliis. Sed peccatum invidiæ nullam habet rationem boni, totum est mors, quia invidia non est nisi dolor de bono alterius, qui in corde consistit, licet etiam ostendatur lingua; item de aliis plagis Christi exivit solum sanguis, de ista sanguis et aqua. Ratio est, quia calefit invidus, gaudendo de malo proximi, ideo exivit aqua ad refrigerandum. Secundo frigescit in amore et bono proximi, ideo sanguis exivit ad calefaciendum. S. Vinc. Ferr. *in Dom. 1. post Pach.*

Veterum commentum est, evocatas in pugnam a Sirenibus Musas, ut de canendi suavitate certarent. Cantarunt utrimque, triumpharunt canoræ Musæ, eæque Sirenibus plumas avulserunt, e quibus sibi coronas confecerunt in victoriæ signum, inquit Claudius Minoe, *in Emblem. Alciati.* Omnia hæc finxerunt veteres, ut significarent, quidquid falsæ, et fallaces Sirenæ contra doctas Musas, vel invida penna scripserunt, vel æmula lingua effutierunt, quo inclytorum hominum amplissimas virtutes, et præclara facinora obscurarent, id in illorum gloriam majorem cedere, coronarique eos

ad pompam pennis, quibus obfuscandos æmuli sperabant, quæ detegunt plurimum, et illustrem faciunt, quem detrahere, et obscurare volunt homines. Did. Nyss. s. II, *in Sabb. post Dom. 4 Quadr.*

S. Paulus ut prævaricatores Galatas intellexit, atque ab obedientia, quam debebant Evangelio, descivisse, neque Deo quæ illi debita exsolvisse, hæc illis scripsit : « O insensati Galatæ, quis vos fascinavit, non obedire veritati? » Gal. 3. Fascinare proprie significat malum ab infestis oculis profectum, quod Hispani *mal de ojo*, malum oculorum, et *aojar a uno*, hoc est, oculis intentis aliquem inficere, dicunt, juxta illud Virgilii, *in Georg.*

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agros.

Cum ergo Apostolus ait : « Quis vos fascinavit? » tale est, ac si dixisset, quis vos infestorum oculorum contagio corrupit, sive infecit? Græcus Textus apud Theophylactum habet : « Quis vobis invidit? » Itaque invidere, et intentis oculis fascinare, idem sunt. Quæro nunc. Quonam tendit fascinum, quove noxii spiritus ab invidentis oculis profecti vadunt? In fœdasne res, an in pulchras? Experientia docet, numquam res sordidas fascino obnoxias fuisse, et risum excitaret, si deformem mulierem fascinum passam intelligeremus, cum eos solos, quos liberaliori forma benevolentior natura ornavit, fascinum insectetur. Itaque species quædam assentationis est hæc infirmitas, et quoddam boni genus hoc malum, gratiamque inire apud feminam possis, si fascinatam dicas, postquam hoc fascini malum solo elegantioris formæ bono est infestum. Ergo cum Apostolus invidiam fascinum vocavit, velut adulatus invidiosis fuit, et a quadam formæ præstantia ac dignitate eos tacite commendavit, nisi enim eximia essent specie, numquam eos malum illud appeteret, aut invaderet. Itaque S. Paulus, ut vult Theophylactus, cum Galatas fascinum et invidiam passos dicit, eodem verbo multa præclara ab illis fieri, aut gesta fuisse, indicavit, invidia enim dentes nonnisi talibus rebus infigit; cum dicit, quis vobis invidit, indicat illos res dignas invidia committere. Ibid.

Est cuidam ægre ex invidia, quam sustinet, aliena, dolet suam ægritudinem, ejusque curandæ desiderio rationem consulit, quæ nobilis medicus est sanandarum animæ passionum, paratas, semper, easque efficaces, et salutares habens medicinas. Eheu, miserum me! clamet æger, cui omnes invident, quapropter etiam omnes me persequuntur, sumque et linguarum scopus, et calamorum negotium, et unicum omnium confabulationum argumentum. Occurrit huic anxietati ratio, compescit suspiria, respondet querimoniæ dicens : De qua re miser et ignave expostulas, cujus tanta est felicitas? Gloriosissimus dolor est, quem pateris, nobilissima ægritudo, qua gravaris, honorificentissimus morbus, quo laboras, et saluberrima infirmitas, quam sustines. O quam feliciter infirmaris! O quam sublimis jaces, qui ex hujusmodi malo decumbis! Cum enim tuus ille de aliorum invidentia natus sit dolor, non est alius cui magis invideri queat. Vix insignem virum hac immunem peste reperies, inquiebat Petrarcha, lib. 2. *de Remediis utriusque fortunæ*, dialogo 32; cunctas historias evolve, non possunt ignoti tibi esse quam plurimi, quorum comitatu non solum consoleris, sed et glorieris; velut dixisset : Quid sortem tuam tam misere deploras? Quid de malo, quod pateris, tam acerbe quereris, cum invidiosus factus ex eo ægre habeas, quo laborarunt viri ex toto terrarum orbe inclytissimi et celebratissimi, quique in sacro famæ templo locum editissimum magno suo merito gloriosissime occuparunt? Did. Nys. I *Polit.* l. VIII, c. I.

Symmachus singulari cuidam suo amico, hæc præter alia scribebat : Gratulare mihi de magna felicitate, quæ mihi Romæ obtigit, fortunatiorem me nulla sæculorum superiorum ætas vidit. Quænam illa prosperitas tanta Symmachi fuerit? Varias multis hominibus statuas Romæ erexerant, factum autem, ut ipsius simulacrum nocte quadam dejectum fuerit, cæterorum statuis salvis et inconvulsis. Dicebat ergo suo familiari Symmachus : Gratulare mihi de tam felici eventu, de tam benevolente fortuna. Ergone volebat, ut de hac re sibi gratulatum veniret amicus, quod statuæ gloria nudatus esset, quæ omnibus aliis manserat integra, unumque ac solum ipsius simulacrum ex omnibus humi dejectum? Imo vero hoc magis postulare videbatur, ut quis illum misereretur, et deploraret sinistrum ejus casum, et tam insolens facinus vehementer vindicaret. Quid ergo Symmachus tunc gratulationen expetiit, quando injuriarum depulsionem, et vindictam postulare debuerat?

Causam, cur sibi gratulationem fieri voluerit, magnus Senator reddit, dicens : Quod ego solus torqueo corda liventium, solus meæ gloriæ clavis configo invidorum animos, cujus solius demoliti sunt statuam, cum cæterorum signa reliquerint suis basibus subnixa, vel inconcussa. Cur immane quorumdam odium sanguinariis dentibus erectam mihi statuam invasit? Quia studia rerum magnarum me occupatum habent, quia virtutibus antecello, et de præclaris aliorum facinoribus triumpho. Ergo cum simulacrum meum dejecerunt, me ad altiorem gloriæ gradum extulerunt; cum imaginem meam solo affixerunt, me in editioris fastigii celsitudinem evexerunt; cum effigiem meam luto platearum oblitam conspurcarunt, virtutum mearum picturam penicillo livoris et invidiæ illustrarunt. Itaque gratulare mihi de probro, quod me honestat; de infamia et ignominia, quæ me nobilitat; de una vero vel maxime dejectione statuæ, quæ me exaltat; nam cum sim invidiæ signum et scopus, procul dubio etiam Phœnix sum gloriæ. Quamobrem gratulare mihi, quod ego solus torqueo corda liventium; lætare de invidia, quam patior, si me fortunatum videre cupis. Quæ namque major felicitas, quam ipsiusmet invidiæ manibus vapulari et afflictari? Ibid.

Didacus Nyssenus *in Politico* ait, sua sententia, invidere et magnificare aliquid, sic unum idemque esse, ut videatur, non posse magnitudinem rei cujuspiam melius declarari, quam si invisam sive invidia exagitatam fuisse affirmes. Sic accipio dictum quoddam S. Zenonis, inclyti Martyris Veronensis, qui, dum animorum robur apud se reputaret valentissimorum illorum trium juvenum a barbaro Rege Nabuchodonosore in ardentem fornacem conjectorum, quæ his adornata erat, qui statuam illius adorare recusarent, aiebat : « Rex non inviderat pueris, si non eos præcepisset ardere. » Hæc ille, serm. 8, de Daniel. Quid sibi vult, quod ait extra invidiam Regis fuisse heroicos illos pueros, nisi jussu ejusdem flammis ustulandi traditi essent? Quid illi egerunt inter medios flagrantium flammarum globos? Pectoris fortitudinem et magnitudinem animi ostenderunt tantam, quanta ad id tempus visa nulla fuerat. Qui horrorem fornacis istius contemnebant, et flammantem istius ignis Draconem aspernabantur, et ardentis monstrum incendii ridebant, ii fortitudinis humanæ limites communes longe excesserant. Res autem ista æque et miserum Regem pudefaciebat, et valentissimos juvenes honestabat, sic, ut in eadem fornace proderet se, et horum invicta fortitudo animi, et illius imbecillitas pectoris, virium infirmitas, cujus arrogantiam incomparabili sua audacia subegerunt, et compresserunt. Itaque Rex cum eos igni traditit, excelsitatem animi eorum, et præstantiam illustriorem reddidit, quo enim gravius periculum, eo amplior gloria ejus, qui illud subit; quo efferatius aliquod, et terribilius monstrum, eo majorem splendorem confert suo domitori; quo potentior hostis, eo magnificentior virtus illius, a quo subigitur. Propterea S. Zeno ejusmodi gloriæ occasionem, et triumphi talis causam, vocat invidiam dicens : Rex non inviderat pueris, si non eos præcepisset ardere, hoc est, non magnificarat, non illustrarat, non eminentissimo gloriæ gradu eos collocarat, nisi incendio fornacis subjecisset. Nam invidere cuipiam, et in cœlum illum laudibus efferre, prorsus idem est. Quod enim quis invisus est, id a magnitudine meritorum illius nascitur, et ab ornamentis virtutum, quibus affluit. Invidia ergo gloriam adfert inviso, probrum suo auctori. Idem.

Damnum. — Serpens, qui Evam convenit, nomine generico a Moyse *serpens* appellatur : « Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ; » hunc autem basiliscum fuisse, verisimile est, quia « invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum. » Unde S. Ambrosius ait : Si non esset basiliscus, numquam per ejus invidiam mors intrasset in orbem terrarum. Invidia namque Dæmonem ad præcipitandos protoparentes nostros exstimulavit; quæ eadem passio et hos, dum in scientia et essentia inferiores proprio Creatore haberi nollent, ut manum ad pomum extenderent, induxit, credentes, ita se Divinitatem et sapientiam Dei participaturos, cujus vitii progressum S. Antonius discutiens, inquit : Omnes errores hominum processerunt ex primo errore primorum parentum, quem seminavit Diabolus ex invidia. Unde dicitur, Sap. 2. *Deus creavit hominem inexterminabilem*, qui scilicet non potuisset errore decipi, vel corpore deficere, si obedisset. *Invidia autem Diaboli mors*, scilicet animæ et corporis, *introivit in orbem terrarum;* nam ex invidia sua, ut hominem dejiceret, errorem et falsitatem proposuit, dicens : *Nequaquam*

moriemini Ecce falsitas. *Scit enim Deus etc.* quasi dicat: Ex invidia Deus hoc prohibuit, ne efficiamini ei similes in scientia. Ecce error; sicque exinde errores in mundo multiplicati sunt. S. Ambr. *in* c. III *Genes.*

S. Patriarcha Abraham, cum in terra Palæstinorum moraretur, ita auctus est divitiis, ut certaret cum opulentissimis terræ illius de facultatum affluentia. Viderunt hoc Palæstini, et inviderunt fortunæ illius, æmulique tantæ felicitatis dixerunt cum suo Rege: « Recede a nobis quoniam potentior nobis factus es valde.» Genes. 26. S. Joannes Chrysostomus non satis potest admirari dictum hoc ab Abimelech Rege, quare attonitus exclamat: Magna malevolentia! Quis parem vidit stultitiam? Cujus gratia abigis justum? Numquid aliqua in re tibi nocuit? Num injuriam tibi intulit? Oportebat eum, quem omnium Deus tanta gratia prosequebatur, Dei exemplo magis fovere, ei serviendo, ut honore in illum collocato, etiam ipsis divinum sibi favorem conciliarent. Quare vero Abrahamum, pro exemplo Dei, non modo non fovent, neque tantum non favent illi, aut serviunt, verum etiam inhumanos se exhibent, et cedere loco jubent? Quid cæcavit illos? Quid rem tam inhonorificam suasit? Quis vero tam malus consultor esse poterat, quam invidia? Sic se habet invidia, inquit ibidem Chrysostomus, quæ nihil cum ratione operatur. At si ex arbitrio invidiæ agebant, quid mirum, quod nihil recte facerent, sed in omnibus errarent? Ibid.

Narrabat somnium suum Joseph fratribus de manipulis, scilicet vidisse per soporem, quasi pariter ligassent manipulos, suus autem manipulus altius omnibus consurrexisset. Indignabantur fratres illius, et quod talia audirent, et quod illum patri se chariorem viderent, hinc oderant illum, neque jam vel æquis oculis aspiciebant, vel pacifice, humaneque alloqui poterant. Factum ergo, ut, cum illis ruri agentibus cibos ferret, et procul inde visus fuisset, mutuo dicerent: « Ecce somniator venit, venite occidamus eum, et tunc apparebit, quid illi prosint somnia sua.» Genes. XXXVII, 20. S. Basilius Magnus fratres Josephi tali dilemmate convenit, et convincit de magna inopia judicii, quorum tale fuerit de fratre judicium: Si vera essent Josephi somnia, qua ratione potuit effici, ut non omnino ea evenirent, quæ prædixit? Sin falsa, cur invidebant erranti, et decepto? Hæc ille, hom. *de Invidia.* Si ex vero Deo erant somnia, ejusque decreto præfinita, adeo futura, quæ per somnum prævisa, frustra iis per occisionem fratris occurrebant, quem Deus resuscitare poterat; sin falsa erant, hoc est, mera somnia tantum, stultissime ei invidebant Regiæ Majestatis dignitatem, quam tantisper, dum somniabat, habere putabat. Quare ergo innocentem puerum vendiderunt, et potestati Ismaelitarum negotiatorum ceu vile mancipium pro tam vili pretio tradideruut? S. Basilius dicit: Sic in Josephum erant animati, ut quid facerent, nescirent. Nemini cæcitas horum videatur mira, nam quos occuparat, regebatque invidia, quid illi recte, atque ordine poterant? Quomodo deliberare in re licet aperta et manifesta? Ubi invidia, ibidem confusio imperat, et omnia occupat. Aut si non est ita, videte quid egerint. Postquam vendiderunt illum, ut diximus, tulerunt tunicam ejus polymitam, quam Pater illi fecerat, et in sanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt, ut doli nescius senecio laniatum a bestia filium crederet. Integram, atque ex omni parte illæsam transmiserunt patri tunicam, ut ex sacro Textu constat. Quam fatue ergo factum, quod talis tunicæ indicio discerptum a fera puerum demonstrare volebant! Quomodo enim occidere illum, et fero morsu dilaniare bestia potuit, sine offensa vestis, quæ contexerat? Quomodo vero rem tam perspicuam non considerabant? Sic erant animati, ut, quid facerent, nescirent. Miraculum fuisset, si directore usi invidia, recte quicquam agere, et peccatum suum quoquo modo palliare scivissent. Ibid.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Aristoteles interrogatus, quid sit invidia? respondit, fortunatorum antagonista. March. tr. III, *Tub. Sac.* lect. IV.

Quod illa, quæ proximi sunt, rudiores plerumque cum invidia contemplari soleant, judicat notum distichon:

> Fertilior seges est alienis semper in arvis,
> Vicinunque pecus grandius uber habet.
> Ibidem.

Ipsam Invidiam pulchre Ovidius sic descripsit:

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle vigent, lingua est suffusa veneno,
Risus abest omnis, nisi quem fecere dolores ;
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successus rerum, carpitque, et carpitur una,
Suppliciumque suum est.

Ovid. l. I, *Metam.*

Themistocles adhuc adolescens dicebat, se nihil adhuc præclari fecisse, quod homines necdum sibi inviderent; nam sicut cantarides vegeto maxime tritico innascuntur, et rosis pulchre florentibus ; sic invidia præcipue viros in sapientia et doctrina, ac virtute profectos invadere. Langius, *in Pol.* fol. 592.

Publius Mutium hominem invidum et in primis malevolum conspicatus : Aut Mutio, inquit, malum quodpiam obtigit, aut alteri cuipam bonum. Ibid.

Actius Sincerus, cum in præsentia Regis Friderici questio orta esset : quid præcipue ad oculorum aciem acuendam conferret? aliis alia sentientibus, pro invidia sententiam tulit, hanc enim præ reliquis rebus hanc vim habere, ut majora faciat videri bona, quæ aliis videmus obtingere, Ibidem, fol. 593.

Canis quispiam cum juxta præsepe boum jacens latratu suo eos a pabulo arceret, eorum unus. Quanta hæc, inquit, invidia est, non pati te, ut eo cibo vescamur, quem tu capere nec velis, nec possis ! Qua fabula recte invidiæ malignitas designatur. Ibidem, fol. 594.

Canis Sophis, Indorum Regis, in certamine cum leone admissus, fauces illius adeo tenaciter invasit, ut, licet ab initio cauda, dein crura ac postremo reliquum corpus a capite abscissum sit, ipsum tamen caput adhuc leoni inhærens remanserit. Idem facit invidus perire malens, quam ab alterius morsu abstinere. Ælian, l. VIII, *Anim.* c. I.

Dives epulo dixit in inferno : Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum! De quo dicto sic loquitur B. Petrus Chrysologus : Ut video, quod agit dives, non est novelli doloris, sed livoris antiqui, et zelo magis accenditur, quam gehenna. Non se ad Lazarum duci postulat, sed ad se Lazarum vult deduci. O vere dura sicut infernus æmulatio! S. Petrus Chrys. l. cxxii.

Fuga. — De hac recte dixit Seneca : Invidiam effugies, si te non ingesseris oculis; si bona tua non jactaveris; si sciveris in sinu gaudere. Senec. ep. xvii.

Idem dixit : Si non invideris, major eris (forte, quia habes id, quod tuum est ; et simul, quod alterius est) nam qui invidet, minor est. Scito autem, quod nulli invidet vir bonitate præditus. Ibidem.

Damnum. — Invidia est illa fera pessima, de qua dixit Jacob : Fera pessima devoravit Joseph. Hugo, in c. xxiii *Genes.*

Recte cecinit nonnemo :

Justius invidia nihil est, quæ protinus ipsum.
Auctorem rodit, discrutiatque suum.

Marchantius illa verba Jobi : Fiduciam habet, quod Jordanis influet in os ejus ; applicat Diabolo, aitque habere hunc sensum : Diabolus invidus sperat, quod baptizati Christiani (hi enim per Jordanem, ubi baptismus suam originem sumpsit, significantur) ab ipso facile sint per suas artes absorbendi. March. *in Tuba Sac.* tr. IV, lect. iii.

Recte Horatius de invidia cecinit :

Invidia Siculi non invenere Tyranni
Tormentum majus.

Horat. *in Epist.*

Anacharsis invidiam animæ feram appellavit, utpote quæ eam miserrime in multas partes dividat, fœdeque laceret. Drexel. *in Joseph.* c. II, § 8.

AXIOMATA.

Figulus figulo invidet, faber fabro.

Una domus non alit duos canes.

Optat ephippia bos piger ; optat arare caballus.

Aliena nobis, nostra plus aliis placent.

Ipsum me comedo ut polypus; quia polypus non modo alios, sed etiam se fertur comedere.

Christo annuente, nil cui nocet livor.

AUCTORES.

Joannes Busæus, *in Panario*, V. eodem.

Jacobus Marchantius, tr. IV, *Tuba Sacerdotalis.*

Hieremias Drexelius, *in Josepho*, c. II.

Josephus Langius, V. eodem, *in Polianthæa.*

Petrus Canisius, tom. III, *de Justitia Christi*, § 6, f. 81.

Bernardinus Rosignolius, lib. II, *de Disc. Christi*, c. XXII.

Ludovicus Granatensis, *in Duce Pecc.* c. VII, f. 648, et *in Locis Comm.* f. 384.

Philippus d'Outreman, *in Pædagogo Christiano*, p. I, c. VII, § 5.

Matthias Faber, conc. VI et VII, *in Dom. Septuag.*

Henricus Engelg. *in Dom. 5 post Epiph.* to. post.

Jacobus Alvarez, tom. II, l. I, p. I, c. XI et seq.

Thomas Stapletonus, text. II, *in Dom. 3 Quadr.*

Laurentius Beirlinck. text. II, *in Festo Nativ. S. Joan. Bapt.*

Joannes Dadræus, *in Locis Communibus similium*, V. eodem, f. 293.

Josephus Mansi, *in Bibl. moral.* tract. XVIII.

IRACUNDIA.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est inordinatus vindictæ appetitus, juxta S. Thomam, seu *est habitus ad inordinatum appetitum vindictæ inclinans.* S. Th. II, II, q. XLVI, a. 2. Vel, ut S. Augustinus definivit, turbulentus appetitus auferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt. S. Aug. ep. CXVII, *ad Nebridium.* Differunt autem inter se indignatio, ira, et iracundia, quod indignatio sit stimulus quidam brevis ac subitus, acutusque passionis vapor. Ira vero permanens ac diuturna tristitia, et veluti libido quædam se vindicandi. Iracundia denique habitus et consuetudo irascendi. Unde Antiqui eamdem sub specie Martis, sive hominis furentis, in curru sedentis, galeam in capite gerentis, cum flagello in dextra, lupoque præcedente pingebant, teste Marchantio. March. *in Tuba Sac.* tr. VI, sect. I. *Instar Martis* quidem, quia Mars furibundus deus belli dictus est, et stella illa, quæ Mars appellatur, complexioni cholericæ dominatur, et ad iram movere dicitur. *In curru sedentis;* ad volubilitatem ejus significandam, nam propter complexionem cholericam et ignem prædominantem ab uno in aliud volutatur; hinc merito Siracides de eo dixit: Præcordia fatui quasi rota carri, quasi axis versatilis cogitatus illius. Eccl. XXXIII, 5. Rotæ illius (quæ sunt inquietudo, impetuositas, præsumptio, audacia) quasi impetus tempestatis. *Caput galea coopertum gerentis;* quia iratus judicium rationis obtectum et obnubilatum habet, notus ille versus indicat.

Impedit ira animus, ne possis cernere verum.

Cum flagello in dextra; quia sicut flagellum est instrumentum percussionis livorem faciens, sic ira per vindictam percutit ac punit. Hinc Ecclesiasticus: Flagelli plaga, inquit, livorem facit, plaga autem linguæ comminuet ossa. Eccl. XVIII, 21. *Cum lupo præcedente*; quia iratus, sicut lupus, nemini parcit, omnes invadit, laniat, devoratque. Unde Ezechiel de ejusmodi furiosis Principibus ejus quasi lupi rapientes prædam. (Ezech. XX, 27.) Et ideo jam olim etiam Marti lupus consecratus fingebatur a Poetis.

Ira, ut S. Bonaventura ait, *est motus et fervor sanguinis circa cor ex evaporatione fellis, propter appetitum vindictæ.* S. Bon. *in Declar. term. Th.*

Divisio. — Duplex est species iræ, quædam bona, et quædam mala; mala quidem quando inordinate tendit in vindictam, scilicet contra justitiam; bona vero, quando in vindictam debitam, quando scilicet quis irascitur, quando oportet, cum quibus, et quantum oportet. De utraque potest exponi illud Davidis: *Irascimini, et nolite peccare;* si de mala, hic est sensus, non præcipit, sed permittit, quasi dicat: Si sic est, quod motus iræ insurgat (quod humanum est) *nolite peccare*, id est, nolite perducere ad effectum per consensum; si autem exponant de bona, sic tenetur non solum permissive, ut primo, sed imperative; *iracismini*, scilicet contra peccata vestra, sumpta ultione de se ipso peccante; et sic pœnitentia est quædam vindicta, quam homo facit, et capit de seipso; et hæc est bona ira, et de hac dicitur imperative: *Irascimini*, scilicet contra peccata vestra, et *nolite peccare* de cætero, nec talia committere, contra quæ iterum oporteat irasci. S. Thom. *in cap.* IV. *Ephes.* Hinc S. Chrysostomus recte dicit: Ne nos temere irascamur; ira enim nobis ideo insita est, non ut peccemus, sed ut alios peccantes prohibeamus; non ut fiat animi perturbatio et ægritudo, sed ut sit ægritudinum et perturbationum remedium. Cogita apud te, quam sit insigne vitium, quando medicamentuum venenum efficitur;

quando per quod aliorum vulneribus medendum est, per id vulnera nobis infligimus : quemadmodum si quis accepto ferro, ut, quæ in aliis putrefacta sunt, rescindat, se ipsum ubique concidat, se per totum corpus saucians, vel gubernator per clavum cymbam submergat, per quem ventorum impetentium impetum oportebat cohibere. Hujusmodi est etiam ira utile instrumentum, ut nostram excitet somnolentiam ; ut animum nostrum intendat, viresque et robur addat ; ut nos acriores efficiat, ut pro his indignemur, qui sunt affecti injuria ; vel ad pœnas de insidiatoribus sumendas nos moveat ; ea de causa dicit : *Irascimini, et nolite peccare.* S. Chrys. *in Ps.* IV.

Dividitur a S. Thoma in tres species, non quidem ratione objecti, sed subjecti, seu secundum ea, quæ dant augmentum iræ, nimirum 1. In *fel* seu *exscandescentiam*, eo quod hæc ira cholericorum propria ob spirituum subtilitatem velociter exurgat, iterumque abeat, unde ira brevis, et ejusmodi irati *acuti* ab Aristotele vocantur. 2. In *maniam*, eo quod ex tristitia præcedente causata, diu in memoria maneat, sibique et aliis sit permolesta, et amara ; unde tales iratos Aristoteles *amaros* appellat. 3. In *furorem*, eo quod non quiescat, donec vindictam exercuerit ; hi tali ira *inveterata*, et tali modo irati a Philosopho *difficiles et graves* vocantur, ut qui nec persuasionibus, nec temporis diuturnitate, sed sola vindicta mitigantur. S. Thom. II, II, q. XXXIX, n. 8. Eodem plane modo S. Gregorius Nyssenus, tres, ait, sunt irascibilitatis (malæ videlicet) species, scilicet ira, quæ vocatur fellea ; et mania, quæ vocatur insania ; et furor. Iram felleam dicit esse, quæ principium et motum habet, quod Philosophus attribuit *acutis*. Maniam vero dicit esse iram, quæ permanet, et in vetustatem devenit, quod Philosophus tribuit *amaris*. Furorem autem dicit esse iram, quæ observat tempus in supplicium, quod Philosophus attribuit *difficilibus*. S. Greg. Nyss. *ap. Mansi*, tr. XXXIX dis. I, n. 6.

Aliter adhuc iracundiæ et iracundorum species proponit itidem S. Gregorius quando, 1. inquit : *Nonnulli citius accenduntur, facilius deserunt* ; et hi accensis calamis sunt similes, quia, dum vocibus obstrepunt, quasi quosdam accensionis suæ sonitus reddunt, et citius quidem flammam faciunt, sed protinus in favilla frigescunt. 2. *Alii tardius commoventur, sed diutius tenent iram* ; suntque lignis gravioribus humidisque non dispares, quæ tardius accensionem suscipiunt, attamen semel accensam diutius flammam fovent. 3. *Alii* (*quod est nequius*) *et citius iracundiæ flammas concipiunt, et tardius deponunt ;* lignis aridis et durioribus assimilandi, quæ et accenduntur facile, et diu ardent. 4. *Alii tarde irascuntur et cito placantur ;* humidis calamis similes, qui ob humorem tardius ignescunt, sed ob tenuitatem materiæ cito consumuntur. S. Greg. l. V *Mor.* c. XXXII.

Actus. — Primus actus iræ, quatenus est in corde juxta S. Thomam *Indignatio*, per quam iratus eum, qui læsit, indignum reputat, ut talem læsionem ipsi procuraret.

Secundus est *Tumor mentis*, per quem offensus varias vindictæ vias excogitat, et talibus cogitationibus replet.

Tertius, quatenus ira per os ostenditur, est *Clamor*, seu inordinata et confusa locutio, quam Christus in Evangelio per vocem *Raca* expressit.

Quartus sunt *Verba injuriosa*, vel contra Deum (ut est blasphemia) vel contra homines prolata, et communiter *Contumelia* nominatur.

Quintus, quatenus ira procedit ad factum sunt *injuriæ*, per quas intelliguntur omnia nocumenta, quæ iracundia impellente proximo inferuntur. Atque hi actus hoc ordine assignati, etiam *Gradus iracundiæ* dici possunt, quia experientia teste, ira ab initio mente concipitur, dein voce proditur, et tandem facto ipso, seu damno illato, perficitur et completur, ideoque Cœlo fulminanti non male comparatur, quod primum fulgurat, post tonat seu murmurat, et tandem omnino fulmine ferit. S. Th. II, II, q. CLVIII, 1.

EX S. SCRIPTURA.

Impii, quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus ejus in conculcationem, et lutum. Is. c. XXXVII.

Ira viri justitiam Dei non operatur. Jac. I.

Homo homini reservat iram, et a Deo quærit medelam. Eccl. c. I, 28.

Melior est patiens viro forti, et qui dominator animo suo expugnatore urbium. Prov. c. XVI.

Fatuus statim indicat iram suam ; qui autem dissimulat injuriam, callidus est. Ib. c. XII.

Qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivis. Ib. c. XXIX.

Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor; et impetum concitati spiritus quis ferre poterit. PROV. XXVII, 4.

Ira et furor utraque execrabilia sunt, et vir peccator continens erit illorum. ECCL. XXVII, 33.

Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere ? PROV. XVII, 14.

Vir iracundus provocat rixas; qui patiens est, mitigat suscitatas. PROV. XV, 18.

Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa et iracunda. PROV. XXI, 19.

Tetendit (iratus) adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est. JOB. XV, 25.

FUGA. — Memorare timoris Domini, et non irascaris proximo. ECCL. XXVIII, 8.

Sol non occidat super iracundiam vestram; nolite locum dare Diabolo. EPH. IV,26.

Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. Ira enim viri justitiam Dei non operatur. JAC. I, 19.

Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ. PROV. XXII, 24.

Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit. ECCLES. VII, 10.

Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia. EPH. IV, 11.

Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindictam et ego retribuam. ROM. XII, 19.

Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. LEV. XIX, 17.

Ego dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram. MATTH. V, 19.

Nulli malum pro malo reddentes. Sed semper, quod bonum est, sectamini ad invicem, et in omnes. ROM. XII, 17.

Desine ab ira, et derelinque furorem; noli æmulari, ut maligneris. Ps. XXXVI, 8.

DAMNUM. — Zelus et Iracundia minuent dies, et ante tempus senectam adducet cogitatus. ECCL. XXX, 26.

Vir iracundus provocat rixas, et qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior. PROV. XXIX, 22.

Grave est saxum, et onerosa arena; sed ira stulti utroque gravior. PROV. XXVII, 3.

Ego autem dico vobis, quod omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. MATTH. V, 22.

Virum stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia. JOB. V, 2.

Cum iracundo non facias rixas, et cum audace non eas in desertum, quoniam quasi nihil est ante eum sanguis, et ubi non est adjutorium, elidet te. PROV. C. XXIX.

Certamen festinatum incendit ignem, et lis festinans effundit sanguinem, et lingua testificans adducit mortem, si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit. LUC. C. XXIX.

Angelus crudelis mittitur contra eum, scilicet iracundum.

Non est caput nequius super caput mulieris, et non est ira super iram mulieris. ECCL. C. XXV.

Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum; et qui vehementer emungit, elicet sanguinem; et qui provocat iras, producit discordias. PROV. C. XXX, 33.

IRA BONA. — Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. ECCL. C. VII.

Irascimini, et nolite peccare. Ps. IV.

IRA DEI. — Ad iracundiam concitatus est, quia provocaverunt eum filii et filiæ. DEUT. C. XXXIV.

Cum exarserit in brevi ira ejus, beati omnes, qui confidunt in eo. PSAL. II.

Ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus. PSAL. XXIX.

Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei. MICH. C. VII.

Quis novit potestatem iræ tuæ; et præ timore tuo iram tuam dinumerare ? Ps. LXXXIX.

Qui, cum iratus fueris, misericordiam facies. TOB. C. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Plerumque per silentium clausa ira intra mentem vehementius æstuat, et clamosas tacita voces format. Verba sibi, quibus exasperetur, objicit, et quasi in causæ examine posita durius exasperata respondet. S. GREG. l. III *Mor.*

Aliquando iracundus manus non exigit, sed in maledictionis jaculum lingua vertit. Fratris namque interitum precibus exposcit, et hoc Deum perpetrare expedit. Ibid.

Nihil iracundo homine insuavius, nihil gravius, nihil infestius, turpius nihil, sicut contra nihil iracundi nescio jucundius. Feræ potius, quam iracundo homini cohabitandum est; nam illa, cum semel mansuefacta fuerit, suam servat legem; hunc autem quoties mitigaverit, rursum efferatur. S. Chrys. hom. xxix, *ad Pop.*

Noli æmulari, ut maligneris; æmulatur ut malignetur, qui sic irascitur peccato, ut irascatur et fratri; qui sic æmulatur legem, ut malignetur proximo. Ps. xviii, 15.

Quando semel iræ perturbatio mentem præcipitans imperium animæ sumpserit, hominem penitus in feram convertit, nec hominem, qui rationis sit compos, esse sinit. S. Basil. hom. x, *de Ira.*

Cum iracundia rationem depulerit, et dominatum animæ occupaverit, hominem penitus efferat, nec amplius hominem esse sinit. Quod enim bestiis, quæ venenum emittunt, est venenum, hoc hominibus exacerbatis est ira, insaniunt tamquam canes, impetum faciunt, ut scorpiones, mordent veluti serpentes. Id. ix.

Aliquando ira perturbato animo quasi ex judicio silentium indicit; et quo se foras per linguam non exprimit, intus deterius ignescit, ut iratus quisque collocutionem suam proximo subtrahat, et nihil dicendo, quam sit accensus, dicat. S. Greg. l. V *Mor.* c. xxx.

Commonet (S. David) ne per iram peccetur; solemus enim modum egredi, dum irascimur, et non invenimur ipsi peccare, qui peccantes arguimus, dum plus irascimur, et amplius oneramus peccantem, quam meretur. S. Amb. *in Ps.* iv.

Non mediocre est mitigare iracundiam, non inferius quam animo non commoreri, hoc nostrum est, naturæ illud.

Ira plus in vindicta exigit, quam injuria accipit. Greg. xxviii *Moral.*

Quid iracundo furor suus confert, quem sævissimis exagitatum stimulis conscientia, ita ab omni consilio ac mente deturbat, ut dum irascitur, insanire credatur? Hier. *ad Demet.*

Fuga.—Quoties ira animum invadit, mentem edoma, vince teipsum, differ tempus furoris, et cum tranquilla mens fuerit, quod placet, vindica; ira enim in vindictam malorum sequi debet rationem animi, non præire, ut quasi ancilla justitiæ post tergum veniat, et non lasciva ante faciem prorumpat. Aliquando vero ostendenda est, et non exhibenda; aliquando exhibenda, sed nunquam sequenda; quando enim in executione justitiæ placata mente irascimur, iracundiam, et non sequimur, et exhibemus. Ira enim quæ animum perturbat, quanta consideratione cavenda est, monstratur, de qua scriptum est: «Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram.» S. Aug. ep. li.

Iræ mortiferum virus, de recessibus animæ nostræ funditus eruendum. Hac enim in cordibus nostris insidente, et oculum mentis noxiis tenebris obcæcante, nec judicium rectæ discretionis acquirere, nec honestæ contemplationis intuitum, nec maturitatem consilii possidere, nec vitæ participes, nec justitiæ tenaces, sed nec spiritualis quidem ac veri luminis capaces poterimus existere, quia perturbatus est, inquit, præ ira oculus meus. Cassian. l. VIII *de Spir. iræ*, c. i.

Si ab animo sapienti amaram perturbationis radicem extirpare poteris, multa cum hoc principio perturbationis semina facile extingues; nam et dolus, et suspicio, et infidelitas, et malignitas, et insidiæ, et audacia, et omnia his similia, hujus vitii germina sunt, atque appendices. Itaque, fratres amantissimi, ne, obsecro, tantum nobis malum inducamus, animæ morbum, rationis tenebras, a Deo alienationem, oblivionem familiaritatis, principium bellorum, plenitudinem calamitatum, Dæmonem pessimum nostris animis innatum, incolam quemdam impudentem, nostra interiora possidentem. S. Basil. hom. *de Ira.*

Amarulentiam vocat præparationem ad iram, tumor autem iræ generativus est; ex ira vero procedit vociferatio, et ex hac maledicentia sive convitium. Hæc igitur omnia tollantur a vobis, non dicit cohibeantur, aut puniantur, sed omnem eorum significans ablationem, tollantur, inquit, cum omni malitia; quandoquidem enim nonnulli sunt homines more canum clam mordentes, qui neque vociferantur, neque manifestam faciunt iram, sed in animo eam servantes, data occasione ulciscuntur se de eo, qui contristavit. Œcumenius, *in cap.* iv. *Eph.*

Fugiamus iram, quæ rationem suffocat, mensuram justitiæ ignorat, solem justitiæ

nescit, amicitias rumpit, de facili aufert pacem mentis, sapientiam calcat, sapientes infatuat, gravitatem in pastoribus dilacerat. S. Aug. ser. IX. *ad FF.*

Sciendum nobis magnopere est, quia quoties turbulentos motus animi sub mansuetudinis virtute restringimus, ad similitudinem redire Conditoris conamur; nam cum tranquillitatem mentis ira diverberat, dilaniatam quodammodo, scissamque perturbat, ut sibimetipsi non congruat, ac vim intimæ similitudinis amittat. Quanta ergo sit iracundiæ culpa, pensemus, per quam dum mansuetudo amittitur, supernæ imaginis similitudo vitiatur! S. Greg. l. II *Mor.* c. XXX.

Displiceat tibi alterius ira; quod tibi in altero displicet, in te ipso quoque displiceat. Noli te æqualem stulto facere, quia ira in sinu stulti requiescit. Si tu irasceris contra eum, eritis duo mali, tu, et ille. Melius est te esse bonum, quamquam ille sit malus; cur tu ex alterius malitia malus efficieris? Alcuinus, l. *de Vir. et Vit.* c. XXIV.

Resiste iræ, si potes; cede, si non potes. Si præveneerit, et præoccupaverit mentem tuam iracundia, et descenderit in te, non relinquas locum tuum; locus tuus patientia est. S. Ambr. lib. I *de Offic.*

Irasci hominis est, iram non perficere Christiani. Salvian. ep. IX.

Ponamus, si placet, iram quoque esse bestiam quamdam; quantum igitur ab aliis erga mitigandum leonem studium commodatur; tantum tu erga iracundiam impende curam, et effice hujusmodi cogitationem mansuetam ac mitem; siquidem et hæc fera unguibus sævissimis armatur et dentibus; et nisi illam sollicite mansuefeceris, cuncta simul disperdet, et lacerabit. S. Chrys. hom VI *in Matth.*

Ne, fratres dilectissimi, malum malo curate, nec contendite invicem calamitate mutua vincere. In rixa enim is inferior est, qui victor est, ac peccatis longe gravior discedit. S. Basil. in hom. *de Ira.*

Si non potes iram vitare, tempera; si non potes furorem cavere, cohibe. Isid. l. I *de Soliloq.*

Damnum.—Per iram sapientia perditur, ut quid quove ordine agendum sit, nesciatur. Per iram justitia relinquitur, quia, dum perturbata mens judicium sine ratione exasperat, omne, quod furor suggerit, rectum putat. Per iram gratia vitæ socialis amittitur, quia, qui se ex humana ratione non temperat, necesse est, ut bestialiter vivat. Per iram mansuetudo amittitur, per iram concordia rumpitur, per iram lux veritatis amittitur, quia cum menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit. S. Greg. l. V *Mor.*

Janua vitiorum omnium iracundia est, qua clausa virtutibus intrinsecus dabitur quies; aperta vero ab omne facinus armabitur animus. S. Hier. *in Prov.* l. III, c. XXIX.

David personam in se infirmorum sumens ait: Turbatus est præ ira oculus meus. Atque ex ipsa perturbatione quid sequatur, adjungit dicens: Inveteravi inter omnes inimicos meos. Ex ira quippe cum turbatus fuerit oculus cordis inter inimicos nostros ad vetustatem reducimur, quia inter malignos spiritus ad vetusti hominis similitudinem revocamur. S. Greg. l. VIII *Reg.* c. LI.

Neque injurias illatas vindicare cupiamus, neque hostiliter in proximum affecti simus. Nihil enim omnium Deus ita odit et aversatur, ut hominem ultionis avidum, et in animo suo perpetuas servantem inimicitias. Tantum enim ejus peccati damnum est, ut Dei misericordiam revocet, nec locum habere sinat. S. Chrys. epist. VIII.

Satius est, viperam vel anguem in corde tuo latere quam iram et rancorem. Illa namque nos repente relinquunt, hæc autem semper remanet, dentes infigens, infundens venenum, graves adducens cogitationes. S. Chrys. hom. XXXI, *ad Rop. Antioch.*

Quantum esse putas tormentum homini iracundo quotidie, qualiter inimicum ulciscatur, consideranti? Priorem semetipsum et punit et castigat, intra semetipsum tumens, adversus se pugnans et exardescens. Ibid.

Per omne vitium, quod ab hominibus perpetratur diversis utique modis misero cordi veternosi hostis virus infunditur; in iracundiæ vero peste, tota sua viscera serpens concutit, omnem fellis amaritudinem evomens fundit. S. Petrus Dam. l. VI, epist. XVII.

Ab ira procedit rancor, a rancore odium, quod est ira inveterata in animo; inde nascitur homicidium, et si non opere, saltem voluntate; inde contumelia, inde detractio, inde susurratio, suspicio, et injuria, quæ sunt opera carnis et Diaboli. S. Aug. ser. IX. *ad. FF.*

Est nociva bestia, sibi nocens, et alios

scandalizans, virus mortiferum, animam interficiens, et Spiritum S. expellens. Cum autem vim irascibilem obtinuit, statim introducit ibi suam familiam, quæ sunt rixa, furor mentis, contumelia, clamor, indignatio, et blasphemia. S. Bonav. *de Pug. Spir.* c. IV.

Ob iram ensis acuitur, inquit S. Basilius, mors homini ex homine venit, fratres inter se ignorantur, parentes ac liberi naturæ obliviscuntur, sed ante omnia se ipsos haud agnoscunt irati. S. Basil. h. *de Ira.*

De ira nota specialiter tria : scilicet odiosam ejus effigiem, ejus ruinosam perniciem, et ejus vitiosam propaginem. S. Bonav. *in Diæt.* c. V.

Superne accensa facie alio aspectu visendum exhibet iratum, eam formam, quæ omnibus consueta est, et nota, quasi larva quadam ; ut in scena fieri solet, prorsus immutans ; oculi consueti non apparent, sed ignei micantesque ; dentes acuunt, veluti sues grassantes ; vultu sunt liventi, sanguine suffuso, oris tumore increbescente, venæ obturbati intra viscera spiritus angustiam disruptæ ; vox aspera et intensa, sermo inconstans, et confusus, ac temere cadens, nec concinne, nec significanter, nec ex parte quidem prolatus. S. Basil. l. c.

Per iram certe Sancti Spiritus splendor excluditur; hujus scilicet habitaculum fieri mens improba non meretur; unde per Prophetam dicitur : « Super quem requiescit Spiritus meus nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos? » Nam cum humilem dixit, quietum consequenter addidit; quia, dum ira menti quietem simul et humilitatem subtrahit, suam Sancto Spiritui protinus habitationem claudit. S. Petrus Dam. l. IV, ep. XVII.

Ira vel odium aufert imaginem Dei, et characterem filiorum Dei, quem imprimit Charitas, imprimens characterem bestiæ, id est, Diaboli. Hic character imprimitur in corde, quando mens intrinsecus perturbatur; in fronte vero, dum per signum extrinsecus demonstratur ; in manu autem, quando ad proximi læsionem manus extenditur. Bellov. *Spec.* p. I, c. III, dist. I.

Si vituperatus vicissim vituperas, superatus es, non quidem ab homine, sed, quod turpius est, ab affectu illiberali, ira scilicet commotus; si vero tacueris, vicisti, et citra laborem trophæum erexisti, et infinitos habebis, qui te coronent. S. Chrys. hom. XXIV, *de Ira.* Ergo ira abstinendum est (consulit prudentissime Seneca) sive par est, qui lacessendus est, sive superior, sive inferior; nam cum pare contendere, anceps est ; cum superiore, furiosum; cum inferiore, sordidum; pusilli hominis et miseri est, repetere mordentem; mures et formicæ, si manum admoveris, ora convertunt; imbecillia se lædi putant, si tangantur. Sen. l. II, *de Ira* c. XXXIV.

Sicut acetum corrumpit vas si diutius ibi fuerit, sic ira corrumpit cor, si in alium diem duraverit. S. August. *in Epist.*

Ira homicidii radix est. S. Chrysost. *sup. Matth.* hom. XVI

Quanta sit iracundiæ culpa pensare possumus, per quam dum mansuetudo amittitur, superna imaginis similitudo vitiatur. S. Gregor. II *Moral.*

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Qualitas. — Dum imperante Henrico Tertio, eodemque in urbe Moguntina festum Pentecostes devote peragente, familiares Archiepiscopi et Abbatis Fuldensis propter præcedentiam (de qua inter se Archiepiscopus et Abbas contendebant) manus conserererent, templi pavimentum effuso utrinque sanguine conspersum fuit ; at vero mox Episcopis et aliis advolantibus, pax inter dissidentes composita est; cumque post templi profanati repetitam benedictionem, Missa solemnis in eodem celebraretur, hæcque verba recitarentur : « Hunc diem gloriosum fecisti, » audita est ex aere resonans vox dicens : « Hunc diem bellicosum ego feci » quam vocem Imperator audiens, facile sibi Dæmonis vocem esse persuasit, prout, revera erat, ac proinde respondit : Tu omnis malitiæ incentor et inventor diem bellicosum, et arrogantibus luctuosum fecisti, sed per gratiam Dei, qui illum gloriosum fecit, pauperibus gratiosum faciemus. Jussit igitur lautissimos mensæ suæ cibos inter pauperes distribui, quibus ipsemet Cæsareis manibus suis ministravit. March. *in Tuba Sacerd.* tr. IX, lect. III.

Inter alia exempla, quæ de antiquis Patribus leguntur, celebre est illud, quod de quodam illorum refertur; qui, cum ad iram proclivis esset, solitarius vivere statuit, ne haberet occasionem qua ad furorem iracundiæ concitaretur. Cum vero die quadam hy-

driam suam aqua implere vellet, hæc mox ut aqua impleta fuit, eversa est; secunda igitur vice eamdem reimplevit, et hydria impleta denuo corruit ; cumque tertia vice eamdem implesset, hydria eversa denuo omnem aquam effudit, unde ira percitus hydriam in minutas partes confregit. Tandem vero in se reversus agnovit, quia ab eodem Dæmone iracundiæ sit illusus, et dixit: Ecce ego solus sum, et vincit me ; revertar in congregationem, quia ubique labore et patientia opus est, et maxime adjutorio Dei. Mansi, dis. VIII, n. 2.

Iracundiæ deditus Frater, cum putaret, per Fratres suos occasionem iræ sibi ministrari, in solitudinem fugit; sed cum ibi etiam a Dæmone ter ei vas aquarum eversum esset, ideoque iratus ipse in terram illud allideret, demum videns, intus in animo latere radicem iræ suæ, ad Monasterium rediit, atque ad dictam radicem extirpandam animum applicavit. *Spec. Ex.* dist. II. ex. 110.

Iracunda quædam mulier, cum propter hoc vitium omnibus esset importabilis, et tandem a filiis ad S. Macarium adducta, et suasu illius, peccata sua confessa fuisset (quod numquam prius se fecisse responderat) repente tam mitis et mansueta evasit, ut nullis damnis aut contumeliis exasperari posset. Ibid. dist. VIII. ex. 47.

Saul, Rex Judæorum, cum audisset Davidem sibi odiosum ab Abimelech in Nobea civitate hospitio susceptum, ira et odio civitatem et hospitem incendit, incolis utriusque sexus interemptis. I. Reg. XV.

David Rex alioquin benignissimus, qui velut ex professo hostes suos diligere videbatur, Nabalis tamen superbiam et ingratitudinem cum ferre non posset ira incensus eum cum tota familia ad internecionem delevisset, nisi Abigail Nabalis uxor ipsum placasset. I. Reg. XX.

Considerans Jonathas, filius Saul, nequitiam patris sui contra David, surrexit a mensa ira furoris sui, et non comedit panem illa die. I. Reg. 20.

Fuga. — Christus aliquando S. Brigittam propter iræ motum leniter reprehendens eidem dixit : Ego Creator et Sponsus tuus propter te sustinui verba, tu vero impatiens adeo fuisti, ut verba portare non potueris. Ego stans ante Judicem tacui, et non aperui os meum ; sed tu acerbius respondendo, et exprobrando vocem tuam nimis exaltasti. Tu debueras omnia patienter tolerare propter me, qui clavis affixus fui pro te ; debueras per patientiam eum, qui erravit, ad meliora provocare. Sis ergo post hæc cautior, ubi ab aliquo ad iram provocata fueris, non facile loquaris, donec ira ab animo tuo recedat. Transacta autem animi commotione, et causa ipsius commotionis diligenter pensata, poteris loqui cum mansuetudine. Quod si loquendo nihil proficeres, et tacendo non peccares, melius faceres, et majus meritum acquireres, si sileres. Lud. Blosius c. IV. *Monil. Spirit.*

Abbas Agathon dicere de se solebat : Numquam litem habens cum aliquo dormivi, sed nec permisi aliquem mecum litem habentem dormire, quantum ad virtutem meam pertinuit, nisi prius cum illo in pacem redirem.

Cum Joannes Abbas ab antiquo suo sodale Pesio in eremo vastissimo commorante quæreret, quid per quadraginta annos ibi egisset, illeque respondisset : Numquam me sol reficientem vidit ; subjecit : Nec me unquam iratum ; licet magna Fratrum multitudini præfuissem. Cass. l. V. *Inst.* c. XXVI.

De S. Martino scribit Severus Sulpitius : Nemo unquam Martinum vidit iratum, nemo mœrentem, nemo ridentem. Unus idemque semper cœlestem lætitiam vultu præferens. Surius, *in Vita*, 11. nov.

Cum S. Spiridioni ad aulam a Constantino Imperatore vocato quidam eum in lacera veste incedentem conspicatus, alapam infregisset, ille consilium Christi secutus mox alteram quoque genam porrexit, itaque hoc facto cor percutientis permovit, ut illico ad pedes procidens veniam petierit. Idem, 24 dec.

S. Ephrem dicitur primum iracundiæ intemperanter subjectus fuisse, et ob eam causam monasticam vitam exercuisse, ne a quopiam irasci videretur. Cum igitur illi, ubi plures dies more suo jejunasset cibum minister afferens ollam fregisset, et hunc pudore ac metu teneri cerneret : Bono sis animo, inquit, ad cibum nos eamus, quandoquidem ille usque ad nos non venit. Et fragmentis ollæ assidens pransus est. Sozom. l. III, *Hist. Eccl.* c. XV.

Post mortem illustris Imperatricis Placillæ, Theodosius pro suo in illam amore, nec non propter ejus excellentem virtutem, statuam æneam erigi jusserat Antiochæ; quam populus (ob novum tributum indic-

tum) tumultuans dejecerat. Unde Imperator ad eam injuriam vindicandam milites convocavit. Sed Macedonius vir divina gratia plenus, ad aulæ Principes his verbis est usus : Ut mandata hæc ad Imperatorem referatis, dilecti filii, oro. Meminisse te, o Imperator, oportet, non solum Principem, sed hominem etiam te esse. Proinde non ad Imperii tantum amplitudinem respice, sed naturam ipsam considera. Quum enim homo sis, hominum tibi Imperium commissum est, qui cum ejusdem tecum sint sortis, et conservi adeo tui; jam ab ipsa creatione, imagine Dei cohonestati sunt. Itaque ne tam vesana audacia adversus divinam imaginem grasseris, vide; imaginis enim Dominum ad iram concitabis, si in eos, qui imaginem illius gerunt, sævias. Tum autem illud etiam te displicere decet, te propter æream imaginem multitudini infensum, crudeliter in eam animadvertere velle. Quanto autem imago animata inanimatæ præstet, quid dicere opus est? Nam id eis etiam, qui vel mediocrem obtinuerint mentem, constat; illud præterea fac, cogites, nobis quidem perfacile esse, plures ex ære facere imagines pro una illa, quam vecordi temeritate insana plebs comminuit; te autem nequaquam efficere posse, quamtumvis contendas, ut vel capillum unum eorum, qui cæsi sunt, creare valeas. Hæc illi a sene sapiente audita, sicuti simpliciter dicta erant, ita Imperatori renuntiarunt. Non parum etiam Flaviani Episcopi legatio illis profuit, ut iræ flamma in Imperatore extingueretur. Postea namque ira et minis omissis communem populo scripsit defensionem, crimen illis condonavit. Niceph. l. XII, c. xliv.

S. Petrus Damianus, Prælatus et Cardinalis dignissimus, ex naturali indole sua iræ deditus erat; sciens autem, quam in illa dignitate necessaria sit mansuetudo, audite quidnam in Epistola quadam a principio allegata de semetipso scripserit; postquam enim ibidem damna ab ira proficiscentia prolixe exposuisset, subjungit: Porro autem, et me, qui hæc utcumque scribo, naturalis iracundiæ conspersio stimulat, ac sæpe levissima quælibet offensa concussa meæ quietis arcana perturbat, ut in me plerumque, quod vix est ac, vel spina leviter punctum, phalarico telo mihi videatur esse perfossum. Sed hæc intrinsecus; quantum vero ad opus, dicat ira quod vult, frendeat, fremat, dentibus strideat in omnibus his, quæ mihi interius suggerit, in quantum negare potuero meum extrinsecus adjutorium non habebit, licet inflata turgeat, sufflet, furat, sæviat, intumescat; ego illi membra mea non dabo, ut per ea quasi per arma, quod conatur, efficiat. Nolite, inquit Apostolus, exhibere membra vestra, arma iniquitatis peccato. Non enim illi do manum meam, ut per eam inflata percutiat, vel aliquid capiat. Non linguam, non labia moveo, ut per eam suis fellis amaritudinem fundat. Dum ego itaque sævienti iræ penitus hæc auxilia denego, necesse est, ut mox velut sine pabulo flammam flaccescat, aut prorsus intereat, aut tamquam ventus inoffenso aere inaniter transeat, dum obstaculum deest, in quo præcipitanter impingat. S. Petrus Dam. l. IV, epist. xvii.

S. Joannes Eleemosynarius, Patriarcha Alexandrinus, aliquando propter pauperes cum Niceta contenderat, Imperatoris cliente, non parum indignatus quod inopes videret pessumdari, nihilominus se ipsum de hac alteratione reprehendere cœpit, seque ita loqui : Non vides, quoniam sol ad occasum vergit? Non recordaris præcepti Apostolici? Moxque vocatis sacerdotibus, eos ad Nicetam ablegavit, ut dicerent : Sol ad occasum est. Quo hic audito, intenerascere cœpit, ita ut mutuam, longe strictiorem, quam unquam, renovarit amicitiam. Mansi, dis. xiv, n. 9.

In Patrum antiquorum vitis de sancto quodam seniore, cui nomen Isidorus, legitur, quod aliquando, cur Dæmonibus adeo formidabilis esset, interrogatus, responderit : Ex quo factus sum Monachus, studeo, ne permittant iracundiam usque ad facies meas ascendere. *Vit. PP.* l. IV, p. 2.

Fuit quidam Monachus in eremo Scithi; venit autem ad visitandos S. Patres in loco, qui dicitur Cellia, ubi multitudo Monachorum divisis habitat cellis. Cumque non inveniret ad præsens cellulam, ubi posset manere, quidam de senioribus habens aliam vacantem cellulam, dedit ei dicens : Interim repausa in hac cellula, donec invenias, ubi possis manere. Cumque ad visitandum eum convenirent quamplurimi Fratres, desiderantes ab eo audire verbum salutis æternæ, habebat enim spiritualem gratiam docendi verbum Dei, videns ille senior, qui ei ad habitandum præstiterat cellam, invidiæ livore cor ejus vulneratum est, et indignari cœpit, ac dicere : Quoniam ego tantis temporibus in loco habito, et ad me non veniunt

Fratres, nisi rarissime, et hoc in diebus festis, et ecce ad istum impostorem pene quotidie Fratres quamplurimi vadunt. Dixitque discipulo suo : Vade, et dic ei, ut egrediatur de cellula illa, quoniam necessaria mihi est. Cum autem perrexisset discipulus ejus ad illum Fratrem, dixit ei : Mandavit Abbas meus sanctitati tuæ ; jube ei per me mandare, qualiter habeas, audivit enim te infirmari. Ipse vero remandavit ei, dicens : Ora pro me, Domine, quia valde stomachum doleo. Reversus autem discipulus dixit Abbati suo : Nimis rogat sanctitatem tuam, ut vel duos dies jubeas ei inducias dare, ut possit sibi aliam cellam providere. Transactis autem tribus diebus, iterum misit discipulum suum, dicens : Vade, dic ei, ut egrediatur de cellula mea. Nam si rursus distulerit, dices ad eum ; quia continuo venio, et cum baculo cædendo expello eum de cella mea. Pergens autem discipulus ad supra dictum Fratrem dixit ei : Quoniam valde sollicitus est Abbas meus de infirmitate tua, ideo misit me requirens, si melius habeas. At ille respondens dixit : Gratias ago, Domine sancte, charitati tuæ, quia sollicitus de me, verumtatem precibus tuis melius habebo. Reversus autem discipulus dixit Abbati suo : Etiam et nunc deprecatur sanctitatem tuam, dicens, ut usque ad diem Dominicum expectes, et statim egredietur. Cum autem advenisset Dominicus dies, et non egrederetur ; accipiens vectem senior, inflammatus invidiæ, et iracundiæ spiritu, pergebat, ut cædendo expelleret eum de cellula sua. Accedens autem discipulus ejus dixit ei : Si jubes, Pater, præcedo te, et video, ne forsan aliqui Fratres ad salutandum eum venerint, et si viderint te, scandalizentur. Præcessit ergo discipulus, et ingressus ad eum dixit : Ecce Abbas meus venit ad salutandum te, egredere ergo celerius, et cum gratiarum actione occurre ei, quia pro nimia charitate et dilectione venit ad te. Qui statim surgens cum nimia alacritate occurrit ei. Cumque vidisset eum, antequam approximaret ad eum, prostravit se pronus in terram, adorabatque senem, cum gratiarum actione dicens : Retribuat tibi Dominus, charissime Pater, bona æterna pro cellula tua, quam mihi propter nomen ejus præstitisti, et in cœlesti Jerusalem inter Sanctos suos Christus Dominus tibi gloriosam et splendidam præparet mansionem. Hæc autem audiens senior, compunctus est corde et projiciens baculum recurrit in amplexus ejus, et osculatus est eum, et invitavit illum in cellulam suam, ut pariter cum gratiarum actione sumerent cibum. Vocavit autem senior supra memoratum discipulum suum, et interrogavit eum, dicens : Dic mihi, fili, si dixisti verba isti Fratri, quæ propter cellulam mandavi, ut diceres ei. Tunc discipulus ejus confessus ei, dicens : Vere, Domine, dico, quia propter humilitatem, quam tibi exhibere debeo, tamquam Patri et Domino, ideo non audebam respondere tibi aliquid, quando me mittebas ad eum. Verumtamen nihil eorum dixi ei, quæ mandabas ad eum. Hoc audiens senior, statim prostravit se ad pedes ejus, dicens : Ex hodierna die tu meus Pater esto, et ego discipulus tuus ; quoniam te festinante et moderante, ac cum timore et charitate Dei agente, et meam et illius fratris animam de peccati laqueo Christus Dominus liberavit.

Damnum. — De Mathia, Rege Hungariæ, legitur, quod, cum ipsi ad mensam accumbenti diceretur, legatum Franciæ adesse, ut ipsum Regis sui nomine veneraretur, servis suis recentes apponere ficus jusserit ; cui cum servi nullas ficus superesse responderent, adeo vehementer iratus fuerit, ut subito ex apoplexia mortuus conciderit. Ibid. disc. IX, n. 6.

In Historiis de Wenceslao, Rege Bohemiæ, sequentia leguntur. Cuidam subito offensus morti eum adjudicare parabat, itaque ab iracundia est superatus, ut brevi paralysi convulsus, membrorum officio destitutus, in terram caderet, pauloque post moreretur. Ibid.

Valentinianus Imperator expeditionem in Sarmatas et Quados facturus, legatis eorum pacem rogantibus, simul intellexit, quod rogarat, eos videlicet suæ gentis honoratissimos esse, tantopere ob indignationem eorum, imperium suum exagitantium, stomachatus est, ut ruptis venis atque arteriis sanguine exhaustus, mortuus subito corruerit. Ibid.

In quadam historia Patavina funestus hic legitur eventus, de duobus antiquæ et nobilis familiæ fratribus, ex familia nimirum Liminæa Patavina antiquissima. Dum enim sub intempesta nocte vice quadam foris extra domum consistentes, cœlum suspicerent stellatum, unus eorum dixit : Utinam tot boves haberem, quot in cœlo sunt stellæ! Alter vero ex joco subjunxit : Utinam cæ-

lum pratum quoddam esset, et in mea proprietate et dominio positum, in quo tu votivos hosce boves tuos pascere cogereris. Subjunxit alter : In tuone prato ego boves meos pascam. Respondit ille : Quid si ego nollem? Subdebat alter : Etiam te invito illos in pascua tua ducerem. Itane, inquit alter, in meum despectum hoc faceres? Tandem joco in furorem mutato, a verbis ad verbera, a verberibus ad enses deventum fuit, quibus unus alterius viscera transegit. Ibid. disc. III, n. 9.

Longe deplorabilior est alter quidam casus, qui nostro hoc contigit sæculo, si auctori illum referenti fidem habere volumus. Audi igitur, quod novimus de facto contigisse ævo nostro, inquit ille. Quidam ira quasi furia infernali agitatus, cum in hostem incidisset, pedibus suis terebat diu prostratum, quasi deliberando, quanam via, furori, et odio concepto satisfacere posset. Tandem urget, ut Deum abneget, alioquin mucrone jam jugulo incumbente se illum confossurum esse asserit; spem autem evadendi ei dabat, si modo abnegaret. Hærebat ille sub pugione trepidus, et mortem horrebat imminentem, quam sperans evadere, et peccatum postmodum pœnitentia diluere, in Dei abnegationem ore sacrilego prorumpit, verum id malo suo æterno et irrevocabili. Mox enim eum alter perfodit, ubi ab negationem extorsit; haneque adjecit consolationem satanicam : Jam tandem satiabor, jam in eo me solabor, quod tibi non solum corporis, sed et animæ perennem salutem ademerim. MARCH. l. c.

In vita Divi Chrysostomi de Eudoxia Imperatrice refertur, quod, cum sancto huic Episcopo irata esset eumdem hæreseos coarguere conata fuerit, ut in exilium ipsum proscribere posset; hoc igitur fine Epiphanium, Episcopum Cypri, partibus suis adsciscere sategit, qui dum illam hortaretur, ut se cum S. Doctore reconciliaret, illa rabie et furore plena respondit : Nisi tu, Epiphani, adjuveris, ut Joannes exilio mulctetur, ego clausa idolorum templa aperiam, omnibusque ea adoranda proponam. MANSI, disc. III. n. 9.

Abbas Stephanus cum totus ejus ager ad messem paratus ab improbo quodam vicino succensus esset, et alius, ut hoc nuntiaret, ad eum accurrens diceret : Væ, væ, Pater Stephane, totus ager tuus incendio absumptus est? respondit : Imo, mi Frater, væ illi, qui hoc fecit; me enim parvo, seipsum vero maximo damno affecit. S. GREG. l. IV *Dial.* c. XIX.

Aleator quidam cum omnem lusu pecuniam perdidisset, tanto furore correptus est, ut post gravissima convitia in collusores, ac horrendas blasphemias in Deum, cœlitesque prolatas, ipsas denique in sacello quopiam Christi crucifixi, B. Virginis, aliorumque Sanctorum statuas agressus, gladio in multas partes dissecuit. Ex quibus vulneribus cum non aliter sanguis, ac si viva forent corpora proflueret, ille attonitus, in loco tamdiu stetit, donec deprehensus in fragranti crimine, et paulo post in urbe Moguntina exustus est. MARCH. *Tub. Sac.* tr. VI. lect. II.

Abbas Moyses, sanctitatis fama celebris, quia iracundiori verbo S. Macarium perstrinxerat, subito a Dæmone possessus est. CASSIAN. Col. VII, c. XXVII.

Cum in Brabantia quondam Jacobo de Vitriaco, Cardinale, expeditionem adversus Barbaros promulgante, quidam in publica concione veniam ab altero peteret, isque adhuc pertinaciter negaret, paulo post is eodem in loco in terram corruit, oculos horrendum in modum rotavit, oreque sanguinem tamdiu spumavit, donec a Cardinale accurrente, et cum populo in preces effuso, a terra levatus atque ad mentem revocatus, in collum inimici ruit, et veniam petiit. THOMAS. CANTIP. l. II, *Apum.* c. XVI, p. 2.

In monte Calvariæ, cum, anno 1419, mulier quædam ab adolescente quopiam per nimiam multitudinem truso, levi impulsu ad terram prostrata fuisset, et illo veniam, flexo poplite ac junctis manibus petente pertinaciter negasset, toto populo inspectante, a Dæmone abrepta, et in puteum dejecta est. S. BERNARDINUS, serm. XII, *Quadr.*

Cum Sanctus Franciscus in loco Portiunculæ quadam vice orationi vacaret, vidit totum Monasterium a copioso Dæmonum exercitu circumdatum, nec tantum ullum eorum intrare potuisse ob sanctitatem Fratrum, donec tandem a Fratre quopiam, qui vindictam et odium adversus alterum conceperat, ostium uni Diabolorum apertum est; qui tamen, ubi Frater ad S. Franciscum vocatus, culpamque fassus deprecatus est, mox iterum aufugere debuit. Ib. *V. Ira.* ex. II.

Theodosius Imperator cum in populari tumultu unus ex aulicis illius occisus fuisset, adeo vindictæ cupidine exarsit, ut cives

sub spectaculi specie convocatos, quorum septem millia fuerant, inaudita barbarie ad unum omnes occidi jusserit. Quam ob causam a S. Ambrosio communione Fidelium privatus, nec nisi post integrum fere annum, publicamque pœnitentiam ac veniæ petitionem restitutus est. BARONIUS, *ad annum*. 300.

Gothorum Rex, Totila, recepta Urbe Roma, quam ei Belisarius a Justiniano in Italiam missus ademerat, oratores ad Justinianum Constantinopolim misit petitum, ut ipsius Justiniani auspicio ac nomine obtinere ac regere urbem ipsam liceret; cum autem accepisset, conditionem repudiare, repente immanem Regem atrox ira ita impulit, ut Urbem, quam mortales alii spectando admiratione capiebantur, quæ orbis terrarum erat caput, et cujus jam possessor erat, incendio ruinisque totam deformaret, muris quoque nudatam quadraginta diebus feris, ut in ea stabularentur, donec denuo ipsa Belisarius potiretur. B. FULG. l. IX.

Eo bello, quod cum Belisario Gothi gesserunt, cum unus militum Constantini Tribuni, Romano juveni insignem specie ensem ademisset, atque Constantinum Belisarius reprehenderet, quod tam insolenter agi a sui ordinis milite pateretur, reprehensionique minas pro imperio adderet, nisi gladius repræsentaretur, adeo indigne eam rem Constantinus tulit, ut præ magnitudine iracundiæ Belisarii dignitatis ac vitæ suæ immemor, pugione quo accinctus erat, Belisarii pectus peteret, propter quod facinus statim comprehensus, ac laqueo enectus fuit. Idem.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius ita iram suam perdomuerat, ut, cum calidus natura, constitutione biliosus esset, propter summam tamen lenitatem, quam in omni sermone, vitæque consuetudine adhibebat, frigidus ipsis medicis, lentusque potius videretur. RIBAD. l. V, *Vit.* c. II.

Joannes Ferdinandus, cum, Amanguzii, ad populum verba faciens, salivam a Japone quodam in os conjectam excepisset, nihil tanta injuria commotus est, sed solo strophiolo salivam abstersit, et dicere perrexit. *Hist. Soc.* IV, l. II, n. 19.

P. Franciscus Suarez, licet sæpe in publicis disputationibus occasionem haberet iram concipiendi, nulla tamen unquam verborum acrimonia aut aculeo usus, nullum commoti animi signum dedit. *Biblioth. Script.* s. III.

P. Ferdinandus Rebellus, etsi sæpe asperis verbis inter disputandum acrius pungeretur numquam tamen vel licentius respondit, vel ullum irati animi signum dedit, ita ut ab Academicis alter Job diceretur. *Annal. Eborac.* 1608.

P. Paschasius Broettus cum socio Lutetiæ prope messores transiens, cum ab iisdem convitiis appeteretur; baculo suo innixus tamdiu perstitit, donec illi pudore et satietate abstracti convitiari desinerent; tum enim se erigens, suavissimeque illos intuens: Deus benigne vobis faciat, filii, ac benedicat! Simulque crucis signo facto eisdem benedixit. *Hist. Soc.* p. II, l. VI, n. 95.

EXEMPLA PROFANA.

QUALITAS. — Augustus Cæsar cum quondam in mari gravi tempestate jactatus, vitæ periculum vix evasisset, Neptunum, maris deum, ad certamen provocavit, ejusque imaginem e deorum numero auferri jussit. MARCH. *Tub. Sac.* tr. IX, lect. II.

Cambyses, Cyri Regis filius, cum a quodam privatim moneretur, non esse decorum Regi, in quem alii velut spectaculum oculos conjiciunt, nimio potu, ut assolebat, se ingurgitare, tantopere exarsit, ut monitoris filium adduci coram se jusserit, sumptoque arcu et sagitta cor ejus transfixerit dicens: Vide, an Regis ebrii certa sit manus et oculus? Ib. lect. V.

Judex quidam, cum miles quispiam accusatus fuisset de morte commilitoni illata, eo quod simul jussi fuissent iter conficere, et solus ipse reversus esset, mox eumdem ad mortem damnavit. Cum vero eo ad supplicium ducto alter miles compareret, ideoque Centurio, cui reus traditus fuerat, cum velut innocentem ad Judicem cum commilitone reduceret, hic ira accensus, omnes tres ad mortem damnavit, primum, quia jam condemnatus erat; commilitonem reversum, quia socio mortis causa erat; Centurionem, quia militem occidere jussus, id executus non fuerat. Ibid.

De Caio Caligula Imperatore refertur, quod, cum pretiosissima ingenti pompa, sumptuumque dispendio præparasset spec-

tacula, eodem vero die, quo exhibenda erant, continuæ de cœlo decidentes pluviæ, tonitrua, et fulgura, omnia ejus destruxissent consilia, indignatus acerbissime, ipsummet Jovem in duellum provocavit, dicendo cum Homero : Aut tolle me, aut ego te. Magnis quoque injuriis Jovem affecit, suis namque militibus, ut suas in cœlum sagittas evibrarent, præcepit, licet hæ in terram recidentes, magnam in populo stragem effecerint. Mansi, disc. III. n. VIII.

Cum Babylonem oppugnaturus Rex Cyrus festinaret ad bellum, cujus maxima momenta in occasionibus sunt, Gynden late fusum amnem vado transire tentavit; quod vix tutum est, etiam cum sensit æstatem, et ad minimum deductus est. Ibi unus ex his equis, qui trahere regium currum alibi solebant, abreptus, vehementer commovit Regem; juravit itaque, amnem illum regiis equis meatum auferentem, eo se redacturum, ut transiri, calcarique etiam a feminis posset. Huc deinde omnem transtulit belli apparatum, et tamdiu assedit operi, donec centum et octoginta cuniculis divisum alveum in CCC et IX rivos dispergeret, et siccum relinqueret in diversum fluentibus aquis. Periit itaque et tempus, magna in vanis rebus jactura, et militum ardor, quem inutilis labor fregit, et occasio agrediendi imparatos, dum ille bellum indictum hosti cum flumine gerit. Senec. l. III, *de Ira*. c. XXI.

C. Cæsar iratus cœlo quod obstreperet pantomimis, quos imitabatur studiosius, quam spectabat, quodque commessatio sua fulminibus terreretur, ad pugnam vocavit Jovem: Quanta dementia fuit! Putavit, aut sibi noceri ne a Jove quidem posse, aut se nocere etiam Jovi posse. Non puto parum momenti hanc ejus vocem ad incitandum conjuratorum animos addidisse. Ultimæ enim patientiæ visum est, eum ferre, qui Jovem non ferret. Idem l. I, c. XVI.

Ira (etsi temulentia mixta) Alexandrum Macedonem totius Orientis victorem, in Clytum nutricis suæ filium, a quo fuerat ad Granicum amnem servatus, perniciose armavit, et quem provinciæ præfecerat, convivio adhibuerat, subita ira accensus, ferro trajecit. Sabel, l. II.

Pyrrhus Rex, Sicilia relicta, primo in Italiam appulsu in Mamertinorum phalangem incidit, qui non ausi Regem a fronte lacessere, extremum agmen adorti, duos elephantos, et eos qui circa belluas dimicabant, prius quam Rex eo occurrerit, oppressere, et jam cœperat turbari extremus ordo, cum Pyrrhus suorum periculo commotus, in medium sese certamen injecit ; hic accepto vulnere, ægre hostem a se propulsabat, anceps itaque erat pugna, cum Mamertinorum unus procera statura armis fulgens, atque in medio stans Regem, si viveret, ad pugnam provocat; ea demum contumelia Rex inflammatus, ei occurrit, ac tam valido ictu hostem percussit, ut ferrum capiti adactum ita ad ima descenderit, ut magno spectantium stupore dimidiatum corpus in duas partes abierit. Ibidem.

Fuga. — Diogeni de ira disserenti adolescens protervus inspuit, tulit hoc ille leniter ac sapienter : Non quidem, inquit, irascor ; sed dubito tamen, an irasci oporteat. Senec. l. III, *de Ira*, c. XXXVIII.

Catoni causam agenti, cum in frontem mediam, quantum poterat, attracta pingui saliva, inspuisset Lentulus ille, Patrum nostrorum memoria factiosus et impotens, abstersit faciem, et : Affirmabo, inquit, omnibus, Lentule, falli eos, qui te negant os habere. Ibid.

Architas, Tarentinus Philosophus, ad villicum suum, qui ei indignationis occasionem præbuerat, dixit : O te felicem, quoniam egregie te punirem, nisi iratus essem! Sen. l. III, *de Ira*, c. XII.

Alexander Magnus, cum a matre Olympiade, vindictæ ardore incensa, ad condemnandum virum innoxium impelleretur, respondit : Pete aliud, mater; vita enim hominis nulla alia re compensari potest. March. l. c. lect. V.

Cotys, Rex Thracum, cum ad iram proniorem se adverteret, accepta quondam dono vasa fictilia valde pretiosa confringi jussit, ne, si a ministris frangerentur, ipse ad iram moveretur. Ravisius Textor, *in Officin.* l. V, c. XXV.

Qua ratione Ausonius Poeta iram suppresserit, ipse sequenti distico confessus est :

Irasci promptus properavi condere metum,
Atque mihi pœnas pro levitate dedi.

Damnum. — Isaacus Calo, Joannis Imp. Constantinopolitani filius, imperio excidit, prælato ei fratre Manuele natu minore tantum ideo, quod, ut pater ipse moriens monuerat, ad iracundiam pronior esset, et qua vis de causa effervescente bile moderari animo non posse. Id quod alioqui sic expres-

sum memini, quod Imperio exciderit, prælato ei fratre minore, eo quod ad iracundiam esset proclivior. Sic enim pater jam moriturus ad proceres Imperii inter cætera ait : Filii mei, quamvis eodem patre nati, tamen diversis præditi sunt ingeniis, qui, etsi ambo et viribus corporum, et dignitate vultuum, et animarum gravitate præcellunt, tamen natu minor Manuel ad Imperii administrationem mihi aptior videtur. Nam Isaacus sæpius ira percitus mihi adstitit, et quavis de causa bile effervescente, moderari animo non potest, quæ res inimicissima consilio sapientes perdit. Nicetas Choniates, *in Annal.* l. xxi, n. 4.

Julianus Apostata, quia nimia in Christianos ira odioque flagrans, omnes tollere decreverat, jamque ideo bellum illis inferret, subito sagitta de cœlo missa vulneratus, inter illas voces : Vicisti, Galilæe, vicisti ! Saturare, Nazarene, saturare ! misere expiravit. March. l. c. lect, v.

Herodes Rex, cum delusum se a Magis videret, adeo exarsit, ut omnes infantes a bimatu, et infra, in omnibus urbibus Bethlemiticis horrenda nece perimi jusserit. Matth. ii.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut humorum immoderatio stomachum vexans, ut plurimum omnia ejicit; ita immodicus fervor animam vexans ea tegere, quæ tacere bonum est, non permittit. S. Chrys. hom. xiii, *ad Pop.*

Sicut secundum ligna silvæ exardescit ignis; sic homo secundum virtutem et substantiam suam exaltabit iram suam. Eccl. xxviii, 12.

Sicut debilis stomachi est, duriorem cibum non posse concoquere; ita pusillanimi est, verbum durisculum non posse sustinere Arist. l. IV *Eth.*

Sicut in maris tempestate tumultus multus, clamor magnus reperitur, nec ibi quis philosophandi tempus habet; ita nec in ira. S. Chrys. hom. xxxi, *ad Pop.*

Sicut nec solis radius cernitur, cum commotæ nubes cœli faciem obducunt, nec turbatus fons inspicientis imaginem reddit, quam tranquillus ostendit; sic animus ira commotus nihil videt. Stapl. *in Dom.* 5 *post Pent.*

Sicut fur ad furandum noctem obscuram diligit, lupus turbulentum tempus, quo gregem invadat, expectat, piscator fluvium quærit turbidum ad rete tenendum; ita Dæmon rapacissimus prædo, vorax lupus, et piscator astutus, iracundiæ tempus observat, ipseque interdum ad iracundiam movet, ut ejus occasione in mille mala hominem præcipitet. Stapl. *in Dom. Pass.* c. vii.

Sicut arboris trunco commoto et agitato frondes et rami mira statim celeritate agitantur; sic corde per iracundiam turbato, illico omnia corporis membra celerrimam agitationem patiuntur, lingua garrit, oculi inflammantur, crura tremunt, manus et brachia ad ultionem armantur, saxa volant, furor arma ministrat. Ibid.

Sicut si sera interiores machinas laxatas turbatasque habet, ac aperiri, nec claudi potest; ita si præ iracundia interius animus conturbatur, neque ad ea, quæ rationi consentanea sunt percipienda, neque ad verum ipsum discernendum aptus est. Ibid.

Sicut superior pars mundi omni tumultu et tempestate caret, inferior autem ventis agitatur, et fulgure feritur; sic sublimis animus semper sibi similis est, imbellis autem et ignavus iracundiæ aliarumque passionum motibus subjectus est. Ibid.

Sicut naves egregiæ sunt, non quæ sereno cœlo navigant, sed quæ tempestati resistunt, et servantur; sic homines iræ resistentes magni et fortes censendi sunt. Langius, *in Polyant.* f. 601.

Sicut olla ebulliens undique effundit aquam fervidam, nec facile tangi se patitur; ita cor iracundia æstuans neminem admittit monitorem et correctorem. Hinc Sapiens ait : Os fatuorum ebullit stultitiam. Prov. xv, 2.

Sicut in humanis corporibus febris quidem una est, sed multas habet ardoris causas; sic iræ motus et incendium, uti reliquorum vitiorum morbi, multas et varias origines habent et fontes. Quot namque iræ vitiosæ sunt causæ, totidem disordinationes et mala sunt, quæ eidem sociantur. S. Clim. grad. viii.

Sicut quando ignis non potest evaporare, et ipsi non subministratur materia, quam absumat, crudescit in seipsum; sic iracundus creparet, nisi evaporaret, et respiraret per verba contumeliæ. S. Anton. Pad. s. *in* ser. v, *post Dom.* 3 *Quadrages.*

Sicut aper ex furore impingit, et currit contra gladium; sic iracundus currit ad peccatum, scilicet contentionem, injuriam, et homicidium. S. Bonav. *in Dæt.* c. i.

Sicut canis insanus saxo percussus, dum percutientem sequi non prævalet, ad ipsum furore convertitur lapidem, quem pedibus, dentibusque dissipare perquirit ; non aliter Herodes sua præcipitatus iracundia, solitoque suæ mentis furore, in infantium cæde versatus, et concitatus est. Orig. *in divers.* hom. III.

Sicut sævissima etiam bellua, quamdiu quidem continetur infractis carceribus, etiamsi efferetur et vociferetur, neminem poterit lædere ; quando vero iræ dominatus invaluerit, perfractisque, quæ interjecta erant, repagulis, poterit exilire, omni tumultu et conturbatione replet civitatem, et omnes abigit; ita etiam in bile, quamdiu quidem continetur suis finibus, nobis non magnum facit malum ; postquam autem rupta est, quæ eam continebat, membrana, nihil vetat, quo minus de cætero in universam diffundatur naturam. S. Chrys. hom. XV *ad Eph.*

Sicut si lapis in præceps eat, contra omne, quod invenit, impetu fertur ; ita etiam asper, audax, si ferocitatis et furoris vim ferat, a nullo vel verbo, vel opere abstinebit, Deum etiam, sicut hominem linguæ suæ immoderantia et iræ impotentia invadet. S. Cyrill. Alex. l. VI *contr. Jul.*

Sicut furentium certa indicia sunt, audax et minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra et vehementius acta suspiria ; ita irascentium eadem signa sunt. Flagrant et micant oculi, multus ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordiis sanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum seipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque et parum explanatis vocibus sermo præruptus, et complosæ sæpius manus, et pulsata humus pedibus, et totum concitum corpus, magnasque minas agens, fœda visu et horrenda facies depravantium se, atque intumescentium. Nescias, utrum magis detestabile vitium sit, an deforme. Senec. l. I, *de Ira*, c, I.

Sicut canes catulos suos cæcos parturiunt ; ita quoque cogitationes, desideria, affectus, consilia iracundorum cæca sunt, omnisque luminis, vel rationis, vel discursus expertia. Unde S. Nilus ait : Iracundia canum in morem cæcas cogitationes parit. S. Nilus, orat. *de Ira.*

Sicut Hippocrates ait, eum morbum esse gravissimum, qui faciem ægrotantis quam maxime mutet in diversum ; ita conspiciens alios ob iram maxime sibi excedere, et vultum immutantes, colorem, incessum et vocem in diversum vertere. Plutarc. *de cohib. Ira.*

Sicut adversus pestilentiam nihil prodest firmatas corporis, et diligens valetudinis cura, promiscue enim imbecilla, robustaque invadit ; ita ab ira tam inquietis moribus periculum est, quam compositis et remissis. Senec. l. III, *de Ira* c. V.

Sicut ex collisione duorum corporum elicitur ignis, *quia sicut ex collisione*, ita ex amaris verbis, aliquorum ira concitatur. (Prov. 15.) *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem.* S. Albert. M. l. XXXI *Cath. ver.* c. XVII.

Damnum. — Sicut si infles in scintillam ignis, excitas incendium, contra vero si inspuas, extinguis, et utrumque tibi in manu tua est ; sic si inflatos et vecordes inferas sermones, excitas ignem iracundi hominis, sin mites ac moderatos admoveas, priusquam excandescat, iram omnem extinxeris, S. Chrys. hom. *de non adeund. Spectac.*

Sicut apes eodem tempore, quo iracundæ aculeum iis, quos invadunt, affigunt, simul quoque semetipsas interficiunt ; sic, cum iracundi multoties taliter irascuntur, quod absque judicio rationis ad lædendum alios animantur, sæpe fit, quod quantum ad Deum, et quantum ad mundum, corpus et animam perdere dignoscuntur. Bernorius, *apud Mansi*, disc. IX, n. 6.

Sicut vir honestus et gravis obscœnum diversorium aversatur ; sic Deus iracundi pectus ; et ut fumus oculos turbat, sic ira animum. S. Nilus, *de octo Vit. cogit.*

Sicut equo operiuntur oculi, ut circumeat in molendino, et sicut Philisthiim Samsonis oculos eruerunt, et clausum in carcere molere fecerunt ; ita per iram gratiæ lumen amittitur, quia mentis oculos excæcat. Bellov. l. III *Spect.* I, p, II. dist, I,

Sicut venenum aspidum, ita se habet iracundia, quoniam et formam atque aspectum immutat, et mentem conturbat, et nervos dissolvit, et ad operandum imbecilitatem affert. S. Ephr. *de Tim. Dei.*

Sicut vinum, cum ultra satietatem infunditur, omnes sensuum meatus, ac cerebri membranas implet, mentemque in dementiam convertit ; ad eumdem modum iracundia extra metas suas prosiliens, mentem te-

mulentam reddit, eam videlicet furore afficiens. S. Isidor. Pelus. l. II, epist. 479.

Sicut adamas si confringitur, in minutissima dissilit frusta; ita arcta necessitudo, si quando contingat dirimi, in summam vertitur simultatem, et ex arctissimis fœderibus, si rumpantur, maxima nascuntur dissidia; supra modum incandescit semel victa lenitas. Arist. *ap Stobœum* 5, 18.

Sicut ruinæ cum eo, quod oppresserunt, pariter franguntur; sic iratus non tantum alios, quibus irascitur, sed etiam seipsum lædit. Stapl. tex. vii, *in Dom. Passion.*

Sicut vespa semel irritata, non tantum in homines sed saxa etiam impingit, sed sibi potius, dum aculeum lædendo perdit, quam aliis nocet; sic iratus cæco judicio furens obvios quosque invadit, sed majore suo, quam illorum detrimento. Ibid.

Sicut, juxta Hippocratis sententiam, morbus est periculosissimus, in quo ægrotus subinde mutat oris habitum, ac sui dissimillimus redditur; ita nullus est animi morbus periculosior, quam ira, quæ vultum, vocem, incessum sic immutat, ut idem alius esse videatur. Plut. *in Moral.*

Sicut per nebulam corpora majora videntur, quam revera sint; ita per iram quoque omnes injuriæ majores apparent, quam in sinceri judicii libra reperiantur. Idem, *de cohib. Ira.*

Sicut acetum corrumpit vas, si diutius ibi fuerit; sic ira corrumpit cor, si diu in eo asservetur. S. Aug. ep. lcccviii.

Sicut, si quod aeri nebulosum ac densum per noctem accessit, diurno calore sol nec dissolvere poterit, nec dissipare, causam ac materiam tempestatis exhibet; sic injuria, nisi per charitatem aut patientiam dissolvatur, grandem in corde tempestatem iracundiæ excitabit. S. Chrys. hom. xiv, *in Epist. ad Eph.*

Sicut torrentes ad loca curva decurrentes secum obvia quæque trahunt; sic et iratorum impetus violenti et instabiles omnia similiter percurrunt, ac obruunt. Beirl. *in Prompt. in festo SS.* text. iii.

Sicut ad lapidem, ad quem quis impegit, non facile aliquis, aut certe non sine cautela accedit; ita si quis ab iracundo vel iracundia læsum meminit, deinceps consuetudinem ejus, quantum potest, delineat. Unde Sapiens suadet : Noli esse amicus homini iracundo. Prov. xxii, 4.

Sicut si quis phyltro te ad insaniam redigere vellet, utique illud recusares, aut si inscius bibisses, mox per apta remedia expellere conareris; ita si injuriam tibi quis intulit, et per eam ad iram te perducere satagit, aut repellere, aut per oblivionem aliaque efficacia media ex corde rejicere debes; nam teste Seneca, inter insanum et iratum nullum discrimen est; alter semper insanit, alter semper irascitur. Seneca, *de Ira.*

Sicut bestiam, maxime efferatur, omnes fugimus; nautæ, cum vehemens ventus spirat, vela demittunt; equi sessorem præripientes, non retrahuntur, ne vires incassum exhauriat; igni fomes non præbetur; ita nec iracundus animus magis efferandus, mutuisque injuriis magis accendendus est. S. Chrys. hom. xiii, *ad Pop.*

Sicut gubernator ventis in mari agitatus portum petit, ut a periculo liberetur; ita qui iracundiæ impetum sentit, ad rationis clavum et portum confugere debet, ne naufragium patiatur. Idem, hom. vii, *de fide Annæ.*

Sicut equis non in ipso cursu frenum injicimus, sed ante cursum; sic qui propensi sunt ad iram, prius rationibus frenandi sunt, quam ab ira abripiuntur. Plut. *Mor.*

Sicut non utimur aqua turbata, nisi cum constiterit; sic nec animo commoto utendum, nisi cum ad se redierit. Socrat. *in Mor.*

Sicut flamma candelæ emunctorio compressa statim extinguitur; ita interior iræ commotio silentio et dissimulatione cohibita, paulatim elanguescit. Jac. Alvar. l, p. II, c. x, *de Extinct. vit.*

Sicut nutrices dicunt pueris : Ne plora, et accipies; ita dicendum animo commoto : Nec clama, ne festina, ac melius quævis consequeris. Arist. *apud Stobœum* s. xviii.

MOTIVA.

Quia *hoc vitium est contra naturam*, uti Bellovacensis recte advertit dicens : Hoc vitium maxime videtur contra naturam, cum homo sit animal mansuetum natura, quod manifeste patet ex hoc, quod natura non armavit hominem cornibus, nec unguibus, nec dentibus, sed dedit ei minores ungues et dentes, quam alicui animali suæ quantitatis, nec dedit ei rictum, sed risum. Bellov. *Spec.* l. III, p. 1 dist. i.

Quia *ira mentis est temulentia*, ut S. Basi-

lius ait, *eamque a sobrietate excutit, haud aliter quam vinum.* Considera mihi hominem ira percitum, quam temulentus sit eo morbo. Non est sui compos, non novit semetipsum, non novit qui adsunt, vel velut in pugna nocturna tentat omnia, impingit in omnia, inconsiderata loquitur, non potest cohibere, convitiatur, cædit, minatur, vociferatur, clamore disrumpitur. S. Basil. h. I, *de Jejun. laud.*

Quia *iracundi multis stultitiis laborant;* nam primo quidem stultus est, qui illatam injuriam appetit vindicare; quia, sicut dicit Augustinus, de aliena pœna quærit sibi medicamentum, qui acquirit sibi grande tormentum, simile est quasi in aqua quæreret ignem. Stultus est insuper, quia potius vult morti corporis quandoque, animæ semper et æternæ se exponere, ut occidat, et puniat asinum inimici sui, id est, corpus, quam expectare Dominum justissimum qui ita judicabit eum de hoste, et asino simul, quod totus mundus videns admirabitur, et satiabitur. Bellov. loc. cit. Et confirmans idipsum Dionysius Carthusianus : Eo ipso, ait, quod, quis iram non solum admittit, sed etiam intra se retinet, stulto assimilatur, et luce sapientiæ caret; et stultus est, non solum eo modo, quo omnis, qui in mortali est culpa, stultus asseritur; sed et tanto specialius, quo ira mentem intus magis excedit, et hominem in apparatu vultus exteriorique gestu, stulto, imo furioso facit similiorem. Dion. Carthus. *in* c. VII, *Eccles.*

Quia *Deo difformem facit,* ut idem auctor insinuavit dicens : cum scriptum sit : « Tu dominator, Domine, cum tranquillitate judicas, » ira facit hominem in judicando specialiter Deo difformem, dum homo cum turbulentia judicat, quod maxime indecens est. Idem, *in* c. V, *Job.*

Quia *Spiritum S. fugat* : Si enim, ut S. Climacus discurrit, Spiritus Sanctus pax animæ et dicitur, et est; ira vero cordis perturbatio est, et appellatur, necessario sequitur, nihil adeo Spiritus Sancti præsentiæ repugnare, quam iram; non quod ipsa Spiritus Sancti substantia contristari possit, cum habeat æternam atque immutabilem beatitudinem; sed quia ita in Sanctis habitat, ut eos impleat charitate; charitas autem iræ contraria existit, atque ideo incompatibiles sunt ira et charitas, quæ primus est fructus Spiritus Sancti, ut recte Sedulius advertit. S. Clim. grad. VIII.

Quia *Diaboli opus est,* uti S. Laurentius Justin. advertit dicens : Qui contentiosus existit, antiqui hostis in se immissiones admittit, Diaboli ministerium operatur, disrumpit pacem, rixas concitat, parit odium, furorem nutrit, denigrat honestatem, sapientiam perdit, rationem confundit, oculum mentis obnubilat, gratiæ lumen repellit, fraternam dilectionem frangit, et ipsam cœlestem in se occidit charitatem; unde et alius quidam antiquus auctor ait : Ira placet Diabolo, quia per iram multum dominatur Diabolus homini, non enim timet homo iratus facere, quod Diabolus præcipit sibi, quantumcumque magnum sit peccatum, non parcit patri, nec matri, nec uxori, nec filiis, quin quandoque projiciat eos in ignem iracundiæ. Placet ira Diabolo, quia cum hoc vitio non lucratur Diabolus unum et unum, sed aliquando totam domum, aliquando totam civitatem, et aliquando regnum. Laurent. Just. c. I, *de Dist. man.*

Quia *sanitatem corporis lædit,* teste S. Ephrem dicente : Iracundus semper in perturbationibus vivit, animi tranquillitate ac pace, commodaque corporis valetudine carens, semper illi corpus illius contabescit, et animus angitur, caro marcescit, oboritur pallor, et mens perturbatur, sensus debilitatur, cogitationes fluminis instar scaturiunt. S. Ephrem, l. *de Vit et Virt.*

Quia *sanitatem animæ perdit*; nam ut S. Chrysostomus recte dixit, nullus leo, nulla sic vipera viscera queunt laniare, ut hominis iracundia ferreis quibusdam ungulis universa confodiens; neque enim solummodo corpori nocet, sed ipsius etiam corrumpit animæ sanitatem. S. Chrys. hom. IV, *in Matth.*

Quia *societatem humanam dissolvit,* uti S. Petrus Damianus recte advertit, dicens : Quanta sane sit iracundiæ pestis, in hoc patenter exprimitur cum nobis iracundi hominis societas prohibetur, et quasi per antiquæ Scripturæ sententiam, quadam jam, ut ita fatear, *Excommunicatione* percellitur, dum a proximorum suorum contubernio separatur; ait enim Salomon : Noli esse assiduus cum homine iracundo, ne discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ. S. Petrus Dam. l. IV, ep. XVII. Et idipsum confirmans Dionysius Carthus. Per iram, inquit, socialis vita confunditur, concordia dissipatur, societas aggravatur, juxta illud Prov. *Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere?* nam qui irascuntur, non agnoscunt præsentes,

non memores sunt cognationis, non amicitiam, non consuetudinem, non dignitatem, neque quidquam aliud in mentem accipiunt, sed iræ vi pressi, in præceps miserabiliter feruntur. Dion. Carthus. *in* c. v *Joan.*

Quia *mutuam dilectionem tollit*; nam tales, teste Bellovacensi, tunicam Christi inconsutilem nituntur dividere, quam Dominus indivisam voluit remanere; per hanc tunicam significatur charitas, in qua, et per quam unitas Ecclesiæ conservatur, ad quam hortatur Apostolus, Eph. 4. *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Tales sunt directe contrarii Christo, quia Christus venit ut dispersos congregaret in unum; de Diabolo autem, vel de impio membro ejus dicitur, Joannis x: *Lupus rapit, et dispergit.* Bellovac. *Spec.* p. V, l. IV, disp. I.

Quia *ad sacrificium Deo offerendum indispositum facit;* hinc S. Bernardus sequens proponit dubium: Sitne videlicet tutum ira commoto accedere ad altare, an se subtrahere interius debeat, donec compescatur commotio? et respondet: Numquam mihi contingat turbatum ad pacis accedere sacrificium, cum ira et disceptatione contingere sacramentum, in quo Deus indubitanter est mundum reconcilians sibi: certe non recipitur munus quodcumque meum, quod defero ad altare, nisi ante placato fratre, quem me forte læsisse meminero, quanto minus si me ipsum non placavero prius? S. Ber. *de Præc. et Dispens.* c. xvi.

Quia *vilissimum facit hominem*, ut iterum Bellovacensis testatur, dicens: Per iram homo vilis efficitur. Magna vilitas est irasci, vel contendere cum fatuo, vel ægro, aut de talibus vindicare se velle; talis autem est, qui tibi fecit injuriam injuste. Magna vilitas est, pugnare cum vilibus personis, quorum pugnam abhorret nobilis animus. In quorum confirmationem, illum ex Proverbiis textum adducens subdit: Honor est homini, qui separat se a contentionibus. E contra vilitas est, inquinare os suum contumeliis et convitiis; et quanto major est persona quæ irascitur, tanto vilius et indecentius est irasci. Bellovac. l. c.

Quia *iræ moderatio, est signum perfecti viri*, uti Sanctus Chrysostomus pronuntiavit, dicens: Hoc certissimum est signum, quo internoscitur vir ratione præditus, si mansuetus fuerit, si lenis, si mitis, si modestus, et quietus, si non quasi servus ducatur, et trahatur, aut ab ira, aut ab aliis affectionibus, sed ratione vincat internos illos incompositos motus, nobilemque suam generositatem servet, ne in brutorum ferociam negligentia degeneret. Et ut discas, quantum mansuetudinis et lenitatis sit robur, et quod sola hæc virtus possit se colentem diligenter ineffabilibus laudibus dignum reddere, audi B. Moysen hinc potissimum prædicari, et ex hac ei coronam plecti: Moyses, inquit, erat mitissimus omnium hominum, qui erant super terram. Vidisti encomii magnitudinem quod omni eum humano generi parem pronuntiat, imo omni hominum generi præfert? S. Chrys. hom. xxxiv *in Genes.* c. vi. Similem in modum etiam Seneca discurrens: Nullum, inquit, est argumentum magnitudinis certius, quam nihil posse, quo instigeris, accidere. Pars superior mundi, et ordinatior, ac propinqua sideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem, omni tumultu caret; inferiora fulminant. Eodem modo sublimis animus, quietus semper, et in statione tranquilla collocatus, intra se premens, quibus ira contrahitur, et modestus et venerabilis est, et compositus; quorum nihil invenies in irato. Senec. l. III, *de Ira*, c. vi.

ALIA MOTIVA.

Quia *hoc vitium iræ exuit hominem similitudine Dei*, qui cum tranquillitate judicat; dilaniat enim mentem, ut nec sibimet ipsi congruat. S. Greg., l. V *Mor.* c. xxxi. Hinc S. Chrysostomus dixit, feræ potius cohabitandum esse, quam iracundo homini; nam illa, cum semel mansuefacta fuerit, servat suam legem; hunc autem quoties mitigaveris, rursum efferatur. S. Chrys., hom. xxix, *ad Pop.*

Quia *Christo dissimilem facit, et quasi ex schola illius excludit;* utpote in qua non nisi mansuetudo et humilitas discitur. Si ergo tam probrosum censetur ex aliquo gymnasio terrestri sua culpa excludi, quantum dedecus erit ex schola et gymnasio tanti Magistri ejici?

Quia *per iram*, teste S. Gregorio, *Sancti Spiritus splendor excutitur*; quoniam scriptum est: Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem et quietum? Si ergo ira quietem mentis subtrahit, suam Spiritui Sancto habitationem claudit. S. Greg. l. c.

Quia *gravissima animæ damna infert*; ut

pote cui justitiam, gratiam, pacem aufert; memoriam confundit, intellectum excæcat, voluntatem totam pervertit, et denique ipsam mortem affert. Unde S. Chrysostomus : Ignis est vehemens ira, inquit, omnia devorans, nam et corpus perdit, et animam corrumpit. S. Chrys. hom. xxix *ad Pop.*

Quia *corpori quoque graviter nocet.* Nam, ut iterum S. Gregorius testatur, iræ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, et nequaquam recognoscuntur noti. S. Greg., l. V *Mor.* c. xxxi. Imo etiam teste S. Basilio, ob iram ensis acuitur, et mors homini ex homine venit. Membrorum mutilationes, vulnera, mortis præmium pugna ferunt. S. Basil., hom. x *de Ira.*

Quia *societatis humanæ pestis est*; utpote cujus summum bonum, et arctissimum vinculum, scilicet concordiam et socialem vitam tollit. Hinc scriptum est : Quis potest habitare cum homine, cujus spiritus facilis est ad irascendum? Prov. xviii, 14.

Quia, ut S. Chrysostomus recte pronuntiavit : *Nihil iracundo homine insuavius, nihil gravius, nihil infestius, turpius nihil.* (S. Chrys. hom. xxix *ad Pop.*) Quod clarius explicans S. Basilius : Scriptura, inquit, tibi dicit : Vir iracundus turpis est. Quomodo turpis? Quia humanam quasi figuram amittit, feræ speciem indutus. Considera parumper iratum. Furit, debacchatur, immutantur oculi, turbidi, sanguineique fiunt, cor accenditur, sanguis commovetur. Hunc videas ut aprum dentes acuentem. S. Basil. hom. xxi *de Ira.* Hinc recte Seneca infert : Qualem putas esse animum cujus externa imago tam fœda est? Seneca, l. II *de Ira*, c. 35.

MEDIA.

Præmeditatio adversorum. Ita S. Gregorius suasit, dicens : Solerter animus ante actionis suæ primordia, cuncta debet adversa meditari, ut semper hæc cogitans semper contra hæc thorace patientiæ muniatur, et, quidquid acciderit, providus superest; et, quidquid non accesserit, lucrum putet. S. Greg. l. V *Mor.* c. xxxiii. Certe inexpectata, teste Seneca, plus aggravant, novitas addit calamitatibus pondus, ideo nihil improvisum esse debet; in omnia præmittendus animus, cogitandumque non quid soleat, sed quid possit accidere. Seneca, *de Tranquillitate*

Dilatio iræ. Ita iterum S. Gregorius suasit, his verbis : Quoties ira animum invadit mentem edoma, vince teipsum, differ tempus furoris. S. Greg. l. c. Cum tranquilla mens fuerit, fac quod placet. Quod confirmans S. Ambrosius : Resiste iræ, inquit, si potes; cede, si non potes, quia scriptum est : Date locum iræ. Ergo si prævenerit mentem tuam iracundia, ne relinquas locum tuum. Locus tuus sapientia est; locus tuus ratio est; locus tuus sedatio indignationis est. S. Amb. l. I *Offic.* c. xxi.

Quietis et silentii usus; ut S. Isidorus monuit, dicens : Si non potes iram vitare, tempera; si non potes furorem cavere, cohibe; tene silentium patientiæ, tacendo citius vincis. S. Isidor. l. I *Sol.* Scriptum quippe est : In silentio et spe erit fortitudo vestra. Isaiæ. Idem suasit S. Basilius his verbis : Si aliquid animo pateris, saltem in te conde tristitiam. In me turbatum est cor meum, inquit Propheta, hoc est, non extra turbationem ostendi, sed veluti quamdam intra littus abrup tam undam retinui. Turbatus sum, et non sum locutus. Et alibi : Si contra maledicta irasceris, jam te corroborasti. Quidnam est ira stultius? Si vero quietus et immobilis persistas, pudorem maledicenti magnum intulisti, cum reipsa prudentiam, modestiamque ostenderis. Basilius *de Ira.* Nam, ut etiam S. Chrysostomus dixit : Neutiquam febribus laboranti, aut gravi inflammatione quispiam irascitur, sed his modis affecti, sui misericordiam, et lacrymas movent; hujusmodi est iratus animus, qui si in te prosiliat, tace, et opportunam ei plagam infliges.

Matura suppressio; juxta Apostoli monitum : Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare Diabolo. Ephes. iv, 26. Nam, ut Sanctus Ambrosius ait, ira inveterascens fit odium, dum quasi justi doloris admixta dulcedo diutius eam in vase detinet, donec totum acescat, vasque corrumpat Quapropter multo melius nec juste cuiquam irascimur; quam velut juste irascendo in alicujus odium iræ occulta facilitate delabimur; in recipiendis enim hospitibus ignotis ista solemus dicere, multo melius esse, malum hominem perpeti, quam forsitan per ignorantiam excludi bonum, cum cavemus, ne recipiatur malus. Sed in affectibus animi contra est, nam incomparabiliter salubrius est, etiam iræ justæ pulsanti non aperire penetrale cordis, quam admittere non facile recessuram, et perven-

turam de surculo ad trabem. Audet enim imprudenter crescere citius, quam putatur, non erubescit enim in tenebris, cum super eam sol occiderit. S. Ambr. ep. c.

Propriæ infirmitatis consideratio. Considerata quippe infirmitas propria, teste S. Gregorio, mala excusat aliena ; patienter namque injuriam illatam tolerat, qui pie meminit, quod fortasse adhuc habeat, in quo debeat et ipse tolerari. Et quasi aqua ignis extinguitur, cum surgente furore animi, sua cuique ad mentem culpa revocatur, quia erubescit sibi peccator non parcere, qui vel Deo, vel proximo sæpe se recolit, parcendo peccasse. S. Greg. l. V *Moral.*

Meditatio fœditatis. Ita Seneca consulit dicens : Quibusdam, ut ait Sextius, iratis profuit, aspexisse speculum; perturbavit illos tanta mutatio sui. Seneca. l. II *de Ira*, c. xxxvi. Si enim, ut S. Gregorius Nazianzenus narrat, dea illa cantu fistulæ delectari solita, ejusdem usum detestata est, dum deformitatem in flatione resultantem in fonte forte conspexit, quidni idem ab iracundo sperandum sit, si turpitudinem vitii sui consideret ? S. Greg. Naz. *Orat.* iv.

Mansuetudo Christi, aliorumque Sanctorum considerata ; nam, ut sapienter S. Chrysostomus advertit, quemadmodum qui laborant oculis, si spongias ac vestium cyaneo colore pannos tenentes, frequenter in ea intueantur, ex eo colore nonnullum capiunt morbi levamen ; similiter et si tu Davidis (multo magis Christi) imaginem præ oculis habeas, et in hanc assidue defigas oculos, etiamsi millies obtundat ira menti, oculos perturbans, ad hoc virtutis exemplar respiciens, perfectam consequeris sanitatem, puramque animi Philosophiam ac tranquillatem. S. Chrys. hom. *de David et Saul.* Hoc enim est, quod David ait (teste Sancto Basilio) : Paratus sum, et non sum turbatus. Oportet itaque motus animi insanos ac præcipites exemplo Sanctorum ac beatorum præceptorum memoria cohibere. S. Basil. hom. xx. Hinc et Apostolus suos Hebræos animans ait : Recogitate eum, qui talem sustinuit adversus peccatores in semetipsum contradictionem ut ne fatigemini animis vestris deficientes. Heb. xii, 5. Hoc medio Sanctus Elzearius usus est, de quo scribitur, quod tametsi familiam et aulam haberet frequentissimam, quam tum ad suum servitium, tum ad justitiæ administrationem stipendio conduxerat, numquam tamen subditis suis iratus visus fuerit ; unde conjugi suæ mansuetudinem ejus admiranti respondit : Quid mihi prodest irasci ? Dicam tamen veritatem. Quandoque insurgit in me indignatio in molestiis, at mox mihi ob oculos pono injurias, quas a me et pro me Redemptor tulit, et tunc in meipso sic loquor : Etiamsi famuli tui tibi barbam evellerent et colaphis cæderent, oportere te tolerare; nihil enim istud est in comparatione ejus, quod Dominus pro te tulit. Hæc vero consideratio animum meum mox reddit pacatum. Surius, *in Vit.* c. xxiii.

Exemplum bestiarum ante oculos habere ; nam, ut S. Chrysostomus ait : Illæ quamquam naturaliter sæviant, si humana tamen arte palpentur, plerumque mansuescunt. Tu autem, qui illarum profecto naturalem feritatem, in eam quæ contra naturam est, mansuetudinem sæpe commutas ; tuam mansuetudinem naturalem in feritatem, quæ naturæ tuæ est inimica, convertis ; leonem quidem mitigas, reddisque tractabilem, furorem vero animi tui omni prorsus efficis leone sæviorem. Et certe cum ibi sint duo inpedimenta vel maxima, quod fera ipsa et ratione privatur, et longe omnium alterius generis animalium excedit furorem; tu tamen de copia donatæ tibi a Deo sapientiæ, ipsam superas arte naturam, qui igitur naturam vincis bestiis, cur in temetipso naturæ obfuscas bonum, dum malum adamas voluptatis ? Itaque si, ut alium hominem mansuefaceres, juberem, nihil hic quidem impossibilem viderer imponere, quamquam excusare posses, non te esse dominum voluntatis alienæ. Nunc vero tua hæc propria fera est, et cui certissimo jure domineris. Quam igitur habes apologiam ? Quemnam reperies honestum excusationis colorem, qui cum solerti studio hominem quodammodo facias de leone, tu tamen negligens leo efficiaris ex homine ? S. Chrys. hom. iv *in Matth.*

Supplicium iracundi considerare. Uti idem Sanctus suasit, dicens : Injuria affecto in mentem veniat, quod illi supplicium maneat, et non modo nulla in proximum ira fereris, sed deplorabis vicem ejus. Idem, hom. xlvii, *in Joan.*

Hostem instigantem attendere. Uti S. Hilarius monuit : Non his irascendum est, inquit, a quibus aliqua perpetimur, sed quoties ad contumeliam ab iracundia provocamur, quotiescumque per convitia ad lites

exhortamur, agnoscendus est hostis ille, per quem hæc operum et dictorum incentiva præbentur. Neque irascendum est hominibus alienæ instigationis operariis, sed potius in his detestandi officii intercessio fœda miseranda est, quod sint vasa Diaboli, Satanæ ministerium, latrocinantium telum, et alienæ malitiæ ac nequitiæ apparitores. S. Hilar. *in* Ps. cxxviii.

Examen conscientiæ quotidianum, quod Seneca commendavit, dicens : Omnes sensus perducendi sunt ad firmitatem ; natura patientes sunt, si animus illos desinat corrumpere ; qui quotidie ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, ut consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum : Quod hodie malum tuum sanasti? Cui vitio obstitisti? Qua parte melior es? Desinet ira, et erit moderatior, quæ sciet, sibi quotidie ad judicem esse veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? Seneca, l. III *de Ira*, c. xxxvi.

Suspicionem, velut radicem, tollere ; ut idem Seneca suasit dicens : Quod accidere vides in animalibus mutis, idem in homine deprehendes ; frivolis turbamur et inanibus. Taurum calor rubicundus excitat, ad umbram aspis exurgit, ursos, leonesque mappa proritat ; omnia, quæ natura fera ac rabida sunt, consternantur ad vana. Idem inquietis et stolidis ingeniis evenit, rerum suspicione feriuntur. Idem l. III, c. xxix.

Humilitatis exercitium ; nam, ut S. Climatus ait : Sicut ad solis ortum fugiunt tenebræ, ita ad odorem humilitatis omnis ex animo evanescit amaritudo, et extinguitur iracundia. Superbia, existimatio et præsumptio nostri ipsius sæpissime efficiunt, quod nos offensos esse existimemus, licet in veritate offensi non simus. S. Clim. grad. viii. Doctor Angelicus ait : Quidam sunt magni et elati animi, qui facile provocantur ad iram ; quod ideo est, quia ira est appetitus vindictæ ex præcedenti offensa proveniens ; quanto autem aliquis est magis elati animi, tanto ex leviori causa se putat offensum, et ideo facilius provocatur ad iram. S. Th. in c. v *Job*. Hinc et S. Antoninus ait : Remedium contra iram est, tollere occasiones, videlicet dura verba, et ea quæ magis accendunt iram ; est enim ira accensio sanguinis, incendium autem ignis diminuitur per subtractionem lignorum, vel infusionem aquæ. Ligna, quæ magis accendunt, sunt duræ responsiones, dura verba, quæ dici non debent, sed taceri. S. Anton. p. II *Summ.* tit. vii, c. i, § 3.

Opinionem comtemptus tollere ; nam causa iracundiæ, teste Seneca, opinio injuriæ est, cui non facile credendum est, nec apertis quidem manifestisque statim accedendum. Quædam enim falsa veri speciem ferunt. Dandum semper est tempus ; veritatem dies aperit ; quæ inviti audimus, libenter credimus, et antequam judicemus, irascimur. Seneca, l. II *de Ira*, c. xxii.

Curiositatem vitare ; uti iterum Seneca suasit, dicens : Non vis esse iracundus? Ne sis curiosus. Qui inquirit quid in se dictum sit, qui malignos sermones, etiamsi secreto habiti sint, eruit, se ipse inquietat. Seneca, l. III *de Ira*, c. xi.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, quid sit discrimen inter iram et indignationem, nam, teste S. Basilio, sicut differentia nomina sunt indignationis et iræ, sic et ab ipsis significantia plurimum invicem differunt. Est enim indignatio stimulus quidam brevis et subitus, acutusque passionis pavor. Ira vero permanens ac diuturna tristitia, aptaque sese otiose ulcisci, veluti libido quædam se vindicandi. S. Basil. hom. *de Ira*.

Nosse debet, quando ira peccaminosa sit ; id quod Sanctus Thomas sic explicat : Si ordinem rationis excludat, mala est ; ordo autem rationis ita potest attendi, quantum ad duo. Primo quidem quantum ad appetibile, in quod tendit, quod est vindicta ; unde si aliquis appetat, quod secundum ordinem rationis fiat vindicta, est laudabilis iræ appetitus, et vocatur *ira per zelum ;* si aliquis appetat, quod fiat vindicta qualitercumque contra ordinem rationis, puta si appetat puniri eum, qui non meruit, vel ultra quam meruit, vel etiam non secundum legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui est conservatio justitiæ et correctio culpæ, erit appetitus iræ vitiosus, et nominatur *ira per vitium*. Alio modo attenditur ordo rationis circa iram, quantum ad modum irascendi, ut scilicet motus iræ non immoderate fervescat, nec interius, nec exterius ; quod si prætermittatur, non erit ira absque peccato. In articulo vero sequenti examinans : An omnis ira sit pec-

catum mortale? hanc statuit conclusionem : Ira, qua quis injustam appetit vindictam, peccatum mortale est; ira vero ex passione, et qua in modico vindictam expetimus, veniale est. Quam propositionem his verbis declarat : Ex genere suo ira est peccatum mortale, quia contrariatur charitati et justitiæ, potest tamen contingere, quod talis appetitus sit peccatum veniale propter imperfectionem actus; quæ quidem imperfectio attenditur, vel ex parte appetentis, puta cum motus iræ prævenit judicium rationis; vel etiam ex parte appetibilis, puta cum aliquis appetit in aliquo modico se vindicare, quod quasi nihil est reputandum; ita etiam quod si actu inferatur, non esset peccatum mortale, puta si aliquis parum trahit aliquem puerum per capillos, vel aliquid hujusmodi. Alio modo potest esse motus iræ inordinatus, quantum ad modum irascendi, utpote si nimis ardenter irascatur interius, vel si nimis exterius manifestet signa iræ; et sic ira secundum se non habet de suo genere rationem peccati mortalis; potest tamen contingere, quod sit peccatum mortale, puta si ex vehementia iræ aliquis excidat a dilectione Dei et proximi. S. Thom. II, II, q. clviii. a. 2. Cui consentiens S. Antoninus, tunc ait : Ira est peccatum mortale, quando scilicet quis appetit injustam vindictam, seu punitionem proximi notabiliter damnosam, et hoc secundum deliberatam rationem. Ex parte autem modi, quo quis irascitur interius, si ita ardenter irascitur, quod ex vehementia iræ decidat a dilectione Dei vel proximi, quod solet contingere, quando ira transit in odium, tunc esset mortale. S. Anton. p. II, *Sum.* tit. vii, c. i, § 2.

Nosse debet duplicem esse iram: unam, quæ fit per vitium; secundam quæ fit per zelum. Prima est, quæ fit per vitium, et de hac inquit : « Irascimini, et nolite peccare, » id est, si primus motus iræ insurgat, nolite peccare, scilicet consentiendo in corde, vel ad effectum perducendo in opere, vel diu retinendo in mente. Quod necessitatis est, permittit, quod vero culpæ est, interdicit. S. Bernardin, t. III, ser. *de Triplic.* a. 2, c. 2. Secunda autem ira est, quæ fit per zelum, secundum enim Gregorium, l. v *Moral. in fine*, super illud Job, c. v. 2. *Virum stultum interficit iracundia* : Ira per vitium oculum mentis excæcat, ira vero per zelum oculum mentis ad tempus conturbat.

Nosse debet effectus et filias Iræ. Prima est *Rixa;* hæc est audax voluntas vindicandi injuriam factam per se. 2. Est *Tumor mentis*; hæc est voluntas vindicandi causa fugiens adversantem, ne cum eo colloquium habeatur, propter æstimatas inimicitias. 3. Est *Contumelia*, quæ est voluntas se vindicans per exprobrationem malorum. 4. Est *Clamor*, quæ est voluntas se vindicans in exaltando vocem per vituperium exprobratum, et ad aliorum aures perveniens. 5. Est *Indignatio*, quæ est voluntas se vindicans per signum molestiæ exterius declaratum. 6. Est *Blasphemia*, quæ est voluntas se vindicans per opprobrium Deo, vel Sanctis illatum. S. Albert. M. l. III *Theol. ver.* c. xvii. Alio modo eosdem effectus explicat S. Basilius, dicens : Primo jaciuntur contumeliæ inter iratos, et sic durant, donec contumeliæ, sicuti sagittæ deficiunt; deinde omni contumelia per linguam consumpta, ad manus venitur, et pugnam; ira namque certamen excitat, certamen vero convitium, convitium verbera, hæc vulnera, ex quibus et mortes sæpe sequuntur. S. Basil hom. *de Ira.*

Nosse debet gradus iræ, quos S. Augustinus sequentibus verbis indicat : Gradus itaque sunt in istis peccatis, ut primo quisque irascatur, et eum motum retineat corde conceptum. Jam si extorserit vocem indignantis ipsa commotio, non significantem aliquid, sed illum animi motum ipsa eruptione testantem, qua feriatur ille, cui irascitur, plus est utique, quam si surgens ita silentio premeretur. Si vero non solum vox indignantis audiatur, sed etiam verbum, quo jam certam ejus vituperationem, in quem profertur, designet et notet, quis dubitet amplius hoc esse, quam si solus indignatione sonus ederetur? Itaque in primo, unum est, id est, ira sola; in secundo, duo, et ira, et vox, quæ iram significat; in tertio, tria, et ira, et vox, quæ iram significat, et in voce ipsa certæ vituperationis expressio, vide nunc etiam tres reatus, Judicii, Concilii, et Gehennæ. S. Aug. de ser. *in Monte*, c. ix.

Nosse debet, quomodo ira sit usurpanda ; id quod Sanctus Ambrosius sic explicat : Animus, qui est rationis compos non est suarum passionum dominus, sed repressor; neque enim fieri potest, ut facilis ad iracundiam non irascatur, sed ut ratione se temperet, indignationem cohibeat, et puniendo se revocet, sicut et Propheta nos docet, dicens : « Irascimini, et nolite peccare; » concessit,

quod naturæ est ; negavit, quod culpæ est. S. Ambr. l. *de Jacob.* c. I. Quod etiam confirmans V. Beda : Duobus, ait, modis intelligi potest, aut, etiamsi irascimini, nolite peccare, id est, etiamsi surgit jam motus animi (qui jam propter pœnam peccati non est in potestate) saltem non ei consentiat ratio et mens, et quæ intus regenerata est secundum Deum, ut mente serviamus legi Dei, si adhuc servimus carne legi peccati; aut, agite pœnitentiam, id est, irascimini vobismetipsis, de præteritis peccatis, et ulterius peccare desinite. V. Beda, *in* c. IV *Eph.* Et clarius S. Gregorius inquiens : Cum per zelum animus movetur, curandum summopere est, ne hæc eadem, quæ pro instrumento virtutis assumitur, menti ira dominetur, nec quasi domina præeat, sed velut ancilla ad obsequium parata, a rationis tergo numquam recedat. S. Greg. l. III *Mor.* c. III.

Nosse debet, quod Superiores maxime iram cavere debeant, uti Oleaster insinuat, dicens : Admonentur hoc in loco biliosi viri, non se immiscere quæstionibus ; similiter non debere velle Prælaturam accipere, qui non potest, aut vix potest ferre pecata suorum subditorum. Non vult Dominus populum ducere, quia tanta Majestas et Sanctitas non facile ferret eorum errores ; et tu, qui vix iram continere potes, audes Prælaturam subire? Oleaster, *in* c. XXXIII. *Exod.* Hinc Seneca de Philippo scribit : Si quæ alia in Philippo virtus, fuit et contumeliarum patientia, ingens instrumentum ad tutelam regni. Senec. l. III *de Ira*, c. XXII.

Nosse debet quoniam duplex est Iracundia, bona scilicet et mala, uti S. David supra citatus indicavit, dicens : *Irascimini, et nolite peccare :* (Ps. IV, 5.) et clarius S. Gregorius dicens : Alia est ira, quam impatientia excitat ; alia, quam zelus format ; illa ex vitio, hæc ex virtute generatur, « quandonam bona licitaque sit ira ; » (S. Greg. l. I *Moral*, c. XXXI.) cujus quidem dignoscendæ generalem regulam assignat Gregorius dum ait : Cum per zelum animus movetur, curandum summopere est, ut ne hæc eadem, quæ pro virtutis instrumento assumitur, menti ira dominetur, nec quasi domina præeat, sed velut ancilla ad obsequium parata, a rationis tergo numquam recedat. S. Greg, l. c. Tunc autem non recedet, si vitiis hominis, non homini irascatur ; nam ut recte dixit S. Isidorus : Ira nec a data est homini naturaliter, ad cohibendum vitia sua vel aliena, sine mentis pertubatione, sola charitatis intentione, ne homo serviat peccatis. Hinc recte aliqui colligunt, tria esse, quæ iram inordinatam efficiunt, scilicet ferri vindice animo in innocentem, et a quo non sis offensus ; velle ulcisci propria auctoritate ; et vindicare non zelo justitiæ aut charitatis, sed odio malevolentiæ limitesque vindictæ excedere S. Isidor. l. III *de Summo Bono.*

Nosse debet necessitatem et praxin iracundiæ bonæ, quam quidem breviter, sed bene indicavit S. Chrysostomus, dum dixit : Si ira non fuerit, nec doctrina perficit, nec judicia stant, nec crimina compescuntur. Qui cum causa non irascitur peccat ; patientia enim irrationabilis vitia seminat, negligentiam nutrit, et non solum malos, sed et bonos ad malum quodammodo invitat. Hinc Salomon ait : Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus animus corrigitur deliquentis.

Nosse debet solidum modum propriam iram compescendi, quem quidem pulchre S. Ambrosius sequentibus verbis indicavit : Objice, Domine, contra tam amarissimum iracundiæ malum, suavissimum Sapientiæ tuæ bonum, in quo specialiter animarum nostrarum salus collocatur, cum nobis per Evangelium dicitur : In patientia vestra possidebitis animas vestras. Quæ nimirum dum arcem et principatum in mente susceperit, omnes mox perturbationes compescit. Rixas et contumelias in exhortationem convertit, confusum clamorem sub ordinato silentio premit, indignationem, tumoremque mentis mansuetudine vincit, blasphemias gratiarum actione repellit. S. Ambr. *Precat.* II *ante Missam.*

Nosse debet radices iræ tollere. Discet autem easdem ex sene illo, qui dixit : Ira per hos quatuor actus exurgit. Propter cupiditatem avaritæ dandi et recipiendi, resque alienas rapiendi ; et si quis propriam sententiam amans defendit ; et si quis vult, se honoribus dignum esse ; et si quis Doctorem se esse vult, plus omnibus sapientem esse se sperans. *Vita PP.* l. VII, c. VI, n. 1.

Nosse debet modum, alienam iram pacandi, qui quidem in duobus fere consistit. 1. Ut consilium et exemplum Davidis quis sequatur dicentis. Obmutui, et humilitatus sum, et silui a bonis. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me. Ps. XXXVIII, 2 et 3. Sicut enim si duæ januæ adversæ in eodem cubiculo apertæ sint, vehementius furit ventus ; qui tamen mox

quiescit, si alterutra claudatur; ita iratus quoque cito placabitur, si alterum cedentem et silentem adverterit. Hinc recte S. Basilius suasit : Contumeliam intulit iratus, vince, amoveque silentio malum ; et cogita periculum de te fieri, an Deo per patientiam adhæreas, seu per iram in adversarii partes declines. 2. Ut, si loqui quis velit, pacifice loquatur et mansuete; nam responsio mollis frangit iram, teste Salomone; sicut pellis bona globo ignito superjecta vim ignis frangit. S. Basil. hom. x, *de Ira*. Hinc S. Paulus monet, ut si esurierit inimicus noster, cibemus illum, potum vero eidem, si sitiverit, demus; hoc enim facientes carbones congeremus super caput ejus. Rom. xii, 20. Carbones namque, ut vult D. Augustinus, significant urentes pœnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur ejus, qui dolet se inimicum fuisse hominis, a quo ejus miseriæ subvenitur. S. Aug. l. III *de Doctrin. Christ.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : « Sol non occidat super iracundiam vestram, » (Ephes. iv, v. 26.) potest ira ignitis globis, quibus in urbes conjectis incolæ expugnari solent, comparari, atque adeo in prima parte ostendi, quam merito ira ejusmodi globis comparetur, cum illi ignem undique expuant, magna vi omnia perrumpant et frangant, ingenti fragore terreant, omnia vastent, et in cineres redigant. In secunda parte ostendi potest, quomodo hi globi declinari possint; aut sine damno excipi, nimirum aut cedendo per silentium, aut pelle charitatis et mansuetudinis eosdem sopiendo, et obruendo. Vide Fabrum conc. v *in Dom.* v. *post Pent.*

Ex occasione thematis : « Memorare timoris Domini, et non irascaris proximo, » (Eccl. xxviii, v. 8.) possunt damna iræ per venenati poculi similitudinem explicari; et 1. Ostendi, quomodo altere thominem in corpore, cruciatus gravissimos creet, ad insaniam redigat, et demum omnino violenter perimat. 2. Qualis theriaca contra hoc venenum adhiberi debeat, scilicet Passio Christi cogitata, uti S. Elzearius, Comes, et plures alii suo exemplo docuerunt. Ostendatur ergo paulo fusius, quomodo hæc theriaca in praxi adhiberi debeat. Vide Marchantium, *in Tub. Sacerd.* tr. VI, lect. ix.

Ex occasione thematis: « Virum stultum interficit iracundia, » (Job. v, 2.) potest iracundia triplici lanceæ comparari (qui corde, ore, et opere perficitur) qua Joab Absalonem in arbore pendentem interfecit. Ostendatur proin quomodo per iram perinde ut per illam triplicem lanceam triplex vulnus et mors, in bonis externis (puta fama, divitiis, fundis) corporis et animæ infligatur; et quomodo se quisque contra hanc lanceam triplicem triplici ære seu lorica, nempe consideratione *Dei* et longanimitatis, quia injurias nostras tolerat; *Proximi*, quia ut a Deo pro instrumento ad nos paterne castigandos adhibetur ; *Sui* et fragilitatis propriæ, quia nos armare ac defendere debeamus. Quæ fusius videri possunt apud Fabrum, conc. cit. et March. tr. c. lect. vii.

Ex occasione thematis : « Irascimini, et nolite peccare, » (Ps. iv, v. 5.) potest explicari modus legitime irascendi, dicique, quod peccatum quodvis duas habet facies, scilicet offensam Dei, et lapsum peccatoris, et secundum priorem quidem detestandum sit, non item secundum posteriorem, sicut pater castigat filium non odit. Hoc est, quod David dixit : Perfecto odio oderam illos; hoc est, nec propter vitia homines odisse, nec propter vitia homines diligere; sed quanto magis naturam hominis amas, tanto magis vitium odisse, quod naturam a te sic adamatam fœdavit.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas. — Postquam Jonas datum sibi a Deo ordinem de annuntiando Ninive exterminio implesset, e civitate egressus exitum præstolatus est suæ prædicationis, dicente Scriptura : « Fecit sibimet umbraculum, et sedebat subter illud in umbra, donec videret, quid accideret civitati, et præparavit Dominus Deus hederam. Et ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra, et protegeret eum. » Sed quo successu? Vermis intra noctem unicam, arborem istam arefecit, et exsiccavit, ideoque sol et ventus urens caput Prophetæ infestare cœperunt, ita ut peteret animæ suæ, ut moreretur, et dixerit : *Melius est mihi mori, quam vivere.* Ecce vobis vesaniam hominis, non lacrymabatur, non vastæ adeo deplorabat urbis desolationem, non innumerabilis ruinam populi, sed mori petit, quia herba, quæ ipsi umbram præs-

tabat, fuerat exsiccata. Causamne nostis? Eam ipse sacer textus in principio hujus capitis præmisit, dicens : « Afflictus est Jonas afflictione magna, et iratus est, » ac furore tanto, ut etiam a Deo interrogatus : « Putasne bene irasceris tu super hedera? » Responderit : « Bene irascor ego usque ad mortem. » Ubi Sanctus Ephrem ad Jonam conversus ait : Cucurbita tibi nunc loco magistri efficitur, ex qua sapientiam et prudentiam addisce. Tugurium abjectum quæris, et urbem funditus evertis. Ubi rectum judicium tuum, o Jona? Cucurbitam civitate potiorem ducis? Super vili cucurbita commiserationis affectum ostendis, et in civitatem durissimum et severissimum te exhibes. S. Ephr. *s. de Jona.*

Fuga. — Seneca præclare ad fugam iræ sic monet : Num is, cui irasceris puer est? Ætati donetur; nescit, an peccet. Pater est? Aut tantum profuit, ut illi etiam injuriæ jus sit; aut fortassis ipsum hoc meritum ejus est, quo offendimur. Mulier est? Errat. Jussus est? Necessitati quis, nisi iniquus, succenset? Læsus est? Non est injuria, pati quod prior feceris. Judex est? Plus illius credas sententiæ, quam tuæ. Rex est? Si nocentem punit, cede justitiæ ; si innocentem, cede fortunæ. Mutum animal est, aut simile muto? Imitaris illud, si irascaris. Morbus est aut calamitas? Levius transiliet sustinentem. Deus est? Tam perdis operam, cum illi irasceris, quam cum illum alteri precaris iratum. Bonus vir est, qui injuriam fecit? Noli credere. Malus? Noli mirari. Dabit pœnas alteri, quas debet tibi ; et jam sibi dedit, qui peccavit. Senec. l. II *de Ira.* c. xxx.

S. Anselmus super ea verba : « Sol non occidat super iracundiam vestram, » discurrens sic loquitur : Noster sol Christus est, qui veritas, et sapientia, et justitia est, cujus luce anima humana illustratur ; sed hanc lucem desinit mens videre, cum perturbatione iracundiæ fuerit tamquam nubilo superata, et tunc quasi occidet super iracundiam hominis sol, quia cum menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cogitationis abscondit; propter quod multum cavenda est iracundia, per quam lux veritatis amittitur, qua amissa, princeps tenebrarum Diabolus locum in homine sibi invenit. Unde sequitur : « Nolite locum dare Diabolo : » Iratus enim mala cogitat, et sic se Diabolo ingerit, atque pandit, ut cogitata perficiat; pandit ostium cordis, et hostem sinit introire. S. Ansel. in c. iv, *ad Eph.*

Sanctus Isidorus Pelusiota, in Epistola quadam, hominem ad iram proclivem, ad mansuetudinem S. Pauli asserto hortari conatur, dum inquit : Quoniam, cum iracundia rationis, quæ aurigæ munere fungitur, habenas infringit, hominis mentem extra naturæ terminos plerumque transversam agit, idcirco Paulus hujusmodi lapsus excogitata, non modo optima, sed etiam celerrima medicina his verbis usus est : « Sol non occidat super iracundiam vestram, » hoc est, antequam sol in occasum vergat, naturam agnoscite, furorem extinguite, arrogantiam comprimite, cognationem, ac propinquitatem, quæ etiam feris dominantur, complectimini, ne nox interjecta morbum immedicabilem efficiat. Nam tum Diabolus idoneum tempus nactus, ea quæ contigerunt, magis inflammat, ad ultionem irritat, ad inimicitiam extimulat, ad accusationes excitat, injuriarum memoriam parit, innumeraque hinc mala procreat. S. Isidor. Pelul. l. II, ep. clxxxix.

Propheta Regius querebatur se arcte circumdatum ab hostibus, rogabatque ab eis liberari, inquiens : « Exurge, Domine, in ira tua ; et exaltare in finibus inimicorum meorum. » Ps. vii, 7. In his illud notandum, quod Propheta Dominum ad iram inflammare, indignationemque ejus acuere velle videtur, dicens : « Exurge in ira tua. » At videamus, quo consilio velit tam stomachosum exurgere in ira Dominum : Consumetur nequitia peccatorum, inquit ibidem v. 10, propterea ergo rogabat, ut iracundus ad vindictam erumperet, ut, dum pœnas inferret, auferret malitiam et scelera. Sanctus Joannes Chrysostomus hoc in illis Prophetæ verbis annotavit, dicens : Vide autem charitate plenam justi animam, quomodo quærit, ut peccatum de medio tollatur, non ut sumat pœnam de inimicis, sed ut inimici cessent ab improbitate. Hic vero, hic pulcher est expetendæ vindictæ modus, hæc sancta ira, et prudens indignatio, optare et curare, ut consumatur nequitia peccatorum, persequi peccata, ut liber evadat peccator. At qui peccatorem impetit, non peccatum, illius non est Dei ira, sed mali Dæmonis furor, ac rabies. Quærit, ut peccatum de medio tollatur, non ut sumat pœnas de inimicis. Hoc David, hoc quisquis justus quærit; verum Diabolus facit, quod fulmen, feritque

gladium, salvam relinquens vaginam. Non vult ille peccatoris emendationem, sed peccati perseverantiam. Ira Dei e contra in peccatum sua spicula intorquet, non in peccatorem. S. Chrys. *in Ps.* 7. v. 7.

Quando S. David dixit : « Irascimini, et nolite peccare ; » arripiunt hinc occasionem omnes Interpretes affirmandi posse esse iram absque peccato, neque hoc tantum, sed etiam nonnunquam necessarium esse irasci. Propterea Rex pœnitens consulit, ut, quando aliter fieri nequit, quin irascamur, saltem citra Dei offensam id agamus. Quare alii vertunt : « Irascimini, et nolite errare. » Sed quid sibi hæc volunt? Id quod collineanti in scopum dicere solemus : Vide, ne aberres a signo. Sic nunc ait Propheta : Irascimini, sed attendite, quonam ira vestra vadat ; in quem indignatione mōveamini ; cum enim debeatis soli succensere peccato, errabitis plurimum, si in peccatorem feratur jaculum; in vos enim sagitta resiliet. In hunc sensum ea Psalmistæ verba interpretatur Euthymius, in c. vii. Matth. dicens :« Irascimini, et nolite peccare, » hoc est, ne irascendo erretis, ira male utentes; abuti autem ira, est succensere peccatori, cum soli peccato indignari debeamus. Ut felicem jactum faciamus, Alconem Cretensem dexterrimum sagittarium imitari debemus, cujus filium, cum draco invasisset, tanta arte direxit sagittam ut ea in vulnere serpentis deficeret, et ad filium non perveniret, simulque et illum perimeret, et hunc servaret incolumem. Refert hoc post multos alios Ambrosius Colepinus. Tantumdem agere debemus, inquit Mauritius Hilaretus, quoties proximum nostrum culpæ Draco spiris suis involutum tenet ut, quanta possumus, dexteritate in Draconem intorqueamus jaculum, proximo autem nihil offensionis adferamus. In inimicis occide errorem, sed fove charitatem, inquit ille in ser. feriæ 6. post Cineres. Qui hoc fecerit, illi feliciter cadet suus jactus, proque illius merito in cœlum invehetur, quod Alconi illi Cretensi propter interemptum, illæso filio, draconem, accidisse, apud Manilium fabulatur antiquitas. Voluerunt nihilominus veteres commento illo significare qui ad eum modum ira uti sciat, ut peccatum configat et conficiat, peccatori autem male non velit, illum tali artificio promereri, ut in cœlo æternum beatus vivat, postquam hic vivere desiit. Nyss. *In vit. Abraham.* l. V, n. 8.

Peracute dixit Seneca : Utendum est ira non ut duce, sed ut milite, id est, quamdiu manet consilium, et deliberatio, quæ pertinet ad ducem, numquam debet inesse ira ; postquam autem deliberatum est, ira conveniens est, sicut miles ad executionem belli. Ducis est, de futura pugna deliberare, militis vero pugnam inire, et exercere. Quod ergo ille ait : Ira ut milite utendum, non ut duce, tantumdem est, ac si dixisset : Consultationes debere esse tranquillas, pacatas, sedatas et cunctabundas, ut sunt tardi et cunctatores, cum deliberant, duces; executiones vero debere esse militum similes, quibus ira dominatur, impetusque, et præceps furor familiaris est. Re enim vera prospere, et feliciter omnia eveniunt iis, qui consultationibus utuntur ut ducibus, et ira ut militibus, qui longulum tempus dant deliberationibus, properanterque perficiunt, quod morose decretum fuit. Utendum est ira, non ut duce, sed ut milite. Idem, *in Phœn.* l. IV, cap. v.

Stylo pereleganti descripsit Moyses Christum in persona pulcherrimi Joseph. Habebat Josephum præ oculis, sed corporis ; at Christum præ oculis mentis et fidei, dum ait : « O ter maxime Joseph, quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua rhinocerotis, cornua ejus. Pulcher es, o Joseph, pulcher, velut taurus primogenitus, levis, luxurians ! Cornua tua, cornua rhinocerotis. » Deut. xxxiii, 17. Hoc omnes demirantur. Cur enim comparando Joseph, quoad corpus tauro, non etiam comparet tauri cornibus, sed unicornis? In S. Scriptura cornu significat fortitudinem ac potentiam, quia animalibus cornutis, totum robur consistit in cornibus ; sic voluit explicare quamdam Josephi prærogativam virtutis. Pulcher fuit aspectu, et quia talis, injecit domina sua oculos in illum, quinimo ambulante eo per plateas et vicos civitatis, prospiciebant mulieres per fenestras, ejus faciei allectæ venustate ; hoc enim significatur per illud : Filiæ discurrerunt super murum ; verumtamen laudat, quod ejus cornua non fuerunt, ut cornua tauri, sed ut unicornis. Hoc interest inter utrumque discriminis, quod taurus robur suum ostentet et diffundat in aere, arripiens hominem, et in aere sustollit, cadentem inter cornua recipit, rursumque in aere ventilat altius, nec desistit, donec hominem in aere membratim discerpat : Nullus alius est fructus, nec aliam

speres de tauro utilitatem, quando eorum cursum intueris, præterquam luctatores, seu venatores in aere discerpi, diffringi vestes, chlamydes etc, in aere, e contra robur, quod rhinoceros ostendit suo unico cornu, vergit in multorum utilitatem; illo quippe cornu venenum aufert aquarum, et illas purificat, quo animalium sitentium succurrit necessitati, ovium, vaccarum, passerum. NUZA l. I, s, n. 46.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Iracundiam, qui vincit, hostem superat maximum, inquit recte Seneca, *in Proverbiis*. Hinc et S. Chrysostomus : Quid esse possit, inquit, hoc Propheta beatius, qui brevi temporis momento sic hostem e furore ad sobrietatem composuit, et animum nactus cædis ac sanguinis sitientem repente ad lamenta ac ejulatus composuit? Non perinde miror Moysen, quod a saxo prærupto fontes elicuerit aquarum, ut admiror Davidem, quod ex oculis lapideis fontem eduxerit lacrymarum. Siquidem ille vicit naturam, at hic vicit animi decretum; ille virga percussit lapidem, hic sermone perculit cor, non ut contristaret, sed mansuetum redderet. S. CHRYS. hom. 1 *de David et Saule*.

Cum aliquando Fratres quemdam in præsentia S. Antonii collaudarent, hic autem eum probans, adverteret, injuriam sustinere non posse, dixit ei : Tu quidem, o Frater, similis es ædificio, quod habet ingressum ornatum, per postica tamen a latronibus impugnatur. *Vita PP. de Patient. et Humil.*

Quidam senex dixit: Si quis linguam suam non tenuerit in tempore iræ, nec passionem carnis suæ aliquando poterit continere. Ibid.

Henricus, Comes Holsatiæ, leoni cum rugitu et ferocia sibi obvianti interritus dixit : Quiesce, canis ferox. Qua voce consternatus leo, ad pedes ejus se prostravit, et manu apprehensus in caveam ductus est. FAB. conc. VI *in Dom. 5 post Pent.*

S. Augustinus semper in manu annulum gestabat, in quo cancer marinus, qui utraque manu papilionem, præcipitantiæ typum, gerebat, sculptus erat, quo seipsum admoneret, ne in ira præceps esset. Ib. conc. V, n. 2.

Cato Priscus aiebat, iratum ab insano nonnisi tempore distare. PLUT. *in Apopht.*

S. Basilius interrogatus, cur maledici diligendi essent? respondit: Quia eorum opera beatitudinem illam consequimur, de qua Christus dixit: Beati estis, cum maledixerint vobis homines mentientes propter me. S. BASIL. *in Regul. fuse*, q. CLXXVII.

Recte cecinit Horatius :

> Ira furor brevis est, animum rege, qui nisi paret,
> Imperat. Hunc frenis, hunc tu compesce catena.
> HORAT. l. III, ep. 7.

Plato interrogatus, per quid cognoscatur sapiens? respondit : Sapiens, cum vituperatur, non irascitur; cum laudatur, non extollitur. LAERTIUS, *in Vita*.

DAMNUM. — Quo minus presseris iram, ait Seneca, eo magis ab illa premeris. Tunc enim incipimus aliis irasci, cum nobis desinimus. Finis namque iræ est initium pœnitentiæ. SENEC. *in Prov.*

S. Ephrem suasit monacho, ut potius optet gladio invadi, quam iracundia corripi. S. EPHR. *in Doctrin. de Perfect.*

Ictus ab apicula ursus, ira incensus in apiarium irruit, et alvearia depopulatur. Tunc apes pleno agmine in ipsum irruunt, a quorum aculeis elapsus : Quanto satius fuerat, inquit, unum pati apiculæ vulnus, quam tantum in me exercitum ira mea concitare! LANGIUS, *in Polyant.* f. 604.

AXIOMATA.

Multum deliras si pectore concipis iras.

Res parient diras, nisi mox excluseris iras. BUCHLERUS V. eodem.

Iræ dilatio, mentis pacatio.

Hora et mora sunt prima iræ medicina.

Hinc Athenodorus Philosophus ex Cæsaris Augusti aula discessurus, eidem documentum petenti suasit, ut, ubi ira inflammatum se sentiret, nihil statueret, vel imperaret, donec omnes Alphabeti litteras percurrisset. Quam doctrinam tanti fecit Cæsar, ut Athenodorum dimittere noluerit, dicens, eum diutius sibi necessarium esse. PLUTARC. *Vita August.*

Imbellium animorum est cito irasci.

Cupido et Ira pessimi sunt Consultores. SALLUSTIUS, *in Jugurtha.*

> Ira ac præcipitantia.
> Destruunt bona consilia. BIAS, *apud Laert.*

Ubi multa iracundia, multa quoque insania. SENEC. *de Ira.*

Iratus nemini magis nocet, quam sibi. *Florileg.* p. 2.

Potissimus iræ fructus pœnitentia. Idem.

Ira cedendo, non cædendo extinguitur. Flor. p. II Ibidem.

AUCTORES.

Joannes Busæus, *in Panario* V. eodem.

Jacobus Marchantius, *in Horto Pastorum Tub. Sac.* tr. VI.

Petrus Canisius, tom. III *de Just. Christ.* § 8.

Bernardinus Rosignol. lib. II *de Discipl. Christ. perfect.* c. XVII.

Philippus d'Outreman, *in Pædagogo Christiano*, p. I, § 7.

Jacobus Alvarez, tom. II, *de Perfect.* l. I, p. II, c. IX et X.

Cassianus, l. VIII *de Justit. renunt.*

Ludovicus Granat. *in Duce Peccatorum*, l. II, c. IX.

Josephus Langius, *in Polyanth.* V. eod.

Franciscus Petrarcha, l. I *Dial.* CVII.

Æneus Seneca, lib. *de Ira.*

Mathias Faber, con. V, VI et VII *in Dom.*

Thomas Stapletonus, text. II *in Dom.* 5 *post Pent.* et text. III ac VII *in Dom. Pass.*

Joseph. Mansi, *in Bibl. Morali*, tr. LIX.

JUDICIUM EXTREMUM.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est exactio rationis super vitam ab Angelis et hominibus viatoribus institutam, de qua S. Paulus ad Hebræos dixit: Statutum est hominibus semel mori; post hoc autem judicium. Hebr. IX, 27. Clarius vero id ipsum alibi indicavit dicens: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. I Cor. V, 10.

Divisio. — Dividitur in *Particulare* et *Universale;* illud est, quod cuique in ipso mortis articulo subeundum est, hoc est, quod in fine Mundi instituetur. Utriusque testimonium affert S. Chrysostomus, dum ait: An non uniuscujusvis consummatio est vitæ suæ terminus? Audi Paulum dicentum: Ipsi namque exacte scitis, diem Domini ut furem in nocte, ita venturum. Non solum communis ille, sed et uniuscujusque proprius ita veniet; iste quippe illum imitatur. Est enim et iste cognatus illi. Quod enim ille simul et summatim, hoc iste per partes facit. S. Chrys. c. V, *in c.* I *Thessalon.*

Partes. — Prima pars Judicii ex *Signis* antecedentibus constituitur; de quibus jam olim Deus per Prophetam Joelem dixit: Dabo prodigia in cœlo et in terra, sanguinem et ignem, et vaporem fumi; sol convertetur in tenebras, luna in sanguinem antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Joel. XXI, 25. Sed et Christus de iisdem apud S. Lucam prædixit: Et erunt signa in sole, et luna, et stellis; et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore et expectatione, quæ supervenient universo orbi, nam Virtutes cœlorum movebuntur. Luc. XXI, 25.

Secunda pars est *Congregatio judicandorum, et Adventus Judicis;* de quibus Christus apud S. Matthæum dixit: Tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo, et tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et Majestate. Et mittet Angelos suos cum tuba et voce magna; et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum. Matth. XXIV, 30. Quod autem sit signum istud, explicat S. Thomas, dum ait: Signum Crucis intelligamus, ut videant juxta Zachariam, in quem pupugerunt. Apparebit autem signum Crucis ut Judæorum invere cundiam confutet; adveniet enim Christus, in Judicio, non vulnera solum sed mortem exprobratissimam ostendens. S. Th. in l. c. *Matth.* Unde S. Chrysostomus ait: Apparebit Crux sole luculentior, et non opus erit accusantibus, cum Crucem viderint. S. Chrys. LXXVII *in Matth.*

Tertia pars erit ipsum *Examen*, de quo iterum Christus apud S. Matthæum dixit: Cum autem venerit Filius hominis in Majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem Majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis, et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris. Tunc dicet his, qui a dextris ejus erunt: Venite, benedicti Patris mei, et possidete paratum vobis Regnum a constitutione mundi;

esurivi enim, et dedistis mihi manducare etc. MATTH. XX, 31.

Quarta tandem pars erit *Sententiæ prolatio* a Christo per illa verba: *Venite, benedicti*, et *discedite, maledicti*, indicata, post quam ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. De qua sententia jam olim Eliu locutus et confessus videtur, cum eam in Spiritu prævidisset: Super hoc expavit cor meum, et emotum est de loco suo. Audite auditionem in terrore vocis ejus, et sonum de ore illius procedentem. Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ, tonabit Deus in voce sua mirabiliter. JOB. XXXVI, 1. Cum ergo, ut idem alibi ait, vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? JOB. XXVI.

EX S. SCRIPTURA.

Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. II COR. V, 10.

Dixi in corde meo: Justum et impium judicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit. ECCL. III, 16.

Et vidi mortuos magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt; et alius liber apertus est, qui est vitæ; et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum. APOC. XX, 12.

Scito, quod pro omnibus adducet te Deus in judicium. ECCL. XI, 9.

Et erit in tempore illo scrutator Jerusalem in lucernis. SOPHON. II, 14.

Nolite judicare ante tempus, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. I COR. IV, 5.

Judicabit orbem terræ in æquitate, et populos in veritate sua. PS. XC, 13.

Et tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo, et tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis in nubibus cœli cum virtute multa et Majestate. MATTH. XXIV, 30. Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli. MATTH. XXVI.

Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. JOAN. V, 22.

Et præcepit nobis prædicare populo, et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo Judex vivorum et mortuorum. ACT. X, 42.

Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt. JUDÆ, 15.

Mittet Angelos suos cum tuba, et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum. MATTH. XXIV, 31.

Omnes stabimus ante tribunal Christi. Ita unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. ROM. XIV, 31.

Fugite ergo a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est, et scitote esse judicium. JOB. XIX, 19.

Cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium, pro omni errato, sive bonum, sive malum sit. ECCLES. XII, 14.

Annuntiabunt cœli justitiam ejus, quoniam Deus judex est. PS. IL, 6.

Præcepit nobis prædicare populo, et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo Judex vivorum et mortuorum. ACT. X, 42.

QUALITAS. — Idcirco unumquemque juxta vias suas judicabo, domus Israel, ait Dominus Deus. EZECH. XVIII, 10.

Nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis. ACT. XVII, 30.

Nunc finis super te, et immittam furorem meum in te, et judicabo te juxta vias tuas, et ponam contra te omnes abominationes tuas. Et non parcet oculus meus super te, et non miserebor, sed vias tuas ponam super te, et abominationes tuæ in medio tui erunt. EZECH. VII, 2.

Dico vobis: Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli. MATTH. XXVI, 6.

Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. MATTH. XIX, 28.

Viri Ninivitæ surgent in judicio cum ge-

neratione hac, et condemnabunt illam, quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ. Luc. II, 21.

Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum. Sap. IV, 20.

Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Matth. XXIV, 21.

Juxta est dies Domini magnus, juxta est, et velox nimis ; vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris super civitates munitas, et super angulos excelsos. Sophon. I, 24.

Magnus enim dies Domini, et terribilis valde, et quis sustinebit eum? Joel. II, 11.

A Domino exercituum visitabitur (nempe multitudo sibi inimica) in tonitru, et commotione terræ, et voce magna turbinis, et tempestatis, et flammæ ignis devorantis. Isaiæ, c. XXIX, 6.

Ecce Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ ejus, reddere in indignatione furorem suum, et increpationem suam in flamma ignis, quia in igne dijudicabit. Ib. c. LXVI, 15.

Eritque in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore, et expectatione, quæ supervenient universo orbi. Luc. c. XXII, 25.

Cum autem venerit Filius hominis in Majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem Majestatis suæ ; et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis ; et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris. Matth. c. XXV, 31.

Dominum formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in cœlis tonabit ; Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium Regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. II Reg. c. II, 10.

Ecce dies Domini veniet, crudelis, et indignationis plenus, et iræ, furorisque, ad ponendam terram in solitudinem, et peccatores ejus conterendos de ea. Isaiæ, c. XIII, 9.

Severitas. — Cum accepero tempus, ego justitias judicabo. Ps. LXXIV, 2.

Dico vobis : Quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reteddn rationem de eo in die judicii. Matth. XVIII, 36.

In cogitationibus impii interrogatio erit. Sap. I, 9.

Si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? I. Petr. IV, 18.

Æquitas. — Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet eis. Job. XXXIV, 10.

Judicabit orbem terrarum in justitia, et populos in æquitate. Ps. XLVII, 9.

Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet ; sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Is. XI, 3.

Quis dicet tibi : Quid fecisti? Aut quis stabit contra judicium tuum? Aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? Aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti? Non enim est alius Deus, quam tu, cui est cura de omnibus, ut ostendas, quoniam non injuste judicas judicium. Sap. XII, 12.

Et vidi cœlum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, vocabatur fidelis et verax, et cum justitia judicat, et pugnat. Apoc. XIX, 11.

Stabilitas. — Neque ultra est in potestate hominis, ut veniat in judicium ad Deum. Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet? Ex quo absconderit vultum, quis est, qui contempletur eum, et super gentes, et super omnes homines? Job. XXXIV, 23 et 29.

Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Eccl. I, 3.

Zelus et furor viri (Christi) non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima. Prov. VI, 35.

Necessitas. — Propter quid irritavit impius Deum? Dixit enim in corde suo : Non requiret. Ps. X, 13.

Non est Deus in conspectu ejus. Ibid. 15.

Everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum, Daniel XIII, 9.

Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore ; auferuntur judicia tua a facie ejus. Ps. IX, 26.

Utilitas. — Confige timore tuo carnes

meas, a judiciis enim tuis timui. Ps. CXVIII, 120.

Vivet anima mea, et laudabit te, et judicia tua adjuvabunt me. Ibid. 157.

Viderunt judicia Dei insulæ, et timuerunt, extrema terræ obstupuerunt, et appropinquaverunt, et accesserunt. Is. XLI, 5.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, a facie Domini omnis terra. Ps. XCV, 5.

LOCUS. — Congregabo omnes gentes, et deducam eos in vallem Josaphat ; et disceptabo ibi cum eis. JOEL. III, 2.

Consurgant, et ascendant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu. Ibid. 31.

TEMPUS. — De die autem illa, vel hora, nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius hominis, nisi Pater. MARC. XIII, 32.

Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. ACT. I, 7.

Et vos estote parati, quia, qua nescitis hora, Filius hominis venturus est. MATTH. XXIV, 24.

Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei! JOAN. XXV, 6.

De temporibus et momentis, Fratres, non indigetis, ut scribamus vobis ; ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. I. THESS. V, 1.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Attende, quam cito veniet dies ultima. Præsentaberis ante tremendum Judicem, accusaberis multis et magnis offensis, non uno, aut paucis, sed innumeris criminibus, non dubiis, sed certis, non brevi accusatione, sed tam longa, quam longa est tota vita tua, non uno accusatore, sed tot, quot sunt delicta tua. Ipse Judex erit districtus accusator tuus. Omnes etiam Spiritus boni et mali coram Deo te accusabunt ; boni, quia Deo debent æquitatem ; mali, quia tuam servant iniquitatem. Tot judicibus et populis adstabis, quot præcesserunt te in opere bono. Tot arguentibus confunderis, quot tibi præbuerunt bene vivendi exemplum. Omnibus populis nudabuntur iniquitates tuæ, et cunctis agminibus patebunt universa scelera tua. Multa vero peccata tunc proruent ex improviso, quasi ex insidiis, quæ modo non vides, et forsitan plura et terribiliora, quam sint, quæ nunc vides. S. BERN. XII. *in. dom.* c. XXII.

A dextris erunt peccata accusantia, a sinistris infinita Dæmonia, subtus horrendum chaos inferni, desuper iratus Judex, foris mundus ardens, intus conscientia urens, ibi vix justus salvabitur. Heu ! miser peccator sic deprehensus quo fugies ? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. S. ANS. *de Simil. mundi.*

Quid tam pavendum, quam judicandum adstare illi tam terrifico tribunali, et incertam adhuc expectare sub tam districto Judice sententiam? S. BERN. *in* Ps. XC.

Time, o homo, quod in terribili judicio ei præsentandus es, in cujus manus horrendum est incidere, et ab eo examinandus, quem nihil latet ! Idem, s. *de Prim. med.*

In illo die nihil est, quod respondeamus, ubi cœlum, terra, aer, aqua, et totus mundus stabit adversum nos in testimonium peccatorum nostrorum ; et si omnia taceant, ipsæ cogitationes nostræ, et ipsa opera specialiter stabunt ante oculos nostros, nos ante Deum accusantes. S. CHRYS. in c. XXIV. *Matth.*

Quid judicii tempore facturi sumus, quando contra crucifixi Domini livores notæ peccatorum nostrorum, et maculæ libidinum proferentur ? Quo vultu respiciet redemptio nostra perditionem nostram? Tanto graviora erunt nostra delicta, quanto majora se ostenderint divina beneficia. CÆSAR. h. XXV.

Qua fiducia stabit desertor ante Regem suum, vulneratus ante Medicum suum, perditus ante pretium suum ? Unde misericordiam petiturus est, primum de misericordiæ contemptu judicandus ? EUSEB. EMISS. hom. II, *de Symb.*

In quo quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet Mundi dies novissimus, quoniam qualis in die isto moritur, talis in die isto judicabitur. S. AUG. *ad Diosc.*

Quid in Babylone tutum, si in Jerusalem manet scrutinium ? Si justus vix salvabitur, peccator ubi parebit? Quid facient tabulæ, quando tremunt columnæ ? S. BERN. s. IV, *in Cant.* et S. GREG. l. XVII, *in Joan.* c. XIX.

Non confuse, aut summatim, aut indigeste peccata nostra cernentur, sed singula per partes suas, ut sese habent, velut in pictura noscentur. Exempli causa, quomodo ad patrandum quisque adulterium prope-

rans e lecto surrexit; quibus passibus incedens usus est; quo motu corporis, lentiore, an concitatiore; quem habitum, dum procederetur, assumpsit; et ex qua parte irrumpens uxorem alienam violavit; quo item ordine huic mulier ad nefarium opus se substravit. Hæc, inquam, omnia velut in tabula per partes diligenter expressa cernentur. Nec opus tantum externum, sed et intimæ cogitationes. S. Basil. in lib. *de Vera virg.*

Majus tormentum malis erit, furorem vultus divini tolerare, quam cruciatus infernales perpeti. S. Aug. s. CXX *de Temp.*

Quot tribulationes, quot infirmitates patimur, tot stillas de Dei judicio sentimus. Si ergo tanta est illa, quanta erit abyssus multa? Hug. Card. in c. XVI *Joan.*

Accusator quoque erit mundus; merito namque accusator erit, quia offenso Creatore offenditur totus mundus. S. Laur. Just. l. IV *de Lign. vit.*

Hi sunt libri infallibiles et veri, quos nemo potest rejicere. Ipsa enim cujusque conscientia reatus sui testimonium palam omnibus exhibebit. Ita ad amussim ibi discernentur non solum exteriores actus et opera, sed radices quoque operum, intentiones et voluntates, meritorum quoque et demeritorum causæ, intentionumque et desideriorum et fines, et circumstantiæ, ut vix ulla reperiatur pura justitia, quæ non auxilio gratiæ et misericordiæ egeat roborari. S. Thom. Vill. conc. II, *in Dom.* 1, *Adv.*

Tanto amplius se animus in cogitatione dilatat, quanto illud esse terribile, quod imminet, pensat; et in diversa mens rapitur quando modo mala, quæ egit, modo bona, quæ agere neglexit; modo reprehensibilia, in quibus est; modo recta, quæ sibi adhuc deesse conspicit, sollicito pavore perpendit. S. Greg. L. XIV *Mor.* c. I.

Sæpe electis etiam volentibus in cogitatione surripitur, quod in se quidem solerter inspiciunt, et ante Dei oculos, quanti sit reatus, attendunt; et cum de his omnibus districta judicia semper pertimescant, tunc tamen hæc vehementer metuunt, cum ad solvendum humanæ conditionis debitum venientes, districto judici appropinquare se cernunt; et fit tanto timor auctior, quanto et retributio æterna vicinior; ante oculos autem cordis nihil inane tunc transvolvat de phantasmate cogitationis. Idem, l. XXIV *Mor.* c. VII.

In judicio reprobi humanitatem Christi, in qua judicatus est, videbunt, ut doleant; Divinitatem vero ejus non videbunt, ne gaudeant; quibus enim Divinitas ostenditur, utique ad gaudium demonstratur. S. Isid. L. I, *Sent.* c. XXXVII.

Totus ignis ille, qui præcedet faciem judicantis, et omnis caliditas ejus conglomeratos involvet, et attrahet ad inferos peccatores, et sic præcipitanter ruent in supplicium sempiternum. S. Bern. tom. I, s. II, a. 3.

Cogita, quanta gloria, quantus honor, quanta corona illa futura sit, cum Judex dixerit: Iste verbum meum servavit, iste fidem meam prædicavit, iste pauperem meum non despexit, iste avaritiam conculcavit, et justitiam illi prætulit, iste mundum, quasi non esset, derisit, iste verbum meum honore affecit. S. Chrys. tom VI, hom. *de Cæco.*

Pro diversitate conscientiarum, et mitis apparebit in judicio Christus electis, et terribilis reprobis; nam qualem quisque conscientiam tulerit, tale judicium habebit, ut manente in sua tranquillitate Christo, illis solis terribilis appareat, quos conscientia in malis accusat. S. Isid. loc. cit. c. XXVII.

Non arbitrandum est in die judicii illos tantum a Deo Filio esse denegandos, qui in martyrio Christum negaverunt, sed et illos omnes, quorum opere, vel sermone, vel cogitatione Christus negatus negat, vel confessus confitetur. S. Hier.

Manifestus veniet inter justos judicaturus juste, qui occulte venerat judicandus ab injustis, injuste. S. Aug. *de Civ. Dei.*

Extremo die judicii, cum apertis cœlis, ministrantibus Angelis, consedentibus Apostolis, in sede Majestatis suæ Christus apparebit, omnes hunc electi pariter et reprobi videbunt, ut et justi de munere retributionis sine fine gaudeant, et injusti de ultione supplicii in perpetuum gemant. S. Gregor. hom. XXII.

In Majestate visuri sunt quem in humilitate videre noluerunt ut tanto districtius Christi virtutem sentiant, quanto cervicem cordis ad ejus præsentiam non inclinant. Idem, *super illud Matth.* c. XXIV: *Et virtutes cœlorum movebuntur.*

Necessitas. — Magna nobis est indita necessitas, juste recteque vivendi, qui cuncta facimus ante oculos Judicis cuncta cernentis. S. Aug. c. XIV, *Soliloq.*

Habet hoc infelix consuetudo peccandi, ut

quantum amplius unusquisque peccaverit, tanto minus peccata ipse intelligat. Veniat illud, quod Propheta peccatoribus clamat : « Non est Deus in conspectu ejus. Auferuntur judicia tua a facie ejus. » Etenim quando subrepit peccandi delectatio, statim futuri judicii diem abscondit oblivio. Cæsarius Arel. hom. xxix.

Irremediabile periculum est sic aliquem vitiis et cupiditatibus frena laxare, ut se rationem Deo non meminerit redditurum. Puto, quod magna sit peccati pœna, metum ac memoriam futuri perdidisse judicii. S. Aug. ser. xxiv, *in Append.*

Utilitas. — Judicium semper præ oculis habeamus, et ita semper virtuti vacare poterimus; nam sicut, qui diei illius oblivisci-tur, tamquam freno abjecto in præcipitium defertur (inquinatæ enim sunt, inquit, viæ illius omni tempore; et causam affert: « Auferuntur judicia tua a facie ejus ») ita, quem continuus hic percellit timor, modeste vivendi viam ingreditur. S. Chrys. hom. xviii, *in Joan.*

Si ditescere, si rapere, si absurdum aliquid facere voluerimus, e vestigio dies illa judicii animo inscribatur (etenim freno vehementius absurdos affectus cogitatio hæc cohibebit) atque invicem et nobiscum semper dicamus : Horrendum illud nos judicium manet. Idem, hom. xliv, *in Joan.*

Nihil est, quod magis proficiat ad vitam honestam, quam ut credamus eum judicem futurum, quem et occulta non fallunt, et indecora offendunt, et honesta delectant. S. Ambros. *lib. de Officiis.*

Quantitas seu Severitas. — Si taliter flagellatur Job, qui sic timuit, qualiter feriendus est, qui contemnit? Ex verbere præsenti judicia æterna pensanda sunt. Quomodo enim toleranda est pœna, quæ reprobat, si ferri non potest ira, quæ purgat? S. Greg. l. xxi *Mor.* c. xvi.

Per flagella hujus vitæ judicii nobis districtio commendatur; si enim ita districte modo percutit, quando parcit; quomodo percussurus est, quando non parcens judicabit? Id. l. xxix *Mor.* c. xxviii.

Cum talis terror futurus sit advenientis, quis poterit terrorem sustinere judicantis? Cum talis futura sit præsentiæ species, qualis erit forma sententiæ? Ille ergo venit ad judicandos nos, qui se judicio meminit addictum pro nobis. Ille veniet ad discutiendam vitam nostram, qui eam restituit per mortem suam. Ille, inquam, pro commissa nobis salute nostra rationem exacturus est, qui pro nostra redemptione damnatus est. Qui tantum contulit, scit, quantum reposcat. Euseb. Emiss. *hom. de Symb.*

Æquitas. — Supernæ æquitati convenit, injuste acta juste judicare, ut divina sententia ordinet in pœnam, quos inordinata actio traxit in culpam. S. Greg. l. xviii *Mor.* c. vi.

Cognoscetur recte Dominus justitiam faciens, qui nunc ignoratur misericordiam quærens. S. Bern. *de* 12 *grad.*

Veritas, Infallibilitas et Immutabilitas. — Non falli poterit, quia sapiens; nec vitari poterit, quia fortis robore. Nunc ut sapiens omnia prospicit; tunc ut fortis omnia punit. S. Greg. l. ix *Moral.* c. ii.

Ille Judex nec gratia prævenitur, nec misericordia flectitur, nec pecunia corrumpitur, nec pœnitentia vel satisfactione mitigabitur. Hic dum tempus habet, agat anima pro se, quamdiu locus est misericordiæ, quia ibi erit locus justitiæ. S. Aug. lib. iii, *de Symb.*

Modo enim licet tibi causam tuam componere. Ante ultimum Judicium Dei compone causam tuam. Non est, unde præsumas, cum ille venerit; nec falsos testes adduces, quibus ille fallatur; nec patronos fraudulentis circumventionibus, et ingeniosis artibus adhibebis; nec ambies aliquo modo, ut Judicem possis corrumpere. Quid ergo ages apud talem Judicem, quem nec fallere, nec corrumpere poteris, et tamen est, quod agas? Tunc enim ipse erit Judex causæ tuæ, qui modo est testis vitæ tuæ. S. Aug. l. *de* x *Chor. disc.* c. ii.

Cum venerit judicii tempus, correctionis locus non erit, sed tantum damnationis. Et erit tibi pœnitentia, sed infructuosa, quia sera. Hodie hortatur te, ne judicet te; et qui Judex tuus futurus est, ipse est hodie Advocatus tuus. S. Aug. *in Ps.* li.

Veniet dies judicii, ubi plus valebunt pura corda quam astuta verba; plus conscientia bona, quam marsupia plena; quando quidem Judex ille nec flectetur donis, nec falletur verbis. Quid faciet de injustis judiciis, qui ipsas quoque justitias judicabit? S. Bern. epist. l.

Si credis Deum creatorem, aut gubernatorem mundi, non debes eum credere aut cæcum, ut ea quæ fiunt, non videat; aut, insipientem, ut si videat, non cognoscat;

aut malignum, ut malum, quod videt, ei placeat et punire non valeat; aut injustum, ut nec bonis bona, nec malis mala retribuat. Bellovac. *Spec. mor.* dist. iv, l. II.

Sedebit judex, qui stetit sub judice; damnabit vero reos, qui falso factus est reus. Nihil prohibet unum et idem deberi alicui ex diversis causis, sicut gloria corporis resurgentis debita fuit Christo, non solum propter congruentiam Divinitatis et propter gloriam animæ, sed etiam ex merito humilitatis passionis; et similiter dicendum, quod judiciaria potestas homini Christo competit, et propter divinam personam, et propter plenitudinem gratiæ habitualis, et tamen etiam ex merito eam obtinuit, ut scilicet secundum Dei justitiam judex esset, qui pro Dei justitia pugnavit, et vicit, et injuste judicatus est. S. Thom. p. iii, q. lviii, art. 3.

Tempus. — Frustra annos, qui huic sæculo remanent, computare ac definire conamur, cum hoc scire, non esse nostrum, ex ore veritatis audiamus. Quos tamen alii quadringentos, alii quingentos, alii etiam mille ab Ascensione Domini usque ad ultimum ejus adventum compleri posse dixerunt. Conjecturis quippe utuntur humanis non ab eis certum aliquid de Scripturæ Canonicæ veritate profertur. Omnium vero de hac re calculantium digitos resolvit, et quiescere jubet ille, qui dicit: Non est vestrum scire tempora, quæ Pater in sua posuit potestate. S. Aug. l. xviii, *de Civ. Dei*.

Memoria judicii. — Semper cor et lingua tua de extremo Judicio meditentur. Sive igitur operi, sive orationi intentus sis, sive ambules, sive sedeas, sive comedas, sive jejunes, sive in cubili tuo vigil jaceas, sive quid aliud agas, non desistat mens tua cogitare, et os tuum loqui de judicio. S. Ephrem, tom. II, par. an. 47.

Rogo vos, Fratres charissimi, ut lectionem istam attento corde audiatis, et memoriter retineatis; qui enim istam lectionem diligenti mente attendit, etiamsi reliquas Scripturas, minime intelligat, ista sola lectio sufficere potest ad omne opus bonum faciendum, et ad omne opus malum fugiendum. S. Cæsar. Arel. hom. 35.

In omni vitæ nostræ genere memoria divini Judicii inserenda et continenda est, ut cum aliquid agimus, residente in nobis Judicii memoria, vel numquam potius abeunte, præceptis Dei opera nostra famulentur. Beatus erit, quisquis non sine memoria divini Judicii omnia gesserit; quod de se profitetur Propheta, dicens: « Memoratus sum Judiciorum tuorum a sæculo, Domine, et consolatus sum. » S. Hilar. *in* Ps. 118.

O anima, numquam excidat a tua memoria *Ite, maledicti, in ignem æternum! Venite, benedicti, percipite Regnum!* O! quid potest lamentabilius et terribilius cogitari, quam, *ite?* Quid delectabilius exprimi, quam, *venite*? Duæ sunt voces, quarum nihil horribilius una, et nihil jucundius altera poterit audiri. S. Bonav. tom. 7. c. iii. *Soliloq.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Adveniente die judicii non quæretur a nobis, quid legimus, sed quid fecimus; nec quam benè diximus, sed quam religiose viximus. L. V. c. iii. § 3.

In omnibus rebus respice finem, et qualiter ante districtum stabis Judicem, cui nihil est occultum, qui muneribus non placatur, nec excusationes recipit, sed quod justum est judicabit. L. I. c. xxiv. § 1.

O miserrime et insipiens peccator, quid respondebis Deo omnia tua mala scienti, qui interdum formidas vultum hominis irati? Ut quid non prævides tibi in die judicii, quando nemo poterit per alium excusari vel defendi, sed unusquisque sufficiens onus erit sibi ipsi? Ibid.

Tunc plus lætificabit bona et pura conscientia, quam docta Philosophia. Tunc plus valebunt sancta opera, quam multa pulchra verba Ibid. § 6.

Durus multis videtur hic sermo: Abnega temetipsum, tolle crucem tuam, et sequere Jesum; sed multo durius erit audire illud extremum verbum: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum. Qui enim modo libenter audiunt, et sequuntur verbum Crucis, tunc non timebunt ab auditione æternæ damnationis. Hoc signum Crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit. Tunc omnes servi Crucis, qui se crucifixo conformaverunt in vita, accendent ad Christum Judicem cum magna fiducia. L. II. c. iv. § 1.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Qualitas.—David sollicite a Deo petebat: Non intres in judicium cum servo tuo, Domine. Item: Confige timore tuo, carnes meas; a judiciis enim tuis timui. Ps. CXLII. 2. Ps. CXVIII. 120.

Job dicebat: Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus? Job. XIV. 13.

S. Hieronymus fassus est, se, quoties diem illum consideravit, toto corpore contremuisse, et semper illam tubam: *Surgite, mortui, venite ad judicium!* in auribus suis sonuisse. Surius, *in Vita*, 30 Octob.

S. Augustinus quoque de se confessus est, nihil aliud ipsum a profundiore voluptatum carnalium gurgite revocasse, nisi metum mortis et futuri judicii, qui numquam recessit de pectore illius. S. Aug. L. XVI. *Conf.* c. 16.

S. Bernardus, quantopere timuerit judicium hoc, sequentibus verbis expressit: Paveo gehennam, paveo Judicis vultum, ipsis etiam tremendum Angelicis potestatibus. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletum? S. Bern. s. x. *in Cant.*

S. Vincentius, Ordinis Prædicatorum, zelosissimus concionator, plerasque conciones de Judicio instituit. Bessæus, conc. I. *de Judicio.*

Isaias quoque de se fatetur: Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut prædicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro. Is. c. LXI. v. 1.

S. Theresia, cum Christus Judex in pulcherrima luce se illi spectabilem exhibuisset, et quædam venialia peccata ostendisset, tanto pudore confusa est ex eorum aspectu, ut pœnas Inferni tolerabiliores esse putaret, et undequaque quæreret, quo se absconderet. Unde intulit: Si tantilla lux tanto animum stupore consternavit, quid futurum est in die judicii, quando se clare ostendet illa Majestas, et fœditatem peccatorum ostendet? *Vita*, c. XL.

Elias Abbas, qui septuaginta annis sanctissime vixerat in deserto, dicere solebat iis, qui ad ipsum ventitabant: Tria timeo. Primum est, animæ e corpore discessio. Alterum, inevitabilis necessitas comparendi coram Deo. Tertium est, sententia, quam in me laturus est Judex. Pallad. c. LI.

Agathon cum sub finem vitæ per triduum oculis apertis cœlum aspiceret, et ab astantibus quæreretur, ubi esset? respondit: In conspectu Dei sto. Cumque illi rursum interrogarent, numquid et tu times, Pater? respondit iterum: Quantum potui, mandata Dei servare studui, sed unde scio, opera mea Deo placuisse? Alia sunt hominum, alia Dei judicia. Ideo nihil confido de gratia et favore Dei, donec sententiam in me ferendam audivero. Ruffin. n. 161.

S. Arsenius, annorum centum viginti senex, post vitam sanctissime actam cum in fatali lecto flere cœpisset, et ab astantibus interrogatus fuisset, num et ipse sibi a Judice timeret? respondit: In veritate timeo, et iste timor, qui nunc mecum est, semper in me fuit, ex quo factus sum Monachus. Ibid. n. 163.

Princeps Lusitaniæ, Joanna, cum post exactam in Monasterio sanctissime vitam, in morte luctaretur, et Monialis intima accedens diceret illi: ergone, o Domina, tuam de Deo confidentiam amittis, et quasi desperata loqueris? respondit: Charissima Soror, non de Deo despero, neque de illius infinita misericordia; bene tamen tibi dico, quod hoc non est ad domum Regis Patris ire, sed ante tribunal Dei tremendum. Engelgrav. *in Festo Assumpt.*

Joannes Taulerus moribundus tam horribiles et pavendos gestus et aspectus præseferebat, ut omnes adstantes de salute sollicitos redderet. Verum post triduum amico intimo apparens dixit, Deum permisisse ipsum tam horribili morte defungi, ut propter hanc luctam expeditius ad cœlum transiret. Et revera, inquiebat ulterius, in eas me angustias Dæmones conjecerant, ut viderer desperationi proximus; et nisi mors interveniens vocem interclusisset, eos edidissem clamores, qui summos angores facile testari potuissent. Drex. l. II. *Trib.* c. v. § 3.

Religiosus quidam post mortem alteri apparens habitu vili et tristi vultu, quærenti causam tristitiæ, dixit: Nemo credit, nemo credit, quam districte Deus judicet, et quam severe puniat. Fab. *conc.* VI. *in Dom.* XX, *post Pent.*

Thallelæus Cilix, quod notatu dignissimum, annis sexaginta, quos in divino servi

tio exegit, assidue flevit, semperque dicere solitus est : Tempus hoc nobis ad pœniten tiam indultum est, et rationes valde severas postulabit Judex, si illud neglexerimus. Joan. Moschus, *in Prat. Spir.* c. xxxix.

De sanctitate Sancti Ephrem S. Basilius egregium perhibet testimonium, præterquam quod, cujus ille Spiritus fuerit, ejus opera sufficienter demonstrent, et tamen audite, qualiter idem ille in pluribus librorum suorum locis de hoc timore locutus fuerit. Nam, in capite lxxviii, de apparitione Crucis in Judicio, inquit: Heu mihi, Fratres mei in Christo dilecti! recordatus sum horæ illius, et contremui. Et paulo post : Hæc dum mecum cogito, timore corripiuntur membra mea, et dissolvor undique, oculi præ timore lacrymas fundunt, vox mihi deficit, labia mea quasi conglutinata hærent, lingua mea contremiscit. S. Ephrem. t. I. *de Appar. Cruc.* Idem quoque, capite lxxx, de Judicio extremo, et de compunctione disserens, ita scribit: Mihi sane cor tremit, et renes immutantur, dum cogito de actuum omnium manifestatione, cogitationumque ac sermonum exacta discussione, quæ ibi fiet. Ibidem.

Utilitas. — Sanctus Lucas Sanctum Paulum, tanquam furibundum leonem, et Christi persecutorem nobis describit, qui adversus Evangelii sequaces, fulmina iræ suæ evibrare satagebat : Saulus adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini. Quem tamen eumdem paulo post in eodem capite nobis exhibet, velut agnum quemdam longe mansuetissimum : *Domine, quid me vis facere*? Valde illum ex tunc veneramur, tanquam Vas electionis, Doctorem gentium, et Apostolum gloriosissimum, ad totius mundi conversionem specialiter destinatum. Sed undenam orta est hæc tanta viri hujus mutatio ? Ex consideratione finalis judicii. Audiamus hac de re loquentem S. Vincentium : Quando, inquit, Christus sibi dixit : « Saule, Saule, durum est tibi contra stimulum calcitrare ; » cui Christus ostendit se, (ut dicunt Glossæ) sicut stabit in judicio, Paulus statim tremens ac stupens, dixit : « Domine, quid me vis facere? » S. Vincen. Ferr. s. iii *in Sexag.*

De Sancta Elisabeth, Ungariæ Regina, refertur, quod, cum ei hospitalia sæpe frequentanti, infirmisque ibidem decumbentibus magna cum charitate et compassione inservienti, pium hoc ministerium a pedissequis suis dissuaderetur, ipsa eas responso adæquato compescuerit, imo ad se sequendam et imitandam stimulos addiderit, dicendo : Ego me dispono, et præparo ad diem judicii, ut examinanti me Judici apte respondere possim ; dictura enim sum Christo : Recordare, quod tibi in hospitalibus infirmanti tanta cum charitate inserviverim, ut pedissequæ meæ ab hoc pietatis officio me revocare conatæ fuerint. Mansi, disc. xxxi, n. 2.

Referunt sacræ paginæ, Regem Babyloniæ Balthasarem, cum adhibitis ut convivium regni magnatibus, præcepisset afferri vasa aurea et argentea, quæ asportarat Nabuchodonosor pater ejus de templo, quod fuit in Jerusalem, ut ex eis biberent, in eadem hora apparuisse digitos, quasi manus hominis scribentis, contra candelabrum in superficie aulæ regiæ ; porro istud portentum intuentem Regem ita turbavisse, ut commutata sit ejus facies, et compages renum solutæ, genuaque ejus collisa ad se invicem. Ex quo ita mecum ratiocinor : Si trium verborum in pariete scriptorum indicium, etiam cum nondum eorum sensus intelligeretur, Regem potentissimum tantum exanimavit, quantus tum futurus est reprobis terror, quando severissimi Judicis terribilem istam sententiam audient : «Discedite a me, maledicti, in ignem æternum?» Dan. c. liii.

Legimus in vita SS. Barlaami et Josaphat apud Sanctum Joannem Damascenum, fuisse Regem quemdam in primis timentem Deum, cui vectus rheda, cum forte obvios habuisset duos, vili habitu, Monachos, et subito de curru exiliens, primum in complexus eorum ruisset, deinde etiam flexo genu benedici sibi ab eisdem petiisset, factum istud, tanquam a regia dignitate alienum, ab Regis fratre ludibrio exceptum. Id cum Rex rescivisset, jussisse ferunt, ut sequenti die bene mane ante fratris ædes tuba eo sono inflaretur, quo mortis sententia in reum lata, eo loci designari solebat. Exhorruit ad buccinæ sonitum Regis frater, et lecto se effundens cum conjuge, ac liberis, nondum veste bene tectus, ad Regem accurrit, ad pedes ejus provolvitur, veniam rogat, si quid, quod ignoret, abs se peccatum; hic Rex subridens, seminecem humo surgere jubet, itaque affatur : Itane, mi frater, itane te unius tubæ sonus, etiam crimine vacuum perculit, perturbavitque, et ad fratris tui pedes abjecit? Et rides, quando me horri-

sonæ illius, qua omnes nos olim multorum criminum rei, ad Dei tribunal evocabimur, buccinæ memorem, de curru desiliisse me, et Monachis istis divini judicii præconibus ad pedes accidisse vidisti? *Pædagog. Christ.* p, VIII. c. VIII. § 8. n. 11.

S. Vincentius Ferrerius de quodam juvene, qui quantum pulcher aspectu, tantum moribus et conversatione turpis et deformis erat, refert, quod nocte quadam se ante tribunal Dei, ad reddendas vitæ suæ rationes præsentandum mox esse, somniando, adeo exhorruerit, ut sequenti diluculo omnes capilli capitis ejus perfectissime incanuerint. S. VINC. FERR. s. *de Corona.*

Bogoris, Rex Bulgarorum, considerato in pictura (quam ei Methodius Monachus in nova domo pinxerat) Judicio extremo, adeo commotus est, ut et ipse fidem Catholicam susceperit, et suos etiam Bulgaros, parva manu, prælato tamen Crucis signo devictos, ad eamdem fidem perduxerit. DAUROL. c. VIII. *Catec. hist.* t. VIII, ex. 3.

Quidam Religiosus cum mater illi mortua apparuisset, et negligentiam exprobrasset, summam pœnitentiam egit, causamque rogatus dixit: Si matris meæ improperium non portavi, quomodo improperium in die Judicii tolerabo. *Vita PP.* l. n. 216.

Disputante Paulo de justitia, et castitate, et de judicio futuro, tremefactus Felix Præses respondit: Quod nunc attinet, vade, tempore autem opportuno accersam te. Ubi, teste S. Chrysostomo, tanta erat vis verborum, ut etiam Principem deterreret. *Act.* IV, 25.

Antiochus Monachus cum in Asiæ cœnobio ab Abbate suo nimis amanter tractaretur, et ideo abeundi licentiam petiisset, prima nocte, quam in Ponti cœnobio egit, vidit in somno, se ad rationes exigendas citatum, centum librarum auri debitorem convictum esse, ideoque omnem conatum adhibuit, ut virtutum præstantissimarum, præsertim patientiæ et humilitatis, quarum occasionem injuriæ et contemptus eidem velut peregrino exhibiti abunde offerebant, exercitio hoc debitum deleret, quod et factum, nam post triennium decem libras, post alios vero decem annos, cum stultum se simulasset, et omnes cœnobii molestias pertulisset, omne debitum extinctum vidit. CLIMAC. *Grad.*

Scribit Venerabilis Beda Sanctum Ceaddam semper dum viveret, diem Domini sollicitum expectasse, et quoties tonaret, aut fulguraret, aut vehementior aliqua procella ingrueret, solitum esse in memoriam revocare extremi Judicii diem, et misericordiam Domini invocare, atque eam humano generi propitiare. Itaque paratum expectasse horam transitus sui, imo et mortis diem ei prænuntiatam ab Angelis, quibus quoque comitantibus ad cœlos emigravit. Promiserant enim Angeli se post dies septem ad eum redituros, secumque una ad cœlum adducturos. Quod quidem, inquit Beda, ita ut ei prædictum erat, opere completum est. Nam confestim languor corporis factus est, et hoc per dies ingravescente, septimo, ut promissum fuerat, die, postquam obitum suum Dominici Corporis et Sanguinis perceptione munivit, soluta ab ergastulo corporis anima sancta, ducentibus, ut creditas est, Angelis comitibus, æterna gaudia petivit. Non autem mirum si diem mortis vel potius diem Domini lætus aspexit, quem semper usque veniret sollicitus exspectare curavit. Namque inter plura continentiæ, humilitatis, doctrinæ, orationis, voluntariæ paupertatis, et cæterarum virtutum merita, in tantum erat timori Domini subditus, in tantum novissimorum suorum omnibus operibus suis memor, ut, sicut mihi Frater quidam, nomine Trumbertus, referre solebat, si forte legente eo vel aliud agente repente flatus venti major assurgeret, continuo misericordiam Domini invocaret, et eam generi humano propitiari rogaret. Ven. BEDA, lib. IV. *Historiæ. gentis Anglor.* c. III.

Petrus Constantinopolitanus, cognomento Telonarius, vir tanto majori admiratione dignus, quanto ante conversionem vixit nequius. Hic cum opum copia redundaret, dubitatum est, utrum ditior an avarior esset. Hic inter mendicos ortum est certamen, unus profitebatur se ab eo eleemosynam eliciturum, cæteri id omnino fieri posse negabant. Qui rem facturum promiserat accessit cum multo precum ambitu, et dum hominem se urgere cœpisset, in iram concitavit, ita ut furore ardens repente arreptum panem (panes autem casu ancilla e fornace domum coemptos referebat) in faciem precantis extorqueret, qui cum declinasset ictum, sublato pane discedens, se tandem voti sui compotem factum sociis nuntiavit. Petrus vero postea adversa valetudine agitatus, cum postremo horis aliquot exanimis

jacuisset et revixisset; narravit sibi interim visum fuisse, se ante tribunal Dei in cœlos sisti, ab aliis accusari, ab aliis defendi, in altera libræ lance peccata quæ commiserat, appendi, in altera unicum panem illum, quem ipse quondam projecerat iratus. Et cum exequatum utrinque pondus staret reverti, ac pani aliquid superaddere, quod præponderaret, si multi reatus supplicia cuperet evadere, sibi jussum. Itaque cum convaluisset, quæ cupide conflaverat, liberaliter cœperat effundere, neminem indigentium opis suæ expertem fieri passus. Simeon Metaph. *Vita D. Joannis Eleemosynarii*, et Surius. t. V.

EXEMPLA DOMESTICA.

P. Jacobus Velga initio morbi suis lethalis adeo horruit rationem, quam erat coram Deo in ejus judicio redditurus, ut valde anxie et sollicite a Deo peteret, produci adhuc sibi vitam ad unum annum, ut ampliorem posset pœnitentiam agere. *Vita P. B. Alb.* xlvii.

P. Joan. Baptista Vaninus, vir sanctus et miraculis clarus, cum ad extrema venisset, elata voce ingeminabat : Justitia Dei! Cumque P. Rector identidem suggereret : Misericordia Dei! tum ille ad P. Rectorem : Pater, ipsas justitias Deus judicat. Tandem se convertens et projiciens in divinæ misericordiæ abyssum sanctissime expiravit. *Annuæ Montis Regal.* 1099.

EXEMPLA PROFANA.

Quantopere Plato judicium Rhadamanti æstimarit, ostendit his verbis : Ego igitur, o Callicles, ab hujusmodi sermonibus flector, et considero, qua ratione Judici sanctissimum animum ostendere possim. Quamobrem omnes populi spernens honores, veritatemque considerans, conabor revera, quam maxime potero, bonus vivere ac mori. Cohortor autem et cæteros omnes, quantum possum. Te quoque ad hujusmodi vitam revoco, atque certamen, quod equidem assero, præ aliis certaminibus in hac vita esse homini subeundum. Quapropter et te objurgo, qui non poteris tibi ipsi opem ferre, quando de te judicabitur, instabitque sententia, quam modo dicebam. Plato, *in Gorgia.*

Etiam Seneca id agnovisse videtur, dum dixit : Cum tempus advenerit, quo se mundus renovaturus extinguat, viribus ista suis se cædent, et sidera sideribus incurrent, et omni flagrante materia, uno igne, quidquid nunc ex disposito lucet, ardebit. Nos quoque felices animæ æterna sortitæ, cum Deo visum fuerit, iterum ista moliri. Seneca, *de Consol. ad Marc.* cap. ult.

Ethnici finxerunt Rhamnusiam Pean ultricem fandi et nefandi, frena manu tenere, ut innueret, nihil efficacius esse ad retardandos mortales a sceleribus, ac memoriam ultionis Dei et judicii. Bessæus, *conc. de Judicio.*

Sed et Rhadamanthum, Minoem, ac Æacum finxit antiquitas Judices in altero orbe constitutos, qui singulorum acta examinent, ac promeritis pœnis male facta castigent. Virgil. vi.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut tonitrua, fulminum sunt prænuntia; ita signa Judicium præcedentia, secuturum ultimæ sententiæ fulmen prænuntiabunt. Bessæus, t. II. *de Judicio.*

Sicut maris accolæ ex avium circumvolatu in littore colligunt, quando mare alluet, aut defluet; sic undosos Judicii æstus horrida signa præcedent, ut homines sibi cavere possint, juxta illud Psalmi : Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus. Ps. lix, 6.

Sicut, cum herus in agone pro deposito habetur, domestici in luctu et squalore sunt, ipsique parietes ac sellæ atris pannis obducuntur; ita, dum homo Mundi dominus expiraturus est, omnia sensata et insensata lugebunt. Ib. *apud Bess.*

Sicut Noe ex plantata a se vinea inebriatus dormiit, et nudatus risus est, at evigilans maledixit impio filio irridenti; ita Christus amore Ecclesiæ ebrius, ac in Cruce nudatus, risusque, dissimulans peccata hominum, excitabitur tanquam dormiens, et quasi potens crapulatus a vino, et percutiet inimicos in posteriora, opprobrium sempiternum dabit illis. Ps. lxxvii, 6.

Sicut illi, qui e carceribus educuntur, una cum ipsis catenis ad judicium potra-

huntur; sic omnes animæ, cum hinc emigraverint, variis peccatorum pœnis implicitæ, ad terribile illud ducentur tribunal. S. Chrys. hom. xiv. c. iv. *Matth.*

Sicut vitrum soli objectum secreta omnia, et penitissimas pandit rimulas; ita cum nos Soli Christo objiciemur, nostra omnia patescent. Drex. *in Trib.* l. I. c. i. § 1.

Sicut in diebus Noe, ita erit, et adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes, et nuptui tradentes usque ad eum diem, quo intravit Noe in Arcam, et non cognoverunt, donec venit diluvium, et tulit omnes; ita erit et adventus Filii hominis. Matth. xxiv, 27.

Sicut fur in nocte, sic dies Domini veniet; cum enim dixerint, pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. I. Thess. c. v, 3.

Sicut aquila immota aliquamdiu coturnicum morsus et deplumationem patitur, sed tandem graviter injuriam ulciscitur, et obvias perimit; ita Deus diu patitur peccatorum injurias, sed suo tempore in Judicio graviter se de illis vindicabit, ut ipse per Isaiam his verbis indicavit; Tacui, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar : Dissipabo et absorbebo simul. Is. xlii, 14.

Sicut judex causas litigantium differt ad certum diem, in qua omnibus jus reddat, licet interim necessitate exigente, quandoque causas aliquas obiter expediat, et aliquos carceribus includat; sic Deus quasdam causas hic obiter expedit, reliquas in die universalis Judicii expediet. Fab. *conc.* ii. *in Festo S. Nic.*

Sicut triumphatores olim captivos in triumphum duxerunt, et postea in carcerem vel ad mortem abduci jusserunt; ita Christus prius de peccatoribus in extremo Judicio triumphum aget, et postea morti, et carceri æterno eos adjudicabit. Ib. n. 2.

Sicut ii, qui pretiosa sunt ornati veste, cum forte intrinsecus quoque formosi ac venusti ex illo exteriori cultu putarentur, exuti tunica, undique in balneo conspecti, contra quam putabatur, ridiculi ac innumeris fere malis insigniti corporis continuo apparuerunt; ita multi, qui in hac vita justi et sancti apparebunt, in judicio gravissimis sceleribus vitiati videbuntur. S. Basil. l. *de Virg.*

Sicut, dum ancillæ obiter tantum domum everrunt, dominæ postea accuratius eamdem lustrantes, sordes ab iis relictas cum gravi earum confusione producunt, et ostendunt; ita dum peccatores leviora dumtaxat peccata confitentur, Deus eorum graviora delicta cum summo dedecore manifestabit olim in Judicio. Fab. *conc.* iii *in Dom.* 3 *Adv.*

Sicut in hyeme omnes arbores nudæ sunt, sed æstas frugiferas ab infrugiferis discernit; ita in hac vita nondum apparet, qui electi aut reprobi sint, sed Christi adventus id indicabit. S. August. s. xxii *de Jejun.*

Sicut ad terreni judicis tribunal citatur reus, ministri emittuntur justitiæ, ut eum captivum illuc ducant, qui si non sufficiant, militibus stipantur, bene armatis; sic etiam (ut Bellovacensis inquit) circa modum vocationis sciendum, quod illa voce terribili et tuba mirabili perstrepente, cœlum et terra concutietur, et omnis creatura commovebitur, omnes ad Judicium vocabuntur, et ad tribunal æterni Judicis citabuntur. Bellov. l. IV *Spec. hist.* iv.

Sicut cum Rex aliquis quamdam civitatum suarum pacifice ingreditur, omnes præsidiarii milites tam eum, quam comitatum suum, explosis in lætitiæ testimonium sclopetis, reverenter salutant ; at vero si in civitatem paulo ante sibi rebellem ei ingrediendum sit, eamdem armato exercitu stipatus ingreditur, ut eam castiget. Pari quoque modo quia primus Christi adventus eo spectabat, ut se naturæ nostræ desponsaret, pacemque universo mundo indiceret, ideo omnes mundi creaturæ ediderunt signa jubili et lætitiæ : *Hodie per totum mundum melliflui facti sunt cœli. Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini quia venit;* in stellis novæ stellæ conspicuæ comparuerunt ; tres visi sunt promicare soles ; olei et balsami torrentes terra scaturivit ; Angeli e cœlis descenderunt, ut canerent *Gloria in Altissimis Deo, et in terra pax.* At vero quia in adventu ejus secundo descensurus est ad castigandam humanam rebellionem, ideo solem, lunam, stellas, et elementa adversum nos armabit, atque ideo erunt signa in sole, luna, et stellis, et in terris pressura gentium. Mansi, disc. ix, n. 5.

Sicut dum Rex severum et districtum judicium in subditos exercet, non solum illi timent, qui pro suis meritis judicantur, sed etiam illi, qui ejus lateri adhærere solent; sic cum Deus omnipotens reprobos puniet in Judicio, ut terror et districtio Judicii ostendatur, etiam illi timere dicuntur, qui

æterna stabilitate firmati sunt; unde bene per Job dicitur : « Columnæ cœli contremiscunt, et pavent. » Et merito exclamavit Sanctus Gregorius : Quid ergo facient tabulæ, quando tremunt columnæ? Quid virgula deserti patitur, cum cedrus Paradisi concutitur? Haymo Alberstad. *Epist. in Dom.* II. *Adv.*

Sicut homo manens in supercilio montis, quando videt aliquam absorberi civitatem hiatu terræ, aut incendio concremari, quodam naturali instinctu horret, licet videat periculum sibi non imminere; sic Angeli atque Beati, videntes contra reprobos pugnare universum orbem, quodam naturali horrore commovebuntur. S. Bern. t. II. s. XI. a. I, c. IV.

Sicut patrefamilias moriente, tota domus ejus turbatur, omnis familia plangit, et conscissis tunicis suis, nigris se cooperiunt vestimentis; sic et humano genere, propter quod fuerant omnia creata, circa exitum constituto, totus contristatur mundus, universa cœli ministeria lugent, et candore deposito, pro vestibus luctuosis, tenebris vestiuntur. Auctor Oper. Imperf. h. XLIX.

Sicut qui thesaurum sibi accumulare contendit, vastam quamdam, firmiterque clausam et obseratam arcam sibi fabricari facit, in eamque per multorum annorum decursum varias auri monetas quotidie conjicit, donec tota repleta fuerit quantoque diutius illam aperire distulit, tanto thesauri cumulus majora incrementa sumit, adeo ut tandem eamdem omnem mensuram, omnemque numerum supergredi deprehendat, dum illam aperit; pari quoque modo ad propositum nostrum dicere possumus. Pectus namque Christi est veluti clausa quædam arca, in qua nobis occulta ejus occultantur judicia. In hujus pectoris arca reconduntur bonorum merita, et demerita impiorum ; in hanc arcam impii quotidie per 30, 40, vel 60, annorum spatium innumera projiciunt scelera, nihil curantes, dum bibunt quasi aquam iniquitatem ; neque enim de reddenda Judici supremo scelerum suorum ratione unquam cogitant; at vero quando tandem tempus adveniet in quo arca hæc aperietur, id est, quando exactissimæ a nobis sunt reddendæ rationes, non solum omnium culparum mortalium, verum etiam venialium, imo cujuslibet verbi otiosi, eheu! in quantum illorum summam excrevisse deprehendemus? Quantum in numero, in specie, et malignitate, peccata innumera, et commissas a nobis iniquitates excrevisse deprehendemus? Vere tunc supremus ille Judex dicere nobis poterit : Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis? Inque majorem terrorem, et consternationem nostram subjunget : « Mea est ultio, et ego retribuam in tempore. » Neque enim sibi persuadere debent impii, se peccata sua in sacculum recondidisse pertusum et lacerum, nam ut S. Job ait : Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam. » S. Bernardus in quodam sermone hunc textum his verbis declarat : Thesaurizas tibi thesauros iræ, pro prorogatis thesauris misericordiæ, quos contemnis, et evacuas in te misericordiam Dei. Quanto enim quis in hac vita pietate divina magis abutitur, non faciendo peccatorum suorum pœnitentiam, tanto iratam sibi Dei Justitiam magis experietur severam et implacabilem. S. Ber. *de Trip. Miseric.*

Sicut si cubiculum aliquod ingrediamur, apertis clarum fenestris, aerem intuemur purum ; ast ubi solis subintraverit radius, subito atomi et pulveres, quos primo non videramus, comparent. Ita quoque multis accidet animabus, quæ variis operibus bonis et meritoriis se vacasse sibi videbuntur, ubi autem Sol ille affulserit Justitiæ, et examen districtissimum, multi cognoscentur defectus; discutietur enim, an Missa debita cum attentione et devotione celebrata vel audita fuerit; si Officium divinum cum recollectione recitatum; si Confessio stabilia non recidivæ habuerit proposita, actusque pœnitentiæ ferventes ; si Communio cum præparatione gratiarumque actione convenienti associata fuerit, quia scilicet, ut Ecclesiastes inquit : « Qui timet Deum, nihil negligit. » Mansi, dis. XXII, n. 4.

Sicut infirmus vocem chirurgi auscultans metuit, quia incisiones sibi adhiberi formidat, indeque se aliquam corporis partem læsam habere indicat ; e contra vero si sanus est, omnis est expers timoris. Ita quoque quoad timorem Judicii extremi ratiocinari possumus ; qui enim bonam habet conscientiam, estque capax amabilissimæ hujus invitationis : « Venite, benedicti Patris mei,» horam comparendi ad Judicium nec videt, nec metuit ; non vero item, qui conscientiam habet peccatis onustam; nam ut S. Gregorius ait : Visionem justi Judicis, quam justus vehementer expectat, injustus venire

formidat ; iste namque labores suos considerans, mercedem retributionis quærit, et causæ suæ meritum sciens, præsentiam Judicis expectat ; ille vero qui injustitiæ suæ meminit, venire ad judicium perhorrescit, quia damnari, si examinetur, se novit. S. Greg. lib. xxxi *Mor.* c. xxi.

Sicut ericius, quando venit hortulanus, et credit fugere, non potest onus excutere, sed capitur cum furto ; sic mali capientur in peccatis suis. Bellov. *Spec.* lib. II, dist. viii.

Quantitas. — Sicut ad Mare Rubrum venerunt Ægyptii et Israelitæ, sed hi innoxii transierunt, illi submersi sunt ; ita ad Judicium mali et boni perducentur, verum hi cum gaudio id subibunt, illi cum mœrore sententiam perditionis accipient. Orig. hom. I, *in Ps.* xxxvi.

Sicut aurora consurgens primum occupat montes ; sic Judicium ab excelsis et potentibus incipiet, ut potentes potenter tormenta patiantur. S. Hier. in cap. II *Joel.*

Sicut, quo meliori discipulus ingenio ac talentis præditus est, tanto gravius examinatur ; ita quo plura quis beneficia ac talenta a Deo accepit, tanto severior ab eo ratio exigitur.

Æquitas. — Sicut cum civitas ab tyranni pressa jugo, postquam semel illud excussit, in ipsum arma sumit pro libertate ; ita cum a peccatoribus creaturæ sint quasi tyrannidem passæ, merito armantur denique ad ultionem inimicorum, et pugnabit cum Deo orbis terrarum contra insensatos, ut Salomon prædixit. Bess. conc. II, *de Jud.*

Sicut specula tales ostendunt effigies, quales sunt vultus illis objecti, nec propterea culpanda sunt, si fœdam faciem repræsentant ; ita justum Dei Judicium nostris affectionibus assimilatur, qualiacumque a nobis commissa fuerint, tales nobis de suo præbens retributiones. S. Greg. Nyss. or. II *de Beat.*

Sicut nemo reprehenditur, quando paleas a tritico separat, et hoc quidem recondit, illas vero ut inutiles abjicit ; ita nec Deus culpandus est, si a fidelibus separet infideles, qui non reficiunt ad gloriam ejus. S. Chrys. hom. III, *Oper. Imp.*

Utilitas. — Sicut, quando causa apud judicem dicenda est, quæ aliquem metum ex legibus habere videtur, ex omnibus vigiliis excubatur, et advocato patrono munera præparantur ; ita si credamus nos olim ante tribunal Dei staturos, causamque tam dubiam dicturos, merito et ipsum Judicem Christum, et sanctos piis operibus conciliare conabimur. Orig. hom. V *in Levit.*

Sicut is, qui Dei Judicii obliviscitur, tamquam freno abjecto in præcipitium defertur ; ita quem continuus hic percellit timor, modeste vivendi viam ingreditur. Recordare novissima, inquit, et in æternum non peccabis. S. Chrys. hom. xxxviii, *in Joan.*

Sicut casta conjux non intrepide tantum, sed etiam cupide exspectat reditum mariti sui, servusque fidelis reditum domini sui ; ita repentini Judicii timor omnem prorsus tollit vitæ recte instituendæ dilationem. Stapl. tom. II, *in Dom.* I *Adv.*

Sicut sol omnes stellas fulgore suo obscurat ; sic solius Judicii memoria terrore suo omnes concupiscentias extinguit. Ibid.

Sicut fortissimo milite domum custodiente, domus illa a latronibus nocturnis tuta est ; ita timor futuri Judicii ab imminentibus peccatorum periculis securos nos facit. Ibid.

Sicut nauta non in prora, sed in puppi sedens navem bene dirigit ; sic animus noster vitam suam bene reget, non si in prora præsentis vitæ, sed puppi potius futuri status constituatur. Fab. con. II, *in Dom.* xxiv, *post Pent.* n. 5.

Sicut cervæ tonante cœlo pariunt, metu easdem resolvente ; ita peccatorum animæ ad Judicii tonitru scelera deponunt. Bessæus, conc. I *de Judicio.*

MOTIVA.

Ad Judicium universale timendum.

Potentia Judicis ; hinc ipse Christus dixit : Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ; sed potius timete eum, qui potest et animam, et corpus perdere in gehennam. Matth. xix, 28.

Sapientia Judicis ; quam ipse per Jeremiam indicavit dicens : Ego Dominus scrutans cor et probans renes, qui do unicuique juxta viam suam et juxta fructum adinventionum suarum. Jer. xvii, 11.

Justitia Judicis ; qui, cum acceperit tempus, justitias judicabit. Ps. lxxiv, 3. Hinc merito timens S. Job. Quid faciam, inquit, cum surrexerit ad judicandum Deus, et cum quæsierit, quid respondebo illi ? Sem-

per quasi tumentes super me fluctus, timui Deum, et pondus ejus ferre non potui. Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti. Job. XXXI, 24 et c. IX, 28.

Inflexibilitas Judicis; non enim parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima. Prov. VI, 15.

Majestas Judicis; nam, ut Christus prædixit, tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et Majestate. Matth. XXIV. 30.

Incertitudo Judicii quoad tempus ; hinc Christus monet : Vigilate (nescitis enim, quando Dominus domus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane) ne cum venerit, repente inveniat vos dormientes. Marc. XIII, 35.

Incertitudo Judicii quoad eventum ; nam, ut Salomon ait, sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei ; et tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta. Eccl. IX, 1.

Horribilitas Judicii ; est enim dies iræ, dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ ; et tribulabitur ibi fortis, teste Sophonia, c. I, 15.

Furor accusantum Diabolorum, dicens quippe, teste Eusebio Emysseno, ad Deum : Juste rerum arbiter, tuus quidem est homo per creationem, sed noster cœpit esse per culpam ; tuus per naturam, noster per inobedientiam, qui maluit audire seductionem nostram, quam legem tuam ; tibi debetur jure, nobis crimine ; tuus est opere, noster voluntate, quia potuit præceptum tuum servare, sed noluit. Eusebius Emyss.in hom.

Adstantium omnium hominum multitudo ; nam, ut bene Sanctus Chrysostomus dixit : Si nostrum cujusque crimen occultum huic modo confessui innotesceret, nonne fieret, ut ille interire potius, ac terram debiscere, quam tam multos peccati sui testes habere mallet, quid igitur tum nobis fiet miseris, cum omnia orbi universo palam facta, in tam aperto, tamque illustri theatro denudata, hominum partim nobis cognitorum, partim incognitorum oculis subjicientur? S. Chrys. hom. XLVIII, *ad. Pop.*

Propter Christi adventum terribilem. Unde S. Augustinus dixit : Quantum possumus, sitot visceribus laboremus, ut beneficia non nobis judicium pariant, sed profectum, ut cum tremendus Judicii dies, et tempus reddendæ rationis advenerit, quidquid nobis Deus et Salvator noster contulit judicatus, integrum inveniat judicaturus. Equidem ille cum venerit, redditurus est, quod promisit ; sed requisiturus est, quod redemit, et quod in primo adventu contulit, exacturus est in secundo. S. Aug. t. X, hom. XXXVI. Nam, ut Bellovacensis notat : Ad eorum (impiorum) confusionem amplius cumulandam, et ut prorsus inexcusabiles videantur, ostendet eis Christus suæ Passionis insignia ; quanto benignior fuit, peccata nostra dissimulando, longanimior ad pœnitentiam expectando, promptior ad indulgendum, pronior ad gratiam conferendam, tanto tunc erit severior ad increpandum, gravior ad audiendum, implacabilior ad puniendum. Bellov. l. c. *dist.* IX.

Propter examinis rigorem ; nam Judex improperabit eis non solum mala, quæ fecerint, et locuti fuerint, aut etiam cogitaverint ; verum etiam bona, quæ omiserint, aut neglexerint, et beneficiorum suorum omnium immensam multitudinem, quæ ingrate susceperint, quibus abusi fuerint, quæ neglexerint, contempserint, aut abjecerint, castigationes, medelas, atque innumera remedia, quibus curari debuerint, et non sunt curati. Tunc condemnabitur, inquit, quidquid fuerit inventum operis et otii, sermonis et silentii, usque ad minimam cogitationem etiam ; quod dixi, si non fuerit ad Dei voluntatem directum ; sed et de bonis operibus inquiretur, qua intentione, et discretione facta sunt. Idem, ib.

Propter libri aperiendi qualitatem. Hinc S. Chrysostomus monet : Ut animam tuam velut Dei habitaculum præpares, memento horrendi multum et tremendi illius diei, in quo omnes Christi throno assistentes, rerum hic gestarum rationes reddemus, ubi ante omnium oculos peccata nostra ponentur, et rursum revelabuntur, et ignorantibus ostendentur actiones, ubi omnia nuda et aperta, ubi cordium nostrorum libri aperientur, et in medio theatri manifesta legentur et occulta, nocturna et diurna, et ex inconsiderantia et oblivione facta. S. Chrys. t. VI, hom. *de Cæco.* Idem quoque S. Doctor in alia quadam homilia super illa verba : « Libri aperti sunt, » inquit : Libri in quibus scripta sunt mala, in quibus scripta sunt bona, in quibus scripta est cujusque vita.

Libri autem vocantur, non quod pellis aut membrana sit apud Deum, et litteræ, sed quoniam apud te liber memoriæ est instrumentum, Dei memoriam tanquam in libro positam narrat, libro siquidem Deus non indiget; liber enim Deo est memoria.

Propter confusionis et pudoris magnitudinem, de qua sic loquitur Bellovacensis : Attende, quanta verecundia suffunderetur honesta mulier et pudica, si coram hominibus totius regni in suam ignominiam nudaretur, revera præ nimia confusione deficeret; adhuc longe magis horreret, si multa fœda et enormia in secreto cordis ejus jacentia coram omnibus divulgarentur ; quanto igitur incomparabilius, imo ineffabilius quælibet anima confundetur, quando corpus omni deformitate turpius, et omni fœtore fœtentius omnibus ostendetur? Adhuc longe vehementius, quia cuncta ejus horrenda flagitia omnibus tam electis, quam reprobis hominibus nudabuntur, sed inæstimabiliter tolerabilius, quam se videri a summo Judice,confundentur. Bellov. *Spec. Mor.* l. II, dist. VII,

Propter Diaboli accusationem; nam Bollandus, in vita S. Joannis Eleemosynarii refert,hunc Sanctum Patriarcham in memoria recenti tenere solitum fuisse, quidquid circa judicium particulare cuique animæ, quondam a S. Simeone Stylita audierat, videlicet : Obviat ei chorus Dæmoniorum superbiæ, investigat eam, si habeat opera superbiæ. Obviat chorus Spirituum detractionis, ut aspiciat, si quando oblocuta sit, et pœnitentiam non egerit. Obviant Dæmones fornicationis, et scrutantur, si recognoscant in ea voluptates suas. Et quando a terra usque ad cœlum misera anima positura rationem pervenerit, seorsim ab ea sancti Angeli stabunt ; et non abjuvabunt eam nisi bonitates suæ. Et quidem credibile est, malignos hosce Spiritus easdem oppositiones in Judicio universali facturos esse contra præscitos, in conspectu omnium, ut os eis occludant, ne excusare se possint. Bollandus,t. II, *Gan.* III. c. XII, n. 77. Sanctus Augustinus testatur, Dæmonem audacter coram Judice proditurum, eique dicturum esse : Æquissime Judex, judica, hunc esse meum per culpam, qui tuus noluit esse per gratiam , tuus per naturam, meus per malitiam; tuus ob Passionem, meus ob suasionem ; tibi inobediens, mihi obediens ; qui tecum noluit habere vitam, judica, ut mecum habeat gehennam. S. Aug. *contra Judæos*. Quod etiam Sanctus Cyprianus confirmat, dicens : Ponat unusquisque ante oculos suos, Diabolum cum servis suis, id est, cum populo perditionis ac mortis, in medium prosilire, plebem Christi, præsente et judicante ipso, comparationis examine provocare, dicentem : Ego pro istis, quos mecum vides, non alapas accepi, non flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec familiam meam pretio Passionis et cruoris redemi,sed nec Regnum illis cœleste promitto, nec ad Paradisum restituta immortalitate denuo revoco. S. Cyp. *de Oper.* et n. 46. *de Eleemosym.*

Propter aliorum quoque accusationem ; nam,ut S. Bernardus dixit : Tot judicibus et populis astabis, quot præcesserunt te in opere bono ; tot convinceris testibus, quot te monuerunt bonis sermonibus, et justis actionibus. S. Bern. c. XXXVIII, *de Inter. Dom.*

Propter accusationem propriæ conscientiæ ; nam, teste Sancto Bernardo, in illa die, cum Dominus ad judicandum venerit, uniuscujusque conscientia ad testimonium adducetur, et aperto libro conscientiæ omnis culpa ante oculos reducetur, atque ita cogente conscientia, unusquisque erit accusator et judex suus. Unusquisque, inquit, librum condemnationis suæ portabit, et apertum coram omnibus demonstrabit, qui omnibus aliis evidentior, et irrefragabilior testis erit, cunctisque, et ipso Judice tacentibus, id est, si tacerent, quin imo si pro ipso testimonium perhibere possent, et vellent, ipsum impium nihilominus condemnabit. S. Bern. loc. cit. c. XXXI.

Propter sententiæ severitatem ; nam omnes perituros se absque ambiguitate sciunt, si remota pietate judicentur ; hoc ipsum, quod juste videmur vivere, culpa est, si vitam nostram, cum judicat, hanc apud se divina misericordia non excusat, S. Greg. l. VIII *Mor.* c. XV. S. Bonaventura hac in sententia sex notabiles considerat circumstantias : Primo, *Separationem a Deo*, cum dicit : « Discedite. » Secundo, *Maledictionem* : « Maledicti. » Tertio, *Incarnationem*, per hanc præpositionem *In* designatam. Quarto, *pœnæ acerbitatem:* Ignem. Quinto, *Liberationis desperationem:* Æternum. Sexto, *Dæmonum associationem:* Qui paratus et Diabolo, et Angelis ejus. Hinc S. Bernardinus exclamat : O infelix discessio, et separatio ab omnibus bonis! O verbum pertingens usque

ad divisionem animæ a summo Deo, compagumque et medullarum, et interiorum cordis et corporis concussivum! O radicatio universorum malorum, cum nemo possit a Deo divelli, quin malis omnibus repleatur. S. Ber. tom. I. *ser.* XII, a. 3, c. II.

Propter sententiæ irrevocabilitatem ; nam tempus flendi durat, quamdiu cœli moventur ; at vero quando ad æternitatem pervenerimus, tempus non erit amplius; tunc enim Deus lacrymas, et preces nostras deridebit, quantumcumque illæ humiles et ferventes fuerint. *Vocavi*, inquit Deus, *et renuistis*; *extendi manum meam, et non fuit, qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis*; *ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo. Tunc invocabunt me, et non exaudiam. eo quod timorem Domini non susceperunt.* Salvianus super verba illa Ecclesiast. cap. XXX. *Miserere animæ tuæ*, scribens, his animam verbis affatur : Vide pietatem erga te Domini nostri; vide, quam misericors sit Dominus Deus noster, qui nos ipsos pro nobis misericordiam rogat : *Miserere*, inquit, *animæ tuæ*, hoc est dicere, miserere etiam illius, cujus vides miseratione me tangi. Rogat te, ut tu miserearis, et non vis ; causam tuam apud te agit et ad te non admittitur ; dignatur te pro te petere, et a te non potest impetrare. Et quomodo, quisquis es, o miserrime homo, quomodo te postea supplicantem ille in judicio suo audiet, cum tu hic eum pro te rogantem audire ipse nolueris? Salvian. l. III, *ad Eccl. Cath.* Hinc et Sanctus Bernardus : Arctæ, inquit, et strictæ erunt tunc viæ omnium peccatorum, quando non poterunt negare, non excusare, non appellare, non fugere, non impetrare veniam, non habere refugium. Omnes enim viæ præoccupatæ erunt, contrahentur in angustiis suis. S. Bern. s. LIV. *in Cant.*

MEDIA.

Ad Judicii sententiam malam evitandam.

Passio Christi ; cujus efficaciam B. Philippus Benitius, Religionis Servorum B. Virginis fundator, ac sanctitate et miraculis illustris, expertus est, de quo in vita illius legitur, ipsum in agone mortis suæ terribilem quamdam habuisse visionem, in qua sibi se coram tribunali Dei præsentari videbatur, ubi Dæmon leves nonnullos defectus ei imprope-rabat, ut eum ad desperationem induceret. Unde altum inclamare cœpit terrificis verbis, a circumstantibus suum postulando librum: Date mihi librum meum, exclamabat, quærite illum. Quis illum mihi sustulit? Cur me eumdem auferendo, cruciatis? Accurrentes igitur omnes et singuli certatim, dederunt ei alius hunc, alius illum librum, nec tamen ei satisfacere valentes, unus suorum illum oculos suos ad parvulum crucifixum frequenter dirigere observavit, quasi indicare volendo, hunc esse suum librum, quia eumdem frequentissime in manibus suis portare solitus erat. Ideoque hunc ei crucifixum in manus dedere, moxque pristinæ serenitati mentis integre restitutus fuit ; unde credere licet, sanctum hunc virum Christo crucifixo addictissimum, ad Apostoli imitationem dicere solitum fuisse : « Non judicavi me scire aliquid, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. (*Vita*, c. III et VI). » Hinc recte Sanctus Augustinus : Si haberes, inquit, causam apud aliquem judicem agendam, et instrueres advocatum, esses susceptus ab advocato, ageret causam tuam, sicut posset, et si non illam finiisset, et audires illum in judicio venturum judicem, quantum gauderes, quia ipse potuit esse judex tuus, qui fuit paulo ante advocatus tuus? Et modo ipse pro nobis orat, ipse pro nobis interpellat, qui in illa die nos judicabit. S. Aug. s. CXIX, *de Temp.* c. L.

Vita et conscientia bona ; uti S. Ambrosius suasit, dicens : Ubi me ab ira ejus abscondam, qui conturbat profundum maris ? « Si ascendero in cœlum, ibi est, si descendero in infernum, adest ; » non ergo failli potest, qui ubique est. Adest itaque judicii dies. Si vis non comprehendi, quotidie time, quotidie fuge. Quæris, quomodo fugias ? Ascende in montem, qui evangelizas Sion, ut excelsorum vertice possis eminere meritorum, Deus enim montium, et non vallium est. (S. Ambr. lect. VIII, in c. XVII *Luc.*) Sed et S. Augustinus : Custodi, inquit, intus innocentiam tuam, ubi nemo opprimit causam tuam. Prævaluit in te falsum testimonium, sed apud homines, numquid apud Deum valebit, ubi causa tua dicenda est ? Quando Deus judex erit, alius testis quam conscientia tua, non erit. Si causam malam non habueris, nullum accusatorem pertimesces, nullum falsum testem refelles, nullum verum requires, tu tantum bonam conscientiam affer, ut possis dicere : Quoniam in te,

Domine, speravi, tu exaudies, Domine Deus. S. Aug. *in Ps.* lvii.

Spes et fiducia in misericordia Dei; de qua Sanctus Thomas Villanova sic loquitur: In hoc Judicio omnia terrent me, omnia me conturbant, neque sine timore nimio hujus tanti Judicii valeo recordari; sola hæc mihi relicta est consolatio, Domine mi, quia criminum meorum tu solus futurus es Judex, tu inquam, Redemptor meus, Advocatus meus, Pater meus, tota spes mea, et totum bonum meum et solatium. Quem in finem etiam S. Paulus dixit: « Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato. » Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus, in auxilio opportuno. Unde merito citatus S. Thomas Villanova exclamat: Quanta hominibus fiducia? Quanta mortalibus spes in Judice isto? Quis non sperabit salutem, etiam si peccator sit, et indignus, quando a Patre piissimo ejus sententia ferenda est! Unde Apostolus: « Quis accusabit adversus electos Dei? Deus, qui justificat, quis est, qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui resurrexit, qui est ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis; » Quomodo condemnabit interpellator, qui, ne damnaret, ipse mortis subiit damnationem? quomodo Salvator damnabit, qui morte redemit? S. Thom. Vill. conc. i, *in Dom.* I *Advent.*

Frequens contritio et confessio. Ita Sanctus Bernardus suasit, dicens: Unum est tamen, si nosmetipsos judicaverimus, non utique judicabimur. Bonum judicium, quod me illi districto, divinoque Judicio subducit, et abscondit. Prorsus *horreo incidere in manus Dei viventis* (S. Bern. s. lv. *in Cant.*) Et iterum: Judicemus interim, Fratres, et terribilem illam expectationem præsenti studeamus declinare judicio. Non judicabit Deus bis in idipsum. (Id. s. viii, *in Psal. Qui habitat.*) Sed et S. Gregorius: Judicemur inquit, in nostra cogitatione cum Deo, ne directe postmodum judicemur a Deo. (S. Greg. l. IX. *in Dict.* iv. ep. xxv.) Nam ut S. Thomas Villan. recte advertit: Secundum judicandorum conscientiam, Judex in se unus, varius apparebit, probis Agnus, improbis Leo. Quo quisque districtior fuerit in se ipsum peccatorum vindex, eo illi mitior tunc apparebit Judex. Felix, qui dicere poterit in illo die: Feci judicium et justitiam, Domine, non tradas me calumniantibus me. Judicium facit contra se, qui se reum agnoscit, et confitetur, et judicat. Justitiam facit, qui peccata, quæ sententia damnat, pœnitentia punit. (S. Thom. Vill. *conc.* i, *in Dom.* i *Adv.*) Hinc et Rupertus Abbas illa Prophetæ Michææ verba: « Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te; utique facere judicium; » explicans, ait: Quid est judicium facere, nisi judicium Dei prævenire? Prævenis autem judicium Dei, si temetipsum prior judicas in conspectu Dei, ne a Deo judiceris. (Rupert. Abb. l. VIII, *de Oper.* S. *Spir.* c. xxi.) Merito ergo S. Augustinus hortatur: Modo tu fac, quisquis talis es, quod tibi minatur facere Deus. Tolle te a tergo tuo, ubi te videre non vis, dissimulans a factis tuis, et constitue te ante te. Ascende tribunal mentis tuæ. Esto tibi judex; torqueat te timor, erumpat a te confessio. Et dic de tuo: « Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et delictum meum ante me est semper; » quod erat post te, fiat ante te, ne tu ipse postea a Judice fias ante te, et non sit, quo fugias a te. Qui enim se conterit, ait idem alibi, irascitur sibi; se habeat iratum, ut illum habeat propitium; se habet judicem, ut illum habeat defensorem. S. Aug. *in Ps.* xlix.

Vigilantia sollicita; uti idem S. Augustinus suasit dicens: Vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum eum inveniat Domini adventus. Imparatum autem inveniet dies ille, quem imparatum invenerit suæ vitæ hujus ultimus dies. (Idem ep. x.) De quo ultimo die citatus S. Doctor sic discurrit: Longe est quidem dies Judicii, sed uniuscujusque hominis dies ultimus longe esse non potest, quia brevis est vita, et quia ipsa brevitas semper incerta est; quando sit dies tuus ultimus, nescis. Idem, s. xvi, *de Verb. Dom.* c. ix.

Conciliatio Patronorum; nam, ut Mansi ait, dum litem habes, in qua omnes facultates tuæ, fama, et existimatio, vel vita periclitatur, die nocteque studes et laboras, ut defendere te possis, omnes exploras in favorem tuum servientes scripturas, ut procuratores, advocatos, judices bene informes, ejusque, qui sententiam est pronuntiaturus, gratiam et benevolentiam captare pro viribus niteris. Quid igitur tibi in hoc tribunali Christi faciendum erit, ubi causa tua

tam ardua agitatur, unde æternitas vel beata, vel damnata unice dependet? MANSI, disc. XXIX, n. 11.

Frequens memoria Judicii. Qui enim venturum Judicem cogitat indesinenter, quotidie rationum suarum in melius causas parat. (S. GREG. l. X *Mor.* c. X.) Hinc S. Bernardus monet : Judicium districti judicis investigemus, Fratres, et eo amplius frequentemus in timore ac tremore ipsius considerationem, quo minus comprehendere possumus investigabilem abyssum judiciorum Dei, et irrefragabilem dispositionem. S. BERN. *sup. Ps.* XC, s. XV.

Assiduum misericordiæ exercitium. Nullus enim est in futuro Judicio, quantumcumque sit sanctus et irreprehensibilis, qui non timeat et contremiscat, solus tamen misericors et eleemosynarius in eo jucundabitur; (ISA. c. XXVI, 17) unde Psalmista ait : « Jucundus homo, qui miseretur et commodat; disponet sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur; » idque propter opera misericordiæ pauperibus exhibita, quæ in bilance S. Michaelis posita spem salutis certam et securam ei tribuent. (PSAL. III, 5.) Hinc et S. Ephrem sic discurrit : Cernens Christus in throno sedens, ad ipsum ingredientem, lætus excipiet, obviamque illi procedet hilari facie, ei aspectu arridente, atque appellatione læta, et benigna allocutione hunc apprehensum amplectetur, et tamquam ex longinqua peregrinatione venientem amicum, seu filium deosculabitur, talibusque eum verbis compellabit : Bene venisti, o amice bone, et fidelis ; bene venisti, educator et altor meus, hospes meus. Non sum oblitus charitatis tuæ. Memini, quanta mihi dona præstiteris ; memini, quoties me refeceris. Quæ dum ad eum ait Christus, tenet ipsum manu coram omni illa magna celebritate, coram Angelis et Archangelis et omni Principatu et Potestate, coram omnibus justis, et Prophetis, et Apostolis, et Sanctis, statuensque hunc in medio simul prædicat, et ostendit eum omnibus, ac dicit : Hic homo esurientem me aliquando conspexit, et pavit ; sitientem et potavit ; frigescentem, et cooperuit me ; hospitem, et suscepit me, infirmum me vidit, et ministravit, gestavit, et in domum suam introduxit. (S. EPHR. t. III.) Merito ergo S. Chrysostomus ait : Eleemosyna adstat tribunali non tantum patrocinans, sed et ipsi Judici persuadens, ut reo patrocinium præstet et pro eo sententiam ferat. S. CHRYS. hom. XXXIII, *ad Pop.*

Timor Judicii ; nam, teste S. Gregorio, adventum æterni Judicis tanto securiores quandoque videbimus, quanto nunc districtionem illius timendo prævenimus. S. GREG. hom. I. *in Ev.*

Examinis frequens usus. Sic enim Siracides monet, dicens : Ante judicium interroga teipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem. (ECCL. XVIII, 29.) Et confirmans idipsum S. Paulus ait : Quod si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. (I. COR. XI, 31.) Peccata enim, ait S. Augustinus, sive parva, sive magna, impunita esse non possunt, quia aut homine pœnitente, aut in judicio Deo puniente plectuntur. Cessat autem vindicta divina, si conversio præcurrat humana; amat enim Deus confitentibus parcere, et eos, qui semetipsos judicant, non judicare. (S. AUG. s. CCX.) Hinc merito exclamans S. Bernardus : Bonum judicium, ait, quod me illi divino, districtoque judicio subducit et abscondit. Prorsus horreo, incidere in manus Dei viventis, volo vultui iræ judicatus præsentari, non judicandus. Judicabo proinde mala, judicabo et bona. Scrutabor vias meas et studia mea, quo is, qui scrutatus est Jerusalem in lucernis, nihil inscrutatum in me, sive indiscussum inveniat, neque enim judicaturus est bis in idipsum. S. BERN. s. XXXV, *in Cant.*

Pœnitentia seria ; nam a Paradisi gaudiis per oblectamenta discessimus, ad hæc per lamenta revocamur. Unde necesse est, ut semper pavidi, semperque suspecti, ponamus ante oculos cordis, hinc culpas operis, illinc Judicium extremæ districtionis. (S. GREG. hom. X, *in Ev.*) Nam, ut S. Augustinus ait, in altera vita erit pœnitentia, sed infructuosa ; erit ibi pœnitentia dolorem habens, medicinam non habens. Nunc est fructuosa pœnitentia, quando correctio libera. Pœnitet te ad vocem Scripturæ, nam ad vocem præsentis Judicis sine causa pœnitebit te. S. AUG. s. CXC, *de Temp.*

Non judicare alios ; nam sic ipse Christus suasit : Nolite Judicare, et non judicabimini ; nolite condemnare, et non condemnabimini. (S. LUC. VI, 57.) Expertus est hujus medii efficaciam Monachus qui alioqui non admodum religiosus, hoc uno tamen charitatis actu instructus, lætus mortem obiit, omniaque sua peccata a duobus juvenibus venus-

tissimis paulo ante a se conspectis deleta dixit. Baron. an. 599.

Misericordiæ exercitium. Beati enim misericordes, quoniam misericordiam consequentur. (Matth. liv.) Etenim eleemosyna, teste S. Chrysostomo, Christi adstat tribunali, non tantum patrocinans, verum et ipsi judici persuadens, ut reo patrocinium præstet, et pro eo ferat sententiam. S. Chrys. hom. xxxiii. *ad Pop.*

Fiducia erga Christum passum; sic enim Elzearius expertus est, qui cum ad ultimam luctam ungeretur, ter repetiit verba illa : Per Crucem et Passionem tuam, libera me, Domine! Addiditque: Hæc est sola spes mea, in ea emori certum est. Subinde in habitu formidinis pleno, aliquamdiu persistens exclamavit tandem : Magna vis est cacodæmonum, sed eam mors Domini Jesu, et virtus ex adverso longe potentior fregit, et obtrivit. Surius, 27 *Sept.*

Amor sincerus B. Virginis ; nam ideo ipsa ab æterno Dei Mater prælecta est, teste S. Chrysostomo, ut, quem Deus salvare non potest per suam merissimam justitiam, ipsa per suam pietatem et misericordiam salvaret. (S. Chrys. hom *in Hyp. Domini.*) Merito ergo exclamat Guilielmus Anglicus : Attendite Mariæ addicti ex toto corde. Ait enim Sponsus : *Pasce hædos tuos*; suos quippe vocat, quia non omnes hædi vocantur Mariæ, sed qui Mariam colunt ac venerantur, licet sceleribus contaminati; qui enim peccatis irretiti sunt, nec B. Virginem aliquo speciali obsequio prosequuntur, nec preces aliquas in ipsius cultum fundunt, ut vel tandem aliquando resipiscant, hædi profecto sunt, non vero Mariæ, sed ad sinistram Judicis sistendi, æternas pœnas subituri. Guil. Angl. in cap. i, *Cant.*

Sanctorum constans veneratio; hi enim sunt amici, quos conciliare nobis, Christus hortatus est. Sic Andreas nobilis Romanus S. Cæsarii precibus misericordiam in Judicio expertus, vitæque restitutus est. (Sur. 4. *Dec.*) Sed et Gothorum tempore matrona quædam, quæ crebro ad Ecclesiam SS. Martyrum Processi et Martiniani veniebat, dum egrediens duos Monachos stantes vidit, eisque eleemosynam dari præcepit, eidem astiterunt, et dixerunt : Tu nos modo visitas, nos te in die Judicii requiremus, et, quidquid possumus, præstabimus tibi. Hoc dicto ab oculis ablati sunt. S. Greg. hom. xii. *in Ev.*

Paupertas voluntaria, de qua sic S. Bernardus : Felix paupertas voluntaria, omnia relinquentium, et sequentium te, Domine Jesu ! Felix plane, quæ tam securos, imo gloriosos faciat in illo singulari fragore elementorum, et in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto discrimine judiciorum. S. Ber. s. viii, *in Ps.* xc.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, quam juste institutum sit hoc universale Judicium; nam ratio dubitandi est triplex, juxta S. Thomam et alios. Prima est, quia, ut apud Nahum Prophetam dicitur : « Non judicabit Deus bis in idipsum ; » sed nunc Deus judicat de singulis hominum operibus, cum post mortem unicuique pœnas vel præmia pro meritis tribuit, et dum etiam quosdam in hac vita pro bonis vel malis operibus præmiat, vel punit, ergo videtur, quod non sit aliud Judicium futurum. Secunda dubitandi ratio est, quia in nullo tribunali executio condemnationis ipso est anterior judicio. Sententia autem finalis Judicii vertitur vel circa consecutionem Regni, vel condemnationem ad abyssum inferni, quorum alterutrum tam electi, quam reprobi per Judicium particulare sunt assecuti ; ergo alia sententia aliove judicio opus non erit. Tertia difficultas est, quia causæ ideo in tribunalibus ventilantur, ut, si quæ sunt dubia elucidentur, et veritas manifestetur ; sed hoc totum unaquæque anima assecuta est in judicio particulari, priusquam adveniat dies novissimus ; ergo hic non erit necessarius. His vero rationibus dubitandi Angelicus Doctor per ordinem adæquate respondet. Ad primam namque observandum esse, dicit, hominem dupliciter posse considerari, vel ut personna particularis, vel ut est pars totius humani generis; prout igitur est persona particularis, sic ei convenit judicium particulare ; prout vero est pars generis humani, sic ei Judicium universale debetur. Ad locum ex Nahum adductum respondet his verbis : Nec tamen Deus judicabit bis in idipsum, quia non duas pœnas pro uno peccato inferet, sed pœna, quæ ante Judicium complete inflicta non fuerat, in ultimo Judicio complebitur, postquam impii cruciabuntur quoad corpus et animam simul. Ad secundum argumentum respondet, propriam

finalis Judicii sententiam in eo præcipue consistere, ut per illam fiat universalis separatio bonorum ab impiis, quæ utique idem judicium non præcedit; præterquam quod electorum remuneratio in judicio particulari perfecte non adimpleatur, quia etiam boni amplius post Judicium præmiabuntur, tum ex gloria corporis adjuncta, tum ex numero Sanctorum completo; et mali etiam plus torquebuntur, ex adjuncta pœna corporis, et impleto in pœnis numero damnatorum; quia quanto cum pluribus ardebunt, magis ardebunt. Ad tertiam objectionem respondet; quod Judicium universale directe magis respiciat universalitatem generis humani, quam singulos homines in particulari; quamvis ergo cuilibet homini ante Judicium erit certa notitia de sua damnatione vel præmio, non tamen omnibus hominum damnatio vel præmium innotescit; unde Judicium universale necessarium erit. Judicium enim et processus, qui fabricatur, nec non sententia uniuscujusque animæ in particulari, quæ in puncto mortis in particulari judicio pronuntiatur, aliis est ignota, quia solum absolvitur inter Deum et animam, ejusque Angelum custodem, ac proinde divina justitia merito disposuit, ut tandem veniat tempus, in quo in conspectu omnium manifestetur singulorum processus, appareatque æquitas ejus, sive in absolutione, sive in condemnatione; siquidem judicia Domini vera, justificata in semetipsa. S. Thom. in suppl. III, p. q. LXXXVIII, n. 1.

Nosse debet, cur dies Judicii dies magnus vocetur, id quod Paulus de Palatio declarat dicens : Vocatur ille dies magnus, quia fient in eo maxima mirabilia, conflagratio mundi, tubarum sonitus, mortuorum resurrectio, Angelorum cum Christo descensus, Christi cum omnibus Sanctis adventus, judicium omnium, supplicium damnatorum, gloria beatorum. Paulus de Palat. *in Jocl.*

Nosse debet, quomodo notitia omnium operum cujusque omnibus sit communicanda, qua in re notanda est doctrina Sancti Thomæ, qui habet pro inconvenienti, quod legatur aliquis liber materialis in judicio, in quo facta singulorum sint scripta; eo quod nullus valeat æstimare illius libri magnitudinem, vel quanto tempore legi posset; sed similiter etiam non posset æstimari tempus, quantum oportet ponere ad considerandum omnia merita, et demerita sua, et aliena ab aliquo homine, si successive diversa videant. Ac proinde Doctor Angelicus expedite dicit, ut unaquæque anima in brevissmo tempore omnia videat. Unde hanc statuit conclusionem : Etsi in instanti aliquis visurus non sit ngula, tamen brevissimo tempore, auxilio divinæ virtutis, omnia particularia considerabit. Albertus Magnus eidem quoque opinioni subscribit, inquiens : Liber apertus est, id est, quædam vis divina, ostendens unicuique facta sua. S. Thom. III, p. q. LXXXII, a. 5.

Nosse debet, quod Sanctam Brigittam Christus die quadam interrogavit : Potes quærere, si in omni justitia habeo misericordiam, quomodo misericors sum in damnatos? Et respondet ei adducta similitudine judicis alicujus, pro tribunali sedentis, coram quo dilecti fratris sui causa agitur; hic enim, si judex rectus sit, fratri suo utique dicet : Tu frater meus es, et ego judex tuus, et licet te intime diligo, tamen non potero, nec decet facere contra justitiam. Tu vides omnem justitiam in conscientia tua secundum merita tua, secundum hanc oportet te judicari. Perque hanc similitudinem Christus Sanctæ Sponsæ demonstrabat, quod licet ipse per assumptam humanitatem frater noster sit, attamem ut judex constitutus, necessario juxta merita et demerita nostra judicare debet. *Rev. S. Brig.* l. II, c. II.

Nosse debet, cur Christus in humana natura judicaturus sit; cujus variæ assignantur rationes. Primam affert S. Thomas, dicens : Cum ultimum Judicium hanc ob causam ordinetur, ut boni recipiantur in Regnum cœleste, mali vero ab eo arceantur, congruum est, ut Christus secundum humanam naturam sit Mundum judicaturus, cujus redemptionis beneficio ad Regnum cœlorum admittitur. S. Thom. q. XC, *suppl.* ar. 1, ad. 3. Secundam affert S. Antonius de Padua dicens : Ad ostendendam celsam potentiam, qui enim in forma hominis judicatus est, ne videretur hoc passus ex impotentia, idcirco in tali forma judicabit, juxta illud : *Ut vincas, cum judicaris.* S. Anton. Pad. ser. *in Dom.* 2 *Quadrages.* Tertiam S. Augustinus sequentibus verbis indicat : Cum enim boni et mali visuri sunt Judicem vivorum et mortuorum, procul dubio eum videre non poterunt mali, nisi secundum formam, qua Filius hominis est, sed tamen in claritate, in qua judicabit, non in humilitate, in

qua judicatus est. Cæterum illam Dei formam in qua æqualis est Patri, impii eam non videbunt ; non enim sunt mundi corde. S. Aug. lib. I, *de Trin.* c. XIII. Quartam assignat idem dum ait : Forma illa erit Judex, quæ stetit sub judice, illa judicabit, quæ judicata est ; judicata est enim inique, judicabit juste ; veniet ergo forma servi, et ipsa apparebit. Idipsum quoque in alio quodam sermone replicans, adjungit : Audite, et intelligite. Jam hoc Propheta dixerat : « *Videbunt, in quem pupugerunt* ; » ipsam formam videbunt, quam lancea percusserunt. Sedebit Judex, qui stetit sub judice. Idem, tr. XX, *in Joan.* et s. XCIV, *de Verb. Dom.* c. VII. Quintam S. Ant. Pad. exhibet, dum ait : Christum in forma humana judicaturum, ad exhibendum et exercendum gratam clementiam, ut sit manifestum, quod in misericordia judicabit, puniendo citra condignum. Idcirco veniet in forma humana, ut ex his, quæ passus est, discat misereri. S. Anton. Pad. l. c. Sextam deinique affert S. Bernardus, dicens : Denique ipse Pater Deus dedit Filio judicii potestatem, et non quia suus, sed quia Filius hominis est. O vere Patrem misericordiarum ! vult per hominem homines judicari, quo in tanta trepidatione et perturbatione malorum, electis fiduciam præstet naturæ similitudo. S. Bern.

Nosse debet causas, cur diem ultimum hominibus absconditum esse voluerit Deus ; nimirum ob plures rationes, quas Sanctus Bernard, affert, dum ait : Talis dies debet abscondi, sicut et mortis, ex multiplici ratione. Primo, ut semper timeant. Secundo, ut semper se præparent ad diem illum, tamquam de proximo imminentem. Tertio, ut tam in hoc, quam in plerisque aliis ignorantes se noscant, quod quidem est perutile ad superbiam comprimendam. Quarto, ut arcana divinorum judiciorum magis revereantur. Quinto, quia non decet, Dei secreta indignis et indispositis revelari. Sexto, ad non impediendum opera et tempora præscita, vel præordinata a Deo. Septimo, ad excæcandum reprobos talium temporum, et ad hoc tale judicium Dei veniet super eos subito et improvise. S. Bern. tom. II s. XI, a. 1, c. III. Eamdem quoque difficultatem S. Hilarius in hæc verba discutit : Cur autem diei scientia abscondita sit, non in obscurco est; namque cum monet nos irremissa fides intentos semper manere, securitatem cognitionis ademit, ut pendulæ expectationis incerto mens sollicita, festinans, et adventus diem semper exspectans, semper exspectando speraret, curamque pervigilem incertum ipsum, non ambigendi tamen temporis detineret. S. Hilar. *de Trin.* s. IX, f. 80.

Nosse debet, qua ratione verum sit illud dictum Christi : (Marci 13.) *De die autem illa, vel hora nemo sit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Quibus verbis Christus fateri videtur, quod ne quidem ipse sciat, quando ad Judicium universale sit adventurus. Verumtamen idem Sanctus Pater Sanctum Hieronymum allegat, prædictum textum in hæc verba exponentem : Cum omnia tempora fecerit Jesus, hoc est, Verbum Dei (omnia enim per seipsum facta sunt) in omnibus autem temporibus cum dies Judicii sit, quæ consequentia esse potest, ejus ignorare partem cujus totum novit ? Numquid Deus Pater cognitionem illius diei Filio denegavit, cum dicit : « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo? » Ergo non omnia, si est aliquid, quod negatur. Tandem idem Sanctus Bernardinus per auctoritatem Sancti Augustini concludit : Dicitur Christus secundum Augustin. illum nescire diem, quia non facit homines scire. S. Bern. l. c. c. I, *allegans S. Hier. et S. Aug.*

Nosse debet, cur Christus toties per Prophetas diem Judicii prædici, et ipse etiam de ejus adventu monere voluerit, nimirum, teste S. Augustino : Propterea se Judex venturum minatur, ut non inveniat, quos puniat, cum venerit. Propterea illud cantant Prophetæ, ut corrigamur ; si damnare vellet, taceret. Unde et apud S. Lucam, cap. XXI, interrogantibus discipulis : Quando hæc erunt, et quod signum, cum fieri incipient ? Magister cœlestis, qui Judex ipse futurus erat, ad perpetuam memoriam in Evangelio signa aperte revelavit, quæ Judicium præcedent, diemque illum novissimum, infallibiliterque eventurum, maximis, indubitatis, adeoque manifestis declaravit verbis, ut Glossa, seu interpretatione, non indigeant ulla. S. Aug. s. CIX *de Temp.* Quapropter et Sanctus Gregorius in quadam homilia, quam frequenter in Officio divino de communi plurimorum Martyrum legimus, ita sermocinatur : Dominus ac Redemptor noster perituri mundi præcurrentia mala prænuntiâ, ut eo minus perturbent venientia, quo fuerint præscita ; minus enim jacula feriunt,

quæ prævidentur, et nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur. S. Greg. hom. xxxiii, *in Evang.* Sanctus Thomas Villanova eadem in materia subtilem hanc instituit contemplationem, quod scilicet alia fidei mysteria in Scriptura Sacra nonnisi a paucis fuerunt prædicta Prophetis; non item Judicium finale, de quo tam vetus, quam novum Testamentum clarum, patensque perhibent testimonium, prout ex textibus colligere licet supra adductis. Quinimo infallibilis cœli providentia secundum hunc Filii Dei judicaturi adventum ipsis etiam Sybillis revelare voluit. Id quod obstupescens dictus Sanctus Præsul, ad Deum conversus, quærit: Quare hoc, Domine? respondetque: Nempe ut nullus in Judicio reus ullam tanti examinis futuri ignorantiam obtendat. S. Thom. Vill. *conc. in Dom.* 1 *Adv.*

Nosse debet, cur Christus dixerit, se in Judicio solius misericordiæ exercitæ rationem exacturum; ad quod dubium Euthymius sic respondet: Ab hac sola justos homines dignos præmio judicat, peccatores supplicio. Non quod cætera vel justorum bona opera, vel peccatorum delicta sine examinatione, vel discussione relinquenda sint; omnium siquidem cuncta inquiret, et opera, et verba, et cogitationes, ut ipsemet frequenter sua doctrina manifestavit, sed nunc de sola hac virtute disserit, confirmare volens, quod hanc maxime requirit, et hanc præ omnibus expetit, utpote Christianis maxime necessariam, cujuscumque enim Christiani insigne, quo cognosci potest, est dilectio; hujus autem optima pars est pauperum amor, et erga proximum misericordia et compassio. Euthym. *cap.* lxi *Matth.*

Nosse debet, cur in citato Judicii processu referendo Christus nullam mentionem operum misericordiæ spiritualium, quæ perfectiora sunt, fecerit. Dubium hoc Abulensis ventilat, inter cujus varia responsa, sequentia ad nostrum in primis deserviunt propositum, quando ait: Opera misericordiæ spiritualia sunt majoris difficultatis, ad talia non statim aspirant imperfecti; corporalia possunt pertinere ad omnes, spiritualia non. Christus voluit ponere causam salutis nostræ esse cuilibet facilem. Abulens. q. xxxviii, *in cap.* xxv *Matth.*

Nosse debet causas instituendi Judicii, quas quidem ex triplici fonte desumit P. Matthias Faber. 1. *Ex parte Dei*, ut justitia illius appareat; hinc Apostolus monet: Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum. 2. *Ex parte Christi*, ut ei honor ablatus publice restituatur, et compensetur judiciaria potestate. 3. *Ex parte judicandorum*, ut quisque completam mercedem, tam quoad corpus, quam quoad animam recipiat. Hinc iterum Apostolus monet: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque *propria corporis*, prout gessit. Fab. con. ii, *in Festo S. Nicol.* et I Cor. v, 10.

Nosse debet timorem Judicii fructuose usurpare, et per eumdem se ad perfectionem exstimulare. Qui quidem fructus in duobus præcipue constitit. 1. Ut non existimet, sibi timorem hunc ideo deponendum, quod viam purgativam superarit, sed potius meminerit doctrinæ, quam S. Gregorius hac in parte dedit, dicens: Quanto quis sanctius vivit, tanto cautius expendit, quam districtus adveniat æternus Judex. Ita suum ipse terminum quotidie prospicit, et ante severitatem tantæ Justitiæ, quas rationes vitæ sit posturus, attendit. (S. Gregorius, l. xxiv *Dial.* c. vii.) 2. Ut noverit apte misericordiæ et justitiæ considerationem miscere, juxta S. Augustini consilium, dicentis: Nemo ad impunitatem sibi de misericordia Dei blandiatur, quia est Judicium. Et nemo in melius commutatus exhorreat Judicium Dei, quia præcedit misericordia Dei. S. Aug. *in Ps.* c.

Nosse debet dignam de hoc Judicio æstimationem concipere, eumque in finem tria præcipue perpendat. 1. Multitudinem rerum, de quibus est reddenda ratio, quas quidem ad quatuor species revocat Bessæus, dum ait: Judex inquiet: Redde rationem villicationis tuæ de quatuor villis: *Mundi* cum rebus creatis; *Corporis* cum suis sensibus; *Animæ* cum donis suis et gratiis; *Crucis* cum SS. Sacramentis. 2. Judicis examen et inquisitionem accuratissimam et severissimam. Ubi merito quisque exclamat: Quid sum miser tunc dicturus? Quem Patronum rogaturus cum vix justus sit securus? 3. Gravissimam æstimationem, quam Judex de rebus in judicium tractis formabit, ratione cujus etiam justitias judicare dicetur. Fab. conc. vi, *in Dom.* xxi, *post Pent.*

Nosse debet solidum modum sese præparandi ad hoc Judicium, qui quidem in tribus præcipue consistit. 1. Ut semper paratus sit, cum semper dicere possit cum Job: Nescio

quamdiu subsistam, et si post modicum me tollat Factor meus. (Job. XXXII, v. 22.) 2. Ut semper conetur esse in gratia, juxta Siracidis consilium : Ante obitum tuum operare justitiam. (Eccl. XIV, v. 14.) 3. Ut extraordinariis obsequiis Judicem sibi conciliare conetur, qualia præcedenti §. non pauca sunt indicata. Præcipue vero ut ad quæstiones a Judice proponendas se præparet, videlicet an charitatem Dei et proximi servaverit, diligens Deum ex toto corde, anima, viribus et fortitudine, et proximum sicut seipsum dilexerit, atque adeo esurientes paverit, sitientes potarit etc. O quam diligenter ad quæstiones proponendas examinandi se præpararent, si quæ proponendæ sunt, ante examen cognoscerent !

Nosse debet et cavere, ne si forte grandia ante conversionem peccata commisit, non nimium angatur, sed potius credat, etsi illa toti orbi manifestanda sint, ut Lessius et alii probant, ac Scripturæ conformius putant, *ea tamen non in pudorem, sed ad magnam Dei glorificationem, propriamque congratulationem cessura,* ut S. Anselmus docet aptaque similitudine demonstrat, dum ait : Non tunc pro peccatis tuis te major angustia premet, scelerumque tuorum magis pudebit, quam aliquem olim magnis vulneribus sauciatum, jamque ex omni parte sanatum, aboliti sanguinis molestia premit. Vel numquid eorum, quæ in cunis positus infans egerat, nunc grandævum pudet ? Tunc quippe, cum integra sanitas, perfecta munditia, plena remissio, secura omnium offensionum impunitas tibi certo arriserit, cognitio vel recordatio peccatorum tuorum in nullo tibi magis horrori esse vel confusioni valebit, quam est modo B. Petro Apostolorum Principi abnegatio sua, vel B. Mariæ Magdalenæ peccata sua. Verum super hoc agnitis delictis, velut in enormi ac fœda infirmitate sua pietas, virtus, sapientia Medici, qui te sanavit, sublimius a cunctis admirabitur, laudabitur, magnificabitur ; laus autem et magnificentia gloriæ Dei, tua, si bene advertis, gloria est. S. Ans. serm. *de Beat.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : « Fugite a facie gladii, et scitote esse judicium ; » (Job. X, v. 19) potest narrari, quod Tamerlanes, Tartarorum Princeps, fecisse dicitur, si civitatem oppugnavit, quod scilicet prima die tentorium, seu, ut alii volunt, vexillum album erigi jusserit, in signum securitatis et pacis, si obsessi se dederent. Secundo die rubrum in signum cædis futuræ, nisi illa die parerent. Tertia nigrum, quo significabat urbem penitus vastandam, si tertia adhuc die resistere vellet. Ostendatur deinde, eumdem morem Deum servare, ut qui prius per vexillum album, id est, prosperitatem et beneficia ad deditionem conatur movere hominem. Si hoc non proficiat, vexillum rubrum expandit, id est, tribulationes imittit. Et tandem si neque sic flecti se sinat, nigrum vexillum ultimæ sententiæ ipsi obvertit, et extremam calamitatem infert ; quæ omnia facile aptis exemplis confirmari possunt.

Ex occasione thematis : « Sicut fulgur exit ab oriente, ita erit adventus Filii hominis ; » (Matth. XXIX v. 27) potest extremum Judicium tempestati comparari. Et 1. ostendi, quomodo peccata, velut exhalationes, ascendant in altum, et ibi includantur in nube, id est, Christo, eamque percutiant, unde postea tonitru, id est, admonitio Dei, et sonus tubæ Angelicæ producitur, sequitur fulgur, id est, adventus Christi Judicis, vel ignis antecedens Christum ; et tamen fulmen sententiæ ultimæ, quæ vere est fulmen *urens* corpus et animam ; *denigrans*, id est, perpetuam infamiam inducens ; et *dissipans*, id est, separans justos ab injustis. 2. Ostendatur, quæ media contra hanc tempestatem adhiberi debeant, scilicet ut vel sub laurum, id est, Beatissimæ Virginis patrocinium confugiatur ; vel subter terram se quis abscondat, id est, per humilitatem et pœnitentiam, se coram Deo humiliet ; vel crucem Hispanicam pectori appendat, id est, tribulationes multas propter Christum patiatur.

Ex occasione thematis : « Tum qui in Judæa sunt, fugiant ad montes ; » (Matth. XXIV, v. 16) possunt ostendi varii montes, ad quos confugere debeant, qui judicium malum effugere volunt, nempe : I. Ad montem *Pœnitentiæ*, juxta illud S. Joannis : Progenie viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira ? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. (Joan. III, v. VII.) Hinc S. Chrysologus ait : Currat pœnitentia, ne præcurrat sententia ; ne judicemur, judices nostri simus. (S. Chrys. hom. CLXVII.) 2. Ad montem *Orationis*, juxta illud

Christi : Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ ventura sunt, et stare ante Filium hominis. (Luc. xiv. 36.) 3. Ad montem *Misericordiæ* ; nam fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam. (Tob. iv, v. 12.) 4. Ad montem *Timoris*, maxime circa hoc judicium ad D. Hieronymi exemplum occupati; scriptum est enim, timenti Dominum bene erit in extremis. (Eccles. i , v. 13.) Hinc Abbas Amon cuidam Fratri postulanti sermonem utilem , dixit: Vade , et fac talem cogitationem tuam , qualem faciunt illi , qui sunt in carcere. Illi enim interrogant homines, ubi est judex, et quando veniet? et in ipsa expectatione pœnarum suarum plorant. Sic etiam debes animam tuam objurgare, dicens: Væ mihi, si non cogitavero, quomodo habeo astare ante tribunal Christi,et actuum meorum reddere rationem ! Si sic semper meditatus fueris, poteris salvus esse. Hoc consilium secutus Ceadda, Episcopus Merciorum in Anglia, quoties tonabat aut fulgurabat, aut vehementior procella ingruebat, diem Judicii cogitabat, et misericordiam divinam humano generi propitiare conabatur. Hinc ab Angelis de obitu suo præmoneri meruit septem ante mortem diebus. (V. Beda. *Hist. Ang.* l. IV, c. iii.) 5. Ad montem *Calvariæ* seu *Passionis Christi*; ad exemplum illius Monachi, qui, quoties crucem transibat, Christum per angustias mortis suæ rogavit, ut sibi quoque in extremo mortis articulo adesse, et propitius esse dignaretur, meruitque sine Purgatorio hinc ad cœlum transire. Nam, ut S. Augustinus dixit: Nihil tam ad mortem amarum est, quod meritis Christi non sanetur. Tota spes mea est in morte Domini mei, mors ejus meritum meum, refugium meum, salus, vita, et resurrectio mea; meritum meum miseratio Domini ; non sum meritis inops, quamdiu ille miserationum Dominus non defuerit. 6. Ad montem *Patrocinii B. Virginis* ; nam ipsa, teste S. Bernardo, ut Advocata nostra, ut Judicis Mater, et ut Mater misericordiæ, efficaciter salutis nostræ negotia tractabit. (S. Bern. *Med.* c. ii.) Hinc S. Anselmus dicere solebat: Sicut a te despectus et aversus, necesse est quod pereat; sic ad te reversus, et a te respectus, impossibile est quod pereat. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ. Videri potest de hac materia fusius discurrens Faber, cit conc. v, *in Dom. 24, post Pent.*

Ex occasione thematis: « Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris, et vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum, » (Luc. xii, v. 35) potest explicari, quomodo quisque ad futurum Judicium se præparare debeat , nimirum. 1. *Lumbos præcingendo* , id est, desideria rerum terrenarum constringendo, ut nihil in via salutis et perfectionis impediat. 2. *Lucernas ardentes ferendo,* nempe charitatem Dei et proximi, non verbo dumtaxat, sed opere monstratam.3. *Exspectando Dominum,* id est, semper in oculis et mente habendo adventum ejus, et præmia, quæ justis , et supplicia, quæ peccatoribus decernit. Venit quippe Dominus, inquit S. Gregorius, cum ad Judicium properat; pulsat vero, cum per ægritudinis molestias mortem esse vicinam designat. Cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus; aperire enim Judici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat, et videre eum, quem contempsisse se meminit, Judicem formidat. Qui autem de sua spe et operatione securus est, pulsanti confestim aperit, quia lætus Judicem sustinet, et cum tempus propinquæ mortis advenerit , de gloria retributionis hilarescit. S. Greg. hom. xiii, *in Ev.*

Ex occasione thematis : « Exibunt Angeli et separabunt malos de medio justorum, » (Matth. xiii, v. 49, *Ev.*) ostendi potest, quam acerba sit hæc separatio futura ob quinque effectus, quos in corde malorum producet, nempe 1. *Ob stuporem* ; nam, ut Sapiens ait : Mirabuntur in subitatione insperatæ salutis dicentes intra se : Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum etc. ecce quomodo computati sunt inter filios Dei. (Sap. v, v. 2.) 2. *Ob livorem* ; videbit enim peccator gloriam electorum, et irascetur, dentibus suis fremet, et tabescet. 3. *Ob pudorem* ; implebitur enim in istis, quod Deus in Deuteronomio prædixit Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior ; tu autem descendes, et eris inferior; ipse erit in caput, et tu eris in caudam. (Deut. xxviii, v. 43.) 4. *Ob dolorem ,* quem sentient, si se videbunt a Deo, Sanctis, carissimis amicis, ipsaque felicitate æternum separari. 5. *Ob timorem* secuturæ sententiæ, et detrusionis ad æternos carceres et supplicia. Hortetur proin, ut hos effectus in quinque digitis describant, et

in dextræ manus digitis alios quinque effectus in electis producendos, scilicet gratulationem, exultationem, gratiarum actionem, exaltationem, exspectationem. Quæ videri possunt fusius apud Fabrum, conc. III, *in Dom.* 3, *Adv.* num. 2.

Ex occasione thematis : « Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo , neque fiiet; » (MATTH. XXIV, v. 21) potest horrendus processus Judicii per sequentem Parabolam explicari. Die quodam sub vesperem vir opulentus et magni nominis cum familia secesserat in villam omni supellectile et deliciis abunde instructam. Ubi tamen dum hilari convivio se recreat, famulus quidam perfidus tam ipsi, quam conservis lethargum miscuit. Dum autem sic gravissimo sopori sunt immersi, laverniones et prædones in domum immittit, qui eam totam exspoliantes, dominum quoque ipsum velut mortuum exportant, et campo medio depositum destituunt. Interea cœlum fœdis tempestatibus misceri, micare fulgura, mugire tonitrua, nimbi præcipitare; quibus excitatus herus lethargicus, mirari incepit, se extra domum in nuda humo, sine famulis, sine ope, inter turbines et procellas destitutum, miseriamque suam vehementer, sed frustra deplorare nam fulmine ictus interiit. Applicetur subinde parabola peccatori; nam vesper hanc vitam ; villa locum, in quo otio et luxui vacat; servus corpus ; lethargus socordiam in salute procuranda ; prædones mortem et Diabolum ; campus vallem Josaphat; tempestas Judicium extremum ; fulmen ultimam sententiam : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, denotat. Unde facile apparet, quam miser sit peccatoris status.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Consideratione dignissima est miraculosa illa mutatio, quæ in unico momento circa bonum latronem facta fuisse noscitur, qui pedem suum Paradiso ante S. Joannem Baptistam intulit, qui prædicando dixerat : « Appropinquavit Regnum cœlorum; » imo et ante S. Petrum, cui claves cœli consignatæ fuerant a Christo, qui porta cœli erat : « Ego sum ostium ; » primus omnium mortalium sibi dici audivit : « Hodie mecum eris in Paradiso. » Et tamen quis est, qui ipsum vitam suam inter continuata latrocinia traduxisse ignoret? Imo paulo ante simul cum suo criminis et supplicii collega Redemptorem nostrum blasphemaverat. (MANSI, tr. XLI. disc. I, n. 7.) Quam difficultatem Sanctus Ambrosius movet, dicens : Videamus, cur tantorum criminum reus, tam cito a Salvatore Paradisum promeretur, cum alii multorum temporum lacrymis, frequentibusque jejuniis vix delictorum suorum veniam consequantur. Inter alias vero subitaneæ hujus conversionis causas, quas adducit, una est, quia Judicium finale vivaciter apprehendendo compunctus, postulavit veniam, nec tamen ideo subito Paradisum sibi donari aut dolores et cruciatus, quibus angebatur, mitigari sibi petiit, sed solum in die finalis Judicii, bonam sui memoriam haberi rogavit. Devotione fidei, inquit præfatus Sanctus Doctor, tam repente mutatus est, ut præsentem pœnam despiceret, ac de futuro veniam precaretur, et magis crederet utile sibi esse de æterno judicio petere, quam de temporali supplicio supplicare. Reminiscens enim scelerum suorum, et pœnitudinem gerens, plus incipit dolere, quod sperat, quam sentire, quod patitur; potuit enim, nisi de futuris amplius cogitasset, qui in Christum semel crediderat, de præsenti magis supplicio deprecari. S. AMBR. v. V, s. XLIV, *de S. Lat.*

Prima omnium vice, qua calamus Spiritus Sancti ad exarandam nobis Scripturam se movit, Deum nobis simul non solum ut Creatorem totius universi, verum etiam ut Judicem ob oculos statuit, dum ait : « In principio creavit Deus cœlum et terram. » Ubi, ut Cajetanus et alii observant, in Hebræo, loco Deus, hæc dictio *Elohim* ponitur; subdit vero idem Cajetanus : Appropriate utitur hoc nomine, significat enim Deum, quatenus Judicem. Quamobrem vero Spiritus S. ab initio, dum vix universum creatum fuisset, Deum nobis immediate ob oculos tamquam Judicem statuit? In promptu causa est, inquit idem Cajetanus, ut unus atque idem Deus credatur Creator Mundi, et Judex universorum. Voluit nimirum increata Dei sapientia a prima nostrum productione, imo ab ipsis Mundi primis natalibus, firmam Judicii extremi insinuare memoriam, ut illud continuo in mente et corde nostro haberemus insculptum. MANSI, d. II, n. 2.

De S. Elia Propheta legimus, quod, dum in spelunca delitesceret, inde a Deo egredi jussus fuerit : « Egredere, et sta in monte coram Domino, et ecce Dominus transit, et

spiritus grandis et fortis subvertens montes, et conterens petras. » Simul tamen aliam vocem audivit, Dominum in impetuoso vento minime esse præsentem: « Non in spiritu Dominus. » Post hunc vero ventum, ingentem quamdam audivit commotionem : « Et post spiritum commotio. » Nec tamen in hac commotione Dominus aderat : « Non in commotione Dominus. » Post hanc vero commotionem, comparuit ignis : « Et post commotionem ignis ; » sed neque in igne Deus erat: *Non in igne Dominus.* Et post ignem sibilus auræ tenuis, moxque vocem audivit Dei : « Et ecce vox ad eum. » Hugo de S. Victore historiam hanc nostro adaptans propositio, inquit : Ecce præambulos Dei Spiritus, commotionem et ignem ; non venit Dominus ad te, nisi prius isti veniant. Spiritus est terror Judicii æterni, qui si in cor peccatoris impegerit, et montes superbiæ dejicit, et petras duritiæ dissolvit, sed hic nequaquam Deus esse dicitur, quia anima, quam adhuc timor perditionis afficit, nondum perfectæ charitatis dulcedinem sentit. Post Spiritum commotio sequitur, quia terrore Judicii concussa mens, mox a sua stabilitate movetur. Post commotionem vero ignis sequitur, quia post anxietatem futuri sæculi, adversus se sæviens animus, ardore compunctionis inflammatur. Postremo igni sibilus auræ lenis succedit, quia post longa compunctionis incendia purgata mens, afflata Spiritu, consolationis refrigerium sentit. Hug. de S. Vict. t. III, *Miscel.* l. XI.

In Exodo, dum vestes sacerdotales a Deo ordinabantur, simul etiam præceptum fuit, ut in earumdem extremitatibus certa quædam tintinnabula suspenderentur : Deorsum vero ad pedes ejusdem tunicæ per circuitum, quasi mala punica facies ex hyacintho et purpura, et cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis. Per hæc autem tintinnabula Origenes prædicationem intelligit, ministerio Sacerdotali annexam, simulque eorumdem situm vel posituram observat, quia illa circa extremitatem corporis, id est, circa pedes, pariterque in extremitate vestis appendi volebat ad pedes ejus, ad denotandum, quod præcipuum prædicationis sacerdotalis argumentum tangere debeat ultimum et extremum Judicii diem; sic enim ingentem in animabus effectum producere poterunt. Et hæc tintinnabula, quæ semper sonare debent, in extremo vestimento sint posita, idcirco credo, ut de extremis temporibus et fine mundi numquam sileas, sed inde semper sones, inde disputes, et loquaris, secundum eum qui dicit : « Memor esto novissimorum, et non peccabis. Origenes, hom. XIX, in Exod.

S. Antoninus considerans, quod, sicut Deus in mundo Omnipotentiam suam manifestavit in productione creaturarum, in Incarnatione vero et justificatione peccatorum Misericordiam suam; ita quoque conveniens sit, ut manifestet pariter in toto mundo Justitiam suam; siquidem hæc proprie est dos illa, quæ gloriosum illum principem facit, et dignum Judicem, quia in lib. Sapientiæ, cap. I. dicitur : « Diligite Justitiam, qui judicatis terram. » Justitia autem Dei in hac vita in multis rebus abscondita latet, ac proinde, cum ad illam pertineat, ut boni præmientur, malique castigentur, sæpe tamen in hac vita omnino experimur hujus contrarium; unde deploramus justorum persecutiones, et oppressiones pauperum, et de impiorum prosperitate plurimum scandalizamur. S. Anton. tit. XXIV, *Sum. Theolog.* XI, §. 2.

S. Bonaventura multa refert horribilia signa, quæ Judicium sunt præcessura. Etenim primo die, mare 15 cubitis elevabitur super altitudinem montium, persistendo hoc modo solidum et constans instar muri validi. Secundo die, iterum adeo profunde subsidebit, ut videri vix possit. Tertio die, monstra marina super maris superficiem se erigentia horrendos edent mugitus. Quarto die, succendetur mare et bulliet, eodemque die quævis alia aqua ardebit. Quinto die, herbæ et arbores humorem quemdam scaturient sanguineum. Sexto die, omnia ædificia solo æquabuntur, et perfectam facient planitiem. Septimo die, omnes petræ allidentur ad invicem, et confringentur in octo partes, et quælibet partium allidetur ad alteram. Octavo die, erit quidam terræmotus adeo horrendus, ut omnia animalia simul cum hominibus prosternabuntur in terram. Nono die, montes et colles complanabuntur, omnesque redigentur in pulverem, fiet universa terra plana et æqualis. Decimo die, egredientur omnes, qui in cavernis terræ latebant, et tamquam insani discurrent, nec loquetur unus ad alterum. Undecimo die, omnia mortuorum ossa resurgent, seque e monumentis levabunt, quæ omnia aperientur, ut cadavera restituant. Duodecimo die,

stellæ e cœlo decident. Decimotertio die, omnes in vita superstites morientur, ut in societate aliorum resurgere possint. Decimoquarto die, cœlum et terra conflagrabunt. Decimoquinto die, fiet cœlum novum, et terra nova, et resurgent mortui secundum virtutes, merita et demerita. Tandem vero idem Seraphicus Doctor, concludendo discursum suum, dicit omnia hæc signa, velut citationes quasdam, futura esse, quibus omnes judicandi invitabuntur ad Judicium. Ista signa erunt quædam peremptoria citatio, et terribilis, cum executione sententiæ, sine omni excusatione ad Judicium vocatio. S. Bonav. tit. ix. *Dict.* c. *unic.*

Sanctus Antoniuus ex Sancto Gregorio ita scribit : Si quæris, quis te accusabit, dico, *totus mundus*; offenso enim Creatore offenditur totus mundus. Idem quoque auctoritatem citat D. Chrysostomi, dicentis : In illa die nihil erit, quod respondeamus; ubi cœlum et terra, aqua, luna, et sol, et dies, et noctes, et totus mundus stabunt contra nos ad accusandum. Quod si terra, inquit idem Sanctus Doctor, ratione esset prædita, utique in illa die reprobis dictura esset : Ego super me hosce reprobos sustinui, virentes illi subministravi herbas, elegantes flores, fructusque suavissimos, multa in illorum commodum nutrivi animalia, variaque et pretiosa e visceribus meis produxi metalla, ut communi Creatori servientes, gratos se exhiberent ; illi vero omnibus hisce in ejus sunt abusi offensam, ac proinde merito a me absorberi merentur. Aqua pariter dicere posset : Ego peccatoribus servivi ad temperandum ardorem, et restinguendam illorum sitim, ad abluendas corporis et supellectilis ipsorum sordes ; Sacramentis materiam exhibui, ut exinde a peccatis purificarentur; dedi eis marium commoditatem, ut ex una provincia ad aliam navigare, mercesque suas devehere possent; pisces quoque in cibum illorum generavi et nutrivi ; at ipsi in malum usi sunt, et ideo a me submergentur. Aer pariter opponere poterit : Ego hisce impiis per continuam respirationem, vitam subministravi, dedi illis pluvias opportunas, variarumque avium ingentem multitudinem ; et quia Conditorem suum et nostrum non cognoverunt, in me suspendantur, suffocentur. Ignis similiter objiciet : Quia sine meo calore victuri non fuissent, et tamen usui meo fuerunt ingrati, ex me accendantur et perpetuo ardentes, consumentur numquam. Sol, luna, et stellæ, et cœli cœlorum, dicerent : Quia lumine nostro non sunt usi ad quærendum lumen æternum, eo privati, perpetuis tenebris occupentur. S. Anton. p. IV *Sum.* tit. xiv. c. li. § 15.

Mater mea femina sancta erat, inquit S. Augustinus, orationibus, jejuniis, aliisque devotionibus plurimum dedita ; sed væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia, clementia et pietate Deus discutiat eam. In illa namque die non solum nobis rationes reddendæ sunt, quomodo virtuose operati fuerimus, an scilicet convenientibus et debitis cum circumstantiis, verum etiam bonum illud examinabitur, quod facere negleximus. (S. Aug. l. IX *Conf.* c. xv.) Ita enim meditatur S. Bernardus : Quis considerare valeat, quanta mala per momenta perpetramus, et quanta bona facere negligimus? Sicut enim peccatum est perpetratio mali, sic delictum est desertio boni.

S. Bernardinus hæc verba : « Venite, benedicti ! » considerans, in hos affectus prorupit : O vox omni jucunditate ac suavitate repleta, qua invitantur ad visionem, ad possessionem, ad fruitionem totius Sanctissimæ Trinitatis ! Primo invitat eos ad glorificationem, dicens: *Venite.* Venite, inquam, ad me fontem vitæ indeficientem, ad me lucem gloriæ vivificantem, ad me torrentem voluptatis inebriantem, ad me plenitudinem ubertatis inundantem ! S. Bern. tom. I, s. xi. et art 2, c. iii.

S. Gregorius verborum illorum : *Cogitationes justorum, judicia,* sensum sic declarat : Accedunt ad secretarium Judicis intra sinum cordis, considerant, quam districte quandoque feriat, qui diu patienter exspectat, metuunt in his, quæ se egisse meminerunt, et puniunt flendo, quod perpetrasse se intelligunt. Ibi adversum se, quidquid se impugnat, enumerant. Ibi ante oculos omne, quod defleant, coacervant. Ibi, quidquid per iram districti Judicis decerni possit, intuentur. Ibi tot patiuntur supplicia, quod pati timent ; nec deest in hoc Judicio mente concepto omne ministerium, quod punire reos suos plenius debeat. Nam conscientia accusat, ratio judicat, timor ligat, dolor excruciat. Quod Judicium eo certius punit, quo interius sævit. S. Greg. l. xxv *Mor.* c. vi.

Mysteriis plena sunt verba illa Jobi : « Vitam et misericordiam tribuisti mihi. »

Ubi advertendum quod non dicat, animam et misericordiam, sed vitam et misericordiam, quia licet divina pietas animæ se associet, quamdiu hæc corpori huic unita est, non tamen, postquam a corpore resoluta erit, pietas enim et misericordia solum durat, quoad usque vita durat; non vero, quamdiu durat anima, quia post hanc vitam sine ulla misericordia examinabitur, quando justus vix salvabitur, tunc enim opera illorum sequuntur illos. Valde igitur opportunum est illud S. Bernardi consilium, dicentis : Utilius et multo salubrius est, hodie audire eum consulentem, consolantem, docentem, admonentem, corripientem, increpantem, quam in die illa tam amara, tam lugubri, audire judicantem, indignantem, ulciscentem, sævientem, condemnantem. In primis igitur ipsum auscultemus consulentem, per inspirationes internas, quibus nos instigat ad mores emendandos, ad terendam non solum latam præceptorum viam, verum etiam consiliorum semitam. Audiamus consolantem, id est, si modo injustas patimur persecutiones, si infirmitates toleramus, si paupertate divexemur, et calumniis, aures præbeamus Christo promittenti nobis, quod tandem aliquando venturus sit dies ille, in quo nos, et opera nostra liberaliter renumerabit, dicendo suave illud verbum « Venite, benedicti, etc. » Auscultemus docentem, dum per verbum suum prædicatum et scriptum nos erudit, qualiter ipsum, misericordiæ operibus mediantibus, propitium nobis reddere valeamus. Audiamus admonentem per superiores, confessores, prædicatores, librorum spiritualium lectiones. S. Bern. *de Ver. Abac.*

Animam aliquam amore Dei ferventer ardere, ex nullo evidentiori indicio colligere possumus, quam si ignem, qui judicem præcessurus est (Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus) nequaquam timeat, eo quod alius quidam ignis longe ferventior, id est, amoris divini, in ejus corde vehementer ardeat, de quo scriptum est : « Deus ignis consumens est. » Unde S. Augustinus ait : Quisquis fiduciam habet in die Judicii, non timere debet ne veniat dies Judicii ; date operam, intus agite vobiscum, ut desideretis diem Judicii, aliter non probatur perfecte charitas, nisi cum cœperit ille dies desiderari ; ille autem eum desiderat, qui fiduciam habet in illo ; ille autem fiduciam habet in illo, cujus conscientia non trepidat in charitate perfecta atque sincera. Porro ad acquirendam hanc puram conscientiam, ad accendendum in corde charitatis ignem, ad excludendum omnem Judicii timorem, nullum est efficacius medium, quam si quis continuo de futuro Judicio cogitet. S. Aug. tr. IX *in Ps.* XCVI.

Nota passim omnibus est illa nuptiarum parabola, ad quas illos Rex invitari præcepit, qui in exitu viarum deprehendebantur : « Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. » Miserat quidem et alios servos, ad invitandum alios, sed sine ullo subsecuto fructu ; in his autem nullam reperit resistentiam, quia hi, qui de novissimo Judicio, de ultimo hoc fine, deque reddendis ibi rationibus continuo cogitant, semper reperiuntur dispositi, qui veste nuptiali charitatis ornati, nuptiis assideant Sponsi cœlestis, dicente Alberto Magno : Illi sunt in exitibus viarum, qui mortem suam jugiter prospiciunt. Tales dignos se efficiunt, ut ad Christi nuptias introire mereantur. Quicumque enim mortis suæ efficaciter recordantur (idem de Judicio universali dicendum, quod a particulari dependet) student esse continentes, patientes, obedientes. S. Alb. M. ser. LXXIV, *in Dom.* 10 *post Pent.*

S. Isidorus Pelusiota in quadam epistola, in eos, qui mysterium hoc tractant, credunt, nec controvertunt, ex alia tamen parte quasi ludus foret, in peccatorum tenebris caligant, acriter invehitur, dum ait : Absurdissimum meo quidem judicio illud est, eorum quidem, in quibus externi sapientes et Scripturæ Sacræ inter se dissident, magnam rationem habere; eorum in quibus consentiunt, exiguam. Etenim Judicii extremi dogma, tametsi et rationi consentaneum, et justum, et ratione præditis congruens, atque a nobis, et ab ipsis confessum ac receptum sit, tamen paucos inducit, ut ea, quæ officii ratio postulat, faciant. Plerique enim (nec vero me quisquam iracundia commotum hæc dicere arbitretur) non secus ac si nec Judicium futurum sit, nec providentia ulla rebus præsit, atque humanas actiones conspiciat, velut in densissimis noctis tenebris ea faciunt, quæ faciunt. S. Isidor. Pelus. l. III, ep. XXXVII.

S. Antoninus inter cætera ait : Sciendum, Judicium illud fore justissimum. Cujus has

reddit rationes. Humanum pervertitur Judicium timore, cupiditate, avaritia, odio, et amore amicitiæ, vel consanguinitatis. Addit glossa tres alios defectus, scilicet imperitiam, seu ignorantiam, nimiam compassionem miseriæ alterius, rigorem, severitatem; sed nihil horum poterit esse in Christo. Citatque auctoritatem S. Hieronymi, modum, quo iram et furorem huic Judici inesse intelligi debeat, in hæc verba explicantis. Ira Dei non est concitati animi furor, ut nostra, sed justi supplicii constitutio. S. Anton. p. IV, tit. XIV, c. I, § 8.

Ecclesiasticus ait : « In fine hominis denudatio operum illius. » In fine, hoc est, ut multi exponunt, postquam vivendi finem omnes homines fecerint, et universale Judicium inceperit, et libri vitæ singulorum explicati fuerint, ubi tunc nudabuntur cujusque opera. Notate: Tabernam nundinatoriam nobilis, unaque pauper obeunt. Ille divite vestitu, hic vulgari, lacero, sordido amictu. Instituunt Publicani scrutinium, quantum quisque ferat. De nobili haud dubium, quin æstiment, tam venire auro argentoque onustum, quam amictu, et corporis habitu est splendidus; inopem vero præter centones suos, et obsoletos pannutios nihil conferre. Cum ad rem veniunt, et quemque seorsim explorant, plurimum se lapsos judicio inveniunt; quem enim opulentum existimabant, illum pauperem et absque nummis reperiunt, solaque exteriori specie, quam ostentabat, fulgentem; quem vero inter mendicabula recensebant, apud hunc nullum deprehendunt in paupere vestitu assumentum, quod non sit scutato, aut purissimi auri ducato infertum. Quis hoc sibi persuasisset? Tale quid est, quod dicit Sirach : « In fine hominis denudatio operum illius. » Multam in hac vita fraudem oculi patiuntur humani, et plurimum errant hominum judicia. Sed cum ad emporium Judicii universalis appulerint, detegenturque, et expendentur mores singulorum, tunc intelligetur, quantum aberrarint; quos enim hic admodum sanctos putarunt, eos fuisse insignes peccatores videbunt, et fuisse sanctos, quos suspicabantur improbos. Did. Nys. § 3, ser. II, *post Dom. I Quadrages.*

Ob id dicebat S. Ambrosius : Sunt multa fucis illita, quæ luce purgentur tua. O Deus, quam multa habet hæc vita, quot vitas hic mundus fucis imbutas, accersito et peregrino ornatu tectas, et quam necesse habemus, ut lux universalis Judicii tui adveniat, ut quæ sit ficta, aut picta, quæ sincera, et integra sanctitas palam fiat! Duas per compita videas mulieres, ambas formæ et vestitus elegantia præstantes, una propriis, altera commodato acceptis monilibus onetatur; una suum sibi mundum ex urbe Granatensi, vel a Turcis coemit, alteri Deus liberaliter impertivit, et suam absque vicinorum, aut vicinarum subsidio accepit venustatem. Qui neutram novit, utramque divitem et formosam censet, nec emendicatam aliunde formæ gratiam ab alterutra cogitat, nec inter veram, mentitamque elegantiam discernit. Hoc est, quod ait D. Ambrosius : Sunt multa fucis illita. Est plurima animarum elegantia vera et sincera, est etiam plurima fucata; est nitor genuinus, est simulatus et fictus. Discrimen justum hic statuere inter cerussatum, et solidum, inter apparens, seu larvatum, et genuinum, verumque non valemus; in obscura hujus vitæ nocte positi sumus. Verum, ubi Deus supremi Judicii lucem accenderit, ibi singulorum ora, vultusque patentia cernemus, et qualis quisque fuerit, intelligemus. Quæ luce purgentur tua. Ibidem.

Apud Davidem, ubi de ratione agit, qua Deus omnes homines judicabit, hæc æquus hic Judex ait : « Cum accepero tempus, ego justitias judicabo. » Ps. LXXIV. 3. Cui dicto S. Textus hæc mox subjicit : « Liquefacta est terra, et omnes, qui habitant in ea. » Quidam non vulgaris eruditionis auctor inquit: Quo sensu dicitur, quod colliquescent cum terra omnes incolæ, quando ad judicandum Dominus veniet? Respondet appositissime in rem nostram, metaphoram subesse dicto, sumptam a monte, quem nix, quantus est, operit; dum ita est, ut sæpe in partibus, et in totis frigidioribus regionibus accidit, non lapides ab arboribus, nec itinera a cavernis secernuntur, contegente omnia nive, donec sol æstuans, tepidiorque aura illam solvat, et cujusque rei speciem nudet, atque ostendat. In supremo mundi die tale quid eveniet. Liquefacta est terra, et omnes, qui habitant in ea. Tunc enim Sol justitiæ divinus liquefaciet nivem, hoc est, auferet larvas, vela detrahet, quæ veram agnitionem vitæ cujusque occultabant, itaque luculente, et distincte, qualis quisque fuerit, intelligemus. Ibidem.

Quærunt nonnulli, cur de Christo venturo

Judice Malachias dicat : « Orietur vobis timentibus nomen meum, Sol justitiæ, » et respondent, id fieri ad differentiam hujus materialis solis, a quo illuminamur ; quoniam si hic sol tantum tribuit malo, quantum bono, Christus e contra faciet, quia tunc quemque pro meritis suis patefaciet, distinctionemque personarum faciet, et improborum quidem flagitia deteget, proborum vero virtutes manifestabit, et suo quisque pretio æstimabitur, et veritas conspicua fiet. Itaque ut a corporeo sole secernatur, qui eodem modo omnes habet, Christus Judex *Sol justitiæ* dicitur. In hac cogitatione fuit doctissimus P. Franciscus de Ribera, in ea verba Prophetæ sic commentatus : Dicitur in die Judicii Christus *Sol justitiæ*, quia claritatem suam et lætitiam reddet justitiæ, id est, sanctitati, quæ ante obscurata erat laboribus, et calamitatibus, quibus justi affligebantur, ac si mali essent. Ibi plurimas videbimus detectas fraudes; ibi fient explorata, quæ olim dubia ; Ubi intelligemus, quibus artibus conquisitæ facultates ; qua integritate definitæ lites, pronunciatæ sententiæ ; qua ratione officio suo Palatinus satisfecerit; quomodo Rex subditorum suorum profectus et emolumenta curarit ; quomodo Episcopi necessitatibus pauperum succurrerint ; denique ibi videbimus, quomodo aliorum quisque muneris sui partes expleverit, et quis rerum suarum sategerit. Ibidem.

Dilectus Discipulus vidit quondam suum Magistrum specie tam formidabili ac terribili, ut exanimi similis ad pedes ejus prolapsus fuerit : *Cum vidissem eum*, inquit ipse, (Apoc. I, 17.) *cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus*. Quid fuit in divino Magistro, quod tantum horrorem injecit tam chari discipuli generoso pectori ? Quid illi sic omnem fregit et ademit animum, ut tanquam vita ac sensibus destitutus coram eo, quem loquentem audiebat, corruerit ? Magna, haud dubium, tam magni terroris causa fuit. An forte præferentem manu flagra vidit, ut propterea violentum illius rigorem formidarit ? Nihil tale vidit. Quid ergo habebat in manibus Dominus, quod metu tam vehementer Joannem perculit, tantumque non exanimavit? Ipse hoc exponit, inquiens : « Et habebat in dextra sua stellas septem.» Ibid. vers. 16. Itane vero, quod stellas in manibus ejus vidit, contremuit. Si vidisset vibrantem radios, stringentem gladios, intentantem lanceas, nihil miraretur ; at quid in stellis, illustrissimis et jucundissimis illis sideribus vidit, quod eum in tantas angustias compingere potuit ? Lauretus, Antonius Ricciardus, Petrus Berchorius, Joannes a S. Geminiano, et alii plures aiunt, stellas esse symbolum gratiarum, quibus Deus animam exornat, et lucis, qua eam perfundit. Quod si ita est, quid mirum, quod Joannem in confinia mortis adduxit stellarum intuitus ? Servis enim Dei nihil parem tremorem adfert, ac beneficia Dei, dum secum attenti reputant, strictissimas eorum rationes olim coram summo, et æquissimo, formidabilissimoque tribunali reddendas. Idem, § 1, *Dom.* I *Adv.*

Huic proposito opportunum est ænigma quoddam gladii, qui ad cotem oleo tinctam olearum acuitur, cum hac adscriptione : Lenimine acutior subaudi, redditur. Quis leni oleo obtusum exacui posse ferrum cogitasset? Id vero in illo supremo die primum insigniter fiet, oleum namque misericordiarum, et gratiarum, et donorum, quibus hic a Deo perfusi, ac delibuti fuerunt ingrati peccatores, acuet tunc ejusdem indignationem, inflammabitque iram, ut gravioribus supplicii eos mactet, qui oleo beneficiorum deliniri noluerunt, ut ad vitæ melioris studia converterentur. Ibid.

S. Epiphanius de augustissima cœlorum Regina ait : Ipsa est nubes tonitruiformis, quæ fulgur interius in utero gestat. Neque hoc affirmasse satis arbitratus, etiam ex Canticis sententiæ suæ suffragium accersit, inquiens : Sermoni meo attestatur divina Scriptura, dum ait : «Venter tuus acervus frumenti, vallatus liliis;» (Cant. VII, 2.) velut dixisset : Quod Maria nubes sit, quæ alvo sua fulgur complectitur, quis dubitet, quando sacrum oraculum perspicue affirmat, uterum illius persimilem esse cumuli triticei liliis obsepti ? Hinc ne autem fit, quod illa fulgor apud se habeat? Imo vero aliud quidvis potius inde consequi videtur. Quid enim amabili tritico et formidabili fulguri ? Quid ignibus illis cœlestibus cum albicantibus liliis? Admirabilis fuit hac de re, et percommoda præsenti causæ Divi Epiphanii sententia. Quid enim? Nonne Maria in utero suo acervum tritici coronatum liliis habuit, quo tempore in castissimis suis visceribus Filium Dei gestavit, illum omnibus gratiis refertissimum, quibus mundum cumulaturus erat? Nonne in alvo sua benedicta portabat triti-

cum, ex quo tota animarum alimonia conficienda, et panis ille pinsendus, qui de seipso aiebat: « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.» Joan. VI. 41. Non est, qui hoc nesciat. Dicit ergo nunc Epiphanius: Ex hoc posteriore illud prius necessario conficitur, estque hæc infallibilis consecutio, Maria panem de cœlo in alvo gestabat, ergo fulgur; portabat lilia, itaque ignes, fulgur interius in utero gestat. Quia in illo extremo ultimi Judicii die quid misero atque ingrato peccatori erunt dona, quæ hic illi Deus plenis manibus affudit, nisi iræ illius fulgetra? Quid dulcis panis temporalium beneficiorum, nisi ignis æternorum suppliciorum? Quid lilia gratiarum male expensarum, nisi materia flammarum sempiternarum? S. EPIPHANIUS, *de Laud. Virg.*

Dionysius Uticensis ait: Ilices et quercus multum fructum ferentes, diuturniorem hyemem fore significant. Mirum prognosticon! Itane vero abundantiores earum arborum fructus certo indicio sunt hyemis et prolixioris, et molestioris? Quid ea res nobis portendit, nisi ut omnes, quotque Deus suarum gratiarum fructibus cumulat et onerat, admoneantur, magno studio, diligenter ac sollicite animadvertere, quomodo in animarum suarum usum, et tam munifici Domini officia recte illius beneficia vertant; nam pro gravitate munerum non bene curatorum, erit magnitudo pœnarum, et multum fructum ferentes diuturniorem hyemem significant. DION. UTICENS. I, *de Agric.* c. IV. Quod luculentioribus verbis S. Greg. hom. 9, sic expressit: Dum crescunt dona, rationes etiam crescunt donorum, et ponderibus gratiarum acceptarum, et neglectarum, paria erunt pondera cruciatuum.

Probrosissima morte defunctus fuerat Dominus noster, jamque in vitam gloriosius redierat, et totos quadraginta dies adhuc exegit in Mundo, antequam in cœlum abiret, crebro inviscens Apostolos, et quæ de Regno cœlorum illos scire oportebat, docens: « Quibus et præbuit seipsum vivum post Passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de Regno Dei. » Ita S. Lucas, Act. I, 2, 3. Hic cuivis vel mediocriter docto dubitare in mentem veniet, cur Dei Filius non statim a morte ad Patris sui dextram ascenderit, cum mox, ut in vitam rediit, possessionem solii gloriæ adire merito debuisse videatur? Cur ergo suum ascensum in diem quadragesimum suspendit? Cur tam diu procrastinavit? Respondet sacer Ravennatum Archipræsul, S. Petrus Chrysologus verbis quam præclaris, ac gravibus, tam commodis et rei præsenti, et nostræ institutioni, dicens: Christus quadraginta diebus residet, et remoratur in terris, et si dici fas est, Patris occursum differt, Patris suspendit amplexum, donec totum se revelet, et reformet suæ ascensionis in gloriam. Hæc ille, serm. 85. Admirabilis loquendi modus! Pendite in his illud diligenter, quod dicitur, donec se revelet, et reformet suæ ascensionis in gloriam. Eratne in Christo quidpiam, quod reformari vel deberet, vel posset? Et qua ille præparatione opus habebat, ut Patris dextram peteret? Quid totos in hanc rem quadraginta dies expendere necessum erat, ut Patris occursum differret, et suspenderet amplexum, quoad [illegible] dies suæ [illegible], et præparationi dedisset? Nil habebat Christus, quod reformari deberet, quod emendatione egeret, nec ulla illum a cœlo retardabat necessitas; differebat tamen ascensionem, ut pulcherrimum nobis relinqueret documentum. Nam si ille, qui nulla opus habebat reformatione, et quoad omnia perfectissimus, consummatissimusque erat, se formare videtur, et perpolire, priusquam Patrem adiret; qui tam multa habet, quæ plurimum requirant reformationem, et emendationem, et emundationem, multa, quæ plurimam desiderent circumspectionem, quomodo is audebit coram illo apparere? quomodo tot peccatis onustus, tot flagitiis prægravatus et contaminatus, adire tribunal Judicis, qui, tametsi nunc patienter ferat, et conniveat, et dissimulet, demum tamen tam non parcet, sed pro severioris justitiæ ratione in illum acerrime vindicabit, et gravissima supplicia decernet? S. PETRUS CHRYS. S. LXXXV.

Felici reliquorum suorum operum prognostico primam ex creaturis produxit Dominus lucem. Dixit Deus: « Fiat lux! Et facta est lux, et vidit Deus lucem quod esset bona. » Gen. I, 3, 4. Animadverte, et considera diligenter locum hunc, inquit Oleaster, qualiter non sat fuerit Deo lucem pulcherrimam creare, nisi et eam, postquam condita erat examinet. Quæ de manibus Dei prodeunt opera, ea integritatis suæ, et perfectionis suam secum adferunt contestationem. Cur ergo lucem Dominus tam studiose circumspexit, tam curiose arbitratus fuit, tam diligenter consideravit? Quid nævi, quid obscu-

ritatis in luce esse poterat? Quid nobis illa disquisitione significare voluit? Respondet Oleaster : Existimo, hoc mihi dicere velle, ut examinem, et discernam ego tenebras meas, siquidem ille tam studiose examinat lucem suam. Judicio ergo laborare probat, qui non tota diligentia, omnique sollicitudine ad futurum Dei Judicium se comparat, quando et Judex ipse suo exemplo præmonstravit, quid hac in re agere debeamus, si justitiam illius evadere, et effugere vindictam volumus. Osenster, *apud Nyss.* l. c.

Neronem, Romanæ narrant historiæ, Consulibus et Senatorum Principibus persuasisse, ut, posito tantisper supercilio, missisque seriis, larvas subirent, et in Cæsaris gratiam, Romano in foro saltum histrionicum ducerent. Armatæ fuerunt Cæsaris preces, quibus adac[illegible] larvas deridiculas induunt, in forum prosiliunt, choreas ag[illegible], verum medio in saltu submissi a Nerone satellites, personas saltatoribus detrahunt, et senatoriam producunt levitatem. Quod dedecus tam grave confusis accidit, ut nonnulli pudore exanimati corruerint in mortuos, alii perpetua rotati amentia, non prius resipere cœperint, quam vivere desierint. Quantus ergo pudor, furor, timor, in die Judicii peccatores occupabit, cum præsertim membra illa, quibus abusi contra Deum et naturam sunt, turpissima et stigmatica videbunt, ut velut in viva tabula, omnia legantur scelera? Hartinck. *Conc. rust. in Dom. Advent.*

MISCELLANEA.

Qualitas. — Josue septem diebus cum Arca circuibat muros civitatis Jericho, tuba clangens, quod figura erat Judicis; nam et tunc ante quam mundus per lunam (quam Jericho significat) figuratus pereat, sol et alia sidera, quæ sunt militia cœlestis, ipsum insolito cursu circuibunt, signaque dabunt. Jos. VI.

Cor sapientis in dextera illius, et cor stulti in sinistra ejus, ait Salomon, quia justus omnia sua cogitata refert ad dextram Judicis ac Dei gloriam; stultus vero cogitationibus ad sinistram se vertit. Eccl. XX, 2.

De minimis non curat Prætor, aiunt juristæ; sed vel maxime Deus, quia, teste S. Bernardo, nihil inscrutatum relinquet oculus ejus. S. Bern. s. LV, *in Cant.*

Si duo folia sumantur, et in altero quidpiam aqua, in altero quid succo citri scribatur, nihil quidem in utroque apparebit, sed si ad ignem applicentur, multa in posteriore, nihil in priore folio scriptum reperietur; sic se res cum conscientia justorum et injustorum habebit, nam in illa, quia per aquam tribulationum scribitur, nihil in Judicio mali apparebit; plurima autem peccata in conscientia malorum legentur. Inchin. p. II, c. V.

Quantitas. — Cum Philippus II, Hispaniarum Rex duos e magnatibus in templo garrientes vidisset, et post rem divinam ad conclave rediens dixisset ad illos : Vos in conspectum meum amplius non venite! Adeo hæ voces illos turbarunt, ut alter mœrore sensim contabuerit, alter stupido similis in omnem vitam manserit. Ad quem effectum illa Christi verba : *Discedite a me, maledicti!* producent? Drex. *In Trib.*, cap. IX, l. II.

Recte ratiocinatus est S. Fulgentius : Si sanguinarius Herodes timuit infantiam in in fœno cubantis, quanto magis timere debemus omnipotentiam judicantis? S. Fulg. s. V *de Epiph.*

Ubi Joseph dixit fratribus : Ego sum Joseph, frater vester, quem vendidistis in Ægypto, non potuerunt respondere, nimio terrore perterriti. Quid dicent peccatores, si Christum in Judicio dicentem audient : Ego sum Frater vester, quem vos crucifixistis, et vilissimo peccati pretio toties vendidistis? Gran. *in Loc. Com.*, f. 823.

Hæretici quidam accepta mortis sententia, ne in publicum prodire cogerentur, sibi ipsis mortem consciverunt. Quam acerbum erit coram toto mundo damnationis sententiam audire? Ibid.

Utilitas. — Asina Balaam viso mucrone Angeli, retro cessit; num visa Judicis romphæa, peccator ad scelera progredietur? Num. XII.

Rex Sicambrorum Basanes in insignibus suis nudum ensem cum laqueo habebat, addita epigraphe : *Discite justitiam moniti.* Ps. VII, 18. Ita Deus gladium et arcum, teste David dicente : Nisi conversi fueritis, gladium suum vibravit, arcum suum tetendit, et paravit illum.

Hosius, Episcopus Cordubensis, ad Constantinum Imperatorem coercendum scripsit: Desine, memineris te mortalem esse, formida diem Judicii, serva te in illam diem

purum, ne te misceas Ecclesiasticis. Bessæus, *in conc.* I *de Judic.*

Anachoreta quidam interrogatus, cujus libri lectione potissimum teneretur? Nullius, respondit, nisi trifoliaris, cujus folio nigro moneretur mortis ; candido beatitudinis ; rubro judicis. Ibid.

Mysseniæ mulieres hoc uno timore a seipsis perimendis abstinebantur, quod propalatum fuerit, eas nudas ad sepulchrum rapiendas. Plutarc. *de Insig. mulier.*

Ludovicus, pius Imperator, cum anno octingentesimo trigesimo septimo cometa appareret, sciens, his fere signis mortem Principum portendi, dixit : Non alium timere debemus, præter illum, qui nostri et hujus sideris Creator est. Sed ejus clementiam non satis laudare et imitari possumus, qui nostram inertiam, cum simus peccatores et impœnitentes, talibus indiciis dignatur admonere. Quia ergo, et me, et omnes communiter hoc ostentum tangit, omnes pro posse ad meliora festinemus, ne forte misericordiam illo prorogante, et nostra impœnitudine impediente, nos illa inveniamur indigni. His dictis noctem illam pervigilem duxit, et mane largissimas eleemosynas pauperibus erogavit, Missasque, per quos potuit, celebrari fecit. Triennio post in lethalem morbum incidit, per dies quadraginta quotidie Eucharistiam sumpsit, thesaurum privatum pauperibus distribuit, rebelli filio injurias remisit, pectus cruce muniit, Dæmones apparentes fugavit, et elatis in cœlum oculis spiritum Deo reddidit. Baron. an. 738 et 840.

AXIOMATA.

Non judicari vis? Te ipsum judica. Drexel. *in Trib.* l. I, c. vii.

Amans de amante judicans, non judicat.

Judicio amantis nil indulgentius.

Nolite judicare, et non judicabimini. Luc vi, 37.

Qui timet judicem, cavet culpam.

Judicis est recti, nec munere, nec prece flecti. Buchl. *V. Judex.*

AUCTORES.

Jeremias Drexelius, *in Tribunali.*

Gabriel Inchinus, *de Novissimis* p. II.

Petrus Canisius, tom. IV, *de Noviss.*

Petrus Bessæus, *de Novissimis*, p. V.

Philippus d'Outreman, *in Pœdagogo Christiano*, p. I, c. viii, §. te 7.

Ludovicus Granatensis, *in Locis Commun.* fol. 816.

Thomas Stapletonus, text. I, *in Dom.* I. *Adv.* et text. ix, *Dom.* 5, *post Epiph.* et tex, iv, *Dom*, 4, *post Pasch.* et tex. vi, et vii. *Dom*, 4. *Pent.*

Mathias Faber, conc. iii, iv, v, vi, vii, *in Dom.* 1 *Adv.* et conc. ii, ac. iii, *in Dom.* 2 *Adv.*, item conc. iii, *in Dom.* 3, *et* 4 *Adv.*, iterum conc. viii, *in Dom.* 21, et conc. v, et vi, *in Dom.* 24, *post Pent.*

Joannes Dadræus, *in Locis Similit.* V. eod.

Josephus Langius, *in Polyanth.* V. eod.

Joannes Major, *in Magno Spec. Exempl.* 5. eod.

Joannes Lopez, *in Epitome.* V. eod.

Jacobus Salianus, *de Timore Dei*, lib. penult.

Gregorius Reb, *in Reg. Prud.* p. I, c. ii.

Dionysius Carthus. *de* 4. *Noviss.* a c. xvi.

Ludovicus Granat. *in Duce Peccatorum* c. viii.

JUDICIUM TEMERARIUM.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est actus intellectus, quo alienos mores et facta sine legitima auctoritate et causa judicamus ; nam si constet de facto, et ex officio incumbat, illius correctionem suscipere, non modo non peccatur illud judicando, sed laudabilis etiam Justitiæ et Charitatis fraternæ actus exercetur. Staplet. text. ii, *in Dom.* 1, *post Pent.*

Divisio.—Dividitur in *Temerarium* et *Usurpatum* a Stapletono. *Temerarium* est, quando ob leves conjecturas et indicia actio aliena mala ac peccaminosa judicatur, et ab aliquibus *Detractio interna* appellatur, eo quod vere famam alterius in mente sinistre judicantis imminuat ; de qua Christus in Evangelio locutus est, dum dixit : Nolite secundum faciem judicare, sed rectum judicium judicate. Joan. vii. 24. *Usurpatum* vocat citatus auctor, quando quis de crimine quidem comperto, sed sine legitima auctoritate judicat ; ut si quis actum alterius malum ex odio, fastu, libidine reprehen-

dendi judicandum suscipiat; de quo S. Paulus locutus est, dum dixit : Tu quis es, qui alienum judicas servum? Rom. xiv, 4. De priore tamen, quoniam crebius ab hominibus exercetur, potissimum deinceps sermo erit.

Actus. — Primus est, *ex sola externa facie alium criminosum judicare;* quomodo Socratem olim quis ebriosum temere judicavit eo quod faciem solito rubicundiorem haberet.

Secundus est, *actionem de se indifferentem perverso fine factam interpretari*; ut si quis Sacerdotem in domum suspectæ mulieris intrantem judicet ex intentione cum ea peccandi ingressum esse, cum tamen is ad ejusdem confessionem excipiendam intrarit.

Tertius, *de actione alterius apparenter bona et virtuosa sinistrum judicium ferre*; quemadmodum Heli olim Annam Samuelis matrem ferventius orantem in Templo, merobibulam, vinoque ebriam judicavit.

Quartus, *alienam actionem minus, quam censeri oporteret, bonam ac laudabilem judicare;* ut si quis aliquem eleemosynas dantem videns, judicet ex alieno marsupio dedisse.

Quintus, *ex actu vitioso unico commisso proximum habitualiter talem esse judicare;* ut si quis alterum semel ebrium advertens, temere judicet, ebriosum, vinoque multum deditum esse.

Sextus est, *ex facto unius personæ vitioso totam aliquam communitatem vitiosam judicare;* ut si quis Religiosos certi Ordinis, avaros aut luxuriæ deditos judicet, eo quod unum in simili crimine deprehensum audiat.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Si vere utique Justitiam loquimini, recta judicate filii hominum. Psal. lvii, 1.

Tu quis es, qui alienum judicas servum? Domino suo stat, aut cadit. Rom. xiv, 4.

Quid mihi de iis, quæ foris sunt, judicare? Cor. v, 12.

In via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat. Eccl. x, 3.

Fuga. — Nolite judicare, ut non judicemini; in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini. Matth. vii, 5.

Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate. Iren. vii, 34.

Non ergo amplius invicem judicemus. Sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum vel scandalum Fratri. Rom. xiv, 4.

Nolite ante tempus judicare, donec veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. I. Cor. iv, 3.

Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas; in quo enim judicas alterum, teipsum condemnas; eadem enim agis, quæ judicas. Rom. ii, 1.

Væ, qui dicitis malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras. Isaias, v, 20.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS

Qualitas. — Grave est de alio judicare. Unde etiam scriptum est : Nolite judicare, et non judicamini; cum enim unusquisque sit suorum conscius peccatorum, quomodo potest de alterius judicare peccato? Judicet de alterius errore, qui non habet, quod in seipso condemnet. Judicet ille, qui non agit eadem, quæ in altero putaverit punienda. S. Amb. *in Psal.* cviii.

Ob hoc judicare de aliis periculosum est, quod ignorantes vel necessitatem, vel rationem, qua illi hæc, in quibus offendimus, aut recte coram Deo, aut venialiter agunt, invenimur eos temere judicasse, et per hoc admittimus non leve peccatum. Cassian. l. V, c. xxx.

Stulti tanto intensius de alieno judicant, quanto sua profundius ignorant. S. Gregor. *in Mor.*

Humanæ mentis est proprium, hoc sibi fieri suspicari, quod facit. Idem, l. xiv *Moral.* c. i.

Comparavit (Christus) proximi peccatum festucæ, judicium vero trabi, usque adeo grave et insuave est, proximum judicare, ut fere omne peccatum excedat. S. Doroth. serm. vi.

In homine carnali tota regula intelligendi, est consuetudo cernendi. S. Aug. s. xlvii, *de Temp.*

Sunt aliqui, qui de omnibus male judicant. Dicunt enim, si quis studet humilitati, hypocrita est; si recreationi, gulosus est; si patientiæ, timidus est; si justitiæ, impatiens est; si simplicitati, fatuus est; si prudentiæ, malitiosus est; si maturitati, phlegmaticus est; si jucunditati, dissolutus est; si Religioni, singularis est; si societati, sæcularis est;

si silentio et paci, dissimulator est ; si aliorum correptioni, præsumptuosus est ; si instat vigiliis et orationibus, indiscretus est ; si dormitioni, somnolentus est ; si prædicationi et aliorum saluti, appetitor laudis est ; si desistat, negligens est ; si habet gratiam hominum, adulator est ; si adulari renuit, superbus est. S. Greg. *in Mor.*

Videntur tales amare malum fraternum ; constat enim, quod judicium, quo indefinite asserunt esse malos eos, ex affectu inclinante eos, trahit ad sentiendum male de eis. Includit igitur, et nutrit absconditum venenum et odium. S. Bernar. Senens. l. II, ser. XIV, art. 4, c. III.

Quid magis aversatur et abominatur Deus, inquit S. Dorotheus, quam crimen hoc, ut præclare omnes asserunt Patres nostri ? Quandoquidem nihil pejus, nihil deterius, quam proximum judicare censuerunt. S. Doroth. ser. VI.

Adeo grave et molestum est, de quovis peccato judicare, ut Christus in Evangelio apte dixerit: « Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc poteris ejicere festucam de oculo fratris tui. » Comparavit proximi peccatum festucæ, judicium vero trabi, usque ad adeo grave et insuave est, proximum judicare, ut fere omne peccatum excedat. Ibidem.

Maxime hi temere judicant, qui de meritis aliorum facile reprehendunt, qui magis amant vituperare et damnare, quam emendare et corrigere; quod vitium vel superbiæ est vel, invidiæ. S. August. *ser. Dom. in monte.*

Fuga. — Nolite hominem criminose arguere, nolite judicare servum Domini, suo enim Domino stat, aut cadit. Ejus est judicium, qui scrutatur renes et corda, qui scrutatur Jerusalem in lucernis, cui cogitatio hominis confitetur. Et soli relinquatur judicium, cui omne judicium dedit Pater. Petr. Bless. ep. XLV.

Sunt homines, qui ea facilitate alios de malo judicant, ac si quæ in corde eorum sunt, eo acumine viderent, quo Deus scrutatur renes et corda ; quos locus iste arguere videtur, qui non permittit, Sacerdotem facile hominem leprosum judicare, sed prius multis diebus includere, et judicium suspendere. Quod si Dominus non sinit Sacerdotem suum statim de lepra, quam oculis cernitur, discernere, quomodo te permittet de cordis malitia proximum temere judicare ? Oleaster, *in* c. XI *Sap.*

Quid nobis de proximo ? Quid nobis de alieno et malo peccato? Habemus in nobis, quod curemus ; habemus, quid cogitare et satagere debeamus, unusquisque nostrum attendat sibi ipsi, et sua ipsius mala caveat. S. Doroth.

Debet quisque proprias virtutes perpendere, et pro qualitate virium curam aliorum suscipere, ne, dum delectatur bono gloriæ, fiat subditis auctor ruinæ ; et qui gravatur pondere suarum, velit fieri judex alienarum culparum ; durum enim est, ut, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ judex fiat vitæ alienæ. S. Greg. *sup*, *Eccl.* VII.

Aliter hominum livor, aliter Christus judicat ; non eadem est sententia tribunalis ejus, et anguli susurronum. Multæ vitæ videntur hominibus justæ, quæ postea reperientur pravæ. Et in testaceis vasis aurum sæpe reconditur. Petrum ter negantem amaræ in suum locum restituere lacrymæ. Cui plus dimittitur, plus amat. S. Hier. ep. XXXIX.

Duo sunt, in quibus temerarium judicium cavere debemus ; cum incertum est, quo animo quidque factum fuerit ; vel cum incertum sit, qualis futurus sit, qui nunc vel bonus, vel malus apparet. Non ergo reprehendamus ea, quæ nescimus, quo animo fiant ; neque ita reprehendamus, quæ manifesta sunt, ut desperemus sanitatem. S. August. l. II, c. XXVIII.

Quid perdo, si credo, quia bonus est ? Si incertum est, utrum sit malus, licet quidem, ut caveas, ne forte verum sit, non tamen damnes, tanquam verum sit. Hoc pax jubet. Quære pacem, ait, et sequere eam. S. Aug. *sup. Psal.* CXLVII.

Judicet ille de alterius errore, qui non habet in se ipso quod condemnet ; judicet ille qui non agit eadem, quæ in alio putaverit esse punienda, ne, cum de alia judicat, in se ipsum sententiam ferat; judicet ille qui ad pronuntiandum nullo odio, nulla levitate ducitur S. Ambros. *super illud*: *Beati immacul.*

Damnum. — Temerarium judicium plerumque nihil nocet ei, de quo temere judicatur ; ei autem, qui temere judicat, ipsa temeritas necesse est ut noceat. S. Aug. l. II, *in ser. Dom. in monte.*

Si malum est, propria peccata non cernere, duplex jam aut triplex peccatum est, judicare alios, et in suo oculo trabem absque dolore gestare ; omni quippe trabe gravius est. S. Chrys. hom. XXIV *in Matth.*

Peccavit aliquis, et alium idem committentem peccatum condemnavit. Is in die illo valde amaro non eam pœnam luet, quam peccati natura exposcit, sed majorem, quam duplicem et triplicem, non propter id quod ipse peccavit, sed quod alium judicavit; et ideo in eum sententiam feret Deus. D. Chrys. t. V, s. xvii.

Qui se ad judicandum exercet, inquit S. Cyrillus, non tantum divinum et altissimum thronum invadit; sed in ipsam ineffabilem gloriam se peccare sciat, quæ nonnisi recte et juste judicare novit. S. Cyrill. Alex. in c. I *Deut.*

Nil adeo provocat Deum ad iram, nihil ita hominem spoliat, et omni præsidio ac virtute denudat, nec ad summum discrimen adducit, ut proximum judicare, et condemnare, et nihili eum ducere. S. Doroth l. c.

Fieri non potest, quin in manum divinæ iræ incidas, quandoquidem tam audax es, ut judicium Dei fureris. Homo quippe videt, quæ foris sunt, Deus autem intuetur cor. Did. Stel. *apud Mansi*, tr. xlvii, disc. iii n. 5.

Quod si is (Pharisæus Evangelicus) qui nihil peccavit, et peccantem alium (qui manifestus erat omnibus) verbo brevi condemnavit, tantum jacturæ fecit, et in tantum est punitus; qui multum quotidie peccant, aliorumque vitam condemnant, cogita quantam su sustinebunt pœnam? Quomodo omni venia excident? In quo enim judicio judicatis, inquit, condemnabimini. S. Chrys. t. V, § 17.

Nos miseri citra delictum judicamus, fastidimus, odimusque, ac nihili facimus, quidquid videmus, quidquid audimus, quidquid tandem suspectum habemus; et quod longe gravius est, non malo ac damno nostro contenti, cæteros in communem ruinam pertrahimus. Quemcumque enim ex fratribus nostris obvium habuerimus, confestim illum alloquimur, ac dicimus: Illud et illud effectum est, eique pariter nocemus, dum cordi ejus pravas cogitationes, lutulentasque cloacas ingerimus; nec eum timemus, qui dicit: Væ, væ illi, qui proximo suo turbidam subversionis potionem propinat! Cæterum dum hoc agimus, Dæmonis peragimus munus ac opus. Neque id curæ prorsus nobis. Quod enim opus aliud agit Dæmon, quam ludere, et obturbare quemquam? Itaque Dæmonum sumus coadjutores et cooperatores, in nostram ipsorum, ac proximorum, perniciem et ruinam. S. Doroth. Serm. vi.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas. — In judicando alios homo frustra laborat, sæpius errat, leviter peccat; seipsum vero judicando et discutiendo semper fructuose laborat. Lib. I, c. xiv, § 1.

Sicut nobis res cordi est, sic de ea frequenter judicamus; nam verum Judicium propter privatum amorem faciliter perdimus. Lib. I, c. xiv.

Fuga. — Ad teipsum oculos reflecte, et aliorum facta caveas judicare. Ibid. § 2.

Quid ad te, utrum ille sit talis vel talis, aut iste sic vel sic agit, vel loquitur? Tu non indiges respondere pro aliis, sed pro te ipso rationem reddes. Quid ergo te implicas? Lib. II, c. xxiv, § 1.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Qualitas. — Heli Sacerdos Annam Elcanæ conjugem, dum Dominum in templo, toto corde deprecatur, ex labiorum motu temulentam judicans, his verbis allocutus est: Usquequo ebria eris? Digere paulisper vinum, quo mades. I. Reg. i, 13.

Christus Judæis dixit: Venit Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, et dicitis: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicitis: Ecce homo devorator, et bibens vinum, amicus Publicanorum et peccatorum. Luc. vii, 33.

Simon Pharisæus videns Christum permittere, ut Maria Magdalena procidat ad pedes ejus, eosque rigare lacrymis, capillis extergere, et osculari, dixit intra se: Hic si Propheta esset, sciret utique, quæ, et qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. Luc. vii, 39.

S. Catharina Senensis de seipsa testata est, se subjectam fuisse huic vitio, dum dixit: Tradidisti mihi medicinam optabilem contra quamdam occultam ægritudinem, quam ignorabam, nec illam agnoscebam, instruendo me, ne ullatenus ego judicare præsumam aliquam rationalem creaturam, et præcipue servos tuos, de quibus

aliquando velut ex cæcitate, et ignorans, hac eram infirmitate corrupta; quia sub colorata specie tui honoris, atque salutis animarum, temere judicabam.

Rex Totilacum Cassium, Narviensem Episcopum, facie rubicunda præditum conspexisset, ideoque ut potui assiduo deditum contempsisset, malignus Spiritus spatharium illius invasit, nec ante vexare destitit, donec ad S. Cassium adductus, ab eo liberatus est. S. Greg. l. III *Dial.* c. VI.

In vitis Patrum de sene quodam sexagenario et consummatæ perfectionis viro narratur, quod in Alexandriam concedens, omnium celebriorum meretricum in ea urbe existentium, conscripserit catalogum, et per quotidiani laboris mercedem ad singulas illarum sibi fecerit aditum, datisque illis stipendiis, easdem induxerit, ut per noctes ad suum illas haberet arbitrium. Ipse vero stabat a vespere in uno angulo cellulæ, ubi dormiebat mulier, psallens et orans pro ea, et mittens genuflexiones usque ad auroram. Unde meretrices frequentans, omni cum studio finem abscondebat rectum, quem in stipendiandis hisce mulieribus habebat, nimirum ne corpora sua prostituerent, iisdemque, ne id ipsum manifestarent, serio prohibebat; interea vero in urbe Alexandrina male audiens, sinister de vita ejus conceptus quotidie magis invalescebat, adeo ut illum calumniarentur, in præjudicium quoque aliorum Monachorum, dicentes : Vere et ipsi homines sunt, ut omnes. His vero, qui ipsi persuadere conabantur, ut a mulierum istarum familiaritate, quam malam esse suspicabantur, imo judicabant, se subduceret, respondebat : Quid vultis ex me? Numquid judices constituti estis super me a Deo? Ite, de vobis curam habetote, vos pro me Deo non reddetis rationem. Unus est Judex, et sancta dies Judicii, qua singulis reddet secundum opera eorum. Tandem apud S. Joannem Eleemosynarium Patriarcham accusatus fuit, qui tamen ejus cum meretricibus initam familiaritatem malam esse, numquam sibi persuadere potuit, sicure ipsa mala non erat, sed sanctissima et plane irreprehensibilis. Convertit enim Vitalius (hoc senis hujus nomen erat) per continuatam hanc familiaritatem multas meretrices. Accidit vero, quod, dum matutino tempore domum cujusdam meretricis egrederetur, vir quidam fornicarius eamdem ingrediens, validam illi impegerit alapam cum dictu : Usque quo, pessime illusor Christi, non emendas te ab his nequitiis tuis? Qui dixit ad eum : Crede mihi, accipies alapam a me humili, ut tota Alexandria colligatur ad clamores tuos. Paulo post vero vir sanctus in cella sua mortuus est, absque eo, quod ullus de morte ipsius certior fieret. Interea vero ater quidam Dæmon ad instar Æthiopis ei, qui illum percusserat, apparens insignem quoque ei colaphum retulit dicendo : Suscipe alapam, quam misit tibi Vitalius Abbas. Et cadens statim cœpit spumare. Hæc autem alapa tanto cum rumore a circumstantibus audita fuit, ac si sclopetum explosum fuisset, unde illuc cucurrit civitas; ipse vero serios pœnitentiæ actus exercens, et quia a Spiritu maligno atrociter vexabatur, resipiscens, ad cellam S. Vitalii accurrit, ut liberaretur, ubi et protinus ad solum cellæ illius aspectum desideratam obtinuit gratiam. Dum vero porta cellulæ aperiretur, sanctum virum Dei genibus innixum veluti animam exspirantem invenerunt, in pavimento autem legebantur digito inscripta hæc verba : Viri Alexandrini, nolite ante tempus aliquid judicare, quoadusque veniat Dominus. *In Vita Patrum* cap. XXIII, *apud Rosweid.* lib. I; *in Vita S. Joan. Eleemos.* fol. 297, c. XXXV.

Idem S. Patriarcha, alia quadam vice deceptus fuit, ut fidem adhibuerit accusationibus, quæ coram eo de Monacho quodam deponebantur, qui sæpius cum muliere quadam juvencula per civitatem incedere visus, fama publica laborare cœpit, ac si ea tanquam concubina sua abuteretur. Sanctus itaque Patriarcha eum pariter et juvenculam acerbe fustigatos in carcerem retrudi præceperat, verum eadem nocte pius ille Monachus ei in somniis apparuit, eique humeros et dorsum lividum ostendens, his verbis eum est affatus : Hac una vice errasti, ut homo; crede mihi, quia de proximo est vita et mors. Hisque dictis confestim disparuit. Illucescente diluculo experiri volens, an Monachus, quem in carcerem conjici fecerat, similis esset illi, quem viderat in somno, eum ad se accersiri jussit, eumque Monacho, qui sibi apparuerat, simillimum videns, eunuchum, mulierem vero Hebræam esse intellexit, quæ in Gaza Monachum conveniens, ab ipso in Fidei mysteriis instrui, et baptismi lavacro tingi petierat. Insuper dictus Monachus S. Joanni seriatim verba recensuit, quibus hanc sibi ab eo gra-

tiam fieri postulaverat : Cœpit narrare (inquiebat) verbis horribilibus, ut non permitterem perire eam ; timens itaque ego judicium Dei, sumpsi eam æstimans, quod non immittet tentationem Satanas spadonibus. Illa igitur baptizata, tantam hinc inde conquisivit pecuniam, quæ ad eam in monasterium quoddam collocandam sufficere poterat. Cum hæc audisset Patriarcha, dixit : Papæ! Quot absconsos servos habet Deus, et nescimus nos humiles? MANSI, disc. VI, n. 4.

Theus Guerrius, Senensis, vir valde illuminatus, pietate notissimus, S. Philippo Nerio valde familiaris, maximeque ab eodem æstimatus, cum ad negotia Romam venisset, a S. Philippo hospitio exceptus, vidit vespere S. virum Dei una cum quibusdam Prælatis hilariter admodum se gerere, simulque risus miscere : Quam ob rem ratus isthæc puerilem redolere levitatem, tentatione actus est, num revera tanta sanctitate floreret, quanta vulgus arbitrabatur. At cum mane insequenti ad S. virum culpas expiaturus accederet, quam de eo conceperat opinionem, omnino reticuit. Ad quem is : Caveas, inquit, o Thee, ne ficte ad confessionem accedas, culpamque vel levissimam humanis de causis silentio involvas. Et cur, subjecit, confessus non es, quod heri vesperi de me perperam cogitasti? Admiratus est Theus, remque omnem aperuit, atque hominis sanctitatem veneratus, altiorem de eo opinionem animo defixit. *In Vit. S. Phil. Nerii* l. XIII, c. VIII, n. 7.

Surius, in vita S. Severini, Archiepiscopi Coloniensis, refert, quod dominus quidam, magnis natalibus oriundus, in die nuptiarum suarum ab Angelo quodam, ad se sequendum eum invitante, in eremum quamdam ductus fuerit, in qua vitam per multos annos transegit austerissimam. Huic die quadam scire desideranti, quale sibi pro vita hac tam austera in cœlo præmium præparatum esset, Deus revelavit, cum pari præmio donandum, quo Archiepiscopus Coloniensis. Quare ut illum, ejusque conversationem videret, Coloniam profectus, Sanctum Severinum in throno quodam magnifico sedentem invenit, atque post finitam Missam, una cum aliis personis illustribus lautissimo convivio accumbere vidit. Tunc Eremita perterritus timere cœpit, ne hactenus ab eo in summa austeritate transacta vita, Deo parum grata fuisset, utpote pro qua altiori non esset præmio donandus, quam is, quem in summa majestate et deliciis sedere conspexerat. Deus igitur, ut illum ab hoc errore liberaret, Angelum quemdam ei submisit, qui eum moneret, majori ipsum affectu, suspensæ ad cingulum lagunculæ adhærescere, quam Archiepiscopum omnibus dignitatibus et felicitatibus humanis, quibus ipsum propitius mundus locupletare potuisset. SURIUS, *in Vita.*

Celebris est illa S. Ambrosii de S. Theodora a Tyranno in prostibulo exposita, descripta historia : Si quis vidisset ad sanctam hanc virginem ingredientem juvenem dissolutum, et militari vitæ addictum, quem sibi conceptum formaturus fuisset? Et tamen audiamus, qualiter novellus hic Martyr Dydimus sanctam hanc virginem allocutus fuerit. Frater huc veni, inquit, salvare animam, non perdere; serva me, ut ipsa serveris. Quasi adulter ingressus, si vis Martyr egrediar. Vestimenta mutemus, sume habitum, qui abscondat feminam, trade, qui consecret Martyrem. S. AMB. lib. II *de Virg.*

Cardinalis Baronius ex Anastasio Sinaita, Episcopo Antiocheno, sequentem de Monacho quodam refert historiam. Hic enim cum in otio, magnaque negligentia suam transegisset vitam, tandem infirmitate correptus, cum morti vicinus esset, non solum non timebat, verum etiam perlibenter, gaudens, Deoque gratias agens ultimum suum exspectabat vitæ finem, quem nonnulli ejusdem monasterii Religiosi, qui cum ipso familiariter egerant, convenientes, dixerunt ei : Frater, unde tanta hæc tua procedat securitas, scire haud quaquam possumus, utpote qui hactenus te usque in præsentem horam cum summa negligentia vixisse vidimus? Quibus moribundus respondit : Vere ita est, negligentissime inter vos vixi, verumtamen scire vos velim, Angelos Domini in hac eadem hora quamdam ad me attulisse chartam, omnia a me admissa peccata continentem, qui ea, quæ post dimissam sæcularem vitam commisi, mihi prælegentes me interrogarunt, an ea a me commissa esse agnoscerem, quibus ego subjunxi : Imo vero hæc omnia negare non possum, verumtamen certiores estote, quod ab ea hora, qua factus Monachus mundum reliqui, neminem unquam temere judicaverim, neque illatas mihi injurias recordari unquam voluerim. Ac proinde spero, ac Deum rogo, ut in me

quoque verificentur verba illa Domini, dicentis : « Nolite judicare, et non judicabimini ; » nec non illa : « Dimittite, et dimittetur vobis. » Quibus a me dictis, Angeli protinus dictam scripturam dilacerarunt, et ideo lætus et securus hinc recedo ad Dominum. Et post hæc verba placide suum spiritum emissit. Baron. *anno* 599, p. 8.

S. Dorotheus de sene quodam Monacho, nomine Amon, refert, quod, cum quidam zelo ardentes cum furore abiissent ad accusandum quemdam Monachum, qui mulierem quamdam in cellam suam introducere præsumpserat, ut vero idem Dorotheus ostenderet viscera charitatis Amonis, in hæc verba proruperit : Bone Deus, quæ miserationis viscera ostendit, quantam præ se tulit anima illa sanctissima charitatem ? Cum enim non ignoraret sub pithacio absconditam haberi, latereque ibi ; ingressus cellam super pithacium sedit, jussitque ut cellam universam Fratres perscrutarentur, sed cum nihil penitus invenissent, dixit ad eos : Parcat vobis, Fratres, Deus. Quo facto, illos pene confusos dimisit, præmonuitque, ne facile quidquam adversus proximum crederent. Illum vero Fratrem correctione sua modestum ac sobrium reddidit. S. Doroth. s. vi.

E cœlo impetrarat Daniel, Ægyptius Abbas, fecunditatem matronæ haud ignobili, cæterum quia frequens in ea domo servabatur, vicini Abbatis congressu mulierem gravidam esse factam arbitrato, percrebuit is rumor, quo plus nimio commotus Daniel, puerum nuper edictum jussit in publicum portari, multisque mortalibus ad id spectaculum vocatis, aliis sua sponte affluentibus, infantem per Deum adjurat, ut dicat, quo esset patre genitus ? Hoc miraculo factum, ut puer liquido testatus sit, se legitimo toro, non adulterino natum. Sabel. l. X.

Beatus Franciscus etiam obliquæ suspicionis culpam in fratre castigavit. Cum enim pauperculo quodam sibi obviam facto nuditatem ejus dolens identidem ingemisceret, et Frater quocum una iter agebat, dixisset : Pater, etsi ille rebus pauper est, fortasse rerum concupiscentia dives est? Continuo ipsum tunicam suam exuere, et pauperem operire jussit, ut quem lingua læserat, ei beneficio satisfaceret. Pravæ igitur suspiciones, cum præsertim de crimine nihil constat, sedulo vitandæ sunt, et licet semper vitari nequeant, quoniam homines sumus, ibi saltem commoriantur, ubi orta fuerint, linguam contineamus, si cogitationes non possumus. Ibid.

S. Joannes Episcopus illos etiam, qui publice peccaverant, absentes carpi taxarique prohibuit, fieri enim posse, ut peccatum pœnitendo diluissent, et iniquum esset, id ab homine petulanter exprobari, quod a Deo clementer condonatum esset. Itaque domesticos suos graviter increpuit cum quemdam virginis raptorem duxissent. Et qui scitis, inquit, si ille jam peccare destitit, cum fortasse vos non peccare cessetis? Ibid.

Germana, Monasterii Thebaidis soror, sorori Euphrasiæ per hebdomadam interdum perducta jejunia, quæ admirari debuerat, vitio dedit, ausa dicere iis ab illa nihil aliud, quam viam affectari, ut cæteris præsit, eo quod hoc jejunii genus nulla alia præter Abbatissam attentasset. Tantam in judicando temeritatem Abbatissa nequaquam impunitam dimisisset, nisi Euphrasia de se obloquenti protinus veniam suis precibus exorasset. Qua sane ergo æmulam benignitate ostendit, quam quoque sincero in Deum animo jejunaret, tanto tamen Germana male judicans discessit confusior, quanto Euphrasia male audiens patientior. Et profecto inexpiabile pœna individiæ crimen est, ob hoc virtutem aliquam in altero mordere, quod eam ipse assequi posse desperet; nam etiam Spiritui Sancto injuriam facit qui donum ejus in illo, cui datum est, petulanter suggilare contendit. Ibid.

Fuga. — Cum Deus olim Samuelem Prophetam in Bethleem ad domum Isai allegasset, ad consecrandum Regem, qui Sauli successurus erat, nec tamen in specie declarasset ei, quemnam ex filliis Isai speciatim ungere deberet, videns coram se Eliab, qui statura altus erat, hunc a Deo electum fuisse sibi persuasit, unde Deum interrogavit Propheta : « Num coram Domino est Christus ejus ? » Qui respondit servo Dei : « Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus, quoniam abjici eum, nec juxta intuitum hominis ego judico ; homo enim vidit ea, quæ parent; Deus autem intuetur cor. » Reg. vi. 16. Quo loquendi modo Deus insinuare nobis voluit, quam facile decipiamur, si secundum externam apparentiam judicare velimus. Cum enim operationis humanæ malitia secundum actus internos metiri debeat, certum est, quod hos solos Deus videre et

ponderare possit, utpote qui manifestat consilia cordium, homo autem nonnisi externa judicare potest. Sed et S. Chrysostomus, explanans verba illa Genesis: « Descendam, et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint; » sic discurrit : Docere nos vult, quod opus sit magna diligentia, et non auditu solo peccatores condemnandi sunt, neque sententiæ ferendæ,nisi cum probatio præcedat. Audiamus hæc omnes; non enim solum hi, qui pro tribunali sedent observare hanc legem debent; sed et nullus unquam ad nudam accusationem proximum condemnet. Idcirco enim et posthæc Moyses Spiritu Sancto afflatus admonet dicens : « Auditum vanum ne accipias ; » et B. Paulus scribens clamabat : « Tu autem cur judicas fratrem tuum ? » S. Chrys. hom. xlii, *in Genes.*

S. Matthæus priusquam referret, qualiter S. Josepho B. Virginem gravidam esse ignotum fuerit, hæc verba præmittit : « Joseph autem cum esset justus. » Hæc enim vitæ justitia et innocentia efficiebat, quod, licet Joseph in gravido Virginis utero partem ne non habere sciret, nossetque insuper, ex lege adulteras lapidandas esse, nihilominus se minimam, in præjudicium Virginitatis Sponsæ suæ, suspicionem concipere præsumpserit. Quod velim, audiant temerarii, inquit S. Paschasius, et discant inter causarum incerta diu secum ex reverentia timoris Dei, deliberare negotia, ne discrimine levitatis pressi, in deterius cadant. S. Pasch. l. II, *in* c. I *Matth.* Porro factum hoc Josephi, Auctorem Operis Imperfecti induxit, ut in hæc verba exclamaret : O inæstimabilis laus Mariæ; magis credebat castitati ejus, quam utero ejus, et plus gratiæ , quam naturæ ; conceptionem manifeste videbat , et fornicationem suspicari non poterat. Possibilius esse credebat, mulierem sine viro posse concipere , quam Mariam posse peccare. Auctor Operis Imperfecti , homil. 1.

David quantopere hoc vitium detestatus fuerit, ipsemet indicavit dicens : « Detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar. » Ps. c. Judicium igitur temerarium , quod in mentis cordisque nostri secreto formamus, occultæ detractionis est species, quia scilicet, dum ipsum intra nos absque ulla manifestatione externa nihili facimus, injuste apud nosmetipsos et temerarie absque sufficienti fundamento, bonum conceptum, bonamque proximi nostri (qui non minorem reputabit offensam et injuriam, dum suam apud te, quam apud quemcumque alium bonam perdidit æstimationem) eluimus et annihilamus famam. Mansi, tr. xlii, disc. I, n. 6.

Christus, etsi peccata inimicorum suorum intime perspecta haberet, nihilominus tamen ea excusans ad Patrem dixit : Pater, dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt. Luc. xxv. v. 34.

Joseph videns uterum Sponsæ intumescere, neutiquam tamen judicavit eam adulteram esse, sed maluit suspendere judicium, et miraculose conceptam prolem suspicari. Matth. I.

S. Maria Magdalena de Pazzis vidit quamdam Monialem per sex decim dies fuisse purgatam, sed eas pœnas ob tres virtutes non modice fuisse imminutas. 1. Ob sollicitam curam, quam semper habuit puritatem et simplicitatem suæ Religionis conservandi. 2, Ob magnam charitatem, quam omnibus Monialibus exhibebat. 3. Quia semper omnia in bonam partem trahebat, et bene interpretabatur. Virg. Cepar. *in Vita*, c. xxiv.

Monachus quidam cum post vitam suam in otio aliisque vitiis male traductam, nihil ominus in morte perquam lætus esset, quæsitus, quæ causa esset hujus lætitiæ? respondit, paulo ante Angelum sibi adfuisse, omniaque sua peccata, quæ in tabula descripta habebat, spongia delevisse, eo quod per totam vitam neminem judicasset, adeoque verificari meruisse promissum Christi : Nolite judicare, et non judicabimini. Baronius, *an.* 599.

S. Joannes Eleemosynarius cum aliqui in præsentia illius de raptu Monialis ab adolescente quopiam facto murmurarent, compescuit illos dixitque : Nolite, Filii, nolite sic agere, nam ostendam vobis, quia et vos duo peccata facitis, unum, quia transgredimini mandatum dicens : Nolite judicare, et non judicabimini. Deinde, quia nescitis certo, si usque hodie peccent et non pœniteant. Multoties enim peccatum fornicationis vidimus, pœnitentiam vero ejus, quam fecit occulte, non aspeximus. *Vit. apud Rosweid.* c. xlvi.

Abbas Moyses accersitus, ut sententiam in Fratrem lapsum diceret, advenit sacco arena pleno onustus, rogatusque, quid ferret? respondit : Peccata mea; quæ quoniam

vix portare valeo, multo minus aliena portare possum. *Vita Patrum*, p. II.

Abbas Pastor interrogatus, qua ratione quietem in hoc sæculo et futuro obtinere quis posset? respondit : Si in omni causa diceret : Quis sum ego? et non judicet quemquam. Ibid.

Anachoreta quidam, si aliquando Fratris cujuspiam sui lapsum cognovit, cum gemitu dixit : Hei mihi! ille hodie, ego cras. S. DOROTH. *Doctr.* 8.

DAMNUM.— Maria, soror Moysis, quæ temere fratrem suum propter uxorem Æthiopissam judicaverat, mox lepræ supplicio castigata est. NUM. XII.

Abbas Isaac, quia Fratrem quemdam temere judicarat, regressus ad eremum, ab Angelo aditu cellæ prohibitus est. Cumque intellecta hac causa, Angelo supplex factus veniam peteret, respondit Angelus : Surge, ignoscit tibi Deus, sed deinceps ne judices quemquam ante, quam sit judicatus a Deo. *Vitæ PP.* p. II.

Abbas Machetes fassus est, tria fuisse, in quibus alios judicarit ac reprehenderit, sed in omnia tria paulo post ipsummet incidisse. Unde hortabatur unumquemque seipsum tantummodo judicare, non autem aliorum vitam discutere, eo quod manifestum sit, iisdem vitiis obligari Monachum, in quibus de aliis judicare præsumpserit. CASSIAN., l. V, c. XXX.

Senex quidam cum a juvene ipsum visitante de Fratre quodam sinistræ famæ interrogaret, an necdum ab ea liberatus esset? eoque negante, *Oh!* exclamasset, visus est statim in exstasi coram Christo, in monte Calvariæ in medio latronum pendente, consistere, cumque accedere ad adorandum Christum vellet, hanc ab Angelo vocem audire : Ejicite illum foras, quia Antichristus mihi est ; priusquam enim ego judicem, ipse Fratrem suum judicavit. Itaque cum ejiceretur, pallium ejus in janua hæsit, statimque ex somno et exstasi evigilans narravit omnia Fratri, adjecitque, hoc pallium divinam protectionem significare, qua ob judicatum Fratrem privatus fuit. Quare septem integris annis a consortio humano, pane, et tecto abstinens, orationi vacavit, donec iterum Christum in monte Calvariæ vidit, palliumque recepit. LANCIZ. *opusc.* 19, c. I, n. 4.

Disposuit olim divina justitia severe castigare Core, Dathan et Abiron ; quodnam vero fuit illud supplicium, quod illis cœlitus immisit? Dirupta est terra sub pedibus eorum, et aperiens os suum, devoravit illos, descenderunt vivi in infernum. (NUM. XVI.) At vero quonam hæc inaudita, et a principio mundi ad illud usque tempus numquam practicata pœna collimavit, ut scilicet præsciti illi, vivi in infernum commigrarent? Nimirum pœna ipsorum culpæ condigne respondit. Ipsi namque, ut Lyranus et Abulensis asserunt, adversus duos fratres, Moysen et Aaron malignati fuerant, dum illos temere judicarunt, ac si ex propriæ ambitionis motivo, populo Dei dominari, in eumque tyrannidem exercere voluissent. Ideoque priusquam in abyssum deturbarentur, Moyses causam suam justificare volens, inquit : In hoc scietis, quod Dominus miserit me, ut facerem universa, quæ cernitis, et non ex proprio ea corde protulerim. Si consueta hominum morte interierint, non misit me Dominus. Si autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos, descenderintque viventes in infernum, scietis, quod blasphemaverint Dominum.

S. Antoninus de duobus Fratribus, qui servitio Dei cum fervore intenti eremum incolebant, refert, eos ad tantam pervenisse puritatem et perfectionem, ut sæpe unus super capite alterius splendidissimos viderit lucis radios, clara supernæ gratiæ indicia. Accidit autem, quod dum Sancti Patres illius solitudinis, in qua demorabantur, illos inviserent, unus ex duobus hisce Fratribus Monachum quemdam in feria sexta ad horam Tertiarum, manducantem conspiciens, illum jejunium, quod tunc haud secus ac si præceptum fuisset, inviolabile esse censebat, transgressum fuisse, temere judicarit. Qui, cum ad cellulam suam reverteretur, Frater ejus natu major solitos super ejus caput splendores minime videns, illum, an conscientia alicujus culpæ illum redargueret, interrogavit, eo quod nullus super eum lucis radius splendescere conspiceretur? Qui rigidum circa se ipsum examen instituens, nihil aliud invenit, præterquam temerarium illud judicium, quod de illo Eremita sibi formaverat. Intellexit ergo major natu, illud temerarium judicium fuisse causam illius subtractionis gratiæ, justam enim causam potuit habere ille solvendi jejunii. S. ANTON. p. II, tit. III, num. 8.

In vita S. Auxentii, Presbyteri Archimandritæ, Bollandus de impio quodam homine refert, quod, cum ab amico suo rogaretur, ut secum ad Sanctum illum Archimandritam ad recipiendum salutis monitum concederet; ille diabolico quodam instinctu ab eo alienus, non solum non fuit persuasus, ut iret, sed etiam eum cœpit maledictis incessere et irridere, eum vocans impostorem. Cumque nihilominus ambo ad Sanctum virum Dei accessissent, ab eodem summa cum charitate accepti fuere; verumtamen illum, qui incredulus erat, ne verbo quidem affatus est, propter quod is ab inde recedens, pluribus rursum maledictis B. Auxentium insectatus est, ut qui gloriæ causa, et non virtutis, quidquam faceret. At vero quamnam suæ hujus temeritatis pœnam retulit? Nimirum in itinere obvium quemdam filiorum suorum habuit, qui vestem sibi lacerans inconsolabiliter plorabat, a quo cum fletus sui causam interrogaret, neque is eam pandere auderet, tandem patris importunitate victus dixit, filiam ejus fortiter a Dæmone vexari. Tunc ille stimulo motus conscientiæ cœpit faciem suam percutere, et vellere capillos suos, et magna voce clamare : Væ meæ incredulitati! Cumque ad pœnitentiam reductus, ad Sanctum Dei virum recurrere, et erroris sui veniam postulare moneretur, hic bona aliorum consilia sequens, subito filiam suam a Spiritu maligno, se vero ab ejus malignitate liberum esse factum, expertus est. Bolland., t. II, *Februar*, 14.

In vita S. Philippi Nerii scribitur, quod, anno 1559, adversus visitationem septem Ecclesiarum, quas ille instituerat, quasque cum ingenti hominum concursu ad hæc usque tempora, feria 5, post Dominicam Sexagesimæ, ad declinanda Bacchanaliorum pericula, Patres Congregationis ab eo institutæ, continuare solent, sæva suscitata fuerit persecutio, siquidem arguebant eum, quod ex superbia, tanta populi multitudine congregata, totius urbis oculos ad se niteretur convertere, crevitque hic persecutionis strepitus eo usque ut ad Vicarium Summi Pontificis in alma Urbe rumor ille tandem pervenerit, qui malevolorum sermonibus promotus, Philippum accersiri jubet et accedentem acrius his verbis objurgat : Non te pudet, inquit, hominem, qui mundi contemptum profiteris, ut auram popularem colligas, tanta stipatum turba per Urbem incedere, tibique his retibus Ecclesiæ dignitates aucupari! At vero quemnam res hæc tandem finem habuit? Nimirum Prælatus iste, prout ei prædictum fuerat, intra quindecim dies miserabiliter mortuus occubuit, sicque persecutio cessavit, Sanctique viri Dei bona et recta intentio omnibus per signa miraculosa manifesta evasit. *In vita S. Phil. Ner.* l. I, c. x.

Michol Regem conjugem suum in processione solemni coram Arca saltantem videns, despexit eum in corde suo, hisque probrosis et convitiis est aggressa : « Quam gloriosus hodie fuit Rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, et nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris?» L. II, Reg. c. vi, 16. Et tamen constat, quod omnes SS. Doctores hanc solam Davidis actionem omnibus victoriis et triumphis ab inimicis suis reportatis generosiorem esse asserant. Unde celebris est illa Gregorii Magni sententia : Ego David plus saltantem stupeo, quam pugnantem. Advertandum est autem, quod subito condignum Michol uxorem suam, eum irridentem, exceperit supplicium, siquidem sterilitate punita fuit, quæ illo tempore in populo Dei manifestum erat divinæ maledictionis indicium; unde sacer Textus, postquam sinistrum hoc Michol judicium retulisset, confestim subjungit : « Igitur Michol, filiæ Saul, non est natus filius usque in diem mortis suæ.» (L. II. Reg. c. x. et c. xii, 29). Porro incomparabiliter major pœna fuit, quæ Ammonitis immissis legitur, ob judicium quoddam sinistrum, quod de legatis David formaverant, dum eosdem regionis Ammonitarum exploratores esse censuerant. Quid vero regiis legatis intulerint, notum est omnibus, quia contra jus gentium ministros publicos pessime tractarunt; David, licet de mansuetudine sua gloriari non dubitarit, dicendo : « Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus », nihilominus adeo atroci pœna illos mulctavit, ut atrocior in historiis tam sacris quam profanis hactenus numquam lecta fuerit, nec legetur deinceps.

In *Prato florido* legitur, quod in Regno Lusitaniæ, juvenis quidam fuerit in Religione conspicuus, multisque virtutibus dotatus, et orationis exercitio plurimum deditus, qui tamen ad contemnendum alios, eorumque actiones sinistre dijudicandas, pronus et facilis fuit. Hic igitur post mor-

tem amicis suis apparens dixit; quod, tametsi ob conservatam virginitatem, multasque effusas lacrymas in salvo esset, nihilominus in Purgatorio graviter arderet, ob nimis pronam alios judicandi, et contemnendi, consuetudinem. *Pratum florid.* p. II, l. IV, c. XXXVII.

Idem auctor aliud quoddam valde peregrinum narrat vindictæ divinæ in sinistre judicantes exemplum. Sibi namque a multis Scriptoribus, quos nominatim specificat, relatum fuisse dicit, quod, an vere, ut scribitur, acciderit, prudentis lectoris fidei arbitrandum relinquo. Margarita enim olim Hollandiæ Comitissa pauperculam quamdam feminam duobus infantibus, quos uno partu enixa fuerat, onustam videns, eam illos ex adulterio genuisse temere judicavit; et tamquam adulteram publice calumniata fuit. Quæ calumniam hanc sibi injustam cum dolore audiens, Comitissæ respondit : Ego tametsi pauper et egena sim, mulier tam sum boni nominis et honesta, neque hujus mihi injusti criminis vel minimum conscia, ac proinde Deum obsecro, ut ad innocentiæ meæ tutandæ testimonium circa te disponat, ut tot filios unico partu enitaris, quot sunt dies in anno. Nec diu suspensum est justum Dei judicium, qui in hujus temerarii judicii pœnam post non multos menses, trecentos sexaginta quinque filios unico genuit partu, qui omnes vivi simul ab Ottone Episcopo sacri Baptismatis undis abluti fuere. Ibid. c. LIX.

Celebre quoque est, quod S. Greg. in Dialogis suis de Totila recenset, qui S. Cassium sanctitate insignem, in vultu rubicundum nimis esse cernens, ruborem hunc a nimio vino potato processisse judicavit; Deus autem servi sui causam tueri volens, disposuit, ut Dæmon scutiferum ejus ingrederetur, qui cum a S. Episcopo miraculose a tartareo hoc hospite liberaretur, Totila judicium suum, quod de viro Dei temere formaverat, agnovit et damnavit. S. GREG. l. II *Dial.* c. VI.

B. Dorotheus historiam adducit in vitis Patrum contentam; ast priusquam eam commemorare incipiat hæc præmittit verba : Cur Dei judicium nobis usurpamus? Quid ad nos creaturæ ejus? Nonne contremiscere debemus, cum id, quod magno seni illi acciderit, audiamus? Qui cum audisset quemdam ex Fratribus in fornicationem incidisse, dixit : O quam male egit! An nescitis, quam horrenda res de ipso narratur in libro Seniorum? Nam Angelus sanctus animam illius, qui peccarat, cum jam ex hac vita migrasset, ad senem tunc detulit, et ait illi : Ecce quem judicasti, vita functus est, quo igitur animam ejus jubes deferri? Ad cœlorum Regnum, an ad pœnas æternas? Moxque idem Sanctus finem, quem Deus in seniore hoc, quantumvis sancto, sed ad sinistre judicandum proclivi, habuit, interpretari satagit, dicens : Quid quæso aliud innuere seni volebat Angelicus sermo, quam hoc? Quoniam tu jam judex ac censor es justorum, simul et peccatorum, quid fieri jubes de hac misera anima? Censesne misericordia dignam, an pœna et cruciatu. Qua quidem horrenda visione adeo perculsus est senex ille sanctissimus, ut reliquum vitæ suæ tempus, in gemitibus et lacrymis, in innumeris ærumnis et laboribus egerit, Deum assiduis precibus fatigans et pulsans, ut veniam tanti sceleris, et erroris concederet. Ad pedes itaque Angeli se prosternens, veniam petiit de culpa, moxque ab eodem audiit : Ecce ostendit tibi Deus, quam grave sit, proximum judicare, ne posthac amplius rem hanc commiseris. S. DOROTH. serm. VI.

Hoc ipso temerarii judicii opprobrio et vituperio Dæmon nos onerare satagit. Quemadmodum ex vita colligitur S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Carmelitanæ, cujus sanctæ virginis sinistrum ut in Sororibus fundaret conceptum, ejus assumpsit figuram; et quia in pane et aqua jejunare solita erat, impostor culinam ingreditur, et in coquæ absentia partem carnis e lebete aufert, moxque obvius cuidam moniali grave præbuit scandalum. Nec mora, mox enim rumor facti per totum vagari cœpit monasterium; ast serpentis maligni discoopertum fuit stratagema; siquidem eo ipso tempore Sanctam in domo Capitulari pro Communione facienda fuisse, compertum fuit. Alia pariter vice eamdem Diabolus assumens formam, tempore nocturno res abstulit aliquas comestibiles; sed et ex Novitiæ cujusdam relatione, omnes certificatæ fuerunt Sorores, Sanctam toto illo tempore, quo dictum furtum memorabatur admissum, numquam ex novitiatus Oratorio egressam fuisse. *Vita.* l. I, c. VII, n. 10.

S. Henricus Imperator communi consensu virginitatem perpetuam coluit cum Imperatrice Cunegunde uxore sua, et nihilominus non una, sed vicibus trinis, ex conjugis

thoro quemdam exire vidit in forma militari, unde et sinistrum formare cœpit conceptum ; sed dæmonis, qui ut malum de Sancta judicium suscitaret, dictum habitum induerat, illusionem fuisse, tandem didicit, quando sanctæ conjugis innocentia miraculo probata est. MANSI, dis. II, n. 6.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius, siquod alicui Sociorum alienum vitium in communi sermone excidisset, vel elevabat factum, vel excusabat animum et voluntatem. Quid si rei atrocitas excusandi, minuendique omnes aditus præcluderet, eo perfugiebat : Nolite ante tempus judicare. Deus solus intuetur cor. Domino suo quisque stat, aut cadit. Cum gravissime : Ego quidem certe hoc non fecissem. Ut illud Domini præceptum penitus in ejus animo insedisse videretur : Nolite judicare, et non judicabimini ; nolite condemnare, et non condemnabimini. (RIBAD. l. V, *vit.* c, VI.) Hinc ob consuetudinem hanc S. Patris natum domi nostræ proverbium fuit, ut, si quid vel simpliciter dictum aut factum credebatur, *Interpretationes Patris* vocarentur, quemadmodum Ludovicus Gonsalvus apud Lancizium testatur. LANCIZ. ep. X, c. XX, n. 240.

De B. Aloysio ad probandam ejus sanctitatem Auditores Rotæ Romanæ inter alia etiam hoc afferunt, pag. 31, quod aliorum dicta vel facta in meliorem partem excusaret, vel interpretaretur. Idem, op. XIX, n. 195.

EXEMPLA PROFANA.

Socrates, si occasio se offerebat, de rebus ad se non pertinentibus judicandi, dicere solebat : Quæ supra nos, nihil ad nos. LAERT. l. c.

Hippomachus pugilandi magister, cum quidam ex ejus discipulis specimen artis exhiberet, ideo populus ei applauderet, virga eum percussit, dicens : Si bene te gessisses, non hi te collaudarent ; quo dicto, innuere voluit, eos, qui bene aliquid gerere, ideoque laudari cupiunt, id non a plebe, sed a magistris illius artis exspectare debere. ÆLIAN. *Hist.*

Apelles tabulas a se pictas ante domum exponere, hominumque de iis judicia audire solitus, cum aliquando sutor quispiam crepidas non rite factas diceret, patienter tulit. Ubi vero etiam de crure aliisque membris judicium ferre cœpit, indignatus prospexit, dixitque : Sutor, ne ultra crepidam. LANGIUS, *in Polyant.* fol. 617.

Creditus est Titus, Vespasiani filius, quia Jerosolymis eversis, non illico Romam venisset, de regno meditari. Credidit id pater, crediderunt et multi. Cæterum Titus omnium opinione celerius ad ejusmodi falsos de se rumores coarguendos sese patri ex improviso obtulit. Veni, inquit, pater, veni ! quæ suspicio discussa est, principique et Per civitati vana opinio merito exprobrata. SABEL. X.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut difficile aliquem suspicatur malum, qui bonus est ; sic difficile aliquem suspicatur bonum, qui malus est. S. CHRYS. serm. *sup. Matth.*

Sicut bonus et probus uvæ lector matura acina comedens, acerba legere numquam patietur ; sic grati et probati viri animus quotquot in aliis virtutes inspexerit studiosissime notabit ; insipiens vero querelas defectusque perscrutabitur.

Sicut columna in templo si steterit recta, accepto pondere amplius confirmatur ; si autem modice obliqua fuerit, accepto pondere non solum non confirmatur, sed amplius vadit ad latus ; sic et cor hominis, si rectum fuerit, videns opera viri alicujus justi, aut audiens, per doctrinam sapientiæ ejus amplius confirmatur ; si autem fuerit perversum cor, videns opera viri alicujus justi, aut audiens, non solum non confirmatur, sed magis ad invidiam excitatur, et magis pervertitur. S. CHRYS. h. XVIII *ad Pop.*

Sicut corpora mali humoris, quidquid cibi sumpserint, quodammodo perimunt ; sic animæ male dispositæ unaquæque res quamvis bona et utilis, suo vitio nocet. S. DOROTH. *doct.* XVI.

Sicut stultus est, qui equum empturus non ipsum inspicit, sed statum ejus, et frena, sic stultissimus est, qui hominem aut ex veste, aut ex conditione, quæ vestis modo nobis circumdata est, æstimat. SENECA, ep. XLVII.

Sicut phantasia in cœlo *Leonem, Scorpionem,* variaque spectra effinxit, cum sint lucidissimæ constellationes ; ita plerumque

homines, sceleratissimos judicant eos, qui lucent tamquam stellæ firmamenti. ENGELGR. t. I. *Dom.* 1 *post Pent.* § 2.

Sicut per vitrum rubrum aut flavum prospiciens, omnia judicat rubra aut aurea; ita pro affectione animi de aliis judicamus. Ibid. § 3.

Sicut cucurbitæ, quod in carne deterrimum est, ad se trahunt; sic improborum animi deterrima quæque cogitando et suspicando ad se trahunt. STAPL. *in Dom.* 1 *post Pent.* 1. 2.

Sicut, qui impetigine laborat, perpetuum affrictum desiderat; sic quovis pravo desiderio affectus idem alteri affricare cupit, ut vel aliorum malis quasi similibus se oblectet; vel sua mala ex aliorum comparatione justificet, aut communione alleviet. Ibid.

Sicut algent viscera, cum naturalis calor ad externa corporis membra diffunditur; sic circa alienos defectus notandos ideo solliciti sumus, quia nostra negligimus. Ibid.

Sicut ii, quibus domi nullum est negotium, in foro obambulant; sic qui in exploranda vita sua negligentes sunt, in aliena judicanda curiosi sunt. Ibid.

Sicut venti illi omnium sunt molestissimi, qui pallia nobis avellunt; sic illi quoque homines, qui temere judicant, et secretissima violenter expandunt, merito præ cæteris odio habentur. Ibid.

Sicut qui infirmum habet palatum omnisque cibi patitur inappetentiam, omnis cibus, quantumvis sit delicatus et sapidus, illi insulsus et insipidus esse videtur; ita quoque, ut S. Chrysostomus ait: Donec inter nos malevolum gerimus animum, et vox audita nobis aliter sonat, et ipsam faciem corrupta mente aspicimus. MANSI, d. I, n. 4.

Sicut difficile aliquem suspicatur malum, qui ipse est bonus; sic difficile aliquem suspicatur bonum, qui ipse est malus. AUCT. OPER. IMPERF. h. III.

Sicut non videmus aliorum cogitationes, ita nec intentiones eorum, quare hoc, vel hoc, fiat. Unde quidquid aliquo modo potest excusari, semper ad meliorem partem interpretemur, si volumus tranquillum cor nobiscum habere, et cum aliis, et alios non turbare, et Deum non offendere, quia sæpe judicamus malum esse, quod in se non est malum. S. BONAV. tom. VII *de Prof. Rel.* l. c. I, 7.

Sicut ex eodem pulchro, venusto atque odorifero flore mel colligitur, suave et salutiferum, necnon venenum amarum et mortiferum. (Quæ tanta rei hujus differentia? Forsitan in flore consistit? Nequaquam; sed totum penes animalia, quæ iis insident, est discrimen. Apis mel sugit, aranea vero virus, quia aranea est.) Ita quoque homo virtute et charitate præditus, omnia, quantumvis apparenter mala, in meliorem interpretatur partem, aut indifferentia reputat, aut judicium suspendit; quia scilicet, ut Apostolus inquit, « charitas non cogitat malum, diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, » etiam peccata, ut glossa subnectit. Contra vero cor malignitate plenum, semper ad malum inclinatur, licet actio proximi indifferens sit, dicente Scriptura: « Impii autem replebuntur malo. » MANSI, d. II, n. 7.

Sicut contrarius est ignis aquæ; ita quemque velle judicare, repugnat illi, qui de suis peccatis vult ex animo pœnitere. S. JOAN, CLIMAC. grad. X.

Sicut qui imaginem Christi in luto jacentem invenit, reverenter eam levat, lavatque, et in luto nequaquam manere permittit; eodem modo, qui veram charitatem habet, et proximum nostrum, qui est imago Dei, nonnumquam defectui vel vitio alicui manifesto immersum esse deprehendit, illum corrigere studet, eique compatitur, et si defectus non sint publici, eos pro viribus celat. Si vero sint incerti, male de illis non judicat, quia charitas operit multitudinem peccatorum. MANSI, d. X, n. 8.

DAMNUM. — Sicut magna utique et omni severissimo supplicio dignissima arrogantia foret, si subditus aliquis Regi, in throno sedenti, et diademate regio redimito, sceptrumque in manibus ferenti, coronam et sceptrum violenter eriperet; hoc autem facit omnis ille, qui proximum de occultis cordis sui temere judicat. Audiamus eumdem Sanctum Bernardinum id clare his verbis dicentem: Quando tu judicas, accipis sceptrum de manu Dei, et iste est modus præsumptuosus, et huic dicit Paulus: « Tu qui es, qui judicas alienum servum, quia Domino suo stat, » scilicet judicare, si bene vel male facit, quia tibi non est datum judicare, sed potestatibus in hoc mundo per justitiam, et Deo super omnia. S. BERN. SEN. tom. IV, s. XXVII.

Sicut deficiente stomacho calore naturali ad cibum digerendum requisito, quantumvis cibus delicatus et substantiosus sit, illum

tamen in bilem, et malos humores convertit; e contra stomachus vigorosus alimentum cæteroquin crudum et noxium in bonam transmutat substantiam; ita quoque in casu præsenti asserere possumus. Nam anima charitate ardens, licet actionem quamdam proximi sui secundum exteriorem apparentiam malam videat, attamen non cogitat malum, quia charitas operit multitudinem peccatorum, convertitque in virtutem, quod oculo vitium esse videtur, excusat actionem illam, eamdemque recta cum intentione factam fuisse, interpretatur. At vero qui animam depravatam, et cor malignum, ac charitatis expers habet, actus quoque revera virtuosos sinistre interpretatatur. Unde S. Augustinus inquit: Maxime hi timere judicant de incertis, et facile reprehendunt, qui magis amant vituperare et damnare, quam emendare atque corrigere. S. Aug. l. IV, *de ser. Dom. in monte*, l. I, c. I, VIII.

Sicut quando radix arboris alicujus vitiosa est, videmus per experientiam, quod humorem suum vitiatum in ramos et germina transmittens, malam qualitatem illis pariter communicet. Eadem quoque ratio est cordis, et mentis humanæ; quando enim hæc veneno odii et adversionis erga proximum suum est obnoxia, quidquid hic boni operatur, defectui adscribitur. Mansi, d. I, n. 3.

Sicut, si quis solem, auctorem tenebrarum existimat, sibi, non illi detrahit; ita, qui bonos homines, pravos judicat, sibi, non illis nocet. S. Chrys. hom. LXXXVIII.

Sicut modicum fellis aut absynthii totum vasculum melle plenum corrumpit; ita modica amaritudo mentis, qua judicamus proximum pro statu mentis nostræ, totum promixi bonum corrumpit. S. Doroth. *Doct.* XVI.

Sicut stomachus morbo vitiatus, et bilem colligens, quoscumque accepit, cibos immutat, et omne alimentum in causam doloris trahit; ita animus cæcus, quidquid illi commiseris, ad onus suum et perniciem, et occasionem miseriæ facit. Seneca, l. V, *de Benefic.*

MOTIVA.

Quia Deum fugat Judicium Temerarium; nam, teste S. Dorotheo, tanto quisque ad Deum proxime accedit, quanto magis in amore, et benevolentia Christiana proximo suo adhæserit. Docet vero experientia, quod, dum quis male de proximo suo judicat, manifeste per hoc indicet, se ab eo esse aversum, alias enim non tam facile sinistrum de eo formaret conceptum. S. Doroth. ser. VI.

Quia pestis occulta est, ut S. Bonav. ait, sed gravissima, quæ Deum fugat, et fraternam lacerat charitatem. Pestis enim est venenum quoddam occultum, quod ad cordis regionem serpendo, vitam homini eripit; vita autem animæ in charitate consistit, quia qui non diligit, manet in morte; ac proinde JudiciumTemerarium venenum quoddam et pestis est, quæ charitatem extinguit, quam proximo debemus, quia fraternam lacerat charitatem. S. Bonav. *in Stim amoris* c. X.

Quia mater contemptus et detractionis est. De contemptu quidem testatur S. Thomas, dicens: Ex hoc, quod habet aliquis malam opinionem de aliquo, et absque sufficienti causa injuriatur ei, et contemnit ipsum in mente sua. Nullus autem debet contemnere proximum, vel quodcumque nocumentum inferre, absque causa urgente, quia hoc est contra charitatem proximi. S. Thomas, *apud Mansi*, d. II, n. 8. De detractione vero, S. Bernardinus dicit: Decimus fructus (scilicet judicii temerarii) est detractio, nam tale Judicium Temerarium radix est et fomentum omnis detractionis. S. Bern. Sen. t. IV, s. XIV, n. 3.

Quia Diaboli fœtus est, ut qui hoc venenum quovis sæculo in universam humanam progeniem transfundere molitus fuit. Propter quod S. Augustinus, in epistola quadam, ita scribit: Qui timetis Deum, mementote, quod ait Apostolus Petrus, *quoniam adversarius vester Diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret;* quem non potest devorare, seductum ad nequitiam, famam ipsius inquinare conatur, ut, si fieri potest, opprobriis hominum, et malignarum linguarum detractione deficiat, et sic in ejus fauces ruat. Si autem nec famam innocentis maculare potuerit, hoc persuadere tentat, ut per malevolas suspiciones de fratre suo judicet, et sic ab illo implicatus absorbeatur. S. Aug. t. III, ep. CXXXVII.

Quia turpiter fallit; uti Deus ipse per Jeremiam indicavit, dicens: « Pravum est cor omnium, et inscrutabile. Quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et renes probans.» Jerem. c. XVII, 9. Quis igitur corda humana, illorumque sinum penetrare,

Deique jurisdictionem sibi usurpare præsumit præterquam Lucifer, qui temere de se gloriatus est, dicens : Ascendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo?

Quia Deo gravem injuriam infert, dum ei gloriam suam aufert; nam, ut S. Bernardinus dixit : Duo sunt, quæ sibi Deus retinuit, et spectant ad ipsum solum, scilicet gloria et judicium : Gloriam meam nemini dabo. Judicium dedit ei Pater facere. Atqui Dei gloriam deprædari videtur, quicumque humanarum mentium assuescit arcana perquire. Ipsi soli hominum cogitationes, sicut notæ sunt, ita judicandæ ab illo. S. Bern. t. IV s. xxviii. 2. Hinc idem Sanctus Bernardinus ait : Judicis injuria est, si ante ejus judicium a servo procedat sententia. Sed notandum est, quod talis judicii usurpatio tanto gravior est, quanto summo judici judicandi auctoritas usurpatur. S. Bern. Sen. t. II, s. xiv. art. 3, c. ii. Quibus accedit S. Laurentius Justinianus dicens : Hinc quorumdam præsumptuosorum est redarguenda temeritas, qui nedum proximorum opera discutiunt, verum etiam alieni cordis se faciunt judices. Volunt quippe judicare, quales sint hominum cogitationes, quibus ducantur affectionibus, qua intentione operentur, quove spiritu moveantur, quod omnino non licet, cum nemo scire valeat, quid agatur in homine, nisi spiritus hominis, qui in illo est, quamque persæpe contingat, quod sibi ipsi ignotus sit. Divinam in se tales reflectunt auctoritatem, quæ interiorum sola est capax, dum intentionum cogitationumque abdita penetrare posse se putant. De his legitur sic : Ambulabant in tenebris, sicut in meridie. Porro, quemadmodum in meridie, ita illi in tenebris ambulare dicendi sunt, qui mentium proximorum profunda consilia curiosa investigatione perlustrant. Et ex hoc judicia temeraria contingentes, in nocte ignorantiæ ambulantes, meridiem se aspexisse exultant. Opus enim malitiæ implet extremæ, dum falsa proximo opprobria affigit et crimina, et invadit Magistri locum, cum non sit dignus tenere discipuli. S. Laur. Just. *de Vit. solit.* c. iii.

Quia etiam fama, cui judicium plerumque innititur, fallacissima est, uti Tertullianus indicavit dicens : Natura famæ omnibus nota est; nam, juxta Virgilium, *fama malum quo non aliud velocius ullum*. Cur fama malum? Quia velox, an quia plurimum mendax, quæ ne tunc quidem, cum aliquid vera affert, sine mendacii vitio est, detrahens, adjiciens, demutans de veritate? Quid? Quod ea illi conditio est, ut nonnisi, cum mentitur, perseveret. Fama, nomen incerti, locum non habet, ubi certum est. An vero famæ credat, nisi inconsideratus; quia sapiens non credit incerto. Tert. *Apol.* c. vii, n. 101.

Quia incertum est, quem exitum habitura sit vita hominis. Hinc S. Clim. reflectens se ad illam mutationem, quæ in Juda et latrone in brevissimo tempore visa fuit, ita scribit : Quin et hoc attende, et penitus abstinebis a judicando, si quem videris peccantem. Judas in collegio discipulorum erat, latro vero in numero homicidarum, et mirandum est, quanta rerum uno momento facta sit conversio. S. Climac. gr. x. In vita Sancti Philippi Nerii (qui corda penetrandi dono pollebat, aliorumque obscœnam impuritatem ex solo sentiebat odore) legitur, quod cuidam malam ejus detexerit conscientiam, dicendo ei, quod pessimum faciei præseferret colorem, ad peccatum alludens, quo inquinatus erat; hic autem seorsim se subducens, cum in corde suo compunctionis actus excitasset, ad præsentiam Sancti Philippi denuo rediit, cui tunc sanctus vir dixit : Fili, vultus tui mutasti colorem, jucundiorem enim refers faciem, quam antea. *Vita S. Phil. Ner.* l. III, c. viii, n. xxviii. Idem Sanctus Climacus ibidem ait : Vidi, qui palam peccaret, et clam pœniteret; et quem ego ut impurum nequam damnaveram, jam apud Deum temperans et pudicus habebatur, cum per sinceram emendationem Deum sibi propitiasset. S. Ephrem quoque ita scribit : Si fratrem peccantem aspexeris, et postero die eumdem videris, ne ipsum peccatorem tecum reputes, ignoras enim, an te absente post lapsum bene operatus sit, et suspiriis atque gemitibus Dominum placaverit. S. Ephrem, t. III, *de Timore Dei.*

Quia prior vita non noscitur ; hinc Sanctus Dorotheus in quodam sermone suo de hac eadem judiciorum temerariorum materia fuse tractans, alia inter monita hoc pariter statuit : Si contigerit, ut deflectat, et labatur, unde, quæso, tu nosti, quanta ille pertulerit prius, quo certamine sudaverit, aut quanto sanguine maduerit? Fortasse fieri potest, ut error illius coram Deo tamquam justitia reputetur; intuetur enim Deus agonem, et laborem illius, et afflictionem, quam pertulit, antequam errorem illum et

casum incurrerit, proindeque miseretur et ignoscit. Itaque Deus miseretur, et veniam illi præstat; tu vero condemnas, et animam tuam perdis. Unde, quæso, tu nosti, quam largas et uberes effuderit ille pro suo delicto lacrymas ante conspectum Domini? S. Doroth. ser. VI. Bene igitur D. Bernardinus ait: De quo desperamus, subito convertitur, et fit optimus; de quo multum præsumpseramus, deficit, et fit malus, nec timor noster certus est, nec amor. Quid sit hodie quisque homo, vix novit ipse homo. S. Bern. *ap. Mansi*, d. VIII n. VIII. Sic agebat hæc considerans Frater Bernardus de Quintavalle, Sancti Francisci socius, scintillantes instar duarum stellarum habebat oculos. Perque divinam revelationem intellexit Frater Leo, ideo esse oculos ejus radiantes, quod, quidquid videret, semper in meliorem partem interpretaretur, et neminem aspiceret, quem se meliorem non judicaret. Unde si quem paupercula opertum videbat veste, dicebat intra se : Hic patientius paupertatem tolerat, quam tu, Bernarde; si pretiosam videbat chlamydem : Hic forte sub veste delicata melior est, quam tu sub tunica rudi, Bernarde. Ibid. disc. XXX, n. 4.

Quia fuga illius ad Judicem Christum conciliandum conducit, juxta illud Christi promissum : « Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini. » Matth. VII, 1.

Quia præcepto charitatis proximi est summe contrarium; cum enim hoc exigat, ut proximum sicut nos ipsos diligamus; nos autem nihil magis optemus quam ut omnes de nobis bene sentiant, et loquantur, recte colligitur, graviter hoc præceptum violari ab eo, qui proximi actiones sinistre interpretari præsumit.

Quia et ipsi auctori graviter perniciosum est hoc vitium; nam in primi justos Dei judicio plerumque contingit, ut, qui alios judicant, in eosdem defectus, quos aliis imputarunt, cadant. Deinde vero, etiamsi in illos non cadant, tamen eadem pœna digni sunt, uti Christus Sanctæ Mechtildi revelavit, dum eidem dixit, magni esse criminis, cum homo judicat proximum suum, quem si injuste judicaverit, reus erit tanti sceleris, quanti esset is, qui fecisset hoc malum, quod de alio judicatur. Quod si homo etiam fecit id, quod de eo dicitur; tamen qui nesciens intentionem facientis secundum cor suum et sensum eum judicat, tam reus erit ex ipso judicio, quam ille, qui rem ipsam perpetravit; et nisi pœnitendo diluat, simili pœnæ quam ille promeruit, qui hoc malum fecit, et ille subjacebit. S. Mecht. l. I, c. VII.

MEDIA.

Radicem tollere; quam quidem sat clare S. Augustinus indicavit, dum dixit: Maxime hi temere judicant, qui merita aliorum facile reprehendunt; quique magis amant vituperare et damnare, quam emendare et corrigere; quod vitium est superbiæ vel invidiæ. S. Aug. de *ser. Dom. in monte.*

Propria peccata considerare. Sic enim Christus ipse suasit, dum dixit : Quid vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita, ejice primum trahem de oculo tuo. Matth. VII. 3. Et merito, nam, ut sapienter Sanctus Gregorius dicit, qui semetipsum prius non judicat, quod in alio rectum judicet, ignorat. Et si novit forte per auditum, quod recte judicare debeat, recte tamen judicare aliena merita non valet, cui conscientia innocentiæ propriæ nullam judiciis regulam præbet. S. Greg. l. XIV *Mor.* c. XV. Hinc est enim, quod insidiantibus quibusdam, et puniendam adulteram deducentibus dicitur : Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Joan. VIII, 7. Ad aliena quippe peccata punienda ibant, et sua reliquerant. Quod ipsum egregie confirmavit senex ille, qui a Fratre rogatus, quæ causa esset, cur assidue judicaret Fratres Monachos? respondit : Quia necdum teipsum cognovisti ; nam qui seipsum novit, fratrum vitia non aspicit. Idem medium suadet etiam Sanctus Bonaventura dicens : Quandocumque aliquid videris fieri, quod tibi displiceat, antequam judices facientem, primo respicias temetipsum, utrum in te invenias aliquid reprehensibile, quod si inveneris, tunc in illo, in quo alium judicas, temetipsum condemnas, dicendo cum Propheta : *Ego sum qui peccavi; ego qui inique egi*, et non sis sicut hypocrita, qui numquam respicit defectus suos, sed præsumit de se, et condemnat alios, detrahit et judicat, et vult videre festucam in oculis eorum, trabem autem, quæ est in oculo suo, non considerat; quem Veritas reprehendit, dicens :

« Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui. » S. Bonav. *ap. Mansi dis.* xi, n. 4. Hinc et Sanctus Climacus ait : Quicumque sua ipsius vitia sine amoris proprii velo accurate perspexit, nullius rei alterius humanæ cura suscipiet, ut qui intelligat, nullum tempus ad sua peccata deflenda sufficere, etiamsi centum annos viveret, videretque totum Jordanem in lacrymas versum ex oculis suis defluere. S. Climac. gr. x.

Dilectio proximi ; ita suadet Sanctus Gregorius dicens : Sed quare hoc grave videtur nobis esse in proximo, nisi quia nec nos sicut proximum, nec proximum conspicimus sicut nos ? Si enim nos sicut proximum aspiceremus, nostra reprehensibilia districte videremus ; et rursum, si proximum aspiceremus ut nos, numquam ejus actio appareret intolerabilis, qui sæpe fortasse talia egimus. S. Greg. l. I, hom. iv, *in Ezech.* Idem medium approbavit Sanctus Augustinus, dicens : Non judicat personaliter, qui diligit æqualiter. S. Aug. tr. xxx. Et ut bene discurrit Stapletonus, ubi charitas, et misericordia habitant, ibi frater non judicatur. Lex fidelium mercatorum est, ut socii sint non minus in damno, quam lucro. Hoc fit in tota fidelium societate. Sicut enim charitas aliena bona facit sua juxta illud : Particeps ego sum omnium timentium te ; atque sic multum lucratur ; ita misericordia aliena mala facit sua, fratribus compatiendo juxta illud : Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Quod alibi apposita similitudine confirmat, dum ait : Sicut fluvius magnus et alte patens omnes rivulos ad se venientes sinu excipit, et complectitur ; et sicut ignis omnia comburit, et in se convertit ; ita charitas dilatata omnes aliorum actiones in bonam partem accipit, et ubi factum non potest, intentionem excusat. Stapl. *in Dom.* 1 *post Pent.* tom. II.

Intentionem occultam attendere; nam, teste Sancto Augustino, in disciplina nostra non tam quæritur, utrum pius animus irascatur, sed quare irascatur ? Nec utrum sit tristis, sed unde sit tristis ? Nec utrum timeat, sed quid timeat ? Irasci enim peccanti, ut corrigatur ; constristari pro afflicto, ut liberetur ; timere periclitanti, ne pereat, nescio utrum quisque sana consideratione reprehendat. S. Augustinus, *de Civ. Dei*, c. iii. Hinc Cassianus quoque ait : Etiam ob hoc judicare de aliis, periculosum est, quod ignorantes vel necessitatem, vel rationem, qua illi hæc, in quibus offendimur, aut recte coram Deo, aut venialiter agunt, invenimur eos temere judicasse, et per hoc admittimus non leve peccatum. Cassian. l. III, cap. xxx, *Instit.* Cui etiam consentiens Sanctus Bernardinus : Est nobis, inquit, aliquod dubium ex ignorantia principii ; nam principium boni vel mali operis, est intentio vel voluntas, unde cum incertum sit quo animo, vel qua intentione opus sit factum temerarium judicium debemus præcavere. S. Bern. tom. II, s. xiv, art. 1, c. v.

Assuescere, omnia proximi opera bene interpretari; juxta illud S. Bernardi consilium : Excusa intentionem, si opus non potest ; puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum, et monitum Apostoli dicentis : Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis ? S. Bern. ser. iv, *in Cant.*

ASCETICA.

In primis nosse debet radicem hujus vitii, quam S. Dorotheus indicavit dicens : Unde autem isthæc patimur, nisi ex eo, quod charitate vacamus ? Nulla enim, vel admodum tenuis et exigua nobis inest charitas. Nam charitas non cogitat malum, omnia suffert, ac tolerat, omnia credit. S. Doroth. ser. vi. S. Antoninus quoque id confirmans : Provenit, inquit, hoc ex eo, quod quis male afficitur ad alterum. Cum enim quis contemnit alium, vel odit, vel irascitur, vel invidet, ex levibus signis opinatur male de ipso, quia unusquisque faciliter credit, quod appetit ; quia igitur male affectus ad alium appetit illi malum, promptus est ad cogitandum malum de eo. S. Ant. p. II, tit. i, c. viii, § 1.

Nosse debet fundamentum hujus malitiæ. Nam proximus noster jus habet, bonum nomen bonamque famam, tam apud nos, quam quemcumque alium exigendi, modo malis suis, iisque manifestis, et patentibus actionibus conceptum bonum non destruxerit ; illi itaque injuriamur, dum absque conjecturis et argumentis sufficientibus in contrarium, sinistrum formamus affectum ; atque ita charitatem, imo et justitiam, cujus debitores sumus, non ostendimus. Hinc Dionysius Carthusianus sequens statuit monitum : Sicut tu grave damnum infers proxi-

mo, apud alterum ejus famam, et bonam opinionem lædendo, ita et apud te ipsum ; quia non minus optat proximus apud te existimari probus, quam apud alterum. MANSI, d. 1, n. 7.

Nosse debet, quondo graviter peccetur per hoc vitium. Tum scilicet, quando non ex certæ rationis dictamine, sed ex affectu, et corrupta passione proximus judicatur. Plenius rem explicat Abulensis, dicens : Ad radicem, unde derivatur, attendendum esse. Hæ autem ut plurimum tres sunt. Prima est, quando quis in seipso malus est, talis namque alios sibi reputat similes, difficile æstimans facto, ut quis ab iis vitiis remotus sit, quibus ipse immersus hæret. Secunda judicii temerarii radix est malignitas atque odium, quod quis concipit contra proximum a passione invidiæ, contemptus, aut indignationis traductus; talis enim vel ex levissimis movebitur indiciis, ut quodcumque de proximo formet judicium ; quilibet enim faciliter credit, quod appetit. Tertia radix in longa fundatur experientia, quam quis de malis alterius habet actionibus et inclinationibus. Tunc enim faciliter movetur ad credendum malum. Unde Aristoteles, l. II Rhetorices, senes ut plurimum præ reliquis suspiciosos esse astruit, quia majorem de juvenibus experientiam habent. Hisque præmissis, tandem concludit Abulensis in hæc verba : Primæ duæ radices judicandi malæ sunt, quia manifeste pertinent ad perversitatem judicantis, scilicet ad pravum judicium, et malum affectum ; nam quod quis judicet, alios malos esse quia ipse malus est, pravitas judicii est ; quod vero mala judicat, quia mala cupit, iniquitas voluntatis est ; ideo istis duobus modis judicare, semper peccatum est. Judicare autem tertio modo, habet aliqualem rationem, quia experientia præteritorum certificat hominem aliqualiter circa ea, quæ contingunt, et in quantum causat aliquam certitudinem, tollit vel diminuit conditionem suspicionis. ABULENS. *in cap.* VII *Matth.* Quæ doctrina magna ex parte ex S. Thoma desumpta est, qui tres suspicionis gradus in hæc distinguit verba : Primus gradus est, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat, et hoc est veniale, et leve peccatum ; pertinet enim ad tentationem humanam, sine qua vita ista non ducitur. Secundus gradus est, cum aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex levibus indiciis ; et hoc si sit de aliquo gravi, est peccatum mortale, in quantum non est sine contemptu proximi. Citatque glossam, sequens suggerentem consilium : Si suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, judicia tamen, id est, definitas et firmas sententias continere debemus. Tertius gradus est, cum aliquis judex ex suspicione procedit ad aliquem condemnandum, et hoc directe ad injustitiam pertinet, unde est peccatum mortale. S. THOM. II, II, q. LX, art. 3.

Nosse debet primarium fundamentum, et rationem, ob quam neminem judicare temere oportet, quam quidem S. Hieronymus sequentibus verbis indicavit : Non enim conscientiæ latebras hominibus scire, aut nudare permissum est, dicente Scriptura : Homo in facie videt, Deus solus intima et secreta circumspicit ; sed manifesta est vox Domini monentis: A fructibus eorum cognoscetis eos. S. HIER. in ep. V.

Nosse debet, quantopere hoc vitium specialiter ab Asceta perfectionis studioso sit fugiendum; id quod a S. Raymundo discet, qui, cum plura alia monita vice testamenti suis filiis et filiabus spiritualibus reliquisset, inter alia specialiter hortatus est, ne quem unquam judicarent, dixitque, hoc esse necessarium ad veram mentis puritatem, ut in omnibus Dei voluntati attenderetur, qui omnia permittit ad bonum finem. *Vita*, l. III, c. XIII.

Nosse debet solidum et efficax medium, hoc vitium effugiendi quale, quidem S. Climacus sequentibus verbis perapte assignavit : Qui celeres, nimiumque diligentes proximi delictorum judices sunt, hoc idcirco patiuntur, quia nondum suorum peccatorum fixam atque perfectam memoriam, curamque susceperunt. Nam si quis amoto proprii amoris velamine, mala sua diligenter inspiciat, nullius jam rei alterius in hac vita curam geret, id apud se reputans, tempus sibi sufficere non posse, quo seipsum lugeat, etiamsi centum annos vixerit, etiamsi Jordanem fluvium in lacrymas conversum ex oculis manare conspexerit. S. CLIM. gr. X.

Nosse debet et curare, ut non modo ipse similia judicia non ferat, sed et aliorum judicia fortiter spernere addiscat, dicatque cum S. Paulo : Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die. I COR. IV, 3. Hinc recte S. Gregorius Nazianzenus dixit : Quid mea interest, qui rei veritatem

magis curo, imo solum curo? Hoc enim me vel condemnaverit, vel absolverit; hoc miserum vel beatum reddiderit. At quid aliis videretur nihil ad vos, quemadmodum nec alienum somnium. Non ita aliis videretur, ais. Quid vero? An iis, qui vertigine correpti sunt, terra fixa et stabilis esse videtur? Quocirca fac prius fidem, sanos eos esse, qui de nobis ita sentiunt, et tunc nos admone, ut meliorem mentem induamus. S. Greg. Nazian. *in Or. pro seipso.* Recte ergo S. Hieronymus concludit: Spernentes hominum judicia, nec laudibus eorum extollamur; nec obtrectationibus contristemur, sed ingrediamur rectam viam, et tritas a SS. Prophetis semitas. S. Hier. l. I, c. III, *in Isaiam.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Nolite judicare, et non judicabimini; » possunt explicari causæ, ob quas judicia temeraria vitari debeant; nimirum 1. Quia *gravis* per tale judicium committitur *stultitia*; nam stultorum proprium est, teste Siracide, cor in sinistra manu habere, id est, omnia sinistre interpretari. 2. Quia *gravis* etiam per illud contrahitur *culpa;* nam, ut S. Dorotheus ait, omne fere peccatum excedit, ideoque trabi a Christo comparatur. (S. Doroth.) s. v. 3. Quia etiam *pœna* per illud *gravissima* incurritur, ut scilicet in eosdem labatur defectus et peccata, qui judicat; quæ pœna merito gravissima judicari debet. Accedit, quod in judicio coram Deo sit inexcusabilis, ut qui eadem agit, quæ in altero condemnat. Vide Fabrum, conc. IV, *in Dom.* 18 *post Pent.*

Ex occasione thematis: « Nolite ante tempus judicare; » (I Cor. IV, 5.) afferri possunt aliæ rationes, ob quas vitandum sit judicium temerarium; nimirum 1. Quia *non licet;* cum hæc potestas soli Deo sit reservata. 2. Quia *non decet;* cum indecens sit, ut judicium ferat, qui omnes rei judicandæ circumstantias necdum cognovit; intentionem autem, quæ potissima est actionum nostrarum judicandarum regula, nemo cognoscere queat. 3. Quia *non expedit;* cum ipsi plurimis vitiis obnoxii, simus, atque adeo nos ipsos potius, quam alios judicare debeamus. Vide Fabrum, loc. cit.

Ex occasione thematis; « Tu quis es, qui judicas proximum? » (Jacob. IV, 13.) possunt afferri causæ, quæ ex parte solius judicantis se habent. Itaque quæratur: Tu quis es? et respondeatur 1. *Homo reus;* ergo ipse judicandus, atque adeo non nisi cum magna temeritate ac impudentia assumpturus judicis officium 2. *Homo cæcus;* ideoque ineptus ad judicium de coloribus alienorum factorum ferendum. 3. *Homo fragilis;* cui proinde merito dicatur illud pii Ascetæ: Stude patiens esse in tolerando aliorum defectus, quia et tu multa habes, quæ oportet ab aliis tolerari. Vide iterum Fabrum, l. c. n. 1, 2, 3.

Ex occasione thematis: « Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate; » (Joan. VII, 22.) possunt proponi aliquot media ad temerarium judicium vitandum, et quidem ex Deo desumpta. Et 1. quidem *ob ejus potentiam;* ratione cujus illi soli convenit judiciaria potestas; hinc S. Paulus dixit: Tu quis es, qui alienum judicas servum? Domino suo stat, aut cadit. (Rom. XIV, 4.) 2. *Ob ejus sapientiam,* ob quam de eo dictum est: Tu nosti solus cor omnium; unde homo non nisi ut cæsus de coloribus judicat, si actiones humanas dijudicare præsumit. (III Reg. VIII, 39.) 3. *Ob ejus bonitatem,* qua hominum omnium peccata dissimulat, et supportat; quidni ergo homines ipsi simili cum charitate, et patientia mutuos defectus supportent?

Ex occasione thematis: « Non ergo amplius invicem judicemus; » (Rom. XIV) possunt alia remedia ex parte hominis judicantis se tenentia proponi; nimirum 1. *Consideratio naturæ propriæ,* ob quam quisque est commembrum alterius hominis, atque adeo tegere potius et occultare deberet alterius nuditatem, quam revelare. 2. *Consideratio propriæ fragilitatis,* ob quam decet aliorum onera et peccata leviora patienti animo tolerare, eo quod graviora longe in nobis ipsis supportare debeant. 3. *Consideratio justitiæ divinæ,* tum opera prava punientis, tum actiones bonas præmiantis, quam conciliare nobis facilius non possumus, quam si ab aliis judicandis abstineamus.

Ex occasione thematis: « Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die; » (I Cor. IV, 3) potest ostendi, cur, et quomodo judicia humana contemni debeant. 1. Quia *impossibile* est, omnibus placere; cum nec ipse Christus id potuerit. 2. Quia *vanum* est humana judicia timere; cum quis non sit sanctior, si laudatur; nec deterior, si vituperatur. 3. Quia *noxium* est, ob sinistra aliorum de nobis judicia turbari;

quia sic multa inordinate et imperfecte fient, aut omnino omittentur, quemadmodum quotidiana experientia docet. Vide *Panarium* Busæi fol. 257.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

In libro Job, cap. XXXV, eumdem Job ab Eliu reprehensum fuisse legitur; dicit enim sacer Textus: « Igitur Eliu hæc rursum locutus est: Numquid æqua videtur tibi hæc tua cogitatio, ut diceres: Justior sum Deo? » At vero qua ratione de tam humili et modesto viro, qualis Job erat, (qui alias dixerat: « Verebar omnia opera mea; ») tam sinistrum judicium formare potuit? Septuginta Interpretes, ut Pineda notat ex Hebræo, ita vertunt: Quare hoc existimasti in judicio? At vero inquit idem auctor: Ubinam Job dixit se justiorem Deo? Nusquam, ut appareret. Idque plurium interpretum Latinorum auctoritate probat; ac proinde Eliu mentitum fuisse concludit, dum hanc impostu-ram Jobo innocenti affinxit; quia id semper moris est accusatoribus, ut dubia pro certis, conjecturas pro re ipsa, verisimile signum pro necessario asserant contrà reum. Potuit itaque Eliu ex eo, quod Job asseruit se justum coram Deo, imponere, quod dixerit se justiorem. Nec mirum, quia malum adversus Jobum animum gerebat, ideoque hoc judicium temerarium de ipso formabat. (MANSI, d. II, n. 5.) Nazianzenus, in oratione de laudibus S. Basilii, ita scribit: Neque enim hoc quidam male tradiderunt, virtutibus finitima, et quodammodo vicina esse vitia, nihilque facilius esse, quam ut ab illis, qui hujusmodi rerum scientiam non tenent, res quædam aliud esse judicetur, quam revera sit. S. GREGOR. NAZ. *in loc. cit.*

Auctor quidam modernus super verba illa Luciferi: « Ascendam super altitudinem nubium, » ingeniose ita scribit: Nubes quasi velata sunt corda hominum, eorumque cogitationes et intentiones, quas naturaliter Angeli non possunt cognoscere, nisi voce aut signo prodantur; cum vero actiones hominum, quæ ex natura sua malæ non pendeant ex intentione agentium, consequens est, ut, qui de illis pravum fert judicium nubes transcendere, et Dei similitudinem attribuere sibi velit. Qui hoc conatur facere, luciferinæ temeritati suam similem, seque asseclam illius esse demonstrat.

Naas Ammonites contra incolas Jabes Galaad præliari constituerat, qui expavescentes subito ad pacta bonæ confœderationis convolarunt, dicentes: « Habeto nos fœderatos, et serviemus tibi. » Ast ille superbus, quid opinamini, responderit? In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Israel. (L. I REG. c. XI.) Per hunc igitur tyrannum Dionysius Carthusianus ad intentum nostrum, Dæmonem intelligit dicens: Diabolus respondet fidelibus. quin Ast am illi dextri sunt oculi, quos eruere intendit Satan? Oculi interiores, scilicet judicii rectitudo, cujus apud S. Lucam fit mentio, cum dicitur: « Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. » Quamvis utroque oculo (subnectit dictus interpres) excæcari majus fuisset damnum, tamen dextro privari fuisset majus opprobrium. Dictos igitur habitatores coram universo Israel infames prostituere volebat. Quod probrum in quo consistat, David ostendit, quando ad Deum conversus, in hæc supplicat verba: « Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum, quia judicia tua jucunda. »

An aliquando ad responsum, quod Satan Deo dedit, reflexionem fecistis? *Numquid considerasti* (dicebat Dominus ad Satanam) *servum meum Job, quod ei non sit similis in terra, homo simplex et rectus, et timens Deum, et recedens a malo?* Quid enim temerarium hunc respondisse existimatis? Hoc nimirum quod ad malum de aliis judicandum proclives dicere solent: « Numquid Job frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum? » Nimirum ut Olympiodorus ait, simulatam Jobi ostentat religionem; quasi dicere voluisset: Nil mirum est, quod Job fidelem se tibi exhibuerit, quia, quidquid faciebat, id totum fecit, ut in bonis temporalibus prosperaretur. Non autem id in fine recto faciebat, scilicet ob bonitatis et Divinitatis tuæ meritum, ac proinde: Extende paululum manum tuam, et tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. S. Augustinus super illa verba: Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum, quia judicia tua jucunda, dicit: Hominum judicia de occultis hominum non suavia esse, quia temeraria, et ideo suum dixit opprobrium, quod de aliis suspicatus est, hoc opprobrium volebat auferri, ut non

esset Diabolo similis, qui de occultis Sancti Job suspicatus est, quod non gratis Deum coleret; prosequens vero id, quo Jobo evenit, subjungit: « Inventum est autem falsum judicium Diaboli, et opprobrio plenum, dum temere judicavit. S. Aug. *in Ps*, cxviii. »

Viri Bethsamitæ olim tanta cum severitate, subitanea morte fuere puniti, eo quod per curiositatem non profanam, sed devotam potius, Arcam Domini fuissent intuiti. Percussit autem de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini, et percussit de populo septuaginta viros, et quinquaginta millia plebis. Sed hæc omnia in figura contingebant illis. (II Reg. c. vi.) Unde Didacus Stella ex prædicta historia sequentem deducit moralitatem: Quanto, obsecro, secretius est ipsum hominis cor, quam ipsa Arca? Quanto major temeritas penetralia cordis hominis judicare, quam secreta loca Arcæ illius? Maxime igitur tu, qui hunc pessimum morem habes, ut semper alienam vitam inquiras, timere debes, ne in te Dominus mittat similem punitionem, et majorem. Didac. Stella, *in Luc.* vi.

S. Bernardinus ex verbis S. Apostoli: *Tu quis es, qui judicas alienum servum*? Apostolum tria præcipue tangere observat. Primo, judicantis nihilitatem, dicens: Tu quis es? id est, cujus auctoritatis es, cum nihil a te sis, et vis rapere judicium a Filio Dei, cui dedit Pater judicium facere, quia Filius hominis est? Secundo, judicantis rapacitatem, vel temeritatem; ibi: Qui judicas alienum servum; et Exodi 2. «Quis te constituit Principem super nos?» Tertio, judicantis auctoritatem, dicens: Domino suo stat, aut cadit. Citatque textum illum Apostoli, prima Corinth. 3. Qui autem judicat me, Dominus est; et superius dixit: « Sed neque me ipsum judico, » quasi dicat: Quanto minus tu, qui interiora mea non nosti? S. Ber. Sen. tom. II, s. xiv, a. 3, c. ii.

Cum Apelles insignem quamdam publicæ censuræ exposuisset a se artificiose depictam tabulam transiensque sutor de calceo quodam inibi expresso suum ederet judicium, illum non bene factum esse dicendo, Apelles post tabulam delitescens, sutorisque judicium audiens, libenter accepit censuram; ast quando etiam ad alias picturæ partes considerandas progressus est, præsumptionem retulit, dicendo: Ne sutor ultra crepidam. Idem omnino multis accini potest; quamdiu namque de rebus judicant, sibi et apud alios manifestatis et dependentibus a sensibus, recusationi locus esse potest; ast ubi finem et intentionem pariter internam discutere præsumpserint, singulis exprobrari potest dictum Apostoli verbum: « Tu quis es, qui judicas, etc. » Mansi, d. iv, n. 4.

S. Matthæus scribit, quod in secunda pretiosi unguenti super caput Salvatoris effusione a Magdalena facta, videntes Discipuli indignati sunt, dicentes: « Ut quid perditio hæc? » E contra vero S. Joannes solum traditorem de hujus unguenti effusione conquestum fuisse scribit, de aliis vero Discipulis nihil meminit. Sed cur ita differenter utrumque Evangelistam hac de re scripsisse existimatis? Cur Joannes solius traditoris mentionem facit? Respondetur, quod, tametsi forsan alii quoque de Magdalenæ liberalitate obmurmurarint, existimantes ex fine recto et sincera intentione, pretium hoc melius in subsidium pauperum adhiberi potuisse; verumtamen quia Judas ex solo avaritiæ motivo de Magdalenæ liberalitate scandalizabatur, denarium illum bursæ suæ eripi dolens, ideo Evangelista, cujus calamus Spiritu Sancto dirigebatur, id ipsum detegere nobis voluit ad nostram instructionem, ut intelligeremus, quod in ferendo de aliis judicio, primo loco examinanda sit intentio et motivum, ob quod proximi operantur; Certum autem est, quod hoc solus Deus assequatur et penetret, non vero homines S. Petr. Dam. s. ii *de S. Andr.*

Apud eumdem Sanctum, Paterfamilias Evangelicus rogabatur a servis, ut liceret ipsis zizania ab inimico bono semini superseminata, ex agro evellere. Qui porro huic eorum petitioni consentire renuit. Servi autem dixerunt ei: « Vis, imus, et colligimus ea? Et ait: Non, ne forte colligentes zizania eradicetur simul cum eis triticum.» Circa quam parabolam bene observandum est, eos, qui hanc malam herbam eradicandi, licentiam postulabant, non fuisse agricolas, qui agrum illum excoluerant, quidque proinde germinis tam boni, quam mali aliquam habere potuissent notitiam et discretionem, sed servos agriculturæ parum peritos, qui facile errare potuissent; siquidem zizania hanc habet proprietatem, quod, quoadusque virescit, et germinat in agro, frumento simillima sit, ideoque facile errare poterant, loco lolii evellendo frumentum. Quæ

omnia in figura contingebant, nam ille Paterfamilias, qui incarnatam præfigurabat Sapientiam, per hoc nobis indicare voluit, quod ad discernendum frumentum et zizania, necessarium sit expectare messem, id est, novissimum Judicii diem; in illo enim apparebit, quid sit zizania, quid vero frumentum : Nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, etc. Quamdiu enim zizania, id est, quamdiu in hac vita moramur, fines et intentiones occultas operantium penetrare non possumus, nisi forte dono Prophetiæ et discretionis spirituum a Deo donati simus, sicut multis Sanctis id contigisse constat. Optime igitur monet S. Laurentius Justinianus inquiens : Ubi opus ambiguum est, et quo fiat animo, ignoratur, definitum judicium evitandum est, ne efficiatur homo temerariæ sententiæ reus, dum quod rectum est, arbitratur esse obliquum. Mansi, d. v, n. 5.

Neminem risus latet Abrahæ et Saræ, conjugis ejus; et nihilominus hanc dumtaxat, non vero illum reprehendit Angelus. Undenam hæc differentia, siquidem ex una eademque causa, tantus jubilus, atque lætitia utriusque derivabatur? Ecce vobis rationem. Diffidentiam prætendebat Sara, reputans se in senili ista ætate concipere et parere non posse, ideoque ridebat, dicente S. Augustino : Illius risus admirationis et lætitiæ fuit, Saræ dubitationis; et ab illo dijudicari potuit, qui corda hominum noverat. Hic itaque actus internus erat, quem instinctu divino manifestavit, reprehenditque Angelus. S. Aug. q. xc, *in Gen.*

S. Augustinus exponens verba illa S. Pauli : « Alius judicat diem inter diem, alius judicat omnem diem, » inquit : Non de duobus hominibus mihi videtur dictum, sed de homine et Deo. Qui enim alternos dies judicat, homo est, potest enim hodie aliud, cras aliud judicare, id est, ut quemcumque hodie malum, convictum, confessumque damnaverit, cras bonum inveniat et correctum; vel e contra, cum hodie aliquem justum laudaverit, cras inveniat depravatum. Qui autem judicat omnem diem, Deus est, quia non solum qualis quisque sit, sed etiam qualis omni die futurus sit, novit. Unusquisque ergo in suo intellectu abundet, inquit, id est, quantum humano intellectui, vel unicuique homini concessum est, tantum audeat judicare. Qui sapit, inquit, diem, Domino sapit, id est, hoc ipso quia ad præsentem diem bene judicat, Domino sapit. Hoc est autem bene judicare ad diem, ut noveris, non esse de correctione ejus desperandum in futurum, de cujus culpa manifesta in præsentia judicaberis. S. Aug. t. IV, *in* ep. *ad Rom.*

Considerabilis admodum est illa Geneseos historia ubi Abraham, postquam in Mambre tres illos Angelos hospitio excepisset, se iis ad demonstrandam viam associasse legitur; quo tempore Deus supplicium, quo quinque infames civitates statuerat, manifestavit; Moxque Abraham pessimam illius populi vitam se ignorare adeo constanter asseruit, ut multos etiam perfectione et virtute insignes inibi dimorari crederet, inquiens : « Numquid perdes justum cum impio? Si fuerint quinquaginta justi in civitate, peribunt simul? » Et nihilominus ne quidem decem justos reperire erat; quin potius fœtor peccatorum nefandorum gentis illius usque ad Empyreum ascenderat : *Clamor Sodomorum venit ad me.* Quanto igitur magis ad Mambre, vicinum ad pauca milliaria locum, pertigisse debuerat, præsertim cum verisimile sit, mutuum inter habitatores utriusque loci viguisse commercium. Imo bonum adeo de Sodoma conceptum formarat Abraham, ut non in plurali (cum impiis) sed in numero singulari malos designaret, dicens : « Numquid perdes justum cum impio? » Maximam Patriarcha ille servorum habebat familiam 318, adeoque de pessimis populorum illorum poterat informatus esse moribus. Dubium nobis accommode resolvit Procopius, dum ait : Justus cum foret, et cæteros justos esse credebat, quisque enim ex suo ingenio etiam alios judicat. Mansi, d. xx, n. 2.

Postquam Salvator vice quadam loquelam auditumque mutuo et surdo cuidam restituisset, circumstantes acclamarunt dicentes : « Bene omnia fecit; et surdos fecit audire, et mutos loqui. » Ast si Christus in præsentia illorum unicum dumtaxat fuerat operatus miraculum, qualiter inde intulerunt populi, quod omnia bene fecerit? Gratitudinem obstupescatis populi, infusamque iis divinitus notitiam. Quanto eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, et eo amplius admirabantur. Populi namque illi justas denotabant animas, quarum proprium est, vel ex unica laudabili et virtuosa in aliis conspecta actione consequentiam deducere ad omnes, cæterasque similes judicare. E contra maligni, si vel unicum in proximo malum observant factum, cætera

pariter omnia defectuosa esse concludunt. Ibid. n. 5.

S. Basilius, in homilia quadam, hanc esse sturnorum proprietatem dicit, quod, licet cicutam, quæ venenosa est, manducent, talem tamen habeant viscerum constitutionem ut exinde nocumentum non recipiant. Cicuta quidem, inquit, sturni vescuntur, et tamen propter cordis constitutionem a veneno non occupantur. Cum enim per tenues ad corda penetrantes meatus transeat, fit, ut antea devoratam cicutam concoquant, quam inde lethale gelu ad præcordia pervenerit. Quam eamdem sturnorum proprietatem justis applicare, indeque hunc in modum discurrere possumus : Cicuta, id est, venenum operationis vitiosæ proximi nostri, animæ nostræ tunc minime perniciosum erit, si de proximis nostris sinistre nihil opinetur, si in nobis ardeat calor charitatis ; si aliorum defectus excusemus, dissimulemus, iisque ex corde compatiamur : Charitas enim non cogitat malum, et qui non diligit, manet in morte. E contra vero si hanc virtutem non exercuerimus, venenum ad cor usque serpendo procedet. S. Basil. hom. v, *in Hexam.* B. Dorotheus ait : Quis ita abominatur, et odio prosequitur peccata, ut Sancti viri? Et tamen peccatorem non abominantur, neque item dijudicant, aut illius facta disquirunt, sed condolescunt potius, admonent, hortantur, medentur. S. Doroth. serm. vi.

MISCELLANEA.

Recte in temerarios judices invectus Horatius cecinit :

Cum tua pervideas oculis malalippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius?
Horat. *Satyr.* l. I, III.

Dixit quidam ex Senioribus : Si videris aliquem peccantem, ne mittas culpam in eum, sed in eum, qui impugnat ipsum et dicito : Væ mihi, quia iste nolens victus est, sicut et ego ! Et plange, et inquirere Dei solatium, quia omnes decipimur. *Vita PP.* l. III, n. 130.

Aliena vitia in oculis habemus, a tergo nostra sunt ; ut recte dixit Seneca, l. II, *de Ira* c. XXVIII.

Deus Pater olim S. Catharinæ Senensis dixit : Miser homo semetipsum ignorando, vult agnoscere pariter et judicare cor et affectum proximorum, et ex quadam operatione sive minimo verbo statim inconsulte damnabiliter judicat ea, quæ sunt hominibus occulta ; sed amici mei semper judicant in bonum, quia fundati sunt in me summo bono. Hujusmodi vero miseri semper judicant in malum, quia fundati sunt in miserabili malo. *Dial.* c. XCIII.

Non male iterum Horatius cecinit :

Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam,
Nam vitiis nemo sine nascitur ; optimus ille,
Qui minimis urgetur.
Horatius, l. I, sat. III.

Stratonicus Ptolomæo Rege secum de Musica disceptante : Aliud est, inquit, o Rex, sceptrum, aliud plectrum. Significans, non esse regium cum musico de Musica disputare. Erasm. l. VI, *Apopht.*

Æsopus dicebat, unumquemque duas peras secum ferre ; unam ante, alteram a tergo ; et in anteriore quidem aliorum peccata reponere, in posteriore vero nostra. Granat. *in Loc. Com.* s. CCCXCI.

Fuga. — Deus S. Catharinæ Senensi dixit : Ut attingere possis ad unionem ac puritatem istam, numquam judices in re aliqua, quam videris ab aliquo fieri sive dici contra te, sive contra alium. Etsi videres etiam peccatum expressum, extrahes ab ista spina rosam odoriferam, videlicet eos offerendo coram me per veram et fraternam compassionem, et isto modo pervenies ad puritatem perfectam. *Dial.* cap. C.

Stratonicus Minnaco fabro de Musica secum disputanti dixit : Non advertis te supra malleum loqui? Erasmus, l. VI. *Apoph.*

Miles quidam in Saxonia valde dives et potens, ministralis domini Henrici, Ducis Saxoniæ, habebat uxorem nobilem et dilectam. Die igitur quadam cum sermo haberetur de culpa Evæ cœpit illa, (ut mos est mulierum) eidem maledicere, et inconstantiam animi judicare, eo quod pro modico pomo gulæ suæ satisfaciens tantis pœnis ac miseriis omne genus humanum subdidisset. Cui maritus respondit : Noli illam judicare, tu forte in tali casu simile fecisses. Ego volo tibi aliquid præcipere, quod minus est ; et propter amorem meum minime poteris illud custodire. Respondente illa : Quid est hoc mandatum? Ait miles : Ut die illa, qua balneata fueris, paludem curiæ nostræ ne ingrediaris nudis pedibus ; aliis vero diebus,

si libet, intres. Erat enim aqua putrida et fimosa ex sordibus totius curiæ collecta. Illa subridente, et præcepti transgressionem abhorrescente, subjunxit miles : Volo autem pœnam addere. Si fueris obediens, quadraginta marchas argenti a me recipies; si autem non, totidem mihi solves. Et placuit ei. Ille vero ipsa ignorante secretos custodes paludi adhibuit. Mira res! ab illa hora matrona tam honesta et tam verecunda numquam per curiam transire poterat, nisi ad prædictam paludem respiceret, et quoties balneabatur, de eadem palude tentabatur. Die vero quodam exiens balneum dixit pedissequæ suæ : Nisi ingressa fuero paludem hanc, moriar. Statim succingens se, cum circumspexisset et neminem videret, comitante ancilla ipsa, aquam fœtidam usque ad genua intravit, et huc illucque deambulando bene concupiscentiæ suæ satisfecit; quod statim nuntiatum est militi. Ille gaudens mox, ut eam vidit, ait : Quid est, domina? Fuistine hodie bene balneata? Respondente : Fui. Adjecit : In dolio, vel in palude? Ad quod verbum tacuit confusa, cognoscens suum excessum, ei non latere. Tunc ille : Ubi est, domina, constantia vestra? Eva vilius tentata fuistis, tepidius restitistis, turpius cecidistis. Reddite ergo, quod debetis. Et cum hæc non haberet, unde solveret, omnia ejus vestimenta pretiosa tulit, et per diversas personas distribuit, sinens per aliquod tempus eam bene torqueri. *Discipul. Prompt. Lit. O.* ex. XIII.

AXIOMATA.

Prima virtus Monachi est, hominum de se judicia contemnere. S. HIER. ep. XXVI.

Quæ supra te, nihil ad te.

Cæcus de colore non judicat.

Quod tua non refert, percontari desinas.

Medice, cura teipsum.

AUCTORES.

Joannes Busæus, *in Panario*. V. eodem.

Nicolaus Lancizius, opusc. 9, toto.

Jeremias Drexelius, *in Amussi*, lib. II, cap. VII.

Ludovicus Granatensis, *in Locis Communibus*, fol. 389.

Henricus Engelgrave, in part. I, *Lucis Evang. emblem.* XXIX.

Matthias Faber, conc. IV, *in Dom.* 18, *post Pent.*

Thomas Stapletonus, text. II, *in Dom.* 3. *Quadr.* et *Dom.* 1, *post. Pent.*

Josephus Langius, *in Polyanthæa*, V. eodem fol. 616.

Josephus Mansi, *in Bibl. morali* tr. XLII.

JURAMENTUM.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est tacita vel expressa Dei, tamquam primæ et infallibilis veritatis, in testem alicujus rei vitiosa invocatio. Et consistit in eo, quod jurans, sine legitima causa, quantum est in se, cupiat, ac velit, Deum id, quod jurat, testari (sive in hac, sive in altera vita) et manifestare, tamquam quod ab ipso sit cognitum ac verum. BUSENB. l. III tr. II. c. II. Ex. S. THO. II. 2 q. 89. m. 1.

DIVISIO.— Divitur 1. in *Invocatorium*, seu *Contestatorium*, et *Execratorium* seu *Imprecatorium*. Illud est quo Deus simpliciter in testem invocatur; istud est, quo non solum ut testis, sed etiam ut vindex vocatur, cum scilicet jurans aliud quidpiam Deo puniendum subjicit, si aliter se res habet, quam ipse affirmaverit, vel negaverit. Dividur 2. in *Assertorium* et *Promissorium*. Illud est, quo præterita vel præsentia simpliciter affirmantur, aut negantur; hoc autem, quo aliquid futurum promittitur. Dividutur 3. in *Temerarium*, quando sine judicio, id est, necessitate aut utilitate juratur; *Injustum;* quo res illicita juramento confirmatur; et in *Perjurium*, quo Deus in testem rei falsæ invocatur. Ibid.

ACTUS ET GRADUS. — Primus est, *solis verbis simpliciter prolatis Deum in testem invocare;* uti facere solent, qui per Animam jurant.

Secundus est, *etiam corporale signum in contestationem sui Juramenti adhibere;* ut cum quis digitis binis erectis, aut super Evangelium positis jurat.

Tertius est, *etiam pœnæ cujuspiam imprecationem adjicere;* ut cum quis ait, se cupere, ut Deus æternæ damnationi eum adjudicet, si falsum dixerit.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Qui jurat in terra, jurabit in Deo, *Amen*. Isaiæ, lxv, 16.

Et jurabis : Vivit Dominus in veritate, et justitia, et judicio. Jer. iv, 2.

Homines per majorem sui jurant, et omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum. Heb. vi, 6.

Non est scientia Dei in terra, mendacium, furtum, perjurium innundaverunt. Ibidem.

Fuga. — Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum; nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. Exod. xx, 7.

Non perjurabis in nomine meo, ut nec pollues nomen Dei tui. Levit. i, 2.

Non usurpabis nomen Dei tui frustra; quia non erit impunitus, qui super re vana nomen ejus assumpserit. Deut v, 11.

Audistis, quia dictum est antiquis : Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis : Non jurate omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus. Matth. v, 12.

Ante omnia, Fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester, *est, est ; non, non*, ut non sub judicio decidatis. Jac. v, 12.

Damnum. — Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa. Nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus Sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis. Eccl. iii, 9.

Vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo ipsius plaga. Ibid.

Loquela multum jurans, horripilationem capiti statuet, et irreverentia ipsius obturatio aurium. Eccl. xxvii. 15.

Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem terræ, quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur, et omnis jurans ex hoc similiter judicabitur. Zach. v, 2.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. — Age dic, ob quam causam introductum est juramentum? Fecit olim pacta Abraham, et immolavit victimas, et nondum erat juramentum. Unde igitur ingressum est? Quando mala creverunt, quando omnia simul sursum ac deorsum confusa sunt, quando ad Idololatriam inclinarunt, tunc sane quando infideles apparuerunt, invocabant Deum testem quasi fidejussorem dantes dictis satisfacturum. Juramentum enim est fidejussio, ubi mores fidem non habent. S. Chrys. hom. ix, *in Act. Apostolorum*.

Si jurare cogeris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquid suades. Quæ infirmitas utique malum, unde nos quotidie liberari deprecamur, cum dicimus : Libera nos a malo. Sed nemo novit, nisi qui expertus est, quam difficile sit, consuetudinem jurandi extinguere, et numquam temere facere, quod nonnumquam facere necessitas cogit. S. Aug. l. II, *de Serm. Dom. in monte* c. xxx.

Bene prohibetur homo jurare, ne consuetudine jurandi, quia potest homo falli, etiam in perjurium prolabatur. Deus solus securus jurat, quia falli non potest. S. Aug. *in Ps.* lxxxviii.

Qui contemnit Juramentum, illum despicit, per quem juravit; illique facit injuriam, cujus nomine credidit adversarius. S. Hieron. *in Ezec.*, l. V, c. xvii.

Jurare per execrationem gravissimum jurisjurandi genus est. S. Aug. *in Ps.* vii.

Quacumque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, sic illud accipit, sicut ille jurator intelligit. S. Isidor. *de Summo Bono*.

Dei juratio, promissionis est confirmatio. Id. *super Ps.* lxxxviii.

Juramentum magis indicium incredulitatis est, quam fidei. S. Chrys. *sup. Ep. ad Ephes.* ser. ii.

In dolo jurat, qui aliter facturus est, quam promittit, cum perjurium sit, nequiter decipere credentem. S. Agustin. *super Ps. Domini est terra*.

Fuga. — Si simpliciter nominare Deum, non omnibus (Hebræis olim) fas erat, hoc certe quod in testimonium vocatur, quantæ audaciæ, dic, oro, quantæ insaniæ? Quomodo enim non absurdum, servum quidem non audere Dominum nominatim, et sine honoris præfatione appellare, Angelorum vero Dominum temere et contemptim ubique jactare? S. Chrys. hom. ix. *in Act.*

Laborare debetis, et confligere adversus consuetudinem vestram malam, malam, malam, valde malam, et tollere jurationem de oribus vestris. Cavete a falsa juratione,

cavete a temeraria juratione. Ab his duobus malis securissime cavebitis, si consuetudinem jurandi a vobis abstuleritis. S. Aug. s. 11, *de Decoll. S. Joan. Bapt.*

Vis longe esse a perjurio? Jurare noli. Falsa juratio exitiosa est; vera juratio periculosa est; nulla juratio secura est. Id. s. 28. *de Verbis B. Jacob.*

Mentiri et jurare lingua tua prorsus ignoret, tantusque in te sit veri amor, ut, quidquid dixeris juratum putes. S. Hier. *ad Celant.*

Multo tutius numquam juratur, non quia peccatum est verum jurare, sed quia gravissimum peccatum est falsum jurare, quo citius cadit, qui consuevit jurare. S. Amb. s. iv. *in Ps.* i. cxviii.

Dico vobis non jurare omnino, ne scilicet jurando ad facilitatem jurandi veniatur, de facilitate ad consuetudinem, de consuetudine in perjurium decidatur. S. August. l. *de Mendacio*

Damnum. — Si jurisjurandi vis tanta fuit, ut ab Esau potuerit auferre primogenituram, cum enim jurasset solum, noluit perjurii notam incurrere; quibus tradentur suppliciis, qui non solum jurejurando se obstringunt, sed etiam perjuriis jusjurandum violant? Si Esau ab iis, quæ cum damno suo pepigerat, recedere noluit, quomodo tu pacta, quæ pro salute tua fecisti, rumpere audebis? S. Ephr. *de Morbo linguæ.*

Tantum mali habet juratio, ut, qui lapides colunt, timeant falsum jurare per lapides. Tu non times Deum præsentem, Deum videntem, Deum scientem, Deum manentem, Deum in contemptores vindicantem. S. Aug. s. xxx. *de Ver. Dom.*

Non ita pungit ensis, sicut juramenti natura; non sic occidit gladius, sicut juramenti plaga. Scribe super parietem domus tuæ, et super cordis tui parietem, falcem illam volantem, et hanc ad maledictionem volare puta, et continuo ipsam recogita, sive alium jurantem videas, cohibe, veta, et curam tuorum gere servorum. S. Chrys. hom. xi, *in Act.*

Vides et tyrannidem, et filii cædem, et bellum civile, et pugnam, et jugulationes, et cruores, et infinita cadavera ex uno patrata juramento? Vides, quot homines tum volentes, tum invitos perjurio obnoxios unum fecit juramentum? Quot mala molitum est? Quot cædes patravit? Cum his autem omnibus audisti Christi sententiam dicentem, quod non pejerare tantum, sed et jurare quomodocumque diabolicum est, et tota maligni machinatio. Audisti, quod utique juramenta sequantur perjuria. Hæc, inquam, omnia congregans inscribe cordi tuo. Idem, hom. xix, *ad Pop.*

Utinam mihi liceret frequenter jurantium animas exuere, et ipsorum oculis subjicere vulnera et cicatrices, quas quotidie capiunt a juramentis. Nec admonitionis, nec consilii indigeremus; quoniam vulnerum aspectus omni sermone potentius huic improbæ consuetudini adhærentes a malitia abducere posset. Ibid.

Falx volans (quam S. Joannes in manu Christi vidit) velocissimum ultionis incursum significat juramentum sequentem; multorum vero cubitorum longitudo et latitudo vehementiam indicat et magnitudinem malorum. At ex cœlo volare significat e superno tribunali judicium ferri, falcata vero forma inevitabilem designat supplicii sortem. Sicut enim quocumque falx incurrerit, non solum secum arripit, verum et caput amputat, ita et pœna jurantibus ingruens est difficillima, nec prius absistit, quam quod suum est tollat. Idem, hom. xvii, *ad Pop.*

Talium (jurantium) substantia aut ipsis viventibus est peritura aut, a, malis hæredibus est dissipanda, aut ad extraneos et inimicos hæreditas est ventura; non enim potest ad bonum proficere, quod congregatum est de malo. Idem, *in Matth.*

Assiduitas jurandi perjurii consuetudinem facit, usus jurandi ad perjurium inducit, veritas juramento non indiget, firma sit sacramenti tui fides. S. Aug. *de Soliloq.*

EXEMPLA CATHOLICA.

Fuga. — S. Augustinus de seipso sic loquitur: Timendo Deum abstulimus jurationem de ore nostro. Ecce vobiscum vivimus. Quis nos audivit aliquando jurantes? Numquid non consueveram quotidie jurare? At ubi legi, et timui, luctatus sum contra consuetudinem meam, in ipsa luctatione invocavi Dominum adjutorem. Præstitit mihi Dominus adjutorium non jurandi. Nihil mihi facilius est, quam non jurare. Hoc ideo admonui charitatem vestram, ne dicatis, quis potest? O si Deus timeatur! O si perjuri expavescant! lingua frenatur, ve-

ritas tenetur, juratio tollitur S. Aug. s. x *de Sanctis.*

S. Gregorius Nazianzenus, ut longius a juramento abesset, etiam voto se adstrinxit, se non juraturum; quod laudabili constantia ad ipsam usque tumbam servavit. Drexel. *in Phaet.* p. 30.

Laontius Antistes vitam S. Joannis Eleemosynarii describens ait : Primum et præcipuum ejus bonum fuit, quoniam omnimodis non juravit, quia Christus suis præcepit: Sit sermo vester: *Est, est; non, non.* Quod autem his abundantius est, a malo est. Ibid.

Comes Ariani, Eleazarus, non tantum ipse non juravit, sed nec in ullo famulorum suorum jurandi licentiam vel minimam tulit. Ibid.

Duo mercatores Colonienses cum in vendendis mercibus mentiri et multum jurare soliti, suadente Confessario, per annum a mendacio et juramento abstinentes, nihil propemodum vendere possent, ideoque Confessario hoc damnum questi, ab eo ad constantiam animati essent, ob continuatam abstinentiam usque adeo omnes emptores ad se traxerunt, ut brevi tempore ditissimi fuerint effecti. Cæsarius, l. III, c. xvii.

Olyssipone catechismus in maximo puerorum virorumque grege, non in templis tantum, sed in vicis, triviisque traditur ; quanta cum utilitate, vel puerorum educatio testatur. Ex his unus cum audisset virum jam ætate provectum jusjurandum temere usurpantem, propere accurrit flexisque genibus : Per Deum, inquit, ne posthac jurato ; nec enim istud leve peccatum est. Vir rubore suffusus abeuntem revocat puerum, et quod ei nomen esset, et quibus natus parentibus sciscitatur , cum ei puer nihil referre dixisset : Non tu, inquit, puer es, sed Dei Angelus, qui tam salutare didisti consilium, atque sic habeto, me non commissurum in posterum, ut mihi excidat jusjurandum. *Ex letteris. Annual. Societ.* an. 1584. *pro Lusit.*

Tutuslymenus Hipponensis, cum quidam ipsi negasset quod ei debebat, commotus provocavit eum ad jusjurandum. Juravit ille, iste perdidit, sed isto perdente ille penitus periit. Dicebat ergo iste Tutuslymenus homo gravis et fidelis ipsa nocte exhibitum se fuisse ad judicem, et cum magno impetu et terrore se pervenisse ad præsidentem excelsum quemdam et admirabilem virum, cui parebat officium similiter excelsorum ; istum fuisse perturbatum retro revocari et interrogatum fuisse his verbis : Quare provocasti hominem ad jurationem, quem sciebas falsum esse juraturum. Respondit ille : Negavit mihi rem meam. Responsum est illi. Et nonne melius erat, ut rem tuam, quam exigebas, perderes, quam animam hominis istius falsa juratione perimeres? Prostratus jussus est cædi, cæsus est tam graviter ut in dorso evigilantis vestigia plagarum apparerent. Sed dictum est illi, posteaquam emendatus est : Parcitur innocentiæ tuæ, de cætero cave ne facias. Fecit ille quidem peccatum magnum et emendatus est. Sed multo gravius peccatum faciet, qui post istum meum sermonem, et istam meam admonitionem et exhortationem, tale quid fecerit. Cavete a falsa juratione, cavete a temeraria juratione. Ab his duobus malis securissime cavebitis, si consuetudinem jurandi a vobis abstuleritis. S. Aug. s. I, *de Sanctis.*

Damnum. — Saul antecessor Davidis, quia inconsiderato juramento obstrinxerat se ac populum, quod panem de mane usque ad vesperam gustaturi non essent, se quidem in gravissimum periculum homicidii, filium vero in manifestum vitæ discrimen adduxit. I Reg. xiv, 24.

Jephte, quia temere juraverat, voveratque, se, si victor de bello rediret, Deo, quidquid primum reduci occurreret oblaturum, propriam filiam ob reverentiam juramenti occidere coactus est. Jud. xi, 11.

Herodes Rex quia saltatione filiæ delectatus, cum juramento promiserat dare, quodcumque postulasset ab eo, cum magno suo dolore caput S. Joannis Baptistæ in disco offerre debuit. Matth. xiv, 7.

Virgo quædam in Saxonia, cum juvenis tenuis fortunæ, sed elegantis formæ nuptias promisisset, ipsoque cautionem exigente, dixisset : Si alteri nupsero, Diabolus in ipsis nuptiis vivam me abripiat ! ipso nuptiarum cum altero ditiore contractarum die a Dæmone inter saltus abrepta, nec ullibi amplius conspecta est. Drex. *in Phaet.* c. xxviii.

Cum aliquando ad Sanctum Maxentium Abbatem duo homines morbo elephantiaco laborantes venissent, opemque petiissent, ipse sic eos allocutus est : Notis, Fratres, qua de causa ita Deus in vos desæviat? Vos frequenter levissimis de causis sacrum ejus nomen sumitis, ac pejeratis, ideoque justo

Dei judicio vos hæc calamitas premit, sed jam peccatum agnoscite, ac ad mentem redite, ut sanitatem consequamini. Quo dicto omnes ad orationem hortatus est, et oleo sancto eos inungens, sanos dimisit. MARCH. tr. II, *Hor. Past. prop.*

Audomari, cum civis quidnam pecunias ab alio mutuas accepisset, certoque iterum die se restituturum, cum juramento promisisset, id autem constituto tempore non servasset, sed potius dixisset, se supra corpus Audomari juramentum probaturum, quod nihil debeat; creditor ad sepulchrum Sancti cum eo tendens ante fores templi dixit : Ne, quæso, profanemus sancti viri sepulchrum; hic mihi jura, nullam a te pecuniam acceptam. Ad quæ verba cum ille converso ad templum vultu pejerare sublata manu vellet, humi collapsus, rotansque oculos, omnibus membris captus, post tertium diem infelicem animam evomuit. SURIUS, *in Vita S. Audom.* 26 Sept.

In Germania cum hospes quidam milite pecuniam, quam asservandam isti dederat, repetente negaret, se eam accepisse, et coram Magistratu Dæmoni se devoveret, si aliter se res haberet, a Diabolo aspectabili forma ejus patronum agente, de perjurio convictus, et cum corpore animaque abductus est. DELRIO, l. III *de Mag.* p. I, q. 7.

Cum Godivinus, Regis Eduardi Socer, ab eo ad mensam adhibitus, et necis Alfredo Principi illatæ insimulatus dixisset : Si ego hujus mortis conscius sum, panis iste fauces mihi obstruat! post factum a Rege crucis signum super panem, ita is fauces perjuri occupavit, ut intercluso spiritu, in ipso loco extinctus sit. RIBAD. *in Vita S. Eduard.* 3 Jan.

Tempore, quo corpus S. Salvii apud Valchianas revelatum est Carolo Magno, duæ sorores cujusdam Ducis Francorum ad Regem venerunt conquerentes de fratre suo, quod hæreditatem suam eis auferret. Conventus super hoc a Rege, respondit, se nihil eis auferre. Rex autem fecit eum jurare super corpus S. Salvii, quod nihil sororibus deberet de his quæ petebant. Qui cum jurasset lætus, statim medius crepuit et per secretum alvi stercora proruperunt, et exivit sanguis ex oculis ejus et auribus et ore et naribus, et post duas horas vitam finivit. VINCENT. *Spir. Hist.* l. XXIV, c. XXIV.

Michael cubicularius cum Joe Regina, Romani Argyropoli uxore, stupri commercium habebat. Imperator ad se vocato Michaele de amore Reginæ interrogavit. Qui omnia inficiatus juramento per sacra interposito fidem fecit, diris se ac execrationibus devovens, ut Regem falleret. Qui cum illi fidem haberet, aliorum sermones calumnia putabat. Ob quam pejerationem Michael morbo sacro correptus est; qui usque ad ejus mortem duravit. JOAN. CUSPIANUS, *in Michaele cubicul. ex Romana.*

EXEMPLA PROFANA.

FUGA.— Clinias, e Pythagorea secta, licet per juramentum verum mulctam trium talentorum evadere potuisset, maluit tamen injuriam pati, quam jurare. S. BASIL. *in hom. de Leg. l. gen.*

M. Attilius Regulus, Imperator populi Romani, cum a Carthaginensibus captus, Romamque missus esset, ad impetrandam Carthaginensium militum manumissionem, prius tamen constrictus, quod Carthaginem redire vellet, si, quod volebant, minime peregisset, ivit quidem Romam, sed, post quam contrarium Senatoribus Romanis suasisset sponte pro servando juramento ad hostes rediit, ab iisque angusto, et undique acuminato ligno inclusus, misere obiit. VALER. MAX. l. IX.

Saguntini ne fidem et juramentum præstitum Romanis violarent, fame contabescentes, et ne etiam captivi in manus Annibalis pervenirent, rogum ardentem accendentes, se mortuosque suos combusserunt. LIVIUS, l. XII.

Prisci adeo parcebant diis suis, ut, ne per eos jurarent, sæpe dicerent : Per hanc rugosam pellem meam, per aridam hanc arborem, has fores testor per hunc gladium, hoc sceptrum aut telum juro. SUIDAS, *apud Drex. in Phaet. th.* c. XXX.

Pericles amico roganti, ut pro ipso perjurium diceret, respondit, se quidem amicum esse, sed tantum usque ad aram. PLUTARC. *in Apoph.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut, si quis sigillum alicujus sibi commissum ad confirmandum falsum applicet, merito falsarius judicatur; sic qui nomine Dei, quod tamquam sigillum nobis relictum est ad confirmationem veri-

tatis abutitur, ad confirmationem falsitatis, nomen Dei infamans, recte dicitur et ipse falsarius. Marchan. *in Horto Past.* tr. III, lect. VI.

Fuga. — Sicut vestimentum reliquis melius habentes, diligenter cavemus, ne illud quotidie aut crebro induentes corrumpamus; ita non minus vitandum est, ne nomen Dei omni veneratione dignissimum ubique temere, et prout occurrit, usurpemus. S. Chrys. hom. IV, *ad Pop. Antioch.*

Sicut mentiri non potest, qui non loquitur; sic pejerare non poterit, qui jurare non appetit. S. Bern. *de Modo bene viv.* s. 32.

Sicut is, qui in alto loco ambularet, ubi a parte dextra spatiosa foret terra, a sinistris vero grande esset præcipitium, haud dubie ad dextram potius, quam sinistram tenderet; ita pariter consultius est, ut numquam jurans securus a perjurio quis vivat, quam ut frequenter jurando periculum præcipitii in gravia peccata incurrat. S. Aug. *de Verb. S. Jacobi : Ante omn ia,etc.*

Damnum. — Sicut pueri funiculum longum et corruptum ex contrario inter se trahentes, cum multo impetu supini omnes cadunt, funiculo per medium dirupto, et hi quidem capite, illi alia corporis parte feriuntur; sic et inter se contraria jurantes, juramento pro rerum necessitate dirupto, in perjurii barathrum utrique cadunt, hi quidem pejerando, illi perjurii causam illis præbendo. S. Chrys. hom. XLIV, *ad Pop.*

Sicut servus interrogatus assidue a livore non minuitur; sic omnis jurans et nominans in toto a peccato non purgabitur. Eccl. XXIII, 11.

Sicut is, qui facit consuetudinem frequenter manu sua percutiendi, necesse est, ut injuste aliquando percutiat; sic qui facit consuetudinem jurandi in rebus idoneis, frequenter et in rebus superfluis etiam nolens, consuetudine trahente perjurat. S. Chrys. hom. XII, in c. V, *Matth.*

MOTIVA.

Quia grave admodum est hoc peccatum, Deoque valde injuriosum. Si enim, ut S. Chrysostomus ait, hominis ingenui, et aliqua dignitate muniti, in publico non audemus de rebus majoribus, multo minus de frivolis testimonium postulare; quanta erit irreverentia, Deum cœlorum Regem, Angelorum Dominum, in testem ejusmodi rerum invocare? Hinc merito S. Jacobus dixit : Ante omnia nolite jurare, ut præ cæteris attendamus et vigilemus, ne subrepat consuetudo jurandi. S. Chrys. hom. IV, *ad Baptiz.*

Quia scandalosum admodum, proximoque nocivum est hoc vitium ; nam alios quidem ad pariter jurandum exemplo suo invitat, alios vero timentes Deum graviter offendit, utpote tam gravem Dei contumeliam cum indignatione audientes; hinc in illos cadit comminatio Christi, quod magis expediat, ut suspendatur mola asinaria in collo talium hominum, et demergantur in profundum, quam ut jurandi assuetudine alios tantopere scandalizent. Jac. V, 22.

Quia ipsis etiam jurantibus admodum perniciosum est. Quia non modo se exponant periculo fidem fallendi, et pejerandi, sed etiam se, ac alios infamant, ut S. Hieronymus notavit; si quidem, quia indicant, se esse mendaces, nec dignos, quibus credatur, nisi teste Deo; alios vero, quia judicant illos esse suspiciosos et incredulos, utpote quos oporteat tam potenti argumento et testimonio ad credendum induci. S. Hier. ep. XXII.

Quia sicut facile declinabile, ita et parum excusabile apud Deum est hoc vitium ; nam ut, S. Chrysostomus recte dixit : Quis, quæso, labor est, juramentum fugere? Numquid opus est pecuniis? Num sudore et ærumna? Satis est tantum velle, et actum est. Si vero mihi consuetudinem objicis, propter hoc ipsum maxime facile meritum esse dico. Si te namque in aliam transtuleris consuetudinem, totum præstitisti. S. Chrys. hom. XXVIII, *ad Pop.*

MEDIA.

Pœnæ pro transgressionibus irrogatio voluntaria. Sic S. Chysostomus suasit dicens : Vis discere quomodo ab impia consuetudine liberari liceat? Ego te quemdam docebo modum, quem si tenueris, superabis omnino. Cum videris teipsum, aut alium quemque servorum vel filiorum, aut uxorem hoc malo captos, et continue commonefactos, neque correptos, jube non pransos cœnare, et hanc tibi, illisque damnationem impone, damnationem non damnum, sed lucrum ferentem; talia enim spiritualia et lucrum ferunt, et celerrima m correctionem; lingua

enim vel nemine commonente sufficientem capit admonitionem, si fame vel siti vexetur. (S. Chrys. hom. v *ad Pop.*) Sic teste Nidero, nobilis quidam carnis abstinentiam, alius guttam sanguinis stylo ferreo e manibus eliciendam, alius vini carentiam sibi toties obeundam, quoties jurasset imposuit, et penitus hoc vitium extinxit. Imo et Deus confirmavit favore suo hoc medium ; uti in milite illo apparet, qui, cum osculum terræ figere ob singula juramenta decrevisset, eo ipso, quo osculum figebat, momento, a globo, qui ipsum occidisset, prætervolante liberatus est. Nider. l. IV *Formicarii*, c. iv.

Examinis particularis diligens et constans usus. Quod remedium idem Sanctus Chrysostomus his verbis suasit : Ut igitur hoc crimine liberemur, invicem admoneamur, insitum tempus constituamus, et tempus dierum decem. Volentibus enim, et vigilantibus hi sufficiunt dies, quo penitus hoc crimine liberemur, et post decem dies nihilominus si illaqueati reperiamus , pœnam nobis constituamus. Cum autem hoc corrigere cœperis, sive semel, sive secundo, sive tertio, sive vigesimo legem transcenderis, ne desperes, sed iterum surge, et studium assume, et victor eris. S. Chrys. hom. xxviii, *ad Baptiz.*

Consuetudo contraria assumpta ; nam, ut S. Chrysostomus ait, sicut consuetudo prava possidet, ita poterit melior obtinere, ut et volentem te jurisjurandi lapsibus non permittat evinci ; nam revera multum consuetudo prævalet, et jura didicit immutare naturæ. Ibidem.

Censores et monitores constituti. Si namque domi multos ubique custodes constituas, inquit iterum S. Chrysostomus, puta servum, uxorem, amicos, ab omnibus facile compulsus atque coactus a mala consuetudine recedes. (Ibid.) Sic certe pædagogus ille correctus est, qui, ubi schedam a discipulo suo scriptam reperit, et in ea hæc verba pro confessione notata legit : Pædagogum meum temere jurantem non correxi ; sic erubuit, ut deinceps ab omni juramento abstinuerit. Sed, et Ulyssiponæ, cum puer aliquem procacius jurantem audiens, in genua procubuisset, rogassetque, ne Deum jurando tam graviter offenderet ; is adeo hoc facto permotus est, ut seriam emendationem decreverit. Drex. *in Phaet.* c. iii, § 3.

Opinionem difficultatis circa emendationem tollere ; id quod fiet, si cogitemus multo difficiliora ab hominibus sine ulla mercede superari, ut recte discurrit S. Chrysostomus : Quid enim difficilius est, quam rotæ more totum flectere corpus, et in pavimento versari, quod multi juvenes faciunt, gladios alternatim in aere jaculantes, et omnes rursum permanubrium capientes, quem non confundant nullum pro virtute laborem suscipere volentium? Vel quid de illis dicas viris, qui contum in fronte gestantes, velut arborem in terra radicatam, sic immotum conservant? Quid quod puer super funem angustissimum tanta ambulat securitate, cum quanta supinos percurrentes campos? Hæc quæ et mentibus impossibilia videntur, facta sunt arte possibilia ; quid horum in juramentis prætendere possumus? (S. Chrys. hom. xix *ad Pop.* Et iterum alibi : Considera, inquit, quemadmodum Gentilium aliqui blæsi quarumdam syllabarum non bene exprimentes sonum, offendentem sæpe linguam longa meditatione limaverint. Postquam enim per Scripturas vobis non potest persuaderi, ab externis monere vos cogor. Cogitare Gentilium Philosophos, et tunc scietis, quanto simus digni supplicio despicientes divinas leges, cum illi quidem pro humana honestate tanta laboraverint, vos vero neque pro cœlesti Regno studium adhibeatis. Idem, hom. xviii *ad Pop.*

ASCETICA.

De hoc vitio tria præcipue bene notanda sunt Ascetæ. Primum est, ut norit, hoc vitium omnes quidem homines, sed speciatim eos, qui perfectionis studium profitentur, summopere dedecere ; cum enim hi ab omni mendacio alienissimi credantur, hoc ipso, si Deum in testem invocent, ostendunt, se, uti minus dignos, quibus sine juramento credatur, ita nec perfectionis adeo cupidos esse.

Alterum est, ut bene quoque cognoscat conditiones ad licitum juramentum requisitas, quas quidem Jeremias indicavit, (Jer. iv, 2) dum dixit : Et jurabis : Vivit Dominus, *in veritate* (ut nempe verum sit, quod juramento confirmatur) *in judicio* (id est, cum circumspectione, an necessitas vel utilitas aliqua ejusmodi juramentum exigat) et *in justitia* (ut nihil cum juramento promittatur, quod bonis moribus et præceptis divinis repugnat) quo in casu, ut recte S. Am-

brosius dixit, est contra officium, solvere promissum, sacramentum custodire. S. Ambr. l. II *Offic.* c. L.

Tertium est, ut bene apprehendat quatuor illa capita, quæ linguam jurantem in præcipitium trahunt, et a Jeremia Drexelio enumerantur, videlicet : Primo, *Affectus, seu libido jurandi*, qualis fuit, S. Augustino teste, eorum, quorum plura sunt juramenta quam verba. Secundo, *Assiduitas et quotidiana consuetudo jurandi*, a qua absterrens Siracides dixit : Jurationi non assuescat os tuum ; multi enim casus in illa. Tertio, *Facilitas jurandi*. Uti faciunt ii, qui immediati et incogitantes otiosa temeritate jurant, contra expressum Dei mandatum, vetantis nomen Domini frustra usurpari. Quarto, *Rerum creatarum et Dæmonis in testem invocatio ;* inde enim facilis est ad alia juramenta transitus. Drex. *in Phaet.* c. xxviii, §. 1.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : « Et jurabis : Vivit Dominus, in veritate, judicio, et justitia ; » (Jerem. iv, 2.) explicari potest fusius, quando licitum et illicitum sit jurare ; quem in finem March. in *Horto Pastorum* tr. iii. lect. 6. videri potest.

Ex occasione thematis : « Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa;» (Eccl. xxiii, 9) possunt explicari injuriæ, quæ Deo, proximo, et sibi ipsi per juramenta vitiosa inferuntur; uti apud eumdem auctorem fusius videre est.

Ex occasione thematis : « Vir multum orans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga; » (Ib. 12.) possunt explicari plagæ ob ejusmodi juramenta illicita inferri solitæ. Primo, *in bonis spiritualibus ;* quia, sicut per creaturas juratur et peccatur, ita et per easdem Deus plectere plerumque solet, easdem auferendo, aut, ut ab aliis destruantur, permittendo. Secundo, *in bonis famæ ;* quia ut sæpius dictum est, vere tales seipsos de animo veritatis parum studioso faciunt suspectos, efficiuntque, ut alii minorem de ipsis, quam ante habuerant, æstimationem concipiant. Tertio, *in bonis spiritualibus;* quia, cum per hoc peccatum graviter inhonoretur, et offendatur Deus, hoc ipso indignos suis donis judicabit eos, qui tam ingrati sunt eorum Auctori, gravibusque injuriam sibi allatam pœnis vindicabit.

Ex occasione thematis : « Non usurpabis nomen Dei tui frustra; » (Deut. iii, 11.) poterunt media ad vitandam male jurandi consuetudinem proponi, potissimum vero timor triplicis pœnæ. Primo, a seipso toties infligendæ, quoties in eam consuetudinem lapsus fuerit. Secundo, a Magistratu decernendæ, vel ab ipso Deo in hac adhuc vita juranti imponendæ. Tertio, in altera vita subeundæ ; quæ omnia facile exemplis supra enarratis confimari possunt.

Ex occasione thematis : « Ego autem dico vobis, omnino non jurate ; » (Matt. v, 38.) proponi possunt et solvi excusationes, quibus plerumque ii, qui consuetudinem jurandi habent, excusare se solent, si ad emendationem incitentur. Nimirum, primo, *Consuetudo conveterata* ; sed ostendatur, quam facile per aliam meliorem consuetudinem corrigi queat. Secundo, *Auctoritatis defensio ;* quod scilicet alioqui nemo credat asserenti. Ostendatur, quam futilis hæc quoque sit excusatio, cum potius suspecta fiat per juramenta similia veracitas jurantium, atque adeo minus eisdem credatur. Tertio, *Quod gravibus juramentis non utantur.* Sed et refutetur excusatio ostendendo, quod nec ista fiant absque peccato, et periculum contineant in graviora prolabendi. Vide has et plures excusationes fusius apud P. Drexel. *in Phaet.* c. 30, refutatas.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Agesilaus de Barbaris, qui jusjurandi religionem violabant, dicere solebat, eos nulla re deos magi sibi infestos reddere, quam si sacrosanctum jusjurandum temere violassent. Ælian. l. IV, *Var. Hist.*

Numa maximum jusjurandum Romanis statuit fidem. Plutarc. *in Numa.*

Plutarcus dicere solebat : Juramentum homini libero (quanto magis Christiano) pro tormento est. Idem *in Probl.*

Fuga. — Hebræi nomen Jehova numquam pronuntiare audebant, sed nomen *Adonai* substituebant. Sed et moderni Judæi non per totum nomen, sed per litteras divisas jurare solent, dicereque : Juro per *Jod, He, Vau*, et *Jod.* Joseph. l. XI, *Jud. ant.* c. viii.

Epictetus inter alias hanc doctrinam dabat : Juramentum deprecare, siquidem fieri potest, omnino ; sin minus, saltem quoad ejus potest. Epictet. *in Enchir.*

Bonos viros decet, ut eos mores adferre videantur, qui sunt jure jurando firmiores. Isocrat. *ad Damon.*

AXIOMATA.

Qui sæpe jurat, sæpe oportet, pejeret. Jam. *Vet.*

AUCTORES.

Joannes Busæus, *in Panario.* V eodem.

Jeremias Drexelius, *in Phaetonte* c. 28. 29. 30.

Philippus d'Outreman, *in Pædagogo Christiano* p. I. c. 5. §. I.

Joannes Major, *in Speculo magno Exemplorum.* V, eodem.

Antonius Dauroltius, *in Floribus Exemplorum* c. 3. tit. 24. 25. et 26.

Josephus Langius, *in Polyanthœa,* verbo eodem.

Joannes Dadræus, *in Locis Communibus similium et dissimilium.*

Jacobus Marchantius, *in Horto Past.* tract. 3. lect. 5. et 6.

JUSTITIA.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est habitus voluntatis inclinans ad suum cuique tribuendum. Vel, ut fusius clariusque describit S. Bernardus, est virtus, quæ nihil alienum vendicat ; quæ cuilibet dat, quod suum est ; quæ negligit propriam utilitatem, ut servet communem æquitatem. Prima justia est in Deum ; secunda in Patriam ; tertia in parentes ; quarta in omnes. (S. Bern. lib. I, *de Offic.*) Vel, ut S. Anselmus : Justitia est animi libertas, tribuens unicuique suam propriam dignitatem, majori reverentiam, pari concordiam, minori disciplinam, Deo obedientiam, sibi sanctimoniam, inimico patientiam, egeno operosam misericordiam. S. Ans. *l. Cur Deus homo.*

Divisio. — Dividitur communiter in *legalem,* quæ respicit justum et æquum, quatenus Reipublicæ aut bono communi est conducibile ; *distributivam,* qua bona communia inter personas communitatis, servata proportione, distribuuntur ; et *commutativam,* qua particulares personæ inter se in commutationibus et contractibus æquitatem custodiunt ; ad quas suo modo *vindicativâ* revocari potest, qua superior subditum suum condigna pœna pro delictis suis punit.

Actus. — In genere duo sunt. 1. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias. (Tob. IV, 16) 2. Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Matth. VII, 12.

In specie vero justitiæ *legalis,* prout est in Superioribus, actus sunt. 1. Zelare pro legibus. 2. Justa præcipere. 3. Bene gesta præmiare. 4. Delicta punire 5. Subditorum commodis prospicere. 6. Pericula et mala arcere. Prout vero in subditis est, ejus actus sunt. 1. Legibus obedire. 2. Concordiam cum aliis servare, neminem lædere, commune bonum proprio præferre, et procurare.

Justitiæ *distributivæ* actus sunt. 1. Juxta necessitatem aut alios titulos proportionem certam exigentes bona communia inter partes distribuere. 2. Pœnam ipsam juxta quantitatem delicti, et delinquentis qualitatem infligere. In subditis. 1. Nihil ultra necessitatem petere. 2. Ad dignitates se importune non ingerere, præcipue eas, quæ sunt ultra meritum.

Justitiæ *commutativæ* actus sunt. 1. Nemini damnum inferre, verbo, consilio, facto, in bonis, honore vel corpore. 2. Omnia proximi facta bene interpretari. 3. Bonum alterius pro viribus promovere.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari ; et quæ sunt Dei, Deo. Matth. XXII, 21.

Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Eccl. IV, 33.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit ; non enim est potestas, nisi a Deo ; quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, ordinationi Dei resistit. Rom. XIII, 1.

Diligite justitiam, qui judicatis terram.

Utilitas. — Beati, qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam omni tempore. Ps. CV, 3.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi,

justitia et pax osculatæ sunt. Ps. LXXXIV, 11.

Si justitiam quis diligit, labores hujus magnam habent virtutem. SAP. VIII, 5.

Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate. PROV. XVI, 8.

Justitia elevat gentes; et justitia firmatur solium. PROV. XIV, 15 et 16.

NECESSITAS. — Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus; nec erit in domo tua modius major et minor. Pondus habebis justum et verum, et modius æqualis et verus erit tibi, ut multo vivas tempore super terram. DEUT. XXV, 15.

Pondus et pondus, mensura et mensura utrumque est abominatio apud Deum. PROV. XX, 10.

JUSTITIA VINDICATIVA. — Noli esse justus multum; neque plus sapias, quam necesse est. ECCLES. VII, 17.

Videte, quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, sed Dei, et quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. PAR. XIX, 6.

Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies. EXOD. XXXIII, 2.

Pro mensura delicti erit et plagarum modus. DEUT. XXV, 3.

Noli quærere fieri judex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tua. ECCLES. VII, 6.

Insontem et justum non occides, quia aversor impium. EXOD. XXIII. 7.

Juste, quod justum est, persequeris, ut vivas et possideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. DEUT, XVI, 20.

Non facies, quod iniquum est; nec injuste judicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis; juste judica proximo tuo. LEVIT, XV.

Væ, qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo! Is. V, 22.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Justitia non novit patrem, veritatem novit, personam non accipit, Deum imitatur. CASSIOD. *super. Ps.*

Vigor justitiæ semper fervidus sit, sed nunquam præceps. S. BERNARD.

Humana justitia divinæ justitiæ comparata, injustitia est, quia et lucerna in tenebris fulgere cernitur, sed in solis radiis posita tenebratur. S. GREG. l. V *Moral.*

Hæc est perfecta justitia, qua potius potira et minus minora diligimus. S. AUG. *de Vera Rel.*

Justitiæ prima portio est non peccare; secunda per pœnitentiam damnare peccatum. S. BERNARD. *in Annuntiatione B. Mariæ* s. 1.

NECESSITAS. — Remota justitia quid sunt regna, nisi magna latrocinia? Quia latrocinia quid sunt, nisi prava regna? S. AUG. l. IV *de Civit.* c. IV.

Qui non repellit a socio suo injuriam, si potest, tam est in vitio, quam ille, qui facit. S. Ambr. *de Offic.*

Nimia justitia incurrit peccatum, temperata justitia facit perfectos. Salsitudinem correptionis amor Christi temperet, et dilectionem proximi sal justitiæ condiat. S. AUG. *de Ver. Rel.*

Sancti viri, quando cum personis minoribus contentionum negotia subeunt, dum gravare vel in minimis timent, ipsi contra justitiam gravari nequaquam refugiunt. S. GREG. l. IX *Mor.*

UTILITAS. — Justitia sola Respublica sustentatur. S. AUG. *de Civ. Dei.*

Justitia via est, per quam ad justitiam pervenitur. S. BER. s. IV *in Dom. Epiph.*

Nimia justitia incurrit peccatum, temperata justitia facit perfectos. S. AUG. *de Vera Religione.*

DIGNITAS. — Cui nocetur, aut injuriatur, et voluntate parcit proximo, hic secundum naturam Christi est; qui nec lædit, nec læditur, hic secundum naturam Adæ est; qui nocet, calumniam ingerit, aut usuras exigit, hic secundum Diabolum est. *In Vit. PP.*

Magnus justitiæ splendor, quæ aliis potius nata, quam sibi, communitatem et societatem nostram adjuvat, excelsitatem tenet, ut suo judicio omnia subjecta habet, opem aliis ferat, pecuniam conferat, officia non obruat, pericula suspiciat aliena. S. AMBR. l. I *de Offic.*

Summum in Regibus bonum est, justitiam colere, ac sua cuique jura servare, et subjectis non sinere, quod potestatis est, fieri, sed quod æquum est, custodire. S. GREG. *ad Franc. reges.*

Amanda est justitia et in hac amanda gradus sunt proficientium; primus est, ut amori justitiæ non proponamus omnia que delectant. Ibidem.

JUSTITIA VINDICATIVA. — Bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, et domesticæ proposito voluntatis, sed juxta leges et jura pronuntiat, scitis juris obtemperat. Non indulget propriæ voluntati, sed sicut audit, ita judicat, et sicut se habet negotii natura, decernit; obsequitur legibus, non adversatur; examinat causæ merita, non mutat. S. AMBR. s. XX *in Ps.* CXVIII, 4.

Discite, Judices sæculi, quem in judicando tenere debeatis affectum, quam sobrietatem, quam sinceritatem. Dominus omnium dicit: Non possum a me facere quidquam, sed, sicut audio, judico, hoc est, non ex mea potestate decerno, quod libitum, sed ex judicandi religione, quod justum est; ideo judicium meum verum, quia non voluntati meæ indulgeo, sed æquitati. Ibid.

Audi, quid verus Judex asserat: Non quæro voluntatem meam, hoc est, homines; quæ vel odio dirigitur, vel studio intenditur, vel gratia inflectitur, vel aliorum judicio depravatur. Scriptum est enim: Omnis homo mendax; sed voluntatem, inquit, quæro ejus, qui me misit, hoc est, divinæ cognitionis formam veni docere, ut in judicando magis cordi sit veritatis custodia, quam obedientia voluntatis. Ibid.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

QUALITAS. — De Deo dixit Salomon: Cum sis justus, juste omnia disponis; ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, extorum æstimas a tua virtute. Virtus enim tua justitiæ initium est; et ob hoc, quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis. SAP. I, II, c. XV. Et iterum: Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis nos. Ib. XVIII.

S. Job de se dicit: Justitia indutus sum, et vestivi me sicut vestimento et diademate, judicio meo. JOB. XXIX, 14.

Tobias audiens hædum balantem dixit: Videte, ne furtivus sit, sed reddite eum dominis suis. Quia non licet vobis aut edere ex furto, aut contingere. TOB. II, 21.

Rudolphus Imperator, cum quidam venisset, et Othaccarum, Regem Bohemiæ, atrocem ejus hostem, in venatione occisurum promitteret, si facto præmium esset, egregie respondit: Etsi noster hostis est Othaccarus, numquam tamen efficiet, ut justitiæ et moderationis fines transeamus. ÆNEAS SYLVIUS, l. XIII, *in reb. de Justit.*

Robertus III, Scothorum Rex, cum Romæ coronandus esset, et concursu populi Canonicorum segetes conculcarentur, grandem statim pro illis pecuniam persolvit. Cum oppido aliquo excederet, vocatos per præconem obsoniorum venditores ac cœnopolas rogabat, num quispiam ex aula sua non repositio omnium emptorum pretio abivisset. Pauperum querelas æquissimis animis audiebat, et damna liberaliter resarciebat. HENRIC. BOET. l. XV.

Ludovicus XI, Galliæ Rex, edicta publicari volebat legibus Galliæ vetustis contraria, addens hanc clausulam: « Nam ita est voluntas nostra. » Sed concilium seu Parlamentum Parisinum publicationem recusavit, etiam ter jussum a Rege id facere: etsi postremo Rex mortem iis minaretur. Tum Præses Senatus Lanacrius, multis comitatus Senatoribus, omnes in purpureis togis Magistratus insignibus Regem accesserunt, eique edictorum illorum iniquitatem et minas sibi factas exprobarunt. Rex visa gravitate, habitu et dignitate personarum, quas officio et vita exuere volebat, et ultro paratæ erant, vitam potius et munus ponere, quam iniqua edicta probare, obstupuit, et eorum auctoritatem reformidans, ipsis præsentibus edictum sustulit, jussitque eos posthac pergere, justitiam tueri: juravit etiam, se posthac nihil decreturum, quod sit æquitati et rationi contrarium. PHIL. DE COM. tom. I, l. II, c. XXXII.

Erat vir quidam nobilis valde et potens, tantusque amator justitiæ, ut nullam in judiciis respiceret personam. Hic cum cognovit infirmitatem, lectoque decumberet, in proxima camera clamorem, tumultumque femineum audivit, qui cum de causa sisciteretur, nullus ei circumstantium veritatem dicere præsumpsit: Tunc mittens unum de pueris ait: Præcipio tibi sub interemptione oculorum tuorum, ut dicas mihi meram veritatem. Cui iste pavens respondit: Domine, domicellus meus, filius sororis vestræ feminam ibi opprimere voluit, et hæc fuit causa clamoris. Ad quod verbum valde commotus, dixit quibusdam militibus: Ite, et suspendite illum. Milites igitur obedientiam simulantes, postquam egressi sunt, dixerunt in-

vicem : Si occiderimus hunc juvenem nobilem, et Dominus, sicut satis opinabile est, mortuus fuerit, vel morte mulctabimur, vel erimus extorres. Omnia tamen juveni intimantes, et ut pœnitentiæ avunculi se subtraheret, commonentes, post horas aliquot sunt ad dominum regressi, se ejus mandatum implevisse dixerunt. Quinto vero postmodum die juvenis æstimans, avunculum de culpa esse placatum, vel immemorem, aperto ostio introspexit, quem cum infirmus conspexisset, verbis blandis eum advocans juxta se sedere præcepit. Uno vero brachio collum ejus stringens, et manu altera cultellum ejus clam extrahens gutturi ejus infixit, et occidit. Qui cum planctu et ejulatu multorum elatus toti provinciæ incussit horrorem. Sed et ipsi Archibaldo militi, qui sic vocabatur, additus est dolor super dolorem, adeo ut invalescente infirmitate pro Episcopo mitteret, petens sacrum Corpus Christi sibi afferri, qui cum venisset, ille cum multis lacrymis et contritione cordis, omnia peccata sua confessus est, tacita tamen juvenis interfectione. Super quo Episcopus miratus respondit : Quare subticetis homicidium, quod commisistis in cognatum vestrum? Dicente illo : Fuit et hoc peccatum? Subjecit Episcopus : Etiam crudele nimis. Et ille : Ego neque peccatum judico, neque a Deo mihi remitti deposco. Respondente Episcopo : Ego vobis Corpus Christi non tradam, nisi homicidium idem confiteamini. Subjunxit vir nobilis : Sciatis me, domine, illum non occidisse ex aliquo rancore, aut motu iræ, sed solummodo timore Dei, zeloque justitiæ. Numquam plus filium sororis suæ aliquis diligere potuit, sicut ego illum dilexi. Sic ergo Corpus Christi negaveritis; ego illi corpus et animam committo. Hoc enim dixit et egit propter exemplum, ne justitiæ et judicio derogare videretur. Vix enim Pontifex limitem domus egressus fuerat; et ecce ægrotus revocabat eum dicens : Revertimini, domine Episcope, revertimini; videatis si in pixide habeatis Corpus Domini. Quod cum fecisset, nec aliquid in ea reperisset, subjunxit ille : Ecce, quem mihi negastis, ipse se mihi non negavit. Apparuitque hostia in ore ejus; et impletum est eo, quod per Sapientem dictum est : « Diligite justitiam, qui judicatis terram; servite Domino in bonitate, et simplicitate cordis quærite illum; quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum; apparet autem eis, qui fidem habent in illum. » Episcopus vero pavens, tantum miraculum ubique divulgavit. *Discipul. Prompt. lit.* J. ex. XXXVIII.

De affectu carnalium parentum triumphans Abbas Pastor pro filio sororis a Judice comprehenso, intercedere noluit, rogatus vero ut saltem litteras deprecatorias scriberet; scripsit monens Judicem, ut diligenter causam inquirat; et si reum suum, nepotem deprehenderit, pro merito puniat, ut in hac vita exsolvens pœnam peccati, in altera iber sit. *Specul. Exempl.* l, dist. II, *ex.* 35.

Vidua quædam cerevisiam coquere et vendere solita, cum oppidum Duschberch totum casu incensum fuisset, et ignis domui ejus appropinquaret, omnia sua vasa, quibus cerevisiam aliis mensurare solebat, ad ostium domus ponens sic aiebat : Deus justus et misericors, si unquam his mensuris aliquem decepi, volo ut domus hæc comburatur, precor justitiam tuam, ut mihi et supellectili mæ parcere digneris. Dixit, et flamma nihil de ejus supellectili attigit, licet omnia in circuitu devoraret. *Specul. Exempl. dist.* II, *Ex.* 129.

Adonibezec Rex comprehensus a filiis Israel dixit : Septuaginta Reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias; sicut feci ita reddit mihi Dominus. JUDIC. c. II.

Audiens Tobias hædum balantem, dixit : Videte, ne furtivus sit; quia non licet vobis aut edere ex furto, aut contingere. TOB. II.

Darii Regis jussu Danielis accusatores in lacum leonum missi non pervenerunt ad pavimentum, priusquam arriperent eos leones, et omnia ossa eorum comminuerent. DAN. VI et XIV.

Impius Jason, qui insepultos abjecerat multos, ipse illamentatus et insepultus abjicitur, nec propria nec peregrina honoratus sepultura. II. MACH. IV.

Insigne inter justitiæ egregia facinora illud fuit, quod Ferdinandus, Rex Aragoniæ, patravit. Hunc Henricus frater, Castilionensis Rex, tutorem filio puero reliquit. Is autem regnum tanta justitia rexit, quod in magno Castilionensium conventu actum est, ut ad ipsum Hispaniensis Regni titulus deferretur, quem honorem cum se acceptarum ostendisset, omnesque in locum rei agendæ designatum convenissent, ipse ingenti clamyde regio more amictus, qui nepotem puerum occultum tenebat, cum om-

nium sententiam postulasset, quæ ejusmodi fuit, ut ad ipsum Hispaniarum Regnum deferretur, repente nepotem parvum e clamyde extulit, et cum collo suo imposuisset, exclamavit: En Castilionenses Regem vestrum! Cui restituo postea regno, actisque omnibus rebus, ostendit, quam in eum justus fuisset. B. Fulgos, *lib.* VI.

Damnum neglectæ justitiæ. — Quidam Frater e familia Minorum valde religiosus in quadam extasi vidit aliquem in medio flammarum prostratum, e cujus ventre arbor alta processit. In cujus ramis homines diversi, masculi atque feminæ sursum pedibus, et capite deorsum penduli erant, atque flamma ab imo prorumpente acerrime torquebantur. Ille vero, qui jacebat, omnium maxime cruciabatur. Frater ex Angelo quæsivit, quinam hi essent? Respondit : « Ille, qui jacet, pater fuit, et principium generationis istorum omnium, fuit pauper, atque per usuras ditatus eminuit. Alii autem sunt hujus filii et nepotes, imitati paternum scelus, et per usuras acquisita non restituerunt, ideo cum eo dant pœnas; gravissime vero pater videns eos, qui per ipsum in ista tormenta devenere; ex quo pœna ei pro his omnibus augetur, ac intenditur. » Keppler. l. c. f. 93.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius adeo Justitiæ rationem habuit, ut, quo magis obstrueret viam zelo temerario et malevolæ falsitati, nullius accusationem de re gravioris momenti aliter, quam scriptam admitteret. De domesticorum erratis mirum servabat silentium, neque si quid admissum esset ab aliquo minus decenter, cuipiam aperiebat, nisi emendationis gratia; et tunc quidem tam modeste atque amice id agebat, ut, si unus testis satis esset ad remedium, plures non adhiberet, nudamque culpam poneret ante oculos, absque omni contentione verborum aut reprehensione. (Lanciz. *Opusc.* lib. xxi. c. iv, n. 37. et c. viii. n. 70.) Certe quondam in confessione se accusabat, quod erratum cujusdam coram tribus evulgavisset, cum tamen duo sufficissent. Sed et cuidam Patri, quod de infirmo quodam nostro extra domum dixisset, ipsum præ vehementia febris delirare, injunxit, ut se publice per spatium trium Psalmorum cæderet. Et aliis undecim publicam disciplinam præcepit, quod cuidam jocose quædam detractoria et falsa de altero narranti credidissent. Ib. c. v. n. 48.

S. Franciscus Borgia cum Gothalaniæ Prorex creatus esset, nihil duxit antiquius, quam ut munus feliciter obiret, Dei ante omnia Justitiæ auctoris ope implorata. Prima vero cura fuit viam regiam a latrociniis tutam reddere, ut merces importari, et exportari commode possent. *Vita* l. I, § 8.

P. Jacobus Laynes duo potissimum hominum genera detestari se aiebat, Hæreticos, sub falsa Religionis specie Regna et Provincims devastantes, et eos, qui Simonis magi labe infecti, Christi patrimonium pretio et emerent et venderent, pauperum panem devorarent, et sanguinem haurirent. *Vita*, l. III, c. xvi.

Bernardinus Realinus dum Fiscalis munere fungebatur, duo hæc sane difficillima, ut Fisco, et iis, quorum intererat, satisfaceret, ita conjungebat, ut ne obolum quidem in suum commodum, præter salarium sibi assignatum converteret. Sed et aliis subinde officiis functus, adhuc in sæculo existens, in modo regendi erat semper sibi simillimus; ab omni munere castas semper integrasque abstinuit manus, identidem dictitans, vix ullum lucrum dignitatemque suam simul tueri posse. In sententiis ferendis pensiculatior, causæ merita, non affectum aut favoris gratiam appendebat. Reos longe carcere minime exhauriebat, sed, ut primum poterat, aut absolvebat omnino innoxios, aut culpæ reos jure damnabat; dum ratio pro pœnæ mitigatione suppeteret, ad benignitatem se referebat. Si postulabat æquitas, ut gratiæ aliquid indulgeretur, id non putide sibi arrogabat, sed patronis tribuebat, ad se solam Justitiæ administrationem pertinere existimans. *Vit.* c. iv.

EXEMPLA PROFANA.

Quintus Mutius Scævola, Pontifex Maximus, filius P. Mutii, Proconsul Asiam tanta integritate administravit, ut in posterum in eam Provinciam ituris Magistratibus in exemplum et formam fuerit propositus. Beirl. *lit. Justit.* fol. 491.

Domitiamus Imperator tantam curam Magistratibus coercendis adhibuit, ut neque

modestiores unquam, neque justiores extiterint. Ibid.

Apud Athenienses novem Principes erant, quibus, Respublica concredita erat, qui, cum eligerentur, religiose jurabant, neque munera se accepturos, neque auream statuam publice erecturos. Ibid.

Areopagitæ litium controversias non interdiu, sed noctu judicabant, ut procul ab omni affectu, qui animos in diversum agit, ferre possent judicium. Sed et lege apud eosdem cautum erat, ut qui causam diceret, nec præmio uteretur, nec ad misericordiam aut invidiam Judices adduceret, ne cui plus in misericordia, quam in causa spei esset. ALEX. ab ALEX. l. III, c. v.

Acrotasus parentibus postulantibus, ut sibi in re quapiam injusta adesset, audacter respondit : Quamdiu apud vos eram, nullam habebam Justitiæ scientiam : ast dum me Patriæ et patriis legibus tradidistis, insuper et Justitiam et honestatem pro viribus docuistis, huic magis, quam vobis conabor obtemperare. Quandoquidem ergo hæc est voluntas vestra, ut, quæ sunt optima, faciam ; optima vero sunt, quæ justa sunt tum homini privato, tum præcipue principatum gerenti, quæ vultis faciam ; quæ dicitis negabo. PLUTARC. *in Lacon.*

Titus Manilius inter Macedones accusatores et filium constitutus, audita causa sic pronuntiavit : Cum probatum sit, Silanum filium meum pecuniam accepisse, ipsum repudio, et prole mea indignum judico, protinusque a conspectu meo abire jubeo. *Polyant. lit. Justit.* fol. 630.

Andronicus Comænus unum ex intimis aulicis publico supplicio ob delictum affici præcepit, simulque illis, qui Justitiam parum curabant, nuntiari jussit, aut injustitiam, aut vitam relinquere. CAUSINUS, *in Aula sancta*, l. III, c. XXVIII, n. 3.

Theodoricus Rex cum Juvenalis honesta matrona ei questa esset, causam suam per integrum jam triennium a Judicibus protrahi, his ad se vocatis præcepit, ut intra biduum expedirent, quod cum illi intra biduum præstitissent, omnes velut læsæ justitiæ reos, capitis damnavit. Ibid. n. 6, *ex Chron. Alex.*

Cambyses, Rex Persarum, judici iniquo et muneribus corrupto pellem detrahi, et judicum tribunali insterni jussit, ut vel hujus exempli severitate moti justius judicarent. FABER, *in Auct. Th.* III, *in festo S. Barth.*

E contrario vero Advocatus quidam, qui multas causas injustas susceperat et tractarat, post mortem sine lingua inventus est, justo Dei judicio, quo effectum, ut linguam perdiderit moriens, quam vivens toties vendiderat. CÆSARIUS, l. XI, *Hist.* c. XLVI.

Zaleucus urbe Locrensium a se saluberrimis legibus munita, cum filius ejus adulterii crimine damnatus, secundum jus ab ipso constitutum utroque oculo orbari deberet, ac tota civitas in honorem patris pœnæ necessitatem adolescenti remitteret, aliquandiu repugnavit, demum precibus populi victus, suo prius deinde filii oculo eruto, mirabiliter temperamento officium misericordis patris et justi legislatoris conjunxit. VAL. MAX. l. V, c. v *de Jur.*

Servavit Capitolium Marcus Manlius, sæpius in acie stetit, pro patria strenue dimicavit, accepit adversa vulnera, cives servavit, præmia tulit, et in toga multos alieno levavit ære; et nihilominus populi suffragiis damnatus est, quia supra fortunam privati civis aliquid optare crederetur. Adeo nullum civem ab initio ferre potuit Romanus populus, qui legibus, cum esset opus, cogi non posset. SABEL. l. IV.

Timochares Ambraciensis Fabritio Consuli pollicitus est, se Pyrrum veneno per filium suum, qui potionibus ejus præerat, necaturum. Ea res cum ad Senatum delata esset, missis legatis Phyrrhum monuit, ut adversus hujus generis insidias cautius se gereret, memor urbem a filio Martis conditam, armis bella non venenis gerere debere. Timocharis autem nomen suppressit, utroque modo æquitatem amplexus, qui nec hostem malo exemplo tollere, nec eum, qui bene mereri paratus fuerat, perdere voluit. VAL. MAX. l. V.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut theatrum cum commune sit, recte tamen dici potest, ejus esse illum locum, quem quisque occupavit ; ita in mundo licet omnia communia sint, non tamen adversatur juri, ut proprium sit cuique, quod legitimo possidet, titulo. CIC. l. *de Finibus.*

Sicut lingua stateræ, ut officio suo bene fungatur, justamque mensuram judicet, in medio consistere debet ; ita justitiæ quoque officium est, medium ubique tenere, et ne-

que per timorem tormentorum, neque per spem munerum ad alterutram partem se magis inclinare. BONCART. v. *Justit*, n. 61.

Sicut cingulum corporis, medium tenet locum inter partem corporis superiorem et inferiorem, et non nisi violenter ad unam alteramve partem magis inclinatur; ita Justitia inter potentem et humilem, divitem et pauperem media consistit; et eo solum se inclinat, quo majus æquitatis pondus eam trahit. Ibid. n. v.

Sicut a centro ad circumferentiam majorem, major et longior protenditur linea, ad minorem vero minor; ita a justitia distributiva, quæ est quasi centrum medium, linea amoris et liberalitatis producta ad illam, qui majorem virtutis aliorumque meritorum habet ambitum, major quoque esse debet, quam illius, qui minor est in ejusmodi meritis. Ibid. n. 7.

Sicut in bello, quo tuta sit tota aliqua Provincia, privata interdum ædificia aut agros destrui necesse est : ita Justitia bono communi prospiciens, particularium interdum personarum emolumentum negligat, oportet. ERASM. l. I, *Apopht.*

MOTIVA.

Quia hanc specialiter requirit Deus, juxta testimonium Michææ dicentis : Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : utique facere judicium, et justitiam. MICH. VI, 8.

Quia etiam bonum Reipublicæ specialiter eam requirit ; cum Justitia sit quasi protectrix et conservatrix illius, juxta Salomonem, cum juxta hunc Justitia elevet Gentem, et thronus Regum per eam firmetur. PROV. XIV, 34, et XXV, 5.

Quia particulare cujusque hominis bonum pariter eam exigit ; ut enim nulli membro bene esse potest, nisi capiti aliisque membris apte cohæreat ; ita nec homini ulli bene esse potest, nisi per Justitiam cum suo Magistratu, velut capite, et aliis hominibus velut commembris conjungatur.

Quia, teste Salomone, *si Justitiam quis diligit, hujus labores magnas habens virtutes ;* sobrietatem enim (id est, temperantiam) et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem (id est, fortitudinem) quibus utilius nihil est in vita hominibus. SAP. VIII, 7.

Quia summam possessori suo dignitatem honestatemque conciliat ; nam justus ut palma florebit, et sicut cedrus Libani multiplicabitur, teste S. David. (PS. XCI, 13.) Hinc, et Demothenes eos homines in primis laude dignos pronuntiavit, qui nullam anteponerent Justitiæ utilitatem. Pecunias enim quisque possidere potest ; at Justitiæ gloria pecuniis non emitur. BUSÆUS, *in Virid. v. Justit.* c. II.

Quia Justitiæ amator invictus adversus omnes casus sinistros efficitur ; nec enim, teste Salomone, constristabit justum, quidquid ei acciderit ; (PROV. XII, 21.) et ut Horatius cecinit :

> Justum et tenacem propositi virum,
> Non Civium ardor prava jubentium,
> Non vultus instantis Tyranni
> Mente quatit solida, neque Auster
> Dux inquieti turbidus Hadriæ,
> Nec fulminantis magna Jovis manus.
> Si fractus illabatur Orbis,
> Impavidum ferient ruinæ.
>
> HORAT. III, *Carmin.* 3.

MEDIA.

Præsentia et timor Dei ; sic enim Zeno interrogatus, qua ratione possent ipsius familiares justitiam colere, nihilque injuriæ facere ? respondit : Si semper me vobis præsentem existimabitis. Quanto magis hoc de Dei præsentia dici poterit ? (MANSI, v.) Hinc et Josaphat Judicibus a se constitutis dicebat : Videte, quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium, sed Domini. Sit timor Domini vobiscum. II PAR. XIX, 6.

Sapientiæ studium ; quia hæc fortius ad bene et juste agendum, quam lex alia quæcumque adstringet ; hinc Antisthenes negabat sapientem virum obstrictum esse legibus ab homine promulgatis. LAERT. l. VI.

Amor ordinatus amicorum ; sic enim non facile aut incitabimur ad malum alteri inferendum, aut ab alio inferri patiemur ; id quod sapienter P. Rutilius advertit, dum amico cuidam, quod rem injustam ei negasset, querenti, dicentique : Quid mihi opus est tua amicitia, si quæ abs te rogo, non impetrem ? respondit ; Et imo quid mihi tua opus est amicitia, si me urgere cupis, ut in justitiæ leges tua causa peccem ?

Amor pacis atque concordiæ ; sic enim suasit S. Augustinus, dum dixit : Interroga omnes homines : Vultis pacem ? Uno ore tibi respondet totum genus humanum : Opto,

cupio, volo amo. Ama et Justitiam, quia duæ amicæ sunt Justitia et Pax. Si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te. S. Aug. in Psal. LXXXIV, 11.

Inculpata et intrepida mens ; nam, ut recte S. Gregorius dixit, lucem debet aspicere, qui vult de tenebris judicare. Et iterum : Noli quærere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere. S. Greg. *in Homil.*

Oratio fervens ; sic enim Salomon eam impetravit, dum jussus petere, quidquid vellet, dixit : Dabis servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit. III Reg. V, 9.

ASCETICA.

Tria sunt, quæ speciliter Asceta circa hanc virtutem observare debet. Primum est, ut cum Justitia sit virtus ad jus suum cuique tribuendum inclinans, bene cognoscere studeat, quod sit jus illud, quod variis personis tribuere debeat. Nimirum, 1. Deo amorem, reverentiam, obedientiam, gratitudinem. 2. Sanctis cultum, fiduciam, imitationem. 3. Superioribus reverentiam et obedientiam. 4. Parentibus pietatem, honorem et gratitudinem. 5. Benefactoribus beneficiorum gratam memoriam, prædicationem et compensationem. 6. Senioribus et Majoribus observantiam. 7. Æqualibus concordiam et affabilitatem. 8. Subditis prudentem directionem, liberalem sustentationem, et discretam correctionem. 9. Pauperibus compassionem, misericordiam, et liberalitem.

Secundum est, ut magnam de necessitate et utilitate hujus virtutis æstimationem tum ipse concipiat, tum aliis ingeneret ; id quod triplici ex testimonio obtinere et efficere poterit. 1. S. Scripturæ, seu Salomonis, dicentis : Rex justus erigit terram. Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur. 2. Sapientium Ethnicorum ; nam, Plutarco teste, nihil tam egregium, nihil tam proprium Regis (quidni cujusvis etiam Christiani?) esse videtur, quam Justitiæ opus, Ciceronis judicio, jus et æquitas sunt vincula civitatum, et fundamentum perpetuæ commendationis et famæ est Justitia, sine qua nihil potest esse laudabile. Imo, juxta Augustinum, pietate et justitia Principes *Dii* fiunt omnium hominum ; nam, ut Cicero recte advertit, tanta hujus virtutis vis est, ut nec ii quidem, qui maleficio ac scelere pascuntur, possint sine ulla particula Justitiæ vivere. Hinc Hesiodus prudenter conclusit :

> Hoc uno Reges olim sunt fine creati,
> Dicere jus populis, injustaque tollere facta.

Tertium est, ut regulas quasdam discat doceatque ad Justitiæ perfectionem obtinendam opportunas, quales sequentes a Lipsio *in Politicis* assignantur. 1. Nihil in penatibus venale sit, aut ambitioni pervium ; quia hæc duo vitia sunt extremi hostes Justitiæ. 2. Causas reosque semper audire oportet ; quia inauditi ac indefensi, tanquam innocentes pereunt, Tacito teste. 3. Novæ leges parce ferendæ ; nam et illud verum Taciti effatum : Corruptissima Republica plurimæ leges ; certe si hoc ævum aspicias fateare, ut antea flagitiis, sic nunc legibus laborari. 4. Leges ab ipso Legislatore accurate observantur ; nam in his, juxta Aristotelem, salus Reipublicæ sita est. Et, ut sapienter notavit Seneca : Minimum decet libere, cui nimium licet. 5. Justitiæ rigor clementia temperandus ; nam invisa imperia nemo retinuit diu.

Si tamen pœna infligenda sit, juxta sequentes regulas exigatur. 1. Tarde veniendum ad supplicia ; prope enim est, ut libenter damnet, qui cito, Seneca teste, præstatque, Cicerone monente, vitiosas partes sanare, quam exsecare. 2. Non nisi publica utilitate suscipienda ; aut certe, si propria res vindicantis agitur, dissimulet, ac vultum induat tanquam invitus, ac cum magno tormento ad castigandum veniat. 3. Ad exemplum omnia referenda, non ad ultionem ; itaque ab ira abstineatur, nam quis membra sua odit, cum abscindit ? 4. Pœnæ sint e moribus receptoque usu ; nam lædit, quidquid in his novum aut nimium ; crudelesque merito censentur, qui puniendi causam habent, non modum : Oportet, inquit Aristoteles, supplicia more patrio sumi. 5. Æqualitas servetur ; nisi, forte aliud in nobilibus prudentia suadeat ; nam et a medicis quamquam in adversa valetudine nihil servi a liberis differant, mollius tamen liberi clementiusque tractantur, ut sagaciter advertit Plinius. 6. Nunquam Legislator ipse per se supplicia exigat ; nam suadente Xenophonte, ubi pœnarum aut coercitionis res est, aliis id delegandum ; ubi præmiorum aut

munerum, ipsi obeundum ; hinc Nero, Seneca teste, subtraxit oculos, jussitque supplicia, non spectavit. 7. Si rarum supplicium a multitudine exigendum sit, omnes uno ictu feriantur, Lipsio, Tacitoque suasoribus ; nam repetita et frequens vindicta, paucorum odium reprimit, omnium irritat. Incide semel, inquit Lipsius, quidquid incidendum est, et tum malagmata adhibe hæc bina : prius beneficiis in alios auctam lenitatem tuam testificare ; et tum vindictam in rerum atrocium ministros derivato ; gaudet enim vulgus, recidisse iram in iræ ministros, nec ullam potentiam scelere quæsitam cuiquam esse diuturnam.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione picturæ, qua Justitiæ virtus cum libra in manu pingitur, explicare potest naturam Justitiæ, et officia illius, dicereque 1. in pertica lances sustinente scriptum esse : Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis. 2. In lingula libræ scriptum esse : In medio consistit virtus, Justitiæ præsertim. 3. In tergo dextræ lancis : Quod tibi vis fieri, vide, ut alteri feceris. 4. In tergo alterius : Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias. 5. In manubrio sustinente libram : Statera dolosa abominatio est apud Deum, et pondus æquum voluntas ejus. Quæ omnia fusius explicari, et practicis exemplis confirmari possunt.

Ex occasione thematis : « Pondus habebis justum et verum, ut multo vivas tempore super terram ; » (Deut. xxv, 15) explicari possunt quatuor illi contractus innominati a Theologis et Juristis assignari soliti, in quibus tota fere Justitiæ praxis consistit. Dicatur ergo primum pondus seu lapidem pro libra Justitiæ esse : « Do, ut facias, » cui lapidi inscripta sit hæc sententia : Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, et merces mercenarii apud te non remaneat (Tob. iv, 15). Hunc ad dominos, qui famulos aut operarios constituunt, pertinere ostendatur, simulque demonstretur, quam æquum sit, debitam mercedem statim illis offerre ; quam iniquam vero et crudele, victum aut salarium illis negare, vel parcius offerre, juxta illud S. Jacobi : Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat ; et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit (Jac. v. 4). Secundum pondus aut lapis est : « Facio, ut des ; » cui inscriptum est : Si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes ; estque adhibendus a famulis et operariis, ut quemadmodnm illi sibi a dominis cupiunt largam mercedem offerri, ita ipsi vicissim debitas operas liberaliter exhibeant, illud S. Pauli semper in memoria habentes : Quæcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus, scientes quod a Domino accipietis retributionem (Eph. v, 6). Ostendatur proin, quantas habeat virtutes labor tali modo susceptus, tam in hac, quam in altera vita. Tertium pondus seu lapis est : « Do, ut des ; » cui inscriptum est : Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate ; (Prov. xvi, 8) atque in emptione et venditione adhibendus est. Ostendatur proinde, quam vere melius sit parum cum justitia *ante mortem*, pro temporali benedictione obtinenda ; *in morte*, dum cum gaudio usurpabit illud S. Pauli : Aurum et argentum, aut vestem nullius concupivi ; *post mortem*, quia ab auditione mala non timebit, sed in memoria æterna erit justus. Cum semine eorum permanent bona ; hæreditas sancta nepotes eorum. Quia tamen interdum potest quid carius vendi, ideo triplex est hoc pondus, *pium*, *moderatum*, *rigorosum*. Et præterea grana, id est, causæ excusantes ab injustitia adjici possent, nempe, 1. Si emat in gratiam venditoris aut vicissim. 2. Si multa emat. 3. Lucrum cessans. 4 Damnum emergens. 5. Affectus singularis erga rem emptam. 6. Raritas rei vendendæ. Quartum pondus seu lapis est : « Facio, ut facias, » cui inscriptum est : Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Servitque pro restitutione vel solutione rei promissæ vel debitæ solvenda. Ubi semper meminisse oportet sententiæ Servatoris : Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversus te ; relinque ibi munus tuum ad altare, et vade prius reconciliari fratri tuo. Usurpari etiam debet in votis Deo reddendis, juxta illud Ecclesiastis : Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere ; displicet enim ei infidelis et stulta promissio (Eccl. v, 3). Excitentur itaque auditores, ut hoc pondere studiose utantur, sicque quærentes ante omnia

Regnum Dei et justitiam ejus, mereantur cætera adjici sibi.

Ex occasione sententiæ : « Si quis Justitiam diligit, labores hujus magnas habent virtutes ;» (Sap. viii. 7.) ostendi potest multiplex fructus Justitiæ. 1. Quia singulariter conducit ad bona temporalia augenda, juxta illud Christi : Quærite primum Regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. (Matt. vi. 33). 2. Quia simili modo conducit ad bonam famam augendam et conservandam, juxta illud S. Davidis supra citati : In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit. 3. Quia jucunditatem bonæ conscientiæ conciliat, juxta illud Salomonis : Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio. (Prov. xvii. 1). Bona quippe est substantia, cui non est peccatum in conscientia. (Eccl. xiii. 30). 4. Quia singulariter conducit ad gloriam æternam obtinendam et augendam ; quia, teste Salomone : Opus justi ad vitam ; fructus autem impii ad peccatum. (Prov. l. 16). Et : Non proderunt divitiæ in die ultionis ; Justitia autem liberabit a morte, nempe æterna. Ibid. ii. 4.

Ex occasione thematis : « Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari ; et quæ sunt Dei, Deo ; » (Matt. xxii. 21) ostendi potest, quomodo hanc sententiam varii status observare debeant. 1. Clerici, reddendo Deo, quæ Dei sunt, id est, cultum divinum per accuratam officiorum Ecclesiasticorum administrationem. 2. Judices, observando puncta in tribunali urbis Patavinæ scripta : Excute manus ab omni munere, patienter partes audi, benigne responde, juste judica. 3. Hospites et Mercatores, ut dando Cæsari, quod Cæsaris est, id est, Principibus censionem, vel vectigal, et emptoribus, quod ipsorum est, non corrumpendo merces, non imminuendo mensuram, non pretium injuste augendo, nec merces malas offerendo ; eumque in finem bina axiomata in mente assiduo habeant : Male parta male dilabuntur. Et : Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate. (Prov. xx. 21). 4. Operarii et Artifices, ut Deo reddant, quæ Dei sunt, non negligentes propter laborem officia religionis et cultus divini, ex altera tamen parte etiam fideliter laborantes, et a nimia mercede exigenda sedulo caventes, ne damno suo experiri cogantur, quod hæreditas, ad quam festinatur in principio, in novissima benedictione carebit. 5. Patresfamilias, non impediendo famulos et ancillas, quo minus debitum Deo cultum exhibere queant ; e contrario autem victum et salarium fideliter persolvendo, quem in finem sæpius animo volvant tremendam illam S. Pauli sententiam : Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. (I. Tim. v. 8). Et illam Siracidis : Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua ; quasi fratrem sic eum tracta. (Eccl. xxxiii. 31). 6. Servi et Ancillæ, ne permittant se a cultu divino impediri, et ut fidele dominis suis servitium præstent, non ad oculum servientes, sed ex animo operantes sicut Deo. Quæ omnia facile amplificari, et variis rationibus et exemplis probari possunt,

Ex occasione sententiæ : « Et appropians alligavit vulnera ejus infundens oleum et vinum ; » (Luc. x. 34) ostendi potest, quomodo correctio velut actus Justitiæ vindicativæ suscipi, et oleum cum aceto misceri debeat ; nimirum, 1. Si bene Superior studeat cognoscere errorem, et ab ipso etiam reo agnosci faciat. 2. Si nunquam nisi pacato animo et bona intentione puniat. 3. Si ad radicem errorum evellendam tendat. 4. Si in spiritu lenitatis procedat, et sicut cœlum, ab initio serenam, mox turbidam faciem, tum tonantem verbis, fulgurantem minis, et tandem omnino fulmine pœnæ convenientis puniat. 5. Si consiliarios libenter adhibeat, et admittat. 6. Si ubi effectus non respondet, non immodice turbetur, sed divinæ voluntati se suosque subditos penitus committat.

Ex ejusdem thematis occasione ostendere potest, quam multi non bene fungantur officio curationis, dum vel solum oleum, vel solum acetum infundunt. Itaque in prima parte ostendatur, quinam solum oleum affundant ; nimirum, 1. Magistratus, qui omnia dissimulant. 2. Concionatores et Confessarii vitia palpantes, aut certe reprehendere non audentes. 3. Parentes, qui omnia liberis permittunt, aut certe non nisi verbis obiter castigant, ut Heli. 4. Patresfamilias dissimulantes domesticorum delicta, atque ad officium Christiani præstandum non adigentes. 5. Præceptores et Ludimagistri non corrigentes discipulos. 6. Quilibet alius, potens juvare ad correctionem proximi, sine suo gravi incommodo,

et non faciens. In secunda parte ostendatur, quinam sint, qui solum acetum infundunt, nimirum, 1. Qui ob delicta non satis probata, vel cognita puniunt. 2. Qui in ira castigant. 3. Qui ipsum reum ira æstuantem corripiunt. 4. Qui nimis frequenter, et quasi assidue pœnas expetunt. 5. Qui nec temporis, nec loci rationem habent. 6. Qui asperitate verborum aut verberum excedunt. 7. Qui statim desperant de correctione. Excitentur proin auditores, ut Samaritanum imitantes, oleum aceto miscere studeant.

Ex occasione verborum : « Juste, quod justum est, persequeris; » (Deut. xvi. 20) explicari possunt tres conditiones ad justum judicem et judicium requisitæ. Quarum prima indicatur per verba : *Quod justum est*, scilicet ut sciat *substantiam* officii sui in eo consistere, ut jus et factum bene intelligat, neque personas unquam respiciat, nisi ubi ratio et æquitas id persuadet. 2. Per verbum *Juste;* scilicet ut sciat *modum* et *finem* sui officii, qui est, solam Dei gloriam, Reipublicæ bonum, pacem et concordiam, civiumque utilitatem quærere ; ex qua intentione duæ aliæ virtutes magni momenti oriuntur, nempe, vigilantia, et officium suum bene administrandi. 3. Per verbum, *Persequeris*, innuitur, scilicet constantia et perseverantia in exequendo eo, quod justum est, ita ut, ubi justitia exigit, dura, (id est, inflexibilis) sicut infernus, sit ejus æmulatio legis. Quæ omnia fusius explicata videri possunt apud Ludov. de Ponte, t. II, *de Perf.* tr. 4, c. II.

Ex occasione verborum a Jethro olim ad Moysen dictorum : « Provide tibi viros de omni plebe, et de cuncto Israel, potentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam, qui judicent populum omni tempore ; » (Exod. xviii. 21) explicari possunt aliter proprietates Judicum, et dici, quod 1. debeant esse *Selecti* ex plebe. 2. *Potentes*, id est, magna auctoritate præditi. 3. *Timentes Deum*, non homines. 4. *Veritatis*, id est, recti judicii, *amantes*. 5. *Odio avaritiam prosequentes*, ne patiantur se muneribus corrumpi. 6. *Omni tempore paratos ad judicandum*, neque litem injuste protrahentes ; quæ fusius digesta videri possunt apud Lud. de Ponte t. III, *de Perf.* tr. 4, c. x.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Judicii censuram ira enervat, mollior affectus præcipitat. S. Bern. l. III, *de Consid.*

Bias damnaturus quempiam ad mortem, lacrymatus est ob miseriam hominis, et deplorandam fortunam. Verum cum dixisset quidam : Quid est, quod defleas, cum in tuo sit arbitrio, condemnare, aut liberare reum? Respondit ille : Necessarium quidem esse, naturæ condolere, a lege autem et justitiæ regula discedere, magis perniciosum esse. Stob. f. 44.

Phocion ab Antipatro rogatus, ut aliquid injusti faceret: Non potes, inquit, simul me amico, et adulatore uti ; amicus enim usque eo obsecundat amico, quousque Justitia, et æquitas patitur. Plutarc. *in Apoph.*

M. Cato dicebat, Magistratum nec pro justis orandum (cum oporteat ultro favere bonis) nec pro injustis exorandum esse, quia pro his orare, humanitatis exorari ; autem, deflectentis a Justitia est. Idem.

Herodotus vulturem pro Justitiæ symbolo assignat, cum nihil, quod vivit, attingat, nec ullum animatum occidat, ut aquilæ et accipitres faciunt. Pier. l. XVII, p, 69.

Statuæ Thebanorum Magistratuum sine manibus, et oculis clausis fingebantur, ut significarent, Judicem nec manus ad accipienda munera, nec oculos apertos ad respiciendas personas habere debere. Langius, *in Polyant.* f. 631.

Aristides interrogatus, quid esset Justitia? respondit : Nihil alienum desiderare. Textor. *in Theat.*, l. IV, c. 15.

Mycerinus, Cleopis filius, Ægypti Rex, adeo Justitiæ erat amans, ut, si quis conqueretur de re quapiam injuste ablata, sua pecunia jacturam resarciret. Idem.

Glaucus Lacedæmonius tam celebris fuit Justitiæ zelator, ut ad eum videndum multi alienigenæ Spartam venerint. Idem.

Utilitas. — Camillus, cum ad ipsum Phaliscos obsidentem Ludimagister pueros civium, sub titulo ambulationis extra urbem ductos tradere vellet, non solum sprevit perfidiam, sed Magistrum revinctis post terga manibus, pueris dedit verberandum, et ad parentes cum plagis reducendum. Ob quod factum Phalisci sponte deditionem fecerunt. Idem.

Leo, Laryceratidis filius, cuidam percon-

tanti, in qua urbe tuto vivere posset? respondit : In ea, in qua incolæ neque nimis multum, nec nimis parum possident, et ubi Justitia viget. PLUTARC. *in Lacon.*

DIGNITAS. — Agesilaus rogatus, utra virtus esset præstantior, fortitudo, an Justitia? graviter respondit, fortitudinis nullum esse usum, nisi Justitia adsit. Quod si omnes essent justi, nihil opus foret fortitudine, Ibid.

Trajanus Imperator Justitiam et æquitatem primaria duo Principum ornamenta dicebat esse. Hinc ipse in omnium conspectu Præfecto Urbis porrigens gladium dixit : Cape ferrum, et vel pro me, si bene Justitiam administravero, vel contra me, si male id fecero, utere. NICEPH. CALLIST. l. III *Hist. Eccl.* c. XXIII.

JUSTITIA VINDICATIVA. — Moysen et Aaron virgas gestarunt indices regiminis, sed aridas, quæ ex terra nihil humoris attrahere poterant; ut insinuarent, Judices, nihil ex bonis litigantium ad se trahere debere. FABER, *in Auct. Th.* 5. *in Festo S. Barth.*

Salomon porticum, in quo tribunal erat, cedrinis lignis a pavimento usque ad summitatem texit, ut indicaret, Judices, perinde ut cedros, rectos et incorruptos esse debere. REG. VII.

Athenienses ante Judicum consessum porcellum mactare jubebant, eoque sedilia judicantium aspergi, ut scirent, innocentium sanguine se aspersum iri, si innocentem funderent. SIGON. *apud Cant.* l. V.

Cum Ptolomæus alcis ludens, puerum, nomina damnandorum ad mortem, legentem audiret, Berenice uxor e manibus chartam puero eripuit, dicens, non similem esse tesserarum et corporum causam. Quo audito Ptolomæus multum delectatus, nunquam postea inter lusum de capitalibus causis decrevit. ÆLIAN. l. XIV. *Var. Hist.* c. XLV.

Deus ipse dixit : Descendam, et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint. An non est, ita ut sciam ; ut doceamur, inquit Philo, ne quis homo de absentibus, et futuris, et incertis putet se facere posse conjecturam, sed prius maxime prospicere debeat? PHILO, *de confusione linguarum.*

AXIOMATA.

Fiat justitia, pereat mundus.
Justitia sola Respublica sustentatur.
Summum jus, summa injuria.

AUCTORES.

Ludov. de Ponte, t. 4. *de Perf.* tr. 4. cap. 5. et 6. Item, cap. 11.

Joannes Busæus, *in Vidario virtutum.* V. Justitia.

Jacobus Alvarez, t. 2. *de Perf.*

Petrus Sanchez, *in Regno Dei*, p. 6. c. 7.

LABOR.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO.— Est, juxta Ciceronem, functio quædam animi vel corporis. gravioris operis vel muneris. Vel brevius : Est seria occupatio hominis. CICERO, l. II, *Tusc.*

DIVISIO. — Dividitur in laborem *mentalem* et *corporalem.* Ille est, quo animus, seu mens, potissimum exercetur, uti est studium, meditatio, etc. Iste est, quo corporeæ vires præcipue occupantur, uti sunt artificum et opificum, aut operariorum ac servorum occupationes.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Tulit ergo Deus hominem, et posuit eum in Paradisum voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum. GEN. II.

Vade, piger, ad formicam, et considera viam ejus, et disce sapientiam ; quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec Principem, parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe, quod comedat. PROV. VI, 6.

Non oderis laboriosa opera, et rusticationem creatam ab Altissimo. ECCL. VII, 16.

Qui congregat in messe, filius sapiens est ; qui autem stertit æstate, filius confusionis. PROV. X, 5.

Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua ; quia nescis, quid magis oriatur, hoc aut illud ; et si utrumque simul, melius erit. ECCL. XI, 6.

Rogamus vos, Fratres, ut abundetis magis, et operam detis, ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis ; et ut honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis. I Thess. IV, 10.

Necessitas.—Cum essemus apud vos, denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, non manducet. II Thess. III, 10.

Homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum. Job. V, 7.

Quia audisti vocem uxoris tuæ, maledicta terra in opere tuo ; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane. Gen. V, 17.

Quæ in juventute tua non congregasti, quomodo in senectute invenies? Eccl. XXV, 5.

Utilitas.— Egestatem operata est manus remissa ; manus autem fortium (id est, laborantium) divitias parat. Prov. X, 4.

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus ; qui autem sectatur otium, stultissimus est. Prov. XII, 11.

Manus fortium dominabitur ; quæ autem remissa est, tributis serviet. Ib. 24.

Vult, et non vult piger ; anima autem operantium impinguabitur. Prov. XIII, 4.

Labores manuum tuarum, quia manducabis ; beatus es, et bene tibi erit. Ps. CXXVII, 10.

Fratres mei dilecti, stabiles estote, et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. I Cor. XV, 58.

Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem. Eccl. LI, 35.

Dignitas. — Bonorum laborum gloriosus est fructus. Sap. III, 15.

Justum deduxit Dominus per vias rectas ; honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius. Sap. X, 10.

Jucunditas. — Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multum comedat ; saturitas autem divitis non sinit eum dormire. Eccl. I, 11.

Vita sibi sufficientis operarii condulcorabitur, et in ea inveniet thesaurum. Eccl. XL, 18.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. — Serius animus et prudens ad omnem se comparat laborem, nec in eo dissolvitur, sed per eum magis in seipsum colligitur, qui semper præ oculis habens non tam quod agit, quam quod agendo intendit, omnis consummationis attendit finem. S. Bern. *de Vita solit.*

Ad laborem cum veneris, sic temperabis opus agendum, ut sollicitudo operis intentionem animi tui ab iis, quæ Dei sunt, non avertat. Idem, *de Doctrin.*

Labor noster inanis, nisi manus Domini adjuvet. S. Hier. *sup. Gentes.*

In omnibus laboribus fructus semper pensandus est. S. Greg. XIII *Moral.*

Necessitas. — Qui in labore hominum non sunt, in labore profecto Dæmonum erunt. Idem. *sup. Cant.*

Deus posuit hominem ab laborandum, artusque ejus ad hoc effinxit. Idcirco otiosus ab ordine suo, et creatione deficit. S. Chrys. *in 2 ad Thess.* 3.

Qui nobis vires idoneas ad laborandum suppeditavit, in die Judicii parem quoque in laborando industriam reposcet. S. Basil. *in Reg.* 27.

Homo ad laborem nascitur, et avis ad volatum, quia inde mens ad summa volat, unde caro in infimis diutius laborat. S. Greg. l. VII *Mor.* c. VI.

Laborandum est ut victus paretur. S. Aug. *de Op. monach.*

Sine labore transire non possumus æstum hujus sæculi. S. Gregor. *in Registr.*

Homo ad laborem natus est; si refugit laborem, non facit id ad quod natus est. S. Bernard. *in Decl.*

Aliquod opus facito ut te Diabolus inveniat occupatum; non enim ab illo facile capitur qui bono vacat exercitio. S. Hier. *in serm.*

Utilitas. — Agnoscant homines, quod qui in laboribus hominum non sunt, visitari ab Angelis non merentur. Agnoscant quam placeat Superis civibus labor, cujus spiritualis intentio est. S. Bern. s. 3, *de Nativ.*

Labor carnalis, spiritus contritioni conjunctus, acceptissimum Deo sacrificium, dignumque sanctitatis habitaculum, puris, mundisque recessibus exhibebit. Cass. l. X. *Instit.* c. II.

Sancti viri, quot labores nunc veritati

commendantes exibent, tot jam remunerationis suæ pignora intra spei suæ cubiculum clausa tenent. S. Greg. *in Moral.*

Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur. S. Hier. *in Epist.*

Labor malos mores corrigit. S. Chrysost. *super Ps. Quis est homo.* 1.

Laborantibus finis dulcis est. Idem, *super Matth.* hom. 48.

EXEMPLA.

Qualitas. — Christus in laboribus fuit a juventute sua. Quod idem etiam confirmat S. Basilius dicens : Christus prima sua ætate parentum suorum imperio subjectus fuit, et labores corporis æquo cum ipsis animo, illis obediens, toleravit. Verisimile enim est, cum homines illi essent, et justitiæ, et pietatis cultores, tenues tamen, neque necessariis ad vivendum copiis satis instructi (quod ex præsepio intelligi potest, in quo venerabilis ille fœtus est fotus) solitos eos in assiduis corporis laboribus versari, et hac ratione quotidianum victum quæritare. Porro Jesus cum in his, ut divinæ litteræ prædicant, esset subjectus, sine dubio in perferendis etiam una cum ipsis laboribus morigeram declarabat suam obedientiam. S. Basil. *Const. mor.* cap. v.

De B. Virgine Christus S. Brigittæ dixit : Mater omne tempus suum tribus distinxit temporibus ; unum, quo laudavit Deum ore suo ; aliud, quo manibus ei serviebat ; tertium, quo corporis infirmitati compatiens, necessaria tribuit ei juxta modum. *In Revel. S. Brigit.* c. xxiii.

S. Paulus ipsemet de se fatetur, se argentum, aut aurum nullius concupiisse, sed ad ea, quæ sibi opus erant, manus suas ministravisse. Act. xx, 33.

S. Humbertus, licet jam fere decrepitus, ad ultimum usque vitæ suæ triduum, laboribus manualibus se exercebat, uti S. Bernardus testatur. S. Bern. *de ejus obitu.*

S. Franciscus Seraphicus, licet infirmæ admodum valetudinis, numquam sibi passus est a Fratribus ministrari, sed ipse suis manibus pavimentum purgavit, et laceras vestes refecit. Lanciz. opusc. xv, n. 54.

S. Ulmarus Abbas, monasterium ingressus in se recepit curam boves pascendi, et ligna ad Fratrum officinas portandi, et nocturnis horis, cum se fratres somno dedissent, omnium calceos purgandi. Surius, *in Junio.*

Paphnutius Presbyter nonagenarius vas aquæ, quam per totam hebdomadem erat sumpturus, suis cervicibus per quinque millia passuum portabat ad cellam, et numquam passus est sibi a junioribus deferri. Cassian. *Collat.* III, c. i.

S. Pachomius suis manibus serebat olera et irrigabat, atque circa prandii tempus mensam parabat, et Fratribus solita officia exhibebat. Rosweid, l. I, f. 121.

S. Bernardus in virtute Spiritus simul et totus quodammodo laborabat exterius, et totus interius vacabat, in altero pascens conscientiam, in altero devotionem. Laboris tempore et intus orabat, seu meditabatur absque intermissione exterioris laboris, et exterius laborabat absque jactura interioris suavitatis. (*Vita*, l. I, c. vii.) Et, ut alio in loco dicitur, ita sese fecerat omnium servum, ac si toti genitus foret orbi ; ita tamen liber ab omnibus, conscientiæ suæ curam gerens, tamquam soli deditus curæ et custodiæ cordis sui. Lib. III, c. vii.

Dorothæus Monachus quotidie lapides ad mare colligebat, annuatimque fabricabat hospitium pro ægrotis. Cumque aliquis illi diceret : Cur ita conficis corpus tuum ? Respondit : Quia illud me occidit. Sozomen. l. viii, c. i. *Tripart. Hist.*

Monachi Ægyptii, teste Cassiano, labore manuum incessanter se in cellulis exercebant, sed ita, ut Psalmorum quoque vel cæterarum Scripturarum meditatio numquam penitus omittatur. Cassian. l. III. *Inst.* c. ii.

Alphonsus Rex, cum a Mattheo Siculo eximiæ sanctitatis viro reprehensus fuisset, quod manibus laboraret, subridens respondit : Numquid Deus et natura Regibus frustra manus dederunt. Panorm. l. II. *de Reb. Alph.*

Christi Apostoli, cum prædicando Evangelium omne fere tempus absumerent ; quoties ab ejusmodi operibus requies contigisset, manibus aliquid operari solebant. Tarsensis Paulus, ubi classicum illud inflarat, quo pacto maximam humanarum gentium partem ad Christi signa convertit, funes texuit. Petrus Bar-Jona et Joannes Zebedæi filii medio apostolatu piscati sunt ; non quia non esset quod docere possent, aut non haberent quod utilius operarentur sed ut sibi concessum otium verterent in negotium,

satius esse rati aliquid agere, modo id quod ageretur, honeste fieret. SABEL. l. II.

Lucas Evangelista cœlestium rerum meditatione fatigatus, aliquid semper depingere solitus est; declarant hominis studium in eo genere tabulæ, quæ hodie haud uno loco visuntur, cum Deiparæ iconibus ipsius manu affabre figuratæ. Ibid.

Stephanus Anachoreta in eremo de palmis funes texuit. Majus tamen et severius Serapionis institutum, qui cum Abbas esset ita inter monachos comparavit, ut sibi quisque manu alimenta quæreret, si quid inde superesset, id egenis impertirent, iis præsertim, qui aut in vinculis jacerent, aut custodia tenerentur. Ibid.

Hilarius Abbas manuum labore victitavit, qui in monte Æmiliæ commorabatur atque ibidem suis impensis Ecclesiam construxerat; cum ergo corpus exercendo, animæ integritatem conservarit, et tandem cœlestem beatitudinem consecutus sit, apparet verissimum esse illud in Ecclesiastico scriptum : Via sibi sufficientis operarii conculcabitur, et in ea invenies thesaurum. MARRUL. l. III.

S. Elisabeth, quæ tam humilis vixit, quam clara est inter homines et illustris, regia fortuna, in qua orta fuerat, aut lanam carpere, aut texere, aut certe aliud serio operari ne per otium et quietem ullum sibi tempus elaberetur, nullam majorem jacturam arbitrata, quam temporis, in quo sita est villicationis ratio, quam Evangelica celebrat historia. Ibid.

UTILITAS. — B. Virgo Cistercienses Monachos, cum toto die in agro laborassent, in dormitorio dormientes invisere cum aliis duabus pedissequis conspecta est, vasculumque portans cellario id videnti dicere : Meos ego hodie Monachos in agro invisi, eorumque sudores in hoc vasculum collegi, quorum odor et mihi, et filio meo suavissimus afflatur, dignus utique suo præmio et mercede. *Spect. Exempl. ex* CIII; *et Lanciz*, op. XV, c. VI.

Alias Reinaldo vidente, ad Fratres in agro laborantes descendere, atque singulos amplexata et osculata, sudorem a frontibus abstergere dignata est. Ibid.

Sed et Cisterciensis Familiæ coquo, cum tota die labore culinæ ob hospites occupatus, noctu preces magnæ Matri persolvere vellet, sed ob urgentem somnum vix posset, adstitit, et his verbis allocuta est: Fili bone, satis tu quidem hactenus mihi fecisti, confer te nunc parum ad quietem. Ib. n. 70.

Idem etiam Hermano Monacho officium præstitit, dum eumdem, cum e lecto ad horam, quam nondum dixisse se meminerat, recitandam descendentem quiescere jussit, seque horam pro eo persoluturam spopondit. CÆSARIUS. b. VII, c. LII.

S. Arsenius postquam diu in monasterio vixisset, rogatus, in qua re maxime confideret? In eo, respondit, quod homines fugi, quod tacui, quod flevi, at in eo potissimum, quod manibus laboravi. LANCIZ. op. XV, n. 74.

Cum Menna Monachus, 59 annis in humilibus laboribus summa cum diligentia et alacritate ministrasset, tertia die post mortem suavissimus odor ex sepulchro exhalare compertus est; quare aperto loculo repertum est ex duobus pedibus velut fontibus suavissimum unguentum profluere. Quo viso Abbas ad fratres conversus : Videtis, inquit, ut fatigationem illius, ac laborum sudores quasi revera unguentum pretiosissimum oblati, susceptique a Deo sint. S. CLIM. grad. IV.

Cum eremita quidam aquam per duodecim millia passuum apportare solitus, constituisset, cellam fonti propiorem facere, Angelus ipsum sequens, vestigia numeravit; quem cum Eremita conversus quæsivisset, quis esset? Ille : Angelus sum, respondit, missus numerare vestigia tua, ut competentem suo tempore mercedem recipias. Quo audito senex adeo roboratus est, ut cellam remotiori longe in loco ædificaverit. ROSWEID. f. 589.

EXEMPLA DOMESTICA.

Cum Alphonsus Rodriquez aliquando quemdam patrem ad longiusculum spatium ascensuque difficile comitatus fuisset, B. Virgo medio in itinere eidem apparuit, et frontem illius sudantem candidissimo linteo abstersit. LANCIZ. op. XV. n. 15.

Simon Murarius P. Petro Scargæ, Rectori Collegii Vilnensis, totus splendidus, sed in manibus præcipue, apparuit, dixitque causam majoris splendoris, esse quod manibus illis specialiter pro Dei gloria laborasset. Ib. n. 10.

Vincentius Scortiglia, licet per triginta annos podagræ doloribus fuerit exercitatus,

domestica tamen munia et labores cum magna charitate obivit ; unde post mortem cum suavissimo concentu P. Julio Mancinello apparuit, et sequenti die inter cœlites conspectus est. Ib. n. 9.

Paulus Vergius, licet quatuor minoribus Ordinibus jam initiatus, abdicatis studiis ultro se domesticis servitiis addixit, et ex his graviorem semper abjectioremque laborem deposcit, dicere solitus, quo quis diutius in Societate vixisset, tanto minus de otio et quiete illi cogitandum esse ; et qui perseverare ac mori in Societate velit, illi laboribus immoriendum esse. *An.* 1603. *Col. Crumloviensi.*

Hubertus Vayemberg Lovaniensis laborem non minori voluptate, quam quietem, amplectebatur ; unde cum postea ob morbum in lecto hærere cogeretur, nihil ægrius ipsum habebat, quam quod laborare non posset. *Annuæ* 1612, fol. CCCLIX.

Leonardus Buechler summa semper animi quiete inter labores fruitus est, cui quieti pabulum pia inter labores commentatio subministravit, simulque omnes laborum molestias abstersit. *Annuæ* 1613. *C. Prov. Brem.* f. CLV.

EXEMPLA PROFANA.

Apelles numquam diem aliquem prætерlabi permisit, quin lineam duceret, artemque exerceret. Unde subducere se aliis negotiis solitus dixit : Hodie nullam lineam duxi. PLIN. l. V, c. XIII.

Severus Imperator tantus amator laborum fuit, ut, quo alios quoque ad laborem incitaret, Tribuno symbolum dari jusserit : Laboremus. JOS. LANGIUS, *in Polyant.*

Brachmanes Philosophi pueros impransos foras protrudebant, si nihil utilis operæ, vel parentibus, vel suis rebus necessariis dedissent. Ib. *V. eod.*

Parthi quoque liberis suis non ante præbebant victum, quam cursus, jaculandique certamine suscepto, sudore circa capita diffuso, fessi permaduissent. Ibid.

Rusticus quidam, ut filios suos ad laborem incitaret, moriturus iisdem dixit, se thesaurum in vinea sua reconditum ipsis relinquere, ac proinde, ut eum sollicite quærant, hortari ; unde illi totam postea vineam circumfodientes, thesaurum quidem non invenerunt, sed tamen ut effossa terra vites uberrimum fructum referrent, effecerunt. Ibid.

Demetrius qui Poliocertes cognominatus est, bellicas machinas et naves fabricare solitus est, cum a re bellica cujus fuit scientissimus vacaret ; pulchrius hic quam Æropus, Macedoniæ Rex, qui si quid otii nactus esset, ut id in negotium verteret, lucernas et parvos fabrefecit abacos, vile opus et ridiculum, præsertim in Rege, sed sic melius, quam si nihil fecisset. Nihil magna ingenia minus ferunt quam otium. SABEL, l. II.

Parthorum Reges ne desidia torpescerent, telorum cuspides acuere consuevisse traduntur, seduloque id facere, ut non solum animi oblectationem ex ea re sibi quærerent, sed et laudem. Ibid.

Cyrus Major mirifice est terræ cultu delectatus. Constat a Lacedæmonio hospite mortalium felicissimum judicatum, quod præter regnum, quod amplissimum illi fuit terram scientissime coleret. Ibid.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut non statim, postquam semen in terram conjectum fuit, frugem demetimus, sed messem multis mensibus cum magna patientia expectamus ; ita non decet a labore cessare, etsi non statim appareat fructus, quem sperabamus. ERASMUS, *in Simil.*

Sicut laborantibus manibus, nec oculus propterea clauditur, nec auris abstinet ab auditu ; sic, imo multo melius laborante corpore, mens quoque ipsa suo intenta sit operi, ut non vacet. S. BERN. s. IV, *de Alt. et bassit. cordis.*

NECESSITAS. — Sicut a cibo pendet tota vita cum suis actionibus et effectibus ; ita etiam a labore pendet, quidquid in rebus bonum est. PHILO, *in l. de Sacr. Abel.*

Sicut fructus non invenitur in arbore, in qua flos prius non apparuit ; sic in senectute fructus colligere non poterit, qui prius eosdem in juventute per laborem non comparavit S. CYPR. l. *de Abus.*

Sicut agrum, qui ad sementem paratur, scindi, occari, sartiri, et aliis modis coli oportet ; sic nos quoque, dum ad virtutem erudimur, nulla laborum patientia decet frangi. TRIVER. *in Apoph.* CX.

Sicut sine luce videre non possumus ; ita nec sine labore, virtutum actiones exercere,

cum labor perinde medius quasi sit inter mentem et bonum, quod desiderat, sicut lux inter objectum et oculum. PHILO, l. c.

UTILITAS. — Sicut plantæ mediocri aqua aluntur, immodica suffocantur; sic animus moderatis laboribus adjuvatur, immoderatis obruitur. PLUTARC. *in Moral.*

Sicut rosa flos gratissimus de spinis nascitur; sic e tristibus et asperis fructus laboris jucundissimus capitur. ERASMUS, *in Simil.*

MOTIVA.

Christi exemplum; qui in laboribus fuit a juventute sua; non autem decet servum meliorem esse domino suo.

Necessitas; quia, teste Horatio, nil sine magno vita labore dedit mortalibus, nec deinceps dabit. HORAT. l. a. *Sat.* IX.

Utilitas; quia Dii laboribus omnia vendunt, et non minus labor, quam pietas ad omnia utilis est.

Securitas; quia laborantem unus, otiosum innumeri oppugnant hostes.

Jucunditas; si enim agricolæ spes messis jucundum facit laborem; quid non efficiet spes præmii, et quidem tanti in cœlo accipiendi?

ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ Asceta de labore specialiter nosse debet. Quid ante laborem observare debeat, nempe ut in nomine Domini eamdem inchoet, id est, in gratia sit constitutus, propter Deum peragat, et auxilium divinum invocet; hos enim sensus patiuntur verba illa: In nomine Domini.

Alterum est, ut norit, quid sub labore observare debeat; scilicet ut diligenter, alacriter, et constanter eum peragat; hilarem enim datorem diligit Deus, et in Christianis non exordia laudantur, sed finis coronatur. Itaque sic laborare decet, et cum Christo dicere possit: Consummatum est.

Tertium est, ut pariter sciat, quid post laborem observare debeat, nempe, ut nihil suis viribus adscribat, gratias pro felici successu debitas persolvat, et omnem eventum Deo penitus relinquat.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Præceptor, tota nocte laborantes, nihil cepimus; » (LUC. V, 5) potest ostendi, qui in nocte laborent, nempe, 1. Ii, qui peccatis gravibus oneratam conscientiam habent; quamdiu enim in hoc statu manent, omni merito carent, atque adeo vani sunt eorum labores. 2. Qui prava intentione laborem peragunt; cum enim intentio sit oculus animæ, recte, qui bona intentione carent, in tenebris laborare dicuntur. 3. Qui sine invocatione divini auxilii laborant; cum enim sine hoc tam parum quis operari possit, quam homo in tenebris constitutus queat, etiam isti merito in tenebris ambulare dicuntur.

Ex occasione thematis: « Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem; »(ECCL. XV, 35) potest explicari triplex requies, quam sedulo et pie laborantes sibi comparant. 1. *Ante mortem;* nam et corporalem sibi conciliant, dum faciunt, ut somnus jucundior accidat, juxta illud Ecclesiastis: Dulcis est somnus operanti. (ECCL. V, 11.) Et spiritualem, dum per laborem otium, et cum eo vitia profligantes, quietam et securam conscientiam, quæ est quasi juge convivium, procurant. 2. *In morte;* quia, cum sciant, se per vitæ tempus sedulo laborasse, cum gaudio mortem, velut vesperem excipiunt, et denarium gloriæ pro labore diurno se accepturos sperant. 3. *Post mortem;* quia tunc implendum illud Apocalypsis sperabunt: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos. APOC. XIV, 13.

Ex occasione thematis: « In verbo tuo laxabo rete; » (LUC. III. 5.) ostendi potest, quomodo labor fructuose suscipi debeat. Nempe 1. si in *verbo Dei*, id est, juxta voluntatem et beneplacitum Dei suscipiatur. 2. Si rete *ad dextram* mittatur, id est, si labores per bonam intentionem ad ultimum finem dirigantur; hoc modo enim quæritur ante omnia Regnum Dei et justitia ejus, et merito speratur, quod reliqua adjicienda sint. 3. Si fructus laboris non nostris viribus, sed Deo adscribatur, dicaturque cum Davide: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam; sic enim gratiarum non cessabit cursus, si tam sincerus recursus fuerit.

Ex occasione thematis: « Labores manuum tuarum quia manducabis; beatus es, et bene tibi erit; »(PS. CXVII, 2.) potest ostendi, quod optimus modus se, suosque alendi sit labor. 1. Quia *efficacissimus* ad divitias

et opes obtinendas, uti Furius Crecinus docuit, qui cum labore suo magnas opes comparasset, veneficii accusatus apud Magistratum, filiam nubilem, et boves, et agriculturæ instrumenta secum adduxit, et hæc veneficii sui instrumenta esse dixit. 2. Quia *honestissimus* est ; dum proprio labore et conatu opes necessariæ comparantur. 3. *Securissimus ;* quia sic nullus clamare aut dicere cogitur, ne iste vel ille cibus appositus furtivus sit. 4. Quia *constantissimus* est ; cum hoc medium a nullo hoste auferri potest. 5. Quia *jucundissimus* est; quia sanitatem conservat, et cibos, somnum, totamque vitam dulcem et suavem efficit ; bonam quoque conscientiam concilians, verificari facit illud Salomonis proverbium : Melior est bucella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio (malæ conscientiæ). Prov. xvii, 1.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Non male laboris efficaciam descripsit, qui dixit :

Labor omnia vincit
Improbus, et duris urgens in rebus egestas,
Vigil. I *Georg.*

Cum S. Gertrudis pro quadam persona illitterata, et per officii sui curas ab oratione non modice impedita oraret, tale a Domino accepit responsum : Ego non elegi eam ad hoc tantum, ut hora una mihi serviat, sed magis ad hoc, ut integra die mihi adsit, id est, ut omnia opera sua continue ad laudem mihi perficiat ea intentione, qua vellet orare. Et insuper hanc superaddat devotionem, ut scilicet in omnibus operibus, quibus in officio suo laborat, semper desideret, quod omnes, qui utuntur laboribus suis, non solum reficiantur in corpore, sed etiam attrahantur in Spiritu ad amorem meum, et confortentur in omni bono. Et hoc quotiescumque facit, toties quasi singula fercula operum et laborum suorum quadam saporissima salsa mihi condire videntur. *Insin.* l. III, c. lxxiv.

S. Clara de Monte Falco dixit, se velle libenter occupari in vilissimis monasteri officiis, eo quod experiretur, orationem non perdi in talibus officiis, sed augeri. *Vit.* p. II, c. xxvii.

Necessitas. — S. Brigittæ dixit Christus : In spirituali vita, qui perfectus esse desiderat, debet prius esse Martha laborando in honorem meum corporaliter. l. VI, *Rev.* c. lxv.

Cato Romanus neminem in Civem Romanum admittebat, quin prius manus illius contrectaret, quas si molles ac teneras deprehendebat, ut effeminatum rejiciebat ; si vero duras et asperas, ut dignum jure Civitatis admittebat. Engelgr. p. II. *Luc. Ev.*

Recte et vere cecinit Claudianus :

Non quisquam fruitur veris odoribus,
Hyblæos latebris nec spoliat favos,
Si fronti caveat, si timeat rubos,
Armat spina rosas, mela tegunt apes,
Herculem duri celebrant labores.
Claudianus, *in nuptiis Honorii.*

Utilitas. — S. Ignatius de quodam Fratre murario dixit : Quot ponebat lateres in muro, quoties tundebat eos suo malleo ; quoties calcem apponebat, tot sibi ponebat coronas in cœlo. Lanciz. opusc. xi, n. 8.

P. Hieronymus Natalis dicebat, se duobus tantum hominum generibus in Statu Religioso invidere : primo Novitiis, qui nulli alteri rei præterquam uni suo in spiritu profectui vacant, et intendunt ; deinde Fratribus domestica officia obeuntibus, quod liberam et exorneratam studiis et curis mentem habeant ad die tota orationi intendendum. Ib. n. 10.

Christus dixit S. Gertrudi : In Resurrectione futura, quando corpus hoc mortale induet incorruptionem, tunc singula membra humana recipient singula præmia meritorum, pro singulis laboribus et exercitationibus, in meo nomine et pro meo amore peractis. L. III, *Insinuat.* c. lxix.

Alias, cum procuratori Claustri compatiens rogaret Christum, ut ipsi suos labores compensaret, responsum hoc accepit : Corpus illius, quod toties talibus laboribus pro me lassescit, est mihi quoddam thesaurarium, in quo tot drachmas argenteas repono, quoties ipse aliquod membrum movet ad necessaria sibi commissis acquirenda ; et cor ipsius est mihi quasi arca, in qua tot aureas drachmas reconditas mihi habere gaudeo, quot ipse cogitationibus instigatur, sollicite subditis providere ad laudem meam. Ibid.

S. Bernardus cuidam Fratri sternue laboranti dixit : Eia, Frater, perge sic laborare, quia nullum post hanc vitam Purgatorium habebis. Cantip. l. I. *Apum.* c. v.

Dignitas. — Alexander Magnus dicere solebat, regium esse laborare ; servile otio et luxui vacare. Panorm. lib. IX, *de Gest Alph.*

S. Gertrudi dixit Christus : Sicut præpotens aliquis Imperator non solum gaudet habere in palatio suo delicatas, ornatasque puellas, sed etiam constituit, et ordinat principes ac duces, militesque, ac alios ministros, diversis operibus aptos, qui semper parati sint ad negotia ejus peragenda ; ita et ego non solum delector in deliciis eorum, qui divinæ contemplationis quietem, me trahente, sequuntur, verum etiam allicior ad manendum cum filiis hominum, dum ipsi quælibet exercitia vilium negotiorum mei honoris, et amoris causa suscipiunt. L. III, *Insinuat* c. LXIX.

AUCTORES.

Nicolaus Lancizius, opusc. 15, c. II, III, et seqq.

Henricus Engelgrave, in p. II. *Lucis Evangel. in Dom. septuag.*

Josephus Langius, *in Polyanthœa.* V. eodem.

Laurentius Beirlinck, *in Theat. vit. hum.* V. eodem.

LACRYMÆ.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Sunt humor excrementitius sero similis, in cerebro, venisque oculorum latens, et forti compressione dictarum venarum expressus. *Juxta commun. Phil. explicattionem.*

DIVISIO. — Dividitur in *naturales* et *pias ;* illæ sunt, quæ ex naturali aliqua causa exortæ, ad naturalem quoque finem ordinantur ; istæ, quæ ex supernaturali aliquo motivo eliciuntur, similemque ad finem diriguntur. Cujus quatuor species assignat S. Gregorius sequentibus verbis : Quatuor sunt qualitates, quibus justi viri anima compunctione vehementi afficitur, cum aut malorum suorum reminiscitur, considerans, ubi fuit ; aut judiciorum Dei sententiam metuens, et secum quærens considerat, ubi erit ; aut cum mala vitæ præsentis attendens considerat, ubi est ; aut cum bona supernæ patriæ contemplatur, quæ, quia necdum aspicitur, lugens considerat, ubi non est. Verum hoc loco de prima potissimum specie sermo erit, nempe de lacrymis, quibus peccata deflentur. S. GREG. l. XXIII *Mor.* c. XXI.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS.— Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum. JER. IX, 1.

Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Ps. VI, 7.

Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete. LUC. XXIII, 28.

Deus, vitam meam annuntiavi tibi ; posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. Ps. LV, 9.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Ps. CXVIII, 136.

Convertimini ad me in toto corde vestro, in flectu et planctu. JOEL. II, 12.

Deducant oculi mei lacrymam per diem ac noctem, et non taceant, quoniam contritione magna contrita est virgo filia populi mei, plaga pessima vehementer. JER. XIV, 17.

UTILITAS. — Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino. TOB. XII, 12.

Contribulasti capita draconum in aquis. Ps. LXXIII, 13.

Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii. ECCL. VII, 3.

Beati, qui lugent ; quoniam ipsi consolabuntur. MATTH. V, 5.

Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Ps. CXXV, 5.

Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum. Ps. LXXXIII, 7.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Irriguum superius accipit anima, cum se lacrymis Regni cœlestis desiderio affligit ; irriguum vero inferius accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit. S. GREG. *in Regist.*

Uniuscujusque mens tantum pœnitendo compunctionis suæ bibit lacrymas, quantum se a Deo meminit amisisse per culpas. Idem, *in Pastor.*

Sterilis est omnis effusio lacrymarum, quæ non effunditur propter Regnum cœlorum. B. PETRUS CELLENS. *de Panib.* c. XII.

Deus delinquentium gemitus esurit, sitit lacrymas peccatorum. S. Chrysost. s. xciii.

Religiosa tristitia aut alienum peccatum luget, aut proprium. S. Leo *ap. Beirl.* t. IV, *in Festo omn. SS.*

Tantum peccatum lugeamus, omnia vero alia, sive paupertas, sive morbus, sive mors intempestiva, sive calumnia, sive exagitemur ab aliis, sive quodcumque aliud mali genus nobis acciderit, infracto animo feramus. S. Chrys. s. *de Dormient.*

Ex piis affectibus quædam flendi voluptas et plerumque graves lacrymas evaporat dolor. S. Amb. *de Obitu Val.*

Lacrymæ infantium, testes nostræ miseriæ S. August. hom. x.

Lugentes sunt aliqui, sed si ex corde procederent lacrymæ, non tam cito solverentur in risum. S. Bernard. *de Adv. Dom.* ser. iv.

Utilitas. — Multus peccati ignis est, et modica lacryma illum extinguit. Idem l. V. *de Pœn.*

Quanta vis in lacrymis peccatorum! Rigant cœlum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam divina promulgatione sententiam. Idem s. xciii.

Dicam tibi, quid valeant lacrymæ. Martyres sanguinem fundunt, peccatores lacrymas fundunt. Meretrix illa non fudit sanguinem, sed fontes lacrymarum profudit, et delevit peccata sua. Idem, in Ps. l.

O aqua salutaris, per quam omne peccatum destruitur! O felix lavacrum, quod toties valet ad purgandum, quoties purgandum indiget cor humanum! S. Aug. l. xi, *ad FF.*

Est et baptismus aliquis in lacrymarum assiduitate; et quoniam baptismi Sacramentum iterari non licet, qui sæpe in multis offendimus, frequenti oportet ablutione suppleri. S. Ber. s. i, *in oct. Pasch.*

Vim facimus Domino non compellendo, sed flendo; non provocando injuriis, sed lacrymis exorando. S. Amr. l. V, *in Luc.* c. v.

Oratio Deum lenit, sed lacryma cogit. S. Hier. c. xxxviii, *in Is.*

O lacryma humilis, tua est potentia, tuum regnum, tribunal Judicis non vereris, inimicorum tuorum accusationibus silentium imponis. Quid plura? vincis invincibilem, ligas Omnipotentem. S. Amb. *sup. Luc.* l. c.

O felix diluvium! O felices lacrymas, quæ animum dolentem levant, et peccatorem imo tartaro infixum sublevant in sublime. S. Greg. Nazian. orat. iii.

Mutatur ordo rerum, pluviam terræ dat cœlum semper; ecce nunc rigat terra cœlum, imo super cœlos, et usque ad ipsum Dominum imber humanarum prosilit lacrymarum, ut juxta Psalmistam, et de aquis fletuum cantetur illud: Et aquæ omnes quæ supra cœlos sunt, laudent nomen Domini. S. Chrys. ser. xciii *de Magd.*

O lacryma mentem purgans, intentionem fecundans, confessionem irrigans, animam sanctificans. Hæc est lacryma sancta compunctionis soror, quæ motus illicitos extinguit, Paradisum aperit, infernum claudit. Hæc est herba cœlestis illius Fullonis, qua vestes servorum suorum deturpatas, a sorde quotidie purgat. S. Aug. *ad FF. in Eremo.*

Multis consolationi sunt lacrymæ, et ex parte maxima magnitudinem doloris minuunt, dolor siquidem speciem ignis gerit, qui dum plus tegitur plus ignescit. S. Chrys. *super Matth.*

Sicut per vehementes imbres, aer mundus ac purus efficitur; ita et post lacrymarum pluvias, serenitas mentis sequitur atque tranquillitas. S. Hier. *in Epist.*

Vincit lacryma invincibilem, ligat Omnipotentem, inclinat Virginis filium.

Jucunditas. — Dulciores sunt lacrymæ orantis, quam gaudia theatrorum. S. Aug. *in Psal.* cxxvii.

Lacrymæ pœnitentium, vinum sunt Angelorum. S. Bern. *apud Engelg.* p. II, *emb.* xxiv.

Nihil est porro his lacrymis jucundius; quovis risu sunt hæ jucundiores. Sciunt, qui lugent, quantam hæc res habeat voluptatem. S. Chrys. hom. xii, *in Ep. ad Colos.*

Deliciæ Angelorum sunt lacrymæ nostræ, et delectabiles lacrymæ pœnitentis. S. Bern. *in s.*

Viderant Paradisum isti oculi, viderant tertium cœlum; sed eos non tam censeo beatos propter hoc spectaculum, quam propter lacrymas, per quas viderunt Christum. S. Chrys. hom. xii, *Ep. Colos.*

EXEMPLA.

Qualitas. — Christus non solum super Jerusalem et Lazarum, sed etiam in cruce cum clamore valido et lacrymis preces Deo Patri pro nobis obtulit (Hebr. v, 7). Imo sunt aliqui, teste Drexelio, qui putant, eum

numquam sine lacrymis orasse. Unde S. Chrysostomus dixit : Flentem Christum frequenter invenies, numquam verò ridentem. S. Chrys. hom. ix, *in Matth.*

S. Job de se ipso fatetur : Ad Deum stillat oculus meus. Job. xvi, 21.

De S. Petro testatur Ambrosius, dicens : Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego ; non invenio, quid dixerit, sed quod fleverit. Imo, juxta alios, tanta assiduitate deflevit negationem Christi a se factam, ut sulci a lacrymis facti in vultu apparerent. (S. Amb. *sup. Luc.*) Unde S. Leo has lacrymas extollens ait : Sancte Apostole, lacrymæ tuæ ad diluendam culpam negationis, virtutem habuere sacri Baptismatis. S. Leo, s. ix *de Pas.*

S. Paulus de se ipso testatur : Per triennium nocte et die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum. (Act. xx). Unde S. Chrysos. ait : Ex quo fonte tanta emanarunt fluenta, ut ex illius oculis lacrymæ ? Quemnam fontem vis comparare cum his lacrymis ? Eumne, qui est in Paradiso, qui rigat universam terram ? Sed nihil dicis æquale.

S. Hieronymus quoque de se fatetur : Mens desideriis æstuabat in frigido corpore, et ante hominem suum, jam carne præmortua, sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus ad Jesum confugiebam, pedes rigabam lacrymis. Memini me clamantem, diem crebro junxisse cum nocte, donec rediret animo tranquillitas. S. Hier. ep. ix, *ad Eustoch.*

B. Aloysius Bertrandus assiduo flebat, et interrogatus dicebat : Cur non fleam amarissime, cum non certo sciam, an æternæ salutis compos sim futurus ? *Ejus vita*, c. iv.

Arsenius Abbas sine intermissione lacrymabatur, eo quod tamdiu a cœlestis Patriæ ingressu suspendi se videret. Fab. conc. vii, *in Dom. 3 post Pasch.*

Sanctus Bernardus dicebat : Firmum est mihi propositum numquam ridendi, quousque audiam ex ore Dei illa verba : Venite, benedicti ! Neque a fletu desinam, donec liber sim ab illa sententia : Ite, maledicti, in ignem æternum ! Fab. conc. iv, *in Festo S. Magdal.* n. 5.

De Eustochii matre Paula scribit Sanctus Hieronymus : In ea fontes crederes lacrymarum, ita levia peccata plangebat, ut eam crederes gravissimorum criminum ream. Cumque a nobis crebrius moneretur, ut parceret oculis : Turpanda, respondebat, est facies, quam contra Dei præceptum purpurissa et cerussa, et stibio sæpe depinxi ; affligendum corpus, quod multis vacavit deliciis ; longus risus perpeti compensandus est fletu. S. Hier. *in ep. ad Eustoch.*

Sanctus Franciscus, cum ob assiduitatem lacrymarum visum hebetaret, ideoque moneretur, ut oculis parceret, respondit, haud tanti se facere functiones sensuum, ut eorum causa velit languescere devotæ mentis vigorem, qui suspiriis alitur, et per lacrymas sibi accessum ad Deum parat. S. Bonav. c. i, *Vit.*

Elisæus videns Azaelem coram se cœpit flere, propter mala, quæ ille facturus filiis Israel, cum esset futurus Rex Syriæ. Reg. viii.

Cum audisset Josias, Rex Juda, comminationes scriptas in libro legis Domini propter peccata, scidit vestimenta sua et flevit, et multum Deo placuit. Reg. xxii.

Judæi ex captivitate Babylonica reversi cum librum legis ab Esdra Sacerdote lectum audivissent, ob transgressiones suas plorabant. II Esdræ viii.

Cum audisset Nehemias miserabilem statum Jerosolymorum flevit diebus multis et jejunavit et oravit ante faciem Dei cœli. Nehem. i.

Postquam Petrus tertio Christum negasset et Christus misericordiæ suæ oculis respexisset, egressus foras flevit amare. Luc. xxii

S. Dominicus, Fratrum Prædicatorum Antistes, optabat se totum impendere salutis proximorum, tum se revera Christi fore membrum existimans, si ejus se exemplo animabus lucrandis prorsus manciparet. Plenum erat sanctissimis affectionibus pectus ejus, atque erga omnia tum prospera, tum adversa proximorum mira pietate movebatur, pauperum penuria et miserorum calamitatibus torquebatur, atque in primis pereuntium animarum zelo mire angebatur, et mente sauciebatur. Ita nimirum instar prophetæ Domini peccata hominum et afflictorum miserias contemplans æstuabat animo intrinsecus, et flens largissime, latentem commiserationis affectum per lacrymas prodebat foris. Hanc excellentissimam charitatis gratiam specialiter habebat a Deo donatam, flendi scilicet pro peccatoribus et miseris atque afflictis omnibus condolendi ; sed quantum illi angoris et mæroris erga calamitosos condolentia, tantum profectus

piorum hominum, quibus mire gratulabatur, ceu quædam pigmenta odorifera eum consolabantur. Inter hæc quæ sursum sunt, quærens, agebatur in Deum homo divinus gloriam sanctorum contemplans et ad illam veram patriam anhelans lugebat profuse diuturnum sui exilii incolatum. F. Theodoric. *de Apol. l. vitæ ejus*, c. IV.

Utilitas. — S. Antonius, cum Monachi illius aqua indigerent, vix primam pro ea impetranda lacrymam fudit, et mox in ipso orationis loco fons ebulliens erupit. S. Atha. *in Vit.*

Cum Raymundus Capuanus, confessarius S. Catharinæ Senensis, ab ea peteret, ut bullam plenariæ Indulgentiæ a Deo impetraret, et illa facturam se hoc recepisset, ipsoque opere præstitisset, sequenti die Raymundus cum ea de ingratitudine colloquio instituto, tantam vim lacrymarum profudit, ut periculum fuerit, ne cor et pectus rumperetur. Tum virgo : Hæc, inquit, est bulla Indulgentiæ, quam tibi Dominus misit ; esto igitur gratus gratiæ Dei. *Vita S. Cathar. Sen.*

S. Mamertes, ubi urbem Viennensem in Gallia flammis accensam vidit, monuit assiduo, aqua potius occulorum, quam fluminum restinguendam. Engel. h. l. XXIV, p. 2.

Dum S. Maria Magdalena Dominicos pedes lacrymis lavat, crinibus tergit, in peccatricis caput purgandis criminibus refluebat unda, ut suo fonte mulier in novum baptisma suorum dilueret illuviem peccatorum, ut Sanctus Chrysostomus loquitur. ser. XCIII.

Parisiis cum juvenis quidam nefanda, quæ commiserat, crimina confiteri erubesceret, imo ob nimiam contritionem intercepta voce non posset, ideoque scripto porrigeret, Confessarius obstupescens gravitatem criminum dixit : Non suffiicio solus tibi dare consilium ; si per te licet, conferam cum Abbate meo. Verum dum Abbati schedam porrigit, omnia peccata deleta vidit. Cæs. l. II *Apum*, c. II.

Cum Frater quidam ex ordine Cisterciensi assiduo peccata sua defleret, tandem nocte quadam vidit Christum sacris vestibus indutum, et Sacrificium offerentem ; sed cum ad populum se vertens nihil aliud, quam calicem, in quo lacrymæ Sanctæ Magdalenæ in domo Simonis fusæ asservabantur, ostenderet, et Frater causam hujus ostensionis quæreret, respondit Christus, se hoc fecisse, ut sciant omnes, quantum placeat cordis contritio ; atque ideo etiam ad exemplum pœnitentium tamdiu lacrymas hujus peccatricis servasse. *Lib. de Virg. illust. Ordin. Cisterc.*

Illustre exemplum de virtute lacrymarum, ex Anastasiæ Sinaitæ oratione in Psalm. 6, extat. Fuit latronum princeps quidam in Traciæ partibus, crudelis, qui omnia itinera obsidebat ; quem cum capere multi conarentur, idque fuit ad Mauritium Imperatorem delatum, per quemdam adolescentem ei nuntiat, sua cuique servanda et custodienda. Latro reveritus Imperatoris sermonem, divina quadam vi urgente, abjecto prædatorio animo, cum lenitate oviculæ in morem descendit criminaque confitens, ad pedes Imperatoris accedit. Post paucos dies in febrim incidit, et decumbit in valetudinario, quod Samsonis dicebatur. Hinc vini etiam potu usus, phrenesi insuper correptus est ; sed paulo post factus sobrius et ad se insuper reversus est ; ut vidit se premi morbo, ingruente jam nocte, ad Deum se convertit, cum lacrymis sua scelera confitens, eorumque veniam petens, multis verbis, et lacrymis ad pluras horas. Lacrymas autem sudario abstergebat donec tandem spiritum efflavit. Medicus autem quidam primarius hospitalem domum visitare solitus, vidit domi suæ in somnis ea ipsa hora, qua latro vivere desiit, Æthiopes multos ad latronis lectum accedentes cum plurimis chartis, in quibus peccata ejus descripta erant, et post eos duos lucidos Angelos forma virili. Sumpta vero trutina cum Æthiopes illi latroni chirographa omnia, in lancem unam immisissent, mox ea depressa est, vacuaque altera in altum sublata. Dicunt itaque duo lucis Angeli : Siccine nos nihil hic habemus? Tum eorum alter : Et quid habemus, cum nondum decimus dies sit, postquam sedes latronumque latibula reliquit? Quid autem ex hoc quærimus? Ut vero hæc dixerunt, visi sunt manu vestigare aliquid, ac quærere in lecto ejus, si forte et ipsi boni aliquid invenirent. Cum alter autem strophiolum illud invenisset, quo latro fletum absterserat, ad socium ait : Hoc profecto lacrymarum ipsius strophiolum fuit. Mittamus illud in alteram lancem una cum Dei benignitate ; et omnino aliquid tandem erit. Quo facto, depressa est vacua et levis lanx, dissipatis omnibus omnino, atque dispersis

chirographis. Ad quæ Angeli una voce exclamaverunt : « Eia, vicit Domini benignitas ! » arreptaque latronis anima, secum eam duxerunt ; Æthiopes autem illi pudore suffisi effugerunt. Hæc ubi vidit medicus, quam primum evigilavit, ad hospitale currit. Ubi ad lectum latronis accedens reperit quidem calens etiamnum corpus, sed animam ad Dominum demigrasse. Strophiolum autem lacrymis plenum super oculos ejus jacebat. Mox etiam ex iis, qui in propinquo jacebant, didicit criminum confessionem, quam Deo latro fecerat. Rapto itaque strophiolo ad Imperatorem contendit, ostendens illi, ac edisserens, tum quæ in somnis viderat, tum quæ a decumbentibus audierat. Henric. Sommalius, *in Annot. ad* c. xxiv, *Paradi animæ.*

Pii fletus pro alio quanta vis sit, testatur Monica D. Augustini mater, cui pro filio Manichæa hæresi implicato multum lugenti atque oranti divinitus dictum est, ubi ipsa esset, ibi et illum futurum. Ab Episcopo etiam, quem ut pro illo oraret, cum fletu rogaverat, audivit, fieri non posse, ut tantarum lacrymarum filius periret. Qui tandem Ambrosii Episcopi prædicatione conversus, non solum errorem omnem abjecit, sed etiam errantibus viam veritatis monstravit, obscura quæque declarando, dubia edisserendo, certa confirmando, prava falsaque omnia plenissime confutando, tantum profecit matris pro filio lugentis assidua sollicitudo. Ex lib. III. *Conf. D. Aug.* c. xii.

EXEMPLA PROFANA.

Heraclitus Philosophus ad omnem hominum occursum flevisse dicitur ; dolebat enim, nihil sani esse in hac vita, nihil in homine non caducum, fluxum et peribile. Laert. l. V, c. i.

Princeps quidam, nomine Trisous, cum esset in subditos crudelis, ideoque ab illis timeretur, omne in primis illis inter se colloquium interdixit. Quare ipsi per nutus confabulari cœperunt; quod cum similiter prohibuisset, cives in foro considentes lacrymas una ciere incœperunt. Cum autem hoc sibi in majorem cessurum perniciem crederet Trisous, ideoque id prohibiturus in forum descenderet, a lacrymantibus jugulatus est. Ælian. l. XIV. *Hist.*

Seneca de seipso dixit : Cur fleam, scio, nempe ob meipsum ; nondum reperi, cur rideam. Senec. *in Consolat. ad Polyb.*

SIMILITUDINES.

Qualitas.—Sicut hydria, si liquore plena fuerit, subito revoluta, liquorem fundit ; sic pium cor lacrymarum plenum, ex subita peccati compunctione, quasi a summo ad imum revolvitur, et lacrymas uberes profundit. Stapl. tom. I. *in Dom.* 9 *post Pentec.*

Sicut vapores calore solis rarefacti ad cœlos ascendunt; ita lacrymæ a charitate Dei velut cœlestis Solis radiis calefactæ, in cœlum levantur. Pineda, *in* c. xxvi. *Job.*

Utilitas. — Sicut post vehementes imbres mundus ac purus aer efficitur; ita etiam lacrymarum pluvias serenitas mentis sequitur, atque tranquillitas, omnisque illa de peccatorum tenebris offusa caligo dissolvitur. S. Chrys. hom. vi. *in Marc.*

Sicut aquæ diluvii aquam elevaverunt a terra in sublime; ita animus in limo profundi et luto peccatorum defixus, extollitur exundantia lacrymarum. Engelgrav. p. 2. *Embl.* 24. § 3.

Sicut nummus in pelvi aqua plena melius cernitur; sic peccata cujusque in lacrymis, et per lacrymas multo evidentius apparent. Stapl. t. I. *in Dom.* 9 *post Pent.*

Sicut manifestatio injuriarum amico facta minuit sensum doloris; sic lacrymæ ob apprehensas afflictiones fusæ, molestum naturæ sensum. Lanciz. opusc. 9 n. ccxxvi.

Necessitas. — Sicut aquæ inopia non modo aridum, sed et sordidum facit, dum non est, quo laveris; sic et humanum cor lacrymas nesciens, non modo durum, sed et impurum esse necesse est. S. Bern. *S. de Nim. Fallac. vit.*

Sicut cum domus incendio flagrat, qui eam volunt eripere, ad aquas confugiunt; ita cujus anima cupiditatum flammis accenditur, ad pœnitentiæ lacrymas confugiat, oportet. Stapl. loco citato.

MOTIVA.

Æquitas. Si enim faciem corporis tui, inquit D. Chysostomus, quotidie abluis, ne qua forte macula faciei inhærens fœde appareat; quanto magis animæ cura habenda, et quotidie lacrymis abluenda est. S. Chrys. hom. xxi. *in Gen.*

Necessitas. Si enim ii, qui gravibus mor-

bis subjecti sunt, tam sollicite acidulas bibunt, aut thermas, aut aquas distillatas usurpant; quanto magis ad curandos animæ morbos saluberrima hæc aqua lacrymarum sedulo usurpanda erit?

Utilitas. Ut enim ille qui se in natatoria Siloe lavit, a cæcitate corporis curatus est; ita qui se in lacrymis lavant, oculos mentis sibi aperiri advertent. STAPL. l. c.

Jucunditas. Si enim jam olim dixit Poeta, est quædam flere voluptas; quanto magis de spiritualibus lacrymis mentem serenantibus magna quæpiam voluptas sperari poterit. S. Hieronymus de seipso testatur, quod nonnumquam post lacrymas Angelicis interesse choris sibi visus sit. Idem.

ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ Asceta de hac materia bene nosse, et observare debet. Primum est, etsi interdum donum lacrymarum sit specialis quædam et extraordinaria gratia, majoribus Dei amicis concessa, extra hunc casum fere imperfectionis cujusdam indicium esse, uti Christus ipsemet quondam Sanctæ Catharinæ Senensi sequentibus verbis dixit: Quando homo privatur consolatione sua extra vel intra, videlicet intus consolatione mea, vel extra mediante creatura, sive superveniente diabolica tentatione, vel hominum persecutione, cor inde pœnam habet, oculos vero, qui sentit amaritudinem atque dolorem cordis, effundit illico lacrymas ex quodam tenero gemitu, quo sibimetipsi compatitur amore proprio atque naturali, quia voluntas propria totaliter abnegata et concultata non est. Et ita lacrymæ sensuales effunduntur, videlicet ex passione naturali, quarum tibi supra narravi plenius imperfectionem. (S. CATH. SEN. *Dial.* XXIX.) Hinc B. Henrico Susoni ob linguarum maledicentiam adversus se exercitam flenti, dixit Christus: Proh pudor! visne in feminæ morem lacrymari? Certe tibi ipsi apud omnes cœli Cives ignominiæ notam inures. Terge oculos, et hilarem vultum exhibe, ut neque Deus, neque homines animadvertant, afflictionis causa te plorare. *Vita* l. XLVII.

Alterum est, ut cognoscat, etsi ab externis lacrymis, ut paulo ante dictum, omni studio abstinendum sit, internas tamen cuivis homini salutis suæ studioso summe necessarias, atque adeo continuo fovendas esse, id quod aliqui Christum indicasse volunt, dum dixit: Nisi efficiamini sicut parvuli (qui plus lacrymis, quam robore virium obtinent) non intrabitis in Regnum cœlorum. MATTH. XVIII, 3.

Tertium est, ut bene cognoscat causas lacrymandi, quales quidem variæ assignantur. 1. *Peccata propria*, ut quæ merito primum inter lacrymandi causas locum obtinere debent. 2. *Peccata aliena;* id quod perfectorum proprium est, qui, teste S. Gregorio, tanto sciunt de alienis damnis ingemiscere, quanto jam edocti sunt non dolere de suis. Quamvis et aliis hæc causa negligenda non sit, cum, ut idem Sanctus ait: Aliena plangentes sæpe plus nobis ipsis subvenimus, quia apud Deum perfecte diluit propria, qui pure plangit aliena (S. GREG. XXII *Mor.* c. XXVI.) 3. *Dei cultus neglectus;* ob quam causam B. Jacoponus assido lacrymabatur, eo quod amor non amaretur. 4. *Passio Christi;* de qua causa sic Divus Cyprianus loquitur: Vide quomodo his, qui Christi commemorant Passionem, inter sacra officia quasi per quosdam canales de interioribus fontibus egrediantur torrentes; anima hic se fletibus abluit, et lacrymis se baptizat. Quam vero utilis, Deoque grata sit hæc lacrymarum effusio, testatur in primis Sanctus Augustinus dicens: Magis meretur, vel unam solum lacrymam emittens ob memoriam Passionis Christi, quam si usque ad Terram Promissionis peregrinaretur. S. AUG. *apud Engel. in Dom. Quinquàg.* Deinde confirmat idipsum Ludolphus de Saxonia his verbis: Si quis dolores Christi revolvendo lacrymas ex compassione effuderit, tanti ponderis ac momenti apud Deum erunt, ac si Martyr inter supplicia eas profunderet. 5. *Dilatio cœlestis gloriæ;* sic Sanctus David gemebat, dicens: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! Et S. Arsenius perpetuo flebat ob desiderium cœlestis Patriæ.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Quis dabit capiti meo aquam? » (JER. IX. 1) possunt lacrymæ aquis pretiosis distillatis comparari. Et 1. earum excellentia ostendi *ob modum et instrumenta* ad distillandum adhibita; nam fornax est cor, ignis charitas, herbæ motiva ad lacrymas incitantia. 2. *Ob effectum;* quia hæ sordes animi abluunt, morbosque animæ curant, imo et a manifesto æternæ mortis periculo liberant. 4. *Ob odoris suavitatem;*

quo non modo ipse pœnitens, sed etiam Deus et Sancti mirifice delectantur.

Ex occasione thematis : « Nisi efficiamini sicut parvuli , non intrabitis in Regnum cœlorum, » (Matth. xi, 3) potest cum Sancto Chrysologo dici Christum hac sententia ad lacrymas incitare voluisse, eo quod sicut viri robur suum habent in lacertis, ita parvuli in lacrymis. Unde 1. cogunt lacrymis ad miserationem, veniamque ob delicta concedendam. 2. Ad dona, quæ desiderant, impetranda. 3. Ad pericula et mala, quæ illis occurunt, ab iis propulsanda. Quæ omnia, quomodo per lacrymas pias multo copiosius obtineantur, facile potest ex hactenus dictis demonstrari.

MISCELLANEA.

Utilitas. — Cervos aiunt, quantumcumque fatigentur a canibus, pristinas vires recipere, si aquis se immergant; sed et medicis familiare est, lassata membra balneorum fomentis restituere. Sed multo magis lacrymæ confortant, et recreant in via iniquitatis lassatos. Beirl. tom. IV. *in Festo S. Magdalenæ.*

Cum Henricus Imperator Trojam, urbem Apuliæ obsideret, ac civium injuriis lacessitus juraret, se nec parvulis veniam daturum, cives puerile agmen, præeunte Cruce ex urbe dimiserunt, qui lacrymis suis Imperatorem ad misericordiam et veniam promoverunt. Raderus, *in aula S. Theod.*

Cum Antipater Alexandro Magno graves calumnias de matre scripsisset, Rex lectis litteris : Ignorat, inquit, Antipater unam matris lacrymam, multarum calumniarum epistolas esse deleturam. Engelgrav. *Emb.* xxiv. § 3.

S. Chrysostomus narrat, servos quosdam fugitivos, pedes ferrea catena colligatos, ejusmodi aquis immergere, in quibus ferrum adeo mollescat, ut saxo confringi compedes queant. Talis aqua lacrymæ sunt. S. Chrys. hom. 9 *ad Pop.*

Sedatur lacrymis, egeriturque dolor,

Non male canit Poeta. Ovid. l. III. *de Ponto.* eleg. I.

Et S. Chrysostomus : Fletus compressus disrumpit, effusus relevat. S. Chyst. hom. xviii. *ad Pop.*

AUCTORES.

Henricus Engelg. p. 2. *Luc. Evangel. embl.* xxiv..

Nicolaus Lanciz. opusc. ix. c. vi. n. 225.

Mathias Fab. conc. vii. *in Dom.* 3 *post Pascha*, et conc. iii. ac. ii. *in Dom.* 9 *post Pent.* Item conc. iv. *in festo S. Mariæ Magdalenæ.*

Thomas Stapletonus, text. i. *in Dom.* 9 *post Pent.* et text. i. *in Dom.* 4 *post Pascha.*

Jeremias Drexel. p. 2. *de Christo moriente*, cap. viii § 2.

Laurentius Beirlinck, text. iv. *in festo S. Magdalenæ.*

Ludovicus Granatensis, *in Locis Commun.* fol. 660.

Josephus Langius, *in Polyanthœa V*, eodem.

LAUS.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.—Est juxta Aristotelem, sermo elucidans virtutis magnitudinem. (Aristot. *l. Rhet.*) Vel, ut alii volunt, vox populi recta de aliquo loquentis, unde a Græco nomine, ἀπὸ τοῦ λαοῦ dictum volunt.

Divisio.—Dividitur 1. in *veram* et *falsam.* Illa est, quæ ex virtute et operibus honestis oritur; de qua Salomon dixit : Date ei de fructu manuum suarum et laudent eam in portis (id est, locis publicis) opera ejus. (Prov. xxxi, 31.) Ista est, quæ ex alio quocumque titulo minus honesto oritur; de qua Isaias dixit : Populo meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant. Isaiæ, c. iii, 12.

Divitur 2. in *propriam* et *alienam ;* illa est, qua quis seipsum ob propria facta laudat; ista est, qua quis alienas dotes aut facta collaudat; de utraque vero locutus est Salomon dicens : Laudet te alienus, et non os tuum; extraneus, et non labia tua. Prov. xxvii, 2.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua. Eccl. xliv, 1.

Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudes eorum nuntiet Ecclesia. Ibid. 15.

Ante mortem ne laudes quemquam ; quoniam in filiis (id est, operibus bonis, ut Rabanus explicat) cognoscitur vir. Ibid. c. XI, 30.

Ante sermonem non laudes virum ; hæc enim tentatio est hominum. Ib. c. XXVII, 8.

Quomodo probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum; sic probatur homo ore laudantis. PROV. XXVII, 21.

Tunc laus erit unicuique a Deo. I COR. IV, 5.

Laudabuntur omnes recti corde. PS. LXIII. 11.

Non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. II COR. X, 18.

Memoria justi cum laudibus, et nomen impiorum putrescet. PROV. X, 7.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Laus humana non appeti a sapiente, sed subsequi debet sapientem, et recte facientem, ut illi proficiant, qui etiam imitari possunt, quod laudant. S. AUG. *de Serm. Dom. in monte.*

Securitas laudis in laude Dei est, ubi laudator securus est; ubi non timet, ne de laudato erubescat. Idem, *in Ps.*

Bonum laudare, non laudato, sed laudantibus prodest. Idem, *in Joan.*

Non hujus laudis vires sentit, nisi qui ei bellum indixerit ; quia etsi cuique facile est laude carere, dum negatur, difficile est ea non delectari, dum offertur. Idem, *ad Diosc.*

Esse humilem, est nolle laudari in se. Qui ergo in se laudari appetit, superbus esse convincitur. Idem, *in Psal.* V.

Quis dives possit hic sine trepidatione laudari, qui et de præterito meminit se habere, quod doleat; et de futuro videt sibi superesse, quod timeat. S. AMBR. *in Natal. S. Euseb.*

Plures in hoc ipso placere cupiunt, quod contemnunt, et mirum in modum laus, dum vitatur, appetitur. S. HIER. *in Epist.*

Sæpe bono operi, dum laus humana obviat, mentem operantis immutat, quæ, quamvis quæsita non fuerit, tamen oblata delectat. S. GREG. *in Moral.*

Laus sua justos cruciat, iniquos exultat; sed justos, dum cruciat, purgat; iniquos, dum lætificat, reprobos monstrat. Ibidem.

Gloriosis gratiora sunt præconia, quam tributa; quia stipendium et Tyranno impenditur, laudis autem prædicatio non nisi bono Principi debetur. CASSIOD. l. 2. *epist.*

Odium, quo apes fumum prosequuntur, significat, eos, qui Deo mellificant, re nulla æque offendi, quam humanarum laudum fumo. S. HIER. *ad Cœl.*

Si vere laudabilis esse cupis, laudes hominum non requiras; quia quamvis alicui sit facile laudem non curare, dum negatur; est tamen difficile non delectari, cum offertur. S. GREG. XXII *Moral.*

Valde perfectorum est, sic ostento opere gloriam quærere auctoris, ut illata laude nesciat privata exultatione gaudere. S. BERN. *in serm.*

Non recti plane sed perversi animi est laudem quærere, et non exercere virtutem, et velle coronari, qui non legitime certaverit. S. CHRYS.

Laudes humanæ simul apparent et evanescunt. S. AUG. tr. VI, *super Ep. B. Joan.*

Laus a conscientia non a vulgo æstimanda est. Ibidem.

Laus est in bonitate causæ non in pœnæ acerbitate. Idem, *super Ps.* XXXVIII.

UTILITAS. — Præcipuum beneficium est, in rebus honestis laudari. Laus enim parit æmulationem, æmulatio virtutem, virtus felicitatem, quæ finis est omnium, quæ desiderantur, et quo omnis viri boni motus refertur. S. GREG. NAZIANZ. *in serm.*

Justum est, ut bene gerentibus laudis tribuatur assensus. Nam si equorum cursus clamoribus incitatur hominum, et insonantium manibus agitatur, quantum inde homines stimulari posse credimus, quos ad laudis aviditatem singulariter incendimus? CASSIOD. l. I, *Epist.*

Injustus audita laude sua polluitur, justus purgatur; pavet enim, si talis Deo non ostenditur, qualis ab hominibus putatur. S. GREG. XXII *Mor.* c. IX.

DAMNUM. — Cum per accepta bona reprobi in sua laude se elevant, ipsis muneribus contra largientem pugnant; inde quippe contra dantem superbiunt, unde ei amplius humiles esse debuerunt. S. GREG. l. I *Mor.*

Qui inchoatæ virtutis ab humano honore laudem receperit, quasi plantati ligni fructus ante tempus comedit. Ibid.

Cum pro recto opere laus transitoria quæ-

ritur, æterna retributione res digna vili pretio venumdatur. Ibid.

Quisquis se apud homines jactat, et ita venditat bona opera sua, ut finem eorumdem operum in laudem hominum ponat, eamdemque laudem quasi mercedem computet, operum suorum, necdum Christi servus est. S. Ans. *apud Lanc.* op. VIII, c. X, n. LXXX.

Ne requiramus laudes aliorum, hoc enim Domino injuria est; si, tamquam non sufficiat ad nos laudandum, eo omisso ad servos festinemus. S. Chrys. hom. XII, *in* I *Cor.*

Si te ipse laudaveris, nequaquam laudaberis a Deo; ita e regione si te ipsum quasi miserum lugeas, numquam te ille prædicare cessabit. Ibid. hom. III, *in Matth.*

Qui laudari vult, Domine, de tuo dono, et non quærit in illo tuam gloriam, sed suam, hic, licet propter donum tuum laudetur ab hominibus, a te tamen vituperatur, quia de dono tuo suam, non tuam gloriam quæsivit. Qui autem ab hominibus laudatur, vituperante te, non defendetur ab hominibus, judicante te, nec liberabitur, condemnante te. S. Aug. *in Medit.*

Si laudibus erigimur, vituperationibus humiliamur. S. Greg. *in Reg.*

Extrema dementia est, nulla iminente necessitate rerum et necessitate violenta propriis laudibus velle decorari, non est secundum Dei loqui judicium, est potius infamiæ; hoc enim nobis omnem mercedem evacuat. S. Chrys. *de Laud. Paul.* hom. V.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Magnam habet cordis tranquillitatem, qui nec laudes curat, nec vituperia. Lib. II, c. VI, § 2.

Non sanctior, si laudaris; nec vilior, si vituperaris. Ibid. § VIII.

Quomodo potest erigi vaniloquio, cujus cor in veritate subjectum est Deo? Non eum totus mundus eriget, quem veritas subjecit; nec omnium laudantium ore movebitur, qui totam spem suam in Deo firmavit. Lib. III, c. XIV, §. 4.

EXEMPLA.

Fuga.—S. Augustinus cuipiam scribebat: Non mihi placet, cum a charissimis meis talis esse existimor, qualis non sum. Profecto enim non me, sed per me alium sub meo nomine diligunt, si non, quod sum, sed quod non sum, diligunt. S. Aug. ep. VII. Et alteri: Quod de nobis tam bene existimas, ut fideles Dei servos nos esse credas, idque ipsum in nobis corde purissimo diligas, gratulandum potius tuæ benevolentiæ, quam tibi gratiæ agendæ sunt; tibi enim prodest, ipsam diligere bonitatem, quam profecto diligit, qui eum diligit, quem credit bonum, sive ille talis sit, sive non. Quapropter tibi de hac re gratulandum est. Quales autem nos simus, quantumque in Deum promoverimus, ipse viderit, cujus non solum de homine bono, sed homine ipso non potest errare judicium. Gratias vero tibi uberes agimus, quod nos, cum laudas tamquam tales simus, mirabiliter hortaris, ut tales esse cupiamus. Epist. CXXI.

S. Julianus renuebat, propalam se vivente propalari, draconem a se signo Crucis interfectum esse: Hæc enim, inquiebat, celanda sunt, quæ ad arrogantiam et fastum incitant. Sed si ego hinc excessero, et ab ejusmodi animi perturbationibus fuero liberatus, non veto, quo minus dicas, et narres vim divinæ gratiæ. Theodor. s. II, *Rel. Hist.*

S. Marcianus, quamvis magna posset facere, et faceret miracula, studebat tamen celare virtutem, prædonis virtutis suspectas habens machinas. Ibid.

Vide plura infra, tit. *Vana gloria.*

Joannes, Zebedæi filius, fuit longe expers hujus vani affectus, id cum omnis ejus vita facile demonstrat; tum quod bis septennos annos de suo in cœlum raptu mortales celavit omnes, nec prius id arcanum detexit, quam Corinthios commonefacere coactus est, ne sibi non veros Apostolos præferrent, prava opinione decepti. Sabel. l. X.

Antonius abbas non misit oleum salutare, quin Marciano Præfecto militum opem filiæ, quæ a Dæmonio vexabatur, implorante, negavit a se, quia peccator esset, oportere auxilium sperari; iret et salutem puellæ a Christo, qui Deus esset, precaretur; precatus ille est, et confestim puella immundo spiritu est soluta. Magna Antonii demissio, sed Præfecti militum fides major, curatio præsentissima. Ibid.

Laudabatur a quodam impensius Gregorius, Romanorum Pontifex, visusque est sibi ea laudatione non ornari, sed graviter onerari. Precare, inquit, hospes Deum, ut fiam aliquando iis dignus. Ibid.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut aurum et argentum igne explorantur; sic vir ore laudantium probatur. Prov. xvii.

Sicut non oportet titillare eos, qui natura sua ad risum proclives sunt; ita non oportet laudare eos, qui laudis suapte sponte sunt appetentiores. Plutarc. *in Mor.*

Sicut crescente vel decrescente umbra, corpus, cujus est umbra, nec crescit, nec decrescit; ita nec melior fit quisquam, dum vulgo laudatur; nec item pejor, dum vituperatur. Plin. *in Lamia.*

Sicut difficile est, in taberna aromatibus referta nullo odore imbui; ita difficile quoque est, laudes suas audire, nec delectari iisdem. Thriverus, *Apoph.* cxv.

Sicut qui vehementi laborat fame, si aliud, quod edat, non habet, proprios artus aggreditur; ita, qui laudis cupidus est, si alii laudatores desint, seipsum laudare incipit. Plut. *in Mor.*

Utilitas. — Sicut, cum segetes creverunt, optatur ventus, quo grana turgescant, et grandiora fiant; ita solidam virtutem juvat laus, ut animus justi ad ejus pulchritudinem magis accendatur. Staplet. text. *in Dom.* xii, *post Pent.*

Sicut lunæ lumen a sole mutuatum, licet obscurum sit, quatenus tamen inferiora illuminat; sic proximorum facta, si laudentur, etsi tenuia sint, aliquantum tamen ad virtutem excitant. Ibid.

Damnum. — Sicut is, qui relicto magno theatro Regis, parvum rusticorum eligeret, grandem ei injuriam faceret; sic qui in conspectu Dei certantes, inde sibi hominum famam quærunt, majori omisso theatro, minoris cupiditate, magnum sibi supplicium accersunt, S. Chrys. hom. xii, *in* 1, *Cor.*

Sicut thesaurus manifestus minuitur; ita et virtus deperit publicata. Ruff. *in vita PP.* l. III, n. 114.

Sicut cera a facie ignis solvitur; ita et anima per laudem resoluta, perit ab intentione sua. Ibid.

ASCETICA.

Quatuor sunt præcipua, quæ de laude specialiter nosse et observare debet Asceta. Primum est, ut, quantum est de se, ex animo laudem contemnat humanam. Quid enim, ut recte S. Chrysostomus advertit, damni accipit homo, si homines contemnant, et universus orbis terrarum, quando Dominus Angelorum eum laudat, et prædicat? Quemadmodum si ipse non benedicat, etsi omnes laudant, qui terram et mare habitant, ei nihil prodest. Dicat ergo in omnibus operibus suis ad Deum cum Epicuro: Hæc ego non multis, sed tibi; satis enim magnum alter alteri theatrum sumus. S. Chrys. *in Psal.* v.

Alterum est, ut fundamentum, cur laudes humanæ spernendæ sint, bene apprehendat; quod quidem bene assignasse videtur S. Augustinus, dum dixit: Remotis obstaculis vanæ opinionis opera nuda inspiciantur, fallacia et tegmina, et vanæ laudes et gloria auferantur, et apparebunt miseriæ peccatorum. (S. Aug. l. III, *de Civ. Dei.*) Et paulo clarius S. Gregorius: Electorum animus magno laudum suarum igne cruciatur, atque ab omni torporis sui rubigine mœrore cogitationis excoquitur; cauta enim consideratione trepidat, ne aut de his, de quibus laudatur, et non sunt, majus Dei judicium inveniat; aut de his, de quibus laudatur, et sunt, competens præmium perdat. (S. Greg. xxii *Mor.* c. ix.) Unde prudenter suadet Drexelius, in cunctis Dei operibus duo consideranda esse, utilitatem et dignitatem, et hanc quidem Deo relinquendam, illam homini concedendam, sicuti pictores semper subscribunt: *Appelles, Protogenes pingebat*, et utilitatem imaginis aliis relinquunt.

Tertium est, ut, quo remotior sit ab omni vanæ laudis quærendæ periculo, opera sua, quantum potest, occultare studeat; nam ut Sanctus Gregorius recte dixit: Qui in itinere deprædari formidat, abscondat, necesse est, bona, quæ portat. (Ibid. l. viii *Mor.* c. xxx.) Imo hoc Christianæ Religionis signum est, teste Sancto Macario, ut, qui Deo probatus est, homines celare cupiat, etsi vel universos Regis thesauros possideat, illos occultare velit, ac ubique fateri, inquiens: Thesaurus meus non est, sed alius illum apud me deposuit; ego enim mendicus sum, et, cum volet ille, repetet a me. S. Macarius, *apud Lanciz.* opusc. iii, n. 80.

Quartum est, ut, ubi justa causa id exigit, non horreat sua bona opera manifestare; nam, ut S. Gregorius recte ait: Qui necessitate cogente, vera de se bona loquitur, tanto magis humilitati jungitur, quanto et veritati sociatur. (S. Greg. xxvi *Mor.* c. ii.)

Imo S. Chrysostomus ait: Quemadmodum suas virtutes recitare, extremæ videtur dementiæ, si nulla superest necessitas; ita necessitate violenter incumbente, propellenteque, proditio est, ea tacere, quæ quis studiose perfecit. (S. Chrys. *in illud S. Pauli: Utinam sustineretis.*) Porro causas, cur aliquis hoc facere possit, S. Thomas sequentibus verbis indicat: Ut aliquis ab aliis cognoscatur, potest appeti, quantum est utile ad aliquid; vel ad hoc, quod Deus ab hominibus glorificetur; vel ad hoc, quod homines proficiant ex bono, quod in alio cognoscunt; vel ad hoc, quod ipse homo ex bonis, quæ in se cognoscit, per testimonium laudis alienæ, studeat in eis perseverare, et ad meliora proficere; et secundum hoc laudabile est, quod aliquis curam habeat de bono nomine, et quod provideat bona coram Deo et hominibus, non tamquam in hominum laude inaniter delectetur. (S. Thom. II, II, q. CXXXII, art. 1.) Hinc S. Augustinus explicans illud Christi: Cavete facere justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis, ait: Numquid voluit hoc dicere, ut, quæcumque bona facimus, abscondamus ab oculis hominum, et timeamus videri? Si times spectatores, non habebis imitatores. Debes ergo videri, sed non ad hoc debes facere, ut videaris. Noli ad laudem tuam operari bonum, quod agis, sed ad laudem illius, a quo habes, ut bonum agas. S. Aug. tr. VIII, in ep. I. *Joan.*

MISCELLANEA.

Fuga. — Prudenter suasit Persius:

Respue, quod non es, tollat sua munera, Cerdo.
Tecum habita, et noris, quam sit tibi curta supellex.

Persius IV.

Et iterum:

Usque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
At pulchrum est digito monstrari, et dici: Hic est.

Idem. I.

Quid stultius est, inquit Seneca, quam in homine aliena laudare? Quid eo dementius, qui ea miratur, quæ ad alium transferri protinus possunt? Nemo gloriari, nisi de suo debet. Seneca, ep. XXXXI.

Bonum est laudari, sed præstantius est esse laudabilem. Neminem cito laudaveris; neminem cito accusaveris. Vitium est, omnia credere, vitium est, nihil credere. Idem, l. *de Mor.*

Temistocles theatrum petens, interrogatus, cujus vocem libentius audiret? respondit, ejus, a quo sua virtus prædicaretur. Erasmus l. III, c. XXXVI.

Antagenes dicebat, ita vivendum esse hominibus, ut vivi laudabiles sint, mortui autem beati judicentur. Antag. *in Melissa*, p. I, s. LI.

Idem, cum audisset, quantum ab hominibus laudaretur, dixit: Cum multi me laudant, tum me nullius pretii esse judico; cum pauci, bonum et egregium virum me esse puto. Idem.

Agesilaus dicebat, sibi jucundum esse laudari ab his, qui et vituperare non vererentur, si quid displicuisset. Tales enim, si quid laudant, judicio laudant, non metu, aut adulatione. Idem dicebat, non minus laudatoris inspiciendos esse mores, quam ejus, qui laudatur, significans, raro contingere, ut quis alia laudet, quam quæ moribus suis conformia sunt. Plut. *in Lacon.*

Antisthenes audiens ab improbis quibusdam se laudatum: Vereor, inquit, ne imprudens mali quid fecerim, sentiens a talibus neminem laudari, nisi ob insignia malefacta. Laert. l. VI, c. I.

AUCTORES.

Nicolaus Lancizius, opusc. VIII, c. X.

Ludovicus Granatensis, *in Locis Communibus*, fol. 584.

Thomas Stapletonus, text. I, *in Dom.* XII, *post Pent.*

Jeremias Drexelius, *in Amussi*, l. II. c. IV et V.

Josephus Langius, *in Polyanthæa* V. eodem.

LECTIO SPIRITUALIS.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Describitur Lectio Spiritualis ab Alvarez hoc modo: «Lectio Spiritualis est cum S. Scripturarum paginas, aut Sanctorum Doctorum libros evolvimus, non solum ut sciamus, sed ut Spiritu proficiamus, et Dei voluntatem intelligentes, eam opere exequamur. »(Jac. Alvar. tom. I, l. II, p. iv, c. xxxi.) Et iterum alibi : « Spiritualem, inquit, Lectionem vocamus, qua mysticos libros, et spirituales tractatus evolvimus, in quibus non solam rerum spiritualium notitiam, sed multo magis earum gustum et affectum quærimus. » (Idem tom. II l. III, p. v, sec. 2, c. ii.) Porro quid sit sapor et gustus spiritualis, Julius Nigronus in tractatu de Lectione Spiritualis ic explicat: Sapor iste non est aliud, quam qualitas seu perfectio supernaturalis, quæ in rebus spiritualibus delitescit, et a spirituali palato percipitur. (*Nigronus* tr. V. *Asetic.* c. iii, n. 8.) Quam Guilielmus Parisiensis duplicem assignat. Alteram in intellectu sublimato, quam divinæ bonitatis sapor ac suavitas perfundit; quemadmodum pulchritudo spectata delectat oculum, quoniam omnem operationem cujusvis potentiæ in objecto congruente occupatæ delectatio comitatur tamquam perfectio. Alteram declarationem ponit in voluntate et appellat delectationem affectionis et amoris. Etenim ex eo, quod oculus pulchritudinem aspexit, oritur in affectu amor ejusdem, et sapor seu gustus delectationis in illa. Pari modo in Lectione Sacra ex eo, quod intellectus percipit res, sensa, sententias, promissiones divinas, et alias suavitates, quas sapores dicimus, voluntas ad amorem excitatur, ipseque amor delectat, quoniam jucundum est amare, ut S. Augustinus et Aristoteles testantur, cum quotidiana experientia. At hæc delectatio gustus spiritualis dicitur, sapor, et amoris affectus, ad quem S. David invitavit, dum dixit : « Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.

Divisio. — Dividitur hæc Lectio a Nigrono et aliis in *præceptivam*, *exemplarem*, et *affectivam*. *Præceptivam* vocant, qua doctrinæ et dicta Sanctorum ad disciplinam nostram pertinentia evolvuntur. *Exemplaris* est, qua gesta et exempla Sanctorum perleguntur. *Affectiva* est, qua voluntas tum ad præcepta, persuadetur, tum ad exempla, quæ lecta sunt, observanda et imitanda. Ibid. l. c. iii. n. 7.

Idem Nigronus alio adhuc modo. Lectionem in ordinariam et extraordinariam dividit ; et *ordinariam* quidem vocat, cui quotidie certum tempus impenditur ; *extraordinariam* vero appellat, quæ præter ordinariam in certis occasionibus et temporibus instituitur, et diutius continuatur, uti fit, cum secessus octiduanus aut semestris collectio suscipitur, cum gravis aliqua tentatio simile remedium exigit, et cum Festis diebus ob vacationem a laboribus plus otii ad lectionem conceditur, quæ Lectio, ait Nigronus, fructuosior videtur, tum quia attentius et accuratius libri leguntur sine sollicitudine aliarum occupationum ; tum quia Deus pro more suo, per Climacum observato, plus gratia sua illis diebus, quos sibi cultuique suo dedicavit, affecturus et laborem hunc spiritualem benedicturus videatur.

EX S. SCRIPTURA.

Lectionis usus. — Attende lectioni, exhortationi et doctrinæ. Noli negligere gratiam, quæ in te est per occasionem legendi a Deo oblatam I. Tim. c. iv, 13.

Verbum Christi habitet in vobis abundanter. Coloss. c. iii, 16.

Ipsi (scilicet auctores et libri) docebunt te, loquentur tibi, et de corde suo proferent eloquia. Job. c. viii, 10.

Intravit in Synagogam, et surrexit legere, et traditus est illi liber, et revolvit librum. Luc. c. iv, 26.

Necessitas. — Erudire, Jerusalem, ne forte recedat anima mea a te, ne forte ponam te terram desertam. Quæ verba Turrecremata ad animam devotam et Lectionem Spiritualem applicat. Jer. c. vi, 8.

Utilitas. — Interpretabatur (Christus) illis in omnibus Scripturis, et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum. Luc. c. xxv, 28.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. Ps. xi, 101.

Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. Ib. 130.

Habemus firmiorem propheticum sermo-

nem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, et Lucifer oriatur in cordibus vestris. II Petri, c. I, 19.

Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum. 2. Tim. III. 16.

Sacras litteras nosti, quæ possunt te instruere ad salutem. Id. 15.

Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere. Joan. c. V. 12.

Jucunditas. — Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Psal. CXVIII. 113.

Accipe librum, et devora illum, et faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel. Et accepi librum de manu Angeli, et devoravi illum, et erat in ore meo tamquam mel dulce. Apoc. c. X. 9.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

S. Scripturæ Commendatio. — Sacrarum litterarum lectio donat in Deum cognitionem; scriptum est enim : « Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus. » Audis, frater, quod Dei scientiam accipiat, qui simplici, veroque corde divinis vacat Scripturis; idcirco, mi frater, vide, ne negligas animam tuam, sed Lectioni sedulo incumbe, ut mens tua illuminetur, fiasque perfectus et integer, in nullo deficiens. S. Euphr. *de Patient.*

Nihil animarum saluti conducibilius, quam divinas Scripturas scrutari. Quemadmodum enim lignum plantatum secus decursus aquarum; ita etiam anima divinæ Scripturæ fluentis irrigata saginatur, fructumque tempestivum, hoc est, rectam fidem profert, ac perpetuo virentibus foliis, id est, Deo gratis actionibus exornatur. S. Joan. Damas. l. IV. *Orth. Fid.* c. XVIII.

Ubique in eis veritas regnat, ubique divina virtus irradiat, ubique panduntur humano generi profutura. Cassiod. *de Div. Lect.* c. XVI.

Numquam de manu tua, et oculis tuis recedat liber. Ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis. S. Hier. *ad Rust.*

Non solum thesauro similia sunt divina eloquia, sed fonti quoque largis, perennibusque scaturienti fluentis etc. Hæc spiritualium fluminum natura est, ut hoc magis scaturiant, et accrescat spiritualis gratia, quo quis magis inde haurire studet. S. Chrys. hom. III. *in Gen.*

Est sacra pagina sapientiæ Verbi speculum, et divinitatis armarium. Quis non Dei miretur sapientiam, cum tot mysteriorum sacramenta, tot veritates sub litteræ cortice esse videt contenta? S. Laur. Just. c. XIX. *de Cast. Connub.*

Est autem Scriptura cor Dei, os Dei, lingua Dei, calamus Dei; liber scriptus intus et foris, unde in Psalmo dicitur : « Eructavit cor meum verbum bonum, dico ergo opera mea Regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. » Cor Deus, os Pater, lingua Filius, calamus Spiritus Sanctus. S. Greg. l. II *Mor.* c. I.

Qui ignarus est, inveniet ibi, quod discat. Qui contumax est et peccator, inveniet ibi futuri judicii flagella, quæ timeat. Qui laborat, inveniet ibi glorias et promissiones vitæ perpetuæ, quas manducando amplius excitetur ad opus. Qui pusillanimis est et infirmus, inveniet ibi mediocres justitiæ cibos, qui etsi pinguem animum non faciunt, tamen mori non permittunt. Qui magnanimus est et fidelis, inveniet ibi spirituales escas continentioris vitæ, quæ perducunt eum prope ad Angelorum naturam. Auct. Op. Imp. hom. XIV.

Ingens bonum est, divinarum Scripturarum Lectio. Hæc facit animam optimis moribus præditam. Hæc in cœlum mentem transfert. Hæc memorem reddit beneficii hominem. Hæc facit, ne quidquam ex rebus præsentibus admiremur, sed ut perpetuo in alia vita, mente nostra versemur, et ad Domini mercedem respicientes, omnia operemur, alacritateque magna virtutum labores aggrediamur. S. Chrys. hom. LV. *in Gen.*

Habet infans, quid lactet; puer, quid laudet; adolescens, quid corrigat; juvenis, quid sequatur; senior, quid precetur. Hinc discant feminæ pudicitiam; populi pietatem; viduæ judicem; pauperes protectionem. Hæc tristem consolantur; lætum temperant, iratum mitigant, omnibus se suspicientibus apta medicamenta tribuunt. S. Hier. *in Psalm.*

Sicut vitrum et speculum est Sacra Scriptura, in cujus splendore nativitatis nostræ vultum debemus considerare. Vultus nativi-

tatis nostræ est, unde nati sumus, quales et ad quid; *Unde nati*, quantum ad vilitatem materiæ; *quales*, quantum ad fragilitatem substantiæ; *ad quid*, quantum ad dignitatem gloriæ, in qua si factores verbi fuerimus ex vicinitate veri Solis lucebimus. In speculo sacræ doctrinæ ista tria reperiuntur. De vilitate materiæ, Geneseos tertio: « Cinis es, et in cinerem reverteris. » De fragilitate substantiæ, Psalmista ait: « Anni mei, sicut aranea meditabuntur. Quid araneæ tela fragilius, quid vita hominis corruptibilius? In hoc speculo miser homo, cum nativitatis suæ vultum considerat, scilicet qualiter natus, quam fragilis, quam vilis, vel quid futurus aliquando, compunctionem et pœnitendi voluntatem contrahit. S. Anton. Pad. *Dom.* 5 *post Pasch.*

Commenda Scripturas ratione principii, si enim consideras principium, habet privilegium super omnes, quia aliæ sunt traditæ per rationem humanam, sacra autem Scriptura est Divina. 2. Petri 1. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Job. 32. *Inspiratio Dei dat intelligentiam.* S. Thom. *in* II. *Tim.* c. III. 16.

Nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit, quandoquidem membra ejus id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt. Quidquid enim ille de suis factis ac dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis, tamquam suis manibus imperavit. S. Aug. l. I. *de Consens. Evang.* c. XXXV.

Jure itaque Sacra Biblia definiens Summus Ecclesiæ Pastor Gregorius, eas vocat Epistolam Dei viventis ad creaturas missam. Et Augustinus: Litteræ, inquit, quæ de civitate cœlesti nobis venerunt, ipsæ sunt Scripturæ. Easdem divinæ sapientiæ fontes, puteumque aquæ salientis in vitam æternam, censet Philo Carpatius. Alioqui enim, unde tantum auctoritatis et dignitatis culmen toto orbe obtinuissent, tot linguæ, tot gentes, tot ætates pro divinis oraculis illas suscepissent, in his totius salutis proram, puppimque collocassent, easque hæreticis ut muros aheneos opposuissent, ac pro illarum veritate tot subiissent martyria? Quis unquam pro Socratis, Platonis, vel Aristotelis summorum Philosophorum placitis, ad ignes, ad bestias, ad cruces usque decertavit? Idem. *in Præf. Gloss. ord.*

Divinas Scripturas sæpius lege, imo numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur, in Scripturis divinis, per quas solas potes plane Dei intelligere voluntatem, prohiberi quædam, præcipi quædam, concedi aliqua, suaderi nonnulla, prohibentur mala, præcipiuntur bona, conceduntur media, suadentur perfecta. S. Greg. *in Moral.*

Omnem scientiam atque doctrinam Sacra Scriptura transcendit, ut taceam, quod vera prædicat, quod ad cœlestem patriam invitat, quod a terrenis desideriis cor legentis revocat, quod dictis obscuriores fortes exercet, et parvulis humili sermone blanditur. Nec igitur clausa est, ut pavesci debeat, nec si patet ut vilescat, sed usu fastidium tollit, et tanto plus diligitur quanto amplius meditatur. Idem.

In Scripturis ignorans invenit quid dicat, contumax quid timeat, laborans præmia, pusillanimis mediocres justitiæ cibos, qui etsi pinguem non faciunt, animam mori tamen non permittunt. Qui autem magni est animi invenit ibi spirituales escas, quæ perducunt eum prope ad Angelorum naturam; qui vero est vulneratus a Diabolo, invenit ibi cibos medicinales et salutem per pœnitentiam. S. Chrys. *super Matth.* c. XXIV.

Utilitas Lectionis. — Lectionis sacræ cognitio, cultoribus suis sensus acumen ministrat, intellectum multiplicat, torporem excutit, otium amovet, vitam componit, mores corrigit, salubrem gemitum facit, et lacrymas compuncto corde producit, loquendi tribuit facundiam, æterna laborantibus promittit præmia, spirituales divitias auget, vaniloquium, vanitatesque compescit, et desiderium Christi, patriæque cœlestis accendit. Smarag. Abb. c. IV. *Reg. S. Bern.*

Ibi sentimus quantum proficimus. Narrat autem gesta Sanctorum, et ad imitationem corda provocat infimorum; dumque illorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia, debilia nostra confirmat, fitque verbis illius, ut eo mens minus inter certamina trepidet, quo ante se positos tot virorum fortium triumphos videt. Nonnumquam vero non solum nobis eorum virtutes asserit, sed etiam casus innotescit, ut et in victoria fortium, quid imitando arripere, et rursus videamus in lapsibus, quid debeamus timere. S. Greg. l. II *Mor.* c. I,

Discurre Scripturarum amœnissimos campos, lege tamquam apis, et reconde in alveolo memoriæ suavissimi odoris flores, castitatis lilium, olivam charitatis, patientiæ

rosam, uvas spiritualium charismatum. Petr. Cellensis, l. III. epist. xii.

Perspicuum est, Spirituali Lectione animam sanctificari, et gratiam Spiritus Sancti affatim infundi. S. Chrys. hom. xxxi. *in Joan.*

Qui sacrorum studiosus librorum, jure etiam dici potest amator Christi, secundum quod dictum est a Domino : « Qui diligit me, sermones meos servat ; et qui diligit me, diligetur a Patre meo. Idem, hom. *de Pseudoproph.*

Ubicumque verbum Dei legitur, ibi Spiritus Sanctus occulte operatur, qui malos de peccato redarguit, et bonos per spem et consolationem Scripturarum confortat, ut amplius proficiant. Thom. Kemp. *Op. de Discip.* c. i.

Non mediocriter solet illustrare, et colligere mentem lectio, verba enim Spiritus Sancti sunt, et lectores omnino dirigunt et moderantur. S. Clim. *grad.* xxxvii. c. xxxix.

Sacramenta Scripturæ, quæ exterius videntur arida, intus sunt viva, et hoc dixit Salvator Judæis : « Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis vitam æternam habere » ; nulla alia Scriptura vitam dat nisi hæc, unde Psalmista ait : « Vivifica me secundum eloquium tuum. » S. Bonav. s. 14. *Hexam.*

Hæc est illa *Turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium* ; nulla est enim tentatio, nulla adversitas, nullum infortunium, nulla calamitas, cui non Sacra Scriptura medeatur, et succurat consolatione, consilio, vel alio quopiam remedio. S. Thom. Vill. conc. i. *in Dom.* i. *Quad.*

Mens tua divinis se voluminibus occupet; his intenta pervigili semper instantia perseveret ; his antiquus insidiator, cum te videt intentum, velut hostem fugit armatum, et timet continuus aggredi, donec te conspiciat his telis, et impenetrabili, ut ita fatear, lorica muniri. S. Petrus Dam. lib. VI. ep. xxix.

Lectio Scripturarum, munitio est adversus peccatum. Chrys. *Super Lug.*

Damnum Lectionis obscenæ. — Tu, qui pro tuo proprio et speciali peccato tam gravia passurus es, quam graviora pro multorum peccatis expectas, quorum innocentiam argumentosæ libidinis astutia subvertisti, illud ad cumulum tuæ perditionis accedit, quod cum princeps factus sis Sodomorum et Gomorrhæ, immunditiæ tuæ discipuli post te sedebunt in cathedra pestilentiæ, serpetque pestis cancerosa in multos, ut veniat super te omnis sanguis eorum, quos corrupisti. Petrus Bless. *de Confes. Sacr.*

Quis æstimare sufficit, quam execrabiliter damnabibilis sit apud Deum et hominem Herodiana crudelitas, quæ pueros occidit, atque malitia Pharaonis, qui submersit parvulos Hebæorum? Et illi quidem non animarum, sed corporum homicidæ fuerunt. Quanto ergo detestabilius est eorum non dicam homicidium, sed parricidium, qui tot innocentum animas occiderunt ! Proculdubio, quanto excellentior est anima corpore, tanto infeliciores Pharaone sunt proditores, et damnabiliores Herode. Putas, quod dissimulando transeat, et non requirat Deus de manu tua, quod in concupiscentiis, et immunditiis tuis nobilissima ejus periit creatura ? Ibid.

EXEMPLA SACRA.

Usus. — Cum omnis Christi actio, nostra sit instructio, haud immerito affirmari posse videtur, quod Christus ad legendum, Scripturasque Sacras explicandum, Synagogam ingrediens, insinuare nobis voluerit, se pro stabilimento et incremento fidei, bonorumque morum Ecclesiæ suæ, cujus Synagoga figura erat, de sacris prospexisse voluminibus, suoque exemplo ad eorumdem lectionem non invitasse. Mansi, tr. xliv, disc. i, n. 1.

B. Virgo quando legatum illum cœlestem excepit, qui Verbi incarnationem eidem annuntiavit, lectioni prophetiæ Prophetæ Evangelici actualiter intenta erat, unde ad eam se convertens S. Augustinus inquit : Revolve, o Maria, Propheticam lectionem, quæ ipsam plenitudinem paritura est Prophetarum ; recole in libro Isaiæ Virginem, quam legisti, et gaude, quia tu esse meruisti. S. Aug. s. xxi, *de Nat. B. V.*

Novi, inquit Barry, quemdam e Societate nostra, qui ante mortis articulum affirmavit, se nihil unquam aut legisse, aut audiisse de rebus gestis Sanctorum, quod non aliquoties in vita conatus fuisset exercere, eo modo, quo vitæ suæ conditio tolerasset. *In Remarques sur le dessein du livre,* § 2.

Tractarunt alii divinarum rerum lectionem solertius fortasse, suntque ob eam rem majus nomen adepti, sed qui Hilarione reli-

giosius fecerit, fuit (ut fertur) nemo ; quippe qui Davidicum carmen et prophetica aliorum scripta tanquam præsente Numine recitabat ; sæpe ac multum testatus, religiose et considerate ea esse legenda, quæ ab almo Spiritu profecta. Bapt. Fulg. lib. VIII.

Quanto tutius servulus vir mendicus, æger, omnisque litterariæ disciplinæ adhuc expers, qui ex mendicata pecunia sacrarum litterarum mercatus est opuscula, quæ aliis sibi explicanda tradidit, usque adeo lectioni intentus, ut audiendi assiduitate curaque et diligentia percipiendi ea, quæ legerentur sanctionis doctrinæ gnarus, oppidoque sciens evaserit. Ibid.

Cæcilia patricia domo Romæ orta, sedulo Evangelicæ historiæ librum aut legit, aut in gremio habuit obvolutum, ne non semper presto esset, in quo mens cœlo addicta cum vellet, velut concentu quodam suaviqne harmonia reficeretur. Ibid.

Magnum studium magnusque studii affectus fuit in Marcella nobili Quiritii generis ; quæ cum incredibili cura divina lectitaret, illud est postremo assequuta, ut semper in ejus ore Davidicum illud esset : Abscondi in corde meo eloquia tua. Ibid.

Utilitas. — S. Augustinus hæresi Manichæorum imbutus, et fidei Catholicæ inimicus, ad perfectam Dei notitiam illis verbis, *Tolle, lege*, inductus, tandem, ut ipsemet dicit : Arripui, aperui, et legi, quasi luce serenitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ ceciderunt. Mox enim, ut Epistolas Sancti Pauli legere cœpit, aliquod animæ suæ lumen communicari sensit, cui cooperando, illos postea sapientiæ fulgores sibi acquisivit, quibuscum universam illuminavit Ecclesiam. S. Aug. l. VIII *Confess.* c. XII.

Eunuchus Reginæ Candacis, cum non haberet sive Christi, sive novæ Legis Evangelicæ notitiam, ac proinde Spiritus Sanctus eum per S. Philippum Diaconum in hac erudiri volens, disposuit, ut actualiter lectioni Isaiæ Prophetæ se applicaret. Quam historiam idem D. Chrysostomus ponderans ait : Cum nondum haberet, qui viam commonstraret, tamen legebat, eoque citius consecutus est ductorem. Novit propensam illius animam Deus, studiumque amplexus est, misit illi Doctorem illico, verum non adest Philippus, sed Spiritus, qui monuerat Philippum, adest. S. Chrys. *apud Mansi*, disc. II, n. 5.

S. Justinus Martyr de semetipso, in dialogo contra Triphonem, refert, quod, cum adhuc Philosophus gentilis existens, antiquorum doctrinis deceptus, in Sacra Biblia incidisset, eaque assidue pervolveret, ab ejus mente et intellectu omnes infidelitatis tenebræ fugatæ fuerint, lumenque et notitiam veri Dei sibi acquisierit. Bar. ann. 130. c. V.

Victorinus, celebris illius sæculi orator, in cujus etiamnum viventis honorem, Romæ publice erectæ fuerint statuæ, ut Sanctus Augustinus in suis *Confessionibus* testatur, postquam prius in infidelitatis præcipitiis oberrasset, tandem sacrosanctis libris pervolutatis, ejusque intellectu ab æternæ veritatis luce illustrato, victas dans manus, per sacrosanctum Baptismi lavacrum, sub Christi vexillo conscribi se fecit. S. Aug. l. VIII, *Conf.* cap. II.

De S. Eugenia similiter legitur, quod, cum antea Philosophiæ operam dedisset, tandem in Epistolas S. Pauli incidens, ejusque dogmata in illis legens, intellectu suo ita iis adhæserit, ut cognita idolorum falsitate, aquis se abluerit Baptismalibus, tandemque pro fidei confessione suum in tormentis sanguinem prostituerit et vitam. Mansi, l. c.

S. Domna Virgo infidelis, primaria superstitionum idololatricarum presbytera, ut annales perhibent Ecclesiastici, pariter ad Christum conversa fuit, per Actuum Apostolicorum lectionem. Unde postmodum in dogmatibus Evangelicis a Sancto Cyrillo Episcopo Nicomediensi instructa, et simul cum Eunucho quodam in sacrosancto lavacro regenerata fuit. Immo sanctorum librorum lectio ita in eam illuminavit, calefecit, atque inflammavit, ut ea, quæ in Actibus Apostolicis legerat, imitari certa, totam substantiam suam, inter pauperes distrahendam, ad dicti Episcopi pedes detulerit. Mortuo autem sancto Episcopo illo, in locum ejus substitutus fuit Antimus, tempore cujus inde Eunuchus (hoc namque illi nomen erat,) et dicta Domna, eo quod Christiani essent, delati sunt ; quare Præfectus cubiculum illius ingressus, opes inquirere cœpit, sed delusus, nil nisi figuram reperit Crucis a fidelibus asservari solitam, librum Actuum Apostolicorum, duas super pavimentum explicatas storeas, thuribulum fictile, lucernam et pyxidem ligneam, in qua sanctissimam asservabat Eucharistiam, ut juxta sæculorum illorum consuetudinem,

ferociente persecutione se ipsam communicaret. Ecce vobis admirabilem ex codicum sacrosanctorum lectione haustum fructum, Vere equidem in præsenti verificatum fuit illud Psalmistæ dictum : « Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. » Immo non modo veri Dei notitiam et lumen libri illius lectio sanctæ isti attulit virgini, sed et insuper martyrii desiderio succendit. Bar. an. 293, n. 1.

Cum Sanctus Bonifacius codicem Evangeliorum secum portare solitus, eumdem quoque ad martyrium contulisset, isque dum carnifex ensem in caput martyris impingere moliretur, libri objectu ab ictu gladii se tueri pararet, illustri miraculo factum est (ut auctor quidam nostri temporis scribit) quod, licet ense peracuto per medium sectus sit liber, nulla tamen littera ea sectione sit abolita, quem ego librum in prænobili Fuldensi monasterio in Germania propriis oculis conspicere merui. March. *in Horto Past.*

S. Dominici sanctitatem et perfectionem, illiusque principia et progressus, Bellovacencis Collationum Joannis Cassiani lectioni præcipue attribuit, dicens : Beatus Pater noster Dominicus, ut in ejus vita legitur, librum illum, qui *Collationes Patrum* inscribitur, studiose legens, ac vigilanter intelligens, salutis in eo rimatus semitas, magnum perfectionis apicem apprehendit. Bellov. l. xix, *Spec.* c. xiv.

Celebris quoque fuit modus ille, quo divina providentia usa fuit, ut Sanctum Ignatium de Loyola Ecclesiæ suæ compararet, quod factum est per libri cujusdam spiritualis lectionem. Quod vero ad præsentis materiæ, de qua agimus, propositum vel maxime servit, est, quod lectio hæc animos in illo generosos excitaverit. Nam inter ipsam lectionem, ubi quippiam insigne cognoverat, sistere secum ipse cœpit, deliberans : Quid si præclarum hoc Sancti Dominici facinus? Quid si hoc Sancti Francisci Deo fretus aggredior? Neque vero, cum hæc et alia sibi multa proponeret, res occurrebat ulla tam ardua, tamque difficilis, quam non perficere sese posse generosa quadam alacritate confideret. Mansi, disc. v, n. 7.

B. Petrus Abbas in nocte Dominicæ Nativitatis, sequentem circa S. Hugonem Abbatem pariter Cluniacensem obtigisse refert visionem. Diabolus ab omnibus monasterii officinis propulsatus esse videbatur, ad quas fuerat molitus aditum ; a Capitulo excludebatur, quia ibi Monachi suas circa disciplinæ monasticæ observantiam confitebantur culpas; exulabatur e Dormitorio, propter honestatis et vigilantiæ continuæ merita. In Refectorium quidem tentavit ingressum, ubi gulæ prædominari solet, sed etiam et inde maxima cum confusione proscriptus fuit. Ast in virtute cujus id factum fuisse putatis ? Audite ipsummet auctorem : Sed ibi etiam tot obices ex divinorum lectione librorum, tot trabes ex devotionibus auditorum, tot repagula offendit ex charitate sibi servientium, ut nullo modo ultra procedere prævalens, retro cogeretur redire. Petr. Abbas Clim. l. I *Mir.* c. xv.

In vita Sanctæ Francisæ Romanæ legitur, cum Sancta hæc spirituales aliquos haberet libros, Dæmones in hoc sollicite incubuerunt, ut, si possibile foret, aliqua eorum folia resolveret et abjiceret; quin et alia quadam vice librum, quem manu continebat spiritualem matrona sanctissima, quemque actu legebat, Spiritus nequam eidem auferre conati fuere. *Vita S. Francisæ. Romanæ.* l. II. c. xv et xix.

In actis Sancti Saturnini sequens legitur conspicuum miraculum. In medio foro civitatis Abitinensis cœlum ipsum pro divinis Scripturis dimicavit ; cum enim Fundanus, ejus urbis quondam Episcopus, eas Scripturas Magistratui exurendas tradidisset, et Magistratus sacrilegus jam igni apponeret, subito imber sereno cœlo diffunditur, ignis Scripturis Sacris admotus extinguitur, grandines adhibentur, omnisque regio ipsa, pro Scripturis Dominicis, elementis furentibus devastabatur. Surius, 2 *Febr.*

Æquitius Valeriæ urbis Monasterii Abbas, ne qua die deesset quod legeret, quocumque ibat scorteas manicas libris referta secum deferebat ; nec illi oneris hujus molesta erat gravitas, dum lectionis sacræ compensatur utilitas. Sic nec militem strenuum ferrea lorica, cassis, ensisque gravant, quæ sibi saluti fore sperat, ut qui iis munitus in certamen prodire et confidenter cum hoste congredi solet ; ita qui sese lectionibus divinis libenter instruit, omnia Diaboli machinamenta facile contemnit. Ibid.

Bernardinus, cujus prædicationibus Fratrem Minorum collegium crevit, primum quidem Pontificii juris disciplinis operam dedit ; postquam autem ad Theologiam animum applicuit, ei studio se prorsus totum tradidit, adeoque ipsum delectavit de Deo

sermo, ut mox relicto sæculo Religionem sit ingressus. Itaque jurisperitia virum quidem bonum constituit, sed Theologiæ ratio etiam perfectum reddidit. Altera neminem offendere docet ; altera semetipsum quoque abnegare et Crucem tollere, et Christum sequi omnibus suadet, multisque persuadet. Ibid.

Basilius ille magnus cum primitus mundanæ Philosophiæ studiis plurimum delectaretur, uti deinde scientiæ spiritualis dulcedinem gustare cœpit, illa contempsit, et huic soli se dedit, sunt, qui eum dicant, panis ac vini usum sibi interdixisse, donec mysteriorum intelligentiam plenius percipere. Parum erat sæcularem sapientiam Divinæ postposuisse, duo præcipua vitæ humanæ sustentamenta, panem et vinum a se abdicavit, dum cibos colligit vitæ æternæ. Quorum suavitatem Propheta quoque admiratus, dicens : Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine ! *Manual.* lib. II.

Damnum profanæ Lectionis. — Sanctus Hieronymus de seipso sic scribit : Cum ante annos plurimos domo, parentibus, sororibus, et quod his difficilius est, consuetudine lautioris cibi, propter cœlorum me regna castrassem, et Jerosolymam militaturus pergerem, bibliotheca, quam mihi Romæ summo studio confeceram, carere non poteram. Itaque miser ego lecturus Tullium jejunabam. Post noctium crebras vigilias, post lacrymas, quæ præteritorum recordatione peccatorum ex intimis visceribus flüebant, Plautus sumebatur in manus. Si quando in memetipsum reversus Prophetam legere cœpissem, sermo horrebat incultus ; et quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed Solis. Deum ita me antiquus serpens illuderet, in media ferme Quadragesima medullis infusa febris corpus invasit exhaustum, sine ulla requie (quod dictu quoque incredibile sit) infelicia membra depasta est, ut ossibus vix hærerem. Interim parantur exequiæ, et vitalis animæ calor toto jam corpore frigescente, in solo tantum tepente corpusculo palpitabat, cum subito raptus in Spiritu, ad tribunal Christi pertrahor, ubi tantum luminis erat, et tantum ex circumstantium claritate fulgoris, ut projectus in terram, sursum aspicere non auderem. Interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi, at ille, qui præsidebat : Mentiris, ait ; Ciceronianus es, non Christianus, ubi enim thesaurus tuus, ibi et cor tuum. Illico obmutui, et inter verbera (nam cædi me jusserat) conscientiæ magis igne torquebar, illum mecum versiculum repetens : In inferno autem quis confitebitur tibi? Clamare tamen cœpi, et ejulans dicere : Miserere mei, Domine, miserere mei! Hæc vox inter flagella resonabat. Tandem ad præsidentis genua provoluti, qui astiterant, precabantur, ut veniam tribueret adolescentiæ, et errori locum pœnitentiæ daret, exacturus deinde cruciatum, si gentilium aliquando litterarum libros legissem. Ego qui in tanto constrictus articulo vellem etiam majora promittere, dejerare cœpi, et nomen ejus obtestans, dicere : Domine, si unquam habuero codices sæculares, aut si legero, te negavi. In hæc sacramenti verba dimissus revertor ad superos, et mirantibus cunctis, oculos aperui, tanto lacrymarum imbre perfusus, ut etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec vero sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpe deludimur. Testis est tribunal illud, ante quod jacui ; judicium testis, quod timui ; ita mihi nunquam talem contingat incidere quæstionem, nam fateor vulneribus habuisse plenas scapulas, plagas sensisse post somnum, et tanto dehinc studiò divina legisse, quando mortalia ante non legeram. S. Hier. *in Reg. mon.*

Sophronius sequentem narrat historiam : Abbatem Cyriacum die quadam juxta Jordanem convenientes, hanc ab ipso accepimus relatam visionem; viderat enim Abbas ille in somno mulierem quamdam in vultu honestissimam, purpura amictam, atque ex utroque latere a duobus præclaris viris stipatam, quorum unus S. Joannes Baptista, alter vero Sanctus Joannes Evangelista erat. Egressus igitur e cella, instanter ab ea petii, ut ingrederetur, sed invitantem me repulit; dum vero preces meas sollicite repetens, dicerem : Ne, quæso, avertatur humilis factus confusus ! Ipsa ferventem supplicantis affectum videns, vultu ad severitatem composito respondit : Habes intra cellam inimicum meum, et vis ut ingrediar ? Et his dictis abscessit. Ego vero animo afflicto, intra me ipsum discurrere cœpi, quonam peccato hanc repulsam comerui, non me accusat conscientia alicujus contra ipsam commissæ transgressionis, certusque sum in cella mea neminem præter meipsum reperiri ; demum vero diligenti circa me ipsum facto examine nihil inveni, quod ip-

sam potuisset offendere. Sed quo putatis ipsum consilio usum fuisse, ut se consolaretur? Nimirum sciens in libro I. Machabæorum scriptum esse : « Habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris ; » ad illos Sanctus Abbas recurrens, pro consolatione afflicti animi librum quemdam spiritualem legere cœpit. Quid autem inde consecutum fuerit, ex propriis ejus verbis percipere libebit, dicit enim : Cum ergo vidissem me nimio mœrore absorberi, surgens cœpi librum, ut legerem, ut per hujusmodi lectionem dolorem meum, cogitationesque repellerem. Librum autem illum mutuo acceperam a D. Hesichio Presbytero Jerosolymitanæ Ecclesiæ, evolvensque librum, inveni duos Nestorii libros in fine voluminis scriptos, moxque agnovi hunc esse inimicum illum Sanctæ Domini nostri Genitricis semper Virginis. Tunc surgens abii, librumque illum ei, qui mihi accomodaverat, reddidi, dicens illi : Accipe librum tuum, frater, neque enim ex eo tantum utilitatis accepi, quantum detrimenti. Cum vero ille detrimenti ipsius causam sciscitaretur, omnem illi rei ordinem retuli, qui zelo succensus, protinus illos duos Nestorii libros ex volumine præcidit, eosque igni traddidit, dicens : Non manebit in cella mea Dominæ nostræ Sanctæ Dei Genitricis semper Virginis inimicus. Baron. *ann.* 529.

Sanctus Ignatius quoque fervores suos intepescere sensit, quando Barcinonæ Grammaticæ studiis intentus erat, cumque cui causæ tepor ille adscribendus esset, ignoraret, tandem unicam hujus tepiditatis causam esse advertit, quia videlicet Erasmum *de Milite Christiano* manibus tenebat, idque ob tersam libri latinitatem, ex Confessarii sui consilio pariter et licentia. Quod cum simpliciter fecisset, observavit illius libelli lectione refrigescere in se Spiritum Dei, et devotionis sensim ardorem restingui ; qua re animadversa librum de manibus omnino rejecit, et ita est aversatus, ut nec amplius legerit ipsius auctoris libros, et passim a Societate nostra legi vetuerit ; et tamen ille liber de Milite Christiano disserebat ; sed licet materia pia esset, auctor tamen illius impius erat. Mansi, disc. x, n. 2.

EXEMPLA PROFANA.

Utilitas. — Alcoranus Turcarum sub pœna capitis, omnibus Turcis omne librorum genus prohibet ; cujus ratio est, quia hoc modo omni superiori lumine et notitia, quæ a libris sacris et spiritualibus addiscitur, destituti, facilius se in tenebris ignorantiæ positos, ad quævis præcipitia perduci permittant. Mansi. disc. ii, n. 8.

Diogenes Laertius narrat, quod Zenoni oraculum consulenti, quomodo vitam suam ita dirigere posset, ut diis et hominibus in cunctis actionibus suis placeret, ab eodem oraculo responsum fuerit, hunc se finem assecuturum esse, si sæpe cum mortuis ageret, quorum verborum sensum hunc esse facile intelligebat, ut scilicet libros, quorum auctores ut plurimum mortui sunt, assidue pervolveret. Laert. *in vita Zenonis*, l. vii.

Damnum. — Nabuchodonosor horrendo plane modo in belluinos mores transformatus fuisse legitur ; Diocletianus prius corporis tabe, lingua vermibus corrosa, mentisque insania correptus vim sibi ipsi intulit ; et Proculus, Genserici Wandalarum Regis minister, sibi frustulatim linguam dentibus lacerans, fœdaque morte sublatus est, eo quod sacra volumina flammis voracibus publice concremaverit. Mansi, disc. iii. n. 9.

Henricus Octavus, Rex Angliæ, Dæmonis instinctu ab Ecclesia recedens, ut Religionem Catholicam tanto irreparabilius profligaret, Carthusianos (qui veluti validum quoddam propugnaculum, ad eamdem fidem defendendam, superstites remanserant) pariter seducere volens, primo quidem non blandimentorum usus est lenociniis, non stragibus, nec exiliis, vel aliis similibus persecutionibus, non bonis temporalibus eos destituit, nec in vincula conjecit, sed ut fidei integritatem ab illis quoque totaliter eradicaret, omnes libros sacros illis auferri præcepit, firmiter sibi persuadens, quod hoc thesauro illis erepto, excellentissima quoque fidei margarita pariter eripienda foret. Hac tamen librorum rapina non contentus, plurimis postea vitam crudelissime eripuit. Idem, dis. xvi, n. 11.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut famem sentire, bonæ

valetudinis corporis incidium est ; ita divinos sermones studiose, libenterque audire, sanitatis animæ maximum argumentum est. E contra vero quando stomachus cibum nec appetit, nec retinet, malæ est dispositionis indicium ; nam, juxta illum medicorum aphorismum, omnis nauseatio mala, panis autem pessima. Eodem quoque modo qui libros spirituales et devotos legere nauseat, animam suam perditæ salutis esse indicat. Unde S. Ephrem ait : Quando te a lectione rerum spiritualium abhorrere videris, admonitionesque spirituales fastidire, tunc animam tuam in gravem incidisse morbum noveris. S. Ephrem tom. I, *de Vita Spir.* n. 91.

Sicut nervi animæ sunt orationes ; ita pariter nervi, per quos oratio subsistit, sunt libri spirituales, eorumque lectio, et forsitan id ipsum affirmare voluit Basilius Magnus, quando ad Nazianzenum ita scripsit : Jam vero orationes lectionibus succedentes, recentiorem animum, vegetioremque accipiunt ; cum enim lectio orationem præcedat, hæc ab illa novos et vigorosos sortitur spiritus. (S. Basil. ep. II, *ad Naz.*) Unde Cardinalis Turrecramata de lectione sacra inquit : Valet ad vires replendas.

Sicut una et eadem species Mannæ aliis vermes et putredines generabat, aliis vero salubrem cibum conferebat, et vitæ necessarium ; ita et nostrum Manna est verbum Dei, et apud nos sermo Dei, aliis efficitur ad salutem, aliis ad pœnam. Origenes, tom. IX, *in Num.*

Sicut aqua impetuose decurrens, terram non fecundat, sed potius semen suffocando, sterilem efficit ; ita quoque multorum librorum præpropera lectio, absque reflexione ulla facta, non fecundat animam spiritu et devotione ; imo quandoque eam opprimit et confundit. Mansi, disc. XVII, n. 7.

Sicut florum, reliquis quidem usque, ad odorem vel colorem, est usus, apes autem mel ex ipsis excerpere noverunt ; sic et qui diligentes in legendo existunt, non solum quod dulce, jucundumque fuerit, in eorum libris prosequuntur, sed quamdam ex eis utilitatem animo referre contendunt. S. Basil. hom. XXII.

Sicut apes non omnibus floribus similiter insident, neque ex eis, ad quos accedunt, omnia auferre conantur, sed quantum ipsis ad opus necessarium fuerit, comprehendentes, reliquum dimittunt ; sic nos etiam ut sobrii, sapientesque, quantum congruum nobis, propinquumque veritati ex ipsis fuerit, persequamur, reliquum prætereamus. Et sicut in legendis rosis sentes vitamus ; sic in talibus sermonibus, quidquid est utile, carpentes, noxium vitemus. Ibidem.

Sicut David Goliathum quinque lapillis e torrente sublatis, eodem modo, inquit Villanovanus, Christus Dæmonem tribus auctoritatibus superavit. Eadem quoque comparatione Glossa his verbis utitur : David Goliathum tribus lapidibus e torrente prostravit, et Christus Diabolum tribus testimoniis de lege. David lapides e torrente selectos in peram suam pastoralem reposuit ; ita quoque Christianus in lectione librorum spiritualium seligere debet orationes jaculatorias et dogmata utilia, eaque in mente et memoria sua reponere, ut in obviis occasionibus, tentationibus infestatus, præsumptuosum illum et superbum Gigantem prosternere valeat. Mansi, disc. XVI, n. 1.

Sicut pictores industrii, cum ex imaginibus imagines ad unguem, ut dicitur, exprimere nituntur, frequenter ad exemplar aspiciunt, lineamenta ex illo omnia ad suam artem summopere transferre molientes ; ita ei, qui se cupit omnibus partibus esse virtutis ornatum atque perfectum, tamquam ad statuas quasdam animatas ac mobiles, jugiter in Sanctorum vitas et mores intendendum est, illorumque probos actus sibi consciscendum, per imitationis studium. S. Basil. ep. *de Forma. honestæ vitæ.*

Sicut ferrum, nisi usum habuerit, ærugi-nem generat ; ita et anima, nisi divinis exerceatur lectionibus, nascentur illi peccata. Hinc est, quod Psalmista hunc dicat beatum, qui die nocteque legem Domini meditatur. S. Aug. XXII, *ex utroque Test.* qu. CXX.

Sicut columbæ juxta fluenta residere solent, ut volatilium avium in aqua umbram videant, et sic ungues vitant ; sic Sancti in Scriptura fraudes Dæmonum prospiciunt, et ex deceptione, quam attendunt, quasi ex umbra, hostem cognoscunt, et fugiunt. *Glossa, in* c. V, *Cant.*

Sicut in dura hyeme Monachi libenter vadunt ad calefactorium ; ita viri sancti frigore hujus mundi durante, stant libenter juxta libros, ut illos legendo et audiendo calefiant in amore cœlesti. S. Ambr. *apud Mansi*, dis. LIX, n. 5.

Sicut in carnalibus escis alitur caro ; ita ex divinis lectionibus homo nutritur, et pascitur. S. Aug. s. 112 *de Temp.*

Sicut qui mittit in os suum fragmentum panis, aut qualemcumque cibum, primo molit eum dentibus, et ita demittit in stomachum; sic et cum audimus omne verbum (dicamus nos, *cum legimus*) necesse est ipsum meditari in ore sensus, et quasi quibusdam dentibus, id est, tractatibus molere, et videre, quid est, quod dicit, aut propter quam rem dicit. Nam quemadmodum qualemcumque cibum nisi masticaverimus dentibus, non sentimus saporem ejus; ita et verbum, nisi masticaverimus, ipsum tractantes in nobis, non possumus intelligere virtutem verbi illius. Author Op. Imperf. hom. XLI.

Sicut tuba sonans congregat milites; sic et divinæ Scripturæ ad nos clamantes, cogitationes nostras congregant ad timorem Dei. Quemadmodum enim tuba, belli tempore sonans, strenuorum militum alacritatem in adversarios excitat; ita et divinæ Scripturæ te promptiorem ad omne opus bonum reddunt, teque adversus improbas passiones ac vitia magis animant corroborantque. S. Ephr. *de Pat. et Consum. sæc.*

MOTIVA.

Quia utilitas ingens oritur ex hac lectione, quam Cassiodorus sequentibus verbis indicat: Modo Charitatem Dei et proximi monet; modo, ut sæculi peritura contemnas, insinuat; modo ut illam patriam recorderis, in qua es perpetuo mansurus, infundit. Patientiam monet, spem tribuit, humilitatem proficuam laudat, superbiam ruinosam semper accusat, pias eleemosynas creberrime fieri persuadet. Cassiodorus, *apud Mansi*, disc. I, n. 2. S. Chrysostomus quoque ait: Merito thesauro confertur divinarum Scripturarum lectio; nam sicut ex illo, quisquis vel parvum fructum capere vellet, multas sibi parat divitias; ita et in sacra Scriptura, etiamsi in brevi dictione, variam sententiarum vim, et immensas divitias invenire licet. S. Chrys. hom. III *in Gen.* Recte ergo Cassiodorus ait: Libros sacros vocavit utilitatem Christianorum, thesaurum Ecclesiæ.

Quia in specie utilis est ad perfectionem obtinendam, uti Turrecremata indicat, dicens: Cæterum ad perfectionem conversationis, quo festinant, sunt doctrinæ sanctorum Patrum. Horum enim verborum hunc dicit esse sensum: Doctrinæ sanctorum Patrum sunt, in quibus legendum est, et a quibus exempla sumenda sunt ab his, qui cæterum, id est, ad majorem perfectionem conversationis festinant, quarum scilicet doctrinarum observatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis sermo divinæ auctoritatis veteris ac novi Testamenti non est certissima norma vitæ humanæ? Turrecr. *in Reg. S. Bened.* c. LXXIII, tr. 178. Id quod brevius S. Thomas quoque indicavit, dicendo: Effectus hujus Scripturæ est duplex, scilicet quia docet cognoscere veritatem, et suadet operari justitiam. S. Th. *in* II *Tim.* c. III. S. Bonaventura ob quatuor fines concessam nobis sacram Scripturam docet. Primo, ad gratiam commendandam. Secundo, ad introducendam fidem. Tertio, ad reserandam sapientiam, quæ solum est ista. Quarto, ad restaurandam salutem, quæ in illa solummodo est, et in nulla alia scientia est salus. S. Bonav. s. XIV *Hexameron.*

Quia utilis est ad optima consilia danda; uti Alphonsus, Rex Aragoniæ, indicavit, dicere solitus, optimos Consiliarios esse mortuos, libros videlicet designans, a quibus sine metu, sine gratia, quæ nosse cuperet fideliter audiret. Ant. Panor. l. III, c. I. Unde Theophilactus: Quocirca, ait, si velis perfectus esse, et sanus, neque in tristibus contractus, has habe consultrices, scilicet litteras sacras; ad imitationem Machabæorum, qui licet undique ab inimicis premerentur, nihilominus gloriantes dicebant: « Summo habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris. Theophilactus, II *Tim.* c. III. Quam eamdem lectionis sacræ proprietatem et D. Chrysostomus in quadam super Genesim homilia adducit, dum ait: Vidisti, quomodo quacumque calamitate humanam naturam premente, conveniens ex Scripturis antidotum accipere liceat, ut omnis vitæ hujus repellatur anxietas.

Quia utilis est ad Dæmonis insidias cognoscendas et effugiendas; nam, ut iterum Turrecremata dixit, talis lectio est sicut alveus, per quem fluit aqua, in qua solent resultare imagines avium rapacium; et ideo viri sancti libenter legunt in libris sanctis, ut intuentes in eis fallacias Dæmonum, melius caveant. Turrecr. *in Reg. S. Benedicti* c. IV or. 41. Hinc S. Bernardus quoque dicere solitus est: Lectio et oratio sunt arma, qui-

bus Diabolus expugnatur. S. Ber. s. 50 *ad Soror.*

Quia utilis est ad animam reficiendam ; uti S. Ambrosius advertit, dicens: Negligit fanem corporis, qui pabula lectionis intendit; nec ventris curam habere poterit, qui alimentum verbi cœlestis acquirit; ipsa est enim refectio, quæ saginat animam, quæ impinguat viscera, cum de divinis Scripturis cibum eloquii perennis accipimus. Ipsa est esca, quæ vitam æternam tribuit. S. Ambr. l. xxxv *de Jejun. Domini.* Similiter S. Isidorus Pelusiota divinarum Scripturarum lectionem viaticum esse dicit, quo in hoc præsentis vitæ ad patriam cœlestem instituto itinere sustentamur. Ita enim scribit: Sacrarum Scripturarum lectionem salutis viaticum esse existimat, ut, quæ eorum, qui eam studiose et diligenter audiant, probitatis amorem, ac virile robur, præclaris ac illustribus exemplis pascat. S. Isid. l. III, ep. lxxiii. Quod ipsum etiam Origenes confirmans ait: Si ad Ecclesiam frequenter venias, aurem litteris divinis admoveas, explanationem mandatorum cœlestium capias, sicut cibis et deliciis caro, ita spiritus verbis divinis convalescet, et robustior effectus, carnem sibi parere coget, ac suis legibus obsequi. Nutrimenta igitur spiritus sunt divina lectio, orationes assiduæ, sermo doctrinæ. His alitur cibis, his convalescit, his victor efficitur, quod quia non facitis, nolite conqueri de infirmitate carnis. Origen. hom. vi *in Lev.* Hinc recte Hugo de S. Vict. monet: Quoties nobis divina Scriptura legitur, aut exponitur, cogitare debemus, quia esca spiritualis est, quæ a Deo nobis mittitur ad reficienda corda nostra.

Quia utilis est ad spiritualia colloquia instituenda. Hinc S. Ambrosius monet: Et ideo divinas lectiones tali desiderio et legere, et audire debetis, ut de ipsis in domibus vestris, et ubicumque fueritis, etiam loqui, et alios docere possitis; et verbum Dei velut munda animalia cogitatione assidua ruminantes, utilem sucum, id est, spiritualem sensum et vobis sumere, et aliis Deo auxiliante propinare possitis, ut in vobis impleatur illud, quod scriptum est: « Et calix meus inebrians, quam præclarus est! S. Ambr. s. 23, *in die Cinerum.*

Quia libri sacri et spirituales, sunt Epistolas et locutio Dei, uti S. Gregorius innuit, dicens: Imperator cœli, Dominus Angelorum et hominum pro vita tua Epistolas suas transmittit, et tu illas ardenter legere negligis? Quid est enim sacra Scriptura, nisi quædam Epistola omnipotentis Dei ad suam creaturam? S. Greg. l. IV, ep. lxxxiv. Hinc et S. Ephrem dixit: Gloriantur alii de Magnatum, Principumque ac Regum familiaritate et colloquio; at tu coram Angelis Dei gloriare colloquens, et cum Spiritu S. per sacras litteras conferens, nam Spiritus S. est, qui loquitur per eas. S. Ephr. *de Patient. et Consum. sæc.*

Quia varias habet prærogativas præ concionum auditione. Nam 1. libris sacris Scripturæ per veritatem infallibilem assistit Spiritus Sanctus cujus tamen assistentia, quoad eos, qui verbum Dei viva voce annuntiant, adeo certa non est. Etenim non de sacrarum litterarum interpretibus et commentatoribus, sed scriptoribus vel auctoribus S. Gregorius ait: Scriptores sacri eloquii, quia repleti Spiritu Sancto super se trahuntur, quasi extra semetipsos fiunt; et sic Dei sententias quasi de ab iis proferunt. (S. Greg. *Præfat. in Job.* c. xxiii.) 2. Non facilem adeo cum prædicatoribus verbi divini, quantumcumque exemplaribus et spiritualibus, ad bona illorum exempla apprehendenda, conversandi, nancisci possumus occasionem; aut enim solitudinem amant, aut in contemplativa occupantur, vel aliis corporalibus et spiritualibus vacant misericordiæ operibus. Hæc igitur librorum bonorum est prærogativa, quod eos tempore nobis quocumque beneplacito pervolvere possimus; quodque dum nobis maxime arridet, cum sanctis eorum auctoribus conversemur, horumque imbibamus spiritum et devotionem, v. g. S. Hieronymi, S. Bernardi, S. Augustini, S. Gregorii, aliorumque similium. (Mansi, disc. x, n. 3.) 3. Concio ut plurimum nullum in auscultante, quando is distractus est, affert fructum; interea namque totum, quod dicitur, præterit et evanescit, quantumcumque cum spiritu et energia veritatem inculcare nitatur prædicator, præterquam quod labilis sit auditoris memoria, vel etiam minime accedat dispositus ad divinum illud in cordis sui terra radicandum semen; cum tamen e contra doctrinæ affectus, maximæ pietatis Christianæ, veritates æternæ, ad placitum nostrum in chartis, quæ non prætervolant, indelebiliter reperiantur impressæ. Unde Quintilianus ait: Lectio libera est, nec actionis impetu transcurrit, sed repetere sæpius

licet, sive dubites, sive memoriæ penitus affigere velis. Quint. *Inst. Or.* l. xxi, c. i. Hinc et Gillibertus Abbas sapienter dixit: Bonum est, si scribantur verba, volat enim irrevocabile verbum, nisi scripto mandetur. Scriptura verbum et stabile facit, et visibile. Mandatum paginæ reposcetur, cum voles. Bonus depositarius est liber, integre, quod acceperit, resignans; cum voles, sumes; ubi voles, leges; quamdiu voles, moraberis. Scriptura memoriæ reparatrix est, quia verbi repræsentatrix est. Tuto verbi medicamenta illic condis, servantur enim illæsa. Si verbum medendi vim habet, cum dicitur; cur non habet, cum legitur? Si bona curatio, cum dicis; cur non bona, cum legis? (Gillibertus Abbas, s. xlvii *in Cant.*) 4. Quod prædicatores magistros spirituales, exhortationes et conferentias sacras viva voce factas in nostro non habeamus arbitrio, siquidem hæc omnia tempus, et locum, congregationesque illis præscriptas habent, non vero libri, quos quovis tempore, et ubicumque nobis placet, cum attentione et profectu legere possumus, ipsi docebunt te, loquentur tibi, et de corde suo proferent eloquia. (Mansi, vi, c. n. 6.) 5. Libri omni cum libertate et indifferentia, deposito omni timore et humano respectu, eos, a quibus leguntur, reprehendunt et corrigunt; cum tamen ex alia parte per experientiam videamus, quod viris etiam zelosissimis nonnumquam animus desit, ut alios, et maxime personas in dignitate positas, earumque scandala et iniquitates, velut alter quidam Joannes Baptista, sermone perstringant. Hinc libri speculo comparantur, quod unicuique sine adulatione, omnique cum fidelitate et sinceritate proprios faciei defectus patefacit, dummodo illud inspiciat. (Ib. n. 7.) 6. Verbum Dei prædicatum alteri quoque subjacet incommodo, cujus libri sacri et spirituales sunt expertes, videlicet defectibus eorum, qui illud annuntiant. Nam, ut Cassianus ait, numquam erit efficax instituentis auctoritas, nisi eam effectu operis sui cordi infixerit audientis. In dubium nequaquam revocari potest, quin, quod Sanctus Hieronymus, v. g. S. Bernardus, vel S. Augustinus, aut alii SS. Patres et Scriptores in libris suis tradiderunt, ipsimet operibus suis strenue fuerint executi. Hanc autem certitudinem in iis, qui prædicant, minime habemus, imo cum summo Ecclesiæ malo sæpe numero experimur, quod bene quidem verbum Dei prædicent, et tamen pessime vivant. Cassianus, Coll. xi, c. iv. Optime proinde S. Isidorus Pelusiota ait: Vita sine sermone magis prodesse solet, quam sermo sine vita; nam illa etiam tacens prodest, hic autem etiam clamans molestiam adfert. Libri vero prædicatores sunt muti pariter et loquaces, quia ad cor nobis loquuntur: Loquentur tibi, et de corde suo proferent eloquia. Imo libros spirituales legentibus non jam libri, sed ipsemet Deus libris tamquam instrumento utens prædicat, et ad virtutem et profectum illos excitat. (S. Isid. l. II, ep. cclvii.) 7. Prædicatores nonnumquam plausibilibus magis student conceptibus, ostentationi ingenii, facundiæ, memoriæ, et doctrinæ, magis ut auditoribus placeant, quam ut spirituali animarum profectui deserviant, adversus quos Gillibertus Abbas calamum suum his verbis exacuit: Student magis alta, quam apta dicere, facientes apud infirmas intelligentias miraculum sui, non ipsorum salutem operantes. Ex libris autem unusquisque eligere potest illos, qui suæ sunt proportionati capacitati, magisque proficui; libri quoque de vanitate vel applausu suspecti non sunt, sed veritatis et devotionis sunt instrumenta. Præterea ex prædicatoribus multi sunt, qui potius ob interesse proprium, quam ob salutem animarum, prædicationi vacant. Contra quos Hugo Cardinalis, ad illa se reflectens verba Numerorum. 8. *Sume tibi duas tubas argenteas*, ita scribit: Prima tuba est verbum prædicationis, secunda est exemplum boni operis. Tuba per quam designatur prædicatio, non resonat nisi vacua; et prædicator debet esse vacuus per rerum terrenarum neglectum. Tales autem prædicatores sunt libri, qui aliud interesse non habent, præterquam animarum nostrarum salutem. Gillibert. Abbas, s. xxvii *in Cant.* D. Chrysostomus postquam vanos rejecisset auditorum applausus, tandem protestabatur, dicens: Mea laus est, et summus plausus, si quis a vitiis ad virtutem convertatur. S. Chrys. h. liv *in Gen.* Hunc autem finem libri sacri infallibiliter assequuntur, de quibus proinde S. Bernardus ait: Per lectionem vitia destruuntur, et virtutes in anima nutriuntur. S. Bern. s. l, *de Modo bene viv.*

MEDIA.

Ad Lectionem utiliter peragendam.

Oratio; hinc Dacrianus Abbas dicebat : Sicut patres testati sunt, utile est a lectione ad orationem seu meditationem transire, et rursum aboratione ad lectionem recurrere, ut, dum oratio lectioni, et lectio orationi laudabili vicissitudine succedit, tollatur fastidium, animusque velut recens ad opus propositum semper vigeat, et ex utraque fructus copiosior referatur. Et quid vetat, quo minus in ipsa etiam lectione breviuscu-las quasdam orationes subinde formes, et ad Deum per sancta desideria adspires ? Dacrianus Abbas, *in Spec. Monach.*

Certis horis certæ lectioni vacandum est ; fortuita enim et varia lectio, et quasi casu reperta, non ædificat, sed reddit animam instabilem, et leviter admissa, levius recedit a memoria. Quapropter et Seneca moralis, a Bellovacenci citatus, in epistola 2. ait : Illud autem vide, ne lectio ista multorum auctorum, et omnis generis voluminum, habeat aliquid vagum et instabile ; certis ingeniis immorari, et innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Pauloque post adducit hanc similitudinem : Nihil æque sanitatem impedit, ut remediorum crebra mutatio, distrahit animum librorum multitudo. Itaque cum legere non possis, quantum habueris, sat est habere, quantum legas ; fastidientis stomachi est, multa degustare. Citatque aliam quamdam ejusdem Senecæ epistolam, quæ est 45 in ordine, ubi ita scribit : Non refert, quam multos libros, sed quam bonos legas ; lectio certa prodest, varia delectat. Varro ad Themidem inquit : Sic multi libros degustant, ut convivæ delicias, sed cito transcursa, citius labuntur. Bellov. l. II, *Spec.* c. xxxiii.

Continuatim, et non saltando legere ; sæpe enim intelligentia posterior dependet ex primis, et quia sicut unoquoque opere curatur inveniri substantia ; ita universæ doctrinæ et disciplinæ noverca est negligentia. Turrecr. *in Reg. S. Benedict.* c. xlviii.

Eo affectu legere libros, quo scripti sunt ; numquam enim ingredieris in sensum Pauli, donec usu bonæ intentionis in lectione ejus et studio assiduæ meditationis spiritum ejus imbiberis. Numquam intelliges David, donec ipsa experientia ipsos Psalmorum affectus indueris. Sicque de reliquis. S. Bern. l. *de Vita solit.*

Cum humilitate legere ; nam, ut Mansi recte advertit : Intelligentia sacrarum litterarum humilibus promissa fuit, quia licet mysteria altissima et imperscrutabilia revelentur iis, qui divinis in litteris student, magis tamen eis, qui in assistentia divina confidunt. (Man. disc. xii, num. 2.) Unde Salvator ait : « Abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis : » Et Thomas a Kempis monet, inquiens : Si vis profectum haurire, lege humiliter.

Bene vivere ; uti monuit S. Athanasius dicens : Ad Scripturarum imaginem, verumque intellectum opus est vita proba, animo puro, et virtute, quæ secundum Christum est. Et paulo post subdit : Sine pura mente, et Sanctorum imitatione, nemo comprehenderit Sanctorum verba. Quemadmodum si quis intueri velit solis jubar, oculos plane detergit, atque in splendorem redigit, quantum potest ad ejus similitudinem, cujus conspiciendi desiderio tenetur, sese purificans, ut ita oculus jam lumini redditus, lumen solis contempletur. S. Ath. l. *de Incar.*

Ruminari lecta ; uti Joannes Ximens, Coadjutor e Soc. Jesu, facere solebat ; hinc ad Lectionem se conferens dicebat : Eamus nunc ad ruminandum. Ovis enim nisi ruminaret, non pinguesceret. (*Vita Alvarez*, c. xlv.) Id ipsum etiam suasit S. Ambrosius, considerans præceptum illud a Deo populo suo electo traditum : « Omne, quod ruminat in pecoribus, comedetis, inquit. » Non ergo perfunctorie transeamus quæ legimus, ut tunc tantum, cum legimus ea, in memoriam eorum redire videamur, sed etiam, cum abest codex manibus, tamquam animantia, quæ probantur, et munda habentur in lege, etiam cum non pascuntur, ruminare consueverunt, ex semetipsis alimenta sibi recondita proferentes ; ita et nos de nostræ memoriæ thesauro, de interioribus nostris ruminandum nobis pabulum spirituale promamus. (S. Ambr. *in Ps.* cxviii.) Hinc aliqui suadent, ut lectores columbam imitentur, quæ bibitura cœlum versus caput elevare solet, posteaque iterum bibere ; ita et anima virtuosa, postquam libros devotos legit, aliquemque applicatione dignum ostendit sensum, mentem ad Deum elevet ; oportet lecta meditetur, posteaque ad lectio-

nem redeat, quod ad propositum Sanctus Bernardus accommodam hanc adducit similitudinem : In omni scriptura tantum distat studium a lectione, quantum amicitia ab hospitio, socialis affectio a fortuita salutatione. (S. Bern. cap. vi, *in Cant.*) Quem eumdem supervacaneæ circa multorum librorum lectionem applicationis abusum, Seneca pariter detestatur eadem similitudine, dum inquit : In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidit necesse est eis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim et properanter transmittunt. Senec. ep. ii.

ASCETICA.

In primis laborare debet Asceta, ut dignam de S. Scripturæ excellentia æstimationem concipiat, quem in finem serviet illi, quod SS. Patres pronuntiarunt, et specialiter S. Bonaventura, qui dixit : Liber Scripturæ est reparativus totius mundi, ad Deum cognoscendum, laudandum, amandum. (S. Bon. s. xiii, *in Hexamer.*) Sed S Laurentius Justinianus : Sanctæ paginæ, inquit, potissime bonitatem Conditoris commendant. Nostram voluit per has Deus erudire ignorantiam, informare fidem, spem solidare, ablactare a visibilibus, et invisibilibus pascere. Prorsus totus cæcatus esse Mundus absque adminiculo Scripturarum, quæ confundunt errores, iniquis supplicia minantur æterna, justisque præmia pollicentur perpetua. S. Laur. Justin. *de Cast. Conub.* c. xiv. Singulariter vero hoc in genere notandum est, quod S. Thomas Villanova sapienter pronuntiavit, qui, cum ante dixisset : Ars artium est, servire Deo ; suprema sapientia, scire bene vivere ; si hanc nosti, etiamsi cætera nescias, sapientissimus es ; qui hanc nescit, quidquid sciat, ignorantissimus est ; hanc omnes Christiani profitentur. Quid enim aliud est Christianismus, nisi ars docens homines pie vivere, placere et servire Deo ? Postea hæc verba subjungit : Nam hujus artis regulas et præcepta docet Evangelium et Scriptura sacra. S. Thom. Villanova, conc. ii, *in Dom.* i. *Quadrages.*

Nosse debet, quos libros præcipue tum ipse legere, tum aliis suadere debeat, quos quidem Nigronus ad tria revocandos putat, nempe ad *S. Scripturam*, quæ, sicut alios librosdignitate et utilitate longissime antecessit, ita merito etiam præ reliquis suadenda est illis, qui capaces sunt ; ad *SS. Patres*, de quibus loquebatur S. Philippus Nerius, quando dicebat, legendos esse libros, qui a littera S incipiunt, in horum enim lectione pietas et devotio non solum non vacillat, sed magis stabilitur, et augetur ; et tandem ad libros aliorum scriptorum, præcepta ascetica et exempla salutaria continentes, inter quos *Collationes* et *Vitæ Patrum* præcipue commendantur. Quid enim hæ aliud sunt, inquit S. Benedictus, nisi bene viventium et obedientium Monachorum exempla, et instrumenta virtutum ? (S. Bened. in cap. vii, *Reg.*) Hinc ex eorum lectione S. Thomas Aquinas, Sanctus Dominicus, S. Fulgentius, S. Philippus Nerius, Spiritum sanctitatis præcipue hausisse scribuntur. Sed et libellus de Imitatione Christi, a Venerabili Patre Thoma Kempensi scriptus præ reliquis commendari meretur. Est enim, teste Bellarmino, opusculum utilissimum, et jure in tota Ecclesia summo omnium consensu receptum, et frequentatum, et in omnes linguas conversum. Ego certe ab adolescentia, et usque in senectam hoc opusculum sæpissime volvi, et revolvi, et semper mihi novum apparuit, et nunc etiam mirifice cordi meo sapit. Georgius Mayr, nostræ Societatis, qui cum Græcum fecit, in omnes propemodum variarum nationum extra Europam ubique sparsarum linguas translatum esse affirmat. Qui Directorium exercitiorum conscripserunt, tanti æstimant hunc librum, ut eum unum legi permittant ab eo, qui facit exercitia in hebdomada prima, quo tempore quævis alia lectio interdicitur. Ludovicus Pontanus, in vita Baltassaris Alvarez, tradit his verbis illius viri spiritualis de hoc libro magnam opinionem : Ejus sententiis frequenter utebatur in exhortationibus, eo quod cordi adhærescant, Deusque illas imprimat bono affectu legentibus. Et cum esset visitator provinciæ Aragoniæ, fecit, ut in ea agnoscerent ejus libri usum, cujus emolumentum experientia illi perceperunt, invenientes singuli, quacumque ex parte eum aperirent, quod animæ suæ conveniebat. De eadem fortuita libelli hujus apertione et lectione cum aliquo spirituali proventu, extat item testimonium Hermanni Hugonis scribentis hæc verba : Multos dicere frequenter audivi solitos, se ex libello Thomæ a Kempis sic (fortuita

lectione) quærere in mœrore consolationem, neque fere unquam falli. Multa quoque de laudibus hujus libelli Henricus Sommalius noster in epistola dedicatoria illi præposita: Inter cætera, totius Christianæ Philosophiæ compendium eo contineri, non nisi parum pio displicere posse; non modo familiarem, sed etiam ducem vitæ, ac magistrum esse oportere. Quod de M. Tullio Quintilianus pronuntiavit: Ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit, dici posse verius de hoc auctore. Ille in perfectione religiosa se profecisse sciat, cui de Imitatione liber hic valde placebit. A viris Religiosis laudari hunc libellum rationabile est, sed valde mirum apud infideles in pretio esse. Narrat idem Henricus, quemdam ex ordine nostro navigasse redimendorum captivorum gratia, Argirium Mauritaniæ (quod oppidum Alger vulgo dicitur, estque piratarum Maurorum receptaculum mari Tyrrheno infestissimum) ab Rege, qui Christianus fuerat, in Bibliothecam introductum; porrectos illi varios codices visendos, atque in his libellum hunc de imitando Christo vulgari Turcarum lingua conversum. Qui Rex illud adjecit memorabile: Pluris sese unicum illum facere, quam reliquos omnes Mahumetanorum. S. Ignatius noster, quod aliis suadebat faciendum, ipse præstabat, qui quotidie ante prandium caput unum ex hoc libello legebat eo, quo disposita sunt, ordine; post prandium alterum, quod fortuita codicis apertio dabat, inveniens in eo semper materiam statui præsenti accommodatam. Traditum hoc est memoriæ posterorum a Ludovico Gonzalez, qui Joannis III, Lusitaniæ Regis, rogatu, S. Ignatii vitam ac mores observaverat. In archivio Romanæ domus hæc observatio manuscripta conservatur. Addit Petrus Ribadeneira, eidem S. Ignatio placuisse adeo lectionem hujus libri, ut multorum judicio, vita ipsius facta esset imago viva doctrinæ libello inclusæ. *Apud Nigron.* tr. *Ascet.* t. cap, III et IV.

Nosse debet, quid de profanorum librorum lectione sentiendum sit, videlicet si salutaria principia moralia contineant, posse eos licite et cum fructu legi; sic enim suadet in primis auctoritas multorum Patrum spiritualium, qui magni fecerunt Philosophorum de virtutibus doctrinam. De S. Basilio nihil attinet dicere, qui docet modum exprimendæ ex illis utilitatis. Quoties S. Hieronymus axiomata Philosophorum producit, ad probationem suarum conclusionum? Quoties S. Gregorius Nazianzenus, atque S. Ambrosius? S. Dorotheus in domesticis cohortationibus, tanquam apis argumentosa, dicta Philosophorum decerpebat, atque discipulis porrigebat. Neque vero Patres antiquiores tantum id præstiterunt, sed etiam recentiores Magistri. S. Bernardus ad Fratres de Monte Dei, præcepta scribens vitæ religiosæ, monitum de viro gravi, sibi tamquam pædagogo et custode cogitatione constituendo, videtur a L. Seneca sumpsisse verba; item ejusdem Philosophi sua fecit, ubi disseruit de Lectione Spirituali. Umbertus pariter, Joannes Turrecremata, Ludovicus Granatensis, Senecæ sententiis suos spirituales tractatus asperserunt, suadet id ipsum deinde etiam fructus spiritualis, quem a se collectum e lectione Philosophorum moralium, Sancti viri testantur. B. Augustinus agens de lectione libri Tulliani, qui dicebatur *Hortensius*, et continebat exhortationem ad Philosophiam, inter alia multa, quæ de commotione animi sui ad amorem sapientiæ, et ejus immortalitatis, excitata per eum librum, hæc ait: Ille vero liber mutavit affectum meum, et ad te ipsum, Domine, mutavit preces meas, et vota ac desideria mea fecit alia. Viluit mihi repente omnis vana spes, et immortalitatem sapientiæ concupiscebam, æstu cordis incredibili, et surgere jam cœperam, ut ad te redirem. De Sancto Carolo Cardinali tres ejus vitæ scriptores, Augustinus Valerius Cardinalis, oculatus testis; Carolus a Basilica Petri, Episcopus Navariæ, ac Joannes Petrus Glussianus tradunt, eum delectatum cum aliorum bonorum Philosophorum moralium doctrina, tum præcipue Stoicorum sententia; lectitasse frequenter Enchiridium Epicteti, cum Cardinalis Romæ juvenis degeret, ejusque præcepta per id tempus observare visum. Horum librorum lectione atque studio fatebatur se mirifice incitatum ad comprimendas animi perturbationes, ac perfectam ejusdem moderationem comparandam. Pudet Religiosum quemque, nisi factus sit effrons, attente considerantem documenta vitæ melioris, quæ de Philosophia morali petuntur, rationi non parere, quam Philosophi non pauci sine lumine Evangelii ducem ac magistram sequebantur. Erubescit vir ingenuus ac perfectionis amans, legens heroicas virtutum actiones quorumdam Philosophorum, nec sinit se patientia incom-

modorum a Socrate, contemptione rerum humanarum a Diogene, studio paupertatis ab Epicteto, amore veritatis ab Aristotele superari. (Idem, ibid.) Quis vero modus in his auctoribus legendis sit observandus in simili lectione, prudenter indicavit Sebastianus Barradius dicens : Legendi quidem sunt Ethnicorum libri, non quidem lasciviæ turpes, sed ii, qui aliquid utilitatis, non lasciviæ, Christianis adferre possunt; quo autem modo sint legendi, Hieronymus docet, proposita similitudine ex Libro Deuteronomii, capite XXI, quo loco præcepit Dominus, ut captam in bello pulchram feminam, uxorem nemo ducere audeat, nisi prius cæsariem raserit, ungues circumciderit, vestemque, in qua capta est, deposuerit. Idem in libris Ethnicorum faciendum ; radenda sunt et explodenda multa, quæ a Christiana fide vel castitate abhorrent, multaque circumcidenda inutila. Audiamus Hieronymum : Quando, inquit, Philosophos legimus, quando in manus nostras libri veniunt sapientiæ sæcularis, si quid in eis utile reperimus, ad nostrum dogma convertimus ; si quid vero superfluum, de idolis, de amore, de cura sæcularium rerum, hæc radimus, his calvitium inducimus, hæc in unguium morem ferro acutissimo desecamus. (BARRADIUS, t. III, c. XXXII,) Sed et Sanctus Franciscus Salesius ejusdem fuit sententiæ, hinc scripsit sequens monitum : Et de historiis profanis quid dicam ? Bonæne sunt, an malæ ? Bonæ sunt utique, sed utendum est illis, quemadmodum fungis, id est, valde raro, et solum ad excitandum appetitum ; et tunc quidem etiam convenit, ut bene sint digestæ, et præparatæ, et, ut Sanctus Hieronymus ait, præcidendi sunt illis ungues et capilli, quemadmodum Israelitæ mulieribus captis, quando eas in uxores accipere volebant, solebant facere, id est, totaliter accomodandæ sunt Evangelio, veræque virtuti Christianæ, auferendo ab illis, quidquid est reprehensibile actionum profanarum, hominum gentilium, et ut sacer Textus ait : « Separandum est pretiosum a vili. » S. FRANÇ. SALES. lib. I, *Epist. apud Mansi*, disc. XIII, n. 2.

Nosse debet, quis præcipue finis Lectioni huic præfigendus sit, nimirum is, qui ab Alcuino indicatus est, dicente : Ille beatus est, qui divinas Scripturas legens, verba vertit in opera. (ALCUIN. l. *de Virt. et Vit.* c. V.) Hinc et S. Hieronymus hortatur : Memineris, Dei illa verba esse, qui legem suam non solum sciri, sed impleri jubet. (S. HIER. *apud Mansi*, disc. XI, n. 3.) Quid enim prodest, inquit Sanctus Bernardus, lectione continua tempus occupare, Sanctorum gesta et scripta legendo transcurrere, nisi ea etiam masticando et ruminando, succum eliciamus, et transmittamus ? Certe, qui sacras litteras legit, neque quod legit, ad actionem confert, similis est ei, qui crebro seminat, metit nunquam ; itemque mulieri, quæ parit semper, sed natos illico sepelit ; ut recte quidam contemplativus dixit. S. BERN. *de Schola claustr. apud Mansi*, disc. n. 10.

Nosse debet, quo ordine sibi subserviant lectio, meditatio, et oratio ; quem quidem Sanctus Bernardus indicavit, dum dixit : Lectio quasi solidum cibum ori apponit, meditatio masticat et frangit, oratio saporem acquirit. (S. BERN. l. c.) Unde et alibi dicit : Sed et de quotidiana lectione aliquid quotidie in ventrem memoriæ dimittendum est, quod fidelius digeratur, et sursum revocatum crebrius ruminetur, quod proposito conveniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum, ut aliena cogitare non libeat. Idem, *de Vit solit.*

Nosse debet causas, quæ fastidium creant lectionis, ut eas removere possit, quas breviter indicavit Hugo Victorinus, dum dixit : Lectio duobus modis fastidium ingerere solet, et affligere spiritum, qualitate videlicet, si obscurior fuerit ; et quantitate, si prolixior extiterit, in quo utroque, magno uti moderamine oportet, ne quod ad refectionem quæsitum est, sumatur ad suffocationem. HUGO VICT. l. V, *Erud. didasc.* c. VII.

Nosse debet, quid dicendum sit illis, qui objiciunt, se non intelligere satis, quæ legunt. Quem ad finem conducet, quod in vitis Patrum legitur, quod scilicet quidam Monachus apud Sanctum Arsenium conquerebatur, sibi sacrarum litterarum, quas et nosset et didicisset, intellectum perdifficilem esse, et re ipsa experiri se, quod exilis admodum consolatio ex iis ad se redeat, eaque de causa animam suam vehementer turbari. Ad quæ Arsenius : Fili mi, necesse est, ut magno cum ardore meditationi divinæ doctrinæ insistas. Audivi enim ex Abbate Pœmene, aliisque Patribus, quod serpentium incantatores ipsimet verba, quibus serpentes effascinant, non intelligant, serpentes autem audientes verba ea intelligant, eorum vim percipiant, eisque obediant. Idem et

nobis faciendum est, etiamsi virtutem et efficaciam sacrarum litterarum plane non intelligimus, attamen virtutem verborum Diaboli percipiunt, et fugantur.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.—D. Chrysostomus considerans, quod Hebræi prima vice miraculosum et inusitatum Mannæ cibum videntes attoniti dixerint : « Manhu, Manhu ? » id est, quid est hoc ? ad nostrum profectum, sequentem inde eruit moralitatem : Ut quotiescumque audimus verbum, vel etiam quotiescumque legimus verbum, admoneat nos ipsum nomen requirere, quid est hoc quod audimus ? vel quid est hoc, quod legimus ? S. Chrys. hom. xli, *in Matth.*

Deus olim in Levitico, hoc populo suo divinum præceptum imposuit : Omne quod habet divisam ungulam, et ruminat in pecoribus, comedetis ; quia omnia in figura contingebant illis, ideo Philo Hebræus illius præcepti declarans mysterium, Deum hoc præcepto insinuare voluisse dixit, non sufficere, ut cibus verbi Dei, quo nostra alitur anima, deglutiatur, sed insuper necessum est, ut ruminetur ad hoc, ut in nostram convertatur substantiam, et alimentum. (S. Bern. *de Scal. Claust.*) Unde et Diogenes Laertius, Philosophus moralis, de bonis libris per nos lectis agens, id ipsum pulcherrima hac confirmat sententia : Oportet ista animo potius, quam chartis inscribere. (Diog. Laertius.) Ast præ omnibus veritatem hanc quam clarissime expressit D. Chrysostomus dum ait : Hortor, ut lectioni vacetis, sensus imbibatis ; eosque vestris inscribatis mentibus, quod cum Judæi neglexerunt, libros manibus ferre jubebantur ; nos vero non in manibus, sed domi habeamus, immo cordibus, ut oportet, inscribamus ; hoc enim pacto abstersis vitæ præsentis sordibus, futura bona consequemur. S. Chrys. hom. lii, *in Joan.*

Utilitas.— Panes doctrinæ sunt quinque verba, quibus tota Scriptura comprehenditur. Quæ sunt hæc ? Crede, fuge, age, time, appete. Crede in Deum ; fuge vitium ; age bonum ; time supplicium ; appete præmium. Volo quinque verba hæc sensu meo loqui. S. Bon. ser. iii, *in Dom. 4 Quadr.*

Sapiens (Lector) teste S. Hieronymo, numquam solus est, habet secum omnes, qui boni sunt, et fuerunt ; et animum liberum, quocumque vult, transfert ; quod corpore non potest, cogitatione complectitur, et si hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo, nec unquam est minus solus, quam cum solus fuerit. S. Hier. *in Reg. Monac.*

Obtentu orationis (monet S. Isidorus) ne perdideris lectionem, quia non semper eam quilibet paratam potest habere, cum orandi potestas in promptu sit, ne putes parvam nasci utilitatem ex lectionis auditu, siquidem oratio fit ipsa pinguior, dum mens recenti lectione saginata, per divinarum rerum, quas nuper audivit imagines, currit. Nam et Maria, soror Marthæ, quæ sedens ad pedes Jesu, sorore neglecta, verbum intentius audiebat, bonam partem sibi elegisse Domini voce firmatur. S. Isid. l. I, *de Offi. Eccl.* c. x.

Sapientissimus quidam aliquando dixisse fertur : Summa sapientia, loqui cum sapientioribus sine voce. Quo et Hugo Victorinus, ubi de Christianæ disciplinæ et scientiæ sacræ profectu tractat, respexisse videtur, ait namque : Hæc vero scientia duobus modis comparatur, videlicet exemplo et doctrina, utrique autem bonorum librorum studium et lectura opitulatur : Exemplo, quando Sanctorum facta legimus ; Doctrina, quando eorum dicta ad disciplinam nostram pertinentia discimus. Hugo Vict. l. V, *de Erud. didasc.* c. vii.

In Luciferi contra se insultibus, Salvator noster, ne succumberet, non una, sed trina vice sacram objecit Scripturam. Hisque armis dexterrimis vicit, fugavitque inimicum infernalem : « Vade, Satana, etc. » tunc reliquit eum Diabolus. Certum vero est quod omnis Christi actio, nostra sit instructio ; ac proinde a Dæmone se tentari permisit, cujus victor effici voluit, sacros ei libros objiciendo, ut nos doceret, quod per horum librorum lectionem astuti serpentis evadere possimus insidias et infestationes. (Mansi, disc. xvi, n. 1.) Unde Cajetanus ait : Discamus hic omnes arma nostra esse sacras Scripturas. Cornelius Jansenius exinde eamdem pariter deducit moralitatem, inquiens, nulla contra Diabolum efficaciora esse arma, quam Scripturarum meditationem, et verbum Dei, quod est gladius spiritus, omnes facile resecans cupiditates carnis, suggestionesque Diaboli. S. Thomas de Villanova in concione in primam Dominicam Quadragesimæ, eam-

dem ponderationem his verbis proponit : Valde nobis in hoc Christus commendavit sacram Scripturam, dum omnes istos Diaboli conflictus sacræ Scripturæ auctoritatibus superavit. S. Thom. Vill. conc. I, *in Dominic.* I *Quadr.*

Damnum vetitæ Lectionis. — Nota est historia, quam liber Josue tradit de Achan, qui furto suo contra Dei præceptum admisso, populi illius, qui magnis passibus ad terræ promissæ acquisitionem properabat, victoriosum sistit cursum. Circa quod factum admirabundus Origines, talem formal discursum : Videamus peccatum ejus quale sit ; furatus est regulam auream, et posuit eam in tabernaculo suo. Non puto, in illo furto parvi auri, tantam vim fuisse peccati, ut tam numerosam Domini Ecclesiam macularet. Sed videamus, ne forte interioris intelligentiæ sit tanta ac tam gravis acerbitas ista peccati. Multus decor est in verbis, et multa in Philosophorum vel Rhetorum sermonibus pulchritudo, qui omnes de civitate Jericho, id est, hujus mundi homines. Si ergo invenias apud Philosophos perversa luculenti sermonis assertionibus decorata, ista est regula aurea ; sed vide, ne te decipiat fulgor operis, ne te rapiat sermonis aurei pulchritudo. Memento, quia Jesus anathema jussit esse, omne aurum, quod in Jericho fuerit inventum. Si poetam legeris, modulatis versibus et præfulgido carmine deos, deasque texentem, ne delecteris eloquii suavitate, regula aurea est ; si eam sustuleris, et posueris in tabernaculo tuo, si introduxeris in cor tuum ea, quæ ab illis asseruntur, pollues omnem Ecclesiam Domini. Hoc fecit infelix Valentinus et Basilides, hoc fecit et Marcion, Hæretici. Origenes hom. vii, *in Josue.*

Quærunt nonnulli, cur Dæmones a corpore hominis obsessi, a Christo exire jussi, potius ab eodem petiere licentiam ingrediendi in porcos, velut in centrum ipsorum, quam in alia nobiliora animalia? Hujus utique causa non est alia quam quia libri obsceni et turpes, sapidissimus sunt Dæmonum cibus, quibus sicut porci glandibus satiantur, quibus S. Hieronymus in epistola quadam ad S. Damasum, libros lascivos similes esset dicit ; ac proinde Petrus Blessensis in epistola quadam, ad ejusdem nominis M. Petrum Blessensem, eum a lectione librorum profanorum, in sacrorum et spiritualium lecturam exhortans, his eum verbis affatur : Exi, quæso, de fœditate porcorum ut pascaris in deliciis domus Dei ; mensa enim sacræ Scripturæ contra omnes spirituales nequitias tibi parata est. Ideo mensa Tabernaculi ad Aquilonem posita memoratur, propterea scriptum est : « Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. » Petrus Blessens. ep. lvi.

Persona quædam fide dignissima retulit, quod, cum eo tempore, quo energumenus quidam exorcizabatur, ad eumdem quoque locum curiositatis causa juvenis quidam studens convenisset, Dæmon eidem cum magna benevolentiæ significatione occurrit, dicens : Beneveneris, mi dilecte Presbyter, qui Missale meum in sinu tuo semper tecum defers, alludendo ad poema Ariosti, quod semper secum habebat, quocumque iret. Unde non sine causa auctor quidam se lectionem profanam supra modum detestari ait. Sicut enim Christus suos habet Evangelistas, ita quoque Dæmon Evangelio tot poetas et auctores obscenos et profanos, veluti totidem Evangelistas suos opponere nititur. Mansi, disc. xvi, n. 12.

S. Joannes Apostolus in Apocalypsi hanc sibi visionem in spiritu ostensam esse scribit : « Vidi, et de ore draconis, et de ore bestiæ egressos spiritus tres immundos, in modum ranarum. » Porro per hunc draconem Rupertus Abbas Dæmonem intelligit, inquiens : Draconis nomine Diabolus significatur. At vero quid hæ ranæ denotabant? Idem venerabilis auctor scribens super caput trigesimum secundum Lib. primi Exod. et super præfatum Apocal. textum, per hasce ranas lascivorum Poetarum libros et tractatus intelligendos esse, dicit. De his enim idem Rupertus ait : Rogitant Spiritus immundos aspirare sibi, sacrilega præsumptione Deos appellantes, cum Dæmones sint. Hi autem ex ore draconis infernalis egrediuntur, quia libri et poemata illorum veri sunt Dæmonis partus. Ibid.

Damnum neglectæ Lectionis sacræ. — Holophernes Bethuliam invasurus, quo putatis usus fuerit stratagemate? dum circuit per gyrum, reperit, quod fons, qui influebat, aquæ ductum illorum a parte australi extra civitatem dirigeret, et incidi præcepit aquæ ductum illorum. Philisthæi pariter populum electum devincere volentes, omnes gladiorum et lancearum fabros et artifices e terra Israel evocarunt. Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra

Israel; caverant enim Philisthiim, ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam. Nunc igitur tam Holophernes, quam Philisthæi, inimicos figurabant infernales, qui aquæ ductus incidere conantur, armaque auferre; scilicet librorum sacrorum lectionem, aut abolere, aut impedire. Ita namque Glossa dictum libri Judith textum, et illum alium libri Regum interpretatur, dum ait : Hoc enim maxime Diabolus studet, ut doctrinæ fluenta, et virtutum arma auferat, et sic sævitiam suam in interitum servorum Dei velociter expleat. Judith. c. VIII. *Mansi*, ib. n. 8.

LIBERALITAS.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est virtus, ad liberas largitiones pecuniarum, sine spe retributionis, inclinans. (S. Aug. *de Defin.*) Vel, ut alius definit, est habitus virtuosus in quærendis erogandisque pecuniis decorum servans; atque adeo inter avaritiæ et prodigalitatis extrema consistens. Pecuniæ autem nomine intelligitur, quidquid pecuniis æstimari potest. S. Ambrosius notat, eam etiam Benignitatis et Beneficentiæ nomine appellari. Benignitas quidem, si præcise in affectu consistat (neque enim satis est, inquit, benefacere, nisi id ex bono fonte, hoc est, ex bona voluntate proficiscatur). Beneficientiæ vero, si effectum cum affectu jungat, ad quem hortatur Apostolus, dicens : Nunc vero et facto perficite, ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit et perficiendi ex eo, quod habetis. II. Cor. VIII, 11.

Divisio. — Duo sunt genera liberalitatis, Cicerone teste, unum est in dando beneficio, alterum in reddendo. Illud in nostro est arbitrio, hoc negare non licet viro bono, siquidem sine gravi damno præstare possit. Lib. I, *de Offic.*

Actus. — Bona sua Christo, pauperibusque ad usum sine tædio communicare.

Eadem pro Dei honore, et proximi utilitate, liberaliter impendere.

Esse fugitantem litium, abhorrentem a jurgiis, et suo jure potius cedere, quam aliena jura pulsare.

Prævenire preces alterius; nam ut recte Poeta cecinit.

Gratius est donum, quod venit ante preces.

Liberali et benevolo affectu offerre; nam Liberalitas, teste S. Ambrosio, non cumulo patrimonii, sed largitatis definitur affectu. *de Viduis.*

Cito offerre, quod dare quis decrevit; nam, ut Seneca recte dixit, duplex fit bonitas, cum accedit celeritas.

Non diu differre negationem, si dari non potest, quod petitur; nam, teste Cassiano, honestius est negare, quam longos terminos dare; quia minus decipitur, cui celeriter negatur. *In Epist.*

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — In omni dato hilarem fac vultum tuum; et in exultatione sanctifica decimas tuas. Eccl. XXXV, 11.

Bono animo redde gloriam Deo; et non minuas primitias manuum tuarum. Ib. 10.

Noli offerre munera prava, neque enim suscipit illa (Deus). Ib. 10.

Utilitas. — Munus absconditum extinguit iras, et donum in sinu indignationem maximam. Prov. XXI, 14.

Qui odit avaritiam, longi fient dies ejus. Prov. XXVIII, 16.

Beatius est magis dare, quam accipere. Act. X, 35.

Alii dividunt propria, et ditiores fiunt; alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt. Prov. XI, 24.

Da Altissimo secundum datum ejus, et in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum; quoniam Dominus retributor est, et septies tantum reddet tibi. Eccl. XXXV, 12.

Dignitas. — Oblatio justi impinguat altare, et odor suavitatis est in conspectu Altissimi. Eccl. LXXXV, 8.

Sacrificium justi acceptum est, et memoriam ejus non obliviscetur Dominus. Ib. v. 9.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. — Affectus divitem collationem facit, aut pauperem, et pretium rebus imponit. Hinc Christus duo æra viduæ illius

divitum muneribus prætulit, quia totum illa, quod habuit, contulit. S. Amb. lib. I, *de Offic.*

Non est perfecta liberalitas, si jactantiæ magis causa, quam misericordiæ largiaris. Affectus tuus nomen imponit operi tuo. Quomodo a te proficiscitur, sic æstimatur. Ibid.

Nemo plus tribuit, quam qui nihil sibi reliquit. Id. l. *de Viduis.*

Nemo invitus benefacit, etiamsi bonum est, quod facit; quia nihil prodest spiritus timoris, ubi non est spiritus charitatis. S. Bern. *ad Eugen.*

Etiam bonorum operum sumptibus immoderatum esse non decet. Pulchra liberalitas etiam erga pauperes mensuram tenere, ut abundantes pluribus, non conciliandi favoris gratia ultra modum fluere. S. Ambr. *de Offic.*

Numquam est vacua manus a munere, si arca cordis repleta est bona voluntate. S. Greg. l. XIX *Mor.*

Nulli parvus est census, cui magnus est animus; nec de rei familiaris mensura pendet modus pietatis.

Majora quidem sunt impendia divitum, et minora mediocrium; sed nec discrepat fructus operum, ubi non deest affectus operantium. S. Greg. *in Regist.*

In liberalitate modus adhibendus est rerum, et personarum; rerum, ut non omnia uni, sed singulis quædam præstentur, ut pluribus prodesse possimus; personarum, ut primum justis, deinde peccatoribus, quibus tamen prohibemur dare, non quia homines, sed quia peccatores sunt. Modus liberalitatis tenendus est, ut quod benefacis quotidie facere possis. S. Ambros.

Largitas, liberalitas et beneficentia regiæ laudes sunt. Lactant.

Hilaris dator non solum a Deo diligitur, sed et qui tribuit in simplicitate. S. Bern. *sup. Cant.* ser. xxvii.

Qui liberalis benignusque est, officium non fructum sequitur. S. Aug. l. II *Meditat.*

Dandum est, quod nec tibi nec aliis noceat. Id. *de ser. Domini.*

Beneficia pauperibus magis quam divitibus eroganda. S. Ambr. l. II *Offic.*

Utilitas, — Non putemus aliud, dum benefacimus aliis, quam quod magnum quoddam beneficium apud Deum deponamus. Nam ipsi sumus, qui beneficio fruimur, et multum lucri inde nobis conciliamus. S. Chrys. hom. xxvii, *in Gen.*

Parva ex voto offerentis fiunt magna munera; consumunt autem auctorem suum, quæ constiterint extorta. Valer. *in Ser.*

Dignitas. — Justitia et beneficia tam immortales sunt, quam mens et anima, quæ bonis operibus similitudinem Dei assequitur. Lactant. l. *de Ira Dei.*

Nihil tam divinum habet homo, quam de aliis bene mereri, tametsi ille majora, hic minora beneficia conferat, uterque nimirum pro viribus. S. Greg. Nyss. *in Orat. de Pauper. amand.*

Hæc est felicitatis comes; hæc est omnium virtutum laudatissima; hæc assidet Deo et magna est cum ipso necessitudine conjuncta.

EXEMPLA CATHOLICA.

Leo X nulla in re ardentius et effusius quam ad liberalitatis gloriam anhelavit, eos principe loco indignos existimans, qui non benefica manu facultates suas erogarent. Purpuream crumenam quotidie aureis nummis sibi repleri jubebat, ad incertas exercendæ liberalitatis occasiones. Magnum veteranorum militum ac exulum alebat numerum; nihilque vehementius contendebat, quam ut nemo calamitatem et fortunæ adversæ mala et incommoda pateretur. Tanta agrestium populorum gratulatione atque lætitia accipiebatur, ut cuncti ejus adventum se vel fertilissimis messibus fertiliorem sentire faterentur, utpote qui senibus ac pueris effusis in viam, ac rustica munera offerentibus non modo pecuniam largissima manu offerebat sed etiam appellando, quanam in re acrius premerentur; et virgines quidem dote præbita sublevaret; affectis autem morbo et ætate, vel numeroso familiæ onere prægravatis æs alienum protinus dissolveret. Jovius, *in Leon.* X. l. IV.

S. Nicolaus, Myræ Episcopus, cum cognovisset, civem quemdam tres filias suas ob inopiam prostituere cogitasse; per trinas noctes tantum pecuniæ clanculum in ejus domum injecit, quantum abunde sufficiebat ad omnes tres dotandas. Sur. *in Vita* vi, *Dec.*

Cum Richardus, Britanniæ Rex, natalitiis Christi Salvatoris diebus auro gemmisque sacram ædem, quam in palatio habebat, pro

more exornasset, atque Aquenis Episcopus, Bonifacii Pontificis Legatus, mane in ea sacrificium peregisset; dum is pontificias exueret vestes ex aræ ornamentis nihil moveri Rex jussit, apprehensoque postea humane per manum Legato, cum ad aram accessisset, dixit æquum non videri Pontificium Legatum in aliena veste, ornamentisque sacrificare, propterea quæcumque in ea æde essent ei dono se dare. Bapt. Tulg. l. IV.

Clemens Pontifex viduarum, orphanorum et reliquorum Christi pauperum nomina in codicillo feriatim descripta lectitabat, ne quem die ullo præteriret, cujus miseriam non sublevaret, et (quod majus est) ad longinquas regiones transmittebat indigentibus subsidia. Neminem ex his, quos ad veritatem ab errore converterat, passus est mendicare, ut qui se auctore jam Christo viverent, se quoque auctore famem non timerent. Ibid.

Usuvaldus, Britanniæ Rex, miserorum turbam quotidie ad se in atrium confluentium alere solitus perhibetur, et quo die quodam major esset mendicantium multitudo, quam ciborum copia, ne eos, qui superfuerant, vacuos dimitteret, totidem argenti fragmentis aurea lancea comminuta donavit. Forte aderat Adrianus, Indifranensis Episcopus, et liberalitatem miratus, apprehensam Regis dexteram dum deosculatur, ait, tam promptam in dando manum senescere prorsus non debere. Hinc aiunt, adhuc integram in monumento, illibatamque ostendi, ut quam merito id olim ab Episcopo prolatum fuerit, tam certus eventus testis etiam posteris foret, ipsius animam fulgere in cœlo, cujus corporis pars tot jam annos incorrupta permanere cerneretur in sepulchro. Ibid.

Carolus Magnus, ut Adrianum Pontificem adversus Desiderii Longobardorum arma tueretur, bis in Italiam descendit, domitaque Longobardorum rabie, dono data a Pipino patre confirmavit, eisque haud contemnendam Hetruriæ partem addidit, quæ omnia si voluisset, retinere sibi poterat. Ibid.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius minutissima quæque inquirebat ad necessitatem subditorum spectantia. Et cum P. Polancus admiratus tantam diligentiam quæreret, cur non immediatis Superioribus tales curas relinqueret? respondit ille : Scias, Polance, me ita erga omnes affectum esse, ut libenter scirem, si possem, quoties pulex mordeat in nocte unumquemque e Fratribus meis. Ex eadem charitate et liberalitate emptori Domus Professæ præcepit, ut ex tribus veluti classibus rerum venalium in foro nihil emeret pro cibo et potu nostrorum, quod esset in prima classe pro solis Cardinalibus aliisque ejusmodi viris principibus expositum; nec ex tertia pro solis pauperibus et mendicis; sed ex media, ex qua pro mediæ sortis hominibus cibus potusque emi consuevit. Lanciz. opus xii, n. 32.

Franciscus Borgias iter ingressurus comiti negotium dabat, ut de tenui viatico quemvis mendicum obvium indonatum abire ne sineret, ea tamen moderatione adhibita, ut a mendico etiam profectam eleemosynam appareret. Si nihil, quod aliis largiretur, suppeteret, animo lætus, quod sponte inopiam esset amplexus, mente hæc agitabat : Si esset, quam libenter tibi darem! *Vita* l. IV, c. vii, n. 3.

Cum P. Franciscus Villanova, ut domesticis, quos regebat, melius provideret, parcius alios, licet idoneos, in Societatem admitteret, visus est fontem divinæ pietatis obstruxisse; nam subsidia ne consueta quidem cum omni diligentia conquisita acquirebat. Unde laxatis cancellis liberalitatis tantam mox omnium rerum necessariarum affluentiam expertus est, ut in posteriores quoque annos redundaret. *Hist. Soc.* p. II, l. I, n. 136.

Cum P. Bernardinus Realinus Vice-Rectoris officio functus, jussisset abundanter dare vinum externis infirmis, et domesticis fabris; septemque ideo urnæ ex dolio exhaustæ essent, P. Franciscus Riviera minister cum Fratre socio cellam ingressus, dolium plenissimum invenit, quod diu duravit, et contra morem climatis semper melius inventum est. *Vita*, c. xiv.

Alphonsus Rodriquez vidit quondam dæmones nube densa, protrusa supra vineam, illam grandine frequenti penitus destruxisse; ideoque jussus esta Deo Superiori significare, id ob defectum spei, et parcitatem ipsius contigisse. Lanciz. opusc. xii, n. 35.

P. Balthasar Alvarez, quoniam experiebatur valde expedire, liberaliter dare subditis, quæ erant corporalia, ut liberius illi

spiritualibus attenderent; ideo valde liberalis erat, ac sollicitus, ut omnibus daretur, quod ad cibum et vestitum erat necessarium. Quamobrem ipsemet singulis mensibus cum vestium custode singula cubicula visitabat, et quærebat, quid cuique deesset, ut ei prospiceret; id curabat scripto notari, et rationem postea exigebat, an esset executioni mandatum. Hinc tam liberaliter Deus Collegio, quod regebat, prospexit, ut exiguis redditibus, et absque contractis debitis, sexaginta aut septuaginta personas aleret. *Vit.* c. XXIII, fol. 260 et 269.

EXEMPLA PROFANA.

Alexander Severus nullum diem prætermisit, quo non pium aliquid liberale, humanumque fecerit, publici tamen ærarii ratione habita, ut, quamvis imperaret, sciret tamen moderatum se prudentemque Reipublicæ dispensatorem esse debere. LAMPRIDIUS, *apud Langium in Polyan.* f. 656.

Clemens et Ptolemæus, Ægyptiorum Reges, adeo benefici erga alios extiterunt, ut inde Beneficiorum cognomina deportarint, *Evergetæ* dicti. ALEX. AB ALEX. l. III, c. XI.

Cyrus, Persarum Rex, nullum in suos liberalitatis genus prætermisit; non pecuniam, sed amicos, quibus ipse plurimum divitiarum contulisset, suos esse thesauros ducens.

Admodum liberalis fuit Ptolemæus Philadelphus, Ægyptiorum Rex. Nam quod Judæorum legem in Græcam ex Hebraica lingua transferri per Eleazarum Principem sacerdotum curaverat, ut hujus operæ gratiam interpreti ferret, ultra ingentem vim auri dono Hierosolymorum templo datam, Judæorum quoque gentis captivos omnes per totam Ægyptum conquisitos sub prioribus Regibus bello captos (quanquam centum millium numerum æquarent), pecunia sua a dominis omnes redemit, ac libertate donavit, ut sine populorum jactura, quod ab omnibus Regibus fit, ipsius liberalitas exerceretur. Magnum profecto liberalitatis argumentum et Ptolemæo Rege dignum; etsi tanta res in longe quoque potentiore plusquam ingens videri debuit. BAP. FULGOS. l. IV.

Magna liberalitate erga Romanos usi sunt Massilienses, cum audita clade, qua Romanos Galli affecerant, publico funere mortuos Romanos prosequuti aurum quoque Romano populo miserunt, ut facilius se a Gallis redimerent, quod cum Massilienses egerint, nondum aliqua societate aut fœdere Romanis conjuncti, procul dubio et amoris et liberalitatis laudes ferre majores debent. Ibid,

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut illi, qui in certaminibus stultitiæ præmia proponunt, tuba liberalitatem suam indicantes omnibus in palæstra decertantibus pecuniæ largitionem pollicentur, atque denuntiant; ita beneficentia omnes in miseriis positos ad se vocat, non vulnerum aut plagarum præmia, sed ærumnarum et incommodorum remedia accedentibus impertiens. S. GREG. NYSS. *in Or. de Pauper. Amand.*

Sicut in telis eadem ferri vis est, sed in infinitum interest, utrum excusso lacerto torqueantur, an remissa manu effluant; ita illud, quod datur; scilicet interest, quomodo detur, an tarde, an cito. SENEC. l. *de Offic.*

Sicut sæva et acerbissima est crudelitas, quæ trahit pœnam, et misericordiæ genus est, cito occidere; ita major est muneris gratia, quæ minus diu pependit. Ibid.

UTILITAS. — Sicut fruges non tam ingenio solis, quam cœli beneficio, melioreque temperie lætius exuberant; ita et meliores artes eximiaque ingenia benignitate, humanitateque Principum virorum evocantur, et excitantur. JUSTUS EPISC. *in Cant. Cantic.*

Sicut quo quis sæpius docet eo evadit doctior; ita quo plura quis liberaliter aliis largitur, tanto ditior efficitur. LANG. *in Pol.* fol. 656.

DIGNITAS. — Sicut divitum filii ornatus gratia aureum monile gestant in collo, nec id unquam deponunt velut nobilitatis signum circumferentes et ostentantes; ita et nos oportet beneficentia semper indutos esse, declarantes, quod filii sumus ejus, qui misericors est et solem suum exoriri facit super bonos et malos, S. CHRYS. hom. I, *in ep. ad Philip.*

MOTIVA.

Quia *Natura* eam suadet; neque enim, teste Cicerone, quidquam est naturæ accommodatius. CICERO. l. I, *de Offic.*

Quia *Æquitas* eam exigit; cum enim hæc suadeat, ut, quod quisque vult, alii ipsi faciant, id ipse quoque aliis præstet. Quid magis æquum est, quam ut liberalissimos nos erga alios ostendamus, cum nemo non alios quoque erga se liberalissimos esse exoptet.

Quia *Utilitas* singularis eam promeretur; neque enim quidquam fere adeo aptum est ad divitias augendas, quam liberalitas, uti sapienter advertit Boetius, dum dixit: Tunc solum pretiosa, est pecunia, cum usu largiendi desinit possideri. Hinc Alex. Magnus a quodam interrogatus, ubi suos thesauros haberet? In scriniis istis, inquiebat, amicos demonstrans; quia summam semper liberalitatem erga illos ostenderat. Boet. *de Consolat Max.* s. vi.

Quia *Dignitas* rara eam commendat; id quod pulchre et breviter S. Greg. Naz. indicavit, dum dixit: Nihil tam divinum homo habet, quam de aliis benemereri, maxime inimicis; tunc enim similes efficimur Patri nostro, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. (S. Greg. orat. *de Paup. Amore.*) In quæ verba recte S. Chrysost.: Ne igitur, inquit, negligentia nostra talibus nos fraudemus bonis et præmiis, quæ etiam rationem transcendunt. S. Chrys. hom. xxvii, *in Matth.* v, 44.

Quia ipsa etiam *Jucunditas* ad eam invitat; quid enim jucundius, quam multorum sincera amicitia frui? Atqui verus et præcipuus fructus beneficii, teste S. Bernardo, est benevolentia. Id quod et Cicero sentit, dum dixit: Liberalitate qui utuntur, benevolentiam sibi conciliant; et quod aptissimum est ad quiete vivendum, charitatem. Cicero l. II, *de Fin.*

MEDIA.

Firmiter sibi persuadere, quod, quidquid proximo damus, ipsi Deo offeramus, qui cum, et ditissimus sit, et liberalissimus, non patietur se liberalitate vinci ab homine; quo argumento S. Ignatius Loyola suos ad liberalitatem excitavit, dum dixit: Et in universum loquendo quanto aliquis se arctius Deo astrinxerit, et liberaliorem erga summam Majestatem se præstiterit, tanto eum in se liberaliorem etiam experietur, et ipse in dies magis idoneus erit ad gratias et dona spiritualia uberiora recipienda. P. III, *Constit.* c. I, § 21.

Meminisse, quod respectu divitiarum nobis creditarum dispensatores dumtaxat simus. Quis autem dispensator sciens divitem et liberalem dominum se habere, non liberaliter quoque dona sibi concredita aliis largiretur, et præcipue si et domino vehementer id placere, amplumque sibi ob talem largitionem præmium promissum sciret? Atqui talis Dominus Deus est, ut ipse Christus apud S. Lucam indicavit dicens: Quis putas est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit sic facientem. Luc. xii, 42.

Proximos suos, ut amicos, immo ut fatres intueri; cum enim amicorum (quanto magis fratrum?) omnia sint communia, quis non vel maximum inde stimulum sentiet, ad sua bona alteri quoque, quoad fas est, communicanda?

ASCETICA.

Tria de hac virtute bene discere, et docere debet Asceta. Primum est, ut sciat, erga quos præcipue liberalitatem suam ostendere debeat, nempe 1. et primario erga Deum, utpote, qui tum liberalitate sua præcedente, tot beneficiis comprobata; tum futurorum amplissima promissione, tantopere nos excitat ad mutuam liberalitatem. 2. Erga inimicos, juxta illud Christi monitum: « Diligite inimicos vestros, et benefacite his, qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos. (Matth. v, 44.) 3. Erga eos, qui magis indigent, nam in collocando beneficio, inquit Cicero, si cætera paria sunt, hoc maxime officii est, ut quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari. Optime autem societas hominum conjunctioque servabitur, ut si quisque erit conjunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferatur. (Cicero, l. II, *de Offic.*). Quales autem hi sint, pulchre S. Ambrosius explicavit his verbis: « Est etiam probanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas; melius enim est, ut ipse subvenias illis, quibus pudor est, sumptus ab aliis deposcere. Consideranda etiam in largiendo ætas atque debilitas; nonnumquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales, ut se-

nibus plus largiaris, qui sibi labore non jam queant victum quærere. Similiter et debilitas corporis, et hæc juvanda promptius. Tum si quis ex divite cecidit in egestatem, et maxime si non vitio suo, sed aut latrociniis, aut proscriptione, aut calumniis, quæ habebat, amisit.» S. Ambr. l. I *de Offic.* c. xxx.

Alterum est, ut modum seu circumstantias in liberalitatis exercitio observandas bene cognoscat, nimirum. 1. ut *animo bono et sincero* exerceatur; nam ut bene S. Ambr. advertit: Hoc primum quæritur, ut cum fide conferas, fraudem non facias de oblatis; ne dicas te plus conferre, et minus offeras. Quid enim opus est dicere: In tua potestate est largiri, quod velis? Fraus fundamentum solvit, et opus corruit. (S. Ambr. l. I *de Offic.* c. xxx). 2. Ut *ordinarie* exerceatur; nam, teste S. Aug. « Omnes quidem homines æque diligendi sunt; sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui præ locorum et temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictus tibi, quasi quadam sorte junguntur. » (S. Aug. l. I *de Doctrin. Chr.*) Hinc recte Seneca: « Videbo, inquit, quando dem, et cui dem, quemadmodum, quare; nihil enim sine ratione faciendum est, non est autem beneficium, nisi quod ratione datur, quoniam ratio omnis honesti comes est. » (Seneca, l. IV *de Ben.*). 3. Ut *gratis* exerceatur; nam, *id*, teste S. Aug. *pie sit et humaniter, quod sine spe recipiendi feceris.* (S. Aug. l. VI *Medit.*) 4. Ut *hilariter* præstetur, nam quod mœsto animo defertur, aut necessitate extorquetur, ingratum est, parumque gloriosum, ut S. Greg. Naz. testatur. (S. Greg. *or. de Paup.*) 5. Ut *cito* conferatur; nam *omnis benignitas properat*, Seneca teste, *et proprium est libenter facientis, cito facere. Tarde velle, nolentis est.* (Seneca, l. II *de Benef.* c. v.) Immo, ut S. Greg. Naz. ait, *congeminatur beneficii gratia promptitudine, et celeritate.* (S. Greg. l. c.) 6. Ut *personæ*, cui datur, conditio æstimetur; *quædam enim*, inquit recte Seneca, *minora sunt, quam ut exire a magnis viris debeant, quædam accipiente minora sunt.* 7. Ut vel *occulte* detur, si fieri potest, aut certe oblivione sepeliatur, quod collatum est; nam *perfecta liberalitas est*, inquit S. Ambr, *ubi silentio quis egit opus suum, et necessitatibus singulorum occulte subvenit; quem laudat os pauperis, et non os suum* (S. Ambr. l. I *Offic.* c. v.) Non male tamen Seneca discrimen facit inter beneficia, dum ait: « Præcipiunt auctores sapientiæ, quædam beneficia palam danda, quædam secreto. Palam, quæ consequi gloriosum est, ut militaria dona et honores, et quidquid aliud notitia, pulchrius fit. Rursus, quæ non producunt, nec honestiorem faciunt, sed occurrunt infirmitati, egestati, ignominiæ, tacite danda sunt, ut nota sint solis, quibus prosunt. Quid enim opus est se loqui? Quid alienum occupare officium? Est, qui illud facere honestius possit, quo narrante, et hoc laudabitur quod ipse non narras. Hæc beneficii inter duos lex est, alter statim oblivisci debet dati, alter accepti nunquam. » Senec. l. c. *de Benef.* cix.

Tertium est, ut bene cognoscat fontes, ex quibus hæc liberalitas oriri solet, quos quidem Valerius Maximus non incommode assignasse videtur, dum dixit: Liberalitatis duo maxime sunt fontes probabiles, verum judicium et honesta benevolentia; nam cum ab his oritur, tunc demum ejus ratio constat. Porro judicii hujus veritas in consideratione circumstantiarum superiori numero explicatarum consistit; benevolentia vero in promptitudine voluntatis, ad bona sua liberaliter aliis communicanda; quæ quidem facile obtinebitur, si serio perpendat quis, certoque sibi persuadeat, nullam fere esse virtutem, quæ Deum hominesque æque conciliat, atque in sui amorem trahat, ac liberalitas. Valer. Max. l. IV, c. viii, *de Liberal.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione verborum: « Exiit, qui seminat, seminare semen suum; »(Matth. xiii, 3) possunt beneficia per liberalitatem collata semini comparari, et ostendi, quod etiam hoc semen varios effectus sortiatur. Et 1. quidem aliquod cadat secus viam, nimirum quod ex vana gloria aut alio simili modo censetur. 2. Aliud cadat super petrosa, nimirum illud, quod ex rapina aut furto comparatum expenditur. 3. Aliud cadat in spinas, nempe quod in ingratos conjicitur. 4. Aliud in terram bonam, nempe quod ex se habet omnes conditiones ad beneficium requisitas; hoc enim si in eos, qui vicissim benefaciunt, spargitur, fructum trigesimum affert; si in eos, qui non benefaciunt, sexagesimum; si in eos, qui malum pro bono

rependunt, centesimum producit. Quæ omnia fusius probari, et exemplis illustrari possunt.

Ex occasione sententiæ : Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis; (Luc. VI, 18.) ostendi potest, quomodo mensuram optimam in bonis temporalibus et spiritualibus obtinere valeamus, si scilicet prius, et nos simili mensura liberales nos exhibeamus. Ostendatur ergo, quænam sit hæc mensura, scilicet ea, quæ quatuor conditiones a Christo indicatas habet. 1. Ut sit *bona*, qualis erit, si sit res aut actio aliqua Deo non displicens, et proximo utilis. 2. Ut sit *conferta*, id est, cum sincero animo et intentione facta. 3. Ut sit *coagitata*, id est, cum magno fervore et alacritate exercita. 4. Ut sit *supereffluens*, ut non obstantibus gravibus difficultatibus aut adversitatibus constanter ad exitum perducatur. Ostendatur deinde, quomodo vicissim Deus has conditiones in suo præmio, maxime æternæ beatitudinis observaturus, atque adeo vere mensuram bonam, confertam coagitatam, et supereffluentem in sinum nostrum daturus sit.

Ex occasione sententiæ a S. Bernardo prolatæ : « Amat charitas, amat immensitas, et nos vicem rependimus cum mensura ; » ostendi potest 1. quam liberalem se Deus erga nos homines ostenderit, dum scilicet omnia fere beneficia *optimo modo* contulit, uti patet præcipue in creatione (dum dedit perfectissimum entis gradum, scilicet *intelligere*) justificatione (dum hanc per eus nobilissimum, gratiæ videlicet infusionem peragit) institutione SS. Eucharistiæ (dum in ea corpus et animam, humanitatem et divinitatem per intimam et stupendam unionem communicat) redemptione (dum pro hac vitam et famam omnem, cum sanguine impendit) glorificatione (dum per visionem et fruitionem Deitatis suæ, qua nihil in terris et cœlis perfectius aut præstantius reperitur, beatos nos facit.) Ostendatur proinde, quam æquum sit, ut nos quoque sine mensura, seu optimo, quo possumus, modo serviamus, faciendo scilicet semper, *quæ, quo modo, et quia Deo magis placent*, seu quod idem est, optima, quoad *substantiam, modum, et finem*, ut suo modo etiam de nobis dici queat : Vidit cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Nec aurum, nec argentum, nec quidquam eorum, quæ a proximis accipiuntur, beneficium est, sed ipsa tribuentis voluntas. Animus est, qui parva extollit, sordida illustrat, magna et in pretio habita dehonestat. Senec. l. I *de Benef.* c. V et VI.

Si bene quid facias, facias cito, nam cito factum
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

Ausonius.

Officio fungitur suo, qui tantum dat, quantum per fortunam licet. Eborensis, *in tom. prior. Sentent.*

Odiosum est genus hominum officia exprobrantium, quæ meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare qui contulit. Cic. *in Lelio.*

Munera, crede mihi, cum ingentia, Posthume, dones,
Auctoris pereunt garrulitate sui.

Martial. l. V.

Interdum et ipse, qui juvatur, fallendus est, ut habeat, nec, a quo accepit, sciat. Arcesilaus, ut aiunt, amico pauperi, et paupertatem suam dissimulanti ; ægro autem, et ne hoc quidem confitenti, deesse sibi sumptum ad usus necessarios, cum clam succurrendum judicasset, pulvino ejus ignorantis subjecit, ut homo inutiliter verecundus, quod desiderabat, inveniret potius, quam acciperet. Senec. l. I *de Offic.* c. IX et X.

Utilitas. — Theophrastus interrogatus, quidnam vitam conservaret humanam, respondit: Beneficentia. Stobæus, ser. XLI.

Melius puto apud pauperes, quam apud divites magnos collocari beneficium ; nam qui locupletes sunt, beneficio obligari nolunt, aut certe aliquid a se expectari arbitrantur ; cum vero inopi bono benefacis, nihil simile timendum est. Cicero, l. II, *Offic.*

Beneficium dando accipit, qui digno dedit. Publ. Mimus.

Beneficium sæpe dare, docere est reddere. Idem.

Munera, crede mihi, placant hominesque Deosque ;
Placatur donis Jupiter ipse suis.

Ovid. *de Arte amandi.*

Sæpe Jovem vidi, cum jam sua mittere vellet
Fulmina, thure dato sustinuisse manum.
MARTIAL. l. V.

Extra fortunam est, quidquid donatur amicis.
Quas dederis, solas semper habebis opes.
Idem.

Dionysius senior cum ad filium ingressus, vidisset magnam vim aureorum et argenteorum vasorum, non est, aiebat, in te regius animus, qui his poculis a me acceptis neminem tibi amicum fecisti. Nempe sentiebat absque civium benevolentia regnum nec teneri, nec parari, hanc autem muneribus maxime conciliari PLUTARC. *in Apoph.*

DIGNITAS. — Pythagoras rogatus, qua ratione homines Diis similes haberi possent, respondit : Si veritatem amplecterentur, et cunctis benefacerent. ÆLIAN. c. XII, *Var. Hist.*

Qui dat beneficia, Deos imitatur, teste Seneca, qui repetit, fœneratores. L. III, *de Benef.* c. XV.

Si Deos imitaris, da etiam ingratis, nam et sceleratis sol oritur, et piratis maria patent. Id. l. IV, c. XIV.

JUCUNDITAS. — Unum bene positum beneficium multorum amissorum solatur damna. Beneficium est benevola actio, tribuens gaudium, capiensque tribuendo. PLUT. *in Lacon.*

Agesilaus sibi multo jucundius esse dicebat, si milites suos ditaret, quam si ipse ditesceret.

AUCTORES.

Bernardinus Rosignolius, *de Disciplina Christ. Perfect.* l. IV, c. XXXVIII.

Jacobus Alvarez de Paz. tom. II, *operum Spirit.* l. II, p. II, c. VII, §. 12.

S. Albertus Magnus, *in Paradiso animæ*, c. XVII.

Ludovicus de Ponte, *de Perfect. Christ.* tract. III, cap. III.

LINGUA.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est membrum animalis, ad cibum gustandum, vocemque formandam, a natura ordinatum. De qua Hugo : Lingua dicitur, quia lingit adulando, mordet detrahendo, attrahit mentiendo. Ligat, et ligari non potest ; labilis est, et non teneri potest, sed labitur, et fallit. Labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, movet rixas, seminat discordias, uno ictu multos percutit, et interficit. (HUGO, l. II, *de Anim.*) Lucius Apuleius ait, linguam aliis animantibus ad explendam victus necessitatem, inferendasque ventri copias datam, homini autem, ut etiam sit promptuarium rectæ rationis, et suavissimæ orationis, ut, quæ prudentia corde concepit, ea sensu promat oratio. Sive lingua humana (de hac enim solummodo hic est sermo) est membrum præcipuum hominis ad alimentum hominis discernendum mentisque conceptus articulate exprimendos a Deo illi concessum. LUC. APULEIUS, *de Dogm. Platon.*

DIVISIO. — Dividitur in *bonam* et *malam*, uti Æsopus indicavit, qui interrogatus, qui esset bonum et malum ? Lingua, respondit. (*Maxim. de log.*). Nam, ut S. Jacobus ait, in ipsa benedicimus Deum et Patrem, et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. (JAC. III, 9.) Porro bona lingua est, quæ bona bene loquitur, id est, modo et intentione bona ; nam, S. Gregorius recte advertit, in omni, quod dicitur, necesse est, ut causa, tempus, et persona pensentur, si verba sententiæ veritas roboret ; si hanc tempus congruum postulet, et si veritatem sententiæ et congruentiam temporis, personæ qualitas non impugnet. (S GREG. l. VI *Mor.*). Hinc et S. Hieronymus monet, ut verbis sit jugum et statera, atque mensura, ut sit gravitas in sensu, sermone pondus, atque in verbis modus. (S. HIER. *sup. Ezech.*) Mala lingua est, quæ mala aut bona male loquitur ; quod, teste S. Hieronymo, contingit, quoties aut in non opportuno tempore, aut non in opportuno loco, aut non ut convenit audientibus, loquimur. Quæ a Sancto Jacobo inflammare rotam nativitatis dicitur, quia sicut laminæ ferreæ ignitæ affiguntur a ferro ad rotas, easque undique ambiunt ; ita lingua mala totum vitæ nostræ cursum occupat. (Idem, l. c.) Hanc divisionem linguæ in malam et bonam, indicavit clare etiam S. Hieronymus, dum dixit : Lingua nil medium habet, aut grande bonum est, aut grande malum. *Apud. Drex.* l. II *Phaet.* c. XLI.

Sanctus Thomas aliam adhuc accidenta-

lem assignat divisionem per hæc verba : Scriptura ponit linguas, per quas significantur peccata diversa, quæ committuntur per linguam. Prima est lingua dolosa, quæ est in duplicibus et proditoribus. Jerem. IX. *Sagitta vulnerans lingua eorum dolum locuta est.* Secunda est lingua magniloqua, quæ est in superbis et arrogantibus. Ps. XI. *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.* Tertia est lingua serpentina, et venenosa, quæ est in invidis et detractoribus. Psal. CXXXIX. *Acuerunt linguas suas sicut serpentis.* Quarta est lingua mendax, in pejerantibus, et mentientibus, et falsis testibus. Prov. VI. *Sex sunt, quæ odit Dominus*, inter quæ sex enumerat quoque linguam mendacem, proferentem mendacia, testem fallacem, et eum, qui seminat inter fratres discordias. Quinta est lingua blanda, quæ est in mendicantibus; de hac dicitur in Proverbiis VI. *Custodiam te a blanda lingua.* Sexta est lingua tertia, quæ est in lenis et lenonibus; de hac Ecclesiasticus inquit : *Lingua tertia mulieres viratas ejecit.* Septima est lingua iniqua, quæ est in adulatoribus. Octava est lingua gladiosa, quæ est in iracundis, qui convitiis occidunt multos. Nona lingua fallax, quæ est in malis mercatoribus et deceptoribus. Decima est lingua blasphema. Undecima est lingua acharis, id est, sine gratia, quæ est in histrionibus et derisoribus. S. THOMAS DE VILLANOVA, ser. *in Dom.* IV, *post Pasch.*

Sed et S. Gregorius aliam affert divisionem, dicens : Tria sunt hominum genera, quæ gradatim ductis ad se qualitatibus dissident; sunt namque alii, qui et ad loquendum prava concipiunt, et a locutione sua, nulla silentii gravitate refrenantur; et sunt alii, qui, cum prava concipiunt, magno se silentii rigore restringunt; et sunt nonnulli qui virtutum usu roborati, usque ad eam celsitudinem provehuntur, ut ad loquendum ne in corde quidem perversa concipiant, quæ silendo compescant. Eliphaz itaque, ex quo sit ordine, ostenditur, qui conceptum sermonem tenere se non posse testatur; quia in re et illud innotuit, quod se loquendo offensurum novit; neque enim retinere verba, quæ non potest, vellet, nisi per hæc se vulnera inferre prænosceret. Boni enim viri freno consilii retinent præcipitationem verbi, et caute considerant, ne relaxantes linguæ lasciviam, auditorum conscientiam incauta locutione transfigant. Unde bene per Salomonem dicitur ; « Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum ; » aqua quippe dimittitur, cum linguæ fluxus effrenatur, sed dimissor aquæ, caput jurgiorum efficitur, quia per linguæ incontinentiam discordiæ origo propinatur. Igitur sicut pravi in sensu leves sunt, ita in locutione præcipites, et reticere pertractando negligunt, quæ loquuntur ; sed quod levis conscientia concipit, levior protinus lingua prodit. S. GREG. l. V *Mor.* c. XXI.

ACTUS BONÆ LINGUÆ. — Primus est, *Deum benedicere, gratias agere, prædicare, orare*, uti Sanctus David insinuavit orans : Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. Ps. L, 17.

Secundus, *proximum instruere, corrigere, consolari* ; de quorum primo Apostolus ait : Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis. (GAL. VI, 1.) De secundo autem et tertio idem dixit : Rogamus autem vos, Fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes, I. THESS. IV, 14.

Tertius, *suos sensus et affectiones pro corporis, animæque salute proponere* ; nam, ut bene Plato advertit, propter hoc nobis datus est sermo, ut præsto forent mutuæ voluntatis indicia. PLATO, *in Timæo.*

ACTUS MALÆ LINGUÆ. — Hos P. Jeremias Drexelius per alphabetum explicavit, fusiusque descripsit. Sunt autem sequentes fere : Adulatio, Blasphemia, Convitium, Detractio, Exprobratio, Fraus, Garrulitas, Hypocrisis, Imprecatio. Calumnia, Lascivia, Mendacium, Nugacitas, Ostentatio, Perjurium, Querimonia, Rixa, Susurratio, Turpiloquium, Vituperatio.

CIRCUMSTANTIÆ IN LOQUENDO OBSERVANDÆ. — Quinque potissimum ab Ascetis assignantur. Prima est, *Quid* sit loquendum ; ut scilicet, quemadmodum Hugo ait, numquam in sermonibus otiosa adhibeantur verba.

Secunda est, *Cui*, loquendum, ubi idem Hugo ait, considerandum esse, an propter se, vel illum quis loquatur. Si propter se, videat, ut ille talis sit, de cujus colloquio utilitas sibi provenire possit. Si propter illum loquatur, caveat, ne talis sit ille, qui vel sua exhortatione non indigeat, vel ita etiam in malo sit obstinatus, ut exhortatione alterius corrigi non permittat. Si ergo sic est, numquam nisi ad nostram vel aliorum eruditionem loqui debemus. Ibid.

Tertia est, *Quomodo* sit loquendum ; qui quidem modus in eo consistit, ut loquentis gestus sit modestus et humilis , sonus demissus et rebus accommodatus, ut sic exhortemur ad constantiam timidos, ad timorem superbos, ad frugalitatem prodigos, ad liberalitatem avaros, et omnino, quidquid dicere volumus, ex ipsa prius sermonis nostri qualitate colligamus.

Quarta est, *Ubi* loquendum ; quædam enim sunt loca, in quibus silentium est servandum ; quædam, in quibus intelligentia, et ex ratione Scripturarum collationes, cum disciplina tamen et reverentia, hoc est, sine contentione et clamore verborum haberi possunt ; quædam, in quibus pro instructione morum verba habenda sunt ; quædam, in quibus magis loquendi licentia laxatur, ita ut non solum de spiritualibus, sed etiam de exteriorum dispositione et provisione sermones admittantur ; loca autem , in quibus vana et superflua dici possint, invenire non queo. Ibid.

Quinta est, *Quando* loquendum ; est enim tempus, quando nihil , et est tempus, quando aliquid est dicendum. Nullum vero tempus est, quando omnia dicenda sunt. Tempus enim tacendi debet præcedere tempus loquendi ; propterea non ait Salomon, tempus loquendi, et tempus tacendi, sed tempus tacendi, et tempus loquendi, quia prius per silentium tempus tacendi discitur, quod postea per verbum tempore loquendi profertur. Sapiens enim æque cavet, ne tempore, quo loqui debet, per negligentiam sileat , quam ne in omni tempore, quo loqui licet, per licentiam concessam in multiloquium cadat. Recte ergo tempus loquendi discernitur, si homo non semper, quando loqui debet, sileat ; nec semper, quando loqui licet, loquatur. Ibid.

EX S. SCRIPTURA,

Qualitas. — Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Ps. xxxviii.

Posui ori meo custodiam, et ostium circumstantiæ labiis meis. Ps. xiv, 3.

Sermo vester semper in gratia sale conditus sit, ut sciatis, quomodo oporteat vos unicuique respondere. Col. v, 6.

Erunt labia tua, sicut botri vineæ, et odor oris tui, sicut odor malorum. Guttur tuum, icut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus ejus ad ruminandum. Cant. vii, 8.

Parcitas. — Sit omnis homo velox ad audiendum ; tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. Jac. i, 19.

Noli esse verbosus in multitudine Presbyterorum. Eccl. vii, 15.

Garrulitas. — In multiloquio non deerit peccatum. Prov. x, 19.

In multis sermonibus invenietur stultia. Eccl. lv, 2.

Vidisti hominem velocem ad loquendum ? Stultitia magis speranda est, quam illius correptio. Prov. xxix, 20.

Vir linguosus non dirigetur in terra. Ps. cxxxix, 12.

Terribilis est in civitate sua homo linguosus, et temerarius in verbo suo odibilis erit. Eccl. ix, 25.

Ubi verba sunt plurima, ibi frequenter est egestas. Prov. xiv, 23.

Os lubricum operatur ruinas. Prov. xxvi, 28.

Necessitas. — Aurum tuum et argentum tuum confla, et verbis tuis facito stateram, et frenos ori tuo rectos, et attende, ne forte labaris in lingua tua, et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis in mortem. Eccl. xxviii, 29.

Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, hujus vana est religio. Jac. 26.

Dico enim vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die Judicii. Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis. Matth. xii, 36.

Utilitas. — De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis. Prov. xii, 14.

Qui custodit os suum, custodit ab angustiis animam suam. Prov. xxi, 23.

Verbum dulce multiplicat amicos, et lingua eucharis in bono homine abundat. Eccl. vi, 5.

Qui vult vitam diligere, et dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo, et labia ejus ne loquantur dolum. Petr. iii, 10.

Mors et vita in manibus linguæ ; qui diligunt eam, comedent fructus ejus. Prov. xxviii, 21.

Qui dulcis est eloquio, commendatiorem reddit doctrinam. Prov. xxxvi, 21.

Dignitas. — Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, potens etiam freno circumducere totum corpus. Jac. iii, 2.

Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est. Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur, et si compresserit labia, intelligens. Pr. XII, 27.

Qui diligit cordis munditiem, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem. Prov. XXII, 11.

Damnum. — Sicut urbs patens et absque murorum ambitu; ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Prov. XXV, 28.

Os impiorum redundat malis. Ib. XV, 28.

Multi ceciderunt in ore gladii; sed non sic quasi interierunt per linguam suam. Eccl. XXVIII, 22.

Labia insipientis præcipitabunt eum ; initium verborum ejus stultitia, et novissimum oris illius, error pessimus. Eccl. X. 12.

Qui loquitur iniqua, non potest latere ; nec præteriet illum judicium corripiens. Sap. I, 8.

Beatus, qui tectus est a lingua nequam, qui in iracundiam illius non transivit, qui non attraxit jugum illius, et in vincula illius non est ligatus; jugum enim illius jugum ferreum est, et vinculum illius vinculum æneum est. Mors illius mors nequissima, et utilis potius infernus, quam illa. Eccl. XXVIII, 23.

Honor et gloria in sermone sensati ; lingua vero imprudentis subversio illius. Eccl. V, 2.

Tempus. — Homo sapiens tacebit usque ad tempus ; lascivus autem et imprudens non servabunt tempus. Eccl. XX, 7.

Tempus tacendi, tempus loquendi. Eccl. III, 7.

Priusquam audias, ne quid respondeas ; nec verbo dicentem interpelles. Eccl. XI, 8.

Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Prov. XXV. 11.

Materia. — Omnis enarratio tua sit in præceptis Altissimi. Eccl. IX, 23.

Omnis sermo malus ex ore tuo non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Eph. IV. 29.

Si quis loquitur, quasi sermones Dei. I. Petr. IV, 11.

Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum ; ex abundantia enim cordis os loquitur. Luc. VI, 45.

Usus.— Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. Ps. L, 17.

Dominus dedit linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lapsus est verbo. Isaiæ c. L, 4.

Ori tuo facito ostia, et seras. Eccl. c. XXVIII, 28.

In lingua sapientia dignoscitur. Ibid. c. IV, 29.

Omnis enim natura bestiarum, et volucrum, et serpentium, et cæterorum domantur, et domita sunt a natura humana; linguam autem nullus hominum domare potest. Jac. c. III, 8.

Hominis est animam præparare, et Domini gubernare linguam. Prov. c. XVI, 1.

Est tacens, non habens sensum loquelæ, et est tacens, sciens tempus aptum; homo sapiens tacebit usque ad tempus. Eccl. c. XX, 5.

Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea perdat me? Ib, c. XXII, 33.

Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis. Matth. XII, 17.

Usus bonus. — Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua. Ps. XIV, 1.

Labia deosculabitur, qui recta verba respondet. Prov. c. XXIV, 34.

Respondete, obsecro, absque contentione, et loquentes id, quod justum est, judicate. Job. c. VI, 29.

Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium. Ps. XXXVI, 30.

Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, atque perversum, recti sunt intelligentibus, et æqui invenientibus scientiam. Prov. VIII, 8.

Usus malus. — Labia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium statera ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum; et in corde sapientium os illorum. Eccl. XXI, 28.

Si justificare me voluero, os meum condemnabit me. Job. IX, 20.

Facti sunt quasi arcus dolosus, cadent in gladio Principes eorum a furore linguæ suæ. Osee, c. VII, 16.

Lingua fallax non amat veritatem, et os lubricum operatur ruinas. Prov. c. XXVI, 28.

Venenum aspidum sub labiis eorum, quorum os maledictione et amaritudine plenum est. Psal. XIII, 3.

Qui consideratus est ad loquendum, sentiet mala. Prov. c. XIII, 3.

Verba oris sapientis gratia, et labia insipientis præcipitabunt eum. Eccl. c. X, 12.

Lingua imprudentis subversio est ipsius. Eccl. c. IV, 15.

Propter peccata labiorum, ruina proxima ad malum. Prov. XII, 13.

Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa ; propterea Deus destruet te in finem. Psal. LI, 6.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas. — Lapis emissus sermo prolatus ; ideo diu, antequam proferatur, cogitandus S. Hier.

In primis magno studio id comparandum habemus, scite ut sermocinari possimus, ut nec contentiosius percunctemur, nec affectantius respondeamus, ut disserenti non obloquamur, nec interfari, ac interpellare gestiamus, absurda ostentatione, fastumque præseferente. S. Greg. Naz. p. I, *ad Théol.*

Idcirco Deus linguam velut duplici muro voluit circumdari ; nam dentium tegmine, et labiorum custodia continetur, ne verba improvida garrulitate proferantur. S. Chrys. *in Cath. ad illum.*

Idcirco et tenuis illa membranula, quæ cum ipsa lingua mentum interius devincit, *frenum* dicitur, ne inepte loquatur, et inconcinne. S. Greg. Nyss. *apud Lanciz.* op. II, n. 202.

Non frustra lingua in udo est, quia facile labitur. S. Aug. *in Ps.* 38.

Sapiens, priusquam loquitur multa, considerat, quid dicat, cui dicat, quo loco et tempore dicat. S. Amb. l. I, *de Offic.*

Lingua sub magni moderaminis libratione servanda est, non insolubiliter obliganda, ne aut laxata in vitium defluat, aut restricta etiam ab utilitate torpescat. S. Greg. l. I *Mor.*

Difficilis res est, in lubrico faucium constitutam veritatis rigidæ tenere mensuram, cui si incaute frena laxentur, frequenter contra se loquitur ; facilius enim culpa tacendo refugitur, quam loquendo. Cassiod. *sup. illud Ps. Dixi custodiam.*

Ante te est æquitas, unam linguam habes, ad quodvis eam vertes. Quare ergo potius ad iniquitatem, et non ad æquitatem ? Cibos amaritudinis non das ventri, et cibos iniquitatis das linguæ tuæ malignæ ; sicut eligis, quo vescaris, sic elige, quod loquaris. S. Aug. *de Nat. et Grat.*

Auceps non emittit accipitrem, nisi anserem videat ; dedignatur venator catulum solvere, nisi lepus appareat ; arcus flexis cornibus frustra non intenditur ; et rationale os ad effundenda irrationabilia passim relaxatur ? S. Petrus Dam.. *ap. Fab.* c. II, *in Dom.* II, *post Pent.*

Vanus sermo vanæ conscientiæ est index ; mores hominis lingua pandit ; qualis sermo ostenditur, talis animus approbatur, quoniam ex abundantia cordis os loquitur. Hugo, l. I, *de Anim.*

Quibus citra honestatis morem lingua polluitur infrenis, his conscientia quoque sordidissima est, quia facilius contingit, ut quispiam seria loquens vivat obscene, quam valeat ostendi, qui pariter existat improbus dictis, et probus moribus. Sid. l. III, *epist.*

Verba volvere, et apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est. Nihil tam facile, quam vilem plebem et indoctam volubilitate linguæ decipere, quæ, quidquid non intelligit, plus miratur. S. Hier. *ad Nepot.*

Dedit ei linguam, quæ loqueretur, Deum laudaret, divina caneret, pulchritudinem naturæ interpretaretur. Disserit de cœlo et terra, parva linguæ caruncula, neque duorum digitorum habens latitudinem, et quid inquam digitorum ? Neque extremitatis unguis, sed summum illud parvum et vile, de cœlo et terra loquitur. S. Chrys. tom. VI, *de Fide et Leg. nat.*

Lingua clausa, et quasi in loco carceris posita est, circumdatur enim atque munitur a duobus muris, videlicet a dentibus, qui sunt quasi murus, propugnaculis ossium munitus, et labiis ignei coloris, quæ sunt quasi antemurale linguæ, cum cæteri sensus in aperto sint omnes. S. Bern. tom. III, *s. de Multiloq.* a. 3, c. VII.

Lingua radicatur in corde, ut consideret homo, quod loqui debet, quod sentit in corde, si utile est ; aut si veritas non est utilis, tacere, et nunquam mentiri ; quasi natura ipsa humana clamet, cum corde unitatem esse debere, in corde et ore ; et sicut unicum cor, sic sit unica lingua. Ib. c. II.

Lingua dicitur, quia lingit adulando, mordet detrahendo, attrahit mentiendo ; ligat et ligari non potest, labilis est, et teneri non potest, sed labitur et fallit. Labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, movet rixas, seminat discordias, uno ictu multos percu-

tit et interficit; blanda est, et subdola, et parata ad exhaurienda bona, et miscenda mala. Hugo, II. *de Anima*.

Custodia. — Lingua nostra sensum nostrum sequatur, et rationem, non voluntatem, non debemus tantum oculos clausos servare, sed et linguam intra dentes servare illæsam, sermo enim vanus, vanæ conscientiæ index est. Qualis enim es, tales sermones loqueris, talis et mens comprobatur, et qualis fueris in factis, talis comprobaberis in verbis. S. August. s. III *ad Fratres*.

Os nostrum perpetuo custodiamus, ei rationem, tanquam claves adhibentes non ut perpetuo claudatur, sed ut convenienti tempore reseretur, nonnunquam enim silentium est loquela utilius, quemadmodum loquela quoque silentio; et ideo dicebat ille sapientissimus : Tempus tacendi, et tempus loquendi; etenim si oporteret ora perpetuo patere, non factæ essent portæ. Si autem perpetuo clausa essent, non opus esset custodia; quod enim clausum est, cur quis custodierit? Sed propterea et sunt portæ et custodia, ut faciamus singula tempore convenienti. Unde et Plutarcus in Moralibus suis ait: Ut ædium ostio carentium nulla est utilitas, ita multo magis oris claustro carentis nullus est usus. S. Chrys. *in Ps.* 140.

Noli pati linguam sordescere; quo enim pacto pro te deprecabitur, si libertatem propriam amittat? Orna eam humilitate, atque modestia; dignam fac Deo, qui per eam rogatur. Ibid.

Nefas est, ut labia illa, quibus Dominum confiteris, rogas, benedicis, et laudas, alicujus polluantur sorde peccati. Nescio qua conscientia, et lingua quis Dominum rogat, qua aut mentitur, aut maledicit, aut detrahit. S. Hieron. ep. XIV.

Attendat ergo unusquisque, quanta sit ingratitudo, quanta iniquitas, quantum flagitium, membrum tam nobile, tantis dotatum prærogativis, et privilegiis adornatum, inquinare sordibus peccatorum, et quod est instrumentum Dei, in tam dignis et divinis officiis, facere Diaboli instrumentum. Bell. l. III, disc. III, p. 1.

Januam Sponsus ipse vult clausam esse, dum pulsat. Janua nostra os nostrum est, Christo propemodum soli debet aperiri, nec aperiatur, antequam pulsaverit Verbum. S. Ambr. lib. III, *de Virg*.

Ante omnia, ubicumque fueritis, sive in domo, sive in itinere, sive in convivio, sive in consessu, verba turpia et luxuriosa nolite ex ore vestro proferre, sed magis vicinos et proximos vestros jugiter admonete, ut semper, quod bonum est et honestum, loqui studeant, ne forte detrahendo, male loquendo, cantica luxuriosa et turpia proferendo, de lingua sua, unde debuerant Deum suum laudare, inde sibi vulnera videantur infligere. S. Aug. s. CCXV.

Qui custodit linguam suam, custodit animam, quoniam mors et vita in potestate linguæ est. Hugo. l. II, *de Anima*.

Alliga sermonem tuum ne luxuriet, ne lasciviat, qui multiloquio peccat sibi colligat, sit restrictior, et ripis coerceatur, cito lutum colligit amnis et undas; jugum sit verbis tuis et statera atque mensura, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus. S. Ambros. lib. I, *de Officiis*.

Utilitas. — Dedit Dominus nobis linguam ad consecrandum sua Mysteria, et Ecclesiastica Sacramenta, quibus sanctificantur creaturæ visibiles per verbum Dei; et oratione vivificantur, et consecrantur animæ spirituales, morbi curantur, divina offensa remittitur, gratia infunditur, remedia conferuntur, Dæmones effugantur, et, quod majus est, et mirabilius, et efficacius, etiam in Christi Corpus creaturæ visibiles convertuntur. In istis non solum pares sumus Angelis, immo excellimus, quia non eis contulit Sacramentorum suorum mysteria dispensanda. Bell. l. c.

Obstructo siquidem inutilium verborum meatu, inclusus amoris ignis cogitationes modificat, compungit animum, fugat vitia, lacrymarum educit fontes, custodit ostia, sectatur pacem, sursum erigit cor, Deoque conjungit. Tunc composita proferuntur eloquia sale condita, et consideratione circumspecta. S. Laur. Just. *in Fasc. Div. Am.* c. XI.

Lingua prudenter exercitata fit decor animæ, conscientiæ speculum, index cogitationum, charitatis vinculum, nutrimentum pacis, honor hominis, honestatis exemplar, morum decus, reconciliatrix hominum, amica sapientiæ, spiritualis vitæ magistra, fraternæ dilectionis custodia, nulli onerosa, omnibus semper amabilis, universisque proficua. S. Laur. Just. *de Inst. et Reg. Præl.* c. VIII.

Si tuam linguam custodieris, dabitur tibi a Deo gratia, compunctio nempe cordis, in qua videbis animam tuam, et in hac egredieris in gaudium spiritus : si autem lingua te vicerit, crede mihi, quod dico tibi, num-

quam poteris a tenebris mentis emergere. S. Climac. *Schol.* III, *ad Gr.* 1.

Hæc (lingua) si moderatur, reddit hominem moribus ornatum, mente tranquillum, conscientia sincerum, et cunctis amabilem. S. Laur. Just. c. XV, *de Discipl. Mon.*

Recte oris officio uti, et diligenti cautione moderari linguam, observando, quid dicendum sit, quid reticendum, divinum plane munus est, et res haud parvi pendenda, iis certe, qui cum laude vitam ducere student. At contra illa præceps in loquendo temeritas, et effrenatus ad nugas effundendas impetus, periculo non caret. S. Cyrill. Alex. t. VI l. II *adv. Nestor.*

Damnum. — Quæ igitur venia nobis dabitur, immo vero quæ supplicia non pendemus, quando linguam nostram, qua Dominicam degustavimus carnem, Diaboli sponte linguam efficimus? S. Chrys. hom. LXXIX. *in Matth.*

Præstat saniem ex ore emittere, quam verbum obscenum. At nunc si fœteat, ne ad communes quidem cibos admitteris; cum autem anima usque adeo fœteat, heu! tu sumere mysteria non dubitas? Ac siquidem aliquis vas impurum acciperet, atque in mensa tua collocaret, fustibus quoque cæsum illum exigeres; tu vero Deum cum in ipsis (mensa enim ipsius os nostrum est, cum gratiarum actione plenum est) quovis impuro vase fœtidiora, et execrabiliora verba profers, quæso te, non eum ad iracundiam abs te provocari putas? Et qui aliter fieri queat? Id. hom. VI, in II *ad Corinth.*

Christus ad nos ingreditur, cum communicamus. Nostis vos, qui mysteriorum participes estis, quid dicam. Neque enim vulgari quodam honore os nostrum afficimus, cum Corpus Dominicum excipit. Audiant, qui obscena loquuntur, qui convitia proferunt, ac cohorrescant cogitantes, quale os turpent, et dedecorent. Id. h. XXX, II *ad Corinth.*

Linguam custodi a contumeliosis mundam, et turpibus verbis, blasphemia, perjurio, et omnibus aliis hujusmodi. Etenim perniciosum est, tam tremendis ministrantem mysteriis linguam, et sanguine tali purpuratam, et factam aureum gladium, ad convitia et contumelias, et scurrilitates transferre. Reverere honorem, quo Dominus ipsam honoravit, nec ad peccati usum ipsam deducas, sed rursum animadvertens, quod, post manum et linguam, cor suscipit tremendum illud mysterium, ne unquam in proximum consuas dolum. Id. h. XXI, *ad Pop.*

Inde nobis mors, inde lapsus, inde perditio, inde naufragium præparatur, nam et mentium lapsus ex linguæ garrulitate venientes quidam declarans, ait: Multi ceciderunt per gladium, sed non tanti, quanti per linguam; et gravem casum demonstrare festinans, ait: Lapsus de pavimento potius, quam lapsus de lingua. Quod dicit tale est. Conducibilius est ruere, et corporis sentire jacturam, quam verbum tale proferre, unde anima poterit deperire, neque lapsus tantum attingit, sed et suadet multam adhibere cautelam, ne supplantemur, dicens: Fac ori tuo ostium et seram. Id. hom. LIX, *Catech. ad illum.*

Inflammat linguæ mobilitas in innocentia, ad jocosa; in virili ætate, ad fraudulenta; in senili, ad detractoria. S. Aug. s. III, *ad Fr.*

Plurimis licet signis atque miraculis claruisset Moyses, ubi modice lingua lapsus est, e terra promissionis excidit. Num. XX. Exod. XIV. *Magnum et horrendum mare viam ei præcludere non potuit, sed verbum unicum inique ab eo prolatum, velut murus aliquis ei obstitit, ne ulterius progredi posset.* Si Moysen, qui Dei instar factus est Pharaoni, vel solum verbum exclusit a terra promissionis, quanto magis nos maledicentia linguæ nostræ, quam in Deum et homines quotidie exacuimus, ac stringimus, a Regno Dei arcebit? S. Ephrem. *de Lingua mala.*

Quot superfluis verbis maculas contraxerit, tot de gratiæ dulcedine exsiccabit. Per oris ergo custodiam servat cordis munditiam, et ex cordis munditia foris format verba. Commendat Christus in Sponsa hanc custodiam, et coccino comparat, quia informatur charitate, et propter Deum, non pro humana laude vel honestate scit eloqui. Rich. Vict. in c. XIX *Num.*

Illud etiam quantæ formidini, quanto nobis debet esse terrori, quod Veritas ait: « Omne otiosum verbum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicii. » Audiat lingua vaniloqua, audiat lingua otiosa, audiat lingua scabiosa. Scabiosa, inquam, lingua, quæ velut scabiem quamdam atque pruritum patitur, nisi semper acuto quodammodo supervacuæ locutionis ungue sculpatur. Audiat et pavescat, intelligat, et tam terribilem sententiam perhorrescat, audiat terrorem judicis, de

ore ipsius judicaturi. S. Petr. Dam. tom. II, *ser. de Vitio. linguæ.*

Grande nefas ducimus, si vas Eucharistiæ asservandæ deputatum, in profanos usus liquetur, cæleturque adulteriis ; et tamen inter levissima piacula habemus, si linguam Corporis Dominici velut patenam, Diaboli hac sanie perfundamus, et ad impium ministerium quasi consecremus, ut vel spurcis cantiunculis, vel narratiunculis inhonestis deserviat. Mansi, c. xi, n. 4.

Quare non abs re quispiam facere poterit, si ora istorum, qui versantur in foro, qui sæcularium rerum rabie furiunt, cloacis sordidissimis comparet. Si quis autem moleste ferat, quod multitudinis ora sordium cloacas appellaverim, is parce nimium me dixisse non ignoret ; non enim hac mensura, sed acerbiori similitudine Scriptura utitur : « Sepulcrum, inquit, patens est guttur eorum ; linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. S. Chrys. h. lxix *in Matth.*

Omnia ferarum genera in lingua reperiuntur, ibi quippe est levitas volucrum, ibi ferocitas bestiarum, ibi fraus virulenta serpentium ; volatiles enim sunt, qui proferunt in cœlum os suum, et quorum os locutum est vanitatem, quasi volucrum levitatem ; feroces bestiæ sunt, quæ exacuerunt ut gladium linguas suas ; serpentes, de quibus dictum est, quia venenum aspidum sub labiis eorum. S. Petr. Dam. l. II ep. xiii.

Illa domos domibus committit, et urbibus urbes.
Protinus, id nullo cumque labore facit.
Committit populum Regi, Dominumque subactis,
Ut stipulam incendit mox levis igniculus.
Illa ratis socios, fratres, natosque patresque.
Illa viros armat, participesque thori.
Illa malum insontem reddit, justumque nocentem;
Rursus id invertit. Quis rogo tanta potest ?

(S. Gregor. Naz. Carm. n. 54, *de Silent.* etc.)

Consideremus, quot modis nocet. Nocet occulte et manifeste, de prope et de longe. Occulte, ideo serpenti assimilatur, sicut Propheta ait : « Acuerunt linguas suas sicut serpentis, venenum aspidum sub labiis eorum. » Nocet manifeste, ut puta in comminationibus, in irrisionibus, in contentionibus, et modis similibus. Nocet de prope, propterea talis lingua gladio, qui de prope lædit, assimilatur ; unde prophetavit : Exacuerunt ut gladium linguas suas, lingua eorum gladius acutus. » Nocet de longe ; proinde sagittæ assimilatur, quæ de longe vulnerat ; unde Jeremias, ix. *Sagitta vulnerans lingua eorum.* S. Bernardin. ib.

Sermo unus est, qui loquitur, et unum verbum tantum profert, et tamen unum verbum uno momento multitudinis audientium aures inficit, et animas interficit. Ibid.

Hoc habet semper lingua malitiosa commercium, ut lites serat, odia moveat, mortes acquirat, ita in hoc loco, Salomone dicente : « Lingua multos conturbavit pacem habentes, civitates destruxit, et domos effodit. » Falluntur profecto, qui putant nihil esse ferro fortius, nihil veneno violentius. Quamvis enim ista in perficiendis mortibus habeant peculiare naturæ beneficium, cedunt tamen in contentione verborum. S. Val. hom. v.

Nihil est sævius, nihil violentius, amaris asperisque sermonibus, quorum vulnera tanto difficilius curantur, quanto facilius proferuntur. Ferri spicula per cœlum volantia facilius scuti objectione contemnis, verborum vero jactus nec revocari potest, nec prohiberi, multo enim velociores sunt sagittis. Quæ autem ibi propugnacula subveniant, aut quæ munitio tam parata succurrat, ubi emissum telum pene ante percutit, quam procedit ? Idem.

Lingua maledica vipera est ferocissima, quæ lethaliter inficit tres uno ictu, illum qui loquitur, et de quo loquitur, et quem verbis scandalizat. S. Bern. ser. *de Triplic. Custodia.*

Multo magis nocet lingua, quam manus ; quia manus parcunt absenti, sed non lingua, quæ nocet absenti, et etiam mortuis, et in secreto. Stell. *in* c. xix. *Luc.*

O lingua nequam ! O impia odii et invidiæ proles ! O pestifera lepra ! Tu es, quæ discordias seminas, tu sola conculcas bonos, diffamas justos, paris scandala, perjuria, testimonia falsa, occasiones iniquas multiplicare non cessas. Tu, lingua sæva, punis insontes, inter conjuges scandala ponis, infamas viduas, defloras virgines, tu pias et sacras Religiosas confundis, simplices conscientias turbas. Tu rancores, tu jurgia, tu livores et iras, contentiones et rixas, et contumelias, et scissuras suscitare non cessas ; divisiones et partialitates nutris et lactas. Tu sola proditiones generas, incendia foves, homicidia patras. Tu fratricidia, parricidia, et cæteras crudelitates virulenta impietate committis. Tu sola fœdera frangis, in conjurationibus

occuparis, separas amicos, multiplicas inimicos. Tu sola dissipas civitates, destruis regna. Tu charitatem extinguis, deprimis justos, magnificas impios, fidem destruis, spem quoque frangis, cæterasque virtutes impia crudelitate persequeris. S. Bern. Sen. tom. I, s. xxiii, ar. 3, c. iii.

Nihil sic dissolvit mentem, compunctionem dissipat, confusionem adducit, denigrat honestatem, et interioris gustus dulcedinem tepefacit, sicut inanis et præsumptuosa loquacitas. S. Laur. Just. c. xiii, *de Discip. Mon.*

Ingreditur mors per ostium tuum, si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter, postremo si, ubi non oportet, loquaris. S. Ambr. l. *de Virg.*

Quot supervacuis verbis mens a silentii sui censura dissipatur, quasi tot ruinis extra se ducitur. Unde redire interius ad sui cognitionem non sufficit, quia per multiloquium exterius sparsa vim intimæ considerationis amittit. S. Greg. l. V *Mor.*

Levis quidem sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat. Leviter transit, sed graviter urit. Leviter penetrat animum, sed non leviter exit. Leviter profertur, sed non leviter revocatur. Facile volat, ideo charitatem facile violat. S. Bern. *in quod. s.*

Dæmon undique nobis insidias præparare consuevit, sed facilius lingua et ore peccante. Nullum enim æque congruum illi organum in ministerium est interitus atque peccati; nam inde nobis mors, inde lapsus, inde perditio, inde naufragium præparatur; nam et mentium lapsus ex linguæ garrulitate venientes quidam declarans ait : Multi ceciderunt per gladium, sed non tanti, quanti per linguam. Refrena igitur linguam, et si non patitur reticere, dentium morsu quiescat, et tanquam carnifici tradatur dentibus. S. Chrys. hom. *ad Baptiz.*

Vanus sermo cito polluit, et facile agitur, quod libenter auditur. S. Bern. s. xliii, *de Int. Dom.*

Sermo vanus non erit absque judicio, quia ab omni rectitudinis statu depereunt, qui per verba vana dilabuntur. Ibid.

Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die Judicii; otiosum quippe verbum est, quod aut justa necessitatis aut intentione piæ utilitatis caret. S. Greg. vii *Mor.*

Tempus. — Tempus tacendi, et tempus loquendi; discreta vicissitudine pensanda sunt tempora, ne aut, cum restringi debet lingua, per verba se inutiliter solvat; aut cum loqui utiliter potest, semetipsam pigre restringat. S. Greg. l. vii *Mor.*

In omni quod dicitur, necesse est, ut causa, tempus, et persona pensetur; si verba sententiæ veritas roboret, et congruentiam temporis personæ qualitas non impugnat. Idem, l. vi *Mor.*

Materia. — Felix lingua, quæ non novit, nisi de divinis texere sermonem! S. Hier.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Vellem me pluries tacuisse, et inter homines non fuisse. L. I, c. x, § 1.

Si loqui licet et expedit, quæ ædificabilia sunt, loquere. Ibid. § 2.

Malus usus et negligentia profectus nostri, multum facit ad incustodiam oris nostri. Ibid.

Juvat non parum ad profectum spiritualem devota spiritualium rerum collatio, maxime ubi pares animo et spiritu in Deo sibi sociantur. Ibid.

Dixit quidam : Quoties inter homines fui, minor homo redii. Hoc sæpius experimur, quando diu confabulamur. L. I, c. xx, § 2.

Facilius est omnino tacere, quam verbo non excedere. Ibid.

Nemo secure loquitur, nisi qui libenter tacet. Ibid.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Custodia. — Virgo, quæ eximio hoc epitheto, *Sedes Sapientiæ,* honoratur, postquam intra sacra viscera sua æternum hoc Patris Verbum concipere meruit, prout ex sacris litteris constat, parum et raro locuta fuit; neque id admirandum est, siquidem in libro Sapientiæ scriptum est : *Dum silentium quietum contineret omnia, Omnipotens sermo tuus de cœlo a regalibus sedibus venit.* Unde Verbum Patris in silentio conceptum fuisse constat. Ideo Guerricus Abbas ait : Nunc quoque si silentium medium teneant omnia interiora tua, omnipotens sermo tibi secretus illabetur de sede paterna. Mansi, d. vi, n. 13.

S. Job etsi gravissimis tribulationibus a Deo et Dæmone exercitatus, in omnibus tamen his non peccavit labiis suis. De eodem

prima, æternaque veritas asseruerat, ipsum omnes in sanctitate mortales superare, et nihilominus is de seipso profitetur dicens : *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me.* Job. c. IX, 20.

S. Ephrem e vita decedens dixit : Nullo modo in omni mea vita contumeliosus adversus Dominum fui, nec sermo stultus egressus est ex labiis meis. In omni vita mea neminem maledictis affeci, et omnino cum nullo homine Christiano contendi. Mansi, d. I, n. 4.

Lingua S. Antonii de Padua, quæ tot annis laudando Deum, innumerisque animabus per prædicationem suam convertendis intenta fuit, singulari Dei providentia, ab omni corruptione mansit illæsa, sana, pulchra, vivax et rubicunda, de qua S. Bonaventura, dum eam ex loco suo foras in publicum educeret, cum teneræ devotionis lacrymis dixit : O lingua benedicta, quæ Dominum semper benedixisti, aliosque benedicere docuisti, nunc liquet, quam grata ei fueris, quantique apud eum meriti exstitisti. Mansi, d. I, n. 4.

Haffligenium Monasterium Ordinis S. Benedicti in Brabantia Religione probatissimum est, et in charitate præcipuum; in hoc Cœnobio Monachus erat ita silentio deditus, quod infra sexdecim annos ab ore ejus, nec una verbi syllaba per tantum tempus audiretur. Contigit autem, sicut a Monachis ibidem audivimus, ut in claustro gravissimum ignis incendium grassaretur; tunc idem Monachus videns, humanum auxilium non valere, mox se contulit ad divinum oransque paululum in silentio, linguam diu mutam in hæc verba laxavit : Stes, ignis, hac hora; flamma, penitus conquiescas. Mira res! vim virtutis suæ oblitus est ignis, stetitque in verbo viri sancti, et flamma penitus est extincta. Cantipr. lib. II. *Apum.* c. XIII, § 3.

Refert Bellovacensis, quod mulier quædam contentiosum domi habens maritum, vetulam quamdam, quæ magiæ fama apud vicinos laborabat, consuluerit, quid ei facto opus esset, ut cum marito pacifice vivere, seque a verberibus et pugnis, quibus sæpe a marito atrociter vapulabat, eximere posset; quia vero prudens anus inquietudinem hanc, qua a marito molestabatur, nec non omne malum a petulantia et procacitate linguæ ejus procedere solum, probe sciebat, eidem suasit, ut matutino tempore summo diluculo hortum suum ingrederetur, ibidemque eundo, stando, et redeundo continuum servaret silentium, facieque orientem versus posita tres recitaret orationes Dominicas, totidemque salutationes Angelicas, trinis quoque vicibus ab herba quadam, quæ *sturo* appellabatur, sciscitaretur, quid sibi faciendum, ne a marito vapularet, certam illam esse jubens, quod optatum ab herba reportaret oraculum. Vetula autem mulierem hanc præveniens, subque dicta herba se abscondens, cum mulier trinies sciscitaretur, quid pro hac gratia obtinenda exequendum sibi esset, vetula primo quidem voce submissa, postea vero non nihil alta, et in fine elatissima respondit : Tace, et pacem habe, et redeundo non loquaris. Cum vero mulier domum reversa a vetula de eventu subsecuto interrogaretur consiliumque ab herba sibi suggestum exponi sibi posceret, tandem omnibus a muliere per ordinem recensitis, subjunxit vetula : Vere, filia, bene dictum est tibi, si tacueris, et,viro redeunte domum, linguam tenueris, pacem habebis cum eo. Bellov. *Spec. mor.* l. III, dist. VIII, p. 1.

Similem quamdam facetiam P. Jeremias Drexelius de alia quadam recenset muliere, quæ, cum insultus mariti sui contendentis et indigne illam tractantis, cum domum ut plurimum ebrius rediret, diutius sustinere non posset, a viro quodam sapiente, ut cum marito pacifice et quiete deinceps vivere posset, remedium postulavit; qui eidem suasit, ut ex fonte domui suæ vicino aquam hauriret, eamque viro domum redeunte ori immissam tamdiu in eo retineret, donec maritus obdormisset. Mulier igitur suggestum sibi salutare consilium prompte executa est, et deinceps cum marito suo pacem habuit. Drexel. *Phaet. de Ling. contentiosa* c. X, § 4. *Phaet.*

Ut vitæ tradunt Patrum, Monachus quidam aliquando ad Abbatem Pastorem se contulerat in secunda Quadragesimæ septimana, suum ei cor aperturus, suamque ad recipienda documenta salutaria manifestaturus conscientiam; ad S. igitur Abbatem accedens, ait hospes : In modico impediri habui, ne venirem ad te hodie. Dixit ei senex : Quare? Et ille dixit : Metuebam, ne propter Quadragesimam mihi non aperiretur. Et respondit ei Abbas Pastor : Non didicimus januam ligneam claudere, sed magis linguæ januam cupimus clausam habere. *Vitæ PP.* l. V, n. 5.

Agatho Abbas, lapillo assidue ori indito, tacere didicit; idque ab eo annos tres observatum, ne etiam cum fari vellet, expeditum sibi foret, legerat quippe illud in Proverbiis. Qui custodit os suum, custodit animam suam, qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. MAR. l. IV.

Pambo Abbas Theopilo Episcopo, se adeunti aliquando et aliquo sermone ab ipso spiritualiter refici petenti, respondit: Si taciturnitate mea non reficeris, nec sermonibus refici potes. Hinc quidem die vitæ suæ jam supremo audacter affirmavit, ex quo eremum incolere cœpisset, nullum se unquam protulisse verbum, quod prolatum nollet. Perfecit ergo quod initio promiserat. Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Ibid.

Severus Sulpitius Presbyter cum multa catholice scripsisset in senectute, a Pelagianis deceptus, et agnoscens loquacitatis culpam, silentium usque ad mortem tenuit, ut peccatum, quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret. Ibid.

QUALITAS.— S. Vincentius mulieri mutæ, ex miraculo panem et usum linguæ petenti, panem quidem concedendum dixit, usum vero linguæ negandum, eo quod vitam animæ et corporis sua loquacitate esset perditura. Unde mox iterum muta facta est. (DAUR. c. VI, *in Cat. hist.* tit. XLVI, n. 8.) Hanc historiam Mansi etiam sequentibus verbis recenset: S. Vincentio Ferrerio, in urbe Valentina in die Nativitatis S. Joannis Baptistæ prædicanti, mulier quædam paupercula et muta ex numerosissima auditorum suorum turba præsentata fuit; quæ a S. viro Dei interrogata, quid vellet? respondit: Panem, et linguam, o Domine. Cui S. Vincentius dixit: Panem quotidianum, dum vixeris, habebis; officium linguæ non impetrabis. Tu vero gratias age divinæ bonitati, quæ tibi negat obfutura; lingua tua nisi sic esset ligata, esset mordacissima, animæ corporique interitum allatura. MANSI, d. XII, n. 4.

Abbas Pastor cum aliquando Abbatem Agathonem, juvenem adhuc Religiosum, *Abbatem* vocasset, causam dicti rogatus dixit: Quia os suum fecit eum appellari *Abbatem. Spec. Ex.* dist. II, ex. CLXVI.

Cum quidam Fratres ad Antonium eadem navi cum sene quopiam tenderent, et de variis rebus locuti fuissent, hic postea, cum S. Antonius illi diceret: Bonos Fratres habuisti ad comitatum. Abbas respondit: Sunt quidem boni, sed habitatio eorum non habet januam; quicumque enim vult, intrat in stabulum, et solvit asinum. Hoc autem dicebat, quia quodcumque ascendebat in corda ipsorum, illud loquebantur. Ib. ex. XCVII.

Pambus Monachus cum ab alio monita salutis expetens, hunc versiculum recitari sibi audivisset: Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea; noluit plus sibi dici, asserens, satis fore, si hoc bene didicisset; cum vero post quadragesimum nonum annum iterum quæsitus fuisset, an nondum lectionem sibi traditam calleret? respondit, se vix dum eam tenere. PALLAD. *Hist. Eccl.* p. II, l. VI, c. I.

Abbas Sisoius de se dixit: Crede mihi, jam triginta annis Deum deprecor, et hoc unicum oro: Domine Jesu, protege me a lingua mea. PELAG. l. IV, n. 39.

Cum quidam juvenis a viro religioso cilicium pro carne domanda petiisset, hic os digito signans dixit: Vere, mi juvenis, optimum est cilicium, vigilanter attendere, quid per ostium hoc egrediatur. DREX. *in Phaet.* c. LXI, §. 3.

S. Franciscus alumnos suos frequenter ad disserendum de divinis convocabat, quo illud inter alia consecutus est, ut aliquando illis considentibus, Christus sub speciosissimi adolescentis forma sese medius insinuarit, placidissimoque vultu suam illis benedictionem dederit. *Chron.* p. I, L. I, c. XIX.

S. Catharinæ Senensi sermocinationes de Deo tam jucundæ extiterunt, ut æquo animo videre non posset, si quempiam res mundi ludicras serio tractantem conspexisset. RODR. p. II, tr. II, c. XIII.

S. Thomæ Aquinatis tota conversatio in sanctis ejusmodi colloquiis fuit traducta, ex quo illud emolumentum est consecutus, ut, si quando cogeretur cum sæcularibus etiam profana tractare, seipsum mox nullo labore recolligeret, consuetisque mentis exercitationibus totum se impenderet. SURIUS, *in Vit. D. Thom.*

Abbas Machetes multis qua lacrymis, qua precibus a Deo obtinuit, ut in colloquiis spiritualibus, etsi toto die durarent, numquam; in sæcularibus, otiosis et impertinentibus a somno statim occuparetur. CASS. l. V, *Inst.* c. XXIX.

Quidam vir magnus, cum Fratres inter se de S. Scripturis colloquerentur, vidit SS. An-

gelos adstantes, et plurimum se colloquiis illis oblectantes; cum autem aliud quidvis loquerentur, statim SS. Angeli longius recedebant, et porci sordidissimi veniebant, et volutabant se inter eos. Dæmones enim in specie porcorum delectabantur eorum vaniloquiis. Beatus autem senior hæc videns, commonebat per monasteria Fratres dicens: Cohibete a multiloquio, et ab otiosis sermonibus linguam, per quam malus interitus animæ generatur. *Vit. Pat.* p. I, c. XXXV.

S. Nicetius, Episcopus Lugdunensis, nulla verba nisi pia et sancta loquebatur, otiosa vel jocosa numquam; contumeliosa vero in alios vel in se conjecta, negabat esse audienda, eo quod ex animi perturbatione prolata essent. SURIUS, *in Vit.*

DAMNUM MALÆ LINGUÆ.— Sacerdos quidam et Judex, impudica coram S. Walerico se cum suis in domo Sacerdotis frigefaciente, loquentes, graviter mox puniti sunt, et Sacerdos quidem utroque orbatus est lumine, Judici vero membra genitalia computruere. DAUR. *in Cat. hist.* tit. XLVI, ex. IX.

Sacerdos alius malevole homines diffamare solitus, ante mortem in furiam actus, tanta in se cæde bacchatus est, ut propriis dentibus linguam sibi laniarit. *Spec. Ex.* dist. V, ex. XCII.

- Duranus, Episcopus Tolosanus, cum sæpe verba risum moventia incautius proferret, et ab Hugone Abbate admonitus non desisteret, post mortem Siguino Cappellano spumoso ore (ut Hugo ei prædixerat,) apparens, cum magno fletu auxilium petiit. Quam ob causam Hugo pro eo commune silentium per hebdomadam fieri jubens, eum tandem ex Purgatorio liberavit. Ibid. *Hist.* IV, ex. XIV.

S. Gertrudis testatur, numquam per novem annos subtractam sibi fuisse præsentiam Christi, nisi per undecim dies, quod ipsa putabat ob sermonem quemdam mundialem contigisse.

Turcagnotta in *Historiis* suis refert, qualiter Monarchia Ottomanica, quæ tot a sæculis evolutis hactenus duræ servitutis jugum majori totius universi, imo (quod deplorabilius est) Christianismi parti imposuit, suam acceperit originem. Nimirum unicum verbum non otiosum, sed injuriosum et pungitivum, inadvertenter fortasse prolatum, tot ruinis originem dedit. Cum enim Heraclii Imperatoris tempore, Ministri ejus ob exhaustum ærarium, debita Saracenis ex Arabia appulsis solvere stipendia non possent, et thesaurarius Cæsarius illa totius militiæ nomine a se poscentibus, se panem canibus subministrandum non habere, respondisset, verbum hoc injuriosum et asperum animam illorum adeo vehementer penetravit, ut in generalem militiæ Ducem, Mahometum eligentes, atque ab Imperii obedientia se subtrahentes, desperate adversus Christianos dimicare, talesque progressus continuo facere cœperint, ut parum abfuerit, quin S. Petri naviculam totaliter inverterint. MANSI, d. X, n. 3.

In Vitis Patrum quidam ex sanctis illis senioribus sic lamentatus fuisse dicitur: Quando congregabamur initio ad invicem, et loquebamur aliquid, quod utile esset animabus nostris, efficiebamur seorsum, et seorsum, et ascendebamus in cœlum. Nunc autem congregamur et in obtrectationibus occupamur, et unus alterum trahimus in profundum. *Vit. P.P.* l. V, n. 105.

Cum S. Walericus Abbas, hyberno tempore, ab eo loco quem Caldem vocant, ad suum monasterium rediret, in ipso itinere ob nimiam frigoris acerbitatem ad presbyteri cujusdam domicilium cum suis sese calefacturus divertit. At illi qui tantum hospitem summopere venerari et reverenter excipere debebant, ut ejus sacris sermonibus instrui mererentur, ad turpia et obscena jactanda verba, una cum ejus loci Judice, prorumpunt. Ille contra, uti consueverat, putridis et corruptis hominum vulneribus salubria cœlestis verbi cataplasmata adhibebat, atque ad illos: Non audivistis, filii, illud ex Evangeliis; de omni verbo otioso reddituros nos rationem in die Judicii? Ea ratione nihil permoti, contempto viro Dei multo etiam fœdiores et impuriores vomebant sermones. Tum ille: Volui quidem, inquit, in tam acri frigore nonnihil corpusculum meum ad ignem refovere, sed vestræ id non sinunt linguæ impurissimæ, quæ me etiam frigore afflictum abire compellunt. His dictis excusso in eos pedum suorum pulvere, abscessit. Ecce autem in procaces et spurcos illos mox ultio divina grassatur, et Presbyter quidem repente utroque orbatus est lumine, et Judicis membra genitalia computruerunt. Tum illi præsentem Dei vindictam male experti, conantur verbis supplicibus ad se virum sanctum revocare, sed frustra. Et alter quidem cæcus permansit, alter vero contracto corpore, et putres-

cente inguine extinctus est. *In Vita S. Wall. Abb. apud. Surium.* 1. *die April.*

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius ita loquebatur, ut sermo ejus esset semper sententiis gravis, simplex, parcus, consideratus, et narratio potius, quam amplificatio, aut confirmatio, aut contentio. In rebus alicujus ponderis diu hærebat, levibus prætermissis. Audiebat prolixe et libenter usque ad finem sine interpellatione. Neque ex una materia in aliam transiliebat casu, sed consulto. Viros graves numquam auctores proferebat, nisi in rebus gravibus et certis. Audiens aliquid, quod ad iram vel turbidiorem aliquem motum incitare potuisset, statim se colligebat, jungebatque cum Deo, et quid responderet, accurate meditabatur. Unde numquam rationem præcurrebat inconsiderantia, et semper in tranquillitate manebat. In laudando parcus, parcior in vituperando, superlativis vix utebatur. PP. Salmeroni et Laynio Tridentum ituris suasit, ut in omni collocutione privata cogitarent, se in publico habere sermonem. *Vita*, l. V, c. VI.

S. Franciscus Xaverius in Japoniam navigans, ut Noroniam navis præfectum sibi conciliaret, omni usus comitate et affabilitate sermonis, subinde etiam honeste ludentes spectabat, et super ludum false dicta miscebat. (*Hist. Soc.* p. I, l. V, n. 25.) Unde Noronia, qui necdum virum noverat satis, cum familiaribus de illo colloquens, aiebat, unum e populo sibi videri Xaverium, nec illius sanctitatem viri sermonibus respondere. Verum cum dein appulso navigio audivisset, Xaverium in secessu quodam alienatum a sensibus orare repertum, mox sententiam mutavit. Unde addit Orlandinus, comitatem periculosam esse, nisi eximia ei sanctitas adjungatur. *Hist. Soc.* p. I, l. IX, n. 164, et l. III. *Vit.* c. XVIII.

P. Antonius Aaroz tanta erat suavitate et pietate in colloquiis cum fratribus, ut ejus colloquia calamo exciperentur. *Ex* l. *Ingolst.* c. XII, §. 6.

Joannes Berckmann quæsitus, quid faceret, quod numquam verbis peccaret, respondit : Numquam nisi præfinito verbum facio, ac Deo prius commendatum, ne quid illi ingratum proferam. *Vit.* p. II, pag. 96.

EXEMPLA PROFANA.

Socrates interrogatus, utrum silentium ejus stultitiæ, aut ignorantiæ adscribendum foret? respondisse fertur : Nemo stultus tacere potest. Quapropter S. Hieronymus dicere consueverat : Bene loqui nescio, quia tacere non novi. MANSI, d. VI, n. 13.

Adolescens quidam in Academia de stultis quibusdam negotiis loquebatur, cui Zeno dixit : Nisi lingua in mentem intincta diserueris, adhuc multo amplius dicendo delinques. STOB. s. XXXVI, *de Garrulitate.*

S. Clemens Alexandrinus refert : Anacharsim Scytham dormientem sinistra quidem continuisse pudenda, os autem dextra, significantem oportere quidem utrumque coercere, sed majus esse, linguam cohibere, quam voluptatem. CLEM. ALEX. l. IV. *Str.*

Narratur de quodam, quod, cum haberet uxorem suam in mari, dum imminente tempestate clamatum esset a nautis, quod graviora de navi projicerentur, ille exhibuit uxorem, dicens, quod in tota navi non erat aliquid gravius lingua ejus. Hæc est causa, quare multi habent uxores suas exosas, et male tractant eas, quia malas habent linguas. BELLOV. *Spec. Mor.* l. III, d. III, p. I.

Cum Augustus Cæsar aliquando judicio præsedisset, et causa legitime judicata, hominem injuste delatum absolvisset, ille gratias agere volens, alta voce dixit : Gratias tibi, Imperator, habeo, quod male et injuste, judicasti. Cum vero adstantes graviter indignarentur, hominemque corripere vellent : Desistite ab indignatione, inquit, neque enim linguam ipsius, sed animum expendere oportet. LUCIAN. II, *Hist.* l. I.

Zeno audiens adolescentem multa garrientem, dixit illi : Memento, ob id binas nobis aures, et os unicum a natura datum, ut meminerimus, multum audiendum, parum loquendum esse. LAERT. l. VII, c. I,

Isocrates Orator cum Locutuleius quidam in disciplinam ejus recipi vellet, duplicem mercedem postulavit. Illi vero causam roganti respondit : Alteram peto, ut loqui discas, alteram ut tacere. STOB. s. XXIV.

Chilon Lacedæmonius dicebat, linguam, cum alias semper, tum præcipue in convivio continendam, quod illic cibus et potus invitet ad intemperantiam. Porro ubi plus

est periculi, major etiam cautio adhibenda est. Laert. l. II. c. iv.

Theophrastus dicebat, potius esse fidendum effreni equo quam verbo incomposito; nemo autem non metuit insidere effreni equo; at plus est periculi ab effreni lingua. Id. l. V, c. ii.

Demosthenes audiens in convivio hominem loquaculum. Si multa saperes, dixit, non multa loquereris. Stob.

Charillus interrogatus cur Lacedæmoniis tam paucæ leges a Lycurgo datæ essent? Quoniam, respondit, pauca loquentibus, paucis legibus opus est. Plut. *in Lac.*

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut paterfamilias, qui domi servum haberet rebellem, qui in ipsum dominum insurgeret, eumque vulnerare auderet, merito carceri includeret, et tempore bene longo jejunare sineret; ita et linguam suam merito labiorum et dentium ostio concludet quivis homo, si, quanta sibi, aliisque damna crearit, accuratius consideret.

Sicut lingua bovina, dum adhuc in bove vivit, cruda et insipida est, parvique penditur; mortua vero et igne excocta, variisque condimentis præparata, gratissimus homini cibus efficitur; ita et hominis lingua, quandiu vivit, id est, libera et ad nocendum aliis prona est, Deo, hominibusque insulsa et ingrata erit; mortificata vero, et igne charitatis Dei et proximi a cruditatibus vitiorum liberata, ac variis virtutum condimentis condita, Deo, hominibusque saporem et oblectamentum singulare conciliat.

Sicut nautæ omnia periculosa loca in mappis delineata habent, ut illa declinare queant; ita servus Dei omnia malorum sermonum genera perspecta habere debet, ne in ea incautus impingat. Lud. Gran. *in Duce. Pecc.* l. II. p. II f. 732.

Sicut fructum arboris cultus indicat, et scaturiens fontis aqua naturam terræ, per cujus meatus transit, ostendit; ita sermo corda hominum manifestat. Id. *in Loc. Com.* f. 582.

Sicut homo sobrius et temperans nihil trajicit in stomachum, quod ante non bene præmanderit, dentibusque contriverit; ita et virum prudentem decet nihil loqui, quod non prius in corde perfecte ruminarit. S. Cypr. *apud Rodriq.* p. I, tr. II, c. viii.

Sicut loculos pecunia refertos non prius aperimus, quam evidentem pecunias expendendi necessitatem aut utilitatem advertimus; ita nec linguam prius reserare deberemus, quam perpenderimus, quid, cui, quo modo ac tempore sit loquendum. S. Vinc. et S. Bon. Ibid.

Sicut monetas aureas ante, quam accipiamus, vel expendamus, accurate ponderamus; ita et verba diligenter prius ponderanda sunt, quam in publicum proferantur. Fab. conc ii. *in Dom.* ii, *post Pent.* n. 2.

Sicut cibos sale cum magna consideratione conspergimus, cavemusque, ne nimium salis apponendo insulsos reddamus; ita et sermo noster sale discretionis considerate aspergendus est, monente Apostolo. Ibid.

Sicut eligis, quo vescaris; sic elige, quod loquaris. S. Aug. *in Ps*, 51.

Sicut egressurus domo undique prius circumspicit; an vultu et vestitu satis decoro prodeat; ita locuturus videat, quam decora sint verba, quæ in publicum emissurus est. Fab. l. c.

Sicut equus, qui olim Joanni Papæ a domina quapiam commodatus est, nullum deinceps alium sessorem admittere voluit, quam dictum Pontificem; ita et lingua Christiani, quæ toties Christum in Eucharistiam sessorem habet, merito nulli alteri, quam illi servire velle deberet. Ibid. n. 3.

Sicut molendinum talem reddit farinam, qualem frumentum est molæ affusum; sic lingua loquitur, quæ mens pertractat. Id. conc. iii, n. 4.

Sicut medici febris, alteriusve mali, seu morbi qualitatem discernere volentes intimius, infirmi sibi exhiberi jubent linguam, ex eaque in notitiam deveniunt gravitatis mali, quia inter alias linguæ venas, una ad cor, alia terminatur ad cerebrum, quæ nobiliores, maximeque vitales sunt hominis partes; ita quo spiritu, qua virtute, aut judicio quisque polleat, ex ejus discursu concludere licet, dicente Ecclesiastico: « In lingua sapientia dignoscitur; » et Seneca in Proverbiis: Imago animi sermo est; qualis vir talis oratio. Mansi, d. vi, n. 2.

Sicut, qui fert aromata, etiamsi nolit, ex odore proditur: ita et qui spiritum Dei habet, ex verbis suis agnoscitur. S. Clim. grad. 26.

Sicut dum ædes occlusæ manent, nequaquam, quod in iis continetur, videri potest;

patefactis autem foribus, si quis oculos in eas conjecerit, videt, quod ante in abscondito publicum subterfugiebat conspectum; ita pariter interiora hominis minime patere possunt, ast si portam aperuerit, id est, linguam solverit, mox in notitiam devenitur intimorum affectuum et passionum, aut vero virtutum, bonorumque sensuum, et cogitationum ejus. Unde S. Laurentius Justinianus de disciplina et perfectione conversationis tractans, ita de lingua scribit: Est janua, per quam sæpe Diabolus ingreditur ad cor, et per quam patet omnis interioris hominis status; ubi enim incomposita est lingua, ibi nil potest esse occultum. Mansi, l. c. n. 5.

Sicut piscis in aquis positus semper natando discurrit, et in continuo est motu; ita quoque lingua semper in faucibus nostris volvitur inquietudine continua. Id. dis. VII, n. 1.

Sicut difficile est, aquam sine cataractis coercere; ita difficilius linguam et oris intemperantiam refrenare et domare. Et paulo post idem auctor subjungit: Ut sunt pauci, imo perpauci, qui aquarum impetum coercere possunt, nisi prius aggeres struant, quomodo enim prohibeant; ita pauciores sunt, qui effrene os retundere possunt. Aquam per agerem prohibent, linguam per continentiam vincunt. S. Clim. grad. 11.

Custodia. — Sicut valde monstrosum esset, si vitis aliqua uvarum loco spinas produceret; ita quoque paradoxum est, si lingua, quam Deus nobis ad ipsum laudandum et benedicendum dedit, in maledictiones et blasphemias prorumpat, vel alio quovis modo proximum contumelietur. *Vit. PP.* l. V, c. IV, n. 50.

Sicut creatio linguæ est ad gustandum humiditates, et ad sermocinandum, et lingua hominis est absoluta, valde mollis et lata, ut utatur in duabus operationibus, gustu scilicet et sermone. Et lingua mollis, et lata est, conveniens ad bonitatem sermonis, quoniam extenditur et contrahitur, et gyratur circumquaque in ore modis diversis. Sicut ergo creatio linguæ est ad gustendum et sermocinandum, sic duplex est linguæ confessio, scilicet laudis et criminis. In confessione laudis, utpote in Officiis et Psalmodiis, quæ si devote agimus, gratiam compunctionis, et dulcedinem contemplationis degustamus. In confessione criminis debemus sermocinari, id est, absolute, nude, et aperte peccata confiteri, et hoc docet ipsa natura fieri, quia lingua hominis est absoluta, mollis et lata; sic criminis confessio debet esse absoluta in omni circumstantiarum manifestatione, et firmi propositi non relabendi stabilitate. Talis linguæ confessio facit animam extendi usque ad cœlum. S. Anton. Pad. s. II *in Pent.*

Sicut oportet thuribulum nihil habere immundum, sed solum ignem, et suffitum; ita etiam linguam nullum oportet verbum proferre, quod sit ulla macula, aut labe respersum. Sit os tuum thuribulum, vide autem, ne id fimo impleas; tales enim sunt, qui loquuntur verba turpia, et immunda. S. Chrys *ap. Mansi*, d. XI. n. 7.

Sicut nihil juvat domus, non urbs, non mœnia, non portæ, non ostia, nisi sint, qui ea custodiant, et sciant, quando oportet ea quidem claudere, quando vero aperire; ita etiam oris et linguæ nulla est utilitas, nisi sit ratio, cui scienter, accurate, et circumspecte ea claudere, et aperire permissum sit, et sciat, quæ sint efferenda, quæ vero retinenda. Id. *in Ps.* CXL.

Sicut in ponderando argento et auro, majori circumspectione utimur, quam in ponderando quovis alio metallo, vel re quopiam minoris valoris; ita quoque necessum est, ut magna cum circumspectione verba ponderemus, priusquam illa exprimamus. Eccl. XXVIII, 29.

Sicut vel minima etiam a pulvere tormentario sollicitissime arcetur ignis scintilla, utpote sufficiens ad totum eum absumendum; ita et lingua custodienda est atque refrenenda, ne vel unicum petulans, derisorium, aut pungens proferat verbum, siquidem magnum odiorum et irreconciliabilium inimicitiarum excitare potest incendium. Salmeron. t. XVI. d. 4.

Utilitas. — Sicut ab igne ingentes capimus utilitates et commoda; siquidem in tenebris illuminat, obscuritatem et caliginem noctis fugat; in asperrimis frigoris rigoribus nos calefacit; panem, cibos, et epulas sapidas coquendo præparat; metalla in varios usus liquefacit, saxa in calcem redigit, ut inde erigantur ædificia; et sic de aliis quamplurimis commodis et emolumentis, quæ inde recipimus, discurrere licet. Eodem prorsus modo de lingua discurrere possumus, tametsi enim verum sit, quod mors sit in manu linguæ, attamen id ipsum

astruens Sapiens, simul quoque dicit : « Vita in manu linguæ ; » in nostra enim potestate positum est, ut lingua multorum bonorum operum, virtutum, meritorum, et gratiæ sit instrumentum. In nostra potestate est, inquit D. Chrys. unumquodque membrorum nostrorum sive malitiæ, sive justitiæ instrumentum facere. Audi igitur, quomodo linguam hi quidem peccati, illi vero justitiæ arma fecerunt : « Lingua ipsorum gladius acutus ; » alter vero quidam de sua dicit lingua : « Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis ; » illa mortem operata est, hæc divinam legem scribebat ; propterea illa quidem gladius, calamus autem hæc erat, non secundum propriam naturam, sed secundum utentium electionem. Linguæ enim natura et hujus et illius una erat, operatio autem non una. Et de ore rursus idem cernere licet ; etenim hi quidem habebant os sanie et improbitate plenum, propterea accusans dicebat : Os ipsorum amaritudine et maledictione plenum est ; ipsius vero non tale, sed os meum, inquit, loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam. S. Chrys. t. I. h. 4 *ad Pop.*

Sicut lingua nervo parvo, per eam, et palati anteriorem partem sparso, omnes sapores discernit, ut malum et noxium projiciat, bonum et dulce amplectatur ; eadem ratione habens Spiritum Sanctum quæ Dei sunt, gustat ; quæ vero carnis sunt ac sensus, expuit et declinat. Salmer. *ap. Mansi,* dis. III, n. 4.

Sicut is, qui equo frenum imponit, totum illius corpus facile regit ; sic et homo, qui linguam suam frenat, seipsum facile ad omnem virtutem circumducet. S. Jacq. c. 1.

Damnum. — Sicut ignis licet parvus, magnum excitat incendium ; sic lingua, licet parvum in se sit membrum, maxima tamen inferre damna consuevit. S. Jac. c. 1.

Sicut fornax, cujus os semper apertum est calorem retinere non potest ; ita nec cor gratiam devotionis in se conservare poterit, cujus os non diligenter suo tempore fuerit conclusum. S. Bern. *de Pass. Dom.* c. 21.

Sicut is, qui compositionem thymiamatis fecerat olim ad usum profanum, perire de populo jubebatur ; ita qui linguam ad Dei laudem propriamque utilitatem concessam ad alios fines usurparit, impunitus non abibit. Fab. conc. III. n. 6.

Sicut si vitrum, in quo liquores distillati, v. gr. aqua vitæ, vel alii similes continentur, non firmiter obturetur, sed relinquatur apertum, subito ejusmodi liquorum spiritus evanescunt et disperdentur ; ita quoque accidit spiritui et devotioni ; si enim semper pateat, et male custodiatur, omnis spiritus et devotio penitus amittitur. Mansi, d. v. n. 2.,

Sicut si, vento spirante, duo conclavis alicujus ostia e diametro sibi opposita pateant, venti impetus majorem semper sibi acquirit vigorem ; alterutro vero illorum clauso, ventus subsidet et evanescit ; ita pariter, si duobus inter se contendentibus, alter illorum furori cedens taceat, victasque det manus ; alterius quoque furor protinus mitigatur. Id. d. x, n. 8.

Sicut arcus fraudulenti taliter fabricati sunt, ut, dum quis sagittam in adversarium contorquere se existimat, semetipsum feriat ; ita quoque lingua malevola damno parentat proprio, dum non modo animam loquentis plaga cruentat mortali, sed etiam contra se vindictas provocat plurimorum Osee. c. VII,. 16.

Sicut venenum, dum malignitate sua ad cor usque penetrat, illud calore et motu, omnesque alias corporis partes vita destituit ; ita lingua primo ictu illam vulnerando virtutem, quæ omnibus aliis vigorem subministrat, charitatem videlicet, dum (ut S. Bernardus ait) violat et vulnerat, omnia quoque opera bona prosternit, et inutilia efficit. Mansi, d. XIII. n. 2.

Sicut in naturali corruptione ab ore incipit mors ; constat enim, ut ait Plinius, lib. II. cap 37, os primo emori in homine, cor novissime ; ita etiam in spirituali animi interitu mors fere ab ore incipit.

Sicut modicum fermentum corrumpit totam massam, et sicut parva scintilla ignis magnam silvam incendit ; ita lingua sine freno dominos et præpositos, æquales et socios, subjectos et parvulos, et omnes scandalizat et ad iracundiam provocat. S. Bern. s. 17.

Sicut amygdalus in emittendis floribus et germinibus suis omnes alias arbores anticipat, ac proinde facilius quoque a pruina et gelu superveniente læditur ; ita

nium prima in campum prosilire præsumit, prima quoque est quæ in venatoris retia, id est, in prævaricationes corruit. Id. d. VII n. 3.

Sicut turdela ex eo, quod digerit, moritur; ex ejus quippe stercore planta nascitur, de cujus humore viscus conficitur, quo postmodum et ipsa capiatur, atque ex eo agitur, quod id, quod prius fuerat cibus suus, efficiat, ut et ipsa postmodum sit cibus alienus; ita ergo, cum immunda quæque ac vana proferimus, quid aliud quam laqueos nobismetipsis loquendo compingimus, quibus ab astutis aucupibus, hoc est, a malignis Spiritibus postmodum capiamur. S. PETR. DAM. ser. *de Vitio ling.*

Sicut unicus pulveris atomus pupillam obfuscat, lumenque impedit; ita vel unicum ex levitate prolatum verbum irreparabilis damni potest esse causa, charitatemque penitus extinguere. S. CHRYS. hom. LII *in Matth.*

Sicut David, dum oram chlamydis præscidit Sauli, eam diminutam et imperfectam fecit; sic multoties contingit viris non vulgaris perfectionis, qui si non occidunt, oram ac fimbriam saltem vestis abscindunt, detrahendo scilicet de fama et honore alicujus, quem non omnino exuunt, sed minuunt. POEZ. *in Jac.* c. III, § 1.

Sicut ignis absque ullo cujusque respectu suam exercet voracitatem in centones et purpuram, in plumbum et aurum, in arundines et ebenos; ita et lingua nulli penitus parcens, resolvitur, atque in principum et subditorum, in dominorum et servorum, in divitum et pauperum, in doctorum et ignorantium, et quorumcumque aliorum exacuitur indifferenter præjudicium. MANSI, d, XV, n. 5.

Sicut quoquo pervenerit ignis, omnes in cinerem convertit sericas vestes, et apparatus ditissimos, supellectilem quamcumque pretiosam, et quodcumque aliud, quomodolibet excellens. Eamdem lingua exercet violentiam, quia, ut S. Thomas super illa S. Jacobi verba (*magnam silvam incendit*) exponit, magnam materiam operum perire facit; quod idem Venerab. Beda diu ante in hæc expresserat verba: Sicut a modica scintilla ignis excrescens, magnam sæpe silvam incendit; ita incontinentia linguæ, suis nutrita levitatibus, magnam bonorum operum materiam, multos vitæ spiritualis fructus, ubi attaminaverit, perdit, et innumera plerumque quæ optima videbantur, locutionis folia consumit. Ibid. n. 7.

Sicut quo majori ignem foverimus alimento, tanto magis redditur insatiabilis; ita et lingua, quanto magis exercetur, et quo uberius ei præbetur motivum, tanto insolentius voluntatem auget et pruritum loquendi. Ibid. n. 6.

TEMPUS. — Sicut malum ex auro fictum, retiaculo argenteo inclusum longe pulcherius apparet, quam si nudum foret; ita verbum in tempore prolatum gratius longe erit, quam si non opportuno tempore proferretur. PROV. XXV.

Sicut ad perfectum musicum spectat, non tantum canere, sed etiam pausare posse; ita ad perfectam loquendi artem non tantum spectat suo tempore loqui, sed etiam tacere posse. FAB. conc. III *in Dom.* XI, *post Pent.* n. 1.

Sicut militi non datus est gladius, ut eum semper in vagina reconditum servet, sed ut suo tempore illum extrahat, et utatur; ita nec lingua data est homini, ut semper taceat, sed ut ea suo tempore utatur. Ibid.

MOTIVA.

Ad custodiendam Linguam.

Quia lingua Christi est, uti S. Chrysostomus indicavit, dicens: In superioribus me dixisse memini, manum esse linguam nostram, quæ pedes Dei attingat; nunc vero majus quiddam adjicio, quia lingua nostra est lingua Christi. Christi linguam imitamur, si diligentiam adhibemus, ut illa loquamur, quæ ille præcipit. Et iterum alibi: Non sunt tua labia, sed Domini; ipse enim fecit ea, ipse construxit, ipse vitam inspiravit. At tu habes; sed non omnia, quæ habemus, nostra sunt. Pecunias enim habemus, quas alii apud nos deposuerunt, et agros conductos habemus, quos alii nobis dederunt. Ita hæc etiam tibi locavit Christus, non ut feras spinas, sed ut convertas semina ad id, quod est utile; non ut arrogantiam, non ut dolum, sed ut humilitatem, et laudem, ac benedictionem et dilectionem facias per eam germinare. Quomodo autem dicis: *Labia nostra sunt apud nos*, quando ea peccati serva feceris, quando fornicationis, quando immunditiæ? Quis est noster Dominus? O verbum diabolicum! O

animam dæmoniacam ! Vides, ô homo, universam creaturam prædicare Domini tui potentiam, sapientiam, curam, providentiam; vides corpus tuum, animam, vitam, quæ sub aspectum cadunt, et quæ non cadunt, omnia propemodum vocem emittentia : *Laudate potentiam artificis;* et dicis, quis Dominus noster est? Hoc est furoris, hoc stuporis, hoc corrupti animi. S. Chrys. hom. lxxix *in Matth.*

Quia soli homini rationali concessa est; unde infert S. Antoninus : Si igitur soli creaturæ rationali est concessa lingua loquax, rationabiliter ea uti debet, non bestialiter ; et hoc etiam ostendit ipsa dispositio naturalis oris et linguæ ; et hoc est, quod dicit Psalmista cxliv. *Laudationem Domini loquetur os meum ;* id est, dispositio oris mei bene considerata, docebit me recte loqui secundum rationem, et sic consequenter Deum laudare. S. Anton. pet. II, c. iv.

Quia lubrica admodum est lingua ; uti S. Bernard. indicavit, dicens : Est membrum pronissimum omni malo, quod quidem natura ipsa ostendit, cum in lubrico, id est, in humido posita sit. (S. Bernar. Sen. tom. III, s. *de Multiloq.* art. 3, 7.) Hinc Elias Cretensis ait : Quantæ difficultatis sit, linguam frenare, tum a Propheta demonstratur, cum ab ipsomet Deo labiorum atque oris custodiam petit ; tum ex ipsa procreationis nostræ ratione constat, ut, quæ duplicem murum, hoc est, dentium et labiorum, linguæ dederit. Elias Cret. *in Or.* I, *S. Naz.*

Quia vilem admodum facit lingua male custodita, uti S. Augustinus breviter indicavit, dicens : Summa verecundia est, et depressa dejectio, non posse linguam refrenare, et vile ligare non posse verbum. S. Aug. s. III *ad FF.*

Quia graviter etiam nociva est loquenti, ut S. Bernardinus notavit, qui et addidit, nullam bestiam vel feram tantum hominibus nocere, quam linguam malignam; (S. Bernar. Sen. l. c. art. 2.) Unde et S. Hieronymus monet : Sollicitam satis ori tuo custodiam pone, non enim est quidquam in nobis, quo facilius peccare possumus, quam lingua. (S. Hieron. *ad Dem.*) Clarius vero hoc explicans documentum, idem S. Bernardinus ait : Nocet loquenti tripliciter. Primo, respectu Dei. Secundo, respectu sui. Tertio, respectu proximi. Respectu Dei, quia gratiam Dei ab anima tollit. Unde Bernardus ait : Levis est sermo, sed graviter vulnerat. Secundo, respectu sui, quia bonam famam amittit ; unde Ecclesiastici v. *Honor et gloria in sermone sensati ; lingua imprudentis subversio est ipsius.* Tertio, respectu proximi, quia gratiam hominum tollit. Nocet audienti, quia mentem ejus inficit et corrumpit, atque scandalizat, scilicet mendaciis, adulationibus, consiliis, et suasionibus pravis, seminatione discordiarum, diffamationibus, turpiloquiis, murmurationibus, perjuriis, detractionibus, blasphemiis, et sermonibus aliis contagiosis, de quibus omnibus, I. Corinth. xv. *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.*

Quia incurabilis propemodum est linguæ incustodia ; uti Lyranus, in cap. III Jacobi, insinuat, dicens : Hic ostendit, quod inficit incurabiliter, quia lingua mala non est domabilis, sicut cætera membra, quæ possunt ligari, et a suis actibus impediri ; non sic autem lingua, nisi præscindatur. (Lyranus, in c. III *Jac.*) Et confirmans id ipsum S. Valerianus ait : Non difficile est medico, ulcera quantumvis tumentia in oculis posita, herbarum beneficio castigata mollire. Habet et vis veneni remedium suum, quod haustum quamvis in ultima viscerum sede dominetur, salutaris tamen poculi unda perquiritur in tantum, ut miretur aliquoties artifex scelerum superveniente medicina, nihil oris sui incantationem valuisse. Linguæ vero insanabilis plaga est, quæ, quamvis leviter percutiat, alta tamen semper movet pectoris dolore suspiria. S. Valer. hom. V, *de Oris insolentia.*

Quia præcipuum Dæmonis instrumentum est, uti S. Chrysostomus testatur, dicens : Quod, licet Dæmon omnibus sensibus nostris abutatur, ut nos ad Deum offendendum inducat, nihilominus nullum a Dæmone habeatur instrumentum, quo majori cum facilitate, et frequentius prævaricari nos faciat, quam per linguam. (S. Chrysost. hom. V *ad Baptiz.*) Hinc Dionysius Carthusianus ait : Diabolus dicitur linguam inflammare, in quantum ad verba vitiosa incitat hominem. (Dionys. Carth. in c. III *Jac.*) Quod idem Beda diu ante ipsum his verbis dixerat : A gehenna, dicit, id est, a Diabolo et Angelis ejus, propter quos gehenna facta est.

Quia nocet in corporalibus. Quot, quæso, homines, inquit S. Bernardinus, per violentam mortem pereunt, ex accusationibus falsis, ex infamiis datis, ex mendaciis inventis, ex detractionibus pravis, ex perjuriis impiis,

ex contentionibus stultis, ex divisionibus nequissimis, et ex discordiis fatuis, perditionibus diabolicis, contumeliis contrariis, et consimilibus verbis? *Multi ceciderunt in ore gladii* (verba sunt Ecclesiastici) *sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam* Beatus, qui tutus est a lingua nequam ! S. Bernar. Sen. l. c.

Quia Angelos et primos parentes in ruinam traxit, uti S. Bernardinus indicavit, dicens : Tu Angelos in Dæmones convertisti, atque de cœlesti Regno in æterna supplicia dejecisti, et profundasti ; primosque parentes nostros, ac cum eis totum genus humanum de Paradiso deliciarum ad æternas et temporales miserias destinasti. Id. tom. I, s. xxiii, ar. 3, c. iii.

Quia linguæ custodia multum conducit ad omnia membra regenda, teste V. Beda dicente : Si quis lapsum linguæ, qui pene inevitabilis est, cavet, hic consuetudine fixa ejusdem continentiæ etiam cætera corporis membra, quæ facilius castigari possunt, ne a recto itinere divertant, discit observare. V. Beda. in c. iii, *Jac.*

Quia ad perfectionem assequendam est præcipuum instrumentum. Hinc S. Bernardus : Quod si dixeris, ait, rarus est, qui sermones suos in judicio disponere videatur, vel ex hoc disces, quam sit rara perfectio, cum nec perfectum inveneris esse commune. Ac proinde in sermone quodam, de modo bene vivendi, sororem suam his verbis monet : Linguam tuam refrena, et eris religiosa, quia si eam non refrenaveris, religiosa non eris. Sed si forsitam mihi non credis, audi Jacobum dicentem : Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. (S. Bernar. s. *de tripl. Custod.*) E contrario vero S. Laurentius Justinianus : Nihil ita incongruum homini Deo famulanti, et ad perfectionem tendenti reperitur, sicut effrenata lingua, nullo considerationis moderamine religata, quæ omnem mentis unitatem dissipat, et occidit. S. Laur. Just. c. xv, *de Disc. mon.*

Quia ex verbis præcipue colligitur status hominis. Nam ut S. Basilius ait : Fluentum sermonis, quod ministerio linguæ ad exteriora deducitur, fontis, ex quo manat, index et testis est. (S. Basil. *de vera Virg.*) Et confirmans id ipsum Paulus de Palatio : Est enim, inquit, vicarium responsum inter verba oris et mentis; quod enim mens cogitat, vult, cupit, naturali consequentia fit statim verbum in ore ; ideo cor et os unum censentur, est enim canalis apertus ex corde ad os, neque fere aliud est, in quo cor apertius cognoscatur, quam in ore. Paul. de Palat. *in Matth.*

MOTIVA.

Ad Linguam refrenandam.

Necessitas ad damna, quæ ex linguæ malo usu oriri solent, avertenda ; ob quam causam merito quisque cum Siracide exclamant : Quis dabit ori meo custodiam, et super labis mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea perdat me ? Eccl. xxii, 33.

Utilitas ; nam qui moderatur labia sua, et doctus et prudens est, (hinc tanta doctrina *bovis muti*, S. Thomæ Aquinatis) et de fructu oris sui unusquisque replebitur bonis. Certe mors et vita in manibus linguæ. Prov. xii, 23,2.

Dignitas ; nam qui non labitur in verbo, hic perfectus est vir, tantoque majori dignior honore, quanto difficilior est *ars bene loquendi*, quantoque pauciores reperiuntur, qui eam perfecte didicerunt. Ibid. xviii, v. 2.

Jucunditas, quam S. David indicavit, dum eum, qui vult vitam, et diligit dies videre bonos, ad linguam coercendam hortatur. (Ps. xxxiii, v. 14.) Sed et Salomon verba composita, favum mellis dixit. Prov. xvi, v. 14.

Æquitas. Quid enim æquius, quam ut quisque optimum de seipso testimonium ferat ? Atqui quotiescumque aliquid dicturus es, scire debes, morum tuorum te chirographum exhibere, ait sapienter Wido. Prov. vi, c. xiv.

MEDIA.

Ad Linguam refrenandam.

Oratio et invocatio gratiæ divinæ sedula ; nam hominis est præparare animam, et Domini gubernare linguam, teste Salomone. (Prov. xvi, 11.) Hinc et S. Jacobus dixit, linguam nullus hominum domare potest.

(Jac. III, 8.) Neque hoc, teste S. Augustino, ideo dixit, ut hujus in nos mali dominationem per negligentiam permanere patiamur, sed ut at domandam linguam divinæ gratiæ poscamus auxilium; non enim ait: Linguam nullus domare potest, sed : *Nullus hominum*, ut cum domatur Dei misericordia, Dei adjutorio, Dei gratia fieri, fateamur. Conetur ergo anima domare linguam, et, dum conatur, poscat auxilium, et oret lingua, domante illo, qui dixit ad eos, non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. (S. Aug. XV, *de Natura et Gratia.*) Et clarius alibi : Si linguam nullus hominum domare potest, ad Deum fugiendum est, qui domet linguam nostram ; si enim tu eam domare volueris, non potes, quia homo es, linguam nullus hominum domare potest. Attendite similitudinem ab ipsis bestiis, quas domamus. Equus non se domat, leo non se domat, camelus non se domat, sed ut dometur equus, bos, camelus, elephas, leo, quæritur homo; ergo Deus quæratur ut dometur homo. (Idem, c. IV.) Sed et S. Bernardinus id confirmans ait : Ad custodiam linguæ non sufficit custodia vitæ, nisi adsit adjutorium divinæ gratiæ, ideo Propheta auxilium a Domino ad hoc postulabat. S. Bern. Sen. ser. V, ar. I, c. II.

Eucharistiæ frequens perceptio ; nam ut bene S. Maria Magdalena de Pazzis dixit, sicut ii, qui vinum copiose biberunt, eructant illud ; ita anima Christi Sanguine inebriata, eructat ex ore divinas laudes, gratiarum actiones, et præ amoris vehementia, qui regnat in corde ejus, prorumpit lingua in verba sancta et exemplaria proximis, et quidquid dicit, redundat in honorem Dei, et utilitatem animarum. Imo audebo dicere, numquam audietur loqui verba infructuosa et vana. Hinc S. Chrys. : Quo non oportet, inquit, te esse puriorem, fruentem tali sacrificio ? Quo solari radio, non splendidiorem manum, carnem hanc dividentem ; os, quod igni spirituali repletur ; linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit? (S. Chrys. h. LXXXIII, *in Matth.*) Facessat ergo, ait S. Petrus Damianus, ab ore militis Christi, omnis vani rumoris ineptia, et lingua, quæ immaculati agni, imo summi Verbi rubet sanguine, dedignetur otiosi sermonis sese fecibus inquinare. S. Petrus Dam. ep. XLIX, c. X.

Amor Dei ; nam, ut recte Plato dixit, homines fiunt amore facundi ad loquendum de rebus, quas amant. Plat. *apud Busæum in Panar.*

Præsentia Dei ; sic enim jam olim Seneca suasit dicens : Sic vive cum hominibus, tamquam Deus videat ; sic loquere cum Deo, tamquam homines audiant. (Seneca, ep. X.) Merito ergo quisque sibi imaginatur Christum in medio stantem et dicentem : Quos sermones confertis ad invicem ? Luc. XXIV, v. 17.

Amor silentii ; nescit enim secure loqui, qui prius non didicit tacere, teste Thoma Kempensi. (L. I, c. XX.) Quod medium etiam S. Laurentius Justinianus commendavit, sequentibus verbis : Nemo, quomodo Deo, quid proximo dicat, scire sufficienter meretur ; nisi prius dedicerit ori suo ponere silentium. Oportet, ut assuescat lingua taciturnitati, deinde sermocinationi. Os, quod silere novit, facile fari prudenter discet, qui vero incontinens est, multa profert (præter voluntatem) et redargutione digna. Salubre quidem est, non ex noxiis tantum, verum etiam ab utilibus interdum linguam cohiberi sermonibus. *Obmutui a noxiis, et silui a bonis* (ait Citharædus S.) *et dolor meus etc.* Laur. Just. *de Casto Conub.* c. X.

Radicem garrulitatis tollere, quam idem Thomas Kempensis indicavit, dum dixit : Quare tam libenter loquimur, et invicem fabulamur, cum tamen raro sine læsione conscientiæ ad silentium redimus? Ideo tam libenter loquimur, quia per mutuas locutiones ab invicem consolari quærimus, et cor diversis cogitationibus fatigatum, optamus relevare. Et multum libenter de his, quæ multum diligimus, vel cupimus, vel quæ nobis contraria sentimus, libet loqui et cogitare. L. I, c. X.

Mulctam sibi pro trangressionibus injungere ; sic Norimbergiensis civis jejunio, alius Augustanus carnis propriæ incisione, Memminganus quidam, teste Fabro, abstinentia vino, quoties jurassent, imperata, jurandi consuetudinem superarunt. Fab. con. II, *in Dom.* XI, *post Pent.*

Frequens collatio de rebus spiritualibus ; sicut enim qui rem odoriferam manu versat, quo amplius tenet, hoc fragrantiores odores sentit ; ita quo quis tractationem rerum spiritualium frequentius in colloquium adducit, hoc magis excitatur ad easdem animo et ore versandas. Busæus, *in Panar.* f. 31.

A Deo laudem quærere; nam frenum linguæ, est laus Dei, inquit Hugo Cardinalis; unde Isaiæ c. XLVIII, dicitur : « Laude mea infrenabo te. » Cum enim lingua instar effrenis equi in continuo sit motu, ne sine freno in prærupta transgressionum corruat, eumque, qui illam creavit, offendat, eamdem hoc divinarum laudum freno coercere, et reprimere voluit; ideo dicit : « Laude mea infrenabo te. » HUGO CAR. *in* c. III, *Jac.*

Ponderatio verborum, ut S. Antoninus insinuat, dicens : Non ex omni parte clausa est (scilicet lingua) sed habet aperturam oris, etsi cum clausura dentium, vel labiorum ; quia etiam reprehensibile esset semper tacere, propter quod dicit Isaias : « Væ mihi, quia tacui ! »sed prius frangenda sunt verba dentibus examinationis ; et hoc est, quod dicit Calistus Papa : Ponderet unusquisque sermones suos, et quod sibi non vult loqui, alteri ne loquatur. S. ANTONINUS p. I, tit. II, §. 8, t. IV.

Bona vita ; uti S. Bernardinus suasit dicens : Præmisit merito custodiam vitæ, custodiæ linguæ, quia nisi diligenter homo custodiat vitam suam, non potest custodire et refrenare linguam suam. Quinimo secundum quod labitur in vita, labitur et in lingua, juxta illud Matthæi 12. *Malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala*, scilicet opera atque verba; ait ergo : Ut non delinquam in lingua mea. (S. BERN. SEN, t. III, ser.v, *de Esur. Inst.* ar. I, c. III.) Unde S. Petrus Damianus dixit : Si viri perfectio in verbi custodia ponitur, profecto patet, quia per effrenatæ loquacitatis incuriam omnis etiam perfectæ vitæ compositio dissipatur. S. PET. DAM. ser. *de Vit. ling.*

Rationis usus, de quo sic loquitur S. Bernardinus : Tegimen operculi vel ligatura, est censura disciplinæ, qua qui non premitur, quasi vas immundum reprobatur. Hoc operculum postulabat Propheta, dicens : « Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis ; » et quid per operculum et custodiam, nisi illuminata ratio designatur, qua gubernari et regi debet in homine lingua carnis ? Merito ergo Ecclesiasticus ait : « Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea perdat me. » S. BERN. SEN. tom. III, s. *de Multiloq.* a. II, c. II.

Vigilantia assidua, quam S. Augustinus suasit, dicens : Quanto illa citius et facilius movetur, tanto tu adversus illam fixus esto; domabis, si vigilabis; vigilabis si timebis ; timebis si Christianum te esse cogitaveris. S. AUG. *de Ver. Ap.* S. XXVIII, c. XI.

Humilitas, uti S. Laurentius Justinianus indicavit dicens : Eris plane tunc humilis, si ori tuo custodiam, et cordi adhibueris prudentiam, est autem lingua membrum parvum, et magna exaltat, de se pompatice loquitur, nunc inania, nunc scurrilia profert; illam optime compescit humilitas, quæ silentium diligit; fugit mendacia, omnemque abhorret tumorem. S. LAUR. JUST. *de Vit. Solit.* c. XIV.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta triplicem finem, ob quem illi a Deo lingua data fuit, quem breviter S. Bonaventura indicavit, dicens : Data est ad tria homini loquela, scilicet ad laudandum Deum, ad ædificandum proximum, et ad accusandum se ipsum.(S. BONAV. in cap. XI, *Luc.*) Quod etiam Cornelius a Lapide confirmans : Hic, ait, est finis linguæ, ob quem nobis a Deo est indita, scilicet ut illa Deum glorificemus, aliosque glorificare doceamus. (CORNEL. A LAPIDE, in c. III, *Jac.*) Et S. Bernardinus : Lingua nostra nobis donata quasi amplius, quam cætera membra divinis obsequiis mancipata. S. BERN. S. *de Multiloq.* c. II.

Nosse debet, cur lingua inferius ligata sit, et superius libera, ad innuendum scilicet, ut S. Bernardinus ait, quod humanus sermo debet liber esse ad loquendum de Deo, atque proximo, nec non de superioribus, et æternis, sed arctatus atque ligatus esse ad loquendum de transitoriis et terrenis. S. BER. Ibid.

Nosse debet, cur tam facilis sit homo ad linguam laxandam, nimirum quia vicina est cerebro, sicut et os phantasiæ adeo propinquum est, ut, quod in hac volvitur, ad linguam protinus dilabatur ; quia verbum oris, est partus verbi mentis, sermo est fructus cogitationis. Cum igitur lingua cum corde et cerebro connexa sit (siquidem Anatomistæ aiunt) duæ venæ a lingua protenduntur, quarum una ad cerebrum, ad cor altera tendit ; consequens est, quod merito nullum a nobis proferri debeat verbum, nisi per judicium, discursum, rationem et

prudentiam recte fuerit ponderatum. MANSI, d. II, n. 8.

Nosse debet, cur dentibus et labiis sit munita; nimirum ob tres rationes a S. Bernardo assignatas. Primo, propter fragilitatem. Secundo, propter malignitatem. Tertio, propter sanctitatem vel bonitatem, res pretiosa siquidem diligenter claudi et custodiri solet. Magna profecto est pretiositas humanæ linguæ, cum in humano corpore humanæ rationis sit instrumentum; unde in bonum propter tria maxime sic munita est. Primo, propter laudem Dei. Secundo, propter salutem sui. Tertio, propter ædificationem proximi. Primo, propter laudem Dei, quod quidem officium magnam sanctitatem requirit in ipsa lingua, nam ut Eccles. c. V, attestatur : « Non est speciosa laus in ore peccatoris. » Secundo, propter salutem sui; nam cum lingua sit tenuis, et lata quasi pala, aptissima est ad evacuandam malitiam cordis ; unde data est homini, ut possit per confessionem purgare peccata sua, et assumere Sanctissimum Sacramentum. S. BERN. s. *de Tripl. Custod.*

Nosse debet, cur carnea sit; videlicet, ut aperte clarescat, quod homo loqui cum tractabilitate, et humilitate debet, sicut Prov. XXV, scriptum est: « Lingua mollis confringet duritiem. » Quod etiam S. Antoninus confirmat dicens: Nota, quod lingua est carnea, non ossea, et inde multum ductilis, et volubilis hinc inde per os, ut ex hoc intelligas, te in locutione non debere esse durum, et pertinacem, sed ductilem ad retractandum, si quid male dixisti; ad petendum veniam, si alium male offendisti, et non protervum et durum, ad defendendam tuam opinionem. S. ANTONINUS, p. I, t. VI, c. IV, §. 1.

Nosse debet, cur tam delicata sit; nimirum, ut inde instruatur homo, quod loqui debet cum benignitate, juxta illud Ecclesiastici VI. *Linguæ eucharis*, id est, bonæ gratiæ, *in bono homine abundabit.* S. BERNARDINUS, l. c.

Nosse debet cur flammea sit; nempe ut mystice demonstretur, quod homo loqui debet cum charitate, de charitate, et propter charitatem. Loqui debet cum charitate; sin, absque fructu salutis æternæ loquitur homo ; unde primo, (Cor. XIII.) ait Apostolus: « Si linguis hominum loquar, et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. » Secundo, loqui debet de charitate, scilicet Dei et proximi. Dulcis sermo omni acceptione dignus loqui de charitate, quod maxime convenit dilectoribus charitatis. Ibid.

Nosse debet, cur semper per salivam madefacta sit; qua de re sic loquitur S. Antoninus : Est lingua quasi semper madefacta et mollis, et hoc vel a saliva procedente a stomacho, vel a phlegmate a capite descendente, vel putredine in pectore congregata ; ad significandum, quod locutio tua debet esse, vel verbis divinis, tamquam ex cibis spiritualibus acceptis ex sacra Scriptura, et retentis in stomacho memoriæ ; vel de opprobriis et passionibus Christi, qui est caput nostrum; vel de peccatis tuis propriis, tamquam salivis in pectore voluntatis aggregatis, juxta illud Prov. XVIII. *Justus prior accusator est sui.* S. ANTONNIUS. l. c.

Nosse debet, cur una tantum lingua homini sit data ; id quod S. Basilius indicat dicens : Natura loquendi, audiendique modum ad proportionis regulam metiens, duas aures, linguam unam nobis effinxit, quasi et duplum disciplinæ causa audire debeamus, et ad ea, quæ rogamur, sesquialtera proportione contractum referre sermonem. (S. BAS. *de vera Virg.*) Et id ipsum confirmans S. Bernardinus : Homini, inquit, sola unica lingua datur, cum dederit ei duas aures, duos oculos, duas nares, pedes cum digitis multis, et plura alia duplicata membra, ut discat anima rationalis plura audire, quam loqui; plura bona operari, plura videre aut similia ; nam etiam Seneca inquit : Auribus frequentius, quam lingua utere. S. BER. l. c. II.

Nosse debet, quomodo verum sit Jacobi effatum : Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir; quia in re facem præbet Dionysius Carthusianus, sic loquens: Quia non excessisse in verbo, signum est magnæ custodiæ cordis, magnæ sapientiæ mentis, magnæ perfectionis interioris; siquidem ea, quæ sunt, in voce earum sunt, quæ sunt in anima, conceptionum affectionumque notæ; idcirco linguam perfecte reprimere, signum ac opus est perfectionis, ac grandis illuminationis mentalis, ac supra vires humanas. DION. CARTH. *in* III. *Jac.*

Nosse debet pariter, quam verum sit illud : Nullus est, qui non deliquerit in lingua sua, (Eccl. XIX.) ubi dicit Glossa : Ast contra opponi potest, quod Psalmista dicat : « Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in

lingua mea. » Sed respondetur : Potest servari a delicto gravi, sicut doli, detractionis, jactantiæ, sed non a levi semper, imo omnes offendunt, vel superflue vel otiose loquendo, nisi per specialem Dei gratiam a tali lapsu custodiantur. Glossa, in c. xix. *Eccl.* xix.

Nosse debet, cur Religiosis præcipue curæ esse debeat custodia linguæ ; id quod Isidorus Pelusiota indicat, dum ostensurus, in quam periculoso statu sit ille, qui, postquam ad disciplinam transiit religiosam, linguam non domat, sequens adducit exemplum, inquiens: Ad monasticum studium te contendisse audio ; quod quidem nihil aliud est, quam murum firmum, atque hostibus inaccessum exstruere, ipsisque portam ad ingressum relinquere. Quod si et murum ab omni periculo liberum servare cupis, atque hostibus te firmum ac robustum ostendere, linguam, quam maxime poteris, in potestate tene, a qua et celeres et ingentes ruinæ contingunt. S. Isidor. Pelus. l. I, ep. 309.

Nosse debet, cur breviloquium sit amandum, de quo S. Bonaventura sic discurrit super illa verba: Et respondebo exprobrantibus mihi verbum. Non ait, verba, sed verbum, ut adnotaret breviloquium ; quod tribus de causis est multiloquio præferendum, videlicet ad evitandam stultitiæ suspicionem, animæ læsionem, et ipsius perditionem. Quorum primum pertinet ad infamiam ; secundum ad culpam ; tertium ad pœnam. De primo, Ecclesiastici decimo : « Stultus verba multiplicat, » unde verborum multiplicatio videtur stultitiæ suspicatio. De secundo : « Qui multis utitur verbis, lædit animam suam, » unde verborum multiplicatio videtur animæ læsio. De tertio : « Verbum custodiens filius extra perditionem erit. » Quis est verbum custodiens nisi breviloquus? S. Bonav. *in Ps.* cxviii.

Nosse debet, an et quousque verba ridicula sint licita ; ad quam quæstionem S. Laurentius Justinianus sic respondet : Sunt tamen multa verba, quæ si in se ridiculosa et vana esse videntur, quæ interdum prudenter, et opportuno dicuntur tempore, vel pro propria sublevanda fragilitate, vel proximorum avertenda tristitia. Hæc nempe talia ab infirmis mentibus nequaquam redarguenda sunt, quia otiosa non sunt. Plerumque hujusmodi magis fructificant, quam spiritualia et divina ; non autem in consuetudinem deducenda sunt, sub intentione subductoria, et raro, suo loco et tempore pronuntianda. (S. Laur. Just. *de Vit. Discip.* c. xv.) Id ipsum Plato per aptam quamdam a medicina desumptam similitudinem exponit, quod, sicut medicina ad hoc, ut sanitati conducat, in pondere et mensura, loco item et tempore convenienti sumi debet ; ita quoque jocus adhibendus est, observata usus ejus occasione, ut tamquam medicinæ loco adhibeatur. (Plat. l. viii, *de Rep.* c. iv.) Hinc S.Thomas : Qui in ludo, inquit, ita deficiunt, quod nec ipsi aliquod ridiculum dicunt, nec faciunt, vel dicentibus et facientibus molesti sunt, vitiosi censentur. S, Th. ii, q. 168, ar. ii.

Nosse debet, septem discretiones in linguæ usu observandas, quas S. Bernardinus indicavit dicens : Septem profecto discretiones observandæ sunt cuilibet, qui prudenter et discrete desiderat loqui, juxta quod Eccles. c. xxviii, admonet dicens : « Verbis tuis facito stateram. » Prima discretio est, quare homo loquatur. Secunda, quis loquitur. Tertia, quid loquatur. Quarta, quibus loquatur. Quinta, quando loquatur. Sexta, quomodo loquatur. Septima, quantum loquatur. Nam, teste Hieronymo, in pondere verborum, prolatio existit humanæ vitæ necessaria. S. Bernar. s. *de Multiloq.* ar. iii, c. ii.

Nosse debet, quomodo semper lingua Deum laudare queat; id quod S Basilius sic explicat : Videtur rem impossibilem polliceri Propheta ; quomodo enim semper Dei laus in ore hominis esse potest ? Quando enim ea depromit, consueta et ad corporis necessitatem respicientia colloquia , utique non jam in ore habet Dei laudem ; quando item dormit, penitus silet ; bibens quoque aut comedens, quomodo ore concinit laudem Dei ? Ad hoc dicimus, os esse quoddam spirituale, et intellectu præditum hominis istius interni, nempe mentis, quo nutritur, quisquis particeps divini fit verbi ; de hoc ore etiam Propheta loquitur : « Os meum aperui, et attraxi spiritum. » Sane cogitatio, quæ de Deo est, semel impressa, et velut sigillo obsignata, in præcipua animæ parte, nimirum in mente, potest laus Dei recte appellari, semper in anima existens. S. Basil. *in Ps.* xxxiii.

Nosse debet, in quo consistat ars recte loquendi, scilicet in eo præcipue ut lingua sua velut ostio utatur, prout S. David a Deo petivit, dum dixit : Pone, Domine, custodiam

ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis; hac enim similitudine indicatur, quemadmodum sedulus janitor ostium interdum clausum, interdum apertum habere debet, ita idem circa linguam observandum esse. Porro ut cognoscat, quando hoc ostium aperire debeat, optimum erit consilium, si exemplum Monachi illius sequatur, qui cellæ suæ ostio hæc tria verba inscripsit : *Necessitas, utilitas, charitas;* per ea indicare volens, non prius aperiendum ostium id esse, quam una ex tribus his causis exigeret. Alii totam artem loquendi in illa S. Pauli sententia : Sermo vester sit sale conditus, contineri putant; per illa enim indicare voluit, omnibus verbis salem sapientiæ inspergendum, qua diligenter materia, finis, persona loquens et audiens, tempus et modus observentur, hoc enim esse ostium *circumstantiæ*, quod labiis suis poni petiit S. David in citato versu. Ps. CXL, 3.

Nesse debet et curare, ut dignam de hac arte loquendi seu usu linguæ æstimationem concipiat, quam quidem tunc facile hauriet, si meminerit quod S. Jacobus dixerit, videlicet, si quis non delinquit in verbo, hunc perfectum esse virum; atque adeo perfectionis studioso præ cæteris convenire, ut linguam suam regere norit. Hinc idem Apostolus in eadem Epistola dixit : Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. (JACOB. c. III, 9.) Atque hoc totum S. Paulus in se expertus est, dum de seipso dixit : Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus; quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli, aliter scilicet loquens et agens, prout virum perfectum decebat. I. COR. XIII, 11.

Nosse debet sibique persuadere, quemadmodum Ascetæ vel maxime convenit, frequenter, imo quantum fieri potest assiduo, de Deo ac spiritualibus rebus miscere sermonem; ita nihil ipsum magis dedecere, quam faceta, jocosa, ac risum moventia verba, ut quæ, teste S. Basilio, remissionem, dissolutionemque animi erga res spirituales inducant, devotionem enervent, et compunctionem cordis extinguant, et, quod caput est, moriones potius deceant, quam graves viros. (S. BASIL. *in Const. Mor.* c. XIII.) Et sane S. Bernardus de Sacerdotibus dixit : Inter sæculares nugæ, nugæ sunt in ore Sacerdotis blasphemiæ. Consecrasti os tuum Evangelio, talibus jam aperire illicitum, adsuefacere sacrilegium est; quanto magis de Religioso ad perfectionis studium obligato, idipsum sentiendum erit? (S. BERN. *apud Rodriq.* p. II, tr. II, c. XII.) Cujus rationem ulteriorem S. Clemens Alexandrinus sequentibus verbis affert : Cum verba omnia a cogitatione et moribus emanent, fieri non potest, ut verba aliqua mittantur ridicula, quæ non procedant a moribus ridiculis; ex abundantia siquidem cordis os loquitur. (S. CLEM. ALEX. XXI, l. II, *de Pædag.* c. v.) Hinc S. Ignatius Loyola inter principalia juvandi proximi instrumenta, colloquia pia et sacra numeravit, eaque suis omnibus etiam laicis Fratribus mirifice commendavit, utpote quæ faciunt, ut sæculares magnifice de nobis sentiant, existimantes nos Deo plenos esse, omnibusque donis cœlestibus abundare. (S. IGN. p. VII, *Const.* c. IV, §. 8.) Certe de S. Francisco Xaverio compertum est, plus ipsum fructus fecisse privatis colloquiis, quam publica verbi divini prædicatione. Unde merito S. Bernardus exclamans : O quantum, ait, distamus ab his, qui in diebus Antonii extitere Monachi! Horum enim conversatio tota in cœlis erat; et hic rectus ordo erat quando digniori parti prius inserviebatur. Nobis autem convenientibus in unum (ut verbis Apostoli utar) jam non est Dominicam Cœnam manducare; panem quippe cœlestem nemo est, qui requirat, nemo qui tribuat; nihil de Scripturis, nihil de salute agitur animarum, sed nugæ, et risus, et verba proferuntur in ventum. Neque dicas, sic charitatem, affabilitatem, ac discretionem requirere, ut quasi astuti, sæculares capiamus; nam, ut idem Sanctus recte advertit, ista charitas charitatem destruit, hæc discretio discretionem confundit. Quæ enim charitas est, carnem diligere, et spiritum negligere? Quæve discretio, totum dare corpori, et animæ nihil? (S. BER. *in Apol. ad Guil. Abb.*) Hæc tota S. Bernardi doctrina non modice confirmatur ex eo, quod Taulerus memorat, nimirum Christum insigni cuipiam Dei servo apparuisse, et septem querelas adversus Religiosos magno animi sensu deposuisse, inter quas secunda erat, quod omnes illorum congressus et colloquia vanis ineptisque narratiunculis extrahantur, de ipso autem et cœlestibus altissimum semper sit silentium. TAULER. *in* c. XXVIII, *Inst.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : « Et loquebatur recte ; » (Matth. VII, 35.) potest ars recte loquendi doceri, eaque quatuor regulis comprehendi, quarum prima a S. Jacobo data est, dicente : Sit omnis homo tardus ad loquendum. (Jac. I, 9.) Nemo enim secure loquitur, nisi qui libenter tacet, ait pius auctor. (L. I, c. XX.) Hinc et Seneca: Summa summarum, inquit, hæc erit, tardiloquum esse te jubeo. Et merito ; sicut enim ad bestias feroces continendas non est efficacius medium, quam ut cavea conclusæ retineantur; ita et ad linguam (quæ, teste S. Jacobo, difficilius domatur, quam bestiæ) continendam, silentium est omnium opportunissimum. Alteram Spiritus Sanctus, per, Siracidem, obtulit, dicens: Noli citatus esse in lingua tua, (Eccl. IV, 34.) quo significare voluit, *considerate* loquendum, linguamque, ut S. Ambrosius et alii monent, perinde ac loculos pecunia plenos, non prius aperiendam, quam evidentem utilitatem aperiendi cognoscamus. Tertia ab eodem suggeritur : Non duplices sermonem auditus, et eris vere sine confusione, et invenies gratiam in conspectu omnium hominum. (Eccl. XLII, 1.) Hinc non mentiendum, non æquivocandum, non jurandum; ut dici possit cum Eliu : Simplici corde sermones mei, et sententiam puram labia mea loquentur. Quarta a S. Petro offertur dicente : Si quis loquitur, quasi sermones Dei; (S. Petrus, 411.) quo indicatur, *charitative* loquendum (nam Deus omnia ex charitate agit) atque adeo ab omni verbo, quod vel Deum, vel proximum lædere potest, studiose abstinendum ; sic enim ut lingua bovina dulci embammate condita omnibus sapiet, cum verbum dulce, teste Siracide, multiplicet amicos, et mitiget inimicos. Eccl. VI, 5.

Ex occasione thematis : « Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis ; » (Ps. CXLIV, 1,) potest alio modo ars recte loquendi declarari dicique, eam a Spiritu Sancto per dictam sententiam fuisse indicatam, dum locutionem aperitioni ostii declaravit ; per hanc enim similitudinem insinuare voluit, quemadmodum ad hoc, ut domus custodiatur, duo sunt necessaria, nempe ostium et ostiarius, (quia sine ostio non poterit arcere ostiarius eos, qui ingredi volent ; sine ostiario autem ostium semper vel apertum erit, vel clausum) ita ad recte loquendum, et animam per hoc custodiendam, necessarium esse studium loquendi suo tempore (quod per ostiarium intelligitur) et tacendi (quod per ostium indicatur). Ostendatur ergo fusius 1. Quomodo ostiarius constitutus esse debeat, nempe *timoratus*, id est, metuens iram Domini si quem illi inimicum aut ingratum intrare permittat ; *vigilans*, diligenter quærendo, quo tendat, quisque ingredi volens et cujus finis gratia ; et *fortis* seu *intrepidus*, omnem respectum hominum abjiciens. 2. Ostendat, quomodo ostium constitutum esse debeat, nempe *integrum*, alioqui per partem apertam se hostes insinuabunt ; *firmum et geminatum*, seu non facile removibile, quo tarditas loquendi indicatur ; et *aperibile*, ideoque impedimento clavem arcente carens, quale impedimentum foret obstinatus ad non loquendum, quando oportet, animus.

Ex occasione thematis : « Ori tuo facito ostia et seras ; » (Eccl. XXVIII, 28) possunt explicari causæ et circumstantiæ loquendi. Et in prima quidem parte ostendi potest, quantopere expediat linguam arctissime custodiri, eo quod vita et mors in manibus linguæ constituta sit ; et unusquisque de fructu oris sui repleatur bonis, et dies sortiri bonos possit. 2. Dicat concionator, se ad hanc custodiam offere seram parvulam multis circulis, litterisque inibi scriptis constantem (qua propositum firmissimum silentii, ubi opus est, servandi indicatur) quæ aperiri non possit, nisi unum ex his tribus nominibus per circulos litterarum dispositis, *necessitas*, *utilitas*, *charitas*, prodeat ; quæ proin tres causæ paulo fusius per practicos casus erunt explicandæ. 3. Dicat in manubrio seræ hujus scripta esse hæc verba Apostoli : Sermo vester sit sale conditus ; ut significetur discretio, quæ diligenter discernit inter materias locutione exprimendas, inter personas alloquendas, et inter modos loquendi, ut scilicet submisse, modeste, ac mansuete potius, quam clamose et aspere quisque loquatur.

Ex occasione thematis : « Ubi verba sunt plurima, ibi frequenter et egestas ; » (Prov. XIV, 23) explicentur damna, quæ ex neglecta linguæ custodia oriuntur, nimirum 1. Egestas *devotionis et collectionis internæ* ; nam, ut bene advertit Diadochus, quod bal-

neis, idem accidit loquacibus ; si balnei ostium crebro patefiat, calore paulatim amisso frigefit ; sic si quis multa sine necessitate loquitur, per oris januam, calorem internum exire necesse est. (Diadoch. *de Perfect. Spir.* c. lxx.) 2. Egestas *gratiæ et meritorum ;* cum enim in multiloquio peccatum non desit, consequens est, ut etiam imminutio gratiæ ac meritorum non desit. Vas, ait Scriptura, quod non habuerit operculum, immundum erit. Et ut domus illæ, quarum ostia semper aperta sunt, ut cauponum, plerumque perditis hominibus abundant ; ita et corda illorum, quorum os semper per loquelam apertum est, vitiis plerumque implentur. (Num. clxxii, 15.) 3. Egestas *Famæ*, quæ non modice imminuitur per loquacitatem ; ut enim, si vas percussum, magnum sonum reddit, vacuum credimus ; ita si quem valde loquacem advertimus, virtutibus et aliis donis inanem judicamus. Certe Apollonius rogatus, qui hominum sint optimi ? Qui in dicendo brevissimi, respondit. 4. Egestas *amicitiæ ;* nam terribilis est in civitate sua homo linguosus, et temerarius in verbo suo odibilis, teste Siracide. (Eccl. ix, 25.) Quæ omnia facile fusius diduci possunt.

Ex occasione thematis : « Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia ; » (Joan. xvi, 13) potest dicere concionator, multos quærere, quænam ars sit omnium difficillima ; et varios varie respondere, sibi autem artem recte loquendi difficillimam videri, utpote quam cum Monachus Pambus discere cœpisset, post quadraginta novem annos necdum se didicisse confessus est. Merito itaque peritum Magistrum, scilicet Spiritum Sanctum pro ea discenda eligi, ideoque se his tribus diebus Pentecostes de hac arte locuturum, et primo die quinque damna, quæ per linguam non custoditam inferuntur ; altero quinque proprietates recte loquentis linguæ ; tertio quinque media ad eam regendam allaturum. Itaque 1. ostendat, quanta damna Deo inferat effrenis lingua per blasphemias, murmurationes, et similia vitia. 2. Quanta *Christo*, certe major pars injuriarum tempore Passionis inflictarum, linguæ ministerio illata est. 3. Quanta *proximo*, superioribus videlicet, subditis, domesticis, vicinis, remotis ; ita ut merito dixerit S. David : Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus, quia omnia penetrat. 4. Quanta propriæ *personæ ;* tum in corpore, quia lingua mala, teste S. Jacobo, maculat totum corpus ; tum in anima, quia sicut urbs patens abundat malis hominibus, sic anima hominis garruli scatet vitiis. Hinc S. Arsenio viam salutis quærenti dictum est : Fuge, tace, quiesce. Hæc sunt principia salutis. 5. Quanta *rebus nostris*, præcipue divitiis et paci internæ, ac famæ, ut facile per varia exempla ostendi potest. Concludatur ergo merito in Magistrum eligi Spiritum Sanctum, qui doceat nos, perinde ut Apostolos, loqui magnalia Dei.

Ex occasione thematis : « Cœperunt loqui variis linguis ; » (Act. ii, 4) possunt quinque proprietates linguæ rectę loquentis explicari, dicique, quod debeat esse. 1. *Divina*, ut nihil contra Deum loquatur, atque adeo blasphemiæ, murmurationes et similia vitia sedulo caveantur. 2. *Catholica*, ut nihil contra fidem proferatur ; nec verba sacra in jocum assumantur, aut alio modo irreverenter usurpentur, ne eveniat quod Balthasari Regi, sacris vasis abutenti, accidit. 3. *Humana*, id est, prudens et considerata, ideoque a levibus, inhonestis, jactabundis, affectatis verbis sedulo abstineatur. 4. *Dulcis*, id est, charitativa, ideoque detractiones, contumeliæ, asperæ increpationes, agnomina, mordacia dicta pari cautela caveantur. 5. *Verax ;* hoc enim vel maxime Christianos et germanos decet. Potest, si vult concionator has linguæ proprietates variis linguis nostris comparare, v. g. Hebraicæ, Romanæ seu Latinæ, utpote gravem Hispanicæ, utpote amabilem Gallicæ, Germanicæ.

Ex occasione thematis : « Aurum tuum et argentum confla, et verbis tuis facito stateram ; » (Eccl. xxviii, 29) possunt per aurum et argentum varia media ad linguam continendam utilia intelligi et proponi. Et 1. quidem *Silentium* ; præcipue in templo, cum alius nobis irascitur, aut de alienis defectibus sit sermo. 2. *Oratio ;* quia Deus optimus est gubernator linguæ. 3. *Consideratio*, tum circumstantiarum, tum damnorum, quæ per incauta verba, Deo, proximo, et sibi creantur. 4. *Firmum propositum non labendi cum decreto mulctæ pro lapsibus exigendæ ;* certe secundum hoc propositum erit cursus profectus nostri in arte loquendi. 5. *Radicis extirpatio*, quæ quidem non alia est, quam inordinata concupiscentia. Hinc merito Spiritus Sanctus ad nos dicit : Qui

non renuntiat (affectu saltem) omnibus, quæ possidet, non potest meus esse Discipulus.

Ex occasione thematis : « Cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo;» (Joan. II, 15) potest invectiva concio in vitium garrulitatis in templo institui solitæ, cum commune valde sit vitium, fieri. Dicat ergo concionator, se ad hunc finem flagellum ex tribus funiculis facturum, atque adeo demonstraturum, quantopere Deus, proximus, et ipse, qui garrit, offendatur, 1. Itaque Deum graviter offendi ostendat ex eo, quod ejusmodi garrulitas sit blasphemia, sacrilegium, idololatria ; cum quivis homo in templum orationis causa ingressus os suum consecrarit Deo, atque adeo merito illud S. Bernardi dictum ei conveniat. Consecrati os tuum Evangelio (et orationi) talibus aperire illicitum, adsuefacere sacrilegium est. 2. Quod etiam proximum graviter lædat, ostenditur ex eo, quod talis gravitas summe displiceat Angelis altari, ut vidit S. Chrysostomus, adstantibus ; hominibus devotis, quibus grave impedimentum in oratione, ac dolor creatur ; parvulis, qui graviter scandalizantur. 3. Quod etiam sibi graviter noceat, ostendi potest ex eo, quod talis patiatur gravem jacturam *famæ*, cum juxta S. Chrysostomum, is, qui non libenter orat, clarum det indicium, se nihil egregiæ dotis possidere ; *meriti et benedictionis*, quæ sperare possunt ferventer orantes ; *favoris et gratiæ divinæ*, per orationem conciliari solitæ. Hortetur ergo, ut hoc flagello castigati resipiscant, et monitum Ciceronis observent dicentis : Ad Deos adeunto caste, pietatem tenento, opes amovento. Si quis secus faxit, Deus vindex esto. Cicero l. II *de Leg.*

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Sponsa Cœlestis, quæ quamvis denotat animam electam his verbis a Divino Amatore laudatur : « Sicut vitta coccinea, labia tua ; » in quonam vero hæc laus consistat, Richardus de S. Victore ad propositum nostrum his verbis explicat : Solent vittæ, dum crines ligant etiam caput ornare, ipsumque ornamentum in mentibus demonstrare ; sic custodia et disciplina loquendi mentem decorat, quæ caput, quod principale est hominis membrum, et foris pulchram animam demonstrat. Verba enim dissoluta, et inepte prolata exterius deformant, et intus rectitudinem mentis dissipant. Quot enim superfluis verbis aliquis utitur, tot modis extra se ducitur, et a custodia sua dissipatur ; ubi vero composita fuerint verba, et cum disciplina prolata, testimonium dant constantiæ mentis, prudentiæque atque discretionis. Rich. Vict. p, II, c. XIX *in Cant.*

Idem Cœlestis Sponsus in eodem epithalamio de ornamentis ejusdem Sponsæ loquens, inquit : « Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Murenula autem genus quoddam est piscium, quod in circulum volvitur, in cujus forma olim inaures, aurium ornamenta effingebantur. Porro certus quidam interpres mysterium prædictorum verborum Sponsi hunc in modum exponit : Ornamentum aurium nullum magis aptum, quam verba ; ergo verba pisci assimilat ; hoc autem significat parcimoniam in effundendo sermone ; pisces enim, ut omnibus constat, muti sunt ; ornamentum igitur animæ sanctæ, in quo Sponsus Cœlestis sibi plurimum complaceat, est sobrietas et continentia in loquendo. Origenes quoque mysterium indicat, cur inaures Sponsæ aureæ, et argento vermiculatæ fuerint, videlicet quod aurum ad sensum, mentemque revocetur, argentum vero ad verbum eloquiumque referatur. Aurum quoque ad judicium alludit, quo verbum prius trutinandum est, priusquam enuntietur ; argentum vero ad sonum externum refertur, qui modestus esse debet, non strepitosus, neque elatus. Mansi, d. VIII, n. 4.

Quærunt aliqui, cur lingua inter omnia corporis nostri membra ultima sit, quæ suum exequatur officium propter quod homini data fuit ; videmus enim, audimus, dormimus, manducamus, ambulamus, aliaque opera naturalia diu ante exercemus, priusquam loquamur? Quantum præterit temporis, postquam homo natus, lactatus, et adultior factus est, donec verbum articulate proferat, et expedite discurrat? Nimirum per hanc sermonis tardationem natura insinuare voluit, quod ad hoc, ut lingua loquatur, prius necessaria sit ei acquisita maturitas et sapientia. Idem ; disc. II, n. 8.

Salmeron ingeniose observat, quod lingua nostra naturaliter saliva continuo aspergatur ; dicit enim : Habet etiam salivam, qua

perungitur, ut prudenter, et sapienter loquatur; saliva enim sapientiæ symbolum est, teste Dionysio Carthusiano, qui ait : Per salivam, sine qua verba formari non possunt, perfecte sapientia figuratur, sine qua nemo rationabiliter loquitur. Ac proinde priusquam Salvator noster muti illius linguam laxaret, ad expedite loquendum, prius illam sputo linivit; et expuens tetigit linguam ejus, et loquebatur recte. Porro saliva suam a sale etymologiam ducit, quia salsa est, ad denotandum, quod lingua cum sale, id est, cum judicio et prudentia loqui debeat. Et hæc est ratio, cur, dum per sacrosanctum Baptismi lavacrum regeneramur, inter alios ritus sacros sal linguæ superponatur, quia, ut idem Salmeron ait : Baptizati linguæ sal infunditur, ut nonnisi sale prudentiæ imbuta foras prodeat. SALMERON, *apud eumdem*. l. c.

S. Hieronymus verba illa Psalmi XLIV : *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*, in hunc modum exponit : Pro quo interpretati sumus : Lingua mea stylus scribæ velocis. Extrema pars prologi est, et cum præcedentibus junge, quod sequitur : Eructavit cor meum in laudes Dei, sermonem bonum, et opuscula mea, quibus cum prædicaturus sum, ipsi potissimum consecravi. Debeo ergo linguam meam, quasi stylum et calamum præparare, ut per illam in corde et auribus audientium scribat Spiritus Sanctus. S. HIERON. ep. CXL.

S. Bernardinus acute observat, quod lingua sub tribus corporis sensibus collocatur, videlicet sub auribus, sub oculis, sub naribus. Primo sub auribus, ut consideret prudens homo, dum loquitur, quod in audiente potest esse auris, dextra et sinistra, dextra auris benevoli sunt. Proinde taliter loquendum est, quod non scandalizentur tales; nam, ut dicitur Sapientiæ 1. *Qui loquitur iniqua, non potest latere*. Auris autem sinistra sunt malevoli, invidi et maligni, aures erigentes, dum homo loquitur, avide expectantes, aliquid capere ex ore ejus ; sicut Sap. I. scriptum est : Auris zeli audit omnia. Ex hoc patet, quod os nostrum auribus audientium subjectum est, propterea debemus prudenter loqui. Est lingua sub oculis, ut cautus fiat homo, non loqui de vitio vel virtute, antequam intelligat, quid loquatur; vel ne, antequam noverit veritatem, laudet, vel vituperet quemquam. Lingua sub naribus sita est, ex quibus de capite humores defluunt, et inde cerebrum expurgatur, ut ex hoc insinuetur, quod homo sæpius ab humore duorum narium expurgare se debet, hoc est, frequentius confiteri peccata commissionis et omissionis, exemplo Davidis, qui de se ait : « Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. » Solet etiam homo sibi abstergere nasum, antequam loquatur, cum humores fluant ad os ex naribus ejus, ut merito indicetur, quod, antequam proximum nostrum, et ejus vitia lingua nostra corrigamus, nos ipsos a nostris criminibus emendemus. S. BERN. *de Multiloq*. ar. 3, c. VI.

Deus olim de Paschate Hebræorum disserens, prohibuit, ne ullus advena aut peregrinus de agno, quem populus Hebræus manducare debebat, degustaret, nisi prius per circumcisionem ad Hebræorum se recipisset religionem; ita enim habet sacer Textus. *Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, et facere Phase Domini, circumcidatur prius omne masculinum ejus, et tunc rite celebrabit*. (EXOD. XII, 48.) Verissimum vero est, quod hæc omnia in figura contingebant illis. Agnus, quem populus ille sacrificabat, haud dubie figura erat Agni Eucharistici, quo nos Christiani cibamur; ad hoc vero, ne de illo indigne participemus, necessum est, ut prius circumcidamur, id est, ut non solum omnibus renuntiemus delectationibus carnalibus, verum insuper labia nostra circumcidamus. Unde ne quispiam dicere possit : Incircumcisus labiis ego sum, necessum est, ut linguam habeat ab omni verbo obsceno depuratam, quia expressum præceptum divinum est : Si quis circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo. Quare optime S. Bonaventura ait : Circumcidi debemus ab incauta locutione, contra quod Moyses conqueritur: « En incircumcisus labiis ego sum. » Hanc circumcisionem docet Apostolus, dicens : « Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. » Quidnam vero hæc circumcisio mystice significet, S. Augustinus, ab eodem Seraphico Doctore citatus, his verbis declarat : Circumcisio ista quid est, nisi castitas nostra, qua Deus delectatur? Enim vero S. Bonaventura quatuor distinguit circumcisiones spirituales. Quarum prima est cordis. Secunda, linguæ. Tertia, aurium. Quarta, operum. Prima, inquit, circumcisio in corde. Secunda, in ore. Tertia, in aure. Quarta, in opere. S. BONAV. ser. II *de Circumc*.

Necessitas. — Sapiens Rex Salomon (cui Deus sublimiorem infudit sapientiam, quam ulli homini viventi unquam communicata fuit) in fabrica Templi Jerosolymitani operarios ita direxit, ut, licet illud ex lapidibus et marmoribus sectis et quadratis erectum et constructum fuerit, nihilominus, ut veridicus Textus ait : « Malleus et securis, et omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur. (III. Reg. VI.) » Sed quid retulisset, si inter strepitus artificum, totque innumerabilium operariorum ferramenti quoque sonus auditus fuisset? Quod si hanc diligentiam, omnem cavendi strepitum templo jam consummato adhibuisset, optime quidem factum fuisset, ne scilicet quies orantium intertubaretur, sed diligentia illa, durante fabrica, supervacanea esse videbatur. Verumtamen quia omnia in figura contingebant illis ; ideo B. Petrus Damianus mysterium illius in sensu mystico exponens ait : Templum quippe Dei per silentium crescit, quia cum mens humana per exteriora se verba non fundit, in sublime fastigium spiritualis ædificii structura consurgit ; tantoque succrescens in ulteriora sustollitur, quanto per silentii custodiam circumclusa sese extrinsecus fundere prohibetur. Custos enim justitiæ silentium. Et paulo post : Templum tui pectoris nunc per silentium crescat, virtutum spiritualium, tamquam cœlestium lapidum in te structura consurgat, ubi supernus ille Sponsus, quem totis visceribus diligis, velut in thalamo suo delectabiliter requiescat. S. Petrus. Dam. l. VII, ep. VI.

Utilitas. — Advertendum est, quod societas, qua Agnus immaculatus circumdatur, et stipatur cujus in Apocalypsi fit mentio, ex meris constet puris animabus, atque virginibus, de quibus S. Joannes Apostolus ait : « Hi sunt, qui non sunt coinquinati, virgines enim sunt, et sequuntur Agnum, quocumque ierit ; » At vero quodnam est horum Christi sequacium præcipuum encomium, quo ab eodem Apostolo honorantur? Hoc nimirum : « In ore eorum non est inventum mendacium ; sine macula enim sunt ante thronum Dei. » Quasi dicere vellet, ideo sunt sine macula et digni, qui coram throno Altissimi sistantur, quia linguam suam ita custodierunt, ut nullius culpæ nævo eamdem commaculârent. Mansi. d. III, n. 2.

Æquitas. — Quisquis pretiosum aliquem thesaurum possidet, eumdem sub clave obseratum, imo etiam, si opus est, sub vigilum custodia observat. Thesaurus autem noster anima nostra est, habemus enim thesaurum illum in vasis fictilibus ; hunc si conservare volumus, linguam nostram custodiamus ; quia, ut Sapiens ait : *Qui custodit os suum, custodit animam suam.* Et S. Ambr. de Davide ita scribit : Posuit ori suo custodiam, sepsit aures suas spinis, vectem adhibuit foribus oris sui ; servat thesaurum oris sui, ne quisquam prius fur in cor ejus aut perturbator irrumpat. S. Ambr. *in Ps.* XXXVIII.

Damnum. — David, qui in annis juvenilibus leones dilacerarat et ursos, qui Goliath gigantem, qui universo exercitui Israelitico timorem incusserat, quantumcumque armatus esset, in funda et lapide in terram prostraverat. Hic, inquam, timebat nihilominus et trepidabat ; sed quænam timoris sui causa erat? Num forte truculentissimam Saulis metuebat persecutionem, aut vero innumeras Philisthæorum phalanges? Vel filii sui Absalonis rebellionem? Nihil horum ; quia potius acutas formidabat malignantium linguas, ac proinde Deo exercituum, qui ab illis eum defenderat, et tutatus fuerat, devotas egit gratias dicens : « Protexisti me Deus a conventu malignantium ; » sed quinam erant isti? Hi nimirum qui linguas suas in modum gladii exacuerant : Exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum. Quæ verba exponentem S. Hilarium auscultemus, ait enim : Non hic Propheta arma bellica, nec enses, aut jacula, aut tormenta arcuum pertimescit ; omnis enim in lingua timor est ; hujus gladios, et spicula metuit. S. Hilar. *in Ps.* LXIII, 4.

D. Chrysostomus merito vehementer admiratur, quod Epulo, quem Salvator noster, in inferno sepultum, et toto corpore flammis cinctum in Evangelio exhibet, solum pro lingua, vehementer ardente refrigerium postulet, dicens : « Intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. » Ait enim : Si te jam possidet totus ignis inferni, si te gehennæ flamma complectitur, quare solius linguæ æstibus desideras subveniri? Lyranus respondet : Ibi plus cruciabatur, quia per eam plus peccaverat. Lingua enim gustus et sapores discernit epularum, ebrietatique et crapulis subservit, qua proinde

abutebatur dives ille, qui epulabatur quotidie splendide. Unde S. Bonaventura ait : Hæc primo degustat cruciatus, quæ pretiosos cibos, et odorifera pocula degustavit, secundum illud : Per quæ quis peccat, per hæc et torquetur. Interlinearis observat, quod in conviviis, scurrilitatibus, et ineptiis eloquendis linguæ frena licentiosius laxentur. Unde ait : In hoc nota, quia, sicut mos est, etiam inter convivia, loquacitati studuit. Idem S. Bonav. ait : Magis expressio fit de lingua, quam de alio membro, quod cruciatur et affligitur in inferno, quia ipsa in culpis est quasi fomes totius iniquitatis.

S. Petrus Damianus nonnullorum animalium adfert exemplum, quæ ideo facile capiuntur, quia os suum aperire non omittunt Dicit enim : Nunquam hostis fauces hydrus ingreditur, nisi cum crocodilus oscitans invenitur ; nam si clausum os teneat, insidiantis impetum non formidat. Anthilops cum exclamat, ignarus ad suum interitum gladios venatoris invitat, quod, donec obticuit, prosequentis industriam fugacis cursus opinione delusit. Atque ut hoc inferam, quod cancer ostreo, facit plerumque Diabolus Monacho. Cancer enim quoniam ostreis vescitur delectabiliter, eorumque carnibus tamquam epulis saginatur, operæ pretium est audire, quas illis struat insidias. nam cum avide sit appetens cibi, est argute prospiciens et periculi ; quoniam, cum sit difficilis, est periculosa venatio. Difficilis quidem, quoniam esca carnis interior validioribus testis includitur ; periculosa vero, quia si chelas cancer immiserit, relabente protinus testarum dyptico, inevasibiliter coarctatur. Quid ergo facit, ut valeat obtinere, quod flagitat ? Solerter explorat, si quando ostreum in locis ab omni vento remotis se contra radios solis aperiat, cum ergo calculum clandestinus incursator immittit, et conclusionem ostrei interjectu sufflaminis impedit, sicque hiantia claustra reperiens tuto jam chelas ingerit, et viscera ostrei interna decernit. Quid igitur ostreum congruentius videatur significare, quam Monachum, qui nimirum vivit, dum sub silentii censura concluditur ; perit autem, cum ad loquendum immoderatius aperitur. Ad instar scilicet ostrei, qui, cum non hiat, integer animam servat ; cum effrenate loquitur, vitæ visceribus vacuatur, quasi quidam lapillus parvæ consuetudinis obstat, ne is, qui fabularum vacat ineptiis, a sua se vanitate recludat. Quid autem est per figuram cancer, qui post se naturaliter graditur, nisi apostata Spiritus, qui postquam semel a Conditore recessit, in posteriora relabi numquam desiit. Unde et diabolus interpretatur deorsum fluens. S. Petrus. Dam. l. I, ep. xviii.

S. Laurentius Justinianus inter alia dixit : Qui eruditam possidet linguam, tamquam turris David est, quæ ædificata est cum propugnaculis. Talem se arcem esse S. Job probavit, licet contra ipsum totus infernus omnibus esset viribus armatus ; dicit enim : « Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. » Etenim si hoc loquendi modo Job lamentatur, quod cum toto corpore a Dæmone exulceratus fuerit, nihilominus labia circa dentes a Dæmone illæsa permanserint. S. Propheta sine causa lamentatus fuisse videtur, quia longe deformior futurus fuisset, si etiam labia circa dentes ei sustulisset, prout apparet in craniis mortuorum, quæ tanto sunt turpiora, quanto magis dentes a labiis sunt denudati. Verumtamen quod Jobo labia circa dentes illæsa permanserint, minime implacabilis hujus Tyranni infernalis indulgentiæ attribuendum est, sed potius stratagema quoddam fuit ; quia tametsi Jobi animam, velut inexpugnabile quoddam fortalitium, ex omni parte vallis et muri custoditum esse viderit, nihilominus per portam se in illud aditum habiturum esse minime diffidit, utpote quem labiis suis in aliqua blasphemiæ, desperationis, maledictionis vel impatientiæ verbum prorupturum esse sperabat. Unde sacer quidam Interpres super Jobum ita scribit : Hoc agere videtur Diabolus, qui ingrediendi in eum non acceperat potestatem, cum jam illum totum variis cruciatibus consumpsisset, dentes, linguam, et labia, quæ sunt vasa verborum, reservat ; ex his enim forinsecus cordis promptuarium demonstratur, quod nobis sensus intrinsecus constitutos distinctionis suæ ministerio proferunt. Hæc ergo, inquam, Diabolus in eo reservat, ut blasphemiam prolatam ejus ore cognoscat. Sed audiat Scripturam dicentem : « In ōmnibus his non peccavit Job labiis suis. (S. Laur. Just. c. xv *de Discip.*) Quod ipsum S. Hieronymus diu ante præfatum interpretem his verbis scripserat : Ob hoc enim Diabolus consumptis carnibus S. Job, labia ejus integra dereliquit, ut haberet positus in tormentis, qui-

bus posset facile blasphemare; ideo Diabolus linguam reservavit, ut intelligere posset, si Job ob cordis simplicitatem blasphemiam proferret in labiis. S. Hieron. in c. xix. *Job.*

MISCELLANEA.

Qualitas. — Quidam Rex Angliæ, cum tres suos filios interrogasset, quid quivis data optione maxime a Deo postularet, respondit primus, fortitudinem se petiturum, ut omnes subjugare posset. Alter pulchritudinem se postulaturum dixit, qua omnes in sui amorem alliceret. Tertius, et natu minimus, collum gruis potius se optaturum dixit, ut non nisi bene discussa verba depromeret. Qui proin cœteris prudentior visus patri, regnum ab eo accepit. *Spec. Ex.* dist. ix, ex. 105.

Dicente quodam Fratre : Desidero custodire cor meum ; respondit Abbas Sisoy : Et quomodo possumus custodire cor nostrum, si lingua nostra januam apertam habeat ? *Vita PP.* l. cv.

Socrates, ut adolescentem quemdam recte cognosceret, dixit illi : Loquere, adolescens, ut videam te. Gran. *in Loc. Com.* f. 582.

Alexander Magnus epistolam occultas accusationes in Antipatrum continentem cum accepisset a matre, et legendam Ephæstioni dedisset, ea perlecta annulum suum ori illius impressit, dixitque : Contine hæc, et ne eorum quid effutias. Quanto magis si Christus sigillum charitatis fraternæ ori nostro impresserit, et mandatum tacendi adjecerit, parere convenit ? Plut. *ap. Fab.* conc. ii, *in Dom.* xi, *post Pent.*

Non male cecinit Poeta :

Nil melius lingua, lingua nil pejus eadem,
Tristia cum dulci toxica melle gerit.

Non multis verbis opus est, inquit Seneca, sed efficacibus. Seminis modo spargenda sunt. Senec. ep. xxxv.

Imago animi, sermo est. Qualis vir, talis oratio. Magnum est vocis et silentii temperamentum. Lang. *in Polyanth.*

Hesiodus Poetarum prudentissimus, linguam non vulgandam, sed recondendam esse dixit, perinde ut thesaurum, ejusque esse in promendo gratiam plurimam, si modesta, et parca, et moderata sit. Gell. l. I, *Attic. noct.* c. xv.

Alphonsus Rex loquaculos homines *utres* vocitabat, quia sicut utres infusis humoribus extenduntur, donec humorem infusum respuant ; ita loquaces inflantur, donec audita garriendo effutiant. Pan. l. IV.

Cum olim Hebræus Rabbi Jehuda in foro proclamasset, se habere domi aquam auream maximi pretii, quæ restituendis viribus, et producendæ vitæ plurimum conduceret, confluentibus ad ipsum undique emptoribus, ipse eos domum perduxit, et apertis Bibliis illa Psalmi verba recitavit : Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos ? Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Et hanc demum esse aquam vitæ auream dixit. Drexel. *in Phaet.* c. lvii, §. 5.

Necessitas. — Fuit, qui lautissimam supellectilem in domo aliena intuitus, aliquid adhuc deesse dixit instrumentum scilicet humanæ genti summe necessarium ; quæsitus, quod illud esset ? Linguarium, inquiebat, quo lingua custodiatur ; neque enim ulla pars supellectilis tam necessaria est, ac ista. Ibid.

Abbas Lucius dicenti Longino se habere triplicem cogitationem. 1. Ut peregrinetur. 2. Ut sæpe jejunet. 3. Ut declinet hominum aspectus ; respondit : Si non tenueris linguam, quocumque perrexeris, non eris peregrinus, sed refrena hic linguam, et eris etiam hic peregrinus. *Vita PP.* l. IV, n. 33.

S. Macarius Fratri petenti sermonem, per quem salvari posset, dixit : Oportet fugere homines, in cella sedere, et pro peccatis jugiter lamentari, et, quod super omnes virtutes est, tam linguam coercere, quam ventrem. Ibid. l. III, n. 189.

Diogenes ad juvenem formosum turpia loquentem dixit : Non te pudet ex eburnea vagina plumbeum gladium educere ? Idem multo magis dici poterit de Christianis, nisi linguam a malis sermonibus coerceant, cum hi ore suo Christum toties excipiant. Fab. conc. iii, *in Dom.* xi, *post Pent.*

Utilitas. — Abbas Pœmen dixit : Si Monachus ventrem suum et linguam tenuerit, et vacationem non fuerit sectatus, confidat, quia non moritur, sed vivit in perpetuum. *Vita PP.* l. II, c. ii.

Cum Arsenius a Deo peteret cognoscere viam, per quam salvari posset, audivit vocem : Arseni, fuge, tace, quiesce. Hæc sunt principia salutis. Ibid. l. III, n. 190.

Xenocrates, cum maledico quorumdam sermoni summo cum silentio interesset,

quæsitus, cur id faceret? respondit : Quia locutum me esse pœnitet, tacuisse numquam. LAERTIUS, *ap. Lang. in Polyant.*

DAMNUM. — Theophrastus dicebat, potius effreni equo insidendum, quam verbo incomposito fidendum ; eo quod plus periculi ab hoc, quam illo immineret. Ibid.

Suidas linguam alloquendo interrogat : Quo vadis? Cui illa respondet : Urbem eversura, aut instauratura. DREXEL. *in Phaet.* c. LVII, §. 4.

Pythagoras gladii plagam leviorem esse dicebat, quam linguæ ; ille enim corpus, hæc animam vulnerat.

Garrulorum symbolum ostrea est, ut enim, dum hæc sese aperit, cancer lapillum in eam projicit, et sic eam capit ; ita dum garrulus os improvide aperit, Diabolus lapillum peccati in os ejus projicit, et sic in interitum trahit. HUGO. ROTH. p. II, c. XXXIX, lect. 7.

AXIOMATA.

Ex abundantia cordis os loquitur. MATTH. XXIV, 34.

Mors et vita in manibus linguæ PROV. XVIII, 21.

Bis ad limam, quam ad linguam.

Qui multum fatur, stultissimus esse probatur.

Locutum fuisse multos pœnituit, neminem tacuisse.

Frons aperta, lingua parca, mens clausa, regnum tenent.

Qualis vir, talis oratio.

Quale avis rostrum talis et cantus. SOCR.

Non oportet multis verbis pauca dicere, sed paucis multa. FABER, conc. II, *Dom.* II, *post Pent.*

AUCTORES.

Jeremias Drexelius, *in Phaetonte.*

Ludovicus Granatensis, *in Locis Communibus* f. 580.

Alphonsus Rodriq. p. II, tr. II.

Joannes Busæus, *in Panario.* V. Colloquia otiosa.

Joseph. Langius, *in Polyanth.* V. eod. et V. Loquacitas.

LUDUS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — In genere definitur *dictum vel factum ad animi oblectationem pertinens ;* in hoc loco tamen accipitur cum Theologis et Juristis pro contractu, quo duo vel plures inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit. BEIRLINCK, *eodem verbo.*

DIVISIO. — Dividitur præcipue in *licitum*, et *illicitum ;* quorum prior est, qui regulas et conditiones a Theologis requisitas observat ; posterior est, qui aliquam ex dictis conditionibus scienter non observat. Secundario tamen, et accidentaliter ratione instrumentorum, quibus perficitur, ludus dividi potest in alearum, chartarum, conorum, trudicularum, et similes ludos. Ibid.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Qui ponitis fortunæ mensam, et libatis super eam, numerabo vos in gladio. (ISAIÆ, LXV, 21.) Quæ verba explicans S. Antoninus : Ponunt, inquit, mensam fortunæ, qui ludunt, exponentes se fortunæ, sive per taxillos ludendo, sive per chartas, et isti feriuntur gladio divinæ ultionis in inferno. S. ANTON. p. II, t. I, c. XXIII, §. 8.

Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. EXODI, XXXII, 6.

FUGA. — Non sedi in concilio ludentium. JER. c. XV, 17.

Numquam cum ludentibus miscui me ; neque cum his, que in levitate ambulant, participem me præbui. TOB. c. III, 17.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Lusor ludum facit Deum suum, eo quod illum in amore præponit ipsi Altissimo Deo ; nam illud ab homine colitur, quod in amore præ cæteris honoratur. S. BERN. t. I, s. XLII, a. 2.

Plus honoris defert lusor tribus taxillis, quam ossibus Jesu Christi, quem in ludo sæpius vituperando blasphemat ; propterea

perea Psalmistam Dominus lamentabiliter de talibus ait : « Foderunt manus meas et pedes meos, et dinumeraverunt omnia ossa mea, » scilicet variis contumeliis afficiendo. Ibid. c. III.

Christiane, quicumque es, et alea ludis, hoc primo in loco credere debes, quia non Christianum, sed Ethnicum tibi nomen est. S. CYPR. *de Aleat.*

Non est quasi aliquod vitium, quod reddat homines ita infames et abominabiles sicut ludus. Nullus confidit de lusore, nec vult eum in socium alicujus artis, quia semper timet, ne furetur, ut ludat. S. ANTON. p. II, c. XXIII, f. 6.

DAMNUM. — Vix est dare actum, in quo concurrant tot mala, quot ex ludo ; quot enim in taxillis sunt puncta, tot scelera ex eo procedunt, unum gravius altero. Idem.

Aleas tractare, non videtur multis peccatum esse manifestum, sed infinita vitæ mala solet inferre. S. CHRYS. hom. XV, *aa Pop.*

Scelesti homines sunt lusores ; quid enim est ludus, nisi fomes iniquitatis et cupiditatis ? S. BERN. SEN. t. II, c. XVI, ar. 3, c. II.

Quis, quæso, ingenuus, seu quis homo, et non potius trux bellua delectari queat ludi nomine, abundante nequitia, atque impietate fœdissima ? Ubi præter hominum vultus nihil humani sit, vultusque ipsi iracundia ac mœrore obsiti, confusisque clamoribus efferati, nec jam sint humani ; ubi non decor morum, non modestia sit verborum, nec amor erga homines, non erga Deum reverentia, sed jurgia et rancores, et doli, perjuria et rapinæ, vulnera ad extremum, et homicidia quoque. PETRARCH. dial. XXVII, *de Remed. Fort.*

Ludus est domestica prædatio, usuraria labes, mendaciorum atque nugarum sedula mater, fons divinæ negationis, crudelis blasphemiæ pater, corruptio populorum, scandalum proximorum, pervicax inobedientiæ filius, amissio temporis, discordiarum et homicidiorum multorum origo, immane desperationis barathrum, idolorum cultus, iners segnities, otii nutrimentum, diffamationis titulus. S. BERNARDINUS, l. c.

Idem facit hominem apostatare, postponendo omnem delectationem amoris divini et suæ famæ, quia propter ludum efficitur infamis. Id. tom. IV, c. XXXIII.

Aleatores in ludis non quærunt, nisi alienam pecuniam acquirere, socium fraudare et decipere, jurare, blasphemare et maledicere, et quandoque ad verba injuriosa, plagas et verbera prorumpere, et cum totum perdunt, quandoque desperationem incurrere, et finaliter ad rapinas, furta, et homicidia se convertere. Iste enim ludus est diabolicus, et certe, ut credo, per Diabolum adinventus. BERCHOR. *in Dict. v. Ludere.*

Si quis aleator Christianus es, tuus et hæreditatis tuæ inimicus es. S. CYPR. *de Aleat.*

Taxillorum eventus nullus prosper, mali omnes et miseri ; nam et qui perdidit, affligitur ; et qui vincit, illicitur, inque insidias protrahitur. PETRARCH. l. c.

Lusores propter hoc, ut habeant magis tempus ad ludendum, negligunt divina, Missas et vesperas, et orationes, et prædicationes, nisi forte orent, ut Deus faciat eos vincere ; sed nescit divina justitia patrocinium dare criminibus. S. ANTON. p. II, t. I, c. XXIII, §. 6.

Prima iniquitas est, quia ludus generat cupiditatem in lusore, quia ludendo accenditur cor suum, ut reludat propter recuperare perdita ; et si lucratur, magis accenditur avaritia ad ludum, ut magis lucretur. Cum perdit homo, deberet desistere amplius ludere, at avaritia lucrandi trahit eum. S. BERN. t. IV, p. I, f. 37.

Ludere, latinis auribus *perdere* significat, et amittere ; perdit enim qui ludit, perdit frequenter sua, perdit non raro se, perdit semper tempus. Et lætari in ludo aliquis potest, qui in ludo semper aliquid perdit ? NOVARIN. *ap. Mansi*, d. VIII, n. 3.

O manus crudeles, et ad periculum sui armatæ, quæ bona paterna, et opes avorum sudore quæsitas, ignominioso studio dilapidant ! S. CYPR. *de Aleat.*

O denarii infernales ! O lucrum maledictionibus plenum ! O tremenda judicia, propter tales denarios super universa illorum bona justissime præparata sicut, ego in quibusdam, docente experientia, vidisse credo, quæ sunt testimonia credibilia facta nimis ! S. BERN. t. I, f. 42, c. III, ar. 2.

EXEMPLA SACRA.

QUALITAS. — Cum S. Bernardo in itinere constituto famosus quidam lusor occurrisset, Sanctum pro equo, cui insidebat, ad lusum invitavit, suam e contra in lusum of-

ferens animam ; plenissimo igitur consensu propositum acceptavit Sanctus, pacto præmisso, ut, quisquis plura jaceret puncta, victor remaneret. Totus hilaris itaque lusor ille taxillos jecit, et in punctorum numero prævaluit, dum maximum taxillorum assecutus est numerum, moxque equum veluti suum poposcit ; ad quem Dei servus : Sustine, fili, donec et ego jecerim, siquidem plura puncta taxilli habent. Jecit itaque Sanctus, duoque tali duodecim expressere puncta, tertius vero miraculose ruptus in duas partes apparuit ; in quarum una sex erant puncta, quæ octodecim conficiebant, in alia vero parte divisa aliud se prodebat punctum, quapropter attonitus, miraculoque compunctus lusor non perdidit, sed suam lucratus est animam ; siquidem se Sancti viri disciplinæ subdens monachum induit, et exinde virtuosam, perfectamque duxit vitam. Mansi, d. ix, n. 5.

Cardinalis Baronius, in conscribendis præclariobus Annalium Ecclesiasticorum eventibus ad perpetuam memoriam et utilitatem posterorum silendum esse non censuit, quod olim B. Petrum Damianum inter, et Episcopum Florentinum accidit ; verba autem Annalium in compendium redacta, sunt hæc sequentia : Fui aliquando comes itineris V. Episcopi Florentini, cumque vesperi ad hospitium pervenissemus, ego in cellam Presbyteri me subduxi, ille vero in ampla domo inter viatorum turbam subsistit. Diluculo autem facto a mulione meo certior factus sum, Episcopum prædictum latrunculorum ludo se cum aliis immiscuisse. Quod verbum sagittæ instar cor meum transfigens, ad iracundiam me commovit, ac proinde tempus admonitioni opportunum nactus, illum conveniens, acriter ipsum reprehendi, discursum meum hunc in modum exordiendo. Etenim virgas proferens manus levavi, quasi verberare volens, dummodo esset, qui tergum submitteret ; ille vero subjunxit : Si culpam ostenderis, pœnitentiam non recusabo. Tunc ego : Ergone tibi benefactum, tuoque officio congruum esse videtur, subjunxi, quod heri vesperi latrunculis luseris, manumque tuam Corpori Salvatoris offerendo assuetam, et linguam, quæ Deum inter, et populum mediatrix existit, sacrilegi ludi contaminatione deturpaveris ? Tunc ille, ut erat mansueto animo, et perspicaci ingenio, rationibus a me allatis humiliter acquievit, simulque se similem defectum deinceps nunquam commissurum promittens, debitam a me postulavit pœnitentiam, cui subito ut trinies integrum recitaret Psalterium devote illud meditando, atque insuper duodecim pauperum pedes lavaret, præcepi, totidem illis monetas erogando, liberalique prandio eosdem recreando. Nimirum sicut culpa manibus et verbis commissa fuerat ; itaquoque ille pauperum lavando pedes, manus suas a culpæ contagione lavavit, eosque ore suo osculando, quas ore contraxerat culpas, expiavit renovavitque pacem cum Deo, quem detestabili ludo offenderat. Verum enim vero, ex quo in sententia Sancti illius Doctoris, qui Theologiæ Angelus et oraculum Ecclesiæ merito appellatur, ludum pro honesta recreatione licere diximus, cur B. Petrus Damianus hunc Episcopum tanta cum asperitate non solum reprehendit, sed et gravi pœnitentia mulctavit ? Et quidem tanto id magis mirandum venit, quod idem Episcopus se coram S. Damiano quoad qualitatem ludi purgaverit ; nam defensionis sibi faciens scutum, ait, aliud schachum esse, aliud aleam ; aleas auctoritas prohibuit, schachos vero tacendo concessit. Ad hoc igitur responderi potest, credibile esse Episcopum hunc in ludo illo excessisse, vel ratione nimis diuturnæ continuationis, vel quia in multorum sæcularium societate, cum scandalo aliquo lusit. Baronius, cvi, I, n. 48.

De S. Joanne Evangelista scribitur, quod, cum de eo certus quidam vir scandalizaretur, eo quod ipsum cum discipulis suis jocantem et ludentem vidisset, ipse ut se defenderet, cuidam, ut arcum intenderet, præcepit, quod cum sæpius fecisset, interrogavit eum : An hoc semper sine intermissione facere posset ? Qui respondit : Si hoc continuo facerem, arcus frangeretur. Subintulit S. Joannes, quod similiter animus hominis frangeretur, si numquam a sua intentione relaxaretur. Mansi, d. ix, n. 1.

Thomas Cantipratensis se a quodam Patre Dominicano, fide dignissimo, audivisse scribit, quod quidam in lusu taxillorum omnibus quæ habebat, ad camisiam usque deperditis, imposita in arcum sagitta, eamdem ad vulnerandam Christi Crucifixi imaginem evibrarit ; mox vero sagitta reversa ante faciem jacentis sanguine recenti totaliter infecta reperta est, qui mox in maximas lacrymas resolutus, Fratrem, qui mihi hæc narravit, ad duo milliaria quæsitum

invenit, et confessus, vitam suam cum mira pœnitentia correxit. Thomas Cantip. l. II, c. xlix, §. 11.

Damnum. — In celebri quadam Lombardiæ civitate accidit, postquam certus quidam paterfamilias ingentia a filio suo perpessus fuisset damna, eo quod, ut sufficiens ad ludendum pecunia ei suppeteret, quidquid in domo patris obvium habebat, furaretur, ut venderet ; tandem post sæpius adhibitam correctionum suavitatem, nec non reprehensionum austeritatem, eumdem filium ab hoc vitio retrahere, et in viam virtutis perducere studuit, quamvis incassum. Tandem eum in carcerem conjici fecit, e quo tamen paulo post per frequentes cognatorum instantias ereptus, habitationem quamdam paternæ domui vicinam conduxit, quam publicam lusuum officinam effecit. Demum vero cum nocte quadam immane patrasset homicidium, cadaver occisi hominis ante fores patris sui transtulit, scelusque tamquam ab aliis commissum, justitiæ publicæ denuntiavit ; moxque pater una cum filio minore in vincula conjectus, dum tormentorum violentia utrique adhiberetur, dolorem ferre non valentes, delictum licet minime ab illis factum, confessi sunt, indeque ad patibulum ambo condemnati fuere. Cujus tamen sententiæ executio ob carnificis absentiam aliquandiu dilata fuit, donec tandem pater, ut se a mortis supplicio eximeret, ad obeundum circa filium carnificis officium fuit requisitus, qui ne filium neci traderet, naturali patris affectu munus hoc exequi recusavit, sicut et alius filius minor, mori ipse innocens cum innocente patre maluit quam ejusdem a se patrando suspendio, vitam suam redimere. At vero discolus ille et degener filius (qui sceleris auctor et homicida occultus fuerat) oblatum sibi idem munus acceptavit, patremque simul et fratrem infami supplicio affecit. Qui tandem rei totius veritatem cuidam amico suo confidenter aperuit, ut illum ad patrem a patibulo post mortem depositum, ad sepulturam raptandum induceret, qui ob rei indignitatem stomachatus, facti seriem superioribus indicavit, a quibus cum detestabilis hic homicida, fratricida, patricida examinantibus reus inventus fuisset, pariter et ipse infami patibuli supplicio delictum luere debuit. Mansi, d. v, n. 3.

Quidam litteris Parmæ operam navans, de seipso retulit, qualiter bonam pecuniæ summam ex lusu lucratus, die quodam largam instituerit eleemosynam eo animo, ut divinam pro continuanda bona in ludo fortuna imploraret et consequeretur assistentiam. Ab eo autem die semper perdidit, nulla posthac ei favente fortuna, cujus rei quam aliam, nisi illam S. Antonini assignare poterimus rationem : Nescit divina Justitia patrocinium dare criminibus. Id. d. vii, n. 6.

S. Bernardinus suo tempore sibi de infelici quodam homine narratum fuisse scribit, quod animam suam ex desperatione lusus Dæmoni ultro consignarit ; cum vero ad vigilias noctis peragendas missus fuisset, dæmon ipsi muros civitatis per scalæ gradus ascendenti in specie gryphi apparuit, ipsumque ex posteriori parte chlamydis ad se attraxit, in ejusque signum eamdem transforavit ; qui quidem in angustiis positus Deo se recommendavit, et de peccatis suis compunctus, eamdem per confessionem expiare cœpit, at vero tantus illum terror invaserat, ut duobus abinde diebus mortuus fuerit. S. Bern. t. I, s. xlii, a. 2, c. ii.

P. Ottonelli sequentem casum, quem anno 1612, accidisse, a persona quadam fide digna relatum acceperat, hunc in modum recenset. Quidam postquam diu infeliciter lusisset, tandem furore et ira percitus a collusoribus discessit, quemdam chartarum lusoriarum secum deferens manipulum, quas in via sigillatim in minutas partes dilaceravit, impudenter dicendo : Utinam te, o Deus, eumdem in modum dilacerare possem ! Adjunxit, insuper : Hodie quidem in ecclesia Missam auscultavi, sed merito huic omnino abrenuntio, nec volo, ut quidquam me juvet. Aliaque plura ejusmodi verba impietate plena eructavit. Contigit autem, quod dum in via ex colliculo descenderet, fallente pede, concidens collum sibi fregerit, ita tamen ut non tam subito inde moreretur. Nimirum Deus ipsi tempus resipiscendi, et actus pœnitentiæ in se excitandi, indulgere voluit, qua tamen Dei indulgentia nequaquam usus est impius, siquidem verissimum est illud : Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit ; dum enim hoc modo desperatus jaceret, oculis furibundis et iracundis, velut alter quidam Julianus Apostata, cœlum resicipens, digitos sibi præmomordit, simulque Deo et Sanctis etiamnum comminari non destitit, et sic infelicem animam exspiravit. Mansi, d. v, n. 10.

Idem quoque auctor de alio quodam lusore refert, qui ludendo quidem Deum et Sanctos per blasphemias non offenderat, sed prospere semper ludendo, ingentem sibi pecuniæ quantitatem comparaverat. Verumtamen dum domum se recipere vellet, nonnulli, qui eum hanc pecuniæ summam secum deportare sciebant, illius aviditate instigati, illum aggredientes vulnerarunt et occiderunt, ipsumque omnibus, quæ secum habebat, exuentes, nudum deseruerunt, adcoque miser ille pecuniam simul et vitam, imo forsitan et animam infeliciter amisit. Ecce tibi jacturam irreparabilem, quam, miser, etiam in ludo vincens, perpessus fuit. Similem quoque eventum idem auctor de alio quodam lusore scribit, quod, cum ingentem pecuniæ summam ludendo fecisset, ludum deserere voluerit, ne ulterius ludendo fortunam experiretur contrariam, amitteretque, quæ hactenus feliciter ludendo congregarat; collusor autem imperiose illi ut ludum prosequeretur præcepit; volebat enim, ut, qui hactenus victus remanserat, tandem in ludo victor evaderet, et recuperaret, quæ amiserat. Cumque ludum ille liberum esse, responderet, sibique proinde jus esse, ut ab eodem, quandocumque vellet, desistere posset, collusor ex amico inimicus factus, apprehensum pugionem in pectus ejus impegit, adeo atrociter, ut subito corruens mortuus fuerit. Ibid.

Idem pariter auctor alium quemdam refert casum, qui Romæ in parte quadam Capitolii verissime accidit. Cum tres sodales ludendo se exercerent, permisit Deus, ut dæmon eos per horribiles apparitiones perterrefaceret, ex cujus spectri aspectu, omnes tres tanto fuerunt horrore perculsi, ut uni illorum omnes defluxerint capilli, alter vero misera morte vitam suam clauserit, tertius denique ad fenestram accurrens, inde se deorsum per ruinosum et mortale præcipitium proturbarit. Ibid.

Anno 583, Moguntiæ atrox crimen contigit, per certum quemdam perditæ salutis hominem, cui nomen Scellzoff erat, qui vilissimis ortus natalibus vitam suam in tabernis inter taxillorum et chartarum lusus transigebat; fuit enim appetentissimus ludi, ex quo pleraque vitiorum genera, tamquam vermes ex putri cadavere ubertim erumpunt; præcipue vero impietas erga Deum inde nascitur. Impius hic vir cum infeliciter ludendo omnium, quæ habebat, jacturam fecisset, cœpit graviter stomachari, et post convitia collusoribus dicta, Deum etiam, et Sanctos blasphemare. Sunt, qui referunt, eum hac ira et impietate succensum, palam fuisse minitatum, quamcumque Crucifixi Jesu imaginem primum obviam habuisset, ab ea se præsentis damni pœnas et vindictam repetiturum. Quamprimum ad sacellum pervenit, imaginem Crucifixi dissecuit, ita ut nec ullatenus hæreret quidem. Mox D. Virginis, aliorumque Sanctorum signis cruci astantibus cæsim et punctim pleraque vulnera inflixit. Sed terrificus et admirabilis cruor, subito ex vulneribus a crudelissimo illo sicario passim illatis effluxit, ceu non lignea simulacra, sed vivi homines eam injuriam perpessi forent. Crederes, Deum ipsum tanto scelere appetitum, quodammodo indoluisse, et tam stupendo miraculo, velut manifesta doloris confessione mortales ad vindictam faciendam animasse. Porro impius hic sicarius portento copiosi sanguinis ex vulneribus emanantis attonitus factus, toto corpore obriguit, adeo ut loco se movere non posset, unde in fragranti crimine deprehensus, Moguntiam ad carceres perductus, vivusque ibidem ignibus consumptus est. Ibid. n. 3.

Cæsarius Heisterbacensis terribilem quamdam narrat historiam, quæ in civitate quadam diœcesis Coloniensis circa militem quemdam Tiemum contigit, qui ludo taxillorum adeo deditus erat, ut ludendo diem simul cum nocte conjungeret. Hic saccum quemdam pecuniis plenum secum portare solitus erat, ut unumquemque obvium ad ludendum incitaret, adeoque fortunatus erat, ut vinceret semper, numquam perderet; ut autem posteris ostenderetur, quantum Deo tales ludi (in quibus iræ, invidiæ, rixæ, et damna suscitantur, peccatique verba rotantur) contrarii forent, permissum est Diabolo, ut cum eo luderet, qui multis illuserat, atque evisceraverat. Nocte igitur quadam Spiritus malignus sub personato habitu, in domum ejus ingressus est, qui sacculum pecuniis plenum sub brachio deferens, lusorem hunc ad colludendum invitavit, mensæque accumbens, extracta pecunia alearum jactum per totam noctem cum ingenti suo lucro in societate solemnis hujus lusoris continuavit. Miles autem malam suam expertus fortunam, amissamque ludo pecuniam dolens indignabundus ait: Numquid non Diabolus es tu? Et ille: Nunc satis est,

appropinquat enim tempus matutinale, oportet nos ire. Tollensque illum per tectum traxit, cujus viscera tegulis retrahentibus miserabiliter excussit; et quid de ejus corpore factum sit, vel in quem locum illud projecerit, usque hodie tam a filio ejus, quam a cæteris, qui illum noverant, ignoratur. Tandem vero Cæsarius his verbis concludit : Bene Diabolus in hoc mundo suos ministros sinit prosperari, quos semper in fine decipit. Cæsarius, l. V.

S. Cyrillus, Episcopus Jerosolymitanus, aliud quoddam factum priori parum dissimile refert, quod idem pariter a S. Augustino describitur. Nam miles quidam civitatis illius, dives admodum et nobilis filium, quem habebat male agentem non solum non reprehendebat, verum potius malo illi prælucens exemplo, variis in vitiis, præcipue vero in lusibus edocebat. Hinc cum ad duodecimum ætatis annum pervenisset, die quadam cum patre suo chartis ludens, omniaque perdens, in hanc contra S. Hieron. prorupit blasphemiam : Faciat S. Hieron., quod libet, ego hinc non recedam, donec ludendo victor evaserim. Quibus verbis vix etiamnum pronuntiatis, nonnulli comparuere Dæmones, qui raptum filium in præsentia patris sustulerunt per aera. Ubi vero deinceps manserit, in hodiernum usque diem ignoratur. Sylva, *Hist.* l. VII, tit. vi, ex. 6.

Supra nominatus Cæsarius deplorabilem refert casum, qui Sacerdoti cuidam accidit, cui nomen Adolphus, qui plebanus existens curæ animarum obnoxius erat. Ad hunc enim die quadam cum cognato suo chartis ludentem, alius quidam accessit, qui matrem ejus infirmam instanter Confessionem, et Communionem postulare, lacrymosis verbis exposuit. Respondente Sacerdote : Non veniam, nisi expleto ludo, cum ille instaret, asserens infirmam expectare non posse, commotus Sacerdos secum ludenti dixit : Cognate, ego conqueror vobis de homine isto, qui me quiescere non sinit. Videns ille se nihil proficere, tristis ac gemens discessit, et infirma sine confessione atque Viatico ab hac luce migravit. Die autem tertio, is qui cum Sacerdote luserat, defunctæ filio occurrit, et Sacerdotis querimoniæ recordatus illum sine causa occidit. Posthæc Sacerdos in peremptoriam incidit infirmitatem, qui cum esset in desperatione, quædam cognata sua sedens coram illo, cum signum contritionis in eo nullum videret, tristis sic ait : Domine, debilis estis valde. Præparate vos propter Deum, invocate illum, ut peccata vestra vobis dimittat. At vero in miserabili hoc Sacerdote impletum est, quod S. Antoninus in hæc verba scribit : Sicut lusores reperiunt se in via Diaboli esse, quæ est circuitus, ita et in termino cum eodem sunt, scilicet in inferno. Audiamus enim ex eodem Cæsario horrendum lusoris illius exitum. Desperatus respondit : Vides horreum illud magnum ex opposito nostri ? Non sunt in ejus tecto tot calami, quot sunt circa me Dæmones congregati. Et hoc dicto mox agonizans exspiravit, eos videns adesse morituros, quorum consilio vixerat sanus. Cæsar. l. V, c. viii.

S. Franciscæ Romanæ in visione quadam demonstratum fuit, Dæmones specialiter eo tendere, ut perversas lusorum animas in inferno cruciare possint. Si quidem sancta hæc matrona vidit nonnullas ossium ad lusores pertinentium partes, illasque super carbones ardentes volvi et revolvi, easdemque super ignitas ferreas tabulas elevari ; insuper taxillos ferreos ardentes, nec non aurum et argentum liquefactum, pro quo luserant, faucibus eorum ad potandum infundi, denique eosdem virgis castigari acerbissimis, in quarum extremitatibus globi ferrei igniti suspensi erant; qui ex illis alios fraudulenter deceperant, suspendebantur ; qui vero traditores fuerant, in quatuor partes dilaniari videbantur. Mansi, d. ii, n. 6.

Sylvanus Razius, Monachus Camaldulensis, in libro, quem de miraculis Matris Dei composuit, sequentem de quodam, in Saxonia commorante, sacrilego, refert historiam, qui postquam ingentem pecuniæ summam infeliciter ludendo amisisset, membra Christi adeo horrende blasphemare cœpit, ut circumstantes obturatis auribus præ nimio pavore pectus in signum doloris percutientes, in fugam se receperint. Impius vero ab invisibili quodam ictu percussus, in terram cecidit, et clamando : Eheu ! quis me percussit? misere extinctus fuit. Cum vero vestibus exueretur, inventum est vulnus quoddam, quasi a bicipiti gladio adeo horrende inflictum, ut omnia ejus interiora inde videri potuerint. Sylvan. Raz. *de Mirabil. B. V.*

Auctor *Theatri vitæ humanæ* de quodam lusore Budano refert, quod, cum in nomine Dei ludens, omnia, quæ habuerat, perdidisset ; illius vero collusor in nomine Diaboli ludum agens, constanter lucratus fuisset,

ipse ira et furore percitus, per cœmeterium se proripiens, Crucifixi frontem saxo petiit, quod in vulnere hæsit. Accidit vero, quod lanio quidam eidem loco vicinius, tametsi podagra laborans, dum dormiret, tribus vicibus repetitum a cœlo præceptum audierit, quo e lecto jubebatur surgere, et primum sibi obvium confestim necare, quare expedite surrexit, et in ferventem aleatorem incidens, cultro lanario eum interfecit. Beirlinck, *in Theatr. V. Alea.*

In Brabantiæ partibus urbe Lovanio, civis quidam generosus et bonus in nocte Sancta Parasceves ad matutinas surgens, transibat ante cellarium in platea, in quo perditissimi adolescentes ad ludum tesserarum sedentes, blasphemiis et juramentis invicem contendebant. Transiens autem civis invenit homines plateæ ante cellarium, qui magno murmure plangebant hominem quemdam ignotum miserabiliter plagatum et sanguine cruentatum. Qui cum quæreret auctorem læsionis tantæ quis esset, responderunt : Isti, inquiunt, juvenes qui hic in cellario ad tesseras ludunt. Mox igitur ingressus civis improperat ludentibus tali nocte, et eos duris verbis interrogat, cur hominem ignotum, ingressum ad eos, tam crudeliter verberassent? Attoniti autem juvenes negant, nullum vero ab eis vel verbo vel verbere lacessitum. Et mox cum cive surgentes, omnes quærunt hominem cruentatum, nec inveniunt. Conversi itaque singuli ad seipsos, animadvertunt juramentis suis terribilibus in ludo prolatis rursum Christum Dominum contumeliis affectum, rursum improperiis cruciatum. Thom. Cantipr. l. II *Apum.* c. xlix, p. 10.

Cum in quadam villa Campaniæ Judæus cum Christiano in Sacra nocte Parasceves in tesserarum ludo consedens multam pecuniam perderet, et ex hoc impatientius turbaretur, tandem in Christum retorquens, injuriam blasphemavit. Et mox cum ad jactandum tesseras collegisset, manus ejus cum tesseris fit contracta. Qui reprobo furore succensus, cum ipsa contracta manu mensam lusoriam percutere niteretur, iterato in Christum et Matrem ejus blasphemiam turpissimam evomens, statim eversis terribiliter oculis cecidit, et expiravit. Christianus vero collusor illius pavore nimio in amentiam versus, elanguit et miseram vitam morte misera finivit. Ibid.

In Provincia Lusitaniæ miles cum templum peteret, ut de more sacris adesset, a comitibus avocatur ad ludum. Hic cum pecunias amitteret, sibi suisque provocatoribus mala omnia precatur, nec tamen ab alea, spe recuperandi quod perdidit, avelli poterat; sed cum ea iterum male cederet, infernis sese devovet furiis, et Dæmones, ut se rapiant infelicem, desperatis clamoribus invocat : An auditis? inquit. An temere verba jacto, et præstigiis deceptus manibus Dæmones revera non esse credo? Mira res! Subito dejectus in terram linguæ et aurium usu privatur; cumque dies aliquot jacuisset ut mortuus, ad valetudinarium perductus, instar furiosi canis in eos, qui se viserent, irruebat, mutaque erat lingua maledica, et imis demersa faucibus agitari suo arbitratu nutuque non poterat. Adit hominem unus e nostris, nutibusque ut divinam misericordiam ad memoriam redigat, cohortatur. Paruit monitis æger, et divina implorata clementia, melior est factus. Mox confirmatis utcumque viribus, urbis templa cum lacrymis circuire cœpit, et veniam pacemque a Deo precari. Nostri hominem sic instituunt non tam oratione quam scripto, quoniam nondum vis audiendi redierat, ut ad commune omnium perfugium cœli terræque Reginam preces frequenter adhibeat, ita fore, ut a Deo, quidquid posceret impetraret, nec inane consilium fuit. Sabbato enim, quem Ecclesia diem colendæ Dei Matri vetere instituto dicavit, ad ejus prostratus effigiem longas preces lacrymasque fundens, repentina et inusitata voluptate perfusus, percipere sibi ab ea munus aliquod videbatur. Inde in aliud Dei Matris sacellum immigrat, et lychni pensilis oleo fauces linit; tum ad preces recurrit ardens, et in ipso precationis æstu vox redit. Hic versus in Dei Deique Matris laudes, beneficium acceptum prædicare, quid, ut se gratum memoremque præberet, remisso militiæ nuntio, B. Virgini se dicavit, cujus etiam ædis ministerio in perpetuum se addixit, tanto futurus contra Dæmones, quibus se tradiderat tutior, quanto est ejus, quo se transtulit, tutela major. *Ex. litteris* an. 1585 *in Prov. Lusit. in Coll. Ang.*

EXEMPLA PROFANA.

Qualitas. — De Caio Caligula Imperatore scribitur, quod, cum per omnem Galliam divites expilasset omni pecunia, eam-

dem que turpiter profudisset, alea luder cœperit. Verum cum pecuniam sibi deesse intelligeret, ob eamque causam Gallos censeri, ac eorum locupletissimos interfici jussisset, ad collusores suos reversus ait : Vos quidem de parvo drachmarum numero contenditis, ego collegi aureorum sexagies centena millia. Idem, l. c.

Cum Lucifer per varias mundi partes, multas Spirituum suorum legiones transmisisset, ut ubique maledictionum tentationumque seminarent zizania, accidit, quod circa tempus Natalitiorum Salvatoris nostri, se magnopere cruciari lamentarentur, utpote quo atrociores paterentur pœnas, quam totius anni reliquo tempore, quapropter in unum convenientes, expediverunt solemnem ad Luciferum principem suum legationem, in qua legati fuerunt Azardus et Sbarainus ; qui ad Luciferum venientes, se in nocte Natalis Domini et festis subsequentibus plus quam aliis diebus cruciari, querula voce exposuerunt. Lucifer autem causas hujus tormenti ab iis ediscere volens, sequens ab iis retulit responsum : Illa nocte, dicebant, fideles omnes magna cum devotione frequentant Ecclesiam, omnes Sacerdotes tres celebrant Missas, Confessiones et Communiones insolito majori numero frequentantur, et successive diebus sequentibus veræ pœnitentiæ actibus sunt dediti ; unde graviter ab iis vapulantes, prævalere nec quidquam possumus. Mox Lucifer, quinam Sacerdotes Christiani, et quosnam ritus observarent, interrogavit ; cui illi responderunt : Distinctas in Episcopatus habent provincias, cui unus præsidens, Episcopus appellatur, subditos habens Archipresbyteros, Presbyteros, Diaconos et Clericos ; Sæculares autem divisi per Parochias, a Parochis gubernantur; qui Ecclesiis præfecti, in sacro apparatu Missas celebrant, et panem in Corpus Christi transsubstantiant, etc. Recensitis vero malis, ex Christianorum pietate et devotione, specialiter in diebus illis Natalitiis, in eis resultantibus, respondit Lucifer : Facilis mihi videtur modus, quem si fideliter observaveritis, omnia, quæ in iis diebus fiunt, bona vos torquentia, inutilia efficientur. Volo igitur, quod illud, quod fit pro Christo, fiat pro meo nomine ; faciatis, quod in omni civitate ædificetur unus Episcopatus in meo nomine, et vocetur Barataria, Episcopum volo esse dominatorem illius civitatis, quæ elocet ipsam eBarataria. Varia igitur, pro ludis trudiculariis instituendis, distribuit ministeria et officia, legatosque remittens, præcepit eis, ut Spiritibus infernalibus a quibus missi fuerant, nomine suo dicerent : Quilibet reperiat diversos ludos, ut diversimode possit nobis sacrificari, et deberi sacrificium Christi. Unde, inquit S. Bernardinus, mota est a Lucifero hæc machina, ut specialiter in nocte Natalis Domini varii inventi fuerint lusus, ut sacrificaretur Diabolo ; asserit insuper idem Bernardinus, quod ludus sbaraini repertus fuerit per Diabolum, qui dicitur Sbarainus ; lusus alearum fuerit repertus per Azardum Dæmonem ; minoretus repertus fuerit per Minoretum Dæmonem, et sic de aliis. Unde quicumque ludit istis ludis prohibitis, celebrat Diabolo. S. Bern. tom. IV, ser. xxxiii, p. 1.

Ferunt Hunnorum populos omnibus bellum inferre nationibus, fœneratoribus tamen esse subjectos ; et, cum sine legibus vivant, aleæ solius legibus obedire, in procinctu ludere, tesseras simul et arma portare, et plures suis, quam hostilibus ictibus interire. In victoria sua captivos fieri, et spolia suorum perpeti, quæ pati ab hoste non noverint. Ideo nunquam belli studia deponere, quod victi aleæ ludo, cum totius prædæ munus amiserint, ludendi subsidia requirunt bellandi periculo ; frequenter autem tanto ardore rapi, ut cum ea (quæ sola magis æstimant) victus arma tradiderit, ad unum aleæ jactum vitam suam potestati vel victoris, vel fœneratoris addicant. S. Ambr. l. I, *in Tob.* c. xviii.

Plato juvenem aliquando propter lusum acriter reprehendisse legitur ; sed moniti impatiens puer replicavit : Sic objurgas ob rem parvam? Cui mox Philosophus : Parvum non est assuescere. Beirl, l. t. c.

Inventus est, qui, quasi parum fuerit in vita lusisse, testamento religiose caverit, ut ex ossibus suis tesseræ fierent, cute vero et membranis mensa, alveolus, fritillique, quanta fieri posset diligentia contegerentur ; nimirum ut quod vivus libentissime factitabat, mortuus etiam, quantum posset, obiret. Ibid.

Aristoteles in sua *Ethica* ludum taxillorum atque chartarum, tanquam deformem contemnit, et inhonestum, lusores, fures appellat, lucrumque inde comparatum homine indignum esse affirmat. Arist. l. IV. *Eth.* c. 1.

Agarenos seu Turcas, quocumque genere ludi, deposita pecunia instituti ludant, ignominia primum, deinde supplicio graviore affici, nonnulli testantur. Mansi, disc. I, n. 6.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut Deus invenit viginti et unam litteras primo, nam aliæ postea sunt superadditæ ad componendam Bibliam, ubi est omnis sapientia revelata; ita invenit Diabolus, taxillos, Bibliam suam, ubi posuit viginti et unum puncta, tanquam litteras suas nigras, ubi in usu ejus reperitur omnis malitia peccati. Quid est enim malum, quod inde non sequatur. S. Anton. p. II, tom. I, a. 1, c. VII, § 6.

Sicut corpus, cum limitatum habeat vigorem, continuo laborare non potest, sed nonnunquam aliqua indiget quiete; ita quoque anima et mens nostra in continua operatione diu durare nequit, nisi recreatione sublevetur. Quies enim animæ est delectatio, et ideo remedium contra fatigationem animalem adhibetur per aliquam delectationem, intermissa intentione ad insistendum studio rationis. S. Th. II, c. LXVIII, a. 2.

Sicut enim medicina, ut salutem corpori afferat, in certa mensura et cum discretione exhibenda est, quia secus usurpata mortem adferret; ita quoque ludus regulari debet secundum exigentiam et necessitatem personæ sublevandæ, quia si aliter fieret, in excessum prorumperet et vitium. Mansi, disc. IX, n. 2.

Sicut vinum forte et generosum modice potatum confortat et corroborat stomachum, viresque lætificat, et vivaces efficit; sine mensura autem sumptum, caput turbat, inebriat, sanitati officit, usum quoque rationis obscurat, et impedit; ita etiam ludus pro recreatione, laboribus præcedentibus debita, brevi quoque tempore et cum modestia exercitus, conveniens est, laudabilis, et omnis culpæ expers; si vero excedatur in illo, in vitium degenerat. Unde S. Ambr. recte monet: Caveamus, ne, dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum. S. Ambr. l. I, *de Offic.*

Damnum. — Sicut aranea se eviscerat ad faciendas telas, quibus capiat muscas; sic lusor consumit se ad excogitandas malitias, et operandum, quomodo possit alios decipere, et sibi acquirere. S. Anton. l. c, § 7.

MOTIVA.

Ad Ludum moderandum.

Quia Christianum valde dedecet; uti S. Cyprianus indicavit, dicens: Aleator, quicumque es, Christianum te dicis, quod non es, eo quod sæculi particeps es, nec amicus Christi potes esse, qui cum inimico Christi tenes amicitiam. S. Cypr. *de Aleat.*

Quia Diaboli inventum est; uti idem Sanctus indicavit dicens: Hostis ille antiquus circuit pulsans Dei servos, et non uno genere tentans; multæ enim sunt tentationes ejus, ex quibus est aleæ tabula, quæ est Diaboli laqueus manifestus, venenum portans lethale serpentis. Idem.

Quia perquam noxius est. 1. Reipublicæ, utpote latrociniorum et rapinarum origo. Unde non immerito S. Antoninus ita scribit: Qui sunt dediti ludo, cum non habeant ad ludendum, furantur, vel a parentibus occulte rapiendo, et furtum est, vel a vicinis, vel a magistris, si in exercitiis sunt artium mechanicarum; si vincunt, augent furtum; unde et furata tenentur restituere. (S. Anton. l. c, § 6.) 2. Famæ, uti recte advertit Abulensis, dicens: Vita turpis inde nascitur, quia qui assuescunt ad ludum, omnem honestatem perdunt, unde efficiuntur viles. Et sic, extr. de *Exces. Præl.* c. *Inter dilectos*, vocatur vilis persona, ille qui est aleator publicus. (Abulens. q. LV, in c. 6. *Matth.*) Unde Petrarcha: Abjicienda est, inquit, delectatio inhonesta (Ludi) etsi non virtutis, at saltem famæ studio, et pudoris causa; nam vix aliud in actibus hominum invenias, ubi tam clare mores ac vitia detegantur. (Petrarc. dial. XXVII) 3. Vitæ, uti idem Abulensis indicat his verbis. Decimum (damnum) est mortis causa; quia ludentes irascuntur, dum perdunt, et prorumpunt in verba injuriosa, et de verbis ad vulnera et homicidia. (Abulens. q. LXVI.) 4. Tempori; nam, eodem testante, ex ludo nascitur perditio temporis, quia non vacatur bonis ope-

ribus, et sic perduntur omnia illa, quæ posset interim facere, et tamen nullum est majus damnum quam temporis; quia damna rerum sunt recuperabilia, damnum autem temporis nequaquam maxime, quia Deus exactissimam rationem petet a nobis de tempore concesso ad vitam, et bene operandum, in quo fuerit expensum. Unde S. Antoninus merito exclamat : O quam male poterunt reddere rationem de tempore, qui totos dies, et aliquando etiam noctem adjungunt circa ludum, et non solum amittunt ipsi ludentes tempus, sed alios amittere faciunt, qui scilicet aspiciunt. S. Anton. p. II, T. I, c. XXIII, § 6.

Quia aliorum infectivus est; uti idem Sanctus indicavit, dicens : Hoc vitium videtur infectivum, cum enim quis videt alium ludere, ubi nihil cogitabat de ludo, inclinatur ad simile. Quod etiam Abulensis confirmans : Corrumpuntur, inquit, proximi multipliciter videntes istos ludos, cum erudiantur ex hoc ad malum. Ib. Abul. q. LV, cit.

Quia consuetudo ludendi difficulter relinquitur; nam, teste Aristotele, generatus habitus, adhuc ex iteratis actibus dilatatur, et firmatur magis, et dilatatus habitus in ejus actibus magis ac magis delectat, et delectatio perficit opus. Sic lusor frequentans ludos ita delectatur in eo, ut totam quasi suam felicitatem videatur ibi ponere. Et quia consuetudo est altera natura, sicut naturalia tolli non possunt, ita, quæ in consuetudinem ducta, ut a ludis vix possint homines avelli, quantumcumque perpendant ex hujusmodi vituperari et consummari. (Arist. *In Ethic.*) Sed et Cantipratensis ait : Assueti talibus, de facili non desistunt. Ardor tantus inest lusoribus, ut omnem verecundiam perdant. Cantipr. l. II, c. XLIX, § 8.

Quia usurarium facit hominem; nam terribilior usura, quæ fit in mundo, et turpior quæstus est ludus. Nam ex eo, quod usurarius accipiat centum pro centenario in uno anno, tu facies illud damnum proximo tuo in hora una. (S. Bern. tom. IV, ser. XXXIII, p. 1). Idem quoque S. Bern. tom. I, in serm. quodam dixerat : Satis hinc inde repenso, nec hucusque reperire novi in sæculo isto lucrum, tot impietatibus ac maledictionibus plenum, sicut est illud, quod per ludum acquiritur.

Quia per ludum immoderatum tres leges violantur. Est contra legem *Divinam*, quia virtuti charitatis immediate adversatur, si quis temporalia proximi bona cum ipsius damno desideret, et ideo hoc ipsum in ultimo Decalogi præcepto expresse prohibetur. Est quoque contra legem *Naturalem*, quia lusor facit alteri, quod sibi fieri nollet, spoliando collusorem bonis suis, et sæpe etiam illis, quæ ei ad propriam et familiæ suæ sustentationem sunt necessaria. Est denique contra legem *Positivam*, quia multæ leges civiles et canonicæ, in Reipublicæ commodum, lusus alearum et chartarum severe interdicunt. Mansi, d. VII, n. 4.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, quando licitus sit moderatus lusus; id quod ex S. Thoma discere poterit, sic loquente : Attendendum est, sicut in omnibus humanis actibus, ut congruat personæ, tempori et loco, et secundum alias circumstantias ordinetur debitas, ut scilicet sit tempore, et homine dignus. S. Thom. II, II, q. LXVIII, art. 2.

Nosse debet, quando ludus sit peccatum grave; qua in re sic loquitur S. Anton. Nota secundo, quod ludus aleæ est peccatum mortale, secundum Raymundum, quod probari potest ex pœna; nullus enim debet deponi vel excommunicari, nisi pro mortali vero, vel præsumpto; sed ludens ad aleas debet deponi vel excommunicari, secundum illum Can. Episc. Ergo, etc. Quod credo verum, quando ex cupiditate quis ludit, scilicet principaliter motus, non ad recreationem, sed ad acquirendum quid notabile per ludum. S. Anton. l. cit.

Nosse debet, ludum quoque in Scripturis nonnumquam cum laude conjunctum esse. Unde dicitur : « Egredietur de eis laus, voxque ludentium; » (Jer. XXX, 19) quia ludus, debitis vestitus circumstantiis, virtus est laudabilis, quæ a sacris Doctoribus *Eutrapelia* appellatur, de quo S. Thomas sequentem statuit conclusionem inquiens : Circa ludos et jocos, qui nonnumquam ad animi solamen necessarii sunt, si secundum rationem fiant, aliquam virtutem esse oportet, quam Eutrapeliam vocant. S. Thom. l. cit.

Nosse debet, quid Doctores de vitioso ludo sentiant. S. Cyprianus aleam vocat mali alveum. S. Bernardinus, multarum stultitiarum ludibrium singulare, fomitem iniquitatis et cupiditatis, Presbyterum Diaboli comitatus, cunctorum vitiorum seminarium. Pretrarcha vitiorum omnium regnum,

famæ nubem, et scelerum stimulum. *Apud Mansi*, d. I et III.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Observandum est, quod S. Paulus de ludo, qui Ismaelem inter et Isaac agebatur, cujus in Genesi, c. XXI, fit mentio, loquens, eumdem persecutionis nomine appellarit, inquiens : « Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum, » ita et nunc; sed quid dicit Scriptura ? Ejice ancillam, et filium ejus. Ubi primo advertendum est, ludi hujus auctorem servæ cujusdam Ægyptiæ fuisse filium, ut inde servitutem colligeremus,quam vitium hoc suis insinuat sequacibus, servos suos illos efficiendo, suæque tyrannidi subjectos propria libertate privando. Lusum intellexit Sara persecutionem, inquit Glossa, ex mente S. Aug. Origenes quoque interrogat,inquiens. Quid luserat aut quid nocuerat,si ludebat ? Apostolum miror, qui ludum hunc persecutionem pronuntiavit , dicens : « Sed sicut tunc is, qui secundum, etc. » cum nulla utique persecutio Ismaelis adversus Isaac mota referatur, nisi hic solus ludus. Verumtamen ludo proprium magis epithetum dari non poterat, quam quod persecutio appellaretur , quia major persecutio dari nequit, quam quæ per hoc vitium homini intentatur, utpote, quod tempus nobis eripit adeo pretiosum ; facultates aufert, quas tantopere custodimus ; famam et existimationem, quæ adeo quæritur, deprædatur; virtute quoque spoliat, imo nonnumquam et anima, tametsi pretiosissimus sit thesaurus, quem possidemus ; et tamen adeo insani sumus, ut hanc persecutionem data opera quæramus, investigemus, promptaque pecunia, nec non innumeris periculis et anxietatibus comparemus. Is qui semetipsum lacerat, et indigne habet, tanquam stultus et cerebro vacuus,ligatur, et ab omni conversatione humana sequestratur ; at vero talis est omnis lusor, utpote qui inimicus et persecutor est sui ipsius, prout SS. Patres diversi optime probant.

Petrarcha quemdam, qui se in ludo vicisse gloriabatur, his verbis introducit : Lusi et vici! Cui tum ipse respondet inquiens: Bene, nisi in campum redis, alioquin nullus campus planior, nullo in campo volubilior est fortuna. Ludes iterum, et perdes; quod vicisti autem, hinc atque illinc mille diripient, et quod perdideris, nemo restituet. Hi, qui vincunt, inquit vir quidam sapiens, adeo sunt rari, ut corvus albus; hi vero, qui ex ludo depauperantur, adeo sunt innumeri, ut muscæ Apuliæ. PETRARCH. *dial.* XXVII.

LUXURIA.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est inordinatus appetitus venereorum, ut S. Thomas definivit; vel, ut alii, impuræ et libidinosæ voluptatis appetitus inordinatus. Desumptum est hoc nomen a luxu, qui est immoderata appetitio cujuscumque rei gratæ, rationi non obtemperans. Unde S. Thomas ait, luxuriam principaliter esse circa venereas voluptates, secundario autem excessum in aliis dicere. S. TH. II, II, q. CCLV, n. 1.

DIVISIO. — Dividitur in septem species, quarum 1. est *Fornicatio*, seu concubitus soluti cum soluta (quæ sit a voto, matrimonio, religione libera) ex mutuo consensu. 2. *Stuprum,* seu virginis defloratio, ipsa invicta facta. 3. *Raptus*, seu mulieris vi abductæ violenta violatio. 4. *Adulterium*, seu conjugis cum persona soluta vel conjugata concubitus. 5. *Incestus,* seu congressus cum consanguinea vel affine usque ad quartum gradum. 6. *Sacrilegium,* seu rei sacræ (sive locus sit, sive persona) violatio per actum venereum. 7. *Vitium contra naturam*, seu congressus, a quo est impossibilis generatio; et subdividitur in quatuor alias species, nempe *Mollitiem,* qua absque congressu voluntarie procuratur seminis fluxus ; *Sodomiam* , seu congressus duarum ejusdem sexus personarum ; *Bestialitatem,* seu concubitum cum alio subjecto, quam homine ; et *Congressum innaturalem,* cum scilicet debitus quidem sexus servatur, sed modus inordinatus sine legitima causa adhibetur.

ACTUS. — Primus est, *Cogitationes pravas*, licet absque delectatione morosa , fovere ; de quibus S. Jacobus locutus est, dum dixit : Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo

tentatur, Deus enim intentator malorum est, sed unusquisque a sua concupiscentia tentatur, abstractus et illectus. Jac. I, 13.

Secundus est, *Morosa delectatio in cogitationibus impuris*, de qua Jeremias dixit : Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Jer. I, 14.

Tertius est, *Consensus simplex in opus luxuriosum*, de quo idem S. Jacobus dixit : Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum. Jac. I, 14.

Quartus est, *Aspectus libidinosus*, de quo S. Job dixit : Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine ; quam enim partem haberet in me Deus desuper? Job. XXXI, 1.

Quintus est, *Verborum impudicorum prolatio*, de qua S. Paulus dixit : Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos. Eph. V, 3.

Sextus est, *Oscula impudica*, de quibus V. Beda sic loquitur : Qui verba vel oscula meretricis amplectitur, quasi januam jam gehennalis abyssi pulsat, citoque mergitur, si pedem cautus non retrahit, si non membra reliqua a vicinia cohibet foveæ pœnalis, in quam nullus omnino, nisi filius iræ labitur. Apud Marchan. *Tub. Sac.* tr. III, lect. 7.

Septimus est, *Tactus et amplexus impudici*, de quibus illud Siracidis intelligi potest, Qui tetigerit picem, inquinabitur ab illa. Eccl. XIII, 1.

Octavus est, *Ipsius operis consummatio*, de qua S. Jacobus : Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem. Jac. I, 15.

Nonus est, *Consuetudo operis luxoriosi*, quam expertus S. Augustinus dixit : Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed ferrea mea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, et constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido, et dum servitur libidini, facta est consuetudo. S. Aug. l. VIII, *Conf.* c. V.

Decimus est, *Necessitas quædam ex frequentatione orta*, de qua idem S. Aug. mox addit : Et dum non resistitur consuetudini, facta est necessitas; quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis tenebat me obstrictum dura servitus. (Idem. l. c.) Nam ut S. Gregorius bene advertit, usitata culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit. Ad rectitudinem conatur, et labitur; quia, ubi diu sponte perstitit, ibi, et cum noluerit, coacta cadit. S. Greg. h. XXXI, *in Ev.*

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.— Fugite fornicationem ; omne enim peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. I. Cor. VI, 18.

Ego autem dico vobis, quoniam omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Matth. L, 29.

Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta sua non ardeant, aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam. Prov. VI, 27.

Equi amatores et emissarii facti sunt ; unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat. Jer. V, 9.

Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationis in medio eorum. Osee, V, 4.

Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui, nullus avertet eam. Nam onagra, cum semel naribus hausit odorem masculi, tam perdite eum insequitur, ut nullis viribus detineri queat. Jer. II, 24.

Fuga.— Ne des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, et confundaris. Eccl. IX, 2.

Ne des fornicariis animam tuam in ullo, ne perdas te et hæreditatem tuam. Ib. 6.

Attende tibi, fili mi, a fornicatione, et præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. Tob. IV, 13.

Cum aliena muliere non sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum ; et non alterceris cum ea in vino, ne forte declinet cor tuum in illam, et sanguine tuo labaris in perditionem. Eccl. IX, n. 12.

Fornicatio autem, et omnis immunditia, et avaritia, ne quidem nominetur in vobis, ut decet Dei Sanctos. Ephes. V, 3.

Hæc est voluntas Dei, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes, quæ ignorant Deum. I. Thessal. IV, 3.

Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere ; si præstes animæ

uæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. Eccl. XVIII, 30.

Induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis. Rom. XIII, 14.

Nescitis, quoniam corpora vestra sunt membra Christi? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit! I. Cor. VI, 13.

Dammum. — Qui se jungit fornicariis, erit nequam, putredo et vermes hæreditabunt illum, et extolletur in exemplum majus, et tolletur de numero anima ejus. Eccl. XIX, 3.

Fovea profunda est meretrix, et puteus angustus aliena. Insidiatur in via quasi latro, et quos incautos videt, interficit. Prov. XXIII, 27.

Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via, ab omnibus prætereuntibus conculcabitur. Eccl. IX, 10.

Qui adulter est, propter inopiam cordis perdet animam suam, turpitudinem et ignominiam congregat sibi, et opprobrium illius non delebitur. Prov. XVI, 32.

Væ, qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris. Amos. VI, 4.

Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Gen. VI, 3.

Inclinasti femora tua mulieribus, potestatem habuisti in corpore tuo, dedisti maculam in gloria tua, profanasti semen tuum, inducere iracundiam ad liberos tuos, et incitari stultitiam tuam. Eccl. XLII, 22.

Inclinata est ad mortem domus ejus, et ad inferos semitæ ipsius, omnes, qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vitæ. Prov. II, 18.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. — Quantos leones domuit una infirmitas delicata, id est, luxuria, quæ cum sit vilis et misera, de magnis efficit prædam. S. August. *de Singul. Cleric.*

Qui luxuriatur, vivens mortuus est, et ferreas mentes libido domat, quæ majorem in virginibus patiatur famem, dum dulcius putant omne, quod nesciunt. S. Hier. *in Epist.*

Libido transacta semper relinquit sui pœnitudinem, et numquam satiatur, et extincta reaccenditur, usu crescit et deficit; nec rationi paret, quæ impetu ducitur. Ibid.

Luxuriæ currus quadriga volvitur vitiorum, ingluvie videlicet ventris, libidine coitus, mollitie vestium, otii corporisque resolutione; trahitur equis duobus, prosperitate vitæ, et rerum abundantia; et qui his præsident, duo sunt, ignaviæ torpor et infida securitas. S. Ber. *super Cant.*

O extrema libidinis turpitudo, quæ non solum mentem effeminat, sed corpus enervat; non solum maculat animam, sed fœdat personam; semper illam præcedunt ardor et petulantia, semper comitatur fœtor et immunditia, semper sequitur dolor et pœnitentia. Hugo.

Qualis est in oculis hominum, qui inversis pedibus ambulare videtur; talis est in oculis Angelorum, cui propria caro dominatur. S. August.

Sævus criminum stimulus libido est, quæ numquam quietum patitur manere affectum, nocte fervet, die anhelat, de somno excitat, a negotio abducit, a ratione revocat, aufert consilium, amentes inquietat, lapsos inclinat, nullus peccandi modus, et inexplebilis scelerum sitis nisi morte amantis extingui non potest. S. Amb. l. II, c. V, *de Cain et Abel.*

Inter omnia certamina Christianorum sola dura sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, et rara victoria; gravem namque sortita est castitas inimicum, cui quotidie resistitur, et semper timetur. S. August. *in lib. de Hon. Mul.* c. II.

Venter mero enim æstuans, cito spumat in libidinem; Venter enim et genitalia vicina sunt, et unum alteri subministrat. Ex vicinitate enim membrorum sequitur confœderatio vitiorum. S. Hier. *in Ep.*

Cum cætera vitia se quibusdam virtutum tegumentis oppallient, mens hujus turpitudinis conscia, tantum prima fronte præfert suæ accusationis horrorem, et non solum ea hora, qua impia caro perniciosa voluptate perstringitur, sed etiam, quoties audit aliquid de turpitudine sua, rubore perfunditur, absentiamque captat, et immundi operis recordatione torquetur. Cassiod. l. *de Amicitia.*

Quanta iniquitas, et quam lugenda perversitas, ut animam, quam Christus sanguine suo redemit, luxuriosus quisque propter unius momenti delectationem libidinis Diabolo vendat! Vere enim nimium miseran-

da et plangenda conditio est, ubi cito præterit, quod delectat, et per Diabolum in cruce manet, quod sine fine cruciat. Libidinis impetus momento transit, et opprobrium infelicis animæ semper permanet. S. Aug. s. CCL, *de Temp.*

Omnis delectatio carnalium velut imperceptibile punctum, celerrimumque momentum est, respectu infernalium æternalium acerbissimorum suppliciorum, momentaneumque quod delectat in mundo, æternum quod cruciat in inferno. Dionys. Carthus. in c. XX. *Job.*

Avaros, superbos, invidos, iracundos plures devotos invenies, et licet peccatores, tamen pii, et qui in Deum et Sanctos ejus piam et devotam habeant affectionem ; libidinosus utique absorptus est in libidinem, neque Deum, neque Sanctos reveretur, et diligit, nulla in eo devotionis scintilla, nullum spiritualis amoris vestigium. S. Thom. Villanov. conc. II, *de S. Ildelph.*

Luxuriosus comparatur porco ; si enim ex una parte videret luti volutabrum, et ex alia parte lectum rosarum positum, eligeret in volutabro luti resolvi, quam in rosarum lecto ; sic tales immunditiam luxuriæ deliciis Paradisi præponunt. S. Bern. t. IV, s. XI.

Luxuria non est vitium corporum pulchriorum vel suavium, sed animæ perversæ amantis corporeas voluptates neglecta temperantia, qua aptamur spiritualibus. S. Aug. *de Civ. Dei.*

Malum luxuriæ et cogitatione perpetratur, aut opere, callidus enim adversarius noster, cum ab effectu operis expellitur, secreta cogitatione polluere nititur. S. Greg. *in Moral.*

Alia est carnis luxuria, qua in castitate corrumpimur, alia cordis, qua de castitate gloriamur. S. Bernard. *in Serm.*

Damnum. — Revera voluptates corporeæ similes sunt cœpis et alliis, multum enim pungitivæ acrimoniæ et irritamenti suggerunt, in amœnam vero graveolentiam, et vix elucibilem immittunt iis, quorum voraginі se semel ingesserint, plurimum lacrymarum conciliant suis affectatoribus. S. Basil, in c. I, *Is.*

Laboriosa prorsus et ad superandum difficilis est carnalis illecebra, quæ die noctuque spiritui infesta sentitur, foris habet, cui adhæreat, et contra quem sæviat intus, propagatur in carne, coalescit in tempore, enutritur in vitiis, neglecta roboratur, et, dum dominatur, interimit, numquam rationis legibus cedit, numquam superata quiescit, semper floret, semper viget, serpit continuo ut cancer, sævit ut ignis, rapit ut leo, tumet ut coluber, insidiatur ut latro, cœno volutatur ut aper, sat numquam dicit, ut infernus; inflammat totum corpus nativitatis inflammata a gehenna, libidinum pruritus excitat, concupiscentias movet, fugat prudentiam, castitatem impugnat. S. Laur. Just. *de Int. Conflictu*, c. III.

Sol hominum, Salomon thesaurus deliciarum Dei, sapientiæ singulare domicilium, crasso tenebrarum fuscatus atramento, lucem animæ suæ, gloriam domus suæ, odorem famæ suæ amisit amore mulierum, et postremo curvatus coram Baalim, ex Ecclesiaste Domini, mutatus est in membrum Zabuli. S. Hieron. *opusc. ad Ruff.*

Samson validus et fortis, leonem suffocavit, sed amorem suum suffocare non potuit ; vincula solvit hostium, sed suarum non solvit nexus cupiditatum; messes incendit alienas, et unius ipse mulieris accensus igniculo, messes suæ virtutis amisit. S. Ambr. *Apol. de David.*

De nullo peccato legitur dixisse Deum quod pœnituit, se fecisse hominem, nisi de peccato carnis, pro quo totum mundum diluvio delevit. S. Hier, *ap. Mansi*, d. XI, n. 12.

Luxuria comparatur gehennæ; nam in gehenna sunt specialiter tria, ignis ardens, vermis rodens et sulphur fœtens ; sic in peccato luxuriæ est ignis concupiscentiæ, vermis, scilicet remorsus conscientiæ, et sulphur, scilicet fumus, et ideo, qui est in peccato luxuriæ, jam quodammodo est in supplicio gehennæ. S. Bonav. l. c.

Ut Dæmon Christi impedire posset agonem, ad consueta concurrit muliebria arma, cum quibus olim strenuissimos debellaverat Duces. Adam quippe de Paradisi amœnitate dejecit ; Loth in filiarum compulit stuprum; Samson in manus Philisthiim dedit ; David in adulterii atque homicidii crimen induxit ; Salomonem etiam, sapientia perdita, alienigenarum Deos thurificare coegit ; Apostolorum novissime Principem in Magistri negatione prostravit ; hominum quoque redemptio, mediante Pilati uxore, ne fieret, laboravit. S. Laur. Justin.

Non est aliquod vitium, per quod mundus tantum subjiciatur Diabolo ; hoc pecca-

tum lætificat infernum, et quasi totum mundum trahit ad supplicium. Hic cadit exemplum de consilio Luciferi, in quo Dæmones per totum mundum dispersi referebant mala, quæ commiserant ; et omnes percutiebantur, solum Dæmon, qui per quadraginta annos monachum ad luxuriam provocaverat, fuit a Lucifero coronatus. S. Bernar. t. IV, s. XXI, *de Luxuria*.

Magis per luxuriam humanum genus subditur Diabolo, quam per cætera vitia ; cum enim ille variis tentamentis illectos homines conetur pervertere, magis tamen mœchandi desiderium suggerit, quia utrumque sexum in hoc vitio amplius ægrotare intendit. S. Isidor. l. II, *Sent.* c. XXXIX.

Ipsæ quoque voluptates impudicæ animæ impediunt salutem, oblivionem Dei inducunt, a sapientia mentem retrahunt, sterilitatem bonorum operum inferunt, auferunt animi virilitatem, hominem impatientem faciunt, et spiritualibus deliciis cor privant.

Nihil in homine, quem possidet, ignis hic relinquit inustum, etsi fuerit quispiam in juventute sua omnium virtutum decore præfulgidus, et veluti paradisus Dei, vernantibus undique et fragrantibus gratiarum liliis dealbetur, si semel intima ejus hic penetraverit rogus, totum funditus urit, totum absumit, totum redigit in favillam, ex amœno paradiso in desertum horridum, et ex Angelo reducit in belluam. S. Thom. a Villan. c. II, *de S. Ildelph.*

Luxuria est quidam ignis infernalis, cujus gula est materia, turpitudo flamma, immunditia cinis, infamia fumus, tormentum finis. Didac. Stella, in c. XV, *Luc.*

Eadem corpus debilitat, et quasi semper ipsum morte destruit, famam denigrat, marsupia evacuat, furta instruit, homicidia causat, memoriam hebetat, cor aufert, oculos utriusque hominis cæcat, et præ cæteris iram Dei provocat. Pro nullo reatu tam manifestam justitiam exercuit Deus sine misericordia, quam pro isto. Euseb. ep. *ad Dam.*

Luxuria gratuita tollit, animam inficit, corpori morbum paralysis ingerit, et cæcitatem oculis, corpus inquinat, famam deflorat, pecuniam tollit, inimica est proximo, fœtet Deo, placet Diabolo, odibilis Angelis, ejus ignis descendit in infernum, fumus ejus vindictam petens ascendit in cœlum. Hugo de S. Vict. *de Inst. Mon.* l. IV, c. X.

Sunt quædam vitia sic colligata, ut quamprimum unum admittas, aliud te invadere necessum sit ; trahit luxuria et libidinis ardor ad omnia, quæ vult, etiamsi maxima vitia sint et peccata. Oleaster, *in Numer.* c. LXXXV, 2.

Nullus ad Dei contemptum promptior, nullus ad malum perpetrandum audacior, nullus ad persistendum in peccato tenacior, quam luxuriosus. S. Thom. Villan. l. c.

Luxuria est inimica Deo, inimica virtutibus ; perdit omnem substantiam, et ad præsens voluptate deliniens, futuram non sinit cogitare paupertatem. S. August. *de Doctr. Christi.*

O quam acerbus est fructus luxuriæ, amarior felle, crudelior gladio! S. Hieron. *in epist.*

O ignis infernalis luxuria, cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintillæ prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna ! Idem.

Quælibet alia fiant bona opera, si luxuriæ scelus non abluitur, immensitate hujus vitii obruuntur. S. Greg. l. XXII *Mor.*

Quis ejus multiplices species enumerare valeat ? Hæc enim Pentapolim cum adjacente regione subvertit, Sichem cum populo interemit ; hæc filios Judæ percussit, Judæum et Madianitidem pugione transfodit, tribum Benjamin pro uxore Levitæ delevit, filios Heli Sacerdotis in bello prostravit ; hæc Uriam occidit, Ammon interfecit, plurimos lapidavit ; hæc Ruben maledixit, Samsonem seduxit, Salomonem pervertit. Verum est ergo : Propter speciem mulieris multi perierunt. Hugo.

Ex quo luxuria semel mentem occupaverit, vix eum bona cogitare permittit ; sunt enim desideria viscosa, quia ex suggestione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, ex consensu operatio, ex operatione consuetudo, ex consuetudine desperatio, ex desperatione peccati defensio, ex defensione gloriatio, ex gloriatione damnatio. S. Greg. *in Moral.*

De luxuria cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror autem vel desperatio futuri generantur. S. Greg. l. XXXI *Mor.*

Demptis parvulis, ex adultis propter carnis vitium pauci salvantur. S. Remigius, *Rhemensis Episc. in Ep. ad Rom.*

Computruerunt jumenta in stercore suo, inquit Joel. Jumenta autem computrescere,

teste S. Gregorio, est, carnales homines in fœtore luxuriæ suæ vitam finire; non enim esse homines sed jumenta declarantur, de quibus per Prophetam dicitur : Unusquisque ad uxorem proximi hinniebat. S. Greg. XXIV *Mor.*

Hos homicidis deteriores judico, nam mori præstat, quam ita ignominiose vivere; homicida enim a corpore animam divellit, hic vero animam simul cum corpore perdit, et quodcumque peccatum dixeris, nihil huic sceleri æquale reperies. S. Isidor. c. XXXV, t. 1.

Luxuria est immoderata carnis petulantia, dulce venenum, importuna lues, perniciosa potio, quæ humanum corpus debilitat, et virilis animi robur enervat. Beda. *de Templo Salv.*

Venus est illecebrosa voluptas, adulterina jucunditas, quæ mel habet in ore, fel in corde. Ibid.

Luxuria homicidas facit. S. Chrysost. *sup. Matth.* XIV, hom. IV.

Fuga. — Fuge consilia inimici improba, o homo, recordare tuorum cum Deo pactorum, et sanctificationem custodi, ut gratiam invenias coram Domino. Quos occidere in eremo morsus serpentum non potuere, hos Madianitarum fornicatio prostravit, ut etiam Idolorum victimas comederent. S. Ephr. c. IX, *super Attende.*

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Qualitas. — Dulcitius Præses putans se rem habere cum SS. Virginibus Agape, Chione et Hirene, ollas et sartagines amplexus est, totusque nigredine infectus omnium ludibrium factus est. *Spec. Ex.* dist. VIII, ex. 80.

Theotimus quidam jussus a medicis congressu uxoris abstinere, ni luminibus privari velit, neglexit consilium, et in ipso congressu dicens : Vale amicum lumen! completa libidine oculis orbatus est. Ibid. ex. 107.

Luxuria tentatus Monachus quidam juvari non potuit a sene, quia cooperari nolebat, et tentationibus resistere. *Vita PP.* l. III, n. 13.

S. Hieronymus de seipso fatetur : O quoties ego ipse in eremo constitutus, in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridum monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis! Sedebam solus quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, et squalidæ cutis situm æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus; et si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantum socius et ferarum, sæpe choris intereram puellarum, pallebant ora jejuniis, et mens desideriis æstuabat in frigido corpore, et ante hominem suum jam carne præmortua, sola libidinum incendia bulliebant. S. Hieron. ep. XXII.

S. Pachomius optabat ferarum dentibus laniari, eo quod 40 annorum solitudine, jejuniorum, aliarumque rerum asperitate hunc hostem expugnare non potuerit, licet numquam penitus eidem succubuerit. Pallad. c. XXVI.

Moyses e latrone Eremita, licet integro sexennio jejunia, vigilias, preces, multasque lacrymas adhibuerit, non potuit tamen lasciviam carnis domare, donec post multos labores exantlatos, benedictione Patris sui Spiritualis quietem aliquam, fremente licet Satana, meruisset. Ib. c. XXII.

S. Catharina Senensis, si aliquando a persona aliqua luxuriæ dedita salutabatur, nihil respondit, sed tergum obvertit, dixitque, se ex anima illorum tantum fœtorem efflantem sensisse, ut ad vomitum provocaretur. Raymundus, *in Vita.*

S. Pachomius cum Dæmoni, qui in specie Æthiopissæ ad scelus ipsum incitaverat, colaphum infregisset, fœtorem manu contractum vix duobus annis eluere potuit. Pallad. c. XXIX.

S. Euthymius, si forte aliquis, qui turpi suggestioni consenserat, pone ipsum transibat, tantum fœtorem sensit, ut a Dæmone possessus videretur. Surius, 20 *Jan.*

Angelus quidam cum juxta cadaver transiens nullum horrorem ostendisset, juvene vero libidinoso, et floridum sertum gerente ipsi obviante nares obturasset, quæsitus a cliente causam facti respondit, juvenem illum in conspectu Dei plus fœtere, quam cadaver quantumcumque putridum. *Vitæ PP.* tom. VI, l. V, n. 18.

In Britaniæ insulæ parte, quæ recentiore nomine Scotia appellatur, Jacob Rex ejus gentis, Genis dictus, publice quidem matrimonia non contraxit cum duabus sororibus,

sed cætera quidem maritalia jura cum eis exercuit. Sabel. l. IV.

Fera prorsus libido fuit Fabriensis cujusdam civis, nam cum desciscente populo a Clavellis ejus urbis principibus, ne feminis quidem populi rabies ferrumque pepercisset, ipse eum mortua Clavellorum virgine commiscere per luxuriam non erubuit. Ibid.

Fuga.— Luxuria tentatus Frater quidam, cum audisset, mulierem illam, cujus pulchritudine tentabatur, mortuam esse, accessit ad sepulchrum, et pallio suo fœtentem carnem mulieris extergens, naribus suis applicabat dicens : Ecce habes desiderium, quod requirebas, satia te ex eo. Et sic tentationem vicit. *Spec.* ex. dist. 2, ex. 23.

Alius quidam similiter tentatus cum suasu Patris spiritualis in eremum secessisset, siccoque dumtaxat pane victitans assiduo se labore occupasset, Dæmon in specie mulieris apparens, victum se confessus est, simulque fœtore horribili relicto ostendit, quam turpem et fœdam voluptatem monachus appetiisset. Ibid. ex. 301.

Senex quidam, ut tentationem luxuriæ vinceret, omnes digitos manus igni applicuit, et mulierem tentantem repente mortuam precibus suis ad vitam reduxit. Ibid. ex. 106.

S. Thomas Aquinas, cum procax scortum in ejus cubiculum immissum fuisset, in primis ad orationem confugiens dixit : Ne sinas quæso, Domine Jesu, et tu Sanctissima Virgo et Mater, ut tam immani me scelere obstringam. Postea accepto titione fugavit illud, et ostio clauso ab Angelis cingulo circa lumbos constringi in signum continentiæ promeruit. Surius, *in Vita*, 7 *Mart.*

Adolescens Etruscus, cum adverteret, ob admirandam oris pulchritudinem feminas in amorem ejus accendi, totum vultum stigmatibus exaravit. S. Ambr. lib. III *de Virg.*

Virgo quædam Alexandrina advertens adolescentem quempiam oculorum suorum pulchritudine captum, eosdem sibi eruit, ac eidem submisit.

Nicetas in lectulo florido ligatus cum scortum ad lasciviam ipsum sollicitaret, præcisam linguam in faciem illius expuens, ac sic libidinis sensum succedente doloris magnitudine superavit. S. Hier. *in Paulo*, et Drex. *in Niceta.*

Virgines Leodicenses, ne a militibus opprimerentur, cum alio fugere non possent, in cloacas se præcipitarunt. Jacob de Vitriaco.

S. Ursinus Presbyter, cum jamjam moriturus esset, accedente uxore, et num vitalem adhuc spiritum trahat, aures naribus ejus applicante, quanto valuit nisu, dicit : Recede a me, mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle. S. Greg. l. IV *Dial.* c. xi.

Venit aliquando quidam in sene, ut fieret monachus, qui etiam accepit filium suum nuper ablactatum. Qui cum factus fuisset juvenis, cœperunt impugnatores Dæmones sollicitare eum. Et dixit patri suo : Vado ad sæculum, quoniam non valeo carnales concupiscentias sustinere. Pater autem ejus consolabatur eum. Dixit ergo illi juvenis : Jam sustinere non valeo, pater, dimitte me redire ad sæculum. Dixit ei pater suus : Audi me, fili, adhuc semel, et tolle tibi quadraginta panes, et folia palmarum dierum quadraginta et vade in eremum quadraginta diebus, et voluntas Domini fiet. Qui obediens patri suo surrexit, et abiit in eremum, et mansit ibi laborans, et faciens plectas seu funiculos de palmis, et panem siccum comedens. Et cum ibi dies viginti quievisset, ecce vidit opus quoddam diabolicum venire super se, et stetit coram eo velut mulier Æthiopissa fœtida, et turpis aspectu, ita ut fœtorem ejus sustinere non posset, et abjiciebat eam a se. Et illa dicebat ei : Ego sum, quæ in cordibus hominum dulcis appareo, sed propter obedientiam tuam, et laborem, quem sustines, non permisit me Deus seducere te, sed innotui tibi fœtorem meum. Ille autem surrexit, et gratias agens Deo, venit ad patrem suum, et dixit ei : Jam nolo ire ad sæculum, pater, vidi enim operationem Diaboli, et fœtorem ejus. Cognoverat autem pater de hoc ipso, et dicit ei : Si mansisses quadraginta dies, et custodisses usque ad finem mandatum meum, majora haberes videre. *In vita PP. de Fornic.* ex. 8.

Quidam juvenis secrete S. Andreæ dixit : Mater mea pulchrum me videns, de opere illicito me attentavit, cui cum nullatenus assentirem, judicem adiit, volens in me crimen tantæ nequitiæ retorquere ; sed ora pro me, ne moriar tam injuste. Nam accusatus penitus reticebo, malens vitam perdere, quam matrem tam turpiter infamare. Juvenis igitur vocatur ad judicium, et illico eum Andreas prosequitur. Accusat mater instanter filium, quod se voluerit violare. Interrogatus pluries juvenis, an res taliter se haberet, nihil penitus respondebat. Tunc

Andreas matri dixit : Crudelissima feminarum, quæ per tuam libidinem filium unicum tuum vis perire ! Tunc mulier Præposito dixit : Domine, huic homini filius meus adhæsit, postquam hæc agere voluit. Iratus itaque judex jussit puerum in saccum linitum pice et bitumine mitti, et in flumen projici, Andream autem in carcere reservari, donec excogitaret supplicium, quo periret. Sed orante Andrea tonitru horribile omnes terruit, et terræ motus ingens cunctos prostravit, et mulier a fulmine percussa et arefacta corruit. Orantibus autem cæteris Apostolum, ne perirent, oravit pro eis, et omnia cessaverunt. Tunc Præpositus credidit, et domus ejus tota. VINCENT. BELOV. *in Spec. Hist.* l. IX, c. LXVII.

Refert S. Bernardinus, quod cum die quodam simul congregati essent Frater Ægidius Assisinas, Frater Simon, Frater Ruffinus, et Frater Juniperus, interque se collationem facerent spiritualem, Frater Ægidius illos interrogavit : Quid fecistis vos cum tentationibus carnis ? Cui Frater Simon, se hujus peccati turpitudinem et deformitatem considerasse, ex eaque meditatione se ad illud efficaciter detestandum motum fuisse, respondet. Frater Ruffinus dixit : Ego me in terra prosterno, Deique et Sanctissimæ Matris ejus auxilium et clementiam per ferventem quamdam orationem eo usque imploro, donec ab iis liberatum me esse sentiam. Frater Juniperus respondit : Quando suggestiones diabolicas appropinquare experior, portas cordis mei per sanctas meditationes claudere, animæque fortalitio bonam adhibere custodiam satago, ne inimicus illud uspiam subingredi, vel contra illud prævalere possit. Cum illæ suggestiones ostium cordis quasi pulsando percutiunt, ego respondeo ab intus : Pro te nullatenus reserata erit ; extra, extra, quia hospitium captum est, et ideo hic recipi non potestis. Et sic numquam intrare permitto. Tandem Frater Ægidius suum quoque consilium subjunxit, dicens : Tecum, Frater Junipere, consilium teneo, quia cum illo peccato tutius et distinctius pugnatur fugiendo, ubi ab intus est provocatio carnis, appetitur ab extra, per sensus sentitur tantus et tam fortis hostium exercitus ; nam aliter est tibi fortis pugna, et rara victoria. S. BERN. t. IV, s. XX *de Luxuria.*

TURPITUDO. — Refert quidam scriptor de quodam necromantico, quod, cum more suo solito Dæmonem invocasset, videretque, quod post toties iteratas incantationes minime compareret, de Dæmonis perfidia graviter fuerit conquestus ; cumque Dæmon tandem quidem apparuisset, ita tamen, ut procul ab eo remotus subsisteret, necromanticus causam moræ, nec non, cur non propinquius ad illum accederet, sciscitatus fuit, cui Dæmon respondit : Fœtor luxuriæ tuæ non permittit accedere. Magus namque ille paulo ante cum meretrice quadam turpe habuerat carnis commercium ROBERT. HOLCOT. *in Sap.* lect. CII.

Legitur in vita SS. Virginum Agapis, Chionæ et Hirenæ, quoniam cum Imperator Diocletianus esset, rumores sanctitatis Agapis et Chionæ virginum, præsentatis eis sibi, promisit eis maritos de palatio suo, per quos illustres esse possent, si Christum negantes idola colerent. Cumque nullatenus a Christianitate flecti possent, jussit Præsidi Dulcitio diversis tormentis eas affligere. Cum autem præsentatæ essent, videns eas, captu oculorum astrictus, turpissimo spiritu agebatur, et fecit eas apud talem officialem tradi custodiendas, qui eis libertatem promitteret, si captivæ ejus animo consensum præbuissent. Sed cum nec promissionibus, nec terroribus animum commutarent, ausus est ipse Præses cellulam ingredi, ubi illæ orantes noctem Christo pervigilem exhibebant, in quo loco omnia coquinæ utensilia reposita erant. Ingressus autem cum vellet perficere, ad quod eum ardor libidinis impellebat, alienatus mente cœpit ollas amplecti, et sartagines osculari. In quibus diu ludificatus, totus niger, et cacabatus talis cœpit esse vestibus, et in facie, qualis a Diabolo possidebatur in mente. Tandem cum suis egressus est, qui eum cum luminaribus expectabant, visoque eo omnes fugerunt, videntes eum talem, nullam habentem corporis partem, quæ non esset inquinata, et in partibus scissa. Stantibus enim ancillis Dei, et psallentibus, nullum penitus per eum potuit Diabolus impedimentum afferre. Videns ergo Præses se ab officio suo esse contemptum, nesciens, quid se factum esset, non est reversus in domum suam, sed cœpit concito cursu ire ad palatium Diocletiani inquiens : Prosternam me invictissimis Imperatoribus, et dicam, me ita ab officio ludibrio habitum, ac cum irrisione, et clamoribus derelictum. Cumque mane apertum esset palatium, et ille totus cacabatus intrare vellet ad Cæsarem, alii vir-

gis, alii pugnis, alii in faciem ejus exufflantes eum impingebant, alii quoque ridentes, alii irascentes eum expellebant, et vix potuerunt eum servi ad domum suam ducere, dicentes : Respice te, et respice. Clauserat autem Diabolus oculos ejus, nec poterat se ipsum attendere ; sed videbatur ei, quod totus mundus esset, niveis vestimentis indutus. Mens autem sana in eo erat, et soli oculi tenebantur a Satana, quibus Dei Martyres obscena mentis conamine respexerat. Interea putans ancillarum Dei maleficiis evenisse, coram publico tribunali jussit eas exspoliari, ut corpora earum nuda aspiceret, sed ita fixæ inventæ sunt vestes earum, ut quasi coria corporibus juncta putarentur. Hæc attendens Dulcitius, et consternatus, ita obdormire cœpit in tribunali, ut nec a pulsantibus posset excitari, sed sic dormiens sublatus est in domum suam, et ibi evigilavit. Hæc audiens Diocletianus, tradidit eas Sisinnio, qui sacrificare nolentes jussit vivas incendi. Cum ergo in ignem missæ, nec vestimenta earum arderent, dixerunt : Domine Jesu, ne ab hac hora patiaris nos loqui cum his, qui te verum Deum negaverunt. His dictis prostaverunt se in oratione, et immaculatis corporibus, intactis crinibus, integrisque vestibus, digesto igne repertæ sunt. In crastino etiam jussit Hirenam locari in prostibulo, sed apparuerunt ducentibus eam duo milites dicentes : Misit nos Comes, ut ducatis eam, ubi ego dico. Et duxerunt eam in supercilio montis. Tunc videns se delusum Sisinnius, eques perrexit ad montem, et videns eam orantem, tota die giravit eam, nec tamen potuit ad eam pervenire. Tetendit autem unus servorum ejus arcum, et jaculo perforavit eam. Et sic cum gloria pervenit ad Dominum. Quarum corpora Anastasia cum gaudio sepelivit, orans Dominum, ut earum particeps fieri mereretur. Vincent. L. XII, c. lix, lx, lxi et lxii.

Damnum. — Thomas Cantiprat. de carnali quodam et lascivo viro refert, quod, dum per viride pratum quoddam deambularet, omne gramen seu herba, quam pedibus suis attingebat, exsiccata et arefacta mox fuerit. Invenit vestigia præeuntis in gramine quasi igne contacta manifestissime palluisse. Idem quoque in eodem capite sibi a persona quadam, quæ hujus rei oculatus, et fidelis testis est, relatum fuisse subjungit, se vidisse locum in gramine, ubi de vespere quidam Clerici hoc vitio infecti consederant, de mane omnibus circum locis abundantissimo rore infusis, sine ullo rore , quasi sceleris conscium, siccissimum remansisse. Th. Cantip. lib. II, *Apum* c. xxx, n. 10.

Bollandus in vita viginti sex Martyrum in Japonia crucifixorum refert, Taicosamam Imperatorem de se protestatum fuisse, facile se quoque collum suum fidei Christianæ submissurum, dummodo sibi deinde consuetis suis voluptatibus carnalibus uti et vacare liceret. Bollandus, 5 *Febr.* n. 32.

In vita S. Francisci Salesii legitur, quod, cum is, Clemente VIII Pontifice Maximo suadente, Genevam se non sine ingenti vitæ discrimine contulisset, ut Bezam ab hæresi conversum Ecclesiæ Catholicæ denuo recuperaret, jamque illum habito cum eo discursu satis prolixo convictum lucratus fuisset, numquam tamen ad hoc illum permovere potuerit ut pedem suum e civitate Genevensi efferret ; cumque sanctus Præsul hanc ejus pertinaciam vehementer miraretur, Beza in sui excusationem juvenculam quamdam, quæ uxor ejus erat, coram sancto Episcopo prodire jussit, dixitque ei : Ecce obstaculum, quo ego retineor. Mansi, d. vi, n. 18.

In Galliis Guilielmus Edelinus inter Theologos emeritus, Prior S. Germani in Laya, magicæ impietatis crimine a Censoribus fidei damnatus est. Is ob laxatas libidini habenas, in tantum scelus lapsum se confessus est, furentemque impudicitiæ facibus ad satiandas cupiditates, quoties luberet, a maligno Spiritu ad magorum cœtum perduci solitum, et cacodæmonem arietis specie indutum adorasse, ut illustris feminæ amoribus Dæmonis ope potiretur. Rayn. anno 1453, n. 20.

Joannes Manlius Norimbergensis sequentem casum refert, prorsus horribilem. Cum enim scholaris quidam ex habito cum vidua quadam carnali commercio suscepisset filium , isque Baptismi suscipiendi causa delatus fuisset ad Ecclesiam, Parocho parentum nomina exquirente, nutrice vero ea edere detrectante, sine Baptismo suscepto, non sine utriusque parentis ignominia relatus est matri ; quæ contremiscens, suumque delictum in famam publicam abiturum esse formidans, sine Baptismi lavacro accepto strangulavit infantulum, injectoque collo suo resti semetipsam suspendio enecavit ; scholaris autem utriusque mortis se reum esse agnoscens, infixo in pectus suum ferro vitam sibi propria manu ademit. Quæ funesta fama cum ad aures Parochi perve-

nisset, hic se infantem sine Baptismo domum remittendo, funestis his eventibus causam dedisse considerans, laqueum collo suo inserens, desperabundus vitam finivit. Tandem auctor hujus historiæ ita concludit : Ergo oremus, et vigilemus, Satan non dormit; mille talia committuntur, sed tecta, tempore suo tamen in lucem eruenda. Mansi, d. XII, n. 18.

Bollandus in vita S. Antonini, Abbatis Surrentini, de Archipresbytero quodam refert, quod in pœnam lascivæ vitæ suæ a Deo contagiosa quadam et pestilentiali peste percussus, horridissimam *Elephantiæ* lepram contraxit, adeo ut in totius corporis superficie, ne unum quidem naturalis coloris signum notare potuisset, omnes eum fugiebant, cuncti præ contagii timore vitabant. Cumque omnia humanorum remediorum genera frustra tentasset, tandem ad hunc sanctum Abbatem confugit, qui eum nocte quadam in somnis curavit ; at vero notate diligenter, quid ei dixerit : Sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat ; cohibe vagam mentem, adstringe lubricam juventutem, abjice voluptatem prævaricatricem, et averte oculos tuos, ne videant vanitatem. Bolland. 14 Febr. c. VI, n. 23.

P. Hieremias Drexelius refert, quod Sacerdos quidam omnem possibilem adhibuerit conatum, ut libidinosum quemdam ad seriam induceret pœnitudinem ac resipiscentiam ; et primo quidem blandis illum ac charitatem spirantibus aggressus sit admonitionibus, cumque se per hasce nihil ab hoc lascivo homine obtinere posse cerneret, divinam illi proposuerit justitiam, peccati illius rigidissimam ultricem, demum vero illi protestatus sit, se illi e cœlo peccatorum veniam nequaquam promittere, aut sacramentalem ei absolutionem dare posse ; unde infelix homo obmutescens, plangere, et post singultus respondere cœpit, dicens : Pater mi, licet inferni portas mihi aperias, et dæmones ad me rapiendum in procinctu stantes viderem, attamen in prompta et proxima peccati illius committendi occasione constitutus, ab hocce peccato me continere nequaquam possem, licet certo et evidenter me subito post commissum peccatum in ignem æternum præcipitandum esse scirem. Drexel. *in Salom.*

Princeps cujusdam civitatis Presbyterum habebat sanctæ conversationis virum, et in divinis Officiis, præcipue in solemnitate Missarum indesinenter assiduum. Qui cum quotidie sacris mysteriis reverenter insisteret, Angelus Domini ex consuetudine veniebat, et vidente Principe sacramentum Dominici Corporis ex offerentis manibus assumebat. Sed quæ criminalis hujus vitæ lubrica et incerta conditio ! Nam qui Angelicis fruebatur mundis obsequiis, et in fœdæ luxuriæ voraginem repente prolapsus est. Quid plura? Peragendi sacri Mysterii tempus advenit, Presbyter consuetudine foris exigente compellitur, sed graviter intus conscientia remordente torquetur ; attamen ornatur, ad altare accedit, trepidat, palpitat, et offerre præsumit. Ecce Angelus, ut assuetus fuerat, venit, inspectante Principe spongiam infectam aqua super caput illius expressit, totumque corpus illius tergendo purgavit. Expletis autem Mysteriis, eamdem spongiam rursus expressit, omnesque sordes atque squalores, quos ex corpore illius ante contraxerat, membris ejus omnibus iterum superfudit. Viso Princeps admiratus obstupuit, Presbyterumque, semotis omnibus secrete convenit. Inquisitus itaque Presbyter, si novi aliquid criminis admisisset, primo quidem quasi perhorrescens, facinus abnegat; deinde sibi male conscius, ac Principis auctoritate compulsus, tandem, se corruisse nocte præterita in quamdam cubiculariam ejusdem Principis confitetur. *Specul. Ex. v. Luxur.* exempl. 3.

Erat quidam Monachus, cui habitaculum spelunca fuit, vir summæ abstinentiæ, quotidianum victum labore manuum suarum quærens, in orationibus diu noctuque persistens, cunctis animi virtutibus florens ; sed hic lætis successibus elatus, confidere quasi in suis profectibus cœpit, et non Deo totum, sed sibimetipsi, quod profecerat, deputare. Hanc autem ejus intuens animæ præsumptionem, continuo tentator accedit, et laqueos parat. Quadam namque die ad vesperam fingit speciem decoræ mulieris oberrantis per eremum, quæ velut fessa post nimium laborem, accedens ad ostium speluncæ Monachi, lassabundam se simulans ac fatigatam intrinsecus semetipsam projecit, et advoluta genibus viri, ut sui misereatur, exorat, dicens : Nox me infelicem in eremo latitantem comprehendit, jube me ergo requiescere in angulo cellulæ tuæ, ne forte efficiar nocturnis bestiis præda. At ille primo miserationis obtentu recepit intra

speluncam, requirens, quæ ei causa errandi per eremum fuerit. Illa causam fingit satis accurate, et interim venena blandimentorum, atque illecebræ virus circa omnem textum narrationis interserit, et nunc se miserandam, nunc etiam defensione indignam ostendens, elegantia et suavitate sermonis inclinat animam hominis, et in affectum sui illecebroso amore deflectit. Hinc jam blandiora colloquia, jocus, risusque commiscentur, manus etiam procax ad mentum, barbamque quasi venerandi specie prætendit. Tum vero palpare cœpit cervicem mollius, collumque leniter tangere. Quid multa? Ad ultimum mulier captivum ducit militem Christi. Continuo enim perturbari intra semetipsum, et libidinum fluctibus æstuare cœpit. Nequaquam laborum præteritorum, nequaquam professionis, ac propositi sui memor, pascitur cum cordis sui concupiscentia, et intra arcana cogitationum suarum fœdus cum falsa voluptate componit. Inclinat stultus latera sua, et efficitur sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, atque ubi obscenos jam conabatur inire amplexus, illa ululatum deterrimum diræ vocis emittens, umbra ut erat tenuis, per manus amplectentis elabitur ipsumque dedecorosis motibus inanes auras sectantem cum fœtidissima irrisione deseruit. Tunc præterea multitudo Dæmonum in aere ad hoc ipsum spectaculum congregata, clamore ingenti cum cachinno exprobrationis elato, dicebat : O Monache, qui te usque ad cœlum extollebas, quomodo demersus usque ad infernum ! Disce, quia qui se extollit, humiliabitur. Tunc ille velut amens effectus deceptionis suæ pudorem non ferens, gravius a semetipso decipitur, quam fuerat antea a Dæmonibus deceptus. Cum ēnim debuerit reparare semetipsum, et revocare certamen, ac satisfactionis suæ lacrymis, et humilitatis fructibus prioris elationis culpam deflere, hoc miser non fecit ; sed semetipsum desperans, sicut dicit Apostolus, « tradidit se omni immunditiæ et iniquitati. » Regressus est enim ad vitam sæcularem, præda Dæmonum factus. Refugit namque conspectum omnium Sanctorum, ne quis possit eum salutaribus monitis de præcipitio revocare. Si enim reddere semetipsum priori vitæ et abstinentiæ voluisset, et de immensa Dei misericordia (quæ neminem despicit, nemini sinum claudit, sed omnes pœnitentes benigne recipit) confisus fuisset, a Deo susceptus benigne et pie fuisset, et recuperasset sine dubio locum et gratiam suam. Ib. ex. 6.

Presbyter quidam nomine tantum sanctus et castus, Monialem altioris ordinis juvenculam sub Religionis specie procurabat. Nacta ergo occasionem, cum socia seniore juvencula Monialis Presbyterum visitavit. Pos lautos autem cibos, et potum immoderatum, Moniales in uno loco, Presbyter in altero quieverunt. Mane facto, vetula Monialis sociam juvenculam ad matutini executionem officii nisa est excitare. Quam cum strepitu primo, quia silentium tenebat, deinde pulsationibus attentasset excitare, nec profecisset, surgens quæsivit sociam, nec invenit. Turbata ergo cum tota familia Monialis, cum factum præ confusione celare vellent, nec possent, cum horrore et scandalo multorum, sicut inventa fuerant, amborum simul cadavera sunt sepulta. Thom. Cantipr. t. II, c. xxxix, p. 20.

Cum quadam die Palæmon et Pachomius ignem accendissent, Frater quidam dixit ad eos : Si quis est fidelis ex vobis, stet super hos carbones, et orationem Dominicam sensim pronuntiet. Quem B. Palæmon intelligens superbiæ tumore deceptum, commonuit dicens : Desine, Frater, ab hac insania, nec tale quid ulterius loquaris. Qui correptione senis non solum non profecit melius, sed plus elatione mentis inflatus stare cœpit super ignem audacter, nullo sibi imperante ; et cooperante Diabolo, et Domino permittente, nullatenus ignis attactu adustus est. Hoc itaque cum factum esset, postero die idem Frater mature proficiscens, ac velut exprobrans illis ait : Ubi est fides vestra ? Post non multum autem temporis cernens Diabolus hunc sibi per omnia mancipatum, transfigurat se in speciem mulieris pulchræ, et cœpit ostium cellulæ vehementer extundere ; qui cum aperuisset ei, ait ad eum Diabolus in forma mulieris : Obsecro te, quia nimis a creditoribus urgeor, et metuo, ne mala me comprehendant, recipias me in cellam tuam, quoniam debitum solvere nequeo, Deus enim me direxit ad te. Qui cæcitate mentis penitus obscuratus, nec intelligens, quis esset, qui talia sibi loqueretur, Diabolum miser recepit in suum exitum. Tunc hostis videns eum ad omne scelus proclivem, immisit in eum turpem concupiscentiam, qui mox cedens suggestioni ejus, quasi mulieris amplexus petivit. Quem Spiritus im-

mundus invadens elisit atrociter, et resolutus super pavimentum, vel ut mortuus diu permansit. Post aliquot autem dies tandem in se reversus, et dementiæ suæ sero pœnitens, ad S. Palæmonem venit, et cum magno fletu, quid sibi accidisset, exposuit, dicens : Agnosco, Pater, agnosco, quod ego causa perditionis meæ existam. Et subito correptus ab immundo Spiritu, de conspectu illorum prosilivit, et per deserta discurrens agebatur infrenis. Pervenit autem ad civitatem Panos, et ibi in fornacem sese præcipitans, protinus incendio interiit. Cæsarius, l. xviii, § 9.

Refert S. Ambrosius super Lucam, cap. iv circa finem, quia sæpe faciente mala consuetudine etiam ea concupiscimus, quæ sunt corpori atque sanitati, etiam ipsi vitæ omnino nocitura. Quoniam, inquiens, Theotimus, cum gravi oculorum incommodo laboraret, et amaret uxorem, interdicta sibi a medico facultate coeundi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis raptus moderari nequiverat; sciens enim et prævidens, quod oculos esset amissurus, postquam conveniret cum uxore, in ipso æstu ferventis cupiditatis et consuetudinis apparatu : Vale, inquit, amicum lumen ! Statimque expleta libidine interdicta sibi, luminibus suis orbatus est. S. Amb. *super Lucam.*

De Benedicto IX Papa narratur, quod, cum Waclus quidam iter ageret, et juxta molendinum transiret, repente monstrum immane conspexit, quo viso subito eum terror invasit, et stupefactus intremuit. Videbatur autem monstrum illud dumtaxat in aures aselli, caudamque desinere, cætera ursus erat. Cumque viator ad hoc portentum territus obrigesceret, fugamque præcipitem formidolosus iniret, informe prodigium humanæ vocis verba formavit : Noli, inquit, o vir, expavescere, hominem me olim fuisse, sicut et nunc es, procul dubio crede ; sed quia bestialiter vixi, post finem vitæ, bestiæ præferre speciem merui. Porro cum ille perquireret, quis fuisset ? Ego, ait, solo nomine Benedictus fui, qui nuper Apostolicæ sedis apicem indignus obtinui. Inquisitus autem, quid jam retributionis haberet ? Nunc quidem usque ad Judicii diem per dumosa atque squalentia, per sulphurea loca, et fœtores exhalantia, atque incendiis conflagrata rapior, et protrahor. Post extremum vero Judicium corpus meum, simul et animam irremediabilis cruciatus, et gehennalis barathri me irrevocabilis olla deglutiet, ita ut nulla mihi spes recuperationis in posterum restet. Post hæc vero verba disparuit. Sed cum ego, cur ille in hac specie conspectus sit, indaginem quæro, non deesse mysterium ab eo, quod visum est, deprehendo. Nam quia miserabilis ille ab illo funesti Pontificatus sui primordio usque ad finem vitæ in luxuriæ cœno versatus est, non incongrue visus est ab auribus incipere, et in caudam asini desinere. *Specul. Exempl. v. Luxuria, ex.* 16.

Carolus Magnus, religiosus Augustus, cum quadam solemni die Missam solita devotione audiret, Diaconus ejusdem Missæ lecturus Evangelium præcedenti noctu mulierculæ impudicis amplexibus se fœdare non timuit. Hoc itaque gravissimo piaculo cauteriatam habens conscientiam, Sanctum Evangelium legere præsumpsit, postmodum etiam sacris Mysteriis secundum officii sui exigentiam eadem impudentia ministerium manibus impuris exhibiturus, si non ultio divina obstitisset. Ecce namque dum verba labiis pollutis depromeret, aranea desuper a laquearibus Oratorii se per filum suum semel, secundo, et tertio super caput contaminati lectoris demittens, tertia vice ipso Imperatore aspiciente caput obscenum pupugit, ac sine mora miserum extinxit. Ibid.

B. Virgo Benedictæ insigni meretrici Florentinæ dixit : Pensa, filia, quod multi sunt æternaliter damnati, qui non tantopere peccarunt, ac tu. Et hoc ipso die puer submergetur, et damnabitur in Hispania, qui octo annorum existens cum sorore peccare voluit, etsi non potuerit id actu complere. Mich. ab Insul. *in tr. de Rosar.*

Luxuriosus Presbyter, dum nequidquam dehortante Abbate, nuptias celebrat, thalamumque ingreditur, semen simul et animam effudit. *Spec. Ex.* dist. i, ex. 96.

Lubecensis quidam juvenis, cum matrem irreverenter tractasset, ut libidini vacare posset, tandem ex materna domo in publicum prostibulum cum scorto aufugiens, cum omnes pecunias consumpsisset, fame et desperatione adactus cultro seipsum miserandum in modum interemit, ut fusius Drexelius describit, *in Niceta, c. ult.*

Quidam claris natalibus in Picardia diu in puellæ turpi consuetudine vixerat, et patrato homicidio, cum illa in arcem Moyencurtiam ditionis Comitis de Sault confuge-

rat, ubi, ne vivus in militum a Rege Henrico IV missorum manus veniret, nequidquam matre, sororibus ante castrum lacrymantibus, et Regis nomine impunitatem promittentibus, si veniam precaretur, maluit in insanis amoribus mori. Quare pyram instruxit, cui subjecto igne uterque imminens alter alterum, applicato ad caput sclopo glande trajecit, projectis in temporaneum ignem corporibus, animis in æternum ignem præmissis. *Pæd. Chr.* p. I, c. VII, §3, n. 8.

Ludovicus Goffredi, Sacerdos Massiliensis, cum reperto inter patrui libros magico volumine, ex eo Dæmonem evocasset, eique se ea conditione mancipasset, ut per triginta octo annos et valetudinem integram servaret, et cujuscumque mulieris usum procuraret; completis quatuordecim annis, quos Diabolus loco triginta octo subdole posuerat et ipse in omni licentia consumpserat, tandem ab ipso Dæmone ex ore obsessæ puellæ proditus, ignique adjudicatus, sine pœnitentia misere obiit. Ib. *Hist.* III.

Frater quidam senex cum in gravem incidisset ægritudinem, timens, diutius esse molestus Fratribus, et nequidquam dehortante Abbate Moyse, dicens mortuum esse corpus suum, in Ægyptum abiit, ubi virginem sibi fideliter ministrantem, postquam convaluerat, corrupit, genitumque et ablactatum filium in humeros suscipiens, atque ad Fratres rediens in Ecclesiam coram multitudine dixit: Videtis hunc infantem? Filius est inobedientiæ. Cavete ergo, Fratres, quia in senectute hoc feci, et orate pro me. *Vit. PP.* l. VI, l. *de Sor.* n. 12.

Adolescens amore Monialis insaniens, eo jam illam pellexerat, ut nocturnum tempus fugæ decerneret. Ad horam adest ille, et ecce templum apertum reperit, ingreditur; omnia lugubri cantu resonare, in ipso templi umbilico funus consistere, circum funalibus collucentibus advertit. Hinc illinc protensis super faciem cucullis considebant Monachi, Officium defunctorum terrifico vocis sono persolventes, anxius igitur aliquem de his Religiosis trahit, et cujus hæ sint exequiæ, rogat. Talis domini, respondit alter, ipsum suo nomine compellando. Attonitus, alterum vellicat, idem audit. Hic ad nomen suum, et feralem pompam totus tremens se mox proripit. Unde vix pedem e templo extulit, cum ingentes duo, ac nigerrimi molossi in eum insiliunt, et Moniali e muro opportune spectante miserrime discerpunt. Buling. *in trium. Cast. die* 2, c. XIII.

Chuiquisacæ in agro Peruano, vir conjugatus decem totos annos Confessionis officium intermiserat pellici turpiter addictus. Cujus hominis statum Sacerdos Societatis Jesu cum rescivisset, eum ad Confessionem invitavit et hujus obeundæ diem dixit. At adulter promissi pœnitens tempus destinatum non observavit; quin tota urbe otiosus cum ad defatigationem vagatus esset, domum rediit, cui occurrunt repente sex simii teterrimo aspectu, ac minaci, quos pone sequens agebat squalidus homo, facie horrenda, oculis ardentibus, meram spirans crudelitatem. E vestigio jussit simios pallentem, ac pavore contabescentem hominem vinculis constringere, adstrictoque acerbe verbera infligere; quod liberalius etiam fecerunt, quam jussi esse videbantur, pessimeque affectum pro desperato reliquere. Forte uxor domo abfuerat, quæ reversa maritum humi jacentem, immo emorientem offendit, mox Confessarium evocat; qui protinus advolans, defectum sensibus cum reperisset, expectavit, dum se via ostenderet, qua juvari posset miser. Redit sensus, at linguæ vis loquendi defuit; oculis tantum omnia tacitus arbitratur, atque attonito similis, ubi esset ignarus, ac simiorum iterato aspectu perculsus, quo se verteret infelix, non habebat. Consilium erat bestiarum infernalium, tantum terroris desperationis incutere homini, ut eo statu animam inquinatissimam recta in Tartarum abripiendam emittere. Quare si quando oculos in crucem attolleret, circumstantia monstra atrocissima quæque misero minitabantur. Sacerdos interim identidem lustrali aqua cubiculum aspersit; et tandem cum simii usque infestarent ægrum, depromptis S. Ignatii reliquiis ejus os ita attigit, ut linguam contingeret, postulantibus interim Divi suffragium circumstantibus. Secundum has preces flatum æger vehementem pectore emisit, cujus graveolentia omni mephiti tetrior omnes procul abegit. Spiritus hic fœtens secum eduxerat vim animum occupantis stygii Tyranni, sed non universam; detumuerat lingua, vox redierat, rigebant tamen livide immodicis plagis brachia, ut nec erigi, nec colligi ad crucis signum efformandum possent. Verum ea iis admota S. Patris lipsana mox colorem ac dein vigorem omnem restituerunt. Agnovit adulter

suæ impietatis et petulantiæ magnitudinem, proin resipiscens, omnem flagitiorum sentinam per Confessionem ejecit, vitamque egit puriorem. *Annuæ Prov. Per colleg. Chuig.*

Dominus quidam in Pedemonte suspectam conjugem de adulterio habens, cum simulato itinere noctu rediret, explorassetque, ingressus cubile armatus cum duobus aliis adulterum jubet a sua conjuge illico suspendi, ad quem finem ingentem clavum, quo axes curruum firmantur, afferri, trabique tabulati infigi ; allataque scala adultera reo cogitur funem injicere, quam in rem vetula socia sceleris, et internuntia jussa est, operam conferre. Homine misere sublato infamis lectus comburitur,cubile vero, omni supellectile elata, omnino vacuum, tantum straminis adhuc retinuit, quod pro duorum canum strato sufficeret. In hoc cubile conjux cum vetula clausa quæ fœtore suspensi illic cadaveris contabescerent; quem in finem januam fenetrasque omnes muro obduxit præter exiguum foramen, per quod aquam et panem captivæ acciperent; ita contabuere intra paucos dies. Scharz, *Commem. Rer. Mem.*

Cum Aurelianus Imperator Julianam jussisset in lupanari constitui, multi qui circumstabant, scelesti et nefarii homines, certatim contendebant, qui ad eam primus ingrederetur, erant enim velut equi hinnientes, ejus puellæ forma compulsi. Mox vero Angelus Domini descendit de cœlo et dixit : Ne timeas, Juliana, Dominus enim Jesus Christus quem tu colis, misit me, ut te protegam, et sanctum nomen ejus notum faciam omnibus timentibus eum. Cum vero impudici illi a cœpto illo minime desisterent, Angelus excussit e pedibus suis pulverem, et in eorum oculos injecit, ita ut eos excæcarit. Quapropter neque amplius cernebant ubi essent, aut quo irent, neque ad illam accedere poterant ; id cum turba vidisset, quod admirabiliter factum fuerat, uno animo clamabat : Magnus est Deus Pauli et Julianæ,qui ubique eos servat, et protegit qui illum timent. Qui autem excæcati fuerant, flexis genibus supplices ejus opem implorabant, dicentes : Juliana, serva Dei altissimi, peccavimus quidem contra te, cum stulte atque insipienter nos gesserimus ; sed tu da, quæsumus nobis veniam, ut Dei serva, et precare Christum tuum, ut nobis visum restituat. Eorum misericordia commota Juliana, paulum aquæ accepit, et cum oculos in cœlum extulisset, Deum invocavit, ita dicens: Domine Jesu Christe,auctor omnium salutis, exaudi me, et nunc etiam ostende miracula et prodigia quæ facis propter nos filios hominum ; restitue his viris facultatem videndi, ut sanctum et gloriosum nomen tuum celebretur. Hæc cum dixisset aquam supra turbam infudit, et omnes, qui excæcati fuerant, visum receperunt. Tum illi ad terram prostrati Deo gratias reddebant pœnitentiam agentes. Cumque peccata sua confessi essent, Christiani facti sunt. Metaph. *in vit. S. Pauli et Julianæ, Mart.* c. xvii, *apud Sur.* 17 *August.*

Rodericus, Gothorum Rex, in Hispania, Juliani Comitis Calabriæ filiam per vim stupraverat. Qua injuria motus pater ingentes adversus eum Saracenorum et Maurorum copias in Hispaniam advocarit, a quibus Rodericus cum filio est interfectus. Quo factum est, ut imperium tum Gothi in Hispania amiserint. Feruntur autem cæsa ex utraque parte septies centena millia hominum ; atque ita ruina et mutatio regni Gothici extitit a libidinis et luxuriæ pœna. *Ex Joan. Mag. Th. Pol.* l. VI, c. II.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Franciscus Xaverius tantopere aversabatur hoc vitium, ut contra impuram cogitationem in sommo obvenientem ad sanguinem usque certaret. *Vita.*

B. Aloysius adeo mulieres et luxuriam fugiebat, ut ei nativam cum his discordiam intercedere quis crederet. Nullam certe etiam consanguineam aspicere sustinebat. *Vita.*

P. Jacobus Laynes Romæ a femina ad flagitium allectus, tamquam sensus expers, et tamquam statua aliqua nihil sentiens, gravi oratione eam deterruit. Ipse tamen postea confessus est, consultius se facturum fuisse, si confestim aufugisset. *Hist. Soc.* l. VIII, p. II, n. 210.

P. Matthæus Boys, cum adhuc Novitius mensæ adhibitus verba aliqua impudica audivisset, tanto mox dolore et iracundia exarsit, ut ex oculis lacrymæ, ex naribus sanguis copiose profluxerit. *Annuæ* 1611.

P. Gabrieli de Logrono noctu vigilanti cum obscena cogitatio incidisset, nudus

prope e lecto prosiliens ad hydriam aqua gelida plenam accurrit, eaque a capite ad calcem usque maxima noctis parte se perfudit. *Annuæ* 1612. *Coll. Mexic.*

P. Laurentius Magius Romæ ad feminam ægrotam vocatus, cum ab illa ad flagitium sollicitaretur, spatium secedendi petivit, facieque tota stercore oblita rediens, eo spectaculo et fetore, mulieris flammas extinxit. *Ex Ms.*

P. Ferdinandus Paterna vocatus ad confessionem ignotæ feminæ, cum domum ingressus multas feminas reperisset, blandis primum verbis, postea vero aperta vi ad peccatum allicientes, invocato Deo, eoque quo potuit, modo eas repellens, concitata demum fuga aufugit. *Annuæ* 1614. *Coll. Gatin.*

Bartholomæus Mariana tantopere hoc vitium aversabatur, ut ne nominare quidem id unquam voluerit, sed circuitione verborum sit usus, ne vel solo nomine labra contaminaret. *Annuæ* 1598. *Coll. Brix.*

Joannes Berckmannus dicere solitus erat, eum, qui sit impurus, nequiorem fieri ipso Diabolo; hinc non poterat Confessiones S. Augustini unquam legere. *Vita*, p. II, f. 72 et 83.

EXEMPLA PROFANA.

Fuga. — Democles adolescens formosus, cum lavaturus advertisset, Regem Demetrium sua forma captum, detracto vicini aheni operculo in ferventem aquam insiliit. Plut. *in vita Demetr.*

Spurina advertens formam suam ad inhonesta illicium esse, oris decorem vulneribus confodit, maluitque tantam elegantiæ, quam minimam verecundiæ jacturam facere. *Drex. in vita Jos.* c. IV.

Democritus oculos licentiores evagari nec redire sine fœdis cogitationibus deprehendens, seipsum utroque lumine privavit, malens cæcus, quam impudicus esse. Ibid.

P. Scipio Africanus captivam virginem, et formæ excellentiam ævi sui miraculum, nec quidem videre voluit, ne a libidine vinceretur, qui tot civitates expugnasset. Gell. *Noct. Attic.* c. VIII.

Baldinus Orientis Imperator absente conjuge, ne aspexit quidem ullam feminam. Bis quavis hebdomada promulgari jussit, ne quis in Palatina domo dormiret, qui alienam feminam attigisset. Drex. loc. cit.

Qualitas. — Proculus Imperator Romanus eo jactantiæ infamis prorupit, ut assereret, se spatio dierum quindecim centum virgines in Sarmatia bello captas ingravidasse. March. *Tub. Sac.* tr. II, lec. v.

Periander Corinthius inter septem sapientes numeratus adeo insatiabilis fuit luxuriæ, ut cum propria uxore Melissa, vel, ut aliis placet, meretrice post mortem ipsius congressus fuerit. Herodot. l. V.

Damon Peripolsa, insigni forma adolescens, videns Romanum quemdam Præfectum, stuprum sibi per vim machinari, eumdem cum aliquot sociis fuligine tectis in foro sacrificantem interemit. Ravisius *text. in Offic.* l. V, c. LIII.

Quidam Thracum Princeps Timocliæ Thebanæ mulieri per vim inferens stuprum, ab ea ad puteum ductus est plurimum auri ibi latere mentiente, cui, dum pronus inhiat, ab ea in puteum præcipitatus, et lapidibus obrutus est.

Improba libido subegit Sextum Tarquinium ad stuprum Lucretiæ inferendum, in quo eo majus flagitium extitit, quo minus hæc alienæ libidini connivebat, cæterum exitus non minus isti (siquidem patria pulsus est) quam huic, quæ seipsam interemit, funestus fuit. Ibid. Sab. l. IV.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut si filius Regis purpura indutus in luto se volveret, merito insanus judicaretur; ita non minus insipiens censendus est, qui purpura gratiæ divinæ ornatus se in luto venerearum voluptatum volutat. Nieremb. *in lib. de Ador.*

Sicut si coctus laterculus in fluvium abjiciatur, diu ibi salvus permanebit, secus vero si coctus non fuerit; sic homo divinæ charitatis igne accensus etiam in tentationibus subsistet, non item qui eo igne caruerit. *Vitæ PP.* l. VII c. II, n. 1.

Sicut spongia humida admota subjectam humiditatem haurit, participatque; ita quoque cogitationis infirmitate laborans, si ad carnales homines accesserit, aut multum cum his sermonem miscuerit, commune cum iis damnum participabit. S. Ephr. *Orat. de Abstin. a consuet. perv.*

Sicut nauclerus in portu naufragium fa-

ciens non meretur veniam; ita nec is, qui post nuptialem portum illicitæ libidini vacat, defensionem habebit. S. Chrys. h. III. *de Ozia.*

Sicut oleum cutem mollit, sed interiora mordet; ita libido petulantiam carnis provocat et auget, sed animam stimulis conscientiæ pungit. Drex. *in Tob.* p. 1, c. XII. §2.

Fuga. — Sicut certa ægritudine laborantibus prodest, ut cibi noxii ne oculorum quidem obtutibus offerantur; ita plurimum confert ad depellendam luxuriam, ut etiam ab aspectu objectorum allicientium caveatur, juxta illud : Procul ab oculis, procul a mente. Cass. l. VI, c. III.

Sicut si quis aliquem eo pervenisse impudentiæ cerneret, ut nudus incedere, cœnoque corpus mergere non erubesceret, commiseratione potius, quam imitatione dignum censeret; ita et is, qui luxuriæ sordibus se inquinare sine rubore consuevit, deplorandus potius, quam imitandus est. Dadræus *in Loc. Com. V. eod.*

Damnum. — Sicut animalia diu in stercore jacentia deturpantur, et computrescunt; ita homines in hoc vitio diu hærentes, Deo penitus abominabiles fiunt; jumenta quippe in stercore computrescere est carnales in fœtore luxuriæ vitam finire. S. Greg. l. XXIV *Mor.* c. VI.

Sicut cimex vivus magnam corpori, cui adhæret, molestiam creat, nec quiescere sinit, si vero comprimatur, tetrum odorem afflat, et maculam in cute relinquit; ita libidinis vitium carnem non sinit quiescere, donec turpitudinem operetur, quæ fœtorem et maculam in corpore et anima relinquit. March. *Hort. Post.* tr. IV, lect. VIII, prop 2.

Sicut illi, qui post ebrietatem ad se redeunt, guttur ex vini fœcibus magna ariditate infectum experiuntur, ita ut vinum nauseent, et aquam desiderent; ita post usum luxuriæ cor amaritudine pœnitentiæ repletum detestatur voluptates præteritas, et lacrymas, quibus amaritudinem fuget, expetit. Ib. prop. 3.

Sicut tinea sine sonitu perforat vestimentum; ita cogitatio prava sine eo, quod mens sentiat, eam aculeo admissi desiderii transfigit. S. Greg. I *Mor,* c. XXV.

Sicut hostis adversarium suum, si omnino occidere non potest, vulnerare saltem, quantum potest, conatur; ita Dæmon si non potest omnino in consensum aut morosam delectationem pertrahere, saltem simplici delectatione animum humanum corrumpere ac vitiare conatur. Jac. Alv. t. II, l. I, p. 2, c. V.

Sicut spinæ meliorem, magisque substantiosum terræ humorem imbibunt, sterilemque et infecundum bono semini relinquunt; ita pariter voluptates carnis intellectum, affectum, aliasque animæ potentias adeo absorbent, sibique attrahunt, ut pro applicatione sui ad res divinas omnino steriles remaneant, naturam nostram corruptam ad voluptates totaliter inclinant, ideoque a corporis maceratione, a jejuniis, disciplinis, oratione, solitudine, aliisque pietatis exercitiis horrorem et aversationem concipiunt, omniaque bona proposita deserunt; unde sequitur, quod, ut S. Philippus Nerius dicebat, quantum amoris creaturæ, quam amamus, tribuitur, tantumdem postea Creatori subtrahitur. Mansi, d. I, n. 5.

Sicut caro porcina cum comeditur, nostræ adhæret carni, ut jam sit una caro; sic transgressor præcepti Dominici spurcos sibi sociat spiritus, et adhærendo eis, unus cum eis efficitur Dæmon. S. Bern. *s. de S. Benedicta.*

Sicut perversi quidam et subdoli homines, quorum studium est, et propositum ex aliorum bonis ditescere, eam tamen potentiam non habent, ut aperta violentia utantur, vias insidiose obsidere solent, et si locum aliquem circa illas, aut convallibus profundis interruptum, aut dumorum densitate obscurum viderint, in illum sese abdunt, et hujusmodi velamento viarum circumquaque conspectum, ne prævideantur, amoliti; ex opinato illos adoriuntur, ne quisquam eorum laqueos periculosos videre prius queat, quam in illos incidat. Ita et Satan infensus nobis et antiquus hostis, mundanarum oblectationum umbris sese insinuans, quæ periculose circa vitæ hujus viam latronem occulere solent, et latibula præbere insidiarum, inde improvisos nobis perditionis laqueos obsternit. S. Basil. hom. XXXVII.

Sicut labra phialæ melle imbui solent, in qua potio aliqua medicinalis et amara, valdeque fastidiosa propinatur, ut prælibata hac dulcedine, potio illa tanto avidius epotetur; ita et Diabolus per rerum carnalium concupiscentias, et illicitas voluptates extrinsecus blanditur, intrinsecus insidiatur, interficit spiritum, dum oblectat affectum; modo delectat peccare, sed postmodum non delectabit ardere. S. Euseb. Emiss. h. III. *de Ep.*

Sicut homo nobilis, cum in ebrietate obliviscitur suæ nobilitatis, status ejus exhonoratur, et irridetur pretiositas ejus propter alienas cogitationes, quæ supervenerunt eidem ex vini virtute; ita castitas sacri viri turbatur ab incauta mulierculæ locutione, et eradicatur ab illa omne sustentaculum laudabilis status sui. Presb. *de Conc. mundi.*

Sicut corvus in cadaveribus primum oculos petit; ita Diabolus in hominibus carnalibus intellectum discretionis extinguit, et sic per oculum cerebrum extrahit, quia extincto discretionis intellectu sensum mentis evertit. Hugo de S. Vict. *l. de Mon. Inst.* c. xxxv.

Sicut virginitas hominem æquat Angelis, immo plus eum facit, quam Angelum; ita luxuria hominem quasi bestificat, et, ut ita dicam, multo pejorem bestia ipsum facit. De nullo alio peccato legitur dixisse Deum, se pœnitere fecisse hominem. S. Euseb. *Episc. ad Dam.*

Sicut avis, quæ in viscum incidit, captam se esse sentit, et evadere quidem hinc inde millies nititur, nec tamen videt, quod per illas alarum concussiones et agitationes plumarum se visco tanto tenacius innectat; idem quoque ei accidit, postquam rete ingressa fuit, tunc enim inde se quidem proripere nititur, sed quanto id impensius facere conatur, tanto pluribus ipsa vinculis et funibus implicatur. Idem quoque circa hominem carnalem contingit, quia tametsi nonnumquam bonam habeat voluntatem, qua vellet deinceps non amplius per hoc peccatum offendere Deum, et se ipsum, nihilominus quo magis conatur evadere, tanto magis implicatur. Mansi, d. 18, n. 2.

Sicut sagena totum fluvium occupat, et nullus piscis effugit; sic cor mulieris totum vicum vel civitatem, vel regionem, in qua habitat, occupat, et omnes capit voluntate et desiderio, licet multi effugiant eam, nullus tamen effugit cor ejus. Hugo Card. *in Eccl.* c. vii, 27.

MOTIVA.

Quia hoc vitium *amplitudine, diuturnitate et fecunditate* omnia alia vincit; nam, uti recte S. Chrysostomus dixit, ex hoc malo quasi ex fonte nascuntur ebrietas, crapula, magna injustitia, avaritia et innumera alia mala. S. Chrys. h. xxi. *in Gen.*

Quia est *insatiabile*; hinc hydræ non immerito comparatur, cui, si unum caput abscideris, aliud excrescit. Clarius vero Salomon idipsum confirmans: Tria sunt, inquit, insaturabilia, et quartum, quod numquam dicit: *Sufficit!* Infernus, et os vulvæ, et terra, quæ non satiatur aqua. Ignis vero (præcipue luxuriæ) numquam dicit: *Sufficit!* (Prov. xxx, 16.) Quod etiam confirmans Idiota ait: Amor carnalis insatiabilis est, extinctus reaceenditur, et post copiam rursus inops fit, animumque virilem effeminat, et præter passionem, quam sustinet, nihil sinit aliud cogitare, quia rationis oblivio est. Idiota, c. xxxiv. *de Amor div.*

Quia est *immedicabile propemodum*; nam, uti recte Lactantius dixit, quasi clavis suffigitur anima corporeis voluptatibus, et cum semel adhæserit cupiditabus demersa terrenis, difficile in altum potest, unde descendit, sine Dei favore revolare; actuum enim suorum vincta laqueis, et sæcularium deliciarum illecebris obnoxia jam tenetur. S. Ambr. *Luc.* c. iv.

S. Chrysostomus vero non horruit dicere, tam difficile esse luxuriosum castitati, quam mortuum vitæ restituere. (S. Chrys. h. xxiii. *ad Pop.*) Cujus rationem reddit S. Hieronymus, quia avaritia cum marsupio, superbia cum vestibus deponitur, at libido carni insita est; carnem vero quis deponet? Hinc sicut cum silvam ignis corripit, non opus est pabulum apponere; ita nec libidini necesse est nutrimentum aliud sufficere, cum carnem ad manum habeat. (S. Hier. *in Reg. Monach.*) Quam ob causam Oseas dixit: Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum, quia spiritus fornicationis in medio eorum est, et Deum non cognoverunt. (Oseæ v, 4.) Et Tertullianus luxuriam inenatabile excussis profundum, inextricabile impactis naufragium, et irreparabile devoratis hypobrychium vocat. Tertull. *l. de Idol.* c. xxiv.

Sed et S. Ambrosius sapienter advertit, in tantum anima agglutinatur corpori, ut in ipsomet momento nihil aliud cogitare homini liceat, aut intendere, quia ipsam mentem captivam subdit ipsa submersio et absorbitio libidinis et concupiscentiæ carnalis. (S. Ambr. *in* I. *Cor.* vii.) Et confirmans idipsum S. Hieronymus: Cætera peccata, inquit, post factum pœnitudinem habent, et licet invitent, tamen mordet conscientia; voluptas sola et libido etiam in ipso tempore

pœnitendi, præteritos stimulos patitur, titillationem carnis et incentiva peccandi, ut per hæc, quæ corrigi cupimus cogitando, rursus sit materia delinquendi. (S. Hier. III. ep. CXLVII. *ad Am.*) Quod ipsum etiam Rupertus Abbas sensit dicens : Luxuria cum hominem imbuerit, numquam dicit, *sufficit* ! et licet ad horam extinguatur sitis ejus, statim exardescit, ait ergo : Fornicati sunt, et non cessaverunt, nam et usque ad decrepitam ætatem in cœno libidinis computruerunt. Rupert. Abb. l. II. *in Osee.*

Quia *bestiale, et Christiano homine indignum est* ; hinc a Davide luxuriosi equis et mulis, quibus non est intellectus ; a S. Petro sui in volutabro luti lotæ ; a S. Juda Apostolo fluctibus feri maris despumantibus suas confusiones comparantur.

Quia hoc vitium *summe perniciosum est* : 1. *Corpori*, cum, Avicenna teste, plus uno actu venereo debilitetur corpus, quam si quadragesies tantum emitteret sanguinis ; hinc, ut S. Chrysos. loquitur, luxuriosi resoluta circumferunt corpora, atque agmine quodam infirmitatum repleta ; unde semper est eis vita cum medicis et medicamentis, sensus autem ipsi tardi, graves, obtusi, et quodammodo sepulti. (S. Chrys. *in h. Nemo lœditur.*) Et præterea *morbos gravissimos creat*, uti Pineda ostendit dicens : Exsolutio virium, cruditates stomachi, sensum hebetudo, tremor et dolor articulorum, dolor renum, cerebri, capitis, dolor artuum, ilium, cordis, hepatis, pulmonis, dentium, oris graveolentia, alopecia, id est, capillorum defluxio, palpebrarum demissio, cæcitas, sputum sanguinis, ulcera, febris hectica, phtysis, apoplexia, paralysis, epilepsia, fœda scabies, atque omnia mala. Pined. *in* c. VII. *Eccl.*

2. *Animæ* ; est enim ignis usque ad perditionem devorans et omnia eradicans germina. (Job. XXXI, 12.) Et ut Boetius dixit :

> Habet omnis hoc voluptas,
> Stimulis agit furentes,
> Apiumque par volantum,
> Ubi grata mella fudit,
> Fugit, et nimis tenaci
> Ferit icta corda morsu.

Hinc Salomon : Favus distillans labia mereticis ; novissima autem ejus amara quasi absynthium et acuta quasi gladius anceps. Prov. V, 3.

3. *Fortunis et opibus*, quas plerumque luxuriosi ad exemplum filii prodigi cum meretricibus dissipant. Id quod aliqui recte deducant ex visione, quam Pharao de septem vaccis Nili ripam pascentibus habuit, quæ pulchræ nimis obesis carnibus erant ; « et ecce has sequabantur aliæ septem, in tantum deformes et macilentæ, ut numquam tales in terra Ægypti viderim, quæ devoratis et consumptis prioribus, nullum saturitatis dedere vestigium, sed simili macie, et squalore torpebant. » (Gen. XLI, 18.) Omnia in figura contingebant illis. In Ægypto namque hujus mundi, vaccæ tenues et macilentæ, devorant crassas et obesas, dum lascivæ mulieres proficiunt, et ditantur in pecunia, munusculis, aliisque bonis terrenis, quæ de illorum manibus accipiunt, qui in illarum inhonesta societate turpes appetitus suos exsatiant et explent ; quia qui nutrit scortum, perdit substantiam.

S. Bonaventura breviter enumerat damna, dicens : Damna luxuriæ sunt sex. Primo, hominem ducit ad maximam paupertatem, aufert gratiam et gloriam, et propriam substantiam. Secundo, dejicit in pessimam servitutem, facit, quod vilior et turpior pars, quæ est in homine, dominetur ei. Tertio, projicit hominem in maximam vilitatem, quia hominem, qui similis est Deo et Angelis, facit esse parem brutis. Quarto, privat hominem omni ratione, sicut animalia bruta turpiter infatuat. Quinto, acriter mortificat, occidit morte culpæ, infamiæ, gehennæ. Sexto, fortiter illaqueat. Jacob Ruben filio suo dixit : « Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui ; » at vero quænam est inter effusionem insipidi hujus elementi, et commissum a Ruben incestum proportio ? Hæc nimirum, quia sicut aqua dum e vase maxime vitreo effunditur, nihil in eo relinquit odoris, saporis, aut substantiæ ; ita quoque hoc carnis vitium omnia bona ab homine tollit, judicium videlicet, rationem, prudentiam, spiritum, famam, facultates, sanitatem, conscientiam, imo etiam persæpe vitam. Dicit enim Sapiens : « Qui nutrit scortum, perdet substantiam, et ideo Terentius lascivam feminam fundi calamitatem appellat. S. Bon. *in Dict. sal.*

Quia *totum hominem pervertit ;* uti S. Bernardinus ostendit, dicens : Per creaturam spiritualem Deus regit corporalem, per creaturam nobilem, ignobilem, per Angelos movet cœlos, per cœlos movet inferiora, per Principes et Reges regit populares. In

luxurioso pervertitur hoc dominium, quia, cum anima deberet carnem regere, totus homo pervertitur, et homo efficitur caro, juxta illud Geneseos : «Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. » (S. Bern. tom. III,s. xi.) Et fusius clariusque demonstrat S. Thomas, dum ait : Per vitium luxuriæ maxime appetitus inferior, scilicet concupiscibilis vehementer intendit suo objecto, scilicet delectabili propter vehementiam passionis et delectationis, et ideo consequens est, quod per luxuriam maxime superiores vires deordinentur, scilicet ratio et voluntas. Sunt autem rationis quatuor actus in agendis. Primo, simplex intelligentia, quæ apprehendit aliquem finem ut bonum, et hic actus impeditur per luxuriam. Et ideo Daniel duobus illis judicibus senibus libidinosis dixit : « Species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum, » utpote quæ cæcitatem in mente et intellectu inducit. Secundus actus est consilium de his, quæ sunt agenda propter finem ; et hic etiam impeditur per concupiscentiam luxuriæ. Nam ut Terentius auctor gentilis de luxuria inquit : Quæ res in se neque consilium, neque modum ullum habet, eam consilio regere non potes, et hinc nascitur præcipitatio, quæ consilii subtractionem importat. Tertius actus est judicium de agendis, et hic etiam impeditur per luxuriam. Unde Daniel de prædictis lascivis senibus loquens dicit : « Everterunt sensum suum, ut non recordarentur judiciorum justorum; » et hinc derivatur inconsideratio. Quartus autem actus est præceptum rationis de agendo, qui etiam impeditur per luxuriam, in quantum scilicet homo impeditur ex impetu concupiscentiæ ne exequatur id, quod decrevit esse faciendum, citatque eumdem Terentium in *Eunucho*, qui cuidam, qui amasiæ suæ renuntiare statuerat, respondit : Hæc verba una falsa lacrymula restinguet. S. Thom. II, qu. cliii, a. 5.

Quia *specialem Deo injuriam irrogat ;* ut S. Augustinus pathetice sequentibus verbis ostendit : Imo quod gravius est, ipsi Deo injuriam et contumeliam infert. Intelligat sanctitas vestra ; etenim, quod fieri tibi non vis, aliis ne feceris, ad duo præcepta pertinet. Quomodo pertinet ad duo præcepta ? Si homini non feceris, quod pati non vis ab homine, ad proximi præceptum pertinet, ad dilectionem proximi ; si autem quod non vis pati ab homine, ipsi Deo vis facere, quid est hoc? Non facis alteri, quod pati non vis ? Charior tibi factus est homo, quam Deus ? Ergo quomodo injuriam facio, inquis, ipsi Deo ? Corrumpis te ipsum, et unde injuriam facio Deo, quia corrumpo me ipsum ? Unde facit tibi injuriam, qui voluerit forte lapidare tuam tabulam pictam, in qua tabula, tua imago est, in domo tua inaniter posita ad vanum honorem tuum, nec sentiens, nec loquens, nec videns? Si quis illam lapidet, nonne in te esse contumeliam factam attendis ? Cum vero imaginem Dei, quod es tu, corrumpis in te per fornicationes, et per diffluentias libidinis; attendis, quia ad nullius uxorem accessisti, et non attendis per libidines et illicitas fornicationes, cujus imaginem violasti. S. Aug. l. I, *de Decem Chordis.*

Quia *ipsis Dæmonibus est exosum*, uti Glossa sequentibus verbis indicavit : Fornicationis in opere totus homo absorbetur a carne, ut jam dici non possit animus suus esse, sed simul totus homo possit dici caro; et ideo dicunt alii Doctores, quod sunt aliqui Dæmones qui memores antiquæ suæ nobilitatis, tentare de luxuria dedignantur; et est signum ad hoc, quod Lucifer tentans Dominum, non dicitur eum tentasse de vitio carnis. Glossa, in c. vi, I. *ad Corinth.*

MEDIA.

Primum et præcipuum semper ab Ascetis æstimatum est *Fuga*, quæ quidem triplex esset debet. Prima *cogitationum* est *fuga*, ut scilicet quam primum tentatio hac in materia occurrit, statim ad alias cogitationes se tentatus convertat, et ut supra a Fratre isto Ægidio Franciscano factum vidimus, dicat : Extra, extra, quia hospitium captum est, et ideo hic recipi non potestis. Cujus rationem pulchram reddens S. Joannes Damascenus : Quemadmodum, ait, corpori usus libidinis carnisque vicinitas, ita etiam menti memoria ejus penitus subtrahenda; satis enim perniciosum est adhuc infirmis, ægrisque pectoribus, vel tenuissimam recordationem hujus passionis admittere, ita ut nonnumquam eis etiam sub recordatione sanctarum feminarum, velut sub sacræ lectionis historia noxiæ titillationis stimulus excitetur. (S. Joan. Damasc. *de Fine cœnobit.* c. xvi.) Hinc recte S. Anselmus pronuntiavit : Cum aliis vitiis potest expectari conflictus, hæc fugienda est, quia aliter melius vinci non potest. (S. Ans. in c.

VI, I. *ad Cor.*) Secunda *fuga occasionum* est; nam ut sapienter S. Basilius advertit, non in eo tantum laborandum est nobis, ut motus animi in cogitando moderemur, sed quoad fieri possit, ab earum etiam rerum congressu longissime fugiendum est cum primis, quocumque in conspectu nobis adductæ, refricata libidinum memoria, consilium, rationisque vim nobis perturbant, bellaque, et sollicitos in animo angores cient; etenim bellum, quæ præter voluntatem nostram incitant, nobis excipere fortasse necessarium sit, ipsum vere aliquem sibi voluntarie creare, summæ stultitiæ est. (S. BASIL. *in Constit. Mon.* c. VI.) Hinc sicut Romani, inquit Josephus Mansi, olim cum nullo inimicorum pacem inire solebat, quam diu hostis armatus erat; unde qui cum Romanis de pace tractare volebat, huic necessario omnia armorum genera deponenda erant; eodem modo ad propositum nostrum dicere possumus, qui Deum sibi reconciliare, et stabilem cum eo pacem inire cupit, prius armis omnibus renuntiare et cedere, id est, prius omnes occasiones et incentiva peccandi a se arcere debet; deponat arma iniquitatis peccati, nuntium suspectæ illi conversationi remittat, fenestram claudat, comburat amatorias litteras, abjiciat amasiorum effigies. Incerta victoria est, inquit S. Cyprianus, inter hostilia arma pugnare. Quam ob causam et Moyses olim, teste S. Ambrosio, comminuit vituli caput, illudque in pulverem redegit, ut omnia impietatis aboleret vestigia, vel potius ad propositum nostrum, ut omnia lasciviæ aboleret vestigia; vel ut interpres quidam modernus ait, ut significaret, ne pulverem quidem peccati in homine remanere deberet, sed omnia consumi oportere, quod quando homo non facit, sed aliquas occasiones relinquit, arbitrans illas parum nocere posse, quia minima sunt, ex illis occasionem et audaciam accipit Diabolus, ut redeat. (S. AMBROS. *ad Rom.*) Tertia *fuga mulierum* est; nam quemadmodum splendorem lucernæ alit oleum, sic et colloquium mulieris ignem reaccendit voluptatis. Utique scintilla diutius si immoretur adhærens paleis, erumpit in flammam; sic memoriam cujuspiam mulierculæ, si vel tantillum duret, incendium excitat concupiscentiæ. Hinc recte monet Hugo Cardin. Noli commorari, nisi velis comburi, species enim mulierum, et eloquium, et gestus, et ornatus, et quidquid in ea, flamma est ignis. (HUG. CARD. *ap. Mansi*, disc. III, n. 10.) Imo ad ignem potius ardentem, ait S. Nilus, quam ad mulierem appropinqua, nam si ad ignem accesseris, dolore affectus celeriter resilies, at si feminæ verbis incensus fueris, haud ita facile recedes. Sic Joseph Ægypti Prorex, ut impudicam dominam evadere posset, pallium, quo apprehensus fuerat, reliquit, et fugit. (S. NIL. *de Septem Vitæ Ass. Gen.* XXXIX, 12.) Ergo contra libidinis impetum apprehende fugam (infert S. Augustinus) si vis obtinere victoriam. Non tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere. (S. AUG. in s. XXV, *Dom. post Trin.*) Nam, ut recte Origenes dixit, ista fuga est, quæ habet salutem, ista fuga virtutis est, ista fuga beatitudinem confert. ORIG. h. VIII.

Hinc et aliqui finxerunt, Daphnidem virginem, dum impudicum Leonem fugit, in laurum conversam.

Nutrimentum tollere; uti S. Ambrosius suasit, dicens : Transiliamus ergo eam, ne nobis dicatur : Ambulate in igne flammæ vestræ, quam accendistis, quoniam sicut ille, qui alligat ignem in sinu, vestimenta comburet; sic qui ambulat per ignem, pedes comburat, necesse est, quoniam scriptum est : Ambulabit quis super carbones ignis, pedes autem non comburet? Libido gravis ignis est, ideo non demus illi alimenta luxuriæ; pascitur libido conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate inflammatur. S. AMB. l. I, *de Pœn.*

Orationi ferventer incumbere; ut enim ignis igne, ita fervor carnis fervore ardentis orationis pellitur; qua in re pulchrum exemplum S. Chrysanthus Martyr reliquit. Hic enim Christianus factus, fidem Christi publice annuntiabat; quod cum in patris sui notitiam devenisset, hic timens, ne ob id facultates suas pariter, et filium ob tyrannorum persecutionem amitteret, filium suum in obscurum carcerem conjectum pane tantum et aqua nutriri jussit; cum vero per hoc nihil proficeret, quin potius filius ejus constantior Christi confessor per hanc patris sui sævitiem evaderet, hoc patri a certo quodam viro propositum est consilium : Si filium tuum ab hac usurpatione conaris eripere magis eum deliciis et voluptatibus occupa, et cujuscumque elegantissimæ atque prudentissimæ puellæ conjugio trade, et cum didicerit esse maritus, obliviscetur esse Christianus. Audiens hoc pater jubet sericis vestibus strata parari, ipsum quoque confe-

rens de squalida habitatione, vestibus fecit pretiosis indui, et ponere eum in triclinio, elegit quinque pulcherrimas virgines ex ancillis suis, et accuratis vestibus et ornamentis composuit, et cum Chrysantho posuit, et comminatus est eis : Nisi vos vestris jocis et amplexibus eum revocaveritis ab intentione Christianitatis, faciam vos diversis interimi suppliciis. Quonam vero armaturæ genere sanctum hunc juvenem in hoc periculoso certamine usum fuisse existimatis? Jacebat in oratione immobilis, et oscula earum quasi viperas spernens, clamabat ad Dominum dicens : Exurge, Domine, adjuva me. Adversus omnes hos sibi intentatos muliercularum insultus, scutum sibi assumpsit orationis, et omnes illarum conatus gloriose devicit. Nimirum hoc genus Dæmoniorum non ejicitur, nisi per orationem et jejunium. Hinc Salomon dixit : Scivi, quia aliter non possem esse continens, nisi Deus det. Et merito; sicut enim militiæ dux, cui castrum aliquod commissum est, videns illud ab hostibus, quibus imparem se credit, obsidione cingendum, mox ad castri dominum litteras mittit, auxiliumque petit; ita idem in simili hoc casu agendum, dicendumque cum S. Augustino : O amor, qui semper ardes, et numquam extingueris, Charitas Deus meus, accende me. Continentiam jubes, da quod jubes, et jube quod vis. S. Bern. tom. IV, s. 21.

Tribulationibus exerceri, quod medium S. Bernardus præcipue suasit, dicens: Sit ergo gaudium in tribulatione, et jam non habet malignus, unde alliciat; non habet, unde dejiciat. Nihil proficiet inimicus in eo, quem Crux Christi delectat, si carnalem suggesserit delectationem. S. Bern. *Serm. de S. Andr.*

Pœnas luxuriæ destinatas ponderare, uti Salomon suasisse videtur, dum dixit ; Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis. (Eccl. II.) Quod clarius exprimens S. Bernardus : Ardor gehennæ, inquit, extinguat in te ardorem luxuriæ, major ardor minorem ardorem superet, stridor flammarum horribilis amorem depellat libidinis. (S. Bern. s. xxv. *De Modo bene viv.*) Quo medio Laurentius Fucci Capuccinus usus est, de quo P. Joannes Rho refert, quod quia is Forolivii gravibus invecturis contra peccatum carnis detonarat, hinc quædam impiorum et lascivorum hominum fex, quæ intra se contra ipsum conjurarat, nocte quadam in conclave, in quo ipse concionum studio incumbebat, conductam quamdam introduxerint meretricem, quæ eum ad carnis peccatum sollicitaret ; sed quibusnam armis defensivis ipsum in periculoso illo certamine usum fuisse existimatis? Ubi flammam circa se animadvertit, libris intentus, immotusque, ac si nihil acturus esset, scorto ne quidem appellato, digitum lucernæ flammæ admovet, constanterque in illa tenens, donec caro diflueret, incredibili animi, pariterque corporis patientia. (Joan. Rho, I. VII, c. II, § 11.) Merito ergo S. Isidorus hortatur : Propone tibi adversus præsentes carnis ardores, futuri supplicii ignes; superet æstum libidinis, recordatio æterni judicii; memoria ardoris gehennæ, ardorem excludat luxuriæ; fornicationis pœnam, metus gravioris supplicii vincat; fortior dolor dolorem minorem exceperit. (S. Isid. t.I, *Synon.*)

Meminisse, se Christi membrum esse; uti S. Anselmus suasit, dicens : Propter Christi reverentiam, cujus membrum est corpus ejus, contineat se ab hac turpitudine, magnam enim injuriam, magnumque contemptum Christo faciet, si ei meretricem prætulerit, separans se a Deo, et adherens scorto. (S. Ans. in I *Cor.* c. xvi.) Quod confirmans Venerabilis Beda, sic discurrit: Si est alienum corpus, non est in vestra potestate probro illud et injuria afficere, maxime cum sit Dominicum, neque polluere et inquinare templum Sancti Spiritus. Si quis enim privatam domum ingressus, cum eam sit ludificatus, et probro et injuria affecerit, extremum luet supplicium; qui Regis templum fecerit latronis receptaculum, cogita, quot mala sit passurus. Ven. Bed. *in cit.* c. xvi, I *Cor.*

Hinc merito S. Augustinus hortatur : Illicitum amorem cavete. Membra Christi estis, et corpus Christi estis. Audite Apostolum, et terreamini ; non potuit enim gravius dicere, non potuit vehementius, non potuit acrius deterrere Christianos ab amore fornicationum, nisi ubi dicit : « Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? » Ut autem hoc diceret, superius ait : « Nescitis, quia qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? » S. Aug. ser. lii *de Temp.*

Mortis aliorumque extremorum recordatio ; nam, S. Gregorio teste, nihil sic ad edo-

mandum desiderium appetituum carnalium valet, quam ut unusquisque hoc, quod vivum diligit, quale mortuum sit, penset. S. Greg. l. xxvi *Mor.* c. xxix.

Sed et S. Isidor. calculo suo id probans ait : Quando impulsu Dæmonum mens ad delectationem fornicationis impellitur, divini judicii metus, et æterna tormenta incendii ante oculos proponantur, quia nimirum omnis pœna gravioris supplicii formidine superatur. Sicut enim clavus clavum pellit, ita sæpe recordatio ardoris gehennalis ardorem excludit luxuriæ. (Sanctus Isidorus, l. II *de Summo Bono*, c. xxxix.) Hinc et Sanctus Ephrem suasit hoc medium dicens : Inclinemus nos ad sepulchra, et conditionis nostræ occulta perspiciamus ; ex cadaveribus permixtos ossium acervos, craniaque carnibus exuta, cum reliquis ossibus cernemus, et hæc considerantes, nosmet-ipsos in illis velut in speculo contemplabimur. Ubi juventutis flos, et pulchritudo? Ubi venustus ille genarum color? Hæc nobiscum cogitantes, carnis desideria fugiamus. (S. Ephrem. *de Vita spirituali*, n. 40.) Cujus medii efficaciam præ cæteris expertus est Bononiensis ille adolescens, voluptatibus carnalibus penitus immersus, de quo scribitur, quod, cum Religiosum quemdam patriotam suum ad se visitandi causa venturum fore intellexisset, eum quidem perhumaniter, magnaque cum benevolentia exceperit, simul tamen, ut in discursu suo ab omni spirituali materia abstineret, obnixe rogarit; a qua proinde Religiosus ille, ut patriotæ morem gereret, pro tunc quidem abstinuit, verumtamen postquam viso omni deliciarum ejus apparatu, maxime vero molli lecto, superbisque lecti sterniis conspectis, jam in procinctu esset, ut abiret, pauca quidem, sed magnam in se energiam habentia verba protulit, dicens : Obsecro, ut lecti illius semper memor esse velis, quem tibi Deus per Isaiam infallibiliter promittit, dicens : « Subter te sternetur tinea et operimentum tuum erunt vermes ! » Quæ sententia huic lascivo juveni adeo tenaciter impressa remansit, ut protinus carnalibus voluptatibus abdicatis, paupertatem et austeritatem amplexus fuerit religiosam. Mansi, l. xxix, n. 5.

Perfecta humilitas et subjectio erga Deum ; utpote sine qua, teste Cassiano, nullius penitus vitii poterit triumphus acquiri. (Cass. l. VI, *Inst.* c. ii) Nam, ut S. Gregorius ait, si mens Deo subdi humiliter despicit, carnis suæ desideria dominando ac præeminendo non præmisit. S. Greg. l. V, *in* I *Reg.* c. xiv.

Sensuum accurata custodia ; nam, ut recte discurrit S. Gregorius, cum sit invisibilis anima, nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur, sed per quinque corporis sensus quasi per fenestras interiora respiciens concupiscit. S. Greg. l. xxi *Mor.* c. ii.

Hinc et enim Jeremias ait : Mors ascendit per fenestras, ingressa est domus nostras. (Jer. ix, 21.) Mors quippe per fenestras ascendit, et domum ingreditur, cum per sensus corporis concupiscentia veniens habitaculum intrat mentis. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione versemus, providendum nobis est, quia intueri non decet, quod non licet concupisci. Nam, ut idem postea ait, præceps anima, dum ante non providet, ne incaute videat quod concupiscat, cæca post incipit desiderare quod vidit.

Otii detestatio ; nam, ut bene advertit S. Gregorius, cum duas simul res cogitare non possumus, fit, ut aliquid aliud cogitando, non cogitemus immunda. Hinc pergit adhortari : Inter opera et labores spirituales contra stimulos carnis fortes sumus ; sed si quasi fessi a solitæ conversationis rigore torpescimus, vel remittimus, dum paulatim negligimur, aculei carnis resurgunt, qui quasi depositis Moysis manibus Israelem vincunt. S. Greg. l. vi, c. i, *in* l. I *Reg.*

Id quod apta similitudine nonnemo confirmat dicens : Ut avis quæ otiosa in ramo sedet, facile jaculo configitur ; secus quando volat, et hinc inde saltat ; ita idem de homine otioso sentiendum. (Fab. conc. viii *in Dom.* 13 *post Pent.*) Hinc S. Hieronymus monet : Aliquid boni operis semper facito, ut te Diabolus inveniat occupatum. S. Hier. *in ep. ad Ruff.*

Corporis castigatio ; nam, teste S. Ambrosio, libido gravis ignis est, et ideo non demus illi alimenta luxuriæ. Pascitur libido conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate inflammatur. (S. Amb. l. I *de Pœn.* c. xiv.) E contrario vero abstinentia ciborum contra vitium hoc fortissima est, teste S. Gregorio ; sicut enim castellanus fame subactus, castrum tradit ad libitum impugnantis ; ita luxuria per famem domita corpus ad libitum hominis et rationis tradit, quemadmodum recte dixit S. Albertus Magnus. (S. Greg. l. V, c. xiv, *in* I *Reg.*)

Præsentia Dei menti firmiter impressa ;

cujus efficaciam sic ostendit S. Ambrosius : Detur mihi captus adulterinæ cupiditatis intemperantissimo æstu, qui nolit repugnare carnis suæ appetitui, incuriosus justitiæ, tamen sollicitus famæ, erubescens testimonium erroris, qui ipsum non erubescit errorem. Si quem forte spectatorem noverit facinoris sui, verecundia sequestrat intemperantiam, et pudore incœptum scelus deserit; quanto magis si Deum inspectorem cogitarit, abstinebit. S. Ambr. *in* x *Matth.* Certe S. Basilius de pugnis adversus hoc vitium luxuriæ discurrens : Hæc omnia, inquit, ei facilia sunt, qui Deum semper præsentem aspicit. S. Basil. *in qq. fuse explic.* 20.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, quomodo excitentur ejusmodi turpes phantasiæ, ut tanto facilius iisdem occurrere possit. Hoc autem Sanctus Macarius Eremita sequentibus verbis ostendit : Si pulchritudinem mulieris conspexerit carnali cupiditate, mox vulneratus est, et ita postmodum susceptiva memoria per formationem conceptuum, pronamque meditationem depingit interius imagines eorum, quæ cum affectu et libenter conspecta sunt, eaque ratione spiritibus malignis operam dantibus, miserum et affectibus adhuc deditum animum inquinant, quod superest; caro si pinguis, si juvenilis, si humidior fuerit, hujusmodi memoriis ab affectu quamprimum excitata, mota pro libidine, versatur circa ea, quæ reperit, in eis exercens immunditias, interdum in somniis, quandoque inter vigilandum. S. Macarius, *apud Mansi*, d. xvi, n. 16.

Nosse debet, cur vitium hoc specialiter hominem Regni incapacem Dei faciat; quod triplicem ob rationem fieri ostendit D. Bernardinus : Primo, quia Regnum Dei est mundissimum, carnalis autem immundus. Secundo, quia Regnum Dei est incorruptibile, carnalis autem corruptibilis ; quia amans corruptiones corruptibilis est, sed corruptio non possidet incorruptionem. Tertio, quia illud est ordinatissimum, carnalis inordinatissimus. S. Bernard. tom. III *de Reg. cœli* c. v.

Nosse debet, cur peccatum hoc maximum vitiorum reputetur ab Ascetis; id quod S. Bernardus ostendit, dicens : Inter cætera vitia fornicatio maximum scelus est, quia per carnis immunditiam templum Dei violat, et tollens membrum Christi, facit membrum meretricis. Luxuria inimica est Deo. S. Bernardus, s. xxiii *de Mod. bene viv.* Unde merito hortatur S. Chrysostomus : Reverere eum, qui in te inhabitat, is est enim Paracletus ; formida eum, qui est tibi conglutinatus, est enim Christus. S. Chrys. hom. xviii in I *ad Cor.*

Nosse debet, cur vitium hoc præcipue spiritualibus et devotis viris sit fugiendum ; id quod Josephus Mansi sequenti discursu ostendit : Quodnam in eo putatis latere mysterium, quod Deus mel, liquorem adeo suavem et salutiferum, atque a virginibus fabrefactum in sacrificium sibi offerri prohibuerit, maxime cum cera, quæ ex melle nascitur, et mellis pars quædam est, in Dei honorem licite et laudabiliter ardeat ? Variæ quidem hujus prohibitionis assignari possunt causæ, verumtamen illam, quæ nostro proposito quam maxime adaptatur, tangit S. Pet. Dam. qui in melle voluptatem carnalem symbolizari asserit ; per quod intelligitur, quod his, qui Deo vitæ suæ sacrificium offerunt, nullam Deus carnalem vult inesse dulcedinem, nihil in eis vivere, quod ad carnalem pertineat voluptatem. Oleaster pariter super idem Levitici caput observat, quod, cum oblatio Sacrificii concremari debuerit, huic autem liquori proprium sit, quod in ignem effusum gravem excitare fœtorem soleat, ideo ab Altari liquor ille mellis proscriptus fuerit ; forte ideo, quia combustum nullum emittit odorem, sed fœtorem potius. Mansi, d. xvi, n. 10.

Nosse debet, cur vitium hoc tam difficulter curabile sit ; nam ut idem Mansi ex auctoribus probat, et experientia compertum est, quod ii, qui tot annis, quibus Christus vixit, in hoc vitio perseverant, sint incurabiles, et quasi desperatæ salutis, nisi mira, rara, et extraordinaria Dei gratia eis succurrat ; cujus rationem assignat S. Bonav. dicens : Nam ipse vendidit, et destruxit, quidquid habebat, scilicet Deum et Sanctos, animam, famam, gloriam, substantiam, et gratiam. S. Bonav. *in Dict. salut.* tit. I, c. ix.

Nosse debet, si in ullo alio, in hoc vitio diffidentiam in propriis viribus esse necessariam ; uti sapienter S. Cyprianus declaravit, dicens : Expedit plus bene timere, quam male de se fidere ; et utilius est, ut infirmum se homo cognoscat, ut fortis existat, quam fortis videri velit, et infirmus emergat ; et

paulo post subdit : Inæstimabilis pietas, ut timendo feminarum blandimenta vincamus. S. Cyp. *de Sing. Cler.* n. 10.

Nosse debet, quod vitium hoc peculiariter infestet ad perfectionem tendentes ; uti bene S. Greg. ostendit, dum ait : In via autem Israel Amalec restitit, quia libido ad perfectionem tendentibus arma voluptatis objicit, et corda, quæ potest, gladio immundæ suggestionis ferit. Et quia valde fortis et violenta est pugna fornicationis, restitisse perhibetur, non quomodolibet obviasse ; resistere quippe forti, expugnationi instare est. S. Greg. l. VI *in I. Reg.* c. xv.

Nosse debet, quousque huic Amalec resistere debeat ; scilicet implendo illud Dei mandatum : Non parcas ei, et non concupiscas illius aliquid, sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum, et lactentem, et bovem, et asinum, et ovem, et camelum. (L. I Reg. c. xv.) Super quæ verba S. Gregorius ait : Parcit Amalec, qui blandimenta lasciviæ aut in locutione, aut per intentionem, aut in cogitatione tenet. Dicit, non parcas ei, quia de tam nequissimo vitio nihil accendi debet in mente, nihil permitti debet in opere ardere. Non concupisces ipsius aliquid, ut penitus eradicetur a cogitatione.

Nosse debet quomodo, seu quibus armis resistere huic Amalec debeat, alterique suadere, nimirum tribus præcipue. 1. *Manifestatione tentationis ;* quia, ut Cassianus ait, non valebit ignorationi ejus callidus hostis illudere, qui universas cogitationes in corde nascentes, perniciosa verecundia nescit obtegere, sed eas maturo examine seniorum vel reprobat, vel admittit. Illico namque ut patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit, et ante, quam discretionis judicium proferatur, serpens deterrimus velut e tenebroso ac subterraneo specu virtute confessionis pertractus ad lucem, et traductus quodammodo ac dehonestatus discedit. Tamdiu enim suggestiones ejus noxiæ dominantur, quamdiu a nobis in corde celantur. 2. *Humilitate*, sed ea maxime, qua sibi penitus diffidens, et sperans in Deo, ab hoc auxilium petat, ac expectet (Cass. coll. II, c. x) ; nam, teste S. Climaco, qui sudoribus ac laboribus suis adversus hujusmodi Adversarium pugnat, is ei similis est qui inimicum suum papyro ligavit ; qui vero continentia ac vigiliis pugnat, ei similis est, qui catenis hunc devinxit. Porro is, qui altissima humilitate et vacuitate iracundiæ, sitique depugnat, is ei comparatur, qui occidit inimicum, atque in arena occubuit, arenam vero intellige humilitatem. (S. Climac. gr. 15.) 3. *Matura resistentia* ; nam, quemadmodum miles domum ingressus facile totam domum occupat ; ita carnis tentatio haud difficulter mentem subjugat, si semel eam occupare sinatur. Hinc S. Hieronymus monet : Nolo sinas cogitationem libidinis crescere ; nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat. Dum parvus est hostis, interfice. Nequitia, ne zizania crescat, in semine elidatur. Audi Psalmistam dicentem : Beatus, qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram. Quia impossibile est, in sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille prædicatur beatus, qui, ut cœperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, et allidit ad petram ; petra autem est Christus. S. Hier. *in ep. ad Eustoch.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Fugite fornicationem* ; (I Cor. VI, 18) explicari potest causa primaria cur luxuria sit vitanda, scilicet quia est grandis et specialis injuria Dei, tum in genere, tum in specie omnium trium Personarum. Et 1. *Respectu Dei* in genere, quia polluit et fœdat turpissime imaginem ipsius, ut præclare S. Augustinus indicavit, dum dixit : Facis injuriam Deo, dum teipsum corrumpis. Et unde, inquis ? Unde tibi facit injuriam, qui voluerit forte lapidare tuam tabulam pictam, in qua imago tua est ? Quam vero imaginem Dei, quod es tu, corrumpis per fornicationes et per diffluentias libidinis non attendis, cujus imaginem violasti, cui contumeliam fecisti ? (S. Aug. lib. I *de* X *Chord.*) 2. *Respectu Dei Patris*, qui creavit corpus nostrum erectum, ut esset domus munda digna animæ, quam tamen nos per luxuriam fœdamus, et haram porcorum facimus. Hinc Apostolus hortatur : Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis a fornicatione ; ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut Gentes, quæ ignorant Deum. (I Thess. c. iv, 3.) 3. *Respectu Filii*, qui redemit, et corpore suo sacrosancto pascit nos. Hinc iterum monet Apostolus : An nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi ? Tollens ergo

membrum Christi, faciam membrum meretricis? (I Cor. VI, 15.) Et iterum : Empti estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro. Corpus scilicet, non fornicationi, sed Domino tradendo, ut ibidem ait. (Ib. V. 29.) 4. *Respectu Spiritus Sancti*, qui sanctificavit nos, et templum suum constituit, quod per luxuriam fœde polluitur. Unde S. Paulus ait : An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in nobis est? Unde non introibit Spiritus ille in malevolam animam, nec habitabit in corpore subdito peccatis, ut Paulus ait; sed si quis violaverit templum Dei, disperdet illum Deus. (I Cor. III, 17.)

Ex occasione ejusdem thematis potest luxuria Sirenibus comparari. Et in prima quidem parte ostendi quomodo et blando aspectu, et suavi cantu ad sui amorem alliciat, et detineat, quem in finem mulieris a Salomne descriptæ artes enarrari possunt. In secunda parte fraus hujus Sirenis aperiri potest, quomodo scilicet navim, id est, salutem hominis evertat, et in profundum inferni demergat. In tertia ostendi potest, quomodo hujus Sirenis fraudes evitari debeant, scilicet sequendo factum Ulyssis, et aures mentis cera timoris ac amoris Dei obstruendo.

Ex occasione thematis : *Ne attendas fallaciæ mulieris, favus enim distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus; novissima autem illius amara quasi absynthium, et acuta quasi gladius biceps* ; (Prov. V, 3.) potest luxuria Dalilæ comparari. Et 1. ostendi, quomodo in sinum suum recipiat et blandiatur, amorem simulando. 2. Quomodo ipsum tondeat, et fortitudine sua privet, id est, gratia divina, et Dei assistentia. 3. Quomodo eum tradat inimicis, et excæcari, in munitam civitatem (hoc est, servitium, et domum mulierum) duci, carceri (angustiarum) mancipari, vinculis ferreis (consuetudinis) ligari, ad molam (laboris et infamiæ) damnari, scuticis (stimulis conscientiæ) cædi, et ab omnibus illudi, ac denique omnino opprimi faciat. Quæ omnia fusius apud Fabrum, in *Auctario*, them. 2. *in festo S. Matthiæ*, explicata videri possunt.

Ex occasione thematis : *Ignis est usque ad perditionem devorans, omnia eradicans gemmina* ; (Joan. XXXI, 12.) potest luxuria igni devoranti comparari, et 1. ostendi, quomodo devoret *substantium temporalem*, uti filius prodigus expertus est. Unde merito Siracides monet : Ne des fornicariis animam tuam in ullo, ne perdas te, et hæreditatem tuam. (Eccl. IX, 6.) Quod confirmans S. Augustinus ait : Luxuria perdit omnem substantiam, et ad præsens voluptate deliniens futuram non sinit cogitare paupertatem. (S. Aug. *de Doctr. Christ.*) 2. Quomodo devoret *Famam* ; hinc iterum Ecclesiasticus monet : Ne des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, et confundaris. (Eccl. IX, 2.) Sed et S. Augustinus id confirmans ait : Qualis est in oculis hominum, qui inversis pedibus ambulare nititur; talis est in oculis Angelorum, cui propria caro dominatur. (S. Aug.) 3. Quomodo devoret *sanitatem et vitam corporis* ; cum nihil adeo corpus debilitet, vitamque abbreviet, quam luxuriæ frequentia. 4. Quomodo devoret *animam* ; scilicet eam in æternum interitum præcipitando, uti Salomon indicavit, dum dixit : Fovea profunda est meretrix, et puteus angustus aliena. Insidiatur in via quasi latro, et, quos incautos viderit, interficiet. (Prov. XXIII, 27.) Quæ omnia fusius explicata videri possunt apud March. *in Hort. Past.* tr. IV, lect. VIII, prop. 2 et 3, et apud Fab. conc. 5, *festo S. Mariæ Magdalenæ*, ubi ob hanc causam comparant luxuriam bestiæ, quam Daniel sequentibus verbis descripsit : Ecce alia bestia similis urso in parte stetit, et tres ordines in ore ejus, et dentibus ejus. Et sic dicebant ei : Surge, comede carnes plurimas. (Daniel. VII, 5.)

Ex occasione thematis : *Vitæ inferi domus ejus* ; (Prov. VII, 27.) potest luxuria inferno comparari ; quia sicut in hoc tria specialiter reperiuntur, scilicet ignis ardens, vermis rodens, et sulphur fœtens ; sic in luxuria, quoque reperitur ignis concupiscentiæ, vermis seu remorsus conscientiæ, et sulphur infamiæ. Unde et S. Hieronymus exclamat : O luxuria ! O ignis infernalis, cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintillæ prava concupiscentia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna ! (S. Hier. *apud Drex. in Nicet.* l. I, c. X.)

Ex occasione thematis : *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non ardeant?* (Prov. VI, 27.) possunt afferri remedia pro luxuria vitanda, scilicet ea ipsa, quæ pro igne extinguendo adhibentur, quorum primum est, *aquæ fri-*

gidæ affusio, per quam corporis castigatio intelligitur. Alterum *lignorum subtractio*, seu fuga occasionum, aut rerum ad luxuriam incitantium. Tertium *Venerabilis Sacramenti aut reliquiarum sanctarum adversus ignem conversio*, seu invocatio Christi et Sanctorum, præcipue Virginis sine macula conceptæ, cujus patrocinium adversus hunc ignem luxuriæ mire efficax fuisse, quotidiana experientia compertum est.

Ex occasione thematis : *Et cœperunt se omnes excusare* ; proponi possunt, et refutari excusationes, quas luxuriosi prætendunt. Nempe 1. *Quod non possint se continere* ; qui refutentur, tum illo Dei effato : Sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius ; tum exemplo S. Augustini, cui continentia cum grege puerorum et puellarum quasi subridens dixit : Potuerunt isti, et istæ, et tu non poteris? tum instantia potûs venenati, quo etiam in summo æstu concupiscentiæ facile quis abstineret. 2. *Quod nulli injuriam faciant* ; qui refutentur ex eo, quod grandis injuria fiat Deo, corpori proprio et alieno dum polluuntur ; et animabus, cum ad servitium carnis deprimuntur. 3. *Quod Oseas ipse a Deo uxorem fornicationum assumere jussus sit* ; qui refutentur ex eo, quod non fornicari jussus sit, sed uxorem quæ fornicata fuerat, per legitimum matrimonium sibi copulare. Vide has refutationes fusius apud Marchant. *in Horto Past.* tr. IV, lect. VIII, prop. 3.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.— S. Thomas Villanova lascivum hominem per salamandram præfigurari dicit, quam scriptores in igne nutriri et vivere asserunt. Totus a pestifero illo igne devoratus est, inquit de lascivo ; nec illum quidquam præter flammas cogitare permittit, in igne solum veluti salamandra nutritur. S. Thom. Villan. *conc.* 2, *de S. Ildeph.*

Damnum. — In urbe Nicosiensi, quæ totius regni Cypri primaria, et a Mustapha expugnata civitas, sive Metropolis est, cum puella quædam unicam tantum ignis scintillam in munitionem pulveris tormentarii immisisset, universum quoque potentissimum illius exercitum igne combussit. Idem quoque de hoc carnalis concupiscentiæ igne dici potest, unica tantum scintilla, unicus obtutus impurus, unicum verbum, vel gestus aliquis nonnumquam ad accendendum ignem quemdam inextinguibilem sufficit, qui prodromus est ad infernum. Unica solum scintilla ad fomitem accendendum sufficit, dum is satis fuerit dispositus et siccus ; ita quoque, inquit D. Chrysostomus, voluptates si juventutem aggressæ fuerint, tum vere ignis cum igne miscebitur, stipula cum fornace jungetur, colloquium mulieris ; ecce tibi favillam, quasi ignis exardescit, ecce tibi flammam succensam. P. Flamin. Strada, l. II, *Prol. Acad.* 2.

Ingeniosus est ille Clementis Romani conceptus, per quem rationem reddit, cur increata et incarnata Dei sapientia, de qua vere dici debet : Omnia in sapientia fecisti, sacrosanctum Baptismatis lavacrum potius in elemento aquæ instituerit, quam in alia quapiam materia. Dicit enim ideo id factum esse, ut in aqua regenerati, ignem vetustæ nativitatis extinguerent. Prima enim nostra nativitas per ignem concupiscentiæ descendit, et ideo dispensatione divina secunda hæc per aquam introducitur, ut restinguat ignis naturam ; porro de quolibet homine dici potest : Nec est, qui se abscondat a calore ejus. S. Clem. Roman. l. IX *Recognit.*

Seneca inter cætera ait : Nullum sine igne fulmen venit, sed hoc proprie igneum dicimus, quod manifesta ardoris vestigia imprimit, quod aut urit, aut infuscat. Seneca, l. *qq. natur.* c. XL.

S. Augustinus rationem reddere volens, cur mundus in fine sæculorum potius ab igne desolandus et consumendus sit, quam ab alia aliqua creatura, ideo id futurum esse dicit, quia in carnalis concupicentiæ flammis continuo exarsit. Totus mundus in igne positus est, conveniens igitur erat, ut supplicium huic igni corresponderet per ejusdem elementi incendium. Significatum est in fine sæculi per ignem judicandos esse carnales. S. Aug. l. XVI, *de Civ. Dei*, c. XXIV.

In libro Job scribitur : *Aspergatur in tabernaculo ejus sulphur.* (Job. c. XVIII, 15.) Quænam vero, dicet aliquis, est hæc cæremonia, qua hominis carnalibus voluptatibus dediti habitatio sulphure, quod fœtet, perfumari jubetur ? Mysterium hujusce passionis pulchre nobis explicat S. Greg. dum ait : Sulphur quid aliud, quam fomentum ignis est, quod tamen sic ignem nutrit, ut

fœtorem gravissimum exhalet? Quid itaque in sulphure, nisi peccatum carnis accipimus, quod dum perversis cogitationibus, quasi quibusdam fœtoribus mentem replet, æterna ei incendia præparat ?

Quoties impudica mulier Dalila ex Samsonis ore elicere tentavit, in quonam præcipue ejus fortitudino consisteret, verumtamen sæpius repulsam passa, nihil obtinuit. At vero quando eum domire fecit super genua sua, et in sinu suo reclinare caput, vocavit tonsorem, et rasit septem crines capitis ejus, et cœpit abigere eum, et a se repellere ; et mox Philisthæi accurrerunt, ut eum ligarent, dumque se pristina præditum fortitudine credidit, ea se destitutum esse animadvertit, nesciens quod recessisset ab eo Dominus. Porro capilli bona denotant desideria (præcipue capilli Nazaræorum, qui speciali quodam ritu Deo consecrati erant) hos autem capillos Dalila, id est, affectio carnalis rescindit, quia omnem bonam cogitationem, orationem, meditationem, devotionem, omnemque ad exercitia spiritualia applicationem ab homine tollit. Cuncta cogitatio cordis intenta ad malum omni tempore ; carnalis enim homo omnem suum amorem, omnemque mentis applicationem, objecto, quod diligit, immobiliter affigit. (S. Greg. l. xiv *Mor.* c. x.) Unde S. Isidorus Pelusiota ad Zosimum ita scribit : Cum libido et corporis robur, et animi vires dejiciat et adimat, eumque, qui hoc vitio captus est, omnibus illudendum et irridendum proponat, quemadmodum excæcatus Samson docet, eo quod tu voluntariam captivitatem accersis, nec naturale robur illæsum atque integrum servas, verum vitiosis affectionibus conficiendum te ultro præbes ; et Deum, qui in vita tua, ubi caput reclinet, non habet, mœrore afficis ; et nos, qui pro tua salute vota facimus, oppugnas, et injuriam tibi ipsi infers, dum salutaria medicamenta repudias. S. Isid. Pelus. l. I, ep. cxxxv.

Quantum hoc carnis vitium in Ecclesiasticis detestabile sit, ex quodam Armenorum errore perspicue colligitur ; hi namque in ea opinione firmiter persistebant, quod Ecclesiasticus publicam et privatam fornicationem committens, consecrandi amissa potestate, deinceps ad Sacramenta conficienda aptus non sit. E contra vero, si idem fieret Apostata, Hæreticus, Judæus, vel Mahometanus, sufficere credebant, si talis ageret pœnitentiam, nec quidquam aliud requiri, ut talis ad gremium redeat Ecclesiæ. Raynald. *anno* 134, n. 50.

Beatus Petrus Damianus vulpem expressam Dæmonis figuram esse dicit, cujus proinde hanc tradit esse proprietatem. Dum se mortuam fingit, mortem volucribus veraciter ingerit ; nam dum esurit, et anxie requirenti, quod comedat, non occurit, quærit ubi sit rubra terra, et dum reperit, toto corpore in ea pervolvitur, ut quasi caro nuda et cruenta videatur ; mox sese in terram quasi mortuam projicit, flatum intra se reprimit, ut non respiret, dumque hoc modo cruenta videtur et turgida, ab incautis volucribus non dubitatur extincta ; descendunt itaque, ut eam comedant, sed illa repente prosiliens, arripit, easque veraciter devorat, quas ad se devorandum fallaciter invitabat. Hancque vulpis astutiam tartareo serpenti invido, pariter et astuto, egregie adaptat, dicens : Hujus deceptor antiquus specimen exprimit, qui carnalia lucra quærentibus se quasi mortuum fingit, illisque opera sua tamquam membra sua, quibus vescantur, exponit. *Manifesta enim sunt opera carnis, quæ sunt*, ut dicit Apostolus, *fornicatio, immunditia, luxuria, etc.* Hæc plane sunt iniqui spiritus viscera, hæc reproborum et carnaliter viventium quotidiana sunt alimenta, ad hæc dum perditi quique velut esurientes inhiant, eos malignus spiritus, tamquam volucres vulpes dolosa deglutit, eosque in sui corporis viscera trajicit. S. Petrus Dam. c. I, ep. 18.

Quando columbam, quæ symbolum est castitatis, a Noe post diluvium, ut in Genesi scribitur, emissa fuit, non invenit, ubi pedunculos suos figeret, ideoque ad Arcam reversa est, ut per hoc significetur, quod illi, qui honestatis et pudicitiæ cultores et zelatores sunt, omnem fugiant immunditiæ contrahendæ occasionem et periculum. Non vero sic corvus, per quem Dæmon et homo carnalis figuratur ; hic enim ad nihil aliud intensus est, quam ad quærendas et devorandas carnes, quas inveniens iis affixus hæret, et in luto quoque ipso quiescit. Mansi, dis. vii, n. 11.

S. Job sub titulo *Behemot* de Dæmone loquitur, ostenditque quisnam lectus quietis ejus existat : *Sub umbra dormit in secreto calami, in locis humentibus.* Enimvero scire hoc loco percuperem, qualis hujus loci, in quo Dæmon quiescit et dulciter dormit, sit

jucunditas et amœnitas? Sed ecce Sanctus Antonius de Padua omne nobis quoad hoc dubium eximit, dicit enim : In locis humentibus, id est, in conscientia, quæ prius fuerit humida per immunditiam, suaviter obdormiscit et dulciter quiescit. Idem quoque S. Antonius super illa Salvatoris nostri verba apud S. Lucam : *Cum immundus Spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, et non inveniens dicit: Revertar in domum meam, unde exivi* ; ita scribit : Sed nota, quod in aridis non invenit requiem, quia ibi non potest figere pedem suum. S. Ant. de Pad. s. *in Domin.* II. *Quadrages.*

In libro Judicum Jahelem Sisaræ sitienti lac loco aquæ supposuisse legimus ; sed considera, quo fine idipsum fecerit. Certe non alio, quam ut ei soporem conciliaret, ac tandem dormientis tempora crudeliter clavo transfigeret. Aquam petenti lac dedit, et in phiala Principum obtulit butyrum, sinistram manum misit ad clavum, et dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram, quærens in capite vulneri locum, et tempora valide perforans. Idem quoque majori hominum parti a lenocinante mulierum sexu accidit. Dicit enim quævis lasciva mulier lenoni eam concupiscenti : Intra ad me, domine mi, intra, ne timeas. Quot vero sunt, qui non cum timore, sed cum lætitia et jubilo ingrediuntur, seque ob inventam hanc, et sponte oblatam carnalis peccati committendi occasionem felices existimant ; at vero dum lactis suavitatem, id est, carnis delectationem gustaturos esse sperant, clavum ab adversaria sibi infixum esse experiuntur, non solum in corde per remorsum et vermem malæ conscientiæ, verum etiam frequenter in corpore et anima simul, per conciliatam sibi mortem temporalem pariter, et æternam. Judic. c. v, 25, 26.

Scribitur, quod mulier quædam Ægyptia, eo quod parvulum quemdam crocodilum penes se educabat, a vulgo felix et beata existimata fuerit, eo quod domi suæ educaret numen divinum (tale enim Ægyptii esse credebant crocodilum, utpote quem veluti Deum adorabant) filius quoque hujus mulieris cum hoc crocodilo quotidie familiariter jocaretur et luderet ; accidit autem, quod bellua hæc crescentibus annis adultior facta, ad congenitam sibi sævitiem rediens, eumdem filium consuetis ludis cum eodem jocantem tandem immaniter occiderit et dilaniarit; hæc fuit gratitudo, quam benefactrici et nutrici suæ exhibuit. Idem quoque nobis accidit, qui infestissimum animæ nostræ inimicum (quia caro concupiscit adversus spiritum) delicate nutrimus, eique abblandimur ; verumtamen cavete vobis, quia qui delicate nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem. Mansi, dis. x, n. 23.

S. Bonaventura parabolam de magna cœna exponens, sic loquitur : Inter alias, qui vocati sunt ad magnam cœnam, nec iverunt ille, qui uxorem duxit, non petiit se excusatum haberi, per quod patere potest, quam longe sint a cœna Dei luxuriosi homines et immundi, si ducere uxorem ita hominem implicat et involvit, quod quasi nihil aliud cogitare possunt. (S. Bonav. tom. vii. *in Biblioth. Paup.* c. ix.) S. Antonius de Padua quoque, in quodam sermone super hoc Evangelium, quærit : Quare duo primi rogaverunt excusationem ; tertius vero non ? Ad quod dicitur, quod voluptas carnis ita detinet hominem in deliciis, quod nec ad delicias æternas venire desiderat, nec excusari curat, et per hoc patet, quod Deum non diligat.

Berchorius scribit in Lyciæ montibus, qui Ephestii dicuntur, certum quoddam ignis genus reperiri, qui omnia devorat et consumit, etiam lapides, neque aqua extingui valet, sed tunc solum extinguitur, quando terra aut fœnum ipsi super injiciatur, teste Plinio, lib. II, *Historiæ Naturalis*, in fine. Qualenam desiderare potestis ignis libidinis aptius symbolum utpote cui proprium est, omnes virtutes, omnem gratiam, omne meritum, cuncta denique naturæ et fortunæ bona consumere? Ignis est usque ad perditionem devorans, omnia eradicans genimina ; imo ipsos quoque consumit lapides, et durissimas petras, id est, viros in perfectione constantissimos et solidissimos, quales fuerunt Samson, David, Salomon, nec quidquam hunc ignem extinguere prævalet, quia divitiæ, dominia, sanitas, et fortunæ prosperitas, illum potius magis, magisque accendunt, sæpe etiam sapientia, pietas, timor Dei, spiritualis vita ad hunc effectum extinguendi illius ignis pertingere nequeunt. At vero si homo ad considerandam terram sepulchri, aut cinerem, et pulverem, in quem hæc caro, quæ tantopere amatur, tandem reducatur, serio se applicaverit, si firmiter recogitet, quod

omnis caro sit fœnum, jam facili negotio extinguetur. Nil quippe sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quam ut unusquisque hoc quod vivum diligit, quale sit mortuum penset. Berchor. v. *Luxuria.*

Huc spectat casus ille funestus, qui in Hispania celebri cuidam prædicatori accidit, qui cum illustris cujusdam valdeque conspicui equitis domesticus esset, conjugis ejus amore accensus, illam sæpius ad illicitos sollicitare concubitus non erubuit; quem licet ista constanter a se repelleret, ille tamen a sollicitationum suarum violentia ob id minime destitit ; illa lascivum hunc prædicatorem decipere volens, omnia, quæ hactenus inter ipsum et illam intercesserant, marito aperuit, de cujus consensu pariter et consilio, certam huic lubrico viro horam et locum designavit, in quo nocturno tempore diu concupitis illius frui amplexibus posset, dumque circa illud tempus et locum maritus, cum bono numero armatorum servorum suorum scortatorem hunc in cubiculo vicino præstolaretur. Tandem sacrilegus ille veste sæculari indutus, enseque et pugione accinctus et armatus advenit, et designatum locum ingressum uxor equitis in eamdem cameram secuta fuit, dumque vim illi inferre vellet, ipsa quidem pactis inter se et maritum nutibus et signo, maritum et armatos, ut accelerarent ingredi, advocavit, sed nemine illorum accurrente, ipsis unguibus, dentibus et calcibus omnem ei violentiam intulit, ut ab ejus se manibus proripere posset; at vero cum resistere non valens, ad femur ejus pugionem suspensum vidisset, eumdem e vagina clam extractum lateri ejus infixit, et occidit. Cumque hoc pacto ab ejus se violentia feliciter expedivisset, ad cameram, in qua juxta condictum maritus cum servis suis armatis sacrilegum expectare debebant, accurrens, ipsos immobiliter stantes, et mortuis potius, quam vivis similes invenit, cumque eorum auribus alta voce inclamasset, eorumque corpora hinc inde moveret, truderet, convelleret, magiam in hac re intercedere suspicata est, nec frustra; ad mortui igitur cadaver reversa, illud per nonnullos in forum publicum relicto in vulnere ferro deportari fecit. Viso autem a curia et agnito corpore, Gubernator loci illius, Priorem conventus illius, ad cujus familiam pessimus hic Religiosus spectabat, conveniens, totum ei rei gestæ eventum a capite ad calcem usque distincte recensuit. Ingredientes igitur cellam ejus, faculam quamdam sub obscuro et quasi mortuo lumine juxta caminum ardentem repererunt; eaque extincta, mox maritus et servi ejus velut e profundo quodam lethargo evigilarunt, ambo conjuges coram judice, qui cadaver sacrilegi in profanum quemdam locum sepeliri jussit, totam rei gestæ historiam seriatim exposuerunt. Delrio, *de Magia* l. III, p. 1.

S. Ephrem Syrus in *Exhortat. Spirit.* ait : Quandocumque concupiscentia in animum sese insinuavit, mox ipsum cogitatione circumdat et obsidet, et salutis ingressum præcludit; inferno ergo similis est illa turpis lasciviæ passio, nam quem semel tyrannicæ suæ potestati subjecit, ei spem omnem libertatis adimere videtur, nec modum relinquere, quo tam crudelem dominum, tam potentem tyrannum evadere possit. Huc sine dubio alusit Sanctus Augustinus, apud Salazar. Proverb. II, v. 29, num. 165, quando hoc fœdum vitium vocat æterni ignis æmulum. Dicitur autem *obscena libido ignis æterni æmula*, quia, ut ille ignis, quem semel occupavit, adurit et exurit, vehementi suo ardore affligit, nec consumit, mortali cruciatu immortaliter torquet, nec effugi unquam potest; sic lasciviæ flamma, quem semel corripuit, ejus intimum pectus et penitissimas medullas depascitur, videtur inferni quidam ignis esse, absque spe remedii ; numquam relinquit eum, quem semel subegit, ac prostravit. Præclare hoc dixit Salonius Viennensis in expositione mystica Proverbiorum Salomonis, ubi habet ista : Qui verba meretricis libenter audit, et oscula ejus delectabiliter suscipit, quasi januam pulsat inferni. Qui mellea blandiloquentulæ lupæ verba avidis auribus cum voluptate excipit, suaviaque admittit, et labra labris hilariter permittit, væ misero illi ! Quamobrem vero ? Quia quasi januam pulsat inferni, inferorumque fores sibi aperiri postulat, qui cum scortis consuescit, aut turpi libidinis vitio se tradit, quod nihilo mitius est inferno ; nam ut nullam habet portam, qua egrediatur, qui inferno semel est inclusus ; ita ei qui venereæ se concupiscentiæ mancipavit, videtur omnis evadendi spes ablata. Did. Nyss. *in Vita Abraham.* l. II, c. v.

De Herode, cui S. Joannes Baptista dixerat : «Non licet tibi habere uxorem fratris

tui ; » Sanctus Andreas Cretensis sic loquitur : Et ille quidem a ratione alienæ voluntariæ congressionis obrutus deliciis, neque se potuit erigere, neque aspexit ad lucem veritatis, sed mansit gravatus crapula libidinis. Velut dixisset : Noli mirari, quod monita Sancti Joannis apud Herodem nihil effecerint ; nam, ut mortuum nemo alloqui, nemo movere potest, ut surgat, quantisvis vocibus quis eum inclamet, nisi cœli miraculo aliquo singulari fiat ; atque ut homini, cui vinum rationis usum ademit, nemo persuadere sanum aliquid valet ; sic cum Herodes esset confectus præfervido luxuriæ vino, jaceretque in tumulo libidinis sepultus, velut in deserto voces Joannes tunc dabat, quando illum a turpi et incesta consuetudine sua dehortabatur. Nam ut est frustraneus labor, velle aliquid persuadere ebrio, et loqui defuncto, sic et vana opera est, quæ ad revocandum ab obscenis studiis suis libidinosum vertitur. Hinc æstimate, quanta sit vis hujus crudelis et tyrannicæ passionis. Ibid.

Saul, ut habes I Reg. cap. XIV, subigebat Regem Moab, et filios Ammon, et Edom, et Reges Soba, et Philisthæos, et quocumque se vertebat, superabat tamquam mites agni et inermes oves fuissent quicumque illius hostes ; sed diligenter notandum id, quod sacer Scriptor mox subjicit, ac monet : « Congregatoque exercitu percussit Amalec, et eruit Israel de manu vastatorum ejus, v. 48. » Beatissimus Pater Gregorius in hæc ita inquirit : Quid est, quod contra Moab, et Ammon et regem Soba pugnasse et vicisse dicitur, non tamen exercitum congregasse, sed ut Amalec vinceret, exercitum congregavit ? Respondet divinus Pontifex divine, fuisse in Amalec adumbratum luxuriæ vitium ; Amalec enim idem est, quod populus lambens, populus qui blanditur, emollit, lambit, risuque ad gratiam ficto, et visu benevolentiore (pro illorum more, quos turpis libido incessit) pellicit. Ergo quod cæteri populi tam facile superati feruntur, ut ad illos debellandos, non fuerit necessum, cogere exercitum, ad subigendum vero Amalec copias adhiberi oportuerit (congregato nimirum exercitu Saul percussit Amalec) tale est, ac si diceretur, reliqua vitia citra multum belli apparatum expugnari posse, ad luxuriæ vero nefas posternendum (cum sit res maxime ardua) necessum esse, omnes coire et fœderari virtutes, ut terræ affligant vitium, quod tam ægre eradicatur. Ad extinguendum enim fornicationis spiritum virtus una non sufficit, inquit magnus Papa, numeroso virtutum exercitu ad hanc rem opus est, atque ut orationi insistas, et diuturna inedia te emacies, et solitudinem colas, humilitatem magnam et plurimam ex Deo habeas, ut ab inimico liber evadas, qui difficillime exigitur loco, quem semel occuparit. Sed nota, quod, cum Amalec, turpis vitii symbolum, percussum sacer Textus refert, tunc illud commemorat : Eruit Israel de manu vastatorum ejus. Itane vero cum fudit Amalec, simul omnes evertit quicumque exitium adferebant Israeli ? Immo. Quamquam enim homo cæteris vitiis omnibus subjaceat, sôli autem luxuriei non sit dedi tus, purus omnis sceleris videtur ; sed quem lascivia deditium habet, tametsi a vitiis aliis liber sit, pejus est, quam si flagitiis aliis omnibus contaminatus esset, hoc unum nempe difficilius superatur, quam omnia reliqua, a quibus solutus videtur, dum non uno illo impeditus. Idem, *fer.* VI. *post Dom.* 3 *Quadr.* § 7.

Fuga. — In Deuteronomio Deus Hebræis præcepit, ut si egressi ad prælium suum stravissent inimicum, et intra alia spolia mulierem aliquam eximia pulchritudine conspicuam accepissent, priusquam illam sibi in uxorem adoptarent, et matrimonio jungerent, eidem in domum suam conductæ omnes raderent capillos, unguiculosque præciderent, vestesque, quibus captivitatis tempore induta erat, eidem detraherent. Quæ omnia in figura contingebant. Nam, ut Glossa dicit, per hanc mulierem animam peccatricem intelligendam esse, quæ pulchra est ratione imaginis, sed captiva ratione criminis. Hanc Deus in sponsam suam desiderat : *Sponsabo te mihi* ; verumtamen vestes, quibuscum capta est, deponat necessum est : *Oportet*, *ut deponat vestes*, *in quibus capta est*, id est, vitia et peccata præterita ; neque hoc etiamnum sufficit, quin etiam ungues et capilli ei præscindi debent, id est, peccatorum circumstantias aggravantes deponat, et peccati occasiones caveat, quod faciet, si huic vel illi conversationi suspectæ nuntium remittat, si cum peccati complice non amplius commercium habeat, si fenestris affixa deinceps non fuerit. Mansi, dis. XXXI, n. 10.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Antiqui, ut indicarent causam, cur senes etiam sæpe ad luxuriam tam proni sint, finxerunt, mortem et cupidinem in eodem hospitio divertisse, sed cum ex eo discederent, alterum alterius telum ex errore apprehendisse, sicque factum, ut, dum mors senes occidere parabat ad amorem incitarit; Cupido vero juvenes amore inflammare cupiens, eos omnino interemerit. Unde non male cecinit quidam :

Hinc juvenes occidit Amor, fallente pharetra,
Hinc mors ipsa suos cogit amare senes.
Disce hinc, humanæ quæ sint ludibria vitæ :
Mors thalamum sternit, sternit Amor tumulum.
March. *Tub. Sacer.* tr. xxx, lect. 8.

Quidam ex Antiquis dixit, Diabolum sibi in uxorem desponsasse Iniquitatem, ex qua varias suscepit filias, quarum primam Superbiam nobilibus, Avaritiam et Usuram mercatoribus, Rapinam et Furtum militibus, Mendacium et Fraudem artificibus et advocatis, Simoniam ecclesiasticis, Hypocrisin religiosis, Invidiam aulicis desponsarit; at vero Luxuriam liberam esse et omnibus communem voluerit, ut per eam tanto plures homines lucrari posset. Ibid.

Cum quidam stolidus, audiente Pythagora, diceret, malle se cum mulieribus, quam cum Philosophis versari, recte respondit Pythagoras : Quid mirum, nam et sues libentius in luto, quam in aqua pellucida versantur. Laertius.

Luxuria merito *Lux urens* a nonnemine vocatur, quia hoc igne olim Sancta Christina totum orbem incensum vidit. Engelg. p. I, *Dom.* 5 *post Pen.*

Hieronymus Capivaccius medicus Patavinus testatur, se ex curatione luis Gallicæ plusquam octodecim millia coronatorum fuisse lucratum. Pont. *in Att. bel.* p. I, c. IV.

Soldanus Turcarum quinque millia stipendiariorum alere consuevit pecunia meretricum commercio collecta. Spondan. an. 1260.

Christus, dum legionem Dæmonum ejecit, eisdem in porcos intrandi potestatem dedit, ut ostenderet, Diabolum iis dominari, qui vitam porcorum gerunt. S. Aug. in tr. VI, in ep. XXX.

Pelicanus cum in alto habitare posset, ova in terra abscondit; quod advertens auceps, circa locum illum accendit ignem, quem, dum advolans pelicanus extinguere alis cupit, magis accendit, et simul adustis alis facile capitur. Quod ipsum facit Diabolus cum luxuriosis, qui si ignem concupiscentiæ ab eo per socios malos excitatum extinguere volunt, magis inflammatur; et seipsos amburunt. Fab. conc. VIII *in Dom.* 13 *post Pent.*

S. Thomas alicubi ait : Dicunt Magistri, aliquos esse Dæmones, qui memores suæ antiquæ nobilitatis, dedignantur homines peccato luxuriæ tentare. Signum hujus est, quod Lucifer tentans Dominum in deserto, non tentavit eum de hoc peccato. S. Thom. l. V *de Erud. Princ.* LI.

S. Philippus Nerius ex odore impudicos cognoscebat, hinc dicere solebat : Male oles, o fili, male oles. Brev. Rom. 26 *Jun.*

S. Augustinus exclamans : O voluptates, inquit, quam faciles aditus habetis, et quam difficiles exitus habebitis, cum perimetis! Dum suadetis, inungitis; sed postquam suasistis, usque ad mortem animæ pungitis. S. Aug. *apud Drexel. in Niceta* l. I. c. XI § 2.

Fuga. — Recte de vitanda luxuria dixit Seneca : Libidinis initia continebit, qui illius exitum cogitabit. Fab. *in Auct. them.* I. *in Dom.* XXIII. *post Pent.*

Nec male eumdem in finem cecinit Alanus.

Si vitare velis Venerem, loca, tempora vita,
Nam locus et tempus pabula præbet ei.
Si tu persequeris, sequitur; fugiendo fugatur.
Si cedis, cedit; si fugis, illa fugit.
Alanus, *de Planctu* methro 3.

Abbas Pastor Abbati Ammoni interroganti de immundis cogitationibus dixit : Numquid gloriabitur securis sine eo, qui incidit in ipsam? Et tu ergo non porrige eis manus, et otiosæ erunt. *Vitæ PP.* l. X. n. 14.

Dammum. — De hoc vitio sapienter dixit Valerius : Quid hoc vitio fœdius? Quid etiam damnosius, quo virtus atteritur, vitia languescunt, sopita gloria in infamiam convertitur, animi et corporis vires expugnantur, adeo ut nescias, an ab hostibus, an ab illis capi perniciosius habendum sit? Valer. Max. l. IX.

Ut vipera femina in maris complexu ei ad collum adhæret, et morsu caput abscindit, et ipsam postea fœtus lacerant; sic lux-

uria suis amatoribus interitum affert. Ælian l. II. c. xxiv.

Quidam causam assignans, cur Venetiis tot scorta essent, sic cecinit :

Cur urbe in Veneta scortorum millia tot sunt?
In promptu causa est : nam Venus orta mari.
Engelgr. t. I. *in Dom. 5. post Pent.*

Similem causam alius assignavit, cur Christus die Veneris sit passus.

Luce obiit Veneris, Veneris flet turba, videtur
Causa Dei passi non minima esse Venus.
Ibid.

Doctor Angelicus exponens illud Joannis : Totus mundus in maligno positus est, sic ait : Totus mundus in maligno, id est, malo igne positus est. S. Thom. *in S. Joan.* c. v. Drexelius brevi compendio damna et remedia luxuriæ his verbis complexus est :

Corpus, opes, animam, ingenium, famam, virtutes,
Debilitat, perdit, necat, impedit, inficit, aufert.
Otia, mensa, libri, vaga lumina, verba, sodales ;
Hæc tolle, hanc minue, hos muta, hæc claude, hæc fuge, vita hos.
In Niceta c. x.

In quodam monte Orientis lapides sunt igniferi, qui masculus et femina nuncupantur, et dicuntur Pyroboli. Qui nimirum cum a se invicem procul sunt, non accenduntur ; si vero femina appropinquaverit masculo, protinus ex eis ignis egreditur, ita ut omnia, quæ circa montem sunt, flammis vaporantibus exurantur. Ab ipsis ergo lapidibus edocemur, ut, si consumi libidinis incendio nolumus, muliebris aspectus speciem declinemus ; ne conspecta forma flamma prosiliat, quæ in nobis non montis, sed mentis fruteta pervadat. S. Petr. Damian. l. II. *Ep.* xviii.

In Apulia haud procul Bario, homo nobilis, gradu Marchio, re ipsa carnis suæ Satanæ mancipium, virginem piam ex earum numero, quæ ob desponsatam Christo extra cœnobia virginitatem *Monachæ domesticæ* audiunt, quanta vi ac nisu poterat obsistentem, impie fœdavit ; cumque inter retinendum virgo, Deiparæ sub cujus tutela se esse profitebatur, injuriam et indubiam ultionem ingereret, quæ illi foret, pœnitentiæ sementis uberrima ; spurcus admissarius : « Ecquam, inquit, Virginem dicis, a qua mihi hujus facti pœnitentia cassa adveniet? » Non tulit Deus tantam blasphemiæ atrocitatem, sacrilegæ impudicitiæ junctam, diu esse impunitam. Vix illis siliquis porcus iste lutulentus exsaturaverat sacrilegam libidinem, cum subita morte defunctus est; sacramentorum Christianorum expers. Itaque anima quidem sic abeuntis inferno est transcripta. Cadaver autem a suis in quoddam Capuccinorum cœnobium est illatum, et tumulo datum ; divinam vindictam, impietatemque, et peccatum ad mortem miseri hominis, ignorabant Patres. Itaque bona fide exceptum ejus cadaver, tumulo condunt ritu Christiano, non sine Psalmis, et aliis Suffragiis, quibus animam defuncti sublevarent apud benignum Deum. Sed frustra satagebant. Nocte tumulationem consequente, pius ex ea familia Religiosus, templum forte ingressus, super defuncti tumulum, deprehendit spectrum, tetrum adeo, et adeo horrendum, ut ferre ex tali objecto exanimaretur. Ubi vero primum tantisper ex metu est confirmatus, cœnobii Præfectum, quid vidisset, admonitum, induxit in eam mentem, ut mandatum sibi imponeret, de repetendo loco, et spectro interposita adjuratione urgendo ad patefaciendum, quid isthic quæreret. Mandato imposito paruit Religiosus ; quem Præfectus ipse cum aliquot aliis ex eadem sacra Familia illico est consecutus. Adjuratione adhibita, spectrum, quod erat, aperuit. Imaginem scilicet eam esse, animæ Marchionis eo tumulo proxime conditi, quam Deus justus Judex ob injuriam sacrilegam, virgini sacræ illatam, et jactatas in Deiparam blasphemias, morte subita e corpore impuro extrusam, æternis ignibus addixerat. Fidem verbis faciendam, si reserato tumulo, cadaver a Dæmonibus asportatum non comparet, sed putor dumtaxat intolerandus. Aperto tumulo inanis loculus, carbonum instar niger ac teter eductus e tumulo in sterquilinium abjectus (mirum dictu) quatuor corvis præda fuit. Loculum enim diffringere, et frustatim vorare sunt visi.

AXIOMATA.

Quid facies, facies Veneris, si veneris ante?
Non sedeas, sed eas, ne pereas per eas.
Blucherus V. *Meretrices.*

Si cedis, cedit ; si stas, Venus improbo lædit.
Cypria damna fugas, si sua tela fugis. Ibid.

Dives eram dudum, fecerunt sed tria nudum,
Alea, Vina, Venus, tribus his sum factus egenus.
Ibid.

Luxuriat raro non bene pasta caro.
Recte de Hercule quidam cecinit :

Lenam non potuit, potuit superare Leænam.
Quem fera non potuit vincere, vicit hera.

Sine Cerere et Baccho friget Venus. TERENTIUS, *in Eunucho.*

Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes. ECCL. 19. v. II.

AUCTORES.

Joannes Busæus, *in Panario*, *V. eodem.*

Jeremias Drexelius, *in Niceta.*

Jacobus Marchantius, *in Horto Pastorum.* lect VIII et IX. Item, *Tub. Sacerd.* tr. 3.

Jacobus Alvarez, tom. II, l. I p. II. c. V et VI.

Bernardinus Rosignolius, l. II. *de Discipl.* c. XIV et XV.

Joannes Cassianus, VI. *de Instit. renunt.*

Ludovicus Granat, *in Locis Comm.* fol. 655. et *Duce Pecc.* l. II, c. VII. fol. 631,

Philippus d'Outreman, *in Pædagogo Christiano* p.I, cap. VII. §. 3.

Petrus Canisius, tom. III. *de Sept. Pecc. capit.* §. 5.

Henricus Engelgrave, *in Luce Evangel.* p. I. *in Dominic.* V. *post Pentec.* et *in Cœlo* p. I. *in festo Annuntiat.* §. 2.

Mathias Faber, conc. VII et VIII. *in Dom.* XIII. *post Pent.* et *in Festo S. Mariæ Magd. conc.* V.

Antonius Dauroltius, *in Floribus historicis.* c. II. præc, VI. tit. 103.

Josephus Langius, *in Polyanthœa*, *V. eodem.*

Joannes Major, *in magno Speculo Exemplorum.* V. eodem.

FINIS TOMI SECUNDI.

INDEX

PRÆCIPUORUM TITULORUM

TOMI SECUNDI.

NUMERI PAGINAM INDICANT.

Dilectio inimicorum 1
Dilectio proximi 28
Discordia. 64
Dubia ascetica 76
Ebrietas 134
Educatio. 149
Evagatio mentis 168
Eucharistia 174
Examen conscientiæ 210
Exemplum 218
Fama 239
Felicitas 243
Fervor 245
Fides 249
Forma 282
Fortitudo. 286
Gaudium. 300
Gratia. 305
Gratitudo 312
Gula 334
Hæresis 351
Humilitas 365
Hyperdulia Mariana 421
Hypocrisis 480
Infernus 490
Ingratitudo 521
Intentio bona 528
Invidia 546
Iracundia 570
Judicium extremum 596
Judicium temerarium. 629
Juramentum 652
Justitia 660
Labor. 671
Lacrymæ. 678
Laus 684
Liberalitas 707
Lingua 714
Ludus. 745
Luxuria 755

Augusta Veromanduorum, Typis J. MOUREAU.

251.3
L 833

** 32288

LOHNER, TOBIAS

AUTHOR

Bibliotheca Manualis Concionatoria

TITLE ed. Cordier- Baud

Tom. II, Dil - L

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	Healy
	Craig
	Philanth

STORAGE -

32283